4536

18
70

Pertinet ad Bibliothec.m Burg.n
Augustinianam Cap. 8. L. B.

JACOBI PEREZ DE VALENTIA, OPERA OMNIA.

JACOBI PEREZ
DE VALENTIA,
OPERA OMNIA.

ILLUSTRISSIMI AC VENER. D. DOM.

JACOBI PEREZ DE VALENTIA,

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI,

ET EPISCOPI CHRISTOPOLITANI

OPERA OMNIA,

NUNC DEMUM ACCURATISSIMA

collatione cum veteribus editionibus recognita, repurgata, meliorique ordine, & typis elegantioribus excussa.

TOMUS PRIMUS,

COMPLECTENS CENTUM PRIORES PSALMOS

cum eorum expositione, & Indice rerum ac verborum cognitione digniorum.



BIBLIOTECA PROVIN... DE TOLEDO

MATRITI. Ex Typographia Ordinis de Mercede,
Anno M. DCCXLIX.



JUDICIUM ATQUE CENSURA R. P. M. FR. PETRI A CONCEPTIONE, Sacræ Theologia Lectoris Jubilati, Qualificatoris Supremæ Inquisitionis, semel atque iterum Ex-Provincialis Castellanæ Provinciæ Recollectorum Excalceatorum S. P. N. Augustini, &c.

DE mandato D. D. Michaelis Gomezii Escovaris, Curiæ Regiæ Matritensis, & adjacentis divisionis Vicarii mihi censura committitur perillustrium horum Operum Ven. Dom. D. Fr. Jacobi Perez de Valentia, Episcopi Christopolitani, ex Ordine Eremitarum S. P. N. Augustini assumpti. Cui libenter adhæreo, gratusque, & placidus obtempero. Quanvis mihi pro tanto munere non sint vires, incipiam; dicamque cum Jodoco Badio de hac nostri Jacobi Perez de Valentia Interpretatione, quod sit *lectu jucunda, & salutaris*: Tam jucunda, tamque amœna, ut neminem fastidiat, omnes demulceat, invitet, accendat, ut legant, & relegant, animamque sitientem relinquat hoc fonte satiari, hoc cibo nutriri, hoc malogranatorum musto inebriari. Gustate, legite, & perlegite, & videbitis ejus jucunditatem, ex qua fit tam salutaris, ut anima liquefiat in ejus lectione. Videbitis paradisum voluptuosum, admirabilem, omnibus colendum, & excolendum, delitiis affluentem, mittentem, emittentemque per orbem, ut riget, & fœcundet faciem universæ terræ, & omnis vivens operetur gloriam Domini nostri Jesu-Christi, custodiat mandata Dei, comedat de omni virtutis ligno, & satietur ab ubertate, protegaturque hujus paradisi amœnitate ab incursibus Judæorum, & Mahumethanorum dentibus stridentium in mediatorem nostrum Jesum-Christum, dilectam ejus Sponsam Ecclesiam, ejusque fideles filios, quos veterator Stygius decipere, & devorare præsumit.

Videbitis arborem vitæ, & scientiæ pulchram, & delectabilem, non visui solum, & aspectui, sed animæ, & spiritui afferentem fructus duodecim, non tantum per singulos menses, sed in singulis foliis, immo singulis lineis, & verbis, ut recreentur, roborentur, & in æternum vivant, scientes bonum & malum, ut ab hoc abstineant, & illud faciant. Videbitis hortum immensæ amœnitatis arborum, herbarum, & florum, in cujus odorem, uti agri pleni, cui benedixit Dominus, curratis, tracti, & attracti summa ejus eruditione tam Philosophica, quàm Theologica, Historica, Geographica, Chronologica, & Astronomica. Videbitis Philosophiam exhaustam, Socratem, Platonem, & Aristotelem sic ore Jacobi loquentes, & philosophantes, ut non credentes, credentes appareant: Theologiam Scholasticam ita diffusam, claram, & perspicuam, ut Phœbea lampade clariores reddat irretitas perplexitates, hæsitantias majores: Expositivam ita colit, excolit, extricatque literam, ejusque mysteria manifestat, doctrina, & authoritate Patrum, & Doctorum Ecclesiæ, ut immissus, & transmissus in illis, uti illorum mens, lingua, & calamus loquatur cum illis, & ex illis, labore, & expositione Hieronymi; subtili volatu Augustini; allegoria Ambrosii; moralitate Gregorii; methodo, claritate, sententiarumque firmitate Thomæ Aquinatis; devotione, & affectu Bonaventuræ, & Bernardi.

Historiam taliter deambulat, ut nec jota, nec apicem prætereat, gradumque ibi figit, ubi veritatem invenit. De Geographia, Chronologia, & Astronomia, quibus pollet, perque omnia opera sua divagatur, divisiones, terminos, conterminos Orbis, Regnorum, Provinciarum fertilitatem, astrorum influxus, irrigantia flumina tam accurate, & distincte adnotando, ut in se omnium oculos, & animos rapiat, nec ab ejus lectione excidere permittat. Legite jam nunc, & in desiderio erit perlegere non semel, sed millies. Usque nunc thesaurus hic eruditionis absconsus, & in fastidio erat ob prælum laboriosum, & lectu difficile; jam facile, pulchrum, visuique, & aspectui delectabile: in illoque invenietis Jacobum nostrum proferentem de thesauro suo nova, & vetera summæ sacræ, & profanæ eruditionis.

De his nostri Jacobi Commentariis eruditus, doctus, & laurea Minervæ dignus quidam P. Mr. ait: *Litteralem scripturæ sensum fere neglexit, intentus allegoriis, ac mysticæ intelligentiæ.* Miror virum doctum, litteratum, & in omni lectione versatum prætermisisse argumentum hujus operis, Prologum ad illud, titulorum, & materiæ in communi, & particulari cujuslibet Psalmi explicationem, causasque horum Commentariorum. Argumentum operis, sic concludit Commentator: *Ego vero hoc in opere mysteria Christi, & Ecclesiæ, prout mihi desuper arbitror esse donatum, per singulos Psalmos litterali quadam intelligentia reseravi, atque distinxi ad laudem Domini nostri Jesu-Christi.* Item in Prologo explicans materiam *ex qua, & circa quam*, seu *de qua*, ait: quod materia *ex qua*, est Scriptura veteris Testamenti, ex qua, tam-

quam

quam ex præmiſsis, & præcognitis infert propheticè David Euangelica myſteria, ſive Legem Euangelicam, quæ eſt materia *de qua* principaliter agitur, & quam principaliter intendit Propheta Pſaltes.

Horum ratio apud ipſum eſt, quia ſenſus præcipuus, & à Spiritu ſancto intentus in prophetica locutione, eſt res figurata, & manifeſtata, non tamen figura; nam omnis prophetica ſcriptura non eſt propter ſe, & gratia ſui, ſed propter quod, & gratia cujus manifeſtandum aſſumitur. Quare, licet materia *ex qua* propheticæ locutionis, litteraliter immediate innuat rem geſtam, ſeu figuram, ut volunt aliqui, aliis contradicentibus, utrumque ſimul aſſerentibus, ſignificare immediate litteraliter figuram incomplete, & imperfecte, & perfecte, & completive figuratum; ideo minus principali non *neglecto*, ut ait præcitatus Magiſter, ſed breviter, & epilogice explicato, in explanatione titulorum cujuſque Pſalmi, tranſit Author ad principalius, & perfectius explicandum.

Præterea idem ipſe Jacobus de Valentia in fine Prologi ſuam hujus Commentarii intentionem manifeſtans, ait: *Cum ego non ſuſceperim hoc opus aggrediendum ad oſtentationem mei, ſed ad ſatisfaciendum devotioni, & petitioni ſimplicium Sacerdotum, & Chriſtianorum; ideo in hoc opere non intendo diſputare materias, cùm jàm ſint ſatis digeſtæ, & examinatæ per Catholicos Doctores tam modernos, quàm antiquos; ſed ſolùm intendo ex doctrina Sanctorum antiquorum, ſecundum gratiam mihi deſuper datam, veritatem, & theſaurum euangelicum in hoc ſacro agro libri Pſalmorum abſconſum, & latentem, in lucem fidelibus detegere, & referare; & tandem modernorum Judæorum cæcitati & obſtinationi obſtare, & eorum maledictis, & vanis argumentis reſpondere, & ſatisfacere.*

Duo quippe tunc temporis adfuere noſtro Jacobo motiva ad hanc interpretationem: Primum, ſimplicitas, & ignorantia Chriſtianorum, præcipuè Sacerdotum; quippè vix legere, & difficilitèr latinum ſermonem norant, nec ſenſum etiam grammaticalem ſciebant. Ex quo magna adfuit fidelibus Chriſtianis rerum, myſteriorum, præceptorumque fidei inſcitia. Quam ob rem his temporibus inſtitutæ fuere in Cathedralibus Præbendæ Magiſtralis, Pœnitentiaria, & Lectoralis, ut dogma fidei, morum ſcientia, & ſacræ Scripturæ notitia abolita, reſtitueretur in integrum pulchra, & ſpecioſa. Secundum, obſtinata malitia Judæorum fideles Chriſtianos ſubvertentium pravis, falſis, ineptis, ſcurrilibuſque gloſsis ſacram Scripturam incruſtantium.

Ut votis, & devotioni ſimplicium Chriſtianorum, præſertim Sacerdotum recitationi Divini Officii ſive intra, ſive extra Chorum obſtrictorum ſatisfaceret, & ut majori devotione orarent, ſi ea, quæ in ore per ſingulas horas canonicas verſabantur, ſanè, piè, & fideliter ab eis intelligerentur, relictis ſubtilibus irretitiſque litteræ quæſtionibus, perviis, captuque facilibus ſpiritualis, & myſticæ intelligentiæ inſudavit, (exempla ſequutus Maximi Hieronymi in Abdiam, & Auguſtini Patris in Geneſim contra Manichæos) ut ſimplices Chriſtiani fructum Legis Euangelicæ, ejuſque myſteriorum, beneficiorumque per Chriſti merita fructum devotionis, & gratiæ afferre, & capere poſſent, ſimulque ſcurriles ineptias Judæorom aliqualiter dignoſcerent, & intelligerent.

Ut verò malitiæ, & perverſitati Judæorum obſiſteret, eorumque falſas gloſſas confutaret, *Malui* (loquitur ipſe) *verum ſenſum, & ſanum intellectum propheticum, juxta mentem Prophetæ litteraliter referare.* Utrumque fœliciter in his Commentariis aſſequutus eſt noſter Jacobus: Quà luce, & calore ſenſus ſpiritualis, & myſticæ intelligentiæ mentes Sacerdotum, & Chriſtianorum illuſtrando, cordaque eorum in oratione, & contemplatione myſteriorum Dei, & Domini noſtri Jeſu-Chriſti exardeſcendo: Quà dogmata, ſcurrilitateſque Judæorum utraque manu, ſenſu ſcilicet litterali, & ſpirituali, ut alter Aod Eglonem jugulando: Quà unum per alium probando, & comprobando. Fatemur equidem Jacobum intentum allegoriis, & myſticæ intelligentiæ: ſed minime ſenſum litteralem *neglexiſſe*: tanta enim dexteritate, ſubtilitaque tali ludit in utroque ſimul, vel ſeorſim, ut in ſtuporem inducat, uti alterum Joſue gladio verſatili litteræ, & ſpiritus utraque parte ſic acuto, pugnare, & expugnare perduelles Judæos, & uti alterum Moyſem ſenſu tantum myſtico, & ſpirituali pſallere, orare, & cantare myſteria Chriſti cum Sacerdotibus, & fidelibus Chriſtianis.

Ubinam, quæſo, mi Reverende, Docte, & Erudite Pater Magiſter *neglectus* ille ſenſus litteralis? In tuis conſpicillis, quibus tam torvis oculis Auguſtinianos aſpicis, & inſpicis, ut videre eſt in tua Bibliographia Critico Sacroprophana, ubi aut

ſo-

ſolùm ſidera, & lares noris, & extollis, noſtroſque deſpicis, demittis, impingis; Juſtus tamen Judex depoſitum noſtrum ſervabit in illum diem.

Verum ſenſum, ſanum intellectum, mentemque Prophetæ David introſpexit, & hauſit noſter Jacobus de Valentia in oratione, & his Commentariis emiſit. In oratione concepit, & hac interpretatione parturivit; uti ipſemet David, qui cor ſuum tradidit ad vigilandum, & Dominum deprecandum, os ſuum in oratione aperiens, & ſpiritum propheticæ intelligentiæ atrahens; & Dominus ipſe ſpiritu intelligentiæ replevit illum, imbreſque milit ſapientiæ ſuæ, quibus David fœcundatus eructabat, palamque faciebat diſciplinam doctrinæ Domini confitendo, orando, cantando in tympano, & choro, in chordis, & organo, in cithara, & pſalterio benedicendo, & Dominum laudando.

A voce Dei uterque, David & Jacobus concepit, ab eaque uterque peperit ſpiritum ſapientiæ, & intellectus myſteriorum Dei, & Domini noſtri Jeſu-Chriſti; quo repleti locuti ſunt, ille in ſuis Pſalmis, iſte in ſua expoſitione, & interpretatione, tam pari paſſu, æquoque gradu, ut verus ſenſus ſenſui vero, ſanus intellectus intellectui ſano, mentique Prophetæ mens Commentatoris concordet. Totum hoc innuit reliquiata effigies hujus Servi Dei in nucea tabula ſuper ejus ſepulchrum appoſita. Pontificali ſuperindutus apparet; dextera paſtoralem baculum, ſiniſtra librum tenet: ſupra hunc librum Regius Pſaltes David ſuam Lyram tangens, ſuoſque Pſalmos cum noſtri Jacobi expoſitione decantans, ut experiatur, an verum vero, ſanum ſano, mens menti correſpondeat; nec abſonum quid, & in minimo diſſonum invenit, ſed omnia conſona ſuo ſenſui, concordia intellectui, conformia menti, nec in puncto à vero, ſano, & Catholico ſenſu Sanctæ Matris Eccleſiæ aberrantia, ſed omnia ſonant, ſapiunt, redolentque mentem, intellectum, & ſenſum ejus; cujus pulchritudine, firmitate, infallibilitateque in doctrina fidei, & morum uti annulo ſubharravit, & tamquam ſponſam triumphali ſemper, & in æternum de inimicis duratura corona decoravit, ut ſatis, ſuperque abundè in Cantica Canticorum Commentator manifeſtat.::: Sic ſentio, ſalvo meliori, in hoc Copacavanenſi Conventu Nudipedum Recollectorum S.P.N. Auguſtini Matritenſi, die vigeſima ſecunda menſis Junii, anni D. milleſimi ſeptingenteſimi quadrageſimi octavi.

Fr. Petrus à Conceptione.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Licenciado Don Miguèl Gomez de Eſcobar, Inquiſidor Ordinario, y Vicario de eſta Villa de Madrid, y ſu Partido, &c. Por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos licencia, para que ſe puedan imprimir, è impriman las Obras antiguas del V. P. Jacobo Perez de Valencia: *Expoſicion de los Pſalmos, y Canticos*, que ſaca à luz el R. P. Fr. Manuel Galvan, Maeſtro en Sagrada Theologìa, y Procurador General de la Provincia de Lima, del Orden de Calzados de N. P. S. Aguſtin, atento que de nueſtra comiſsion ha ſido reconocido, y no contiene coſa opueſta à nueſtra Santa Fè, y buenas coſtumbres. Fecha en Madrid à 23. de Febrero de 1749.

Lic. Eſcobar.

Por ſu mandado,

Joſeph Muñoz de Olivares.

APPRO-

APPROBATIO R. PATRIS MAGISTRI FR. JOANNIS DE ITURRIOS,

Doctoris Theologi in Universitate Cordubensi Regni Peruani, S. Inquisitionis Qualificatoris, Commendatoris Conventuum de Corduba, & de Buenos-Ayres Provinciæ Tucumanæ Regii ac Militaris Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

EX Rescripto Supremi Senatus Castellæ vidi, & non sine animi voluptate legi & evolvi magnum volumen Operum Illustrissimi venerabilisque viri D. Dom. Jacobi Perez de Valentia, olim Episcopi Christopolitani, & Sacri Ordinis Eremitarum Magni Parentis Augustini præclaræ prolis, quod novis typis, duobus tomis aptatum mandare vult R. P. Mag. Fr. Emmanuel Galban Procurator Generalis Provinciæ Limanæ ejusdem Ordinis; qui magno sanè Christianæ Reipublicæ commodo hæc Opera ex rudibus antiquitatis characteribus, & ex tineis & blattis, in quibus hucusque delitescebant, eruens, similis fit homini patrifamilias Euangelico, qui profert de thesauro suo nova & vetera.

Igitur qualis vir fuerit horum Author Operum, notum ubique est ex tota antiquitate, & ex monumentis doctissimorum virorum, non solùm Sacri Ordinis Augustiniani, sed etiam exterorum, qui ejus doctrinam, eruditionem, sapientiam, sanctimoniam, necnon ejus venerandi cerebri post centum viginti & unum annos incorruptionem miris laudibus commendant. Sufficiat pro pluribus Vir Cl. D. *Nicolaus Antonius*, qui in suo eruditissimo Opere Bibliothecæ veteris Hisp.tom.2.lib.10. cap. 14. num. 779. agens de hoc Illmo. Jacobo omnes ejus animi dotes ad amussim complectitur.

Porrò quod attinet ad opera hujus præclari Authoris, & quod præcipuum mei muneris est, ingenuè fateor, hæc eadem esse de ejusdem viri præclaris dotibus, virtutibus, ac sapientia irrefragabilius testimonium, ac

——— Monumentum ære perennius,
Quod nec imber edax, aut Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, aut fuga temporum;

ubi tamquam in speculo videre quivis poterit perfectam ejus imaginem totis ingenii sui, eruditionis, sapientiæque lineis adumbratam: quod in sequentibus patefaciam.

In primis (quod omnium caput est) in explanatione Psalmorum, & reliquis ejus Tractatibus elucet splendor quidam humilitatis, ac cælestis unctionis, non sine superni Numinis afflatu, infusæque sapientiæ, quibus lectorem simul afficit ac delectat; quod piè insuper conjici potest ex ipsismet ejus verbis, videlicet (*) *Ego verò hoc in Opere mysteria Christi & Ecclesiæ, prout* mihi desuper arbitror esse donatum, *per singulos Psalmos literali quadam intelligentia reseravi, atque distinxi.* Deinde lectorem instruit, ac manuducit non solùm ad genuinam intelligentiam Psalmorum, & Canticorum ferialium Divini Officii, verum etiam ad cognitionem totius sacræ Scripturæ veteris ac novi Testamenti in doctissimo Prologo, quem in vestibulo expositionis Psalmorum præfixit. Insuper in omnibus suis libris ac tractatibus videre licet mirum ingenii acumen, sacrarum linguarum peritiam, nec non humanarum literarum atque scientiarum haud vulgarem cognitionem. In difficillimis quæstionibus Theologicis explanandis, quæ in tam vasto opere passim occurrunt, summum Theologum se prodit, vestigiis inhærens SSmi. Patris Augustini, inconcussæque aliorum Patrum doctrinæ, & Sanctæ Matris Ecclesiæ dogmatibus insistens, ea perspicuitate & claritate, qua quisque etiam analphabetus instrui atque erudiri potest.

(*) In *Argumento* ad Expositionem Psalmor.

Mysterium Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Dei genitricis Mariæ tanto rationum pondere, Sanctorumque Augustini, Hieronymi, & aliorum Patrum, nec non sacræ Scripturæ testimoniis firmat atque roborat in expositione super *Magnificat*, super Psalmos, aliisque in locis, ut nihil ultra desiderari possit. In quinque Quæstionibus adversus Iudæos, totus est in eorum cæcitate & pervicacia confutanda, eorum postulationes contra Legem Euangelicam retundens, & suorum Rabbinorum ineptias, ac Thalmudistarum deliramenta veris & inconcussis sacræ Scripturæ testimoniis confringens. Denique in explanatione Canticorum Salomonis mira eruditione ac perspicuitate probat, in eo libro prædici totum mysterium nostræ Redemptionis & salutis completum in novo Testamento.

Itaque ex dictis, & ex pluribus aliis, quæ brevitatis causâ prætermitto, liquet, virum istum (absit verbo adulationis nota) comparandum esse non solùm sapientio-

ri-

ribus noſtræ Hiſpaniæ viris, verum etiam fulgentioribus Auguſtinianæ Religionis luminibus, quæ à Sole illo Eccleſiæ lucidiſsimo profluens, imò emicans, cælum eſt, ſeu ſanctitatis præcipuæ ſideribus, ſeu doctrinæ fulgentiſsimæ radiis, ſeu dignitatum atque infularum viris eminentibus circumquaque ſplendens, ea multitudine, ea congerie, illo prorſus numero,

Quem qui ſcire velit, Lybici velit æquoris idem
Diſcere, quam multæ Zephyro turbentur arenæ;
Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe, quot Ionii veniant ad litora fluctus.

Comparandum eſſe, inquam, Ægidio Romano, Gregorio de Arimino, Thomæ de Argentina, Thomæ Anglico, Paulo Veneto, Fontanæ Neapolitano, Philippo Vergomenſi, Onuphrio Panvinio, Hieronymo Seripando, & pro omnibus Henrico Cardinali de Noris; qui omnes ſcriptis editis de Philoſophica ac Theologica re, Hiſtoriaque Eccleſiaſtica, ac denique de Eccleſia Catholica egregiè benemeriti Auguſtiniano Ordini lumen & columen auxerunt, nomenque ſuum æternitati conſecrarunt: Quippe vir iſte ſapiens non ſolùm iſtorum, ſed & antiquorum omnium exquiſivit, atque ebibit ſapientiam; & omnes ſcientias veluti ancillas quaſi ad nutum habuit, quas in præclaro hoc Opere circumquaque mittit, ut omnes Infideles, Hæreticos, ac Judæos adducant ad arcem, & ad mœnia Civitatis Sanctæ, Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ.

Quapropter quamlongiſsimè abeſt, ut hæc Opera quidquam contineant diſſonum Fidei Catholicæ, bonisque moribus, aut Regiis ſanctionibus: quin potius mirum in modum illam firmant, corroborant, exornant: ideo quaſi ex juſtitia facultatem exoptant, ut quam citiùs in lucem prodeant, ne Chriſtiana Reſpub. tanto munere defraudetur. Sic cenſeo, ſalvo ſemper &c. In hoc Matritenſi Conventu Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Nonis Martii ann. reparatæ ſalutis M. DCC. XLVIII.

Fr. Joannes Iturrios.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Miguèl Fernandez Munilla, Secretario del Rey nueſtro Señor, ſu Eſcribano de Camara mas antiguo, y de Govierno del Conſejo. Certifico, que por los ſeñores de èl ſe ha concedido Licencia al Maeſtro Fr. Manuel Galvan, del Orden de San Aguſtin, Procurador General de la Provincia del Perù, para que por una vez pueda imprimir y vender el Libro que eſcribiò en Latin Fr. Jacobo Perez de Valencia de la miſma Religion, ſobre los Pſalmos, y Canticos, &c. con que la impreſsion ſe haga por el original que và rubricado y firmado al fin de mi firma; y que antes que ſe venda ſe traiga al Conſejo dicho Libro impreſſo, junto con ſu original, y Certificacion del Corrector de eſtàr conformes, para que ſe taſſe el precio à que ſe ha de vender, guardando en la impreſsion lo diſpueſto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de eſtos Reynos. Y para que conſte lo firmè en Madrid à 2. de Abril de 1748.

Don Miguèl Fernandez Munilla.

ERRATA QUÆ IN HOC PRIMO TOMO IRREPSERUNT.

PAG.25. lit. C. formaliter, leg. fontaliter. Pag.30. lit.A. vere, leg. veræ. Pag. 31. lit.A. formalis, leg. formas. Pag.39. lit.H. de diaboli, leg. de diabolis. Pag. 57. lit.C. Spiritu ſancti, leg. Spiritus ſancti. Pag.120. column.2. lin.1. *elevata ex*, leg. *elevata eſt*. Pag.146. lit.D. cognoſciva, leg. cognoſcitiva. Pag.152. lit.B. *ſecundum multitudinem*, leg. *ſecundum altitudinem*. Pag.380. lit.A. quam acceptat, leg. quam acceperat. Pag.403. lit.F. filii, vel conſanguineis, leg. filiis, vel conſanguineis. Pag. 422. lit. H. intellex, leg. intellexit. Pag.424. lit.D. alterutrum, leg. adulterium. Pag.477. colum.2. lin.3. fixit, leg. figit. Ibidem lit.H. fixit, leg. figit. Pag.483.lit.E. duodecim millium, leg. duorum millium. Pag.515. lit.E. unito, leg. unio. Pag.547. lit.B. *ſecundum miſerationum*, leg. *ſecundum multitudinem miſerationum*. Pag. 552. lit.B. populus Chriſtianis, leg. populus Chriſtianus. Ibid. lit. F. ſubſtinuit, leg. ſuſtinuit.

Sic cum harum correctione mendarum ſuo correſpondet exemplari Liber, tomus primus cui titulus eſt: *Illuſtriſsimi ac Vener. D. Dom. Jacobi Perez de Valentia, Ordinis Erem. S. Auguſtini, & Epiſcopi Chriſtopolitani Opera omnia, complectens centum priores Pſalmos cum eorum Expoſitione*. Matrit. die 5. Jullii, anni 1749.

Lic. D. Emman. Licardo
de Rivera.
Correct. Generalis.

SUMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Real Conſejo de Caſtilla eſtos Libros intitulados *Expoſicion de los Pſalmos*, ſu Autor el Iluſtriſsimo y Venerable Señor Jacobo Petez de Valencia, del Orden de San Aguſtin, à ſeis maravedis cada pliego como mas largamente conſta de ſu Original. Madrid, y Julio 29. de 1749.

ELO-

ELOGIUM
ILLUSTRISSIMI D. DOM.
JACOBI PEREZ
DE VALENTIA,
EPISCOPI CHRISTOPOLITANI.

INter plures Viros doctrina, virtute, ac sapientia conspicuos, quos Ordo Eremitarum S. Patris Augustini Ecclesiæ protulit, non postremum locum obtinet Illustrissimus ac venerabilis Dominus Jacobus Perez de Valentia; quippe qui morum innocentia ac integritate, pastorali solicitudine, zelo animarum, sapientia & eruditione nulli est inferior, ut infra ex fidedignis Authoribus breviter indigitabimus.

Atque ut ab ejus cunis exordiar, natus est anno Domini MCDVIII. in castro de *Ajora* Diœcesis Oriolensis in Regno Valentino Hispaniæ Tarraconensis, ex honestis piisque parentibus Joanne Perez, & Francisca Gil de Marazo; qui postea notiore appellatione *de Valentia* cognominatus est, ut qui Regiam hanc Hispaniæ Urbem diu incoluit. Primis litteris, Christianisque moribus imbutus sæculo nuntium remisit, Ordinique Eremitarum S. Augustini nomen dedit in Regali Cœnobio Virgini de Gratia sacro: solemnique emissa professione, mirum est quantum virtutibus atque humanis ac divinis disciplinis auctus est; ut propterea eidem Monasterio non semel præficeretur, ac deinde Prior Provincialis, ac tandem Vicarius Generalis totius Eremi Hispaniarum communi omnium consensu electus fuerit.

In his muneribus obeundis, quibus magni alioqui viri sufficere vix possunt, adeo eximium se præbuit, ut prudentiam, ac zelum Regularis disciplinæ literarum pensis præclarè conjunxerit; quin hæc Ordinis onera obfuerint, ut Sacræ Theologiæ Cathedram in publico ejusdem Urbis gymnasio, magno discipulorum profectu, nec sine ingenti Magistrorum illius Academiæ plausu moderaretur: ac deinceps Inquisitor Apostolicus adversus Judaicam perfidiam, qua Hispania nostra tum maximè scatebat, delectus fuerit.

Hinc procedente tempore, atque ejus virtutum ac doctrinæ fama percrebescente, Episcopus electus fuit titularis, ut vocant, sive suffraganeus Illustrisimi D. Dom. Roderici Borgiæ Episcopi Valentini & Cardinalis Portuensis, titulo, inquam, Christopolitanus, nomine tenus dictus; quod oppidum *Christopol* est hodie, olim autem *Neapolis Thraciæ*. Prædicto vero Cardinali Romæ pro suis eximiis muneribus commorante: Episcopatus Valentini, simulque Novæ Carthaginis regimen (nam utrumque simul habebat Episcopatum) nostro Jacobo demandavit, tamquam ejus Corepiscopo, ac utriusque Ecclesiæ Valentinæ ac Novæ Carthaginis Vicario Generali, nomine & vice ejusdem sui Archipræsulis, qui postea in Summi Pontificatus vertice constitutus, dictus est Alexander VI. ac de optima nostri Jacobi electione sibi complacens, dixisse fertur id quod de altero Jacob Patriarcha dixit Laban, Gen. 30. *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.*

Sic itaque tamquam lucerna super candelabrum Ecclesiæ constitutus, illis virtutibus ac dotibus clarere cœpit, quas Apostolus Episcopis vehementer in-

Ad Tit. c. 2. jungit, se ipsum præbens exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate; quippe qui illud probè noverat, quòd *doctrina sine vita arrogantem reddit, & vita sine doctrina inutilem facit.* Ideo morum ac vitæ sanctimoniæ doctrinam conjungens, populos sibi commissos frequentibus concionibus instruebat, scriptisque verè doctis Sacerdotum, Religiosorum, ac fidelium Christianorum votis indefesso labore satisfecit, pluribus editis super Sacram Scripturam Commentariis, divina planè ac humana eruditione refertis. Ea verò quæ ad nostram ætatem pervenerunt, & quæ in hac nova editione collecta prodeunt, sunt sequentia.

Lib. 3. Sententiar. Isidori, c. 36.

In centum quinquaginta Psalmos expositiones. Roderico prædicto nuncupatæ, in quo de Christo & Ecclesia omnes Davidis prophetias subtiliter interpretatur. Quod Opus seorsim excussum in fol. majori asservatur in Bibliotheca Regia Matritensi.

In Cantica ferialia in Bibliis reperta, quæ in diebus ferialibus cantantur ad Laudes in Officio Divino. Liber hic seorsim prodiit primum Valentiæ anno 1484. & asservatur in Bibliotheca Patrum Mercedariorum Matritensi, cum sequentibus.

In Cantica Euangelica: *Benedictus*, *Magnificat*, *Nunc dimittis*, *& Gloria in excelsis.*

In Canticum Ambrosii & Augustini: seorsim item Valentiæ anno 1485.

Quinque quæstiones, cum earum subtilissimis resolutionibus contra Judæos fidei Christianæ adversarios. Seorsim etiam Valentiæ ann. 1484. Quem librum laudat Joannes Martinus Figuerola in opere suo *Lumbre de Fè contra el Alcoran* inscripto.

In Cantica Canticorum Salomonis Expositiones, cum illius quæstionis discussione: *Utrum solus Christus sit metrum, largitor bonorum omnium, & reparator humanæ naturæ.* Hoc opus Alphonso Aragonio Archiepiscopo Cæsaraugustano dicatum, & seorsim excussum Valentiæ primum prodiit anno 1486. posteaque etiam separatim Parisiis, Lugduni, Venetiisque prodiisse, authores sunt Valerius Taxander in lib. *De Scriptoribus Hispanis*, & Thomas de Herrera in *Alphabeto Augustiniano.*

Omnia hæc simul cum *Symbolo S. Athanasii & Expositione* ad calcem operum, in unum volumen collecta Jodocus Badius Ascensius, celebris sui ævi Calcographus, tradita sibi à Joanne Focaudo Clarevallensi Abbate, & quidem operâ Monachi cujusdam sedulò correcta pro modo illius temporis, & Indice Alphabetico illustrata, primùm anno 1506. atque iterum ac tertiùm 1518. typis mandavit.

Hæc igitur sunt præclara monumenta nostri Illustrissimi Jacobi, quæ per traditionem Majorum ad nostra tempora transmissa, variisque in locis, ut dictum est, excussa, satis indicant, quanto honore ac æstimatione à viris doctis illorum temporum excepta fuerint. Quæ quidem existimatio minimè eos fefellit: quippe eadem Opera abundè testantur profundam Authoris eruditionem, sacrarum linguarum peritiam, divinarum humanarumque scientiarum intelligentiam, claram interpretandi etiam rationem, & inhærentem sententiæ Psalmorum explanationem; ut proinde dignus existimatus fuerit cui (sicut Divo Chrysostomo Paulus Apostolus) ipse Regius Psaltes David, quem ille mirificè coluit, scribenti multa dictasse videatur. In cujus rei testimonium extat super ejus sepulchrum antiqua tabula, in qua ipse Jacobus vestibus Episcopalibus indutus repræsentatur, mitra & baculo ornatus, calamumque manu tenens, ac desuper ipse Sanctus Rex David manibus suis psalterium pulsans, ipsique velut patefaciens mysteria veteris ac novi Testamenti in suis psalmis recondita, veramque eorum explanandi rationem suggerens.

Præ-

Præter hanc picturam sunt etiam libri doctorum virorum, in quibus vivis eloquentiæ coloribus eumdem Jacobum depingunt, ac miris laudibus commendant. In primis vir ille non minus literis, quàm virtutibus insignis Venerabilis Dei servus *Alphonsus de Orozco* nostri Ordinis præclarum decus, in *Chronica Augustiniana* illum proponit tamquam *virum doctrîna pariter, ac vitæ exemplo insignem.* Ex exteris *Zacharias Boverius* Capuccinus, tom. 2. *Demonst.* art. 4. pag. 212. de eodem hæc habet : *Præclaris voluminibus non solum Ecclesiam illustravit, sed etiam Regularis Observantiæ, ac vitæ probitatis normam & exemplar præbuit.* Vir Cl. *Nicolaus Antonius* in Bibliotheca veteri Hisp. tom. 2. lib. 10. cap. 14. num. 779. *Divinis* (inquit) *atque humanis literis, &, quod ante alia est, probitate morum vitæque multum se commendavit æqualibus, quemadmodum & posteritati libris verè doctis utilibusque.* Magister *Araziel* Dominicanus illum cum Angelico Thoma contulit in enodandis sacræ Theologiæ cùm Scholasticæ, tum Expositivæ reconditis mysteriis. *Marieta* eundem virum appellavit divinarum humanarumque scientiarum locupletissimum. *Gaspar Escolanus* lib. 9. Historiæ Valentinæ cap. 1. ejus sanctitatem non semel testatam asserit signis ac prodigiis ad ipsius sepulchrum patratis. Multo plura refert *Magister Jordan* tom. 1. Historiæ virorum illustrium Eremi Ordinis Augustiniani Coronæ Aragoniorum.

Tandem virtutibus ac meritis cumulatus Jacobus noster ex hac vita migravit anno salutis MCDXC. annos natus LXXXII. & in communi Fratrum sepulchro præfatæ Domus Valentinæ honorificè sepultus fuit, ubi tamquam alter Jacob in terra Chanaan, & in sepulchro patrum suorum, sepeliri voluit ac jussit : ibidemque jacuit usque ad annum MDIX. in quo Sanctus Thomas de Villanova, qui eodem anno Præsul erat Valentinus, reserari, ac decentiori loco collocari jussit, hac sepulchrali Inscriptione apposita:

R. I. D. D. Jacobus Perez Valentinus Augustinianus Eremita,
Psalmorum Interpres, Episcopus Christopolitanus jacet hìc,
Obiitque anno MCCCCXC.

Deinde anno MDCXI. & centum duobus annis ab hac translatione, Priore dictæ Domus Valentinæ Magistro Fr. Sebastiano Garcia, iterum reseratum fuit ejus sepulchrum jussu Illustrissimi D. Joannis de Ribera Archipræsulis Valentini. Sed in hac exuviarum ejus manifestatione, quæ in omnium oculis incurrerunt, *admirationi præcipuè fuit ejus venerabile cerebrum : nam integrum id quidem, & ab omni noxa putrefactionis illæsum repertum fuit post centum viginti & unum annos ab obitu Jacobi. Quod prodigium eidem Illustrissimo Præsuli jubendi occasio fuit, ut de Jacobi vita, rebusque ab eo gestis, & miraculis, eo intercedente à Deo dispensatis, testimonia ritu solemni acciperentur.* Quod ita factum est, horumque autographum hodie in prædicto Augustinianorum Cœnobio asservatur, quousque per Sanctam Sedem Apostolicam de nostri Venerabilis Jacobi cultu & Apotheosi nobis provisum fuerit.

Vid. D. Nicol. Anton. in Bibliot. Veter. Hisp. tom. 2. lib. 10. c. 1. à n. 779.

PRÆ-

INDEX BIBLICUS CENTUM priorum Psalmorum, qui in hoc primo Tomo exponuntur.

1. Beatus vir qui non abiit. Pag. 61.
2. Quare fremuerunt gentes. 72.
3. Domine quid multiplicati sunt. 83.
4. Cum invocarem, exaudivit me Deus. 88.
5. Verba mea auribus percipe Domine. 97.
6. Domine, ne in furore arguas me. 101.
7. Domine Deus meus, in te speravi. 112.
8. Domine Dominus noster, quàm admirabile. 117.
9. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia. 133.
10. In Domino confido: quomodo dicitis. 141.
11. Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus. 144.
12. Usquequò Domine. 153.
13. Dixit insipiens in corde suo. 157.
14. Domine quis habitabit. 167.
15. Conserva me Domine. 174.
16. Exaudi Domine justitiam meam. 180.
17. Diligam te Domine fortitudo mea. 184.
18. Cœli enarrant gloriam Dei. 201.
19. Exaudiat te Dominus in die tribulationis. 210.
20. Domine in virtute tua lætabitur rex. 213.
21. Deus Deus meus, respice in me. 218.
22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, 230.
23. Domini est terra, & plenitudo ejus. 233.
24. Ad te Domine levavi animam meam. 237.
25. Judica me Domine, quoniam ego. 242.
26. Dominus illuminatio mea & salus mea. 244.
27. Ad te Domine clamabo. 248.
28. Afferte Domino Filii Dei. 250.
29. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me. 258.
30. In te Domine speravi, non confundar in æternum. 263.
31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates. 269.
32. Exultate justi in Domino. 279.
33. Benedicam Dominum in omni tempore. 286.
34. Judica Domine nocentes me. 293.
35. Dixit injustus ut delinquat in semetipso. 301.
36. Noli æmulari in malignantibus. 307.
37. Domine, ne in furore tuo arguas me. 315.
38. Dixi: Custodiam vias meas. 322.
39. Expectans expectavi Dominum. 329.
40. Beatus qui intelligit. 339.
41. Quemadmodum desiderat cervus. 344.
42. Judica me Deus. 350.
43. Deus auribus nostris audivimus. 352.
44. Eructavit cor meum verbum bonum. 356.
45. Deus noster refugium & virtus. 369.
46. Omnes gentes plaudite manibus. 386.
47. Magnus Dominus, & laudabilis nimis. 389.
48. Audite hæc omnes gentes. 399.
49. Deus deorum Dominus locutus est. 408.
50. Miserere mei Deus secundum magnam, &c. 417.
51. Quid gloriaris in malitia. 450.
52. Dixit insipiens in corde suo. 453.
53. Deus in nomine tuo salvum me fac. 457.
54. Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris. 459.
55. Miserere mei Deus, quoniam conculcavit. 467.
56. Miserere mei Deus, miserere mei. 470.
57. Si verè utique justitiam loquimini. 475.
58. Eripe me de inimicis meis Deus meus. 480.
59. Deus repulisti nos. 486.
60. Exaudi Deus deprecationem meam, intende. 491.
61. Nonne Deo subjecta erit. 493.
62. Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. 497.
63. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor. 501.

64. Te

64. Te decet hymnus Deus in Sion. 505.
65. Jubilate Deo omnis terra. 511.
66. Deus misereatur nostri. 515.
67. Exurgat Deus, & dissipentur. 517.
68. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ. 541.
69. Deus in adjutorium meum intende. 553.
70. In te Domine speravi, non confundar in æternum : in justitia tua libera me, & eripe me. 554.
71. Deus judicium tuum regi da. 561.
72. Quam bonus Israel Deus. 579.
73. Ut quid Deus repulisti in finem. 587.
74. Confitebimur tibi Deus. 597.
75. Notus in Judæa Deus. 601.
76. Voce mea ad Dominum clamavi. 606.
77. Attendite populo meus legem meam. 613.
78. Deus venerunt gentes. 628.
79. Qui regis Israel intende. 631.
80. Exultate Deo adjutori nostro. 636.
81. Deus stetit in synagoga deorum. 645.
82. Deus quis similis erit tibi? 659.
83. Quàm dilecta tabernacula tua. 663.
84. Benedixisti Domine terrâm tuam. 670.
85. Inclina Domine aurem tuam. 676.
86. Fundamenta ejus in montibus sanctis. 680.
87. Domine Deus salutis meæ. 689.
88. Misericordias Domini. 694.
89. Domine refugium factus es nobis. 708.
90. Qui habitat in adjutorio Altissimi. 716.
91. Bonum est confiteri Domino. 726.
92. Dominus regnavit, decorem indutus est. 734.
93. Deus ultionum Dominus. 735.
94. Venite, exultemus Domino. 740.
95. Cantate Domino canticum novum, cantate Domino. 745.
96. Dominus regnavit, exultet terra. 749.
97. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia. 751.
98. Dominus regnavit, iracantur populi. 754.
99. Jubilate Deo omnis terra. 757.
100. Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine. 758.

Superiores Psalmi explicantur in hoc primo tomo ; in altero autem reliqui quinquaginta, quorum Indicem ibi reperies.

REVE

REVERENDI ET OPTIMI PATRIS DOMINI JACOBI PEREZ DE VALENTIA
Christopolitani Episcopi, ad Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum D. Rodericum Borjam, Cardinalem Valentinum, Episcopum Portuensem & Cartaginensem, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-cancellarium dignissimum in libros Psalmorum Davidi

PRÆFATIO.

COmmentarios in Psalmos David Prophetæ Regii & sanctissimi à me nuper editos, ad quem potius mitterem, quàm ad tuam dignationem, Reverendissime Pater & Domine D. Vice-Cancellarie, litterarum cultor præcipue & maxime, Curiæque Romanæ specimen, qui demum Ecclesiæ Valentinæ insignis merito Præsul existis, cujus vices Ego (licet immeritus) hîc tua beneficentia gero, profecto habui neminem. In quibus non tam mihi laus scribendi, quàm voluptas ingens faciendi satis venerandis & præstantissimis Patribus Ecclesiæ tuæ Valentinæ Canonicis omni virtutum genere, ac litterarum studiis eruditissimis & ornatissimis, qui me sæpenumero ad hoc scribendi onus subeundum enixissimè hortati sunt, quæsita est. Nam cum me frequenter orandi gratia in eadem Ecclesia recepissem, & citharædi David Psalmos iidem Canonici in choro noctu dieque decantarent ac psallerent; & circa eorumdem Psalmorum contemplationem difficultates non parvas sedulò à me ipsi expeterent, hos quidem breves Commentarios per otium minus accuratè scriptos, quibus ut tuo officio (tui vero absentia meo incumbebat) spirituales sensus, necnon veras sententias pro viribus aperirem, ut tuæ reverendissimæ mansuetudini studiorum & lucubrationum mearum rationem redderem, edidi. Quos tandem, ut tua solita clementia & humanitate suscipias, & benigno favore amplectaris & prosequaris devotè supplico: tametsi susceptì operis altitudo & magnitudo humeris meis debilibus par minime censeatur, cùm non possit humana curiositas inscrutabilia arcana Dei pertingere. Verumtamen quoniam simplici & humili corde, ac pia mente illud aggressus sum, divina virtus atque pietas effecit, ut ita sancto labori non parcerem, & huic egregio & prophetico operi, ad ipsius laudem & immensam gloriam edito, ad optatum finem consequendum secunda mihi fierent omnia: ut qui tribuerat voluntatem bene agendi, potestatem prosequendi, & finem non denegaret. Solet enim pius & clemens Deus humilibus de thesauris suis profundere & proferre gratiam. Si quid ergo minus bene dictum, aut devium in hoc opere meo cognoveris, ut imperfecto meo referas & ignoscas, obsecro. Si quid vero recti à Sanctis Doctoribus & sacris codicibus excerpserim & exhauserim, ut Dei Filio immaculato, in quo omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei reconditi sunt, id totum ascribas, supplex oro, atque obstetor. VALE.

ARGUMENTUM.

POstquam Sanctissimum David ad Regnum Israel Spiritus sanctus advocasset, & ad ejusdem Regni culmen & apicem debellatis hostibus conscendisset, idem Spiritus sanctus de stabili Templo construendo, cultuque divino ampliando & ordinando vehementem cupiditatem animo ejus injecit: necnon in ejusdem Templi exemplar & descriptionem fabricam corporis Christi, & totius Ecclesiæ futuræ typicè ac mysticè continentem eidem tradidit, atque digessit. Ad quod Templum fabricandum haud segnis David se vehementi affectu sedulo præparavit. Verum enimvero aliter quam decreverat evenit. Nam quod tantopere optaverat, divina providentia denegavit. Et non ab re singulari quodam & arcano mysterio per filium ejus Salomonem Spiritus sanctus omnia terminari ac compleri suggessit, atque mandavit. David autem, ne tanti mysterii expers censeretur, omnem materiam ad materialis Templi ornatum pertinentem, ut in libris Paralipomenon legimus, ampliſsimè præparavit. Verumtamen parum laudis & meriti in fabrica materialis Templi fuisset consecutus, nisi formam & ritum laudandi Deum in eodem Templo tradidisset. Hinc est, quòd prout in præfata Templi descriptione à Spiritu sancto didicerat & intellexerat, centum quinquaginta hoc in sacro codice contentos propheticos edidit Psalmos, eosque electis Cantoribus atque temporibus distribuit jubilandos. In quibus Filii à Patre æternam generationem, Spiritus sancti ab utroque processionem, Verbi æterni temporalem Incarnationem, Christi mortem & Passionem, & gloriosam resurrectionem, & admirabilem super omnes Cœlos Ascensionem, necnon populi Gentilis conversionem, & tandem nostram futuram glorificationem ita mirabiliter, & lucidè, & propheticè decantavit; ut in quibusdam potiùs videatur historiam Euangelicam, quàm prophetiam texuisse. Hoc igitur brevi argumento, ob quam causam David confecerit Psalmos, omnes partes arbitror esse complexas. Ego vero hoc in Opere mysteria Christi & Ecclesiæ, prout mihi desuper arbitror esse donatum, per singulos Psalmos litterali quadam intelligentia reseravi, atque distinxi ad laudem Domini nostri Jesu-Christi, qui vivit &c.

PRO-

PROLOGI IN PSALTERIUM

TRACTATUS PRIMUS.

APERIAM *in Psalterio propositionem meam. Psal.*48. Quia non solum in illo Psalmo, sed etiam in quolibet Psalmo hujus libri intendit David nobis aperire aliquam, vel aliquas propositiones, & mysteria profundissima de veteri Testamento; ideo non solùm de illo Psalmo 48. sed etiam de toto libro Psalmorum verificatur, & impletur, quod in verbis propositis dicitur: *Aperiam in Psalterio propositionem meam.* In quibus verbis implicantur, & quasi explicantur omnes quatuor causæ totius libri Psalmorum. Nam in ly *Aperiam* intelligitur pronomen primæ personæ, scilicet *Ego aperiam*: per quod denotatur causa *efficiens*, & Auctor omnium Psalmorum. Causa verò *materialis* denotatur per ly *Propositionem*, quam nobis aperit. Tertiò notatur causa *formalis* in ly *Psalterio*, in quo dicit, se aperire propositionem. Quartò tangitur causa *finalis*, sive finis totius libri Psalmorum per ly *Meam*, id est, ad utilitatem mei. Nam pronomina possessiva personas duplices importare videntur secundum *Priscianum*, quia cum possessore possessio significatur. Et sic in præfato Versiculo tanguntur omnes quatuor causæ hujus libri, scilicet *Auctor*, & *Materia*, & *Forma*, & *Finis*, sive utilitas, cujus gratiâ conditi sunt omnes Psalmi. Et sic tanguntur omnes quatuor causæ, quæ solent quæri in quolibet opere.

Quatuor causæ totius libri Psalmor.

Sed quia in quolibet Psalmo non solùm quæruntur supradictæ quatuor causæ, sed de necessitate quæruntur alia quinque: nam post notitiam causarum quæritur secundò in quolibet Psalmo de titulo illius Psalmi. Tertiò de modo prophetiæ, quo Psalmista fecit Psalmum, & unde fuit motus. Quartò quæritur de modo intelligendi, sive de intellectu illius Psalmi. Quintò exponuntur verba. Sextò concordantur diversæ interpretationes, quæ videntur quandoque discordare in Psalmis.

In quolibet Psal. quinque quæruntur.

Ideò in præsenti procemio antequam veniamus ad expositionem Psalmorum, præmittentur *sex Tractatus* valdè necessarii & utiles, non solùm ad aperiendam scientiam libri Psalmorum, sed etiam ad expositionem & intelligentiam totius Sacræ *Scripturæ* utriusque Testamenti. Nam in primo tractatu assignabuntur quatuor causæ hujus libri. In secundo verò tractabitur de modo prophetandi, & de veritate & excellentia prophetiæ ipsius. In tertio ponentur quædam principia, & quædam regulæ, sine quibus impossibile est intelligi non solùm librum Psalmorum, sed nec etiam residuum Sacræ Scriptutæ. In quarto exponentur verba, sive nomina, quæ magis frequentantur in toto veteri Testamento, & præcipuè in hoc libro. In quinto tractabitur de titulis Psalmorum, & vocabulis in titulis annotatis. In sexto verò memorabuntur interpretationes factæ de isto libro. Ex quibus eligemus illam interpretationem, quam principaliter sequi intendimus in expositione hujus libri.

Operis divisio.

In primo ergo Tractatu erunt quatuor Capitula. Nam in primo investigabitur de causa efficiente, putà, quis est Auctor & Divinus Dialecticus & Interpres, qui aperit, & interpretatur nobis istam propositionem. In secundo assignabitur causa materialis, putà, quæ est ista propositio, quam aperit, & interpretatur iste Divinus Dialecticus & Interpres. In tertio assignabitur causa formalis, putà, quod est hoc Psalterium, in quo aperit nobis istam propositionem, & quas chordas pulset, & quas cantinelas cantet iste Psaltes & Propheta Divinus: & quas conclusiones ex ista propositione nobis inferat, & eliciat iste Dialecticus profundissimus. In quarto assignabitur causa finalis, putà, ad quem finem & utilitatem consequendam aperiat nobis istam propositionem, & pulset hoc Psalterium iste Propheta magnificus, & egregius.

TRACTATUS PRIMUS.

AD primum est advertendum, quòd causa efficiens & principalis hujus, & cujuslibet partis Sacræ Scripturæ, est ipse Spiritus sanctus, qui loquebatur per ora Prophetarum, & Apostolorum. Quia non à casu, nec à voluntate humana allata est nobis Sacra Scriptura (ut ait Beatus Petrus in secunda Canonica sua cap. 1.) Sed Spiritu sancto illustrati locuti sunt sancti homines. Et hoc ostendit David in præcedenti particula versiculi in principio propositi, dicens: *Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in Psalterio propositionem meam.* Ubi ostendit, quod non habet scientiam hujus libri à se ipso, sed à Spiritu sancto. Nam primò inclinavit aurem suam in parabolam Scripturæ veteris Testamenti, ad hauriendam hanc scientiam à Spiritu sancto per revelationem: sed postquam fuit eruditus,

Causa efficiens Ps.

& illustratus à Spiritu sancto, tunc aperuit in Psalterio propositionem suam, & sic fatetur, se habere propositionem suam à spiritu, A prout magis & latiùs infra patebit.

Controversia inter Hebræos de particulari Auctore Psalmor.

Sed est magna & grandis controversia de causa instrumentali, scilicet, de particulari Auctore Psalmorum inter Magistros & Doctores Hebræorum. Nam ante adventum Christi, & usque ad tempora Origenis, nulla fuit diversitas inter Hebræos. Nam Josephus, & Jonatham *Abenuziel* semper affirmarunt, David omnes Psalmos condidisse. Sed postquam Origenes cæpit glossare Scripturas veteris Testamenti per sensus propheticos, & morales, & anagogicos, & probavit, quod omnia gesta ipsius Abrahæ, & Jacob, & Moysi fuerunt figura Christi, & probavit, quod ipse David pro majori parte fuit figura Christi, & Ecclesiæ, & quic- B quid dixit in Psalmis, dixit propheticè, & debet intelligi de Christo, & Ecclesia: tunc Magistri Hebræorum conati sunt pervertere Scripturas, & deviare à sensu spirituali, & negarunt, David feciſſe omnes Psalmos, & etiam fuisse verum Prophetam. Et sic hodie etiam inter eos est discordia. Nam quidam tenentes cum Antiquis affirmant, David feciſſe omnes Psalmos; quidam verò dicunt, quod David solùm fecit novem Psalmos. Quidam autem dicunt, quod fecit omnes, qui ipsi intitulantur. Et quod omnes alios Psalmos fecerunt aliqui Viri Sancti habentes spiritum propheticum, quibus Psalmi intitulantur, scilicet, filii *Chore*, & *Asaph*, & *Idithum*. Cæteros autem sine C titulis fecerunt aliqui Viri Sancti, quorum nomina ignorantur. Cujus opinionis fuit fautor *Barrabam* Hebræus, Magister Beati *Hieronymi*. Et hanc opinionem secutus est aliquomodò Beatus *Hieronymus*, maximè in magno Prologo libri Psalmorum. Postea autem venit Rabbi Salomon Gallicus malitia inveteratus, qui assignavit decem Auctores Psalmorum, scilicet, *Melchisedech*, *Abraham*, *Moysen*, filios *Chore*, *David*, *Salomonem*, *Asaph*, *Idithum*. Sed iste manifestè mentitur dicens, quod *Melchisedech*, sive *Eleazar* fecit Psalmum 109. cum sit intitulatus ipsi David, & *Salvator* affirmet *Matthæi* 22. David feciſſe illum. Ideo de cætero nulla fides est habenda illi cæco D & obstinato.

Rabbi Salomon carpitur.

Sed quia Hebræi, & etiam Catholici tenentes hanc opinionem, nullam auctoritatem Sacræ Scripturæ adducunt ad astruendam suam opinionem: ideo magis est credendum Beato *Augustino*, qui hanc materiam subtiliùs indagavit, qui libro 17. *de Civit. Dei cap.* 14. & per totum discursum Expositionis hujus libri, per auctoritates Sacræ Scripturæ asserit, David feciſſe omnes 150. Psalmos. Et ipsum sequitur *Cassiodorus*. Et hoc idem affirmant *Origenes*, & *Hilarius*, *Ambrosius*, & communis Ritus Ecclesiæ. Unde dicit *Augustinus*, quod David fecit omnes Psalmos: sed distribuit eos cantandos tribus principalibus Cantoribus, E scilicet, *Asaph*, & *Hemam*, & *Idithum*, & filiis *Chore*, qui erant de choro *Hemam*. Et hoc fecit David secundùm mysteria prophetica contenta in Psalmis, quæ conveniebant interpretationibus nominum illorum Cantorum, ut suis locis patebit.

Sed quia non sufficit verum dicere, nisi causa veri assignetur 1. *Ethic*: ideò sententia *Augustini* astruitur multiplici auctoritate tàm novi, quàm veteris Testamenti. Unde concordia est omnium Doctorum tàm Hebræorum, quàm Catholicorum, quod Psalmus 71. est ultimus Psalmus, quem fecit David in ordine. Quia Psalmi non sunt collocati eo ordine, quo fuerunt facti, sed sicut fuerunt per *Esdram* reperti, & hinc, & indè collecti post captivitatem Babylonis, F ut ait *Hieronymus* in *Prologo hujus libri*. Sed quia 71. Psalmus repertus est post repertionem 70. Psalmi, ideo eodem loco collocatus est, sed ipse fuit ultimo factus in veritate. Et ideo apponitur apogramma in Hebræo: *Completæ sunt orationes David filii Isai*. Duo ergo affirmat illud apogramma, id est ascriptio. Primò, quòd David fecit omnes Psalmos. Secundò, quòd ille fuit ultimus Psalmus, quem fecit: quia talis Scriptura apponebatur ibi in Psalterio veteri, sicut nos apponimus scripturam in fine cujuslibet libri, per quam denotatur Auctor illius libri, dicendo *Explicit liber de Nominalibus Aristotelis*. Et, *Explicit epistola Pauli ad Corinthios*. Ita pariter dicitur ibi: *Expliciunt, sive completæ sunt orationes David filii Isai*. Ex quo sequitur, quod David fecit omnes Psalmos. Item ille Psalmus intitulatur; *in Salomonem*, & tamen Salomon non fecit ipsum per rationem jam dictam, & per illum apogramma appositum in fine, & prout asserit *Cambi*, & major pars Hebræorum, scilicet, quòd David fecit ipsum Psalmum, dùm jam erat decrepitus in lecto. Item ex hoc etiam sequitur, quod Psalmi qui distribuuntur cantandi filiis *Chore*, & ipsi *Asaph*, & *Idithum*, non sunt facti ab ipsis, sed ab ipso David, ut latiùs patebit suis locis. Item hoc idem patet 2. *Paralipomenon cap.* 7. Ubi legitur, quod Cantores cantabant *hymnos*, *& carmina quæ fecit David ad laudandum*, *& confi-* H *tendum Domino*, *quoniam bonus*, *quoniam in sæculum misericordia ejus*, *&c.* Ex quo patet, quod David fecit omnes Psalmos *Allelujaticos* appropriatos ad laudem Domini: & tamen illi Psalmi non intitulantur ipsi, nec in eis exprimitur aliquis Auctor. Et ideo dicunt multi *Rabbi* Hebræorum, quod omnes Psalmi, in quibus non exprimitur aliquis Auctor, eos fecit ipse David sine dubio. Item hoc idem patet 2. Reg. 33. ubi David intitulatur egregius Psaltes Israel, cui constitutum est de Christo Dei Jacob, ubi etiam ipsemet asserit, per se fuisse locutum Spiritum sanctum, & per linguam suam, & suam prophetiam esse clarum

Psalmi non sunt collocati eo ordine, quo fuerunt facti.

ram sine nubibus. Et hoc etiam omnes intelligunt, & exponunt de prophetia libri Psalmorum ab ipso David pronuntiata. Item hoc idem patet auctoritatibus novi Testamenti. Nam in secundo Psalmo nullus præponitur titulus, & tamen Beatus Petrus, & omnes Apostoli asserunt, David fecisse illum Psalmum. *Act.* 4. Item hoc idem probatur *Apocal.* 3. ubi dicitur, quod *solus Christus habet Clavem David*; per quam Clavem omnes Doctores intelligunt intelligentiam libri Psalmorum, quam solus Christus aperuit. Primò omnia quæ ibi propheticè prædicantur, in se complendo. Secundò Apostolis interpretando, ut patet *Lucæ ultimo.* Ex quibus patet, quod solus David fecit omnes 150. Psalmos. Imò dicit *Augustinus*, quòd sicut solus Christus habuit Clavem David ad aperiendam intelligentiam illius libri: ita Spiritus Sanctus dedit soli David talem spiritum faciendi Psalmos. Nam multi post eum voluerunt Psalmos condere, sed numquam potuerunt pervenire ad talem ac tantum spiritum. Ex his etiam patet, quod nulla fides est adhibenda Judæis modernis, qui negant, David fecisse omnes Psalmos, quod faciunt ex invidia & iniquitate, videntes, se manifestè convinci per manifestissimas prophetias Psalmorum. Ideo volunt & conantur avertere Psalmos à vero sensu spirituali, & auferre eis auctoritatem, ne videantur tantæ auctoritatis ipsi Psalmi, sed dicunt, quod sunt orationes aliquorum bonorum virorum.

Judæis modernis negantibus David fecisse omnes Psalmos, nulla fides est adhibenda.

Sed quid dicendum ad Beatum *Hieronymum* virum tantæ auctoritatis, in lege, & Prophetis tam expertum? Ad hoc dicunt, quod Beatus *Hieronymus* in primo & secundo Prologo Psalmorum locutus est secundùm opinionem sui Magistri *Barrabam*, & aliorum *Talmudistarum* sui temporis, qui malitia infecti noviter confixerant istam opinionem: sed posteà Beatus *Hieronymus* magis illustratus cognoscens perfidiam illorum, asserit, David fecisse omnes Psalmos. Nam in multis tractatibus & epistolis suis allegat & attribuit ipsi David omnes Psalmos, qui intitulantur: *Filiis Chore*, & ipsi *Asaph*: etiam eos qui sunt sine titulo, ut patebit locis suis. Et sic omnes cæteri Doctores Sacri, & tota *Ecclesia Dei* omnes Psalmos asserunt *esse Davidicos.*

In secundo capitulo, ubi quæritur, quænam est materia hujus libri, intellecta per ly *Propositionem*, & quæ est propositio, quam nobis aperit David in hoc libro? Est primò notandum, quod in doctrinis duplex assignatur materia: una dicitur *materia ex qua*, & altera *materia de qua.* Materia *ex qua* in doctrinis dicuntur propositiones præmissæ. Nam sicut Agens naturale educit formam de materia in virtute cœlestis influentiæ: ita intellectus in virtute luminis naturalis educit conclusionem, sive notitiam conclusionis ex præmissis, sive ex notitia præmissarum; & sic præmissæ respectu conclusionis dicuntur *materia ex qua.* Sed materia *de qua* est objectaliter scientia, est ipsa conclusio, quia in veritate in conclusione habetur scientia ex præmissis. Ita ergo ad propositum, *materia ex qua* hujus libri est tota Scriptura veteris Testamenti, quæ in hoc libro continetur, ex qua materia, tamquam ex propositione David educit & infert propheticè notitiam omnium Euangelicorum mysteriorum: & sic mysteria Euangelica, sive *Lex Euangelica*, est materia *de qua* principaliter intenditur propheticè in hoc libro tamquam de conclusione: quia de mysteriis Euangelicis Christi, & Ecclesiæ traditur propheticè notitia ex Scriptura, sive per Scripturam veteris Testamenti, ut magis patebit: & sic totum vetus Testamentum dicitur *Propositio* respectu novi Testamenti, eò quòd habet omnes proprietates propositionis. Ad cujus evidentiam est secundò notandum, quòd generaliter quatuor sunt proprietates & conditiones propositionis, prout potest colligi *ex Aristotele* 1. & 2. *Periherm.* & 1. *Posterior.* Prima conditio est, quod propositio non ponitur gratia sui, sed gratia conclusionis inferendæ. Unde propositio diffinitur, quòd est *Oratio proposita ad aliquid inferendum*, sive ex qua conclusio infertur; & sic dicitur propositio, *quasi pro alio positio.* Secunda conditio est, quòd propositio continet virtualiter & in confuso notitiam conclusionis. Unde dicit Aristoteles in *principio Posteriorum*, quod conclusio scitur in præmissis in confuso, & ideo ante illam non scitur, id est, non scitur distinctè, & in actu, sed post illationem scitur in se distinctè, & tunc habetur perfectè scientia de ipsa. Tertia conditio est, ut patet ibidem, quòd notitia conclusionis non potest haberi, nec fieri, nisi ex præexistenti notitia præmissarum propositionum; & sic oportet demonstratorem, & quemcumque dialecticum præcognoscere propositiones præmissas, in quibus latebat notitia conclusionis, quia aliter cognosceretur ignotum per ignotum. Quarta conditio est, quòd majori & minori propositis, illicò conclusio cognoscitur simul cum minori in virtute luminis intellectus agentis, quia illico intellectus assentit in virtute luminis naturalis sine aliquo intervallo. Unde si positis præmissis intellectus alicujus non assentit illico conclusioni, signum est, quod ille non est dispositus, nec habet lumen naturale, sed est impeditus, ut patet 4. *Methaph.* contra negantes prima principia.

Causa materialis hujus operis.

Materia duplex assignatur in doctrina.

Quatuor conditiones propositionis.

Nota. Propositi finis definitio.

His ergo habitis patet, quod tota Scriptura veteris Testamenti, & omnia mysteria scripta & facta in veteri Testamento fuerunt quædam propositiones respectu mysteriorum novi Testamenti. Quod probatur, nam totum vetus Testamentum habet omnes conditiones propositionis respectu novi Testamenti. Ad cujus intellectum ponuntur quatuor Conclusiones. Prima Conclusio est,

Prima conclusio. est, quòd *nullum mysterium scriptum aut factum in veteri Testamento, est gratia sui, sed omnia facta sunt in figura novi Testamenti, & omnia prænuntiabant mysteria Christi, & Ecclesiæ futura in novo Testamento.* Hanc conclusionem affirmat Apostolus 1. *ad Corinth.* 10. dicens: *Omnia contingebant illis in figura.* Item infra: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut Fidem de Christo, & Spem habeamus.* Hoc idem probat *Eusebius* libro de *Præparatione Euangelica*, ubi probat, quod tota Lex vetus nihil aliud fuit, nisi præparatio ad Euangelium. Item *Augustinus contra Faustum* probat, quod totum Testamentum vetus nihil aliud fuit, nisi imago & figura novi Testamenti grosso modo lineata & depicta. Item *Gregorius in Moralib. cap.* 10. dicit, quod sicut Sol præmittit Luciferum, & alias Stellas ad prænuntiandum diem: ita Christus præmisit omnes Patriarchas & Prophetas ad prænuntiandum adventum suum, aut per figuras & mysteria, aut per vaticinia. Item *Rabbi Salomon super Zachariam* dicit, quod *non sunt locuti Prophetæ, nisi ad tempora Messiæ.* Et intendit per *Prophetas*, Moysen intelligi, & omnes Scripturas veteris Testamenti. Item dicit *Rabbi Moyses* de Ægypto in suo *Lumine Dubiorum parte* 2. quod *cærimonialia legis non sunt gratia sui, imò omnia sunt absolvenda per Messiam.* Ideo concludit *Augustinus super Joan. cap.* 2. *super Mysterio sex Hydriarum aquæ in vinum per Christum conversæ*: quòd sicut aqua est insipida & inutilis sine vino, & nisi in vinum convertatur: ita Sacra Scriptura veteris Testamenti per illas sex Hydrias aquæ intellecta, est insipida & inutilis, nisi convertatur in vinum Euangelicum novi Testamenti. Et si quis legerit omnes Scripturas veteris Testamenti, & quamlibet partem istarum, & in illis non intellexerit Christum, & aliquod mysterium Euangelicum, profectò nihil intelligit, imò eas Scripturas non intelligit, quæ non sunt gratia sui. Item affirmat *Augustinus contra Faustum*, quod nihil est scriptum in veteri Testamento, nisi ea quæ figurabant, aut prænuntiabant Christum: nam multa gesserunt Reges Israel, & Juda, quæ non sunt scripta in *libris Regum*, nec *Paralipomenon*, sed solum sunt scripta ea quæ figurabant aliquod mysterium futurum de Christo, & Ecclesia. Et ideo de quolibet Rege dicitur: *Omnia alia quæ fecit talis Rex, sunt scripta in libris Regum Juda, & Israel*, hoc est, in archivo sæculari, ubi scribebantur omnia gesta Regum tàm sacra, quàm prophana, & ea quæ non figurabant aliquid de Christo, ut patet ibidem. Item *Hieronymus* super illud *Matthæi* 5. *Unum jota non præteribit à lege, donec omnia fiant*, dicit, quod minima, quæ sunt in lege, sunt plena mysteriis, & recapitulata, & impleta in Euangelio.

Euseb. Greg. August.

A B C D

Secunda Conclusio est, quòd *totum Testamentum novum latebat, & continebatur virtualiter in veteri Testamento, sicut conclusio in præmissis.* Hanc conclusionem probat *Augustinus libro de Catechizandis rudibus*, dicens, quod vetus Testamentum nihil aliud est, nisi occultatio novi Testamenti, & novum Testamentum nihil aliud est, nisi manifestatio & reseratio veteris Testamenti. Item sup. Joann. cap. 1. dicit, quod *Euangelium* nihil aliud est, nisi veritas quæ latebat in lege veteris Testamenti: nam *lex per Moysen data est*, sed *gratia* & veritas illius legis per *Christum* facta est in Euangelio. Item Origenes dicit sup. *Matthæum*, quòd Testamentum vetus nihil aliud fuit, nisi sepulchrum in quo erat clausum & sepultum Euangelium, & erat quoddam velum, sub quo velabatur & cooperiebatur Euangelium, & veritas Euangelica. Sed in Passione Christi *velum templi scissum est, & monumenta aperta sunt*, & tunc fuit reserata, & surrexit veritas Euangelica, quæ ibi latebat. Item *Eusebius* dicit, quod Euangelium nihil est aliud, nisi annunciatio eorum mysteriorum, quæ in lege à Patriarchis & Prophetis fuerunt prænuntiata & præfigurata.

Secunda conclusio. *Nota. Quomodo novum Testam. continebatur in veteri.* Origen

E F

Tertia Conclusio est, quòd *mysteria novi Testamenti de Christo, & Ecclesia, non possunt perfectè & propriè sciri, nisi ex præexistenti cognitione veteris Testamenti.* Hanc probat Salvator *Matthæi* 13. dicens: *Omnis Scriba doctus in Regno Cœlorum similis est homini Patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.* Item *Joannis* 5. dicit Judæis: *Scrutamini Scripturas, quia ipsæ testimonium perhibent de me, & quod Moyses de me scripsit.* Item *Lucæ* 24. *Jesus incipiens à Moyse, & Prophetis interpretabatur illis duobus Discipulis omnia quæ de ipso erant scripta.* Item omnes Euangelistæ, & Apostoli per Scripturas veteris Testamenti probaverunt Euangelium & veritatem ejus. Hoc idem facit *Paulus in Epist. ad Hebr.* per totum, & per omnes alias Epistolas. Item *Eusebius* in libro de *Præparatione Euangelica*, probat, quod necesse est, quemlibet Christianum scire vetus Testamentum, ut per illud veniat in notitiam novi Testamenti, eò quòd est præparatio ad illud. Hoc idem probat *Augustinus* in libris *de Doctrina Christiana*, & de *Catechizandis rudibus*, & *contra Adversarium Legis, & Prophetarum*, ubi ait, quod non omnes qui appellantur Christiani, in Christum transeunt, sed quibus aufertur velum, quod in lectione veteris Testamenti manet: qui enim sunt in veteri Testamento impediente velamine, nec vetus intelligunt, nec novum: qui autem transeunt ad Christum amoto velamine, per novum intelligunt vetus, & novum.

Tertia conclusio.

G H

Quarta Conclusio est, quòd *necessarium est lumen supernaturale ad intelligendas & interpretandas Scripturas veteris Testamenti, scilicet, ad inferendas ex eo*

Quarta conclusio.

eo *Conclusiones Euangelicas*, *& mysteria novi Testamenti.* Probatur: nam sicut se habet lumen naturale intellectus agentis ad intelligibilia naturalia: ita lumen supernaturale ad intelligibilia supernaturalia; sed intelligibilia naturalia non possunt intelligi, A nisi per lumen intellectus illustrentur, & fiant actu intelligibilia, quæ erant ante in potentia, ut patet per Aristotelem, & Commentatorem 3. *de Anima.* Ergo est nobis necessarium lumen supernaturale ad intelligendas & interpretandas Scripturas veteris Testamenti, in quibus latent veritates novi Testamenti, ut per talem lumen primò elevetur intellectus noster ad capiendum illa altissima supernaturalia: secundò ad illustrandum phantasmata quæ ex illis habemus, ut ex eis eliciamus veritates Evangelicas in eis latentes. Eò quòd veritates & mysteria novi Testamenti non habent esse reale in veteri Testamento, sed tantùm esse figurativum & repræsentativum, ut magis B patebit in sequenti Tractatu. Et sic patet, quòd est necessarium tale lumen desuper inspiratum ad intelligendas Sacras Scripturas veteris Testamenti: & ideo hoc lumen petebat David *Psalmo* 118. cum dicebat: *Revela oculos meos*, *& considerabo mirabilia de lege tua.* Item: *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Item: *Declaratio sermonum tuorum illuminat*, *& intellectum dat parvulis.*

Ex supradictis quatuor Conclusionibus, & quatuor conditionibus & proprietatibus Scripturæ veteris Testamenti, patet, quòd totum Testamentum vetus dicitur *Propositio*, seu propositiones respectu novi Testamenti. Nam nihil scribitur, nec ponitur, nec fuit gestum in veteri Testamento gratia sui, sed ad figurandum & prænuntiandum mysteria Euangelica: & totum Testamentum novum latebat in veteri Testamento: nec mysteria Euangelica possunt C sciri perfectè, nisi ex præexistenti cognitione veteris Testamenti: & hoc per lumen supernaturale inspiratum: ergo de necessitate totum vetus Testamentum, & omnia mysteria in eo scripta, sunt propositiones respectu novi Testamenti: & mysteria novi Testamenti nihil aliud sunt nisi conclusiones illatæ ex veteri Testamento. Ex toto igitur veteri & novo Testamento formatur & fit unus formalis *syllogismus*, cujus vetus Testamentum est major propositio; & tota vita Christi est minor propositio: ex quibus elicitum & illatum fuit Euangelium per Apostolos, & Euangelistas. Unde arguitur sic: *Syllogism. notandus.* Ille qui habet omnes conditiones, & in quo sunt completa omnia, quæ scripta sunt in veteri Testamento, est verus *Messias*; sed D Christus Jesus est hujusmodi: ergo ipse est verus *Messias.* Majorem hujus syllogismi præmiserunt Patriarchæ & Prophetæ in veteri Testamento. Minorem verò protulit Christus in se dictis & factis, cum dixit *Matthæi* 5. *Unum jota*, *aut unus apex non præteribit à lege*, *donec omnia fiant.* Item: *Filius hominis vadit*, *sicut scriptum est de illo.* Item: *Videns Jesus in Cruce quod omnia essent completa*, *dixit: Consummatum est.* Joan. 19. Lucæ 24. dixit: *Oportebat im-* E *pleri omnia*, *quæ scripta erant in lege Moysi*, *& Prophetis*, *& Psalmis de me.* Et sic Christus dictis & factis protulit minorem propositionem. Et tunc Apostoli, & Euangelistæ illico intulerunt, & elicuerunt conclusionem ex his præmissis, scilicet, quòd Christus Filius Dei est Messias in lege promissus. Nam duabus propositionibus præmissis, & verificatis, ipsi Euangelistæ scripserunt, unusquisque suum Euangelium, quod nihil aliud est, nisi conclusio ex illis duabus propositionibus elicita, & illata. Unde sicut tota vita Christi est medium ad probandum, Christum esse Messiam in lege promissum: ita opera miraculorum facta per Christum, sunt medium demonstrati- F vum ad probandum, ipsum esse Deum, ut inferiùs patebit. Et ideo Joannes Euangelista in fine sui Euangelii concludit: *Hæc autem scripta sunt*, *ut credatis*, *quoniam Jesus est Filius Dei.* Et sic patet, quòd omnia mysteria veteris Testamenti sunt propositiones, ex quibus inferuntur Conclusiones Euangelicæ. Hoc enim affirmat *Hieronymus* in Epist. *de Mansionibus* dicens, *quòd omnes illæ historiæ quæ memorantur* Psalmo 77. *non ponuntur gratia sui*, *nisi tamquam parabolæ & propositiones ad inferenda mysteria novæ legis in eis figurata*, ut ibi patebit.

Sed secundo notandum secundùm *Augustinum*, quod tria genera Conclusionum Nota Aug. possunt inferri & elici ex Scripturis veteris Testamenti, & ex quolibet mysterio ejusdem, scilicet, Conclusiones *Propheticæ*, quæ pertinent ad Fidem; secundò Conclusiones *Morales*, quæ pertinent ad Cha- G ritatem; & Conclusiones *Anagogicæ*, quæ pertinent ad Spem futuræ Gloriæ, quæ revelabitur in nobis. Unde dicit *Augustinus* in principio super Genesim, *quòd in omnibus libris sacris intueri oportet*, *quæ ibi primò æterna intimentur*, *quæ facta narrentur*, *& quæ futura prænuntientur*, *& quæ agenda præcipiantur*, *vel moneantur.* Et sic patet secundùm *Augustinum*, quòd ultra *sensum litteralem* possumus elicere tria genera Conclusionum secundùm triplicem sensum, scilicet, *Allegoricum*, & *Moralem*, sive *Tropologicum*, & *Anagogicum.* *Triplex sensus Scripturæ.* Unde ex sacrificio *Abrahæ* possumus inferre tres Conclusiones. Primò unam *Propheticam*, scilicet, quod sicut *Isaac* voluit immolari ex præcepto Patris: ita Christus erat H in Cruce immolandus, ut obediret Patri. Secundò potest inferri alia Conclusio *Moralis*, scilicet, quod filii debent esse Deo, & patri obedientes. Tertiò infertur tertia Conclusio *Anagogica*, quod sicut *Abraham* per obedientiam meruit benedictionem: ita omnes nos parendo & obediendo

Di-

Divinis præceptis, consequemur benedictionem, & fœlicitatem in Cœlo. Unde hunc ordinem tenet Apostolus 1. *ad Corinth.* ubi dixit: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari.* Ecce quomodo ex transitu maris rubri infert baptismum Legis Evangelicæ, & hæc dicitur *Prophetica* Conclusio. Item ibidem ex mysterio ejus Manæ infert Eucharistiam. Et ex mysterio petræ proferentis aquas, infert mysticè & propheticè Passionem Christi, ut patet ibidem. Item postea infert Conclusionem Moralem, cum subdit: *Sed non in pluribus beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ne simus concupiscentes, &c.* Ex quo patet quomodo ex punitione eorum infert moraliter, ne simus concupiscentes. Item *ad Hebræos* 12. ex mysterio terræ promissionis infert Conclusionem *Anagogicam*, cum dicit: *Non accessistis ad tractabilem ignem, sed ad montem Dei, & Jerusalem Cœlestem Dei viventis.* Ex quibus patet, quod mysteria veteris Testamenti non solùm sunt propositiones ad eliciendum unum genus Conclusionum, sed tria genera Conclusionum, scilicet, *Propheticarum*, *Moralium*, & *Anagogicarum*: secundumquod ad triplicem sensum potest exponi Scriptura, eò quòd sit referta multiplici mysterio, ultra sensum litteralem. Unde nota secundùm *Augustinum contra Faustum*, quod sicut nostra humana cognitio procedit à sensibilibus nobis magis notis, ad intelligibilia; ita Deus voluit procedere in lege. Nam omnia quæ præcipiuntur in lege veteri, sunt sensibilia & corporalia, ut per illa manuduceremur in spiritualia & intelligibilia mysteria Euangelica, quia sic apti nati sumus scire. Et ideo allegoricè procedimus à lege veteri ad Euangelium; & anagogicè procedimus ab Euangelio in cognitionem futurorum bonorum gloriæ nobis promissorum.

Quomodo vetus Testam. dicitur propositio.

Ex quibus patet, quòd totum Testamentum vetus dicitur verè propositio respectu novi Testamenti. Et est hæc propositio, quam David dicit, se velle nobis aperire propheticè in hoc libro Psalmorum. Nam in quolibet Psalmo aperit nobis aliquam propositionem, & aliquod mysterium, ex quo propheticè infert aliquam Conclusionem Euangelicam, seu aliquod mysterium novi Testamenti de Christo, & Ecclesia, ut patebit. Nam in primo Psalmo, ex mysterio arboris vitæ Paradisi, infert custodiam, & fructum Divinæ Legis, & pœnam. Item in secundo Psalmo, ex vana conjuratione fratrum contra *Joseph*, infert propheticè vanam & inanem futuram conjurationem Principum Sacerdotum, & Pharisæorum contra Christum. Item in Psalmo tertio, ex persecutione sibi facta per Absalon, infert propheticè futuram persecutionem, & resurrectionem Christi: prout in illis mysteriis prævidebat in spiritu prophetico futura mysteria Christi, prout patebit in Tractatu sequenti, & discurrendo in Expositione Psalmorum. Et sic patet, quòd totum Testamentum vetus est propositio, quam David promittit, se aperire in hoc libro; & per consequens totum Testamentum vetus est *materia ex qua.* Unde omnes Doctores, tàm Catholici, quàm Hebræi in hoc conveniunt, scilicet, quòd in hoc libro continetur totum Testamentum vetus per *modum laudis.* Sed veritas, & Fides Catholica tenet, quod etiam totum Testamentum novum continetur hìc *per modum propheticum*: nam Scriptura veteris Testamenti non adducitur, nisi tamquam propositiones, & parabolæ, ex quibus propheticè inferuntur Conclusiones, & mysteria Euangelica de Christo, & Ecclesia. Et sic vetus Testamentum est *materia ex qua*; sed novum Testamentum est *materia de qua* primò intenditur in libro. Sicut in *syllogismo* propositiones sunt *materia ex qua* syllogismi, & conclusio est materia quæ principaliter quæritur, & intenditur. Et ponit exemplum *Augustinus.* Nam in *torculari* duplicem materiam consideramus, scilicet *Vindemiam*, ex qua trahimus, & extorquemus vinum, & ipsum *vinum*, quod extorquemus; & utrumque materiam appellamus. Hoc idem dicimus de *Oleario* torculari: nam primò consideramus olivam, quam torquemus; secundò oleum, quod extorquemus. Hoc idem consideramus in *area*: nam primò consideramus spicas, seu aristas, & paleas, quas trituramus. Secundò granum quod purgatum extrahimus. Et tamen in omnibus supradictis prima consideratio est semper propter secundam, & non è contra. Ita pariter *in torculari* Sacræ Scripturæ primò consideramus Scripturas veteris Testamenti, quas Christus in *torculari* Crucis compressit. Secundò veritates Euangelicas & mysteria, quas exinde extorsit, in se complevit, & consideravit. Hoc idem consideratur in *area* Domini. Nam primò consideramus Cærimonialia, & Legalia, quæ Christus cum ventilabro segregavit: secundò granum Euangelicum, quod exinde collegit: ut patet *Marc.* 3. & *Luc.* 3. Sed sicut compressa vindemia & olivis, rejicitur vinaceum & amurca, & colligitur & servatur vinum & oleum ad utilem, & necessarium potum & condimentum, & separato grano, rejicitur palea ad comburendum, sive datur bestiis ad comedendum: ita pariter postquam Christus expressit & extorsit & separavit *vinum Euangelicum* à vinaceo Legis, & *oleum Euangelicum* Sacramentorum ab amurca Legalium Cærimoniarum. & *granum Euangelicum* à paleis Legis; ista amurca & vinacea simul cum paleis Legalibus sunt à nobis rejicienda, & tamquam mortiferum vitanda; & solo vino & oleo & grano Euangelico est nobis fruendum

Persuasio notanda.

ad

ad salutem, & vitam spiritualem. Et ideo *Judæi* tamquam cæci & obstinati & bestiæ, comedunt hodie paleas sine grano, & amurcam sine oleo, & vinaceum sine vino in suam perniciem, & mortem æternam; cùm talia sint mortifera post Christi Passionem.

Ex quibus patet, quòd vetus Testamentum est materia hujus libri: sed vetus Testamentum consideratur tamquam *materia ex qua*, novum autem tamquam materia, de qua principaliter intenditur: & vinum, & oleum, & granum ex illa materia veteris Testamenti extorquere & colligere intendimus. Et etiam totum vetus Testamentum est propositio quam nobis David aperit, & totum Testamentum novum est conclusio quam ex illo elicere intendit in hoc libro. Et ideo est diligenter advertendum, & speculandum, quam propositionem ex veteri Testamento in unoquoque Psalmo David nobis aperiat, & quam conclusionem Euangelicam iste Divinus Dialecticus exinde propheticè nobis eliciat.

Nota contra Judæos.

In hoc ergo decipiuntur Judæi moderni. Nam quando David explicat in aliquo Psalmo aliquod mysterium de veteri Testamento, putant, quòd illud adducit tamquam materiam principalem, de qua principaliter agit, & intendit: sed hoc est manifestè falsum. Nam non adducit talia mysteria, nisi tamquam propositiones, & parabolas, ex quibus infert propheticè conclusiones Euangelicas principaliter intentas ab eo. Et ideo Judæi manent cæci & obstinati comedentes vinaceum, & amurcam mortiferam, & paleas tamquam bestiæ. Et ideo dicit *Augustinus* lib. *de Unico Baptismo*, quod *Judæi sunt mali in bona lege, perversè eam intelligendo: & Christiani sunt boni in eadem lege rectè & spiritualiter sapiendo. Nam ex eadem Christiani colligunt fructus salutiferos, & Judæi cibos mortiferos.* Et hæc sint dicta de causa materiali hujus libri.

Causa formalis hujus operis.

In tertio Capitulo quæritur de forma hujus libri, quæ per ly *in Psalterio* importatur. Ideo quæritur, quid est illud Psalterium, in quo David dicit se suam propositionem aperire. Ad cujus intellectum est primò notandum, quod *Psalterium* dicitur à psallendo. Unde psallere idem est quod laudes cantare. Ideo *Psalterium* dicitur quasi laudatorium, & dicitur quoddam instrumentum laudatorium decem chordarum, cum quo carmina laudum cantabantur. Et ideo iste liber Psalmorum triplici respectu dicitur Psalterium. Uno modo ratione modi tradendi, eò quòd omnes Psalmi metricè sunt compositi: sed quia metrica pertinet ad musicam, ut patet per Terentianum & Priscianum, & Augustinum: ideo verè liber Psalmorum dicitur Psalterium, quasi decantatorium, ratione modi tradendi, seu scribendi. Secundò dicitur Psalterium iste liber, ratione instrumenti musici. Tertiò iste liber dicitur Psalterium, ratione modi significandi, sive ratione significati. Nam illud Psalterium materiale, scilicet instrumentum musicum, cum quo Psalmi cantabantur, significabat Psalterium Euangelicum & Spirituale. Unde sicut illud instrumentum musicum habebat decem chordas principales, ideo dicebatur Psalterium de cachordum, sive decem chordarum: ita Psalterium Spirituale Evangelicum, per illud materiale legis veteris figuratum, habet decem chordas, id est, decem mysteria de Christo & Ecclesia: quæ quidem decem mysteria dicuntur decem chordæ Psalterii Euangelici. Prima chorda hujus Psalterii est mysterium Trinitatis Personarum, & unitatis essentiæ, quod primò in Euangelio intenditur. Secunda chorda est mysterium Incarnationis, & Nativitatis Christi. Tertia chorda est mysterium Prædicationis, & Sanctitatis Christi. Quarta chorda est mysterium Miraculorum quæ fecit. Quinta est mysterium Passionis & Mortis. Sexta mysterium Resurrectionis. Septima mysterium Ascensionis, & Regni Universalis. Octava est mysterium Spiritus sancti missionis in Discipulos. Nona chorda est mysterium gentium ad Ecclesiam vocationis, & ex utroque populo congregationis. Decima est Universale Judicium, & mysterium ultimæ glorificationis. Istæ sunt decem chordæ hujus Psalterii Spiritualis, & Euangelici; quia in tota lege Euangelica nihil aliud continetur nec traditur, nisi hæc decem supra memorata mysteria. Ideo lex Euangelica dicitur Psalterium decem chordarum multotiens in Psalmis memoratum. Quod quidem Psalterium Spirituale Euangelicum figurabatur per illud instrumentum musicum & Psalterium materiale, cum quo Psalmi cantabantur in Templo. Unde ideo David ordinavit, ut Psalmi cum illo instrumento decem chordarum cantarentur, eò quòd significabat & figurabat nostrum Psalterium Euangelicum Unde hoc Psalterium Spirituale, & Euangelicum decachordum cantabat propheticè David in suis Psalmis: & has decem chordas Euangelicas, id est, decem mysteria Christi, propheticè cantabat & pulsabat. Unde dicit Beatus *Hieronymus* in *Epistola ad Paulinum*, quod *sicut Orpheus psallendo cum cythara revocavit Euridicem suam: ita David Propheta cum suis Psalmis & carminibus nitebatur Christum ab inferis multiplici cantu revocare.* Unde sicut David in quolibet Psalmo aperit nobis aliquam propositionem de veteri Testamento: ita in eodem Psalmo cantat, & pulsat nobis aliquam chordam de Psalterio Euangelico. Et hoc debet attendere lector in quolibet Psalmo. In hoc ergo Psalterio decem chordarum dicit David se velle suam propositionem aperire: per quod denotatur forma, sive causa formalis hujus libri.

Quare iste liber dicitur Psalterium.

Nota.

Tri-

Triplex ergo forma consideratur in hoc libro, prout sequitur ex prædictis: scilicet, *forma tradendi*, *forma cantandi*, *& forma intelligendi*. Sed quia de *forma intelligendi* agetur specialiter in tertio tractatu, & de *forma cantandi* tractabitur in quarto tractatu, ideo in hoc tertio capitulo specialiter est agendum de *forma tradendi*, qua traditus & scriptus est iste liber. Ad cujus evidentiam est advertendum, quòd in quatuor consistit *forma tradendi* hujus libri. Primò, quia metricè scriptus est in versu lyrico. Secundò, quia quandoque utitur modo tragico, introducendo personas alias ad loquendum: quandoque utitur modo heroico & narrativo, narrando mirabilia opera, & beneficia Dei. Tertiò, quia explicat prophetias suas quandoque per modum orationis & petitionis, quandoque per modum querelæ. Quartò, quia in magna parte loquitur de futuro per verba de præterito. Et ideo est videndum quomodo unumquodque istorum ita fiat.

Nota quomodo David metricè composuit.

Quantum ergo ad primum est advertendum, quòd causa quare David explicavit prophetias in hoc libro *in versu & modo metrico*, & non in soluta oratione, sive prosa, fuit multiplex. Nam hoc factum est, ut satisfaceret Deo & hominibus fidelibus, & satisfaceret materiæ quam intendebat. Nam sicut dicit *Augustinus* in sexto suæ Musicæ, *cum Deus sit summa bonitas, in concordia omnia fecit, & creavit sub quadam harmonia & concordia & proportione, & sic omnia fecit Deus in numero, pondere, & mensura*, ut patet *Sapientiæ* 11. Et omnia habent speciem, modum, & ordinem inter se & Deum, ut ait *Augustinus* in libro *de Natura Boni*. Et sic dicit idem *Augustinus*, quod *in Cælo & in elementis & mixtis elementatis, & in omnibus creaturis servatur musica proportio: eò quòd imitantur suum Creatorem, qui est summa concordia.* Et sic tantum durat res, quantum in ea durat concordia & proportio: ut videmus in corpore humano, eò quòd sanitas consistit in mensura & proportione humorum & complexionum: & quando corpus humanum desistit ab illa concordia & proportione musica, illico adest infirmitas, & ex consequenti interitus. Et ideo omnia animalia gaudent in concordia & proportione: ergo à fortiori Deus gaudet in omni concordia, eò quòd ipse est summa concordia: & ad similitudinem sui omnia sub quadam harmonia & concordia creavit, & ut sic in esse conservat. Et sic per oppositum discordia & omnis disproportio displicet Deo & hominibus. Item per oppositum, omnis concordia displicet diabolo, & omnis discordia sibi placet. Et hæc est causa quare Deus delectatur, & sibi placent carmina, & placent sibi orationes compositæ & factæ in versu & cum carmine; eò quòd versus componitur ex quadam musica proportione, & numero, & mensura pedum & syllabarum: nam versus continet numerum & ordinem pedum, & pedes continent numerum & ordinem syllabarum, & syllabæ numerum temporum, secundumquod syllaba est longa, vel brevis. Et sic dicit *Augustinus* & *Priscianus*, quod hæc est causa quare harmonia & musica proportio sonorosa delectat Deum & homines. Et sic homines naturaliter inclinantur ad cantilenas & ad carmina audienda: eò quòd sub quadam harmonia & musica proportione consistit vita humana. Unde dicit *Augustinus*, quod *ista harmonia, & musica proportio servatur in Cœlesti Patria. Nam sicut illa beata societas consistit in summa charitate & concordia: ita cum cantu & harmonia vocum in sæcula sæculorum laudabunt Deum. Et sic carmina delectant non solum audientes, sed etiam cantantes, &c.* Et hæc fuit causa quare David fecit hunc librum in versu & carmine. Nam ipse faciebat Psalmos ad laudem Dei, ut cantarentur in Templo & Ecclesia in utroque Testamento, sed oportebat, quod talia carmina non solum placerent Deo, sed etiam hominibus, tàm audientibus, quàm cantantibus: ideo sic Psalmos composuit; & hanc eandem causam assignat *Basilius* in Expositione primi Psalmi.

Causa quare metricè David composuit.

Alia causa quare David fecit Psalmos *in versu* fuit, quia ipse in libro Psalmorum complectitur totam Sacram Scripturam utriusque Testamenti: nam adducit omnia mysteria veteris Testamenti tamquam parabolas & propositiones, ex quibus elicit futura mysteria novi Testamenti, ut dictum est *cap. præcedenti*, sed quia tot & tanta non potuisset comprehendere in prosa, ideo composuit Psalmos in metro. Nam hoc habet *metrum:* quia sub paucis verbis comprehendit plurimas sententias. Unde versus,

Nota.

Metra parant animos: comprendunt plurima paucis:
Aures oblectant, pristina commemorant.

Quatuor ergo proprietates habent metra. Primò quod in verbis paucis comprehendunt plurima gesta, & plures historias, & plures sententias: ut patet in *Virgilio* & *Lucano* & *Persio*. Secundò quia melius retinentur in memoria ea, quæ per versum habentur, & versus diutius retinentur in memoria quàm prosa. Tertiò quia movent animum hominis ad studium. Quartò quia oblectant aures Dei & hominum, sicut dictum est. Per contrarium autem fugiunt dæmones carmina musica, eò quòd diabolus, sicut deviavit à veritate, & concordia, & pace Dei, & bonorum Angelorum, tristatur in omni concordia, & pace, & delectatur in omni discordia: & ideo frequenter myscetur cum hominibus melancholicis, & maniaticis, & arreptitiis. Et sic legitur 1. *Reg.* 16.

16. quod *spiritus nequam agitabat ipsum Saulem, sed cum David canebat cum cithara, illico spiritus nequam dimittebat Saulem, & fugiebat.* Quod ex duobus proveniebat, ut ait *Josephus*, & etiam *Augustinus*. Primò propter harmoniam sonorum & vocum, quæ ipsi naturaliter displicet. Secundò propter laudes Dei, quas David cantabat in Psalmis: quia aliquos Psalmos ad laudem Dei jam composuerat. Et sic patet causa quare David fecit Psalmos in *versu & metro*, & eisdem causis *Beatus Ambrosius* fecit hymnos feriales Ecclesiæ in persecutione Arianorum, quos fideles cantabant per totam noctem; & sic in tali cantu delectati & consolati, tolerabilius patiebantur, immò contemnebant persecutiones Arianorum, ut inquit *Dacius*.

Ad secundum dicendum, quòd causa quare David quandoque utitur *modo tragico*, quandoque *modo heroico*, quandoque *modo satyrico*, est secundum exigentiam materiæ. Nam in hoc Psalterio prophetico ipse cantat & pulsat triplex Psalterium: scilicet *Psalterium Euangelicum* continens illa decem mysteria: quorum quædam sunt læta, sicut Incarnatio, & Nativitas Christi, & Resurrectio: & quædam flebilia, sicut peccatum ipsius Adæ, & Passio Christi. Et sic quandoque introducuntur diversæ personæ. Nam introducitur quandoque Adam cum sua posteritate, ad deflendum peccatum, & miseriam suam. Et introducitur Christus ad conquerendum de sui injusta persecutione contra Judæos, & Gentiles. Et sic in tali materia David utitur *modo tragico*. Sed quando prædicit magnificentiam Regni Christi, utitur *modo heroico*; & sic quasi utitur omni genere poetico.

Ad tertium dicendum, quòd causa quare David fecit omnes Psalmos pro majori parte per modum petitionis, fuit, quia in omnibus Psalmis vel loquitur genus humanum petendo adventum Messiæ, ut ipsum liberet: vel loquitur Christus ad Patrem petens salutem pro omnibus Fidelibus per Passionem & Resurrectionem suam tamquam Mediator, & ultionem de obstinatis tamquam justus Judex: eò quòd Christo convenit judicium facere.

Nota. Ad quartum est dicendum, quòd causa quare David loquitur de futuro frequenter per verba de præterito, fuit triplex. Prima causa est, quia David refert locutionem suam ad æternum propositum Divinum. Nam licet Passio Christi & Resurrectio non esset tunc completa in actu: tamen apud æternum propositum jam erat decreta & prædestinata. Secunda causa fuit, quòd David illam locutionem referebat ad revelationem sibi jam factam. Unde quando dixit: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*: nihil aliud vult dicere, nisi; Ego vidi in spiritu, qualiter Dominus Deus Pater dicebat Domino meo Jesu-Christo: *Sede à dextris meis*, & qualiter hoc ab æterno fuit à Deo præordinatum, & mihi ex tempore revelatum. Tertia causa fuit veritas, & immobilitas prophetiæ. Nam sicut impossibile est præteritum non fuisse: ita erat impossibile, quòd ea quæ David dicebat in Psalmis, non complerentur suo tempore à Deo statuto. Ideo loquitur per verba de præterito ad certitudinem prophetiæ, ut populus ille crederet humanam redemptionem per Christum faciendam, ac si jam esset facta. Et hæc est causa quare *Septuaginta Interpretes* spiritu prophetico afflati etiam multa verba de futuro traduxerunt de præterito, ut ait *Hieronymus* super *Psalm.* 89. Quarta causa potest addi: quia David præscivit in spiritu, quòd sui Psalmi erant cantandi in novo Testamento, quando talia mysteria nostræ redemptionis jam essent gesta & completa, ideo locutus est per verba de præterito: ut jam nos in Ecclesia cantamus talia mysteria potius historicè quàm propheticè. Nam *prophetia* est de futuro, & *historia* de præterito. Et ita cantamus nos hodie Psalmos, simul memorando prophetiam, & agendo gratias: quia jam prophetia transivit in historiam. Et sic patet quare David fecit Psalmos *in metro*, & quare in omni genere poetico, & quare per modum orationis & petitionis, & quare per verba de præterito prædixit futura mysteria. Quia sic exigebat sua materia de qua loquebatur, & finis ad quem loquebatur, & personæ cum quibus loquebatur. Et ideo dicit *Rabbi Moyses* de Ægypto in suo *More*, quod quilibet Propheta habet suam linguam, & suum idioma, & suum modum loquendi. Et ideo David habet proprium, & extraneum, & exquisitum modum loquendi inter alios in suis Psalmis: & hoc propter causas supra assignatas. Et ideo est necesse, ut prudens lector & Ecclesiasticus sit assuetus in modo loquendi ipsius David, & attendat modum ejus. Et ideo decipiuntur cæci & obstinati Judæi non attendentes ad modum loquendi David, quia ignorant causas: ideo dicunt multa ineptè dicta & male intellecta.

Nota de Psalterio Spirituali. Et est ulterius speculandum, quòd sicut Sacra Scriptura continet triplicem sensum ultra litteralem: ita illud *Psalterium materiale* significat *triplex Psalterium spirituale*, scilicet *Psalterium Propheticum* & *Euangelicum* continens illas decem chordas, & mysteria de Christo & Ecclesia: & *Psalterium Morale* continens decem præcepta moralia: & *Anagogicum* continens decem perfectiones, sive fructus, aut dotes beatorum in gloria. Unde in Ecclesia Militante cantamus *Psalterium Evangelicum mysticum*, credendo per fidem: & *Psalterium morale*, operando per charitatem: sed beati cantant in gloria *Psalterium anagogicum*, fruendo per gloriam. Et sic de quocumque istorum trium intelligitur hoc Psal-

terium in hoc loco expositum, sive exponendum. Et hoc *triplex Psalterium* cantat David propheticè in hoc libro. Nam sicut crinitus Joppas canebat errantem Lunam, Solisque A labores, Arcturum, Plejadasque, hyadas, geminosque Triones: ut ait *Virgil.* ita pariter noster divus Poeta David canit in hoc libro Filii à Patre æternam generationem, & Spiritus Sancti ab utroque processionem, & Verbum Divinum ex Virgine in carne natum, & Christum prædicantem, & miracula facientem: & sicut *Ovidius*, & *Virgilius*, & *Seneca*, & *Claudianus* in tragœdiis canunt Herculem cum Theseo ad tartara descendentem, & Proserpinam raptam, ab ipso Plutone recuperantem & reducentem: ita iste noster Poeta propheticè canit in hoc libro Christum ad inferos descendentem, & diabolo in carcere obtruso, Limbum expoliantem. Item sicut Poetæ canunt Orpheum dulci carmine & sono Euridicem suam ex inferis revocantem: ita B noster Poeta David dulci cithara in hoc Psaltério suo vocat & revocat Christum ex sepulchro, & ab inferis in vitam gloriosam resurgentem, & Cœlos cum triumpho conscendentem, ut patebit locis suis. Et hæc de causa formali hujus libri.

Causa finalis hujus operis.

In quarto Capitulo restat videre de causa finali & utilitate hujus libri. Quia finis habet rationem boni; & ideo qui tollit finem, tollit bonum. 2. *Metaph.* Et sic David motus à Spiritu Sancto, propter aliquem bonum finem fecit Psalmos, & aliquem bonum finem intendebat, cùm eos faciebat. Primò ergo est notandum secundùm *Aristotelem* 1. *Ethic.* quòd licèt in actibus humanis possint esse multi fines: tamen omnes illi subordinantur ad unum, gratiâ cujus omnia fiunt. Et ille finis est humana felicitas & consecutio illius. Ita ergo David primò C intendebat felicitatem & beatitudinem humanam, sed quia prævidit quòd illam non poteramus habere nisi per Christum: ideo primò per tales Psalmos intendebat inducere illum populum ad cultum veri Dei, & ex consequenti ad Fidem & Spem Christi futuri, sine quo talis felicitas non poterat acquiri. Et ideo primus & immediatus finis fuit inducere illum populum ad Fidem Christi in carne venturi, & nos per Passionem & Resurrectionem redempturi. Et sic dicitur, quòd Christus fuit finis immediatus illius legis, ut ait *Apostolus ad Rom.* 10. Sed ultimatus finis erat, ut homo jam redemptus in Cœlo ultimatè glorificaretur per Christum. Et sic Christus semper est finis totius Legis, tàm novæ, quàm veteris. Nam D sicut Christus Redemptor est immediatus finis Legis veteris: ita Christus Præmiator, & Glorificator, & Felicitator est finis legis novæ. Et hæc est causa quare Psalmi pro majori parte intitulantur *in finem*: ad denotandum quod David in illis Psalmis nos dirigit in Christum, qui est finis utriusque Legis, eo modo quo dictum est. Quia Christus est finis Legis veteris ut Redemptor, & est finis novæ ut Glorificator & Beatifica-
E tor. Et ideo dicit *Apostolus ad Roman.* 10. quod finis legis ad justitiam omni credenti est Christus.

Finis legis duplex.

Sed est advertendum, quòd duplex est finis legis. Unus ultimatus & extrinsecus, qui est ipse Deus & Homo Christus. Et alius est finis intrinsecus, qui est duplex, scilicet, finis qui acquiritur in ipsis beatis, qui dicitur ipsa felicitas: & alius est finis legis habitualis, quo acquiritur & habetur ipse Deus, & ipsa felicitas: & iste finis dicitur Charitas: & sic dicit *Apostolus* 1. *ad Timoth.* 1. *cap.* quod finis omnis præcepti est charitas. Et ideo ait *Augustinus* 1. *de Doctrina*, quòd *quicumque legerit omnes Scripturas, ita ut ex isto respectu non colligit hanc geminam charitatem Dei & proximi, nondum intelligit.* Et sic patet, F quòd finis David in Psalmis faciendis fuit, ut induceret omnes ad Fidem Christi, & Charitatem Dei & proximi. Et hæc est causa finalis hujus libri in generali. Sed in quolibet Psalmo poterunt allegari aliæ causæ particulares. Finis ergo hujus libri, & totius Sacræ Scripturæ utriusque Testamenti est, ut credamus unum Deum trinum in Personis, & unum in substantia, Creatorem omnium; & Christum Deum & hominem, Redemptorem & Glorificatorem generis humani: per quam Fidem diligamus Deum & proximum, declinando à malo, & operando bonum propter futuram gloriam consequendam.

Ex omnibus supradictis in his quatuor Capitulis patent quatuor causæ hujus libri: nam causa efficiens universalis & principalis est ipse Spiritus Sanctus. Et Actor par-
G ticularis est ipse David, qui fecit omnes Psalmos. Et *materia ex qua*, est tota Scriptura veteris Testamenti, sed *materia de qua* principaliter intenta, sunt mysteria novi Testamenti, & quasi tota Lex Euangelica propheticè in hoc libro vaticinata. Forma autem est modus tradendi & intelligendi, eo modo quo dictum est. Et finis est Fides Christi Redemptoris & Glorificatoris, & Charitas Dei & proximi, qua consequimur futuram felicitatem. Tota ergo intentio David in hoc libro fuit aperire Sacras Scripturas veteris Testamenti, & ex illis propheticè inferre mysteria Christi & Ecclesiæ, gestis veteris Testamenti figurata. Et ideo dicit David in verbis in principio propositis: Ego David filius Isai Spiritu Sancto
H afflatus & illustratus, *aperiam in hoc libro propositionem meam*, id est, totam Scripturam veteris Testamenti, id est, omnia mysteria ibidem mysticè & figurativè inclusa: & hoc faciam in Psalterio spiritualiter intellecto: scilicet, ex illa propositione Legis veteris eliciam decem mysteria Euangelica de Christo & Ecclesia; & hoc faciam ad uti-

utilitatem meam, & totius corporis mystici, scilicet, ad Fidem & Charitatem Christi astruendam & confirmandam, per quam summa felicitas est cunctis acquirenda. Ita A etiam tota ista locutio potest aptiùs ad ipsum Jesum Christum referri. Nam sicut David aperuit nobis propheticè in hoc libro omnia mysteria Christi in veteri Testamento contenta : ita per amplius & perfectius Christus nobis aperit ipsa : primò in se realiter complendo : secundò Apostolis & Discipulis ea interpretando. Dicit ergo Christus, seu ipse Spiritus Sanctus : Ego Christus qui solus habeo *Clavem David : quæ claudit & nemo aperit , & aperit & nemo claudit* (nam ego cum clave secreti mei clausi in lege veteri mysteria Incarnationis & Redemptionis, quæ nemo poterat aperire nisi clave mea) ego, inquam, aperiam propositionem meam per servum meum David, ipsi ista mysteria revelando, & ipsum B illustrando, ut ea propheticè aperiat in hoc Psalterio. Sed primò ea ego idem aperiam, in me ipso supradicta mysteria complendo, & meis Apostolis interpretando.

Tractatus Secundus.

David quomodò est dicendus verus Propheta.

IN secundo Tractatu de dignitate & excellentia prophetiæ David, est primo videndum: an David sit dicendus verè Propheta? Et arguunt moderni Judæi, quod non. Primò sic. Nam ille non est verè Propheta, qui non fuit missus à Deo ad aliquem Regem, nec ad populum : sed David est hujusmodi ; igitur non est Propheta. Major patet discurrendo per omnes. Nam primò *Moyses* fuit missus ad Pharaonem ad liberandum populum Israel, ut patet *Exo.* 3. C Item Deus misit *Isaiam* ad populum Israel, & ad Reges Juda: ut patet *Isai.*6. Item misit *Hieremiam* ad prophetandum, *Herem.* 1. Item misit *Ezechielem* ad prænunciandam propinquam captivitatem, ut patet ibidem. Et sic misit omnes alios duodecim Prophetas, ut patet in principiis librorum. Sed non legitur alicubi, quod Deus miserit David ad aliquid prænunciandum. Item secundò arguitur: Ille est verus Propheta, cui Deus immediatè revelat secreta sua, & non ille cui Propheta notificat secreta Dei : sed Deus non revelavit ipsi David successionem sui Regni ; imò immediatè illam revelavit *Nathan*, & præcepit ei, ut notificaret illam revelationem ipsi David, 2. *Reg. cap.*7. ergo solus *Nathan* dicendus est Pro- D pheta, & non David : quia unus Propheta non indiget adminiculo alterius. Tertiò volunt arguere quidam Catholici ex auctoritate *Hieronymi*, qui in *Prologo libr. Reg.* in quo dividit totum Testamentum vetus in tres partes, scilicet, in Legem & Prophetas & Agiographa, & ponit David inter agiographa : ex quo patet, quod non est Propheta. Item arguunt quartò, per hoc quod ait Salvator *Lucæ* 24. *oportet impleri quæ scripta sunt in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me.* Et quo patet, quod tàm Chris- E tus, quàm *Beatus Hieronymus* segregant David à Collegio Prophetarum, & collocant ipsum in tertio gradu & ultimo Sacræ Scripturæ. Et sic concluditur, quod David non fuit Propheta.

In oppositum est Salvator, *Matth.* 22. qui appellat David Prophetam dicens: *Quare ergo David in spiritu vocat Christum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Item *Matth.* 27. & *Joannes* 19. appellant David Prophetam allegando Scripturam Psalmi dicentes : *Sicut scriptum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea , & super vestem meam miserunt sortem.* Ex quibus patet, David fuisse verum Prophetam.

Respondeo. Ad decisionem hujus quæs- F tionis quatuor sunt videnda. Primò, *quid est prophetia , & quę , & quot requiruntur ad veram prophetiam.* Ex quibus patebit, David fuisse verum Prophetam. Secundò, *quot sunt genera , sive modi visionis , sive propheticæ revelationis.* Tertiò videbitur, in quo genere prophetiæ magis profecit David. Quartò videbitur, utrum David sit eximius & excellentissimus omnium Prophetarum.

Quid est prophetia.

Quantum ad primum est dicendum, quòd prophetia tripliciter diffinitur, secundumquòd magis largè, & magis strictè, & propriè sumitur. Nam primò diffinitur ab *Augustino*, quod *prophetia est Divina revelatio eorum quæ procul sunt ab humano intuitu.* Et sic prophetia largo modo sumitur: eò quòd ambit tàm præterita, quàm G futura, & omnia quæ sunt supra humanam intelligentiam, quia omnia ista sunt procul ab humano intuitu. Nam futura sunt procul ab humano intuitu, eò quòd nullum habent esse : & præterita contingentia, quæ non sunt in Scripturis, nec in memoria ; etiam non habent esse, & sic sunt procul à cognitione nostra. Item Divina mysteria, quæ nullo modo cadunt sub sensu, sunt jam magis procul à nostra cognitione. Et sic revelatio uniuscujusque horum trium, dicitur prophetia. Et isto modo non solùm *Isaias*, quia prædixit futura, diceretur Propheta, sed etiam Moyses, qui annuntiavit præteritam Creationem Mundi, & etiam unitatem unius Dei, & multa quæ sunt supra humanam facultatem.

H Secundo modo diffinitur magis strictè prophetia ab ipso *Cassiodoro in Prologo libri Psalmorum* dicente, quòd *prophetia est Divina inspiratio rerum eventus immobili veritate demonstrans.* Per hoc autem quod ait, *Divina inspiratio*, demonstrat, quod *Caiphas* non fuit Propheta, quando dixit: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo :* quia illud non dixit ex Divina inspiratione, sed ex malitia ad malum finem.

Item per hoc quod dicit, *rerum eventus*, ostendit, quòd Prophetia est solùm de contingentibus futuris. Et sic *Moyses* non fuit Propheta, in quantum annuntiavit præteritam creationem rerum. Item per hoc quod dicit *immobili veritate demonstrans*, excluduntur vaticinia Astrologorum, & Sortilegorum, quæ sæpè impediuntur & falluntur.

Tertio modo diffinitur Prophetia ab *Origene* super Psalterium dicente, quòd *Prophetia est de Prophetiis futuris Christi, & Ecclesiæ in veteri Testamento divinitus revelatio facta.* Et sic secundùm *Origenem*, de consueto modo loquendi, solùm sunt Sacri Prophetæ, qui in veteri Testamento ex Divina revelatione, & inspiratione prænunciarunt mysterium Incarnationis, & nostræ redemptionis, & universaliter futura mysteria Christi, & Ecclesiæ. Et hoc modo *Joannes Euangelista* in *Apocalypsi* non esset Propheta: quia non prænuntiavit primum adventum Christi. Sed *Origenes* quia loquitur de consueto modo loquendi Ecclesiæ, distinguendo Prophetas ab Apostolis & Euangelistis; solùm vocat Prophetas eos qui prænunciant adventum Christi in carne: & eos appellat Apostolos & Euangelistas, qui evangelizarunt, & annuntiaverunt Christum jam venisse. Sed ipsemet *Origenes* in enumerando libros Sacræ Scripturæ appellat *Joannem* Euangelistam Prophetam: in quantum prænuntiavit secundum adventum Christi, & totum discursum Ecclesiæ usque ad judicium in libro *Apocalypsis*. Et sic patet, quid est prophetia, & quis est verè Propheta secundùm modum consuetum Ecclesiæ. Nam ut sic Ecclesia solùm appellat Prophetas, qui ex Divina revelatione & inspiratione prædixerunt futurum adventum Christi, & mysteria nostræ redemptionis & salutis in veteri Testamento. Et sic distinguit eos ab Apostolis, & Euangelistis, & Doctoribus. Et sic isto modo Prophetia propriè dicta nihil aliud est, nisi prænuntiatio futurorum mysteriorum de Christo, & Ecclesia in spiritu & lumine supernaturali præcognitorum in veteri Testamento.

Sex requiruntur de ratione prophetiæ.

Ex supradictis patet, quòd sex sunt de ratione Prophetiæ propriè dictæ, & sex requiruntur ad verum Prophetam. Primò quod prænunciet futura, quia de præteritis non est Prophetia. Unde dicit *Gregor.* sup. *Ezech.* quòd *cum ideo Prophetia dicta sit, eò quòd futura prædicat, quando de præteritis, vel de præsentibus loquitur, sui nominis rationem amittit.* Secundò requiritur, quòd sit de futuris mysteriis Christi, & Ecclesiæ: quia de rebus mundanis & prophanis non est propriè Prophetia, sed quædam pronosticatio & conjectura. Tertiò requiritur, quòd talia mysteria repræsententur ipsi Prophetæ in aliquo objecto ænigmatico. Nam talia futura mysteria nullum esse reale habent in se, nec in aliquo conjuncto: igitur oportet quòd ænigmaticè, & obscurè repræsententur in aliquo objecto repræsentativo, ut clariùs patebit. Quartò requiritur quòd talia futura mysteria sint prænonstrata per Divinam revelationem. Et ideo locutio *Caiphæ* non fuit Prophetia, nec somnium *Pharaonis*. Quintò requiritur quòd Propheta intelligat, & interpretetur visionem, sive revelationem: quia aliter non diceretur Propheta, sed Videns tantùm: ideo antiquitùs omnes quos nunc appellamus Prophetas, & omnes qui videbant visiones, sive intelligerent, sive non, appellabantur *Videntes*, ut patet 1. *Reg.* 9. Sed propriè non appellatur nec est verè Propheta, nisi intelligat & interpretetur visionem. Nam ex hoc Prophetia dicitur Divina inspiratio, eò quòd intuitus Prophetæ inspiratus lumine supernaturali & prophetico, interpretatur & intelligit visionem: aliter non esset Propheta, sed Videns tantum, sicut Pharao & Nabuchodonosor. Ideo dicitur *Daniel.* 10. quòd opus est intelligentiâ in prophetia. Et ideo *Theodorus* fuit condemnatus hæreticus in Concilio Toletano, eò quòd asserebat Prophetas non intellexisse visiones & prophetias suas. Cujus oppositum patet per totum discursum *Danielis*, qui eò dictus est Propheta, quia interpretatus est visionem Regum Chaldæorum, & Persarum, nec unquam quievit, usquequò intellexit visiones somniorum, ut patet ibidem. Ex quo patet sextò, quòd requiritur lumen supernaturale & propheticum ad interpretandas & intelligendas obscuras & ænigmaticas visiones.

Ex omnibus supradictis patet, quòd David fuit verus Propheta. Probatur. Nam habuit omnes conditiones, quæ requiruntur ad verum Prophetam. Nam primò prædixit in veteri Testamento omnia mysteria futura nostræ redemptionis, de Christo, & Ecclesia. Secundò talia prædixit ex Divina inspiratione. Tertiò omnia illa mysteria ex lumine prophetico à Spiritu Sancto sibi collato intellexit, ut ipsemet profitetur 2. *Reg.* 23. quia dicit: *Dominus meus mihi locutus est, & spiritus Domini locutus est per linguam meam.* Ergo est verus Propheta, ut latiùs patebit.

Tria genera prophetiarum, seu revelationum.

Quantum ad secundum Articulum est advertendum, quòd tria genera prophetiarum, sive revelationum distinguit nobis Deus, *Numer.* 12. cum dicit: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, aut in somnis loquar ad illum: at non talis servus meus Moyses: ore enim ad os loquar ei palàm, & non per ænigmata, & figuras Deum videt.* In quibus verbis ostenditur, quòd tribus modis revelabat Deus Prophetis Divina & futura mysteria, scilicet per somnia, aut per visionem in vigilia, aut per locutiones Angelorum, & familiarem doctrinam. Primo modo apparuit

ruit Angelus Domini in somnis *Joseph* dicens: *Accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Matth.* 2. Secundo per visionem in vigilia *Isaias* vidit Dominum A sedentem, *Isai.* 6. Tertio modo per locutiones Angelorum, & familiarem doctrinam *Moyses* accepit legem in monte Sinai, *Exod.* 20. Et *Angelus Gabriel* revelavit *Danieli* totum mysterium Incarnationis, & primum & secundum adventum Christi, & quasi totum discursum à suo tempore usque ad judicium, *Daniel.* 9.

Sed est advertendum secundum *Augustinum contra Adamantium circa finem lib.* quòd revelatio facta in vigilia, quandoque fit per visionem realem, id est, corporalem ad extra, sicut *Hieremias* videbat realiter catenam ligneam, quam ferebat in collo ex præcepto Domini, ubi prævidebat B futuram captionem *Sedeciæ*, *Hierem.* 27. Quandoque autem talis revelatio fiebat per visionem imaginariam ad intra, sicut *Isaias vidit Dominum sedentem.* Unde est advertendum, quòd revelatio per imaginariam visionem fiebat sub tali ordine: nam quandoque fiebat per species acceptas per visum ad extra, sicut dictum est de catena lignea Hieremiæ. Sed quandoque fiebat per novas species & imagines objectas in phantasia ipsius Prophetæ. Et sic apparebat in phantasia *Isaiæ* imago Dei sedentis *super solium excelsum*, & apparebant duo Seraphim cum senis alis. Item eodem modo apparebant in phantasia *Ezechielis* similitudines & imagines quatuor animalium habentium facies quaternas plenas oculis, & trahentium illam rotam. Istæ autem similitudines & imagines C existentes in phantasia objiciebantur intellectui Prophetæ; sed intellectus Prophetæ ex proprio lumine naturali, non poterat abstrahere à talibus speciebus & imaginibus, sive phantasmatibus species futurorum mysteriorum, per illas imagines significatorum: quia lumen intellectus agentis non potest abstrahere à speciebus sensatis, nisi species non sensatas ipsius quidditatis naturaliter conjunctas ipsis accidentibus, ut patet 3. *de Anima.* Et ideo Spiritus Sanctus inspirabat, & influebat lumen supernaturale & propheticum in intellectum ipsius Prophetæ, & irradiabat super ipsas imagines & similitudines. Et tunc intellectus Prophetæ sic confortatus, & adjutus, & elevatus per lumen propheticum, prævidebat futura mys- D teria in illis phantasmatibus figurata & repræsentata, quæ dicebantur veritates quædam supernaturales. Et sic Propheta interpretabatur visionem imaginariam sibi objectam. Et tunc visio imaginaria & ænigmatica, fiebat visio intellectualis & prophetica, interpretata in virtute luminis Prophetici infusi & inspirati. Et sic pro majori parte omnes Prophetæ contemplando tales visiones imaginarias, ex nutu Dei eis objectas, in lumine & spiritu prophetico præviderunt futura mysteria eis revelata.

Ulteriùs autem advertendum, quòd E talis elevatio intellectus sumpta ex imaginaria visione per lumen supernaturale, poterat fieri tripliciter in ipso vigilante. Nam primò elevabatur intellectus Prophetæ supra lumen naturale per lumen supernaturale, illustrando phantasmata, & imagines sibi objectas, per quas prævidebat mysteria futura de Christo & Ecclesia in illis imaginibus repræsentata, ut dictum est. In qua visione Propheta nondum erat alienus à sensibus interioribus, in quibus lucebant illæ imagines. Et iste gradus visionis fuit communicatus omnibus Prophetis, qui dicitur *Excessus mentis*, in quantum illud lumen propheticum supernaturale excedebat lumen naturale ipsius intellectus agentis. F Secundò poterat elevari mens Prophetæ per altius lumen cum alienatione ab omnibus sensibus, non solùm exterioribus, sed etiam interioribus, utendo solo intellectu per species intelligibiles, quas abstraxerat à phantasmatibus & imaginibus prius objectis. In quibus bonis contemplatis & prævisis ipsa voluntas delectata conquiescebat per aliquam moram: & tunc dicebatur esse in quadam extasi.

Extasis enim dicitur quidam status hominis contemplativi existentis alienati, quasi *extra seipsum.* Est quidem verum, quòd quidam non faciunt differentiam inter extasim, & *mentis excessum.* Sed in veritate *extasis* includit mentis excessum, addendo alienationem ab omnibus sensibus, & etiam addendo affectum mentis, scilicet, G quietem in bono contemplando, vel stuporem in aliquo terribili sibi objecto ex pavore. Et ideo dicit *Diony.* 4. *cap. de Divinis Nominib.* quòd *amor Divinus extasim facit*, *&c.* Tertio modo potest multo altius elevari intellectus cum magna violentia ab ipso Spiritu Sancto usque ad visionem Divinæ essentiæ: quæ quidem elevatio dicitur *Raptus*, ratione violentiæ, & ratione termini, & ratione superioris naturæ, per quam elevatur. Iste autem tertius gradus excedit limites Prophetiæ, quem pauci potuerunt attingere in hac vita. Nam primum gradum *mentis excessus* attigerunt omnes Prophetæ. In secundo autem gradu, scilicet, in *extasi*, dicitur frequenter fuisse ipse David, ut patebit. In tertio autem gradu fuit H *Beatus Paulus*, quum raptus est *usque ad tertium Cœlum*, ubi *vidit arcana Dei*, *quæ non licet homini loqui*, 2. *Corinth.* 12. Unde isti tres gradus elevationis intellectus supra naturam sui, dicuntur tres Cœli contemplationes. Nam excessus mentis simplex dicitur *primum Cœlum contemplationis. Extasis* vero dicitur *secundum Cœlum. Raptus* autem dicitur *tertium Cœlum:* ad quod tertium Cœlum raptus fuit *Paulus*, & etiam *Joannes Euangelista*: quando *supra pectus*

Augusti.

Extasis quid sit.

tus Domini in Cœna recubuit : & forsan omnes Apostoli in die Pentecostes, ut patebit *Psalmo 67.* De quibus tribus Cœlis dicitur in oratione Dominica: *Pater noster qui es in Cœlis*, id est, in viris contemplativis. Et sic patent tres gradus elevationis intellectus supra naturam in visione facta in vigilia. Ad quorum duos primos pervenerunt Prophetæ veteris Testamenti. Tertius autem gradus excedit limites prophetiæ: ad quem pauci pervenerunt in novo Testamento. Sed quia *raptus* includit *extasim*, & extasis includit *excessum mentis*; ideo unum sumitur quandoque pro alio in Sacra Scriptura. Nam *raptus Pauli* dicitur mentis excessus, ut patebit *Psalmo 67.* Et sic per supradicta patet secundum genus propheticæ visionis, quod fit in vigilia per internam inspirationem.

Tertium autem genus propheticæ visionis fiebat quandoque per familiarem locutionem, & revelationem Angelorum. Sed iste poterat fieri duobus modis. Uno modo per visum, & auditum, sicut *Moyses* realiter videbat, & audiebat Angelum, qui sibi loquebatur in corpore assumpto in illis quadraginta diebus in monte: & *Daniel* realiter videbat, & audiebat *Gabrielem Angelum* sibi revelantem futurum adventum Christi post septuaginta hebdomadas, *Daniel. 9.* Secundo autem modo talis doctrina, & locutio Angelica fiebat per solum auditum, non videndo Angelum: sicut audiebantur responsa de Tabernaculo Domini à Sacerdotibus; & sic audivit *Samuel* vocem Angeli ter vocantis ipsum, 1. *Reg.* 3. Quartum autem genus propheticæ visionis addit *Josephus*, quòd fiebat per *Hurim* & *Thummim* in rationali Sacerdotis, de quo dicetur in sequenti Articulo. Ex quibus omnibus patet, quòd visio prophetica non poterat fieri absque lumine supernaturali elevante mentem Prophetæ.

Sed istud lumen supernaturale desuper infusum, qui dicitur *Spiritus Propheticus*, non eodem modo consecuti sunt omnes Prophetæ: nam quidam consecuti sunt simplex lumen, sive simplicem spiritum propheticum. Quidam autem consecuti sunt duplicem spiritum propheticum. *Spiritus* enim *simplex propheticus* dicebantur ille, per quem Prophetæ prævidebant materialia & temporalia gesta futura, & facienda in illo populo ante adventum Christi in Tabernaculo, & in primo, & secundo Templo, non pervenientes usque ad Christum. *Spiritus* autem *duplex propheticus* dicebatur ille, per quem Prophetæ primò prævidebant gesta materialia, & temporalia futura in illo Populo, & Templo; sed per illa materialia, & temporalia transcendentes prævidebant futura mysteria de Christo, & Ecclesia, in illis rebus materialibus, & temporalibus figurata. Exempli gratiâ. Nam *Isaias* in spiritu prophetico simplici prævidit captivitatem, & destructionem Hierusalem faciendam per *Chaldæos*, & remissionem captivitatis faciendam per *Cyrum*, & reædificationem Templi & Civitatis faciendam per *Cyrum*, *Zorobabel*, & *Jesum* Sacerdotem magnum. Sed in duplici spiritu prævidit, qualiter remissio illius temporalis captivitatis erat figura remissionis generalis, & æternæ, & spiritualis liberationis faciendæ per Christum, scilicet, qualiter Christus debebat redimere totum genus humanum à captivitate, & miserabili servitute peccati, & debebat ædificare novam Hierusalem toto Orbe diffusam. Et sic vaticinando, & prædicendo futuram remissionem illius captivitatis temporalis faciendam per Cyrum, & reædificationem Templi, & Civitatis materialis prædicit, & intermiscet remissionem totius generis humani faciendam per Christum, ut patet *Isaiæ* 45. Et sic omnes Sacri Prophetæ per istum duplicem spiritum propheticum non solùm dixerunt gesta materialia & temporalia illius populi, sed etiam mysteria spiritualia de Christo & Ecclesia, per illa materialia figurata.

Et iste est ille *spiritus duplex propheticus*, quem postulabat *Elisæus* ab *Elia* 4. *Reg.* 2. ubi legitur, quod cum venisset Elias cum Eliseo in Hierico, dixerunt filii, id est, Discipuli Prophetarum ad Eliseum: *Numquid nosti, quia Dominus tollit hodie Dominum tuum à te?* Quibus respondit: *Novi: silete.* Ex quo patet, quòd tàm filii Prophetarum, quàm Eliseus præviderunt in spiritu futurum raptum Eliæ: sed nesciebant figuram illius raptus, nec quid amplius futurum esset de Elia. Quia nesciebant, quomodo ille ascensus Eliæ figurabat ascensum Christi in Cœlum: & quomodo Elias erat venturus in tempore Anti-Christi ad prædicandum secundum adventum Christi. Ex quo patet, quòd tám filii Prophetarum, quàm Eliseus, tantum habebant simplicem spiritum propheticum de futuro raptu Eliæ, & ideo Eliseus cupiens scire, quid esset futurum de Elia, dixit ad eum quando ferebatur in Paradisum: *Obsecro Domine, ut spiritus qui est in te duplex, fiat in me*; quasi diceret: ut sciam in duplici spiritu, quid figuret, & significet iste raptus tuus: & sciam & prævideam futura mysteria de Christo Messia in Lege promisso; quæ non possunt prævideri nisi per duplicem spiritum, & lumen propheticum. Cui respondit Elias: *Rem difficilem postulasti*; quasi diceret: difficile est, & paucis est concessum talem duplicem spiritum propheticum attingere. Hoc autem dicebat Elias, quoniam ipse in duplici spiritu prævideret per suum raptum, qualiter Christus post Passionem, & Resurrectionem erat ascensurus in Cœlum, & accepturus universale dominium, & judiciariam potestatem super omnes creaturas, & qualiter erat venturus in fine mundi ad judicandum omnes gentes, & qua-

Spiritus duplex propheticus quid sit.

Nota de Raptu Eliæ.

qualiter ipse Elias debebat prævenire ante ipsum Christum ad prædicandum secundum adventum ejus, & qualiter erat ab Anti-Christo occidendus. Hunc igitur duplicem spiritum propheticum impetravit Elias à A Domino pro ipso Eliseo, ut patet ibidem. Judæi autem, & multi Catholici dicunt, quòd per *duplicem spiritum* Elisei intelligitur duplex virtus faciendi miracula: quia Nota. in duplo fecit plura, & majora miracula quàm Elias. Sed licèt hoc sit verum, tamen primus intellectus est magis conformis, & continet majus sacramentum.

Ex supradictis patet, qualiter spiritus Domini *simplex* propheticus non attingebat nisi materialia, & temporalia gesta illius Populi, & Civitatis, & Templi. *Spiritus* autem *duplex* erat ille, qui non solùm prævidebat, & attingebat futura gesta materialia veteris Testamenti, sed per illa transcendebat usque ad mysteria Christi, & Ecclesiæ in illis figurata: immò Prophetæ *in spiritu duplici* B prophetico, per gesta veteris Testamenti præterita, & præsentia, & futura prævidebant mysteria de Christo, & Ecclesia in illis figurata. Unde sicut homo habens bonum visum, per montes propinquiores videt montes ulteriores: ita pariter Prophetæ *duplici* lumine & *spiritu prophetico* illustrati, non solùm prævidebant gesta materialia & temporalia propinquiora, sed etiam prævidebant, qualiter illa gesta materialia erant figura futurorum mysteriorum spiritualium de Christo, & Ecclesia. Et sic transcendentes illa materialia, perveniebant usque ad propheticam notitiam Christi, & nostræ redemptionis. Et sic *David* & *Isaias*, & cæteri Prophetæ, per futuram liberationem Babylonicæ captivitatis, & per exitum de Ægypto, prævidebant futuram liberationem totius generis humani faciendam per Christum, ut patebit. Et ideo, quia C miseri & cæci Judæi non possunt percipere istum *spiritum duplicem* propheticum: inde est, quòd omnes promissiones, & omnia dicta Prophetarum putant esse dicta in *simplici spiritu* materialiter, & temporaliter de illo primo & secundo Templo, & de illa captivitate & liberatione temporali, & de reædificatione illius materialis Hierusalem, & sic omnia glossant temporaliter.

Tres gradus Prophetiæ. Per supradicta patent tres gradus Prophetiæ communes. Primus per revelationem factam in somnis. Secundus per visionem imaginariam, & ænigmaticam. Tertius per familiarem doctrinam Angelorum. Et iste est perfectior secundo, & secundus primo, eò quòd viva vox habet nescio quid D latentis energiæ, ut inquit *Hieronym. ad Paulinum.* Sed quartus gradus quem habuit David, scilicet, per locutionem Spiritus Sancti factam in extasi, est perfectior cæteris tribus, eò quòd fit cum altiori lumine, & claritate, & distinctione; & pervenit ad altiora. Ex supradictis sequitur primò, quòd Propheta ratione luminis, & spiritus prophetici dicitur Propheta. Probatur. Nam sine tali lumine nullus posset interpretari tales visiones: quia in virtute istius luminis E Prophetæ interpretabantur illas ænigmaticas visiones. Et ideo nec *Pharao*, nec *Nabuchodonosor* fuerunt Prophetæ: quia nescierunt interpretari suas visiones; eò quòd carebant tali spiritu prophetico, sive tali lumine: sed *Joseph* & *Daniel* interpretati sunt tales visiones, eò quia habebant lumen, & spiritum propheticum: immò *Daniel* nunquam dictus est Propheta, usquequò scivit interpretari visiones suas, & alienas. Secundò sequitur, quòd omnis Propheta est Interpres: quia in tantum dicebatur intelligere visiones, in quantum interpretabatur eas per tale lumen. Unde dicitur *Daniel.8. Nesciebam interpretationem visionis*: & sic *Daniel* non intellexit Prophetiam, nec visionem, usquequò scivit eam F interpretari. Tertiò sequitur, quòd dignitas Prophetæ sumitur secundùm altiorem gradum luminis prophetici: eò quòd dignitas sumitur à forma rei: sed lumen est forma in tali interpretatione; quia lumen propheticum dat esse & dignitatem propheticæ visioni: & sic secundùm gradus luminis prophetici erunt gradus Prophetarum, & unus Propheta dicetur dignior altero, secundùm gradum altiorem ipsius luminis, & spiritus prophetici; & etiam secundùm gradum ipsius raptus, & extasis, in quantum fit major excessus supra naturalem intelligentiam.

Quomodò David est verus Propheta. Quantùm ad tertium Articulum, in quo erat videndum, quomodò David est verus Propheta, & in quo genere Prophetiæ magis profecit, & in quibus objectis prævidit futura mysteria de Christo, & Eccle- G sia; est primò notandum, quòd omnes Doctores Hebræorum ante adventum Christi, & usque ad tempora *Constantini* asseruerunt, David fuisse maximum Prophetam inter omnes, ut patet per *Josephum* & *Jonatham Abenuziel*, & per *Philonem* dissertissimum Judæorum, qui fuit tempore Apostolorum, & patet per plures alios illius temporis. Unde dixerunt quidam Thalmudistæ, quòd Deus in principio mundi creavit omnes animas simul cum anima ipsius Adam. Et quando Deus duxit omnes creaturas ad Adam, *ut videret quid vocaret eas*; ostendit etiam omnes animas filiorum successorum suorum in corpora humana venturas, & tunc *Adam* cognovit animam *Nota bene.* H *Abrahæ*, & *Isaac*, & *Jacob*, & *Moysi*, & *David*, & omnium aliorum. Inter quas prævidit in spiritu animam *David* nobiliorem, & quomodò in altitudine scientiæ, & Prophetiæ omnes alias debebat superare. Sed prævidit in spiritu ipse *Adam* qualiter *David* in infantia ante annum completum erat moriturus. Unde tunc Adam tactus dolore cordis, dixit ad Dominum: Domine, qua-

quare vis tantum bonum futurum impedire, propter mortem hujus pueri? Rogo ut permittas ipsum vivere usque ad septuagesimum annum, ne tanta scientia perdatur in mundo. Cui Dominus respondit, quòd hoc A non poterat fieri. Nam ipse jam diviserat totam vitam humanam inter omnes illas animas futuras, & unicuique assignaverat suam partem vitæ: & sic non remanebat plus spatii vitæ pro David, nisi unus annus, quia jam inter omnes erat divisa & distributa tota vita humana. Cui dixit Adam: Domine, ego debeo vivere mille annis, quos mihi assignasti ad vivendum: ergo auser à me septuaginta annos, & da eos ipsi David: quia ego contentus sum de residuo, ne tantum bonum perdatur in mundo. Cui petitioni annuit Deus, & ita factum est. Nam David vixit septuaginta annos; & ideo Adam non vixit nisi nongentos & triginta annos, sublatis septuaginta annis, quibus vixit ipse David. Quæ opinio licet sit falsa, & hæretica, B scilicet, quod omnes animæ humanæ fuerint simul cum anima ipsius Adam: tamen ex dictis istorum Doctorum Hebræorum patet, quòd David fuit maximus Propheta, & profundior cæteris in scientia Divinorum. Item dicunt etiam Doctores eorum antiqui, quòd postquam *Jonatham Abenuziel* fuerat interpretatus totam Scripturam Legis & Prophetarum ex Hebræo in Chaldaicum, quam Translationem appellant *Targum*, incepit interpretari librum Psalmorum ipsius David. Sed tunc audivit vocem de Cœlo dicentem: Quis es tu, qui vis revelare profunda secreta mea? Quasi diceret: non sufficit tibi, quod permisi ut declarares Legem & alios Prophetas; sed etiam vis interpretari librum Psalmorum, in quo latent profundiora secreta mea? Cui respondit C *Jonatham Abenuziel*: Domine, ego hoc volo facere ad honorem & servitium tui, & utilitatem totius populi. Et sic dicunt, quòd Deus permisit, ut *Jonatham* interpretaretur Psalmos David. Quam interpretationem Judæi habent in tanta reverentia & auctoritate, quod nullus est ausus ei contradicere, ut latius patebit. Ex quibus patet, quod de intentione antiquorum Hebræorum erat, quòd altiora secreta & mysteria continentur in libro Psalmorum, quàm in toto residuo Legis & Prophetarum: & ideo complures eorum dicunt, quòd tota Lex & Prophetæ continentur in libro Psalmorum: immò dicunt, quòd si tota Lex & Prophetæ perderentur, liber Psalmorum sufficeret: quia ibi reperitur tota Lex & Prophetæ.

Sed causa quare quidam eorum negant D David fuisse Prophetam, fuit ista: nam videntes magistri Judæorum, quòd per conversionem *Constantini* totus populus Gentilis convertebatur ad Fidem Christi: & videntes etiam quod major pars Judæorum convertebatur ad Christum simul cum Gentilibus: cognoscentes manifestè Christum fuisse verum Messiam in lege promissum per scripturas Prophetarum, maximè per scripturas libri Psalmorum; eò quòd E manifestè prænunciat conversionem gentium in adventu Messiæ: tunc hoc videntes magistri Hebræorum, congregati sunt in *Babylone* Ægypti, quæ modo dicitur *Cayre*, & ibi confinxerunt scripturam *Thalmud*, ut retinerent simplices eorum, & glossaverunt falso modo scripturam veteris Testamenti. Et quia quotidie convincebantur à conversis de Judaismo per scripturam Psalmorum, quæ clariùs loquitur de conversione gentium: ideo negaverunt David fuisse Prophetam. Et ideo distinxerunt totam scripturam veteris Testamenti in tres partes, scilicèt, *Legem*, & *Prophetas*, & *Agiographa*. Et sic posuerunt *David*, & *Danielem* inter *Agiographa*, ut auferrent eis dignitatem prophetiæ, eò quòd clariùs loquuntur F de Christo, & de tempore adventus ejus: & quia magis sæpiùs convincebantur per David & Danielem. Et sic hodie inter Hebræos est maxima confusio. Nam quandoque dicunt, quod David est maximus inter omnes Prophetas, propter ea quæ supradicta sunt: quandoque autem dicunt ipsum non esse Prophetam, propter rationem jam dictam. Et sic *mentita est iniquitas sibi*: quia manifestè confundit eos David.

Magistri Hebræor. ad quid confinxerunt scriptur. Thalmud.

Sed contra istos perversos ponitur pro conclusione, quòd *David fuit verus Propheta*: quod probatur ratione & auctoritate veteris Testamenti. Nam ille est verus Propheta, qui habet omnes conditiones veri Prophetæ: sed David est hujusmodi: igitur David fuit verus Propheta. Major est nota, sed minor probatur. Nam de ratione veri G Prophetæ est, quòd prænunciet Divina mysteria futura de Christo & Ecclesia, ex Divina revelatione in aliquo objecto repræsentata, per Prophetam interprætata & intellecta, prout dictum est in *primo*, & *secundo Articulo*. Sed quòd David habuerit omnes has conditiones, non solùm est manifestum ex experientia, quia omnia quæ prædixit de Christo & Ecclesia, & de conversione gentium, & obcæcatione, & perpetua captivitate Judæorum, videmus manifestè esse completa: sed etiam probatur auctoritate Sacræ Scripturæ veteris Testamenti, 2. *Reg.* 23. ubi sic legitur, scilicet: *Hæc sunt verba novissima, quæ dixit David filius Isai: Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob egregius Psaltes Israel: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam: Deus* H *Israel locutus est mihi. Sicut lux Auroræ oriente Sole manè absque nubibus rutilat, & sicut pluviis germinat herba de terra. Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus, atque munitum. Cuncta enim salus mea, & omnis voluntas: nec est quic-*

quam

quam ex ea quod non germinet. Prævaricatores autem quasi spinę evellentur universi, quæ non tolluntur manibus. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato, igneque succensæ comburentur usque ad nihilum. Hoc canticulum prædictum fecit David in sua senectute, in quo ostendit dignitatem, & veritatem, & utilitatem suarum visionum & prophetiarum, & vaticiniorum, quæ prædixit in libro Psalmorum. A

Ex quo cantico possunt recolligi octo Conclusiones, quarum prima est ista, scilicet, quòd *David fuit verus Propheta & egregius inter omnes Prophetas Israel*, per hoc, quod dicit: *Dixit vir egregius Psaltes Israel*: nam egregius dicitur *quasi extra gregem aliorum*, & sic dicit superexcellentiam. Secunda Conclusio, quòd *omnia quæ dixit David in Psalmis, sunt intelligenda de Christo in lege promisso, & ad eum referenda*, per hoc quod dicit: *Cui constitutum est de Christo Dei Jacob.* Tertia Conclusio, quòd *Prophetia David ab ipso Deo & Spiritu Sancto fuit ipsi David revelata, & per consequens authentica*, per id quod ait: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.* Et per consequens adeptus est tertium gradum prophetiæ per familiarem doctrinam Spiritus Sancti; quæ quidem locutio facta fuit ipsi in extasi, ut patebit. Quarta Conclusio, quòd *David clarius & perfectius prævidit futura mysteria de Christo & Ecclesia, & gloria Sanctorum, quàm aliquis alius Propheta*, per hoc quod ait: *Sicut lux Auroræ oriente Sole manè absque nubibus rutilat*; quasi dicat, quòd ita fuit mihi clara prophetia & revelatio sine ænigmatibus, sicut Sol videtur de hominibus in manè sereno absque nubibus. Quinta Conclusio, quòd *Promissio facta ipsi David de æternitate sui Regni, & Rege æterno successore, non est intelligenda de Salomone, nec de illo Regno temporali: sed est intelligenda de Christo Rege Messia, & de ejus Regno æterno*, per hoc quod ait: *Nec tanta est domus mea apud Dominum, ut pactum æternum iniret mecum firmissimum atque munitum.* Et etiam per illud quod supradictum est: *Cui constitutum est de Christo Dei Jacob.* Sexta Conclusio, quòd *in prophetia Psalmorum David continetur & prædicitur propheticè totum mysterium nostræ redemptionis, & desiderium nostræ salutis*, per hoc quod ait: *Cuncta enim salus mea & voluntas*, id est, *desiderium redemptionis* continetur, supple, in libro Psalmorum. Septima Conclusio, quòd *nihil est scriptum in libro Psalmorum, quod non fuerit completum in primo adventu Christi, aut sit implendum in secundo adventu*, per id quod ait: *Nec est quicquam ex ea quod non germinet*, id est, faciat fructum, & impleatur in tempore suo per Christum in primo, vel secundo adventu. Octava Conclusio, quòd *quicumque fuerit prævaricator & contemptor libri Psalmorum*, id est, *quicumque non receperit Christum in suo adventu & Legem Euangelicam, prout in Psalmis propheticè prædicitur & vaticinatur: ille talis Populus & Civitas evelletur igne, ferroque destruetur*: quod manifestè fuit impletum in Populo Judaico Christum negante, & prophetiam David prævaricante: qui per *Titum* & *Romanos* partim fuit trucidatus, & partim ab illa terra evulsus, & captivus per mundum dispersus; & Civitas eorum à fundamentis eversa, & igni succensa, per hoc quod subdit: *Prævaricatores quasi spinæ evellentur.* B C D E

Nota bene de David Propheta.

Ex supradictis omnibus patet, qualiter David fuit verus Propheta: quia obtinuit omnes conditiones veri Prophetæ, quia in spiritu prophetico ex lumine Spiritus Sancti prævidit, & prædixit omnia mysteria Christi & Ecclesiæ, & omnia mysteria nostræ redemptionis & salutis: quæ omnia videmus impleta, prout ipse prædixit in Psalmis. Et non solum fuit Propheta prævidendo futura per imaginarias visiones & ænigmata, sicut cæteri: sed adhuc fuit & egregius & excellentior: quia ipsi locutus est Deus claro modo absque ænigmate: & ejus visio fuit clara, sicut lux Auroræ oriente Sole absque nubibus. F

Sed quia dictum est, quòd David prius *inclinavit aurem suam in parabolam, & postea aperuit in Psalterio propositionem suam*: & dictum est, quòd ista parabola ad quam inclinavit aurem, est scriptura veteris Testamenti continens mysteria, ex quibus accepit propositiones & parabolas ad inferendum propheticè veritates, & conclusiones Euangelicas: ideo videndum est in hoc tertio Articulo, quæ & quot sunt illa mysteria veteris Testamenti, in quibus David figuraliter & propheticè prævidit mysteria Euangelica, ex quibus assumpsit parabolas & propositiones ad prophetandum, & prædicendum, & inferendum veritates Euangelicas in Psalmis. Et videndum est, in quo genere prophetiæ magis profecit David inter cæteros, & quem modum habuit in prophetando. G

Ad cujus intellectum est notandum, quòd ex materia & titulis Psalmorum possumus recolligere, qualiter David in quatuor objectis sibi repræsentatis prævidit propheticè in duplici lumine & spiritu prophetico omnia futura mysteria de Christo & Ecclesia. Primò contemplando omnia gesta Patriarcharum, & omnia scripta in quinque libris Legis, & libris Josue, & Judicum, & 1. & 2. *Reg.* usque ad suum tempus. Secundò contemplando omnes persecutiones, & prosperitates suas, & exaltationem sui Regni. Tertiò contemplando promissionem ipsi factam de successione Regni æterni in filio suo, 2. *Reg.* 8. Quartò H

Nota in quo genere prophetiæ magis profecit David.

tò contemplando exemplar, & descriptionem Templi ædificandi, sibi traditam à Spiritu Sancto, prout dicit 2. *Paralipomen.* 28. In his ergo supradictis quatuor objectis tamquam in speculo prævidit David per A lumen & spiritum propheticum omnia futura mysteria de Christo & Ecclesia. Sed de statu & modo prophetandi ipsius David dicunt Thalmudistæ, quòd postquam David quievit à bellis, & maximè postquam vidit Angelum percutientem in area *Jebusei*, cessante pestilentia, tunc relictis voluptatibus, & concupiscentiis, & mundanis negotiis, totaliter statuit magis ampliare cultum Divinum, & ordinare Sacerdotes, & Cantores, & Levitas per vices suas in Tabernaculo, quod mutaverat à domo sua ad aream *Jebusei*, quam quinquaginta siclis emerat pro Tabernaculo tendendo, & Templo ædificando. Et non solum præparavit materialia, scilicet, lapides, & ligna, & ferrum, & argentum, & aurum: sed etiam spiritualia. Et sic condidit Psalmos, qui cantarentur in Templo & Tabernaculo, & divi- B sit eos cantandos tribus Cantoribus, scilicet, *Asaph*, & *Ethan*, & *Heman* in determinatis festivitatibus. Et dicunt ulterius Thalmudistæ, quòd David sic secluſus, & semotus in contemplatione in strato & secreto penetrali suo in tali contemplatione opprimebatur somno. Sed manè diluculo ante Auroram intrabat ventus per fenestram ex parte Aquilonis, & movebat chordas citharæ, sive Psalterii pendentis ad caput lecti. Et sic David excitabatur à somno, & repletus Spiritu Sancto rapiebat Psalterium, & condebat Psalmos de rebus, quas contemplatus fuerat ex parte noctis. Et de talibus mysteriis intellectis condebat Psalmos: immò dicunt, quòd David antequam dormiret dicebat illum versiculum, *Psalm.* 56.v.9. scilicet: *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.* C Quasi diceret: O tu Psalterium & Cithara exurge manè motum à Spiritu Sancto, & exurgam diluculo ad prophetandum. Unde dicunt Hebræi, quòd hanc excellentiam habuit David super omnes alios Prophetas: nam dies excitabat alios Prophetas, sed ipsemet Spiritus Sanctus excitabat ipsum David manè diluculo ante diem ad prophetandum: & hæc est sententia quorumdam Magistrorum Hebræorum, quæ quidem positio non est contemnenda, eò quòd continet aliqualem veritatem. Sed insufficienter explicat modum & dignitatem prophetiæ David.

Ideo ad pleniorem notitiam & evidentiam est notandum secundùm aliquos, quòd non est negandum, David fecisse aliquos D Psalmos antequam quiescret à bellis: aliquando dum erat in statu gratiæ, prout videbitur in Expositione: sed majorem partem fecit dum quievit à bellis, à voluptatibus, & mundanis negotiis, & sedit totaliter contemplationi, & statuit ampliare Divinum cultum, & præparare omnia necessaria pro ædificando Templo per Salomonem: ut patet *in fine* 2. *Paralipomen.* E prout dictum est. Quia tunc totaliter deditus contemplationi, incæpit sedulò contemplari Divina mysteria contenta in quatuor objectis supradictis. Unde sic contemplando Divina mysteria, & illa quatuor objecta, rapiebatur à sensibus exterioribus, & manebat in sola imaginaria contemplatione. Sed rursus elevatus per lumen propheticum supernaturale, prævidebat futura mysteria in illis objectis tamquam in speculo: & talis visio imaginaria fiebat intellectualis in virtute luminis prophetici inspirati, confortantis & elevantis intellectum ipsius David, & irradiantis supra illa objecta imaginata, & repræsentantis futura mysteria in illis objectis tamquam in speculo: sicut intellectus agens abstrahit, & repræsentat species quidditatum rerum materialium in phantasmatibus naturalibus. Et talem gra- F dum prophetiæ, & visionem propheticam intellectualem sumptam ex imaginaria visione obtinuit *Isaias*, & omnes alii Sacri Prophetæ. Sed supra istos obtinuit alium gradum ipse David: nam postquam semel speculando sua objecta, præviderat mysteria futura repræsentata in illis per lumen propheticum, retentis speciebus futurorum mysteriorum de Christo & Ecclesia, quas abstraxerat ab illis imaginatis objectis: tunc per altius & fortius lumen magis elevatus rapiebatur totaliter á sensibus interioribus, & illis objectis imaginatis ad sola mysteria futura. Et tunc oblitis omnibus temporalibus & rebus materialibus, & etiam seipso: nudè & absque figuris, & ænigmatibus prævidebat clarè, & distinctè, & contemplabatur totum mysterium Incarnationis, & nostræ Redemptionis in se, & non in ali- G quo ænigmate, nec objecto repræsentativo. Et tunc subtilius & magis particulariter & distinctè contemplabatur non solum Incarnationem, sed Resurrectionem, & Ascensionem, & gloriam Paradisi, quam Christus erat daturus suis Fidelibus: & in tali contemplatione non utebatur sensibus exterioribus, nec interioribus. Et sic erat in quadam extasi, qui quidem status tenet medium inter vitam hominum & Angelorum: in qua quidem extasi dicitur fuisse frequenter David, & loqui cum Deo; immò Deus loquebatur ipsi in spiritu, ostendens ipsi absque ænigmate mysteria Christi, & secreta cœlestia. Unde de tali clara visione & Divina locutione facta ipsi David elevato in extasim dicitur 2. *Reg.* 23. *Dominus* H *mihi locutus est, sicut lux Auroræ oriente Sole manè absque nubibus rutilat:* quia in tali extasi jam videbat illas supernaturales veritates, & illa futura mysteria, & secreta cœlestia, non per objecta ænigmatica, sed per proprias species intelligibiles in vir-

virtute altioris luminis. Et ideò videbat subtilius & clarius mysterium Incarnationis, & Prædicationis, & Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis, & futuræ beatitudinis, quàm cæteri Prophetæ. Et ideo locutio & doctrina facta in spiritu sub tali raptu & extasi, potest esse quandoque perfectior, quàm facta per locutionem sensibilem per Angelum, in quantum ipsi David potuit concedi altius lumen, & plura & altiora revelari, quam per sensibilem locutionem Angelicam factam ipsi *Josue* & *Gedeoni* & plerisque aliis. Nec est etiam negandum, David quandoque habuisse similes familiares locutiones cum Angelis.

Ordo prophetandi ipsius David.

Ordo ergo & modus prophetiæ, sive prophetandi ipsius David, est discutiendus per singula objecta. Unde primò legendo litteralia mysteria Sacræ Scripturæ, reponebat tales species in phantasia, putà, de Creatione Mundi, aut mysterium Diluvii, aut sacrificium *Abrahæ*, aut Agni Paschalis: & imaginando & contemplando talia mysteria in sua cella & camera secreta, largiebatur ipsi lumen propheticum: & tunc illa objecta imaginata, illustrata lumine supernaturali, repræsentabant ipsi futura mysteria; & sic intellectus David confortatus & elevatus per tale lumen, prævidebat futura mysteria de Christo & Ecclesia in illis objectis repræsentata. Et sic per Creationem Mundi materialis prævidebat Recreationem Mundi spiritualis, quæ est Ecclesia Christi. Et per *Arcam Diluvii*, prævidebat, qualiter Ecclesia Christi debebat salvare omnes ad eam confugientes. Et per *sacrificium Abrahæ* prævidit totum mysterium Passionis Christi. Et per *immolationem Agni Paschalis*, & per *sacrificium Agni matutini*, *& vespertini*, prævidit totum mysterium Passionis Christi, & totum mysterium Sacramenti Altaris. Sed rursus in tali contemplatione augebatur ipsi lumen propheticum, & rapiebat ipsum supra primam contemplationem ad secundum gradum Extasis.

Et tunc relictis objectis ænigmaticis veteris Testamenti, contemplabatur solas supernaturales veritates, & solam illam Incarnationem, & Mortem, & Passionem, & Resurrectionem Christi, & mysteria nostræ Redemptionis, & supernæ beatitudinis. Et tunc absque aliquo ænigmate omnia illa videbat clariùs & distinctiùs, quàm alii Prophetæ. Et sic contemplando persecutiones & liberationes suas, & exaltationem sui Regni, prævidit in tali lumine, & spiritu prophetico omnes persecutiones Christi, & exaltationem ejus Regni post Resurrectionem. Et ideo David reversus ex tali extasi in se, & ad sensus suos, & dum esset compos sui ipsius, rapiebat psalterium & citharam. Et sic fecit *Psalmum secundum* de conjuratione contra Christum faciendâ per Scribas & Pharisæos, prout prævidit in conjuratione *Saulis* & suorum, facta contra ipsum David. Et fecit *Psalmum tertium* de persecutione Christi, prout prævidit per persecutionem suam factam per Absalonem, ut patebit. Item contemplando promissionem sibi factam, 2. *Regum* 7. de Rege filio suo, & successione Regni æterni filii sui, prævidit in spiritu mysterium Incarnationis Christi de sua generatione, de quo fecit *Psalmum* 88. & 131. & plures alios. Item contemplando totam descriptionem Templi sibi traditam à Spiritu Sancto, intellexit & prævidit totum mysterium Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis Christi, & omnes prosperitates, & adversitates Ecclesiæ. Et prævidit modos, quibus hodie Deus colitur in Ecclesia. Et ideo fecit omnes *Psalmos Allelujaticos*. Et sic David in supradictis quatuor objectis prævidit omnia mysteria Christi & Ecclesiæ, de quibus fecit 150. Psalmos, assumendo parabolas & propositiones ex supradictis quatuor objectis.

Sed adhuc *Josephus* & *Rabbi Salomon* addit quintum objectum, in quo David prævidebat futura, scilicet, per *Hurim* & *Tummim*: id est, per imagines & doctrinas: nam sicut legitur *Exod.* 27. in Rationali Summi Sacerdotis erant consuti & impressi duodecim lapides pretiosi, scilicet, sex in quolibet humero, & in fronte mitræ erat affixa lamina aurea, in qua erat scriptum nomen Dei *Tetragrammaton*, quod lucebat, & imprimebat imaginem illarum litterarum in illis duodecim lapidibus: ideo dum filii Israel volebant præscire futuram prosperitatem & victoriam, ornabatur Sacerdos ad sacrificium cum *humerali*, & *ephod*, & *mitra*. Et si bellum erat eis prosperum, tunc lucebat nomen Dei *Tetragrammaton*, & apparebat ejus imago in duodecim lapidibus, & sic cum fiducia procedebant ad prælium: si autem fortuna & victoria erat adversa, nullo modo lucebat illud Nomen in lapidibus humeralis. Et sic desistebant ire ad bellum. Et ideo *rationale judicii* erat colligatum cum *humerali*, in quo ponebatur doctrina & veritas, ut patet *Exod.* 28. Et dicebatur *rationale judicii*, eò quòd Summus Sacerdos in eo judicabat de futuris, & docebat veritatem de consultis, in quantum fulgebat Nomen Dei in illis lapidibus: quod quidem judicium appellant Thalmudistæ *Hurim* & *Thummim*, id est, doctrinam & veritatem: immò in Textu Hebraicè dicitur *Hurim* & *Thummim*, de quo mysterio legitur 1. *Reg.* 23. quòd quando David voluit scire, an cives *Ceilæ* tradere vellent ipsum in manus Saul: dixit ad Abiathar: *Applica ephod*, id est, orna te ornamentis Sacerdotalibus, ut videamus, si viri Ceilæ tradent me in manus Saul. Et facta oratione, respondit Dominus: *Tradent*, te, supple: quod nihil aliud fuit, nisi quod tunc non apparuit imago Nominis Domini

Nota.

mini in lapidibus, sicut ante apparuerat, quando consuluit Dominum de futura victoria contra Philisthæos, ut patet eodem *cap.* 23. Per illud profectò mysterium Nominis Domini lucentis in illis duodecim lapidibus A prævideratDavid, qualiter Christus, qui est Nomen Domini, debebat lucere, & imprimere sapientiam suam in duodecim Apostolis, qui debebant annuntiare veritatem & doctrinam Euangelicam per universum mundum: de quo fecit plures Psalmos. Ex supradictis patet, qualiter David fuit verus Propheta, & excellentior cæteris, & patet modus prophetandi & excellentia prophetiæ ejusdem.

An Moyses fuerit major Propheta quam David.

Quantum ad quartum Articulum, in quo restat videndum, an *Moyses* fuerit major Propheta quàm David, an è contrario; est advertendum, quòd causa quare Judæi tenent, quod Moyses est major Propheta quàm David, est: quia Moyses fecit multa miracula, & David nullum. Et causa quare B multi Catholici asserunt idem, est: quia dicunt quod Moyses vidit Deum per essentiam, & David non. Et ideo est primò videndum, *an Moyses viderit Deum per essentiam.* Secundò, dato, quòd Moyses viderit Deum per essentiam & fecerit miracula, & David non: *an propter hoc Moyses dicatur major Propheta quàm David.*

Ad primum est advertendum, quod usque ad præsentem diem nullus Doctorum Judæorum ausus est concedere, quod Moyses viderit Deum per essentiam. Unde *Rabbi Abenazar* in *Epistola ad Judæos Africanos* nititur probare per textum Sacræ Scripturæ, quòd Moyses non vidit Deum per essentiam: hoc idem probat *Rabbi Moyses de Ægypto* in suo *Lumine Dubiorum*, *part.* 2. & ambo isti moventur C propter hoc quod Deus respondit Moysi *Exod.* 33. *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet.* Unde ibidem patet, quod absolutè Deus negavit Moysi visionem suæ essentiæ. Sed dicit *Rabbi Moyses*, quod Deus bene concessit Moysi notitiam omnium creaturarum, cum dixit ipsi: *Ego ostendam tibi omne bonum*, id est, naturam & principium omnium creaturarum; quia omnia quæ fecit Deus, erant valdè bona secundùm naturas suas, *Gen.* 1. Hoc idem probat *Beatus Augustin.* 2. *de Trinitat. cap.* 17. & 18. ubi disputat hanc materiam. Unde volens concordare illa duo, quæ videntur adinvicem contradicere: nam D primò dicitur, quòd *Moyses loquebatur Deo, & Deus Moysi facie ad faciem, sicut solet loqui amicus ad amicum.* Et posteà in eodem *cap.* 33. quando Moyses petebat ut Deus ostenderet sibi faciem & gloriam suam, respondit Deus: *Faciem meam videre non poteris, &c.* Ista duo, quæ videntur contradicere, concordat *Augustin.* distinguendo de facie Dei: quia ibi *facies Dei* sumitur æquivocè, nam primò quando dicitur, quòd Deus loquebatur Moysi facie ad faciem, ibi per *faciem Dei* intelligitur ille Angelus, per quem Deus loquebatur familiariter ipsi Moysi, & per quem notificabat E ipsi voluntatem & secreta sua: nam in Scriptura per faciem notitia designatur secundùm *Gregor. sup. Ezechiel.* Unde quia omnes Angeli sunt nuntii & ministri Dei, ideo sicut *Gabriel* dicitur fortitudo Dei, eò quòd annuntiavit fortitudinem Dei ipsi *Danieli*, & *Raphael* dicitur medicina Dei, eò quòd tulit medicinam ipsi *Tobiæ*: ita ille Angelus qui familiariter notificabat secreta Dei ipsi Moysi, dicebatur *facies Dei*: & sic Deus dicebatur loqui facie ad faciem ipsi Moysi per ipsum Angelum. Et ita Apostolus *ad Hebræos* 1. dicit, quòd *Lex data est Moysi per Angelos.* Et *Beatus Stephanus Act.* 6. dicit, quòd *Angelus Dei loquebatur Moysi per substantiam mediam*; & hoc idem dicit Rabbi Moyses & omnes Hebræi. Sed posF teà quando Deus dixit Moysi in eodem cap. *faciem meam videre non poteris*: tunc ibi per faciem intelligitur *ipsa Divina essentia* in sua gloria, cujus visio fuit negata ipsi Moysi, ut ibi inquit *Augustinus.* Et sic determinat Augustin. ibidem, scilicet, *secundo de Trinitate cap.* 18. quòd Moyses non vidit Deum per essentiam.

Sed quid dicendum est ad eundem *Augustin.* qui 12. *sup. Gen. ad litteram*, & in libello *devidendo Deum* ad *Paulinam* per longam disputationem & inquisitionem videtur determinare, quòd *Moyses* & etiam *Paulus* vidit Deum per essentiam. Et movetur *Augustin.* per hoc quod Deus dixit de Moyse, *Numer.* 12. *Palàm loquar ei, & non per ænigmata & figuras videt Deum:* G & sic dicit *Augustin.* quòd vidit Deum in essentia sua. Ex quibus videtur *Augustinum* contradicere sibi ipsi. Ad hoc autem dicunt quidam, quòd *Augustinus* in libro *sup. Gen.* & *ad Paulinam* non loquitur determinativè de ista materia, sed disputativè; sed in 2. *de Trinit.* loquitur determinativè, quòd Moyses non vidit Deum per essentiam. Sed hoc non videtur satisfacere: nam ibi *sup. Genes.* manifestè probat Augustinus, quòd non solum *Moyses* Doctor Judæorum, sed nec etiam *Paulus* Doctor Christianorum vidit Deum per essentiam: & ideo ne tantus Doctor videatur manere in contradictione, est dicendum, quòd sicut *Exod.* 33. æquivocatur de facie Dei: ita Augustinus æquivocat H de visione Divinæ essentiæ.

Nam de Divina essentia duplex visio potest haberi, secundumquòd Deus duobus modis potest ostendere suam essentiam: uno modo à priori per lumen gloriæ beatificum, secundumquòd beati primò per lumen gloriæ vident Divinam essentiam visione matutina. Et exinde vident in verbo idealiter omnia creata: quia omnia apparent in illo Verbo Divino tamquam in arte & sua causa: & sic vident beati, qualiter Deus est principium

Nota, si Moyses viderit Deum.

Facies Dei multiplex.

Divinæ essentiæ duplex visio.

pium omnium in genere causæ formalis, & efficientis, & finalis: & talis visio procedens à Deo ad creaturas, dicitur essentialiter essentialis. Aliam visionem potest Deus communicare alicui de sua essentia *à posteriori*, procedendo, putà, à creaturis usque ad Divinam essentiam inclusivè. Exempli gratiâ. Nam punctus existens in medio circuli, invisibilis est de se oculo corporali: sed si trahantur lineæ à puncto centrico ad circunferentiam, tunc ille punctus fiet visibilis, in quantum est principium omnium illarum linearum. Et sic oculus per lineam venit ad visionem puncti, in quantum est principium ejus. Ita pariter est dicendum de Sole, qui est oculo nostro quasi invisibilis propter sui excellentiam; sed sequendo radios ejus, pervenimus ad visionem ejus, in quantum est fons, & principium omnium radiorum. Ita ergo pariter, cùm omnes creaturæ emanent à Verbo Divino sicut radii & lumen à Sole, & sicut lineæ à puncto centrico, ut inquit *Dionysius*. Deus potest communicare alicui viatori, elevando ejus intellectum per lumen supernaturale, ut procedendo per creaturas, perveniat usque ad visionem realem Divinæ essentiæ, in quantum ab ea omnes creaturæ emanant realiter, sicut lumen à Sole. Nam sicut linea emanat realiter à puncto, absque hoc quòd componatur ex punctis, & radii emanant realiter à Sole, absque hoc quòd trahant de ejus substantia: ita creaturæ realiter emanant à Verbo, absque hoc quòd sint de ejus substantia: nam sicut Sol communicat suam similitudinem per totum diaphanum, non communicando substantiam; ita Deus communicat similitudines suarum perfectionum & idæarum creaturis, absque communicatione suæ substantiæ, ut clariùs videbitur. Deus ergo isto modo potuit communicare ipsi *Moysi* realem visionem suæ essentiæ *à posteriori*, in quantum est principium & fons omnium creaturarum, & in quantum ex tempore per creationem ab eo procedunt & emanant. Quæ quidem visio licèt dicatur essentialis, in quantum attingit Divinam essentiam per illapsum & lumen supernaturale, & per raptum ab omnibus sensibus per modum terminantis: tamen non dicetur essentialiter essentialis, sicut illa visio beatifica & glorioſa, quam beati habent per modum moventis, per lumen gloriæ, *à priori*, & per modum permanentis. Sed talis visio fuit etiam multum inferior visione quam habuit *Paulus* in raptu, ut patebit *Psalmo* 67.

Sed quòd fuerit quasi necessarium, *Moysen* assecutum fuisse talem visionem Divinæ essentiæ, potest probabiliter deduci: nam Deus communicavit cuicumque Prophetæ donum prophetiæ, & scientiam, & virtutem secundum exigentiam suæ legationis. Sed quia tunc totus mundus laborabat in idololatria & cultu multorum Deorum, & in fœdis superstitionibus, & totus mundus putabat, mundum fuisse ab æterno: ideo Deus misit Moysen ad docendum, & prædicandum unum tantùm esse Deum substantialiter & essentialiter, & esse principium omnium rerum, à quo processerunt ex tempore omnia per creationem, & quomodo Deus omnia gubernat secundum suam providentiam. Et misit etiam illum ad educendum illum populum de illa captivitate, & introducendum ipsum in terram promissionis, prout promiserat *Abrahæ*, *Isaac*, & *Jacob*: & ut doceret illum populum colere unum Deum solum Creatorem, & separaret ipsum ab omni falsa superstitione.

Quomodò Moyses fuit Dei legatus.

Ad quam legationem perficiendam tria erant necessaria ipsi *Moysi*: primò clara notitia essentialis de substantia unius Dei: secundò notitia emanationis creaturarum ab uno principio, ut prædicaret, unum Deum solum Creatorem omnium rerum esse colendum & adorandum, & omnem superstitionem esse falsam. Tertiò erat sibi necessaria virtus faciendi miracula, ut populus crederet ipsum à Deo missum, & *Pharao* ex timore tantorum miraculorum & portentorum dimitteret populum. Et hæc fuit causa quare Deus voluit communicare *Moysi* visionem hujus Divinæ essentiæ, & virtutem faciendi miracula, & modum creationis mundi. Hæc autem visio non fuit dicta essentialiter essentialis: eò quòd non fuit *à priori* per gloriam, sed *à posteriori* ascendendo per creaturas usque ad attingentiam Divinæ essentiæ; & ideo non dicitur simpliciter essentialis: in qua quidem visione Divina essentia potius se habet *per modum terminantis* ad intellectum, quam *per modum moventis*. Et hoc potest haberi ex textu, ibidem *Exod.* 33. quando Deus dixit Moysi: *Ego ostendam tibi omne bonum*: id est, unde procedunt omnia bona creata. Item quando dixit: *Posteriora mea videbis, faciem autem meam non videbis*: id est, ostendam tibi visionem essentiæ *à posteriori* per creaturas, in quantum emanant ab uno principio: sed non ostendam tibi essentiam meam *à priori*: id est, lumen gloriæ, qualem visionem habent beati. Et sic ratione hujus visionis dicitur *Numer.* 12. quòd *Moyses vidit Deum palàm, & non per ænigmata, nec per figuras*: id est, vidit Deum realiter, non per imaginarias visiones, sicut *Isaias* & *Hieremias*: sed pervenit per creaturas usque ad Divinam essentiam, à quâ realiter emanant.

Sed ratione primæ visionis *à priori* essentialiter essentialis per gloriam, dicitur *Exod.* 33. *Faciem meam videre non poteris*: ita ergo pariter *Augustinus*, *secundo de Trinitate cap.* 18. asserit *Moysen* non vidisse Deum per essentiam, per visionem *à priori*: sed 12. *sup. Genes.* & *ad Paulinam* asserit, *Moysen* Deum vidisse per essentiam *à posterio-*

riori secundum exigentiam suæ legationis: *quia Moyses non habebat manifestare mundo gloriam beatorum, sed esse tantùm unum Creatorem, & omnium Conservatorem & Gubernatorem, cui soli adoratio & cultus* A *Latriæ debebatur.* Et sic patet, quomodo vidit Deum per essentiam, & quomodo non, & quomodo fuit sibi necessaria virtus faciendi miracula. Quando autem Moyses vidit Deum per essentiam, nescitur; sed creditur, quòd in secundo ascensu in montem. *Exod.*34.

Sed nunc restat videndum, utrum dato quod *Moyses* viderit Deum, seu Dominum (idem enim est in hac re *Deus* & *Dominus*) per essentiam modo prædicto, & habuerit virtutem faciendi miracula: *An ipse propter hoc dicatur major Propheta, quàm David?* Ad quod dicendum, quod ista stant simul: scilicet, quòd *Moyses* viderit Deum perfectiùs quàm *David*, & habuerit virtutem faciendi miracula: & tamen quòd *David* B fuerit excellentior Propheta quàm *Moyses:* quia aliud est esse *Videntem*, & aliud esse *Prophetam*: quia omnis Propheta est Videns, sed non è contrario: nam dictum est, quòd Propheta propriè dictus, est ille qui ex Divina revelatione dixit futura mysteria de Christo & Ecclesia.

Nota. *Si Moyses fuerit major Propheta quàm David.*

Unde stat multum bene, quòd *Moyses* viderit Divinam essentiam, eo modo quo dictum est: tamen in tali visione non est necesse, quòd viderit futura mysteria de Christo & Ecclesia: sed tantùm vidit substantialiter & essentialiter, quomodo Deus erat unus, & quomodo omnes creaturæ emanabant ab eo, tanquam à primo principio fontali. Et sic tantùm vidit ea, quæ pertinebant ad suam legationem. Et in tali visione non est inconveniens, quòd *Moyses* fuerit C dignior quàm *David:* quia ut sic *Moyses* non dictus est Propheta in illa visione: sed postea *Moyses* prævidit multa futura de illo populo, & etiam de Christo, per imaginarias visiones, & doctrinam Angelicam, ut patebit in Expositione illius Cantici, quod incipit: *Cantemus Domino*: & in illo altero, scilicet: *Audite Cœli, quæ loquor.* Sed in tali visione prophetica prævidit illa *David* & abundantiùs & distinctiùs, quàm *Moyses*, & cæteri, ut dictum est.

Et sic *David* dicitur eximius & excellentissimus omnium Prophetarum secundùm omnes Catholicos, ut dictum est. Unde sicut *Moysi* data est visio secundùm exigentiam suæ legationis: ita pariter ipsi *David:* nam articulus unius Dei, & articulus D creationis erat jam creditus in populo Israel; ideo non fuit necesse, ut *David* haberet visionem de illis, sicut habuit *Moyses*: sed quia *David* fuit missus ad liberandum populum Israel de manu *Philisthinorum*, & ad ampliandum Divinum cultum, & ad parandum materiam pro Templo ædificando: quæ omnia erant figura corporis Christi, & præsentis Ecclesiæ: & ideo fuit necesse, ut propheticè prævideret omnia mysteria de Christo & Ecclesia, figurata per illud Templum, & per cærimonias Divini E cultus; ut faceret Psalmos appropriatos, in quibus prædicerentur propheticè Divina mysteria Christi: quia fuit missus ad prædicendum, & prophetandum omnia mysteria nostræ redemptionis. Et ideo fuit ipsi communicatum excellentissimum lumen propheticum ad interpretandum totam Sacram Scripturam, & omnia gesta sua, & omnes promissiones, & descriptionem Templi ædificandi, ut de mysteriis Christi & Ecclesiæ, in illis quatuor objectis figuratis, conderet Psalmos: sed non fuit necesse ipsum habere virtutem faciendi miracula: quia hoc non exigebat sua legatio. Sed quia sua legatio exigebat donum prophetiæ ad interpretanda illa quatuor objecta: ideo datum fuit ipsi donum prophetiæ super omnes alios Pro- F phetas, per quod lumen & donum prophetiæ confecit centum quinquaginta Psalmos, qui propheticè cantabantur, in quibus clarè & distinctè prædixit illa decem mysteria, & decem chordas Psalterii Euangelici, scilicet, mysterium Trinitatis, & Incarnationis, & Prædicationis, & Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis Christi, &c. Et in hoc excessit & superavit *Moysen*, & omnes alios Prophetas. Et ideo ab omnibus Doctoribus, & à tota Ecclesia prædicatur eximius Prophetarum.

Sed contra totum fundamentum arguitur, & videtur, quòd *David nunquam fuit Interpres:* nam secundùm *Hieron. ad Desiderium* in Prologo *super Pentateuchum*; *aliud est esse Vatem, & aliud Interpretem. Nam ibi spiritus futura prædicit: hic au-* G *tem*, scilicet, Interpres verborum, *copid eruditus, ea quæ intelligit transfert.* Si David fuit Propheta; ergo non Interpres. Item si David interpretatus est totam Legem, & omnia gesta sua, & promissiones, & descriptionem Templi sibi traditam: ergo non fuerunt necessarii Apostoli, & Sancti Doctores ad interpretandas scripturas Veteris Testamenti.

Differentia inter Vatem, & Interpretem.

Ad primum est dicendum, quòd duplex est interpretatio: una dicitur, *ex una lingua in aliam facta traductio;* & ista dicitur *Interpretatio linguarum:* altera dicitur *alicujus obscuri & ænigmatici sermonis facta declaratio*; & ista dicitur *Interpretatio sermonum.* Primo modo dicit *Hieronymus*, quòd *aliud est esse Interpretem, &* H *aliud Vatem.* Sed secundo modo non solum Apostoli, & Doctores, & omnes glossatores, sed etiam omnes Prophetæ dicuntur Interpretes; eò quia intellexerunt & interpretati sunt in lumine prophetico ænigmaticas visiones, & obscura mysteria Sacræ Scripturæ. Et isto modo etiam *Angeli* dicuntur Interpretes inter Deum & homines. *Christus* dicitur medius *Interpres* inter

ter Deum Patrem & Ecclesiam, *quia quæcumque audivit à Patre, nota fecit nobis. Joan.* 15. Et sic *Angelus Gabriel* interpretatus est *Danieli* mysterium septuaginta hebdomadarum. Et sic non solum *David*, sed & *Daniel* vocatur Interpres, eò quòd interpretatus est verba *Hieremiæ*, de septuaginta annis captivitatis Babylonicæ: etiam quia interpretatus est somnia *Nabuchodonosor*, & ipsius *Balthasar*, & somnia sua propria, ut patet per totum discursum *Danielis*. Et sic etiam *Virgilius in sexto* appellat *Sibyllam* Vatem & Interpretem, eò quod interpretabatur responsa Apollinis, cum dicit: A

—Magnam cui mentem, animumque
Delius inspirat Vates, aperitque futura.

Et sic patet *David* fuisse Interpretem propheticum Sacræ Scripturæ.

Ad secundum dicitur, quod tàm David, & omnes Prophetæ, quàm Apostoli dicuntur Interpretes, sed aliter & aliter, & altero & altero lumine: nam David & Prophetæ interpretati sunt scripturam, & illas ænigmaticas visiones propheticè de futuro: sed Apostoli & Doctores interpretati sunt, easdem esse jam in Christo completas de præterito; & hoc in lumine Euangelico. Et ideo interpretatio Apostolorum & Doctorum fuit multùm perfectior, & distinctior, & manifestior: quia fuit simul annuntiatio veritatis, & interpretatio, ut patet per totum discursum Euangelicum, & Actuum Apostolorum. Ex supradictis patet, *David* fuisse verum Interpretem, & eximium Prophetarum omnium. Et hæc sint dicta de tota quæstione in toto secundo Tractatu intenta; sed restat nunc respondendum ad argumenta facta in principio quæstionis. B C

Ad primum quando dicunt Judæi, quod *David* non est Propheta, eò quòd non fuit missus à Deo ad aliquem Regem, nec populum, sicut *Moyses* & cæteri Prophetæ: respondetur quod hoc est falsum; immò fuit electus & missus à Deo ad regendum, & liberandum, & ampliandum illum populum & Regnum, & pascendum ipsum, ut patet 1. *Regum* 16. & 2. *Reg.* 5. cui dixit Dominus: *Tu pasces populum Israel: & eris dux super Israel.* Item *cap.* 7. *Ego te tuli de pascuis sequentem gregem, ut esses dux super populum meum Israel.* Item misit eum ad ampliandum & ordinandum Divinum cultum, & tradidit ipsi exemplar, & descriptionem Templi, & dedit illi lumen propheticum, ut intelligeret omnia, quæ erant figurata in exemplari; ut ex illis mysteriis propheticis posset condere Psalmos. D

Ad secundum est dicendum, quòd licèt promissio æternitatis Regni David fuerit primò revelata ipsi *Nathan*, ut ipsam manifestaret ipsi *David*: tamen meliùs intellexit *David* illam promissionem per successum temporis in lumine prophetico, quàm *Nathan*: immò *Nathan* intellexit in principio illam promissionem de Regno temporali, & de *Salomone*: sed *David* in lumine prophetico intellexit posteà ipsam de Christo, & ejus Regno æterno. E

Ad tertium dicendum, quod *Beatus Hieronymus in Prologo* allegato recitat solùm divisionem, quam Doctores Hebræorum sui temporis fecerunt de Sacra Scriptura. Et sic secundùm opinionem eorum ponit *David* inter *Agiographa*; sed posteà in omnibus scriptis suis appellat *David* eximium Prophetam, secundùm opinionem suam, & totius Ecclesiæ.

Ad quartum dicitur, quod licèt *David* non viderit Deum per essentiam, nec fecerit miracula, sicut *Moyses*: tamen fuit major Propheta, in quantum clariùs intellexit mysteria Sacræ Scripturæ in lumine prophetico, quàm *Moyses*: quia *Moyses* in illa momentanea visione non fuit Propheta de futuro, sed solùm vidit unitatem substantialem unius Dei, & emanationem omnium creaturarum ab illo principio: quæ quidem visio data fuit ipsi, ut scriberet creationem mundi, & unitatem unius Dei cum certitudine, ad annuntiandum illi populo: & per eamdem rationem data est ei virtus faciendi miracula, ut *Pharao* dimitteret illum populum, & populus crederet *Moysen* fuisse missum à Deo, ut dictum est. Unde in his *Moyses* fuit major, quàm *David*, ut dictum est: sed hoc accidit Prophetæ, quòd faciat miracula, & videat Deum per essentiam; sed proprium cuique Prophetæ est, ut prævideat futura mysteria de Christo & Ecclesia in lumine prophetico: & in hoc *David* superexcessit *Moysen*, & omnes Prophetas: quia magis clarè & distinctè prædixit mysterium Incarnationis, & omnia mysteria nostræ redemptionis, quàm Moyses, & cæteri Prophetæ: in tantùm, quòd in quibusdam Psalmis magis videtur texere historiam quàm prophetiam, & magis videtur Euangelista, quàm Propheta, ut patebit exponendo Psalmos. Et maximè in *Psalm.* 21. & 68. & 71. Et hæc de secundo Tractatu. F G



TRAC-

TRACTATUS TERTIUS.

Nota. *De intelligentia Prophetiæ David.*

QUANTUM ad *tertium Tractatum de intelligentia Prophetiæ David*, erunt duo Capitula. Nam in primo præmittentur quædam *principia*, sine quibus nulla pars Sacræ Scripturæ potest intelligi. In secundo assignabuntur decem regulæ, quæ magnam partem conferunt ad exponendam totam Sacram Scripturam utriusque Testamenti. A

PRIMUM CAPITULUM.

QUANTUM ergo ad primum est primò notandum, quòd postquam tota Sacra Scriptura Veteris Testamenti dicitur *propositio*, sive *propositiones*, quæ aperiuntur in hoc libro, ex quibus inferuntur *Conclusiones Propheticæ* de Christo & Ecclesia, & etiam *Morales* & *Anagogicæ*, ut dictum est: & quælibet scientia habet sua propria principia, quæ dicuntur *communes animi conceptiones*, per quæ principia probantur, & ad quæ reducuntur omnia probata in illa scientia; & in quorum virtute eliciuntur omnes Conclusiones illius scientiæ, ut patet 1. *Posteriorum*: ideo in scientia hujus libri Psalmorum, & etiam in tota *Theologia viatoris*, quæ est tota Sacra Scriptura, sunt assignanda aliqua formalia principia, ex quibus dependet tota notitia & scientia hujus libri, & totius Scripturæ, eò quòd tota Sacra Scriptura continetur in hoc libro Psalmorum, ut dictum est, & magis patebit. Quibus principiis ignoratis, impossibile est intelligere ea, quæ continentur in hoc libro; & quibus notis, noscuntur omnia in hoc libro contenta: & ideo dicuntur *principia* intelligendi Sacram Scripturam. B C

Nota bene de principio

Item est iterum advertendum, quòd sicut *in Metaphysica* est unum principium communissimum omnibus scientiis, & una maxima propositio, quam necesse est quemlibet docendum habere, scilicet, *de quolibet esse, vel non esse*, ut patet 1. *Posteriorum*, & 4. *Metaph.* Ita in tota *Theologia viatoris* est unum communissimum principium, quod præsupponitur in tota Sacra Scriptura utriusque Testamenti, & in qualibet ejus parte: scilicet, quod tota Sacra Scriptura utriusque Testamenti est ab ipso Deo tradita & revelata, & per Spiritum Sanctum inspirata: & ideo nullo modo potest mentiri. Hoc primum principium proponit *Beatus Petrus* in sua *Canonica secunda*, *cap.* 1. dicens: *Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Hoc idem communissimum principium magis declarat *Apostolus Paulus ad Hebræos in principio*, præsupponens ipsum tanquam primum, dicens: *Multifarie, multisque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.* In quibus verbis asserit, quòd idem Deus, qui locutus est Patribus in Prophetis in Veteri Testamento, ille idem locutus est nobis in Filio, sive per Filium in novo Testamento. Ex quo patet, quòd tota Scriptura utriusque Testamenti est à Deo tradita & revelata, & per consequens non potest mentiri, nec falli. Et hoc est *primum principium* & communissima *propositio*, quam necesse est quemlibet fidelem, & quemlibet docendum habere in tota *Theologia viatoris*. Hoc idem principium præsupponit *Augustinus*, & docet præsupponendum in *primo de Doctrina Christiana*, enumerans omnes libros Sacri Canonis, de quibus nullum est dubium, esse nobis à Deo traditos, quibus omnimodam fidem dicit esse adhibendam in primis: *Et in quibus quæritur veritas intemerata & inconcussa: & charitas Dei & proximi, & tota salus nostra, & redemptio.* D E F

Nota. *Quomodo locutus est Deus, &c.*

Secundum principium est, quòd in Divinis est una substantia, & unum esse, & una essentia tribus Personis Divinis relativis communicata. Et sic est unus solus Deus trinus in Personis, & unus in substantia, scilicet, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: quæ multiplicatio Personarum fit, quia Pater ab æterno communicat Filio totam substantiam, & esse, & essentiam Divinam, quam ipse habet; & hoc per æternam generationem: & ambo eamdem substantiam communicant Spiritui Sancto per spirationem. Et sic manet unus solus Deus per unam substantiam & essentiam, & tres Personæ multiplicatæ per tres relationes, & duas emanationes. Hoc principium docet *Augustinus primo de Doctrina Christiana*, omni docendo in Sacra Scriptura esse præsupponendum. Unde quia *Ariani* carebant hoc principio, ideo inciderunt in nefandam blasphemiam legendo Sacras Scripturas, separantes Divinas Personas in substantia. Ideo dicit *August.* 3. *de Doctrina Christiana*, quòd *necesse est nobis præsupponere fidem Trinitatis ad intelligendas Sacras Scripturas novi, ac veteris Testamenti.* G

Secundum.

Tertium principium est, quòd Verbum Divinum, qui est Filius Patris, secunda Persona in Trinitate, assumpsit veram carnem humanam ex Virgine Maria simul cum anima rationali ibidem creata: & per consequens assumpsit veram humanitatem in unitate suppositi, in qua pro nobis posset pati; ita quòd Christus est verus Deus & homo, constans ex duabus integris naturis in una Per- H

Tertium

Persona. Et sic de Christo verificantur, quæ sunt Dei, & quæ sunt hominis. Nam ista est vera: *Iste homo creavit mundum.* Et ista: *Deus passus est*, demonstrando Christum. Et sic est verum, quòd iste homo dedit legem Moysi, & eduxit populum de Ægypto, ut patet in *Canonica Judæ, cap. unico*, & hoc ratione unitatis Personæ, quia eadem est Persona.

Quartum. Quartum principium, quòd sicut Verbum Divinum assumpsit illam carnem, & humanam naturam in unitate Personæ, ut in illa patereturr, quæ quidem Persona dicitur unus Christus, Deus & homo: ita pariter ille Christus assumpsit, & univit, & desponsavit sibi totam Ecclesiam & unitatem Fidelium in unitatem corporis mystici, ut pro illa pateretur: ita quòd Christus & Ecclesia dicitur unus homo mysticus, & unus Christus mysticus, cujus caput est Christus verus: & corpus, sive membra, dicitur tota Ecclesia Fidelium, quæ per Fidem & Baptismum est isti capiti unita & desponsata: & sic Christus dicitur Sponsus & Caput Ecclesiæ. Unde est advertendum, quòd duo homines sunt capita & principia totius generis humani: unus, scilicet, primus *Adam*, fuit causa omnis peccati, & miseriæ, & omnis mali: & alter, scilicet, *Christus*, fuit causa omnis boni, & omnis gratiæ. Nam sicut ille ex illo peccato omnes interfecit & vænundedit, & captivitati, & morti, & miseriæ subjecit: ita Christus ex suis meritis omnes à prædictis malis liberavit. Itaque sicut primus homo fuit destructor, & dissipator totius generis humani per suum peccatum, & inobedientiam: ita Christus propter suam obedientiam, & meritum, fuit Liberator, & Redemptor, & Restaurator totius generis humani: nec ab alio potuit genus humanum liberari, nisi à solo Christo *Mediatore Dei & hominum.*

Nota.

Item sicut *Christus* est caput totius Ecclesiæ, & corporis mystici, à quo formaliter descendunt omnia genera gratiarum, & meritorum in omnia membra sua: ita est subjectum pœnarum, & punitionis, & justificationis omnium nostrorum peccatorum: quia *Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum: & languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, &c. quo ad pœnam, *Isai.* 53. in quantum in eo fuerunt punita omnia peccata nostra: & in eo fuimus omnes *& consepulti, crucifixi, & mortui*, ad *Rom.* 6. Immò Deus Pater fecit ipsum Christum *pro nobis peccatum*, id est, sacrificium pro peccato, 2. *ad Corinth.* 5. & sic patet, quòd Christus non solùm est caput nostrum quoad vivificanda & movenda sua membra per gratiam & merita: sed est subjectum nostrorum omnium peccatorum quoad punitionem, & pœnam, & justificationem. Et isto modo Christus omnia peccata nostra dicit esse sua in multis Psalmis, & hoc quoad pœnam, ut in procedendo patebit. Nam non solùm post peccatum Adæ, sed ab æterno Deus Pater proposuit, non per alium, sed solis meritis Passionis, & oratione Christi filii sui genus humanum restaurari: ut quod Adam perdidit, Christus recuperaret. Hanc propositionem & principium probat *Apostolus* per totum discursum *ad Roman.* 3. Unde dicit, quòd *omnes in Adam peccaverunt, & egent gratia Dei*; & quòd non potest nobis à Patre gratia provenire nisi per Christum, *quem proposuit propitiatorem pro omnibus, & mediatorem.* Et 1. *ad Corinth.* 15. dicitur, quòd *sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Et sic peccatum Adæ fuit causa adventus Christi in carne.

Christus caput nostrum.

Quintum. Quintum principium est, quòd Christus est finis & veritas Legis *ad justitiam omni credenti. Ad Rom.* 10. Et per consequens Lex nihil aliud est, nisi via in Christum. Item Lex nihil aliud est, nisi signum veritatis complendæ in Christo: quia tota Lex & Prophetæ fuit verificata in Christo. Et per consequens, sicut Christus fuit finis, ita fuit veritas Legis: quia *Lex per Moysen data est: gratia autem & veritas per Christum facta est, Joan.* 1. Ad cujus intellectum est notandum secundùm *Augustin.* in libello *Cur Deus homo*, quòd *postquam Deus decrevit à principio hominem perditum non redimere nec liberare, nisi per Christum Filium suum, Deum, & hominem: ideo illicò ejiciens ipsum de illo terrestri paradiso, dedit ipsi legem naturæ, per quam tenderet in Christum Redemptorem suum de Virgine nasciturum. Et hoc fecit Deus, ut Adam non propter instantem miseriam desperaret: sed propter Christum sibi de sua carne promissum, jam de suo, suæque posteritatis remedio de longinquo gauderet. Et sic ab Adam, & sua posteritate Fidelium, semper Domini præstolabatur adventus.* Unde dicit, quòd *Deus Adam ex cive fecit peregrinum, mittens ipsum cum tota sua posteritate ad Christum, ut ab eo redimeretur.*

Sed ista Lex continuè accepit aliquam perfectionem, & augmentum, ad majorem ejus explicationem, ut patet per totum discursum veteris Testamenti. Nam in *Noe* cepit quædam sacrificia & præcepta. Et in *Abraham* cepit circuncisionem. Et in *Moyse* præcepta moralia, & cærimonialia, & judicialia. Ex quo patet, quòd Lex vetus nihil aliud fuit, nisi *via* in Christum, tanquam in terminum & finem, in quo perfecit cursum, & officium suum: & nihil aliud fuit, nisi signum veritatis completæ in Christo. Item secundò patet, quòd Lex vetus non erat gratiâ sui, sed gratiâ Christi futuri, cujus erat via. Probatur. Nam via & cursus non agitur gratiâ sui, sed gratiâ termini, & finis ad quem tendit: quia signum non est gratiâ sui, sed gratiâ significatæ veritatis.

Nota. *Quomodò tota Lex est de Christo intelligenda.*

Tertiò sequitur, quòd tota Lex, & quælibet pars sui, est principaliter intelligenda & glossanda de Christo & Ecclesia. Probatur: quia tota Lex vetus, & quælibet pars sui, erat signum, & figura, & prænuntiatio A de Christo & Ecclesia, ut inquit *August. contra Faustum*, & lib. *de Catechizandis rudibus*: ergo principaliter est intelligenda de Christo & Ecclesia, cujus erat via, & & cujus erat signum, & figura, & officium. Quartò sequitur, quòd omnes Patres, & Fideles veteris Testamenti tendebant in Christum, ut in eo acciperent repromissiones: & per consequens magis salvati sunt per Fidem Christi, quàm per opera Legis: quia non exercebant opera Legis, nisi protestando Fidem Christi futuri.

Secundò est notandum, quòd sicut Deus remisit *Adam*, & omnes Fideles veteris Testamenti ad Christum, ut ab eo redimerentur in primo adventu: ita Christus remisit suos ad secundum adventum, ut ab B eodem glorificarentur. Nam sicut per primum adventum promissa est Fidelibus per Christum redemptio: ita nobis jam redemptis promissa est per eumdem Christum in secundo adventu gloria, & beatificatio: jam enim redempti tendimus in Christum, ut glorificemur, *expectamus enim eum à nuptiis reversurum*, ut patet per totum discursum Euangelicum. Ex quo patet, quòd utraque Lex est *via* in Christum, & Christus est *finis* utriusque Legis, scilicet, veteris, ut Redemptor, & novæ Legis, ut Glorificator, & Beatificator: & sic utraque Lex est de Christo. Ideo dicit *Cassiodorus* & *Hugo*, quòd Christus ut Christus est *objectum* & *subjectum* totius nostræ Theologiæ, & Sacræ Scripturæ. Unde dicit *Augustinus* C *super Joannem*, quòd *qui in tota Sacra Scriptura, & in qualibet ejus parte non intelligit Christum, nihil intelligit.*

Sextum. Sextum principium est, quòd Christus Deus & homo non solùm est caput, & sponsus Ecclesiæ, & finis utriusque Legis; sed etiam est *Mediator Dei & hominum*: 1. *ad Timoth.*2. Et ratio est: nam postquam Christus tenet medium inter Deum & homines, in quantum homo; oportet etiam, quod sit Mediator in omnibus. Nam licèt in quantum Deus sit æqualis Patri; tamen est minor secundùm humanitatem. Et in quantum homo, est major & melior omni homine, tùm ratione naturalis excellentiæ, & unionis ad Verbum; tùm quia *inter omnes mortuos liber* in natura, & persona; tùm quia D *plenus gratiæ & veritatis.* Ex quo patet, quòd tenet medium inter Deum & homines, & per consequens in omnibus debet esse medius.

Christus septem modis dicitur mediator. Ad cujus evidentiam est notandum, quòd Christus septem modis est *mediator* & *medius* inter Deum & homines. Nam primò *medius* est propitiator, & intercessor, & reconciliator inter nos & Patrem, *ad Rom.* 3. & 5. Secundò est *medius* sidejussor: quia pro omnibus soluit peccatum, & se obtulit *hostiam Deo placentem*, E *ad Rom.* 15. Tertiò fuit *medius* Interpres: quia nobis interpretatus est totam Legem, & Prophetas, sicut promissum fuerat Moysi, *Deuteron.* 18. *Prophetam suscitabo de medio fratrum tuorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos quæcumque dixero illi*; & hoc implevit Christus *Matth.*5. exponendo Legem. Item *Lucæ* 24. *incipiens à Moyse & Prophetis, interpretabatur duobus Discipulis omnia, quæ de ipso scripta erant.* Unde *Joannes vidit* (*Apocal.* 5.) *librum scriptum intus & foris, & sigillatum septem sigillis, quem nemo fuit dignus aperire, nec solvere septem signacula ejus, nisi solus Agnus qui occisus est*: ille enim *accepit librum de dextera sedentis, & soluit signacula ejus*, ut patet ibidem. Ille etiam liber est liber Legis & F Prophetarum *scriptus foris*, secundùm sensum litteralem; & *scriptus intus*, secundùm sensum spiritualem & propheticum, continens sub septem sigillis septem mysteria profundissima de Christo & Ecclesia, scilicet, mysterium Incarnationis, & Prædicationis, & Passionis, & Resurrectionis, Spiritus Sancti missionis, & Gentilium conversionis, & ultimæ Glorificationis. Hæc septem mysteria in Lege veteri clausa, solus Christus nobis reseravit. Et ideo dixit *Joannis* 17. *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus.* Item hujus libri, & maximè libri Psalmorum, in quo tota Sacra Scriptura continetur, solus Christus habet Clavem David, *quæ aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Apoc.*2. Ex quo patet, quòd G solus Christus fuit verus Interpres Legis inter nos & Patrem.

Quartò Christus dicitur *medius* dispensator, & procurator, & distributor bonorum Patris: nam ipse distribuit nobis bona gratiarum, & sacramentorum, & finaliter bona gloriæ, ut patet *Matth.*20. Nam *Pater* dicet Christo procuratori & dispensatori suo: *Voca operarios, & redde illis mercedem de denario diurno.* Quintò dicitur *medius* ductor: *quia nemo venit ad Patrem nisi per Christum. Joann.*13. *nec potest introire ovile ovium, nisi per Christum*, qui est ostium ovilis. *Joann.*10. quia quos Pater ab æterno destinavit, hos Christus ex tempore vocavit, & justificavit, *ad Rom.* 8. H Sextò Christus est *medius* judex inter Deum & hominem: nam *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio Christo: quia Filius hominis est. Joann.*5. Septimò Christus est *medius* beatificator, & glorificator; & ratio est. Nam sicut est *medius* dispensator, & dator gratiarum: ita est medius dator præmiorum. Item sicut Deus per Christum vocavit, & justificavit quos ipse ab æterno prædestinavit: ita oportet ut per Christum justificatos glorificet, & beatificet,

&

& magnificet. Ex quibus omnibus patet, quòd Christus in omnibus est *mediator Dei & hominum*: quia est *medius* intercessor, & fidejussor, & interpretator, & dispensator, & ductor, & judex, & beatificator: quod A est sextum generale principium, quod necesse est quemlibet docendum habere in *Theologia*, sine quo Sacra Scriptura nullo modo potest intelligi.

Septimum principium est: quod sicut *Christus* est *caput Ecclesiæ*, & omnium Fidelium, à quo derivatur omnis virtus & gratia in omnia membra sua: ita *diabolus* est *caput & principium* omnium malorum, & omnium infidelium, & obstinatorum, & perfidorum hominum: & omnes infideles & obstinati sunt membra diaboli, à quo provenit eis persuasivè omnis iniquitas & malitia. Unde sicut ex Christo & Ecclesia Fidelium constituitur unum corpus mysticum, tamquam ex capite & membris justorum: ita ex diabolo & ecclesia, sive synagoga Satanæ & obstinatorum, componitur unum corpus diabolicum. Et sic quando- B que diabolus dicitur *homo* (*Matth.*13.) *inimicus homo hoc fecit*: & *malus homo* etiam diabolus (*Joann.*6.) *unus vestrum diabolus est*: quia etiam communicantur in eis idiomata, sicut in corpore Christi mystico. Et etiam mali homines dicuntur *filii diaboli*. *Joannis* 8. *Vos ex patre diabolo estis.*

Secundum Capitulum.

Quantum ad secundum Capitulum hujus tertii Tractatus est advertendum: quòd sicut liber Sacræ Scripturæ veteris Testamenti dicitur *propositio*, sive *propositiones*, ex quibus eliciuntur & inferuntur Conclusiones Euangelicæ, ut dictum est in primo Tractatu: ita pariter dicitur C *liber scriptus intus & foris*, *signatus septem sigillis*, sub quibus latent, & clauduntur septem principalia mysteria Euangelica novi Testamenti, scripta intus, id est, sub istis septem sigillis: scilicet, mysterium Trinitatis, Incarnationis, & Prædicationis Christi, & Passionis, & Resurrectionis, & Legis Euangelicæ publicationis, & ultimi Judicii, & nostræ glorificationis: hæc enim mysteria erant sigillata in veteri Testamento sub signis, & figuris, & vaticiniis in libro Legis scripto *intus*, *& foris*: & maximè latebant in libro Psalmorum, in quo tota Lex & Prophetæ continentur: quem librum *nemo fuit dignus aperire*, *nec solvere septem signacula ejus*, *nisi solus* Christus, *Agnus qui occisus est*, ut patet *Apocal.*5. D eò quòd ipse solus Christus habet Clavem David, *qui aperit & nemo claudit*, *& claudit & nemo aperit*. *Apocal.* 2. quam quidem Clavem Christus communicavit Apostolis & Discipulis in die Pentecostes, conferendo dona Spiritus Sancti: & communicavit *Beato* etiam *Augustino*, & cæteris Sacris Doctoribus, ad aperienda mysteria Sacræ Scripturæ.

Christus dicitur liber scriptus.

Et ideo sicut fuerunt necessaria septem principia assignata in *primo Capitulo* hujus Tractatus ad probandas propositiones Sacræ E Scripturæ veteris Testamenti: ita pariter oportet assignari aliquas Claves, ad aperiendum librum Sacræ Scripturæ *scriptum intus & foris*, & ad solvenda *septem signacula ejus*, & ad detegenda septem mysteria Euangelica in eo clausa. Et ideo *Thiconius Donatista*, post ejus correctionem, conatus est assignare *septem Regulas*, quas *Claves* vocavit, ad aperiendas omnes Scripturas, ut narrat *Augustinus* 3. *de Doctrina Christiana*, quas Regulas correxit *Augustinus*, ostendens in multis deficere, & in multis superfluere. Et ideo ex intentione & doctrina *Augustini* in libris *de Doctrina Christiana*, & in plerisque locis, assignabimus decem Regulas, quæ magnam partem conferent ad intelligendas Sacras F Scripturas, & maximè mysteria clausa in libro Psalmorum: quorum prima erit *de persona & essentia*: secunda *de Christo Deo & homine*: tertia *de Christo capite & ejus corpore mystico*: quarta *de natura & gratia*: quinta *de spiritu & littera*: sexta *de sensu verborum in quo fiunt*: septima *de unitate Legis & corporis mystici*: octava *de diabolo & ejus corpore*: nona *de specie & genere*, sive *de toto & parte*: decima erit *de tropis & figuris grammaticalibus.*

PRIMA CLAVIS.

Prima ergo regula est *de essentia & persona*. Nam cum Deus sit trinus & unus, ut dictum est in secundo principio, & una Persona distinguatur ab alia realiter, G ut inter se opponuntur; sed ut comparantur ad Divinam essentiam, sunt una substantia, & unus Deus: ideo opera Trinitatis *ad extra* sunt indivisa: quia tunc Persona non agit ut relativa Persona, sed ut Deus & essentia. Et sic talia opera dicuntur *essentialia*: quia omnes tres Personæ concurrunt, putà, ad creandum & miserendum. Sed Persona cùm agit *ad intra* comparata ad aliam, tunc agit ut Persona, & tunc distinguitur ab alia: ut *generare* convenit soli *Patri*, & *generari* soli *Filio*, & *spirare* convenit utrique; *spirari* verò convenit soli *Spiritui Sancto*. Et ideo est valdè attendendum in legendis, & exponendis Sacris Scripturis, quando est *actus essentialis*, & *quando personalis*. Unde quando dicitur *in* H *principio Geneseos*: *In principio creavit Deus Cœlum & terram*, ly *Deus* stat *essentialiter*: eò quòd *creare* est actus *essentialis*. Et sic convenit toti Trinitati in quantum Deus. Item quando dicitur *Exod.*3. *Ego sum Deus Abraham*, *Deus Isaac*, *&c.* ly *Deus* stat *essentialiter*. Sed quando dicitur *Psalmo* 2. *Dominus dixit ad me*, *Filius meus es tu*, *ego*

Nota: De Persona & essentia Divina.

hodie genui te : ly *Deus* stat *personaliter:* quia pro persona Patris tantùm, eò quòd *dicere* & *generare*, est *actus personalis*, & notio ipsius Patris. Et ly *ad me*, stat pro persona Filii, ad quam loquitur Pater *:* nam Patrem dicere ad Filium: *Filius meus es tu, &c.* nihil aliud est, nisi Patrem *dicendo*, Filium generare, ut magis ibidem patebit. Et per eamdem rationem *Psalmo* 109. cum dicitur: *Dixit Dominus Domino meo*; ly *Dominus* stat pro persona Patris, & ly *Domino*, pro persona Filii: quia opera Trinitatis sunt divisa *ad intra.* Item per eamdem rationem cùm dicitur *Psalmo* 44. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi*, ly *Deus* stat pro persona Filii, propter illud quòd sequitur: *Propterea unxit te Deus Deus tuus.* Nam ly *Deus* primò memoratus, est vocativi casus, & ponitur pro persona Filii, qui est unctus*:* & ly *Deus* in secundo loco, ponitur pro persona Patris, qui est ungens Filium: & sic memoratur *Deus Pater* ungens, & *Deus Filius* unctus, & ipsa *unctio*, quæ est *Spiritus Sanctus* ab utroque procedens. Quasi dicat: O Deus Fili, propterea Deus Pater tuus unxit te in æternum. Ex quo patet, quòd ly *Deus* utrobique stat personaliter, & non essentialiter. Item *Isaiæ* 48. cum dicitur: *Et nunc Dominus Deus meus misit me, & spiritus ejus* : ly *Dominus misit*, stat pro persona Patris, & ly *me* pro persona Filii, & ly *spiritus ejus* pro persona Spiritus Sancti: & sic exprimitur totum mysterium Personarum Divinarum. Item *Zachar.* 2. cùm dicitur: *Exulta filia Sion: quia ecce ego veniam, & habitabo in medio tui : & tunc cognosces, quod Dominus misit me, ut prædicarem tibi*; ly *Dominus* stat personaliter pro persona Patris mittentis, & ly *me* pro persona Filii missi: & sic in plerisque locis Sacræ Scripturæ exprimitur mysterium Divinarum Personarum. Sed Judæi cæci & obstinati, ignorantes, & non præsupponentes supradictum *secundum principium*, præcipitantur in diversas, & varias, & falsas expositiones. Item *Ariani* ignorantes supradictum principium, diviserunt substantiam Divinarum Personarum: & ideo fidelis, & prudens lector attendat tales locutiones, quando sunt *essentiales*, & quando *personales.*

SECUNDA CLAVIS.

Quomodò Christus est verus Deus.

SECUNDA regula est *de Christo Deo & homine*, sive de forma Dei, & forma servi in Christo. Unde cum Christus sit verus Deus & homo, scilicet, Deus in quantum habet naturam & formam Dei, & homo in quantum habet naturam, sive formam hominis in eadem Persona: ideo communicantur in eo idiomata, ut dictum est in *tertio & quarto principio*: & ideo debet advertere fidelis lector, quando Christus loquitur in forma Dei, & quando in forma hominis, & quando fit de eo locutio in quantum est homo, sive in quantum Deus. Nam multa verificantur de ipso in quantum homo tantùm, ut ibi: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Item ibi: *Resuscita me, & retribuam eis. Psalmo* 40. Et sic utrobique loquitur Christus in forma servi, & in quantum homo. Sed quandoque loquitur in forma Dei, & in quantum Deus; ut ibi: *Clarifica me Pater eâ claritate, quam habui antequam mundus fieret. Joan.*17. Item ibi: *Exivi à Patre, & veni in mundum. Joan.*14. Item ibi: *Antequam Abraham fieret, ego sum. Joan.* 8. Item multa verificantur de Christo ratione utriusque naturæ; ut ibi *: Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Psal.* 8. Item ibi: *Sede à dextris meis. Psal.* 109. Unde omnes tres modos comprehendit *Apostolus ad Phil.*2. Nam cum dicit*: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo :* hoc verificatur de Christo ut Deus. Sed posteà cum subdit: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, propterquòd Deus exaltavit illum*, hoc verificatur de Christo in quantum homo, quia in quantum homo se humiliavit usque ad mortem; & in quantum homo suscitavit Pater, & exaltavit illum. Sed totum illud quod sequitur: *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genuflectatur*, verificatur de Christo ratione utriusque: quia in quantum Deus & homo habet universale dominium & principatum, & simul adoratur, & conglorificatur humanitas cum Divinitate unâ *Latriâ* adoratione; quia una est Persona in duabus naturis, & è contra.

Nota.

Et sic prudenter advertat lector tales locutiones in Sacra Scriptura, quando fiunt & verificantur de Christo in forma servi. Unde *Arius* ignorans hoc principium, & hanc regulam, fuit turbatus & deceptus in illa locutione Christi, quando dixit: *Vado ad Patrem : quia Pater major me est. Joann.*14. Et sic asseruit *Arius*, quod Christus non erat consubstantialis Patri: unde nescivit distinguere quomodò Filius est æqualis Patri secundùm Divinitatem, & minor Patre secundùm humanitatem *;* & quomodò Filius loquebatur ibi in forma servi, & in quantum homo, & non in quantum Deus. Ideo advertat lector.



TER-

TERTIA CLAVIS.

De primo capite, & ejus corpore mystico.

TERTIA regula est *de Christo mystico*, scilicet, *de Christo capite, & ejus* A *corpore*, quæ est Ecclesia, quam Christus sibi univit per Fidem in unitate mystica, ut dictum est *in quarto principio*: unde tanta est unio Christi ad suam Ecclesiam, quam sibi univit per Fidem, & Charitatem, quòd totaliter voluit per Charitatem transformari in sua membra: in tantum quòd communicantur idiomata. Unde Christus quandoque se nominat peccatorem, & peccata membrorum dicit esse sua; non quòd ipse fuit formaliter peccator quantùm ad culpam, sed quantùm ad pœnam; quia pro suis membris peccatoribus pati voluit, & voluit in se assumere pœnam peccatorum membrorum suorum, & sic peccata membrorum suorum dicit esse sua, non quoad culpam, sed quoad pœnam, quam pro eis voluit pati, ut mem- B bra sua à morte & pœna perpetua liberaret. Et sic est advertendum, quomodo fiant tales locutiones in Sacra Scriptura: unde *Apostolus Paulus*, & *Augustinus* appellant unum Christum mysticum, totum aggregatum ex Christo capite, & totâ societate Fidelium membrorum. Et sic in toto isto corpore, sive Christo mystico, assignantur tres naturæ, scilicet, una Divina & æterna: altera humana, personaliter Verbo ex tempore unita; & altera peccatrix, & corrupta in *Adam*, quæ est Christo capiti mysticè unita: quæ quidem licèt non sit altera secundùm speciem ab humanitate Christi, tamen est altera secundùm conditionem; quia ista libera & immunis est ab omni peccato, non ex opere *Adam* traducta; illa autem in *Adam* corrupta & sauciata.

Et ideo est advertendum, quòd quan- C doque totus Christus mysticus introducitur ad loquendum in Psalmis: sed quandoque loquitur ratione naturæ Divinæ, quæ est in capite, ut ibi: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et quandoque loquitur ratione humanæ naturæ liberè & personaliter assumptæ, ut ibi: *Domine non est exaltatum cor meum*: & ibi: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam*; & ibi: *Vide si via iniquitatis in me est*: quia tales locutiones non possunt verificari nisi de Christo vero, pro humanitate personaliter assumpta sine macula, & sine peccato, de quo dicitur solus *inter mortuos liber*. Sed quando- que loquitur Christus in persona membro- D rum suorum, & ratione naturæ corruptæ in membris mysticè sibi unitis; ut ibi: *Longè à salute mea verba delictorum meorum*: & ibi: *Non est sanitas in carne mea à facie peccatorum meorum*; & ibi: *Delicta mea à te non sunt abscondita*: quæ quidem peccata dixit Christus esse sua, non quoad culpam, sed quoad pœnam. Igitur *Christus caput* non ibi loquitur in persona sui, nec pro naturâ personaliter assumpta; sed in persona membrorum, & pro naturâ eorum corruptâ. Quæ quidem membra assumpsit E Christus in unitate mystica per Fidem & Charitatem, ut dictum est. Ideo talis Charitas cogit sic loqui Christum pro membris suis. Ideo prudenter advertat fidelis lector tales locutiones in tota Scriptura, maximè in libro Psalmorum, ubi magis frequentantur. Unde quia cæci & obstinati Judæi ignorant hoc principium, & hanc regulam, ideo incidunt in præcipitia irremediabilia. Nam qui hoc principio caret, impossibile est ut possit attingere intelligentiam libri Psalmorum.

QUARTA CLAVIS.

Nota. De corruptione, & gratia.

QUARTA regula est *de natura & gratia*. Nam dictum est *in quinto prin-* F *cipio*, quòd tota natura humana fuit corrupta in *Adam*, sicut probat *Augustinus* in libro *de Natura & Gratia*, & *de Perfectione Justitiæ hominis & hypognosticon*, per omnes quatuor responsiones, & in omnibus libris, quos fecit *contra Pelagianos*, in quibus disputat, & probat, quòd taliter fuit tota natura humana, sive caro in *Adam* corrupta & sauciata fomite peccati, quòd nullus homo ex tali naturâ vitiatâ à primis parentibus per libidinosam generationem traductâ potest vitare peccatum, nec potest facere bonum, nec implere Divina præcepta, nisi talis natura sic corrupta per gratiam Christi sanetur. Unde dicit ibi, & in *Homilia de Publicano & Pharisæo*, quòd *nullum est peccatum quod fecit homo, quod non faciat alter homo, nisi juvetur à Deo,* G *à quo factus est homo.* Hoc idem dicit libro *de Nuptiis*. Hoc enim fundamentum sumit *Augustinus* ab Apostolo *ad Romanos* 7. ubi dicit Apostolus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ: & quod nolo hoc facio, &c. quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et respondet dicens: *Gratia Christi.* Et sic dicit *Apostolus*, quòd nos participamus duos homines, scilicet, *primum Adam*, & *Christum*: quia ab illo traximus naturam corruptam, & omne malum, & peccatum; & à solo Christo omnem gratiam.

Unde dicit *Apostolus* 1. *ad Corinth.* 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Et ideo dicit *Augustinus* in locis supra allegatis, H quòd *aliter est loquendum de natura humana corrupta in Adam, derelictâ in seipsa: & aliter est loquendum de eadem humana natura, prout est adjuta per gratiam Christi in quolibet homine. Nam nullus homo derelictus in sua natura corruptâ sine gratiâ Christi potest vitare peccatum, nec facere bonum, nisi juvetur per gratiam Christi.* Quod non est intelligendum absolutè & præ-

præcisè de gratia gratum faciente. Nam multotiens aliquis peccator existens in uno peccato, scilicet in adulterio, vel simplici fornicatione, vitat aliquod peccatum, scilicet homicidium, aut furtum, & non habet gratiam gratificantem: sed hoc non potest facere sine aliqua gratia specialiter A gratis data, ut in suis locis dicetur.

Et ideo dicit *Augustinus*, quòd aliquæ propositiones, sive locutiones verificantur in Sacra Scriptura de homine secundum naturam corruptam, quæ non sunt vere de persona adjuta per gratiam Christi; nam illa est vera secundum *Apostolum*: *Omnes declinaverunt, inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum.* Sed hoc est intelligendum secundum naturam corruptam & vitiatam, in quantum sunt filii Adam, & ab eo habent naturam vitiatam, nisi juventur per gratiam. Sed illa non absolutè est vera: quia multi adjuti per gratiam Christi, sicut *Virgo Maria*, & *Joannes Baptista*, & *Sanctus Nicolaus*, & multi Sancti, non commiserunt illa crimina & scelera, quæ in illo *Psal.* 13. scribuntur, scilicet, *Sepulchrum patens est guttur eorum:* quia non fuerunt B mendaces, nec blasphemi, nec homicidæ, & ideo additur ibi: *Dominus respexit* super filios Adam, sive *super filios hominum*, ad denotandum, quòd omnes homines in quantum sunt filii Adam, & filii hominum, habent hujusmodi vitiatam naturam: sed cum hoc stat, quod hujusmodi possunt præservari, & liberari per Christum à tali pestе. Et ideo concluditur in fine *Psal. Quis dabit in Sion salutare Israel*? Quasi dicat: *Quis potest hominem liberare à talibus criminibus*? Respondet, quòd Christus faciet hoc, *cum averterit captivitatem, &c.*

Et ideo dicit *August.* quòd homo ratione naturæ corruptæ dicitur impulsus: *eversus sum ut caderem*: sed ratione naturæ per C gratiam adjutæ dicitur: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*? Et ista est vera: *Per naturam omnes in Adam peccaverunt*: quia omnes in eo *venundati sunt peccato:* quia omnes filios naturales suo peccato obligavit. Sed ista est vera: *Per gratiam in Christo omnes vivificabuntur.* Et ideo est advertendum, quòd quædam vocales locutiones sunt intelligendæ per notam sufficientiæ; ut ista: *Omnes in Christo vivificabuntur*, id est, quòd Passio Christi fuit sufficiens salvare omnes, nisi qui obstinatus resistat. Et sic sunt intelligendæ similes locutiones. Ex supradicto fundamento probat *August.* lib. *de Natura & Gratia*, & 2. *de Bapt. parvulor.* quòd *solus Christus est liber à peccato per naturam:* D *cæteri autem sunt obnoxii peccato per naturam corruptam: sed omnes possunt liberari per gratiam Christi prævenientem, aut subvenientem, &c.*

Nota.

Est tamen advertendum, quòd humana natura tripliciter potest sumi in Scriptura: uno modo pro ipsâ essentiâ, & natura specificâ. Secundò pro ipsa sola carne traducta successione ex primis parentibus per libidinosam generationem. Tertiò modo pro totâ descendentiâ & generatione omnium hominum descendentium ab Adam primo E homine per naturalem generationem. Primo modo natura humana respicit Verbum Divinum, & idæam, ad cujus similitudinem est producta: & sic dicitur *valdè bona*, *Gen.* 1. Secundo autem, & tertio modo, dicitur natura humana *corrupta in Adam.* Nam primi parentes transtulerunt in filios carnem libidinosam ex peccato, in qua erat peccatum seminaliter, & materialiter, sicut ignis in silice, & mors in arsenico venenoso: quæ quidem caro, sic morbida morbo concupiscentiæ per solum consortium, creat peccatum originale in anima, & per consensum deliberatum creat actuale in voluntate.

Humana natura tripliciter capitur.

QUINTA CLAVIS.

F QUINTA regula, sive clavis ad aperiendum librum Sacræ Scripturæ *scriptum intus & foris*, & *sigillatum septem sigillis*, est *regula de spiritu & littera:* de qua fecit *Augustinus* specialem librum, quæ quidem regula, quia est necessaria toti Sacræ Scripturæ, & cuilibet ejus parti; ideo non potest esse brevis.

Nota. *De spiritu & littera.*

Et ideo sunt notandæ quædam doctrinæ ad ejus explicationem. Quarum prima est *Augustini* in primo *de Doctrina Christiana:* & adducitur à *Magistro lib.* 1. *di.* 1. pro fundamento totius sui operis, scilicet, quod in hoc differt *Sacra Doctrina Theologica* ab omnibus scientiis humanis: nam omnis scientia humana, vel est rerum, vel G signorum tantùm; sed sacra doctrina est rerum, & signorum simul; verbi gratia, scientiæ rationales, sicut est *Grammatica & Logica*, sunt signorum tantùm: nam *Grammatica* considerat nomina, & verba, & cæteras partes orationis, prout sunt tantum signa: quia tantum considerat hoc nomen *homo*, prout est communis generis, & habet duas syllabas, primam brevem, & aliam indifferentem; & prout significat substantiam à quâ actus verbi egreditur; & prout simul cum verbo facit orationem perfectam: & quomodo ista oratio, *homo est animal*, est oratio congrua, quia convenit nomen cum verbo in numero, & in persona, & in debita rectitudine. *Logicus* autem considerat eandem orationem, prout potest esse propositio præmissa cum alia ad inferendam H conclusionem, & prout cum alia propositione potest formare syllogismum. Ex quo patet, quòd istæ duæ scientiæ sunt signorum tantùm: & ideo dicuntur rationales. Sed scientiæ reales sunt rerum tantùm: nam *Physica* considerat hominem significatum per hoc nomen, in quantum *homo* habet for-

Theologia quomodò differt ab aliis scientiis.

formam in materia, & componitur ex anima rationali, & corpore physico organico, &c. Et sic est dicendum de *Mathematica*, quæ considerat formalis præter materiam sensibilem. Et de *Metaphysica*, quæ considerat essentias rerum præter omnem motum. A

Ex quo patet, quòd omnis *doctrina humana*, vel est rerum tantùm, vel signorum tantùm. Sed *doctrina theologica*, scilicet, Sacra Scriptura, maximè veteris Testamenti, est simul rerum, & signorum: & ponit exemplum *Augustinus* de illo ligno, quod *Moyses* intinxit in aquis *Marath*, & dulcoravit eas, cum essent amarissimæ, & reddidit eas potabiles filiis Israel, qui tribus diebus ambulaverant per solitudinem; non invenientes aquam, ut patet *Exodi* 15. Per quod lignum significabatur, & figurabatur humanitas Christi, seu Lignum Crucis. Nam cum totum genus humanum ambulasset per solitudinem hujus mundi tribus diebus, scilicet, in *Lege naturæ*, in *Lege Moysi*, non B reperit *aquam* salutarem gratiæ. Et sic sitiens pervenit ad Christum in tertio die mundi. Christus autem intinxit humanitatem, & carnem suam in aqua Jordanis per baptismum, per cujus contactum præbuit virtutem regenerativam aquis baptismalibus, & removit omnem amaritudinem peccati ab anima nostra, & refecit Fideles per aquas baptismales, dulcoratas per contactum carnis Christi, & per intinctionem Ligni Crucis: quia non fit baptismus sine signo Crucis, & invocatione Sanctæ Trinitatis.

Inductio notanda de Christi Cruce, & Baptismo.

Ex quibus patet secundùm *Augustin.* quòd Theologus Fidelis dupliciter considerat illud lignum, & illud mysterium dulcorationis aquarum *Marath*. Primò prout fuit quædam res realiter gesta. Secundò prout C illud lignum, & illa dulcoratio fuit signum & figura Christi, & Sacramenti Baptismi: quia Theologus Fidelis, & verus Christianus non considerat illud lignum, nec illud mysterium per se tantùm, sed prout fuit figura, & signum Christi, & baptismi Christi. Et iste modus considerationis est servandus à Theologo, & omni Christiano in tota scriptura veteris Testamenti: nam non solùm considerat creationem mundi præcisè materialiter propter se, sed prout fuit signum & figura recreationis Ecclesiæ, per Christum faciendæ, ut patebit *Psalmo* 104.

De diluvio, & aliis signis.

Item non considerat diluvium præcisè per se, sed prout per *Noe* figurabatur Christus, qui erat fabricaturus aream Ecclesiæ, in qua omnes Fideles erant per Christum D salvandi à diluvio, & morte peccati, ut patebit *Psalm.*34. Et sic considerat sacrificium *Abrahæ*, in quantum figurabat sacrificium Christi. Et sic considerat ipsum *Jacob* patrem duodecim Patriarcharum, in quantum figurabat Christum, qui erat regeneraturus duodecim Apostolos, per quos erat multiplicandus totus populus Christianus per totum orbem. Et sic considerat *Moysen* educentem Israel de Ægypto, & dantem legem; & ducentem illum populum per desertum, in quantum figurabat Christum, qui E eduxit totum genus humanum de miserabili servitute diaboli, & de tenebris peccatorum.

Item considerat *Josue* introducentem illum populum in terram promissam per aquam Jordanis super duodecim lapides, in quantum figurabat Christum, qui introduxit Fideles in Ecclesiam istam per aquam baptismi, & per duodecim Articulos Fidei, ut patebit *Psalm.*67. Item considerat ipsum *David*, qui post multas persecutiones fuit sublimatus in Regnum, in quantum figurabat Christum, qui post labores, & mortem, & passionem, & resurrectionem accepit potestatem à Patre super omnes creaturas. Item considerat *Salomonem*; qui ædificavit Templum, & fuit ita sapiens, quod *Regina* F *Sabba* venit à finibus terræ audire sapientiam ejus, ut patet 3. *Reg.* 10. & hoc in quantum figurabat Christum, qui ædificavit Ecclesiam toto orbe diffusam. Ad cujus sapientiam, & Legem Euangelicam suscipiendam venit totus populus Gentilis, non solùm ab Austro, sed ab Oriente, Occidente, & Aquilone.

Unde quod illud mysterium *Salomonis* & *Reginæ Austri* non sit intelligendum præcisè litteraliter de Salomone & illa Regina, sed in quantum fuit signum Christi & Ecclesiæ, patet *Matth.*12. Nam cùm Scribæ & Pharisæi peterent à Christo signum de Cœlo, respondit eis dicens: *Generatio adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ; nam sicut Jonas fuit tribus diebus, & tribus* G *noctibus in ventre ceti: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus: & ecce plusquam Jonas hic.* Item *Regina Austri venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plusquam Salomon hic, &c.* Ex dictis Salvatoris patet, quòd mysterium *Jonæ Prophetæ* non solùm est intelligendum litteraliter pro illa historia, sed prout fuit signum & figura sepulturæ, & resurrectionis Christi: & quod mysterium *Reginæ Austri* non solùm est intelligendum pro illa historia, sed principaliter prout fuit signum & figura, qualiter tota Gentilitas erat ventura ad Fidem Christi, & Legem Euangelicam. Item sequitur secundò, quòd omnia gesta veteris Testamenti non erant gratiâ sui, sed gratiâ Chris- H ti & Ecclesiæ, in quantum erant omnia verificanda de Christo, propter quem gerebantur. Et sic principaliter sunt intelligenda de Christo, per hoc quod ait Christus, *ecce plusquam Jonas, & plusquam Salomon hic.*

Ex quo vult innuere Salvator: quod ipse est *verus Salomon*, & *verus Jonas*: quia

illa

illa mysteria per ampliùs & perfectiùs fuerunt impleta in Christo, quàm in eis. Et quia tàm *Salomon*, quàm *Jonas* ordinabantur ad Christum, sicut figura ad figuratum & veritatem: & sic est dicendum, quòd A Christus fuit *verus Adam*, & *verus Abel*, & *verus Noe*, & *Abraham*, & *Isaac*, & *Jacob*, & *Moyses*, & *Josue*, & *David*, & *Salomon*, &c. quia omnes illi sortiti sunt talia nomina, in quantum fuerunt figura Christi juxta nominis interpretationem. Et ideo talia nomina analogicè dicuntur de Christo & illis, sicut *homo pictus* non est verus homo, sed signum & figura veri hominis. Et sic Christus dicitur *verus David*, & *verus Salomon* in tota Scriptura. Ex quibus omnibus patet, quòd omnia gesta veteris Testamenti principaliter sunt intelligenda de Christo, cujus sunt signum & figuræ.

Ex quibus omnibus concluditur, quòd præter sensum litteralem est quærendus principaliter sensus spiritualis de Christo & Ecclesia, per quem intelliguntur omnia Divina mysteria de Christo & Ecclesia, quæ B erant clausa & sigillata in gestis veteris Testamenti. Et ideo omnia gesta & legalia veteris Testamenti erant quædam sacramenta: quia erant signa sacrarum rerum futurarum in Christo & Ecclesia: quia in tantùm dicebatur Sacra Scriptura, in quantùm continebat illa sacramenta. Et ideo dicit *Origenes sup. Matth.* quòd *sicut homo componitur ex corpore & anima: ita scriptura veteris Testamenti componitur ex spiritu & littera: quia littera est corpus: sensus autem spiritualis est anima ipsius litteræ.* Et sic sensus spiritualis est principaliter inquirendus in gestis Patriarcharum, & in Lege & Prophetis: & ideo dixit Christus Judæis, *Joan.5. scrutamini scripturas: quia illæ testimonium perhibent de me: & si Moysi crederetis, forsitan & mihi crederetis, quia ille de me scripsit.* Quasi dicat: quòd non solùm C gesta Patriarcharum, sed etiam omnia cærimonialia præter sensum litteralem sunt spiritualiter de me intelligenda. Item *Lucæ* 24. *Christus incipiens à Moyse & Prophetis, interpretabatur illis duobus Discipulis omnia, quæ de ipso scripta erant: quia oportebat impleri omnia, quæ erant scripta in Lege, & Prophetis, & Psalmis de ipso*, ut Salvator inquit in eodem capite. Et sic præter sensum litteralem principaliter est quærendus sensus spiritualis de Christo in scriptura veteris Testamenti, ad quem sensum spiritualem Christus interpretatus est totam Legem & Prophetas illis duobus Discipulis. Item *Matth.5.* ait Salvator *non veni solvere Legem aut Prophetas, sed adimplere:* super quod ait *Hieronymus*, quòd *quæ minima putantur in Lege, sacramentis plena sunt, & omnia recapitulantur in Euangelio, &c.* D

Quomodò promissiones, & vaticinia Prophetarum sunt de Christo intelligenda.

Secundò est notandum pro secunda doctrina, quòd licet omnia gesta & facta veteris Testamenti sint intelligenda ad duplicem sensum, sicut dictum est in præcedenti doctrina: tamen omnes promissiones Patriarcharum, & omnia vaticinia & pro- E phetiæ Prophetarum sunt intelligenda litteraliter de Christo & Ecclesia: eò quòd omnia litteraliter fuerunt in eo impleta: nam litteraliter fuit impleta in Christo illa promissio Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes. Gen.22.* & illa promissio facta ipsi *Judæ Gen. 49. non auferetur sceptrum de Juda, &c.* Item illa prophetia *Isai. 7. Ecce Virgo concipiet*; & illa: *Egredietur virga de radice Jesse*; & sic de singulis. Et sic patet, quòd omnia promissa Patriarcharum, & vaticinia Prophetarum sunt intelligenda litteraliter de Christo & Ecclesia.

Sed est valdè advertendum, quòd sicut Patriarchæ habuerunt duplicem spiritum in suis promissionibus, & Prophetæ locuti sunt in duplici spiritu in suis vaticiniis: ita illa promissa, & vaticinia fuerunt dupliciter im- F pleta ad litteram: & per consequens sunt dupliciter ad litteram intelligenda. Exempli gratiâ. Nam Abraham in illa promissione sibi facta *Gen.12.* scilicet: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas Cœli, & sicut arenam, quæ est in littore maris, &c.* prævidit in spiritu, qualiter filii carnis debebant multiplicari sicut arena maris, & possidere temporaliter illam materialem terram promissam, scilicet, terram Palestinæ: sed filii promissionis, & spiritûs debebant multiplicari sicut stellæ Cœli, & possidere terram viventium æternalem; quæ quidem promissio litteraliter impleta fuit: nam filii carnis, scilicet, *Judæi* possederunt illam terram usque ad Christum: *Saraceni*, qui sunt etiam filii Abrahæ, sunt multiplicati sicut arena maris, & possident illam terram *Chanaam*: sed Christiani, qui sunt filii promissionis ip- G sius *Abrahæ* secundum spiritum, sunt *benedicti in semine Abrahæ*, scilicet, in Christo, & possident terram viventium, figuratam per illam terram materialem, quam possederunt filii carnis. Item tota illa promissio *Gen.* 49. quando dicit Jacob: *Juda, te laudabunt fratres tui, &c.* partim fuit litteraliter, & materialiter impleta in David, qui obtinuit sceptrum Regni: sed totaliter & perfectiùs fuit impleta in Christo. Item promissio facta ipsi David de successione Regni in filio, 2. *Reg.7.* partim, & imperfectè, & temporaliter fuit impleta in *Salomone*: sed perfectè & æternaliter fuit impleta in Christo, de Regno æterno. Item prophetia *Isai.* 45. de *Cyro*, qui debebat relaxare captivitatem, & reædificare Civitatem *Hierusa-* H *lem*, materialiter fuit impleta per *Cyrum* Regem Persarum, qui relaxavit illam temporalem captivitatem, & dedit licentiam reædificandi Civitatem materialem, & Templum: sed per ampliùs & perfectiùs fuit impleta in Christo, qui relaxavit captivitatem

to-

totius generis humani, & ædificavit Ecclesiam toto orbe diffusam, quæ dicitur *vera Hierusalem*. Et sic illa prophetia est intelligenda materialiter de *Cyro* Rege Persarum: A sed litteraliter & finaliter est intelligenda de Christo, figurato per *Cyrum*. Et hoc accidit: nam *Isaias*, & cæteri Prophetæ in simplici spiritu prævidebant futuros eventus materiales & temporales illius populi, & Templi, & Civitatis: sed postea magis elevati in duplici spiritu prophetico, prævidebant, qualiter illa gesta temporalia & materialia futura, erant figura Christi & Ecclesiæ. Et tunc habentes sensum spiritualem ex illis gestis materialibus, litteraliter prophetabant, & prædicebant futura mysteria de Christo & Ecclesia.

Sic ergo pariter *David* eximius Prophetarum contemplando totam Legem *Moysi*, & *Josue*, & *Judicum*, & contemplando B omnes promissiones factas Patriarchis; & contemplando promissionem sibi factam de Regno filii sui; & contemplando omnes persecutiones, & prosperitates suas; & contemplando etiam descriptionem Templi, à Spiritu Sancto sibi traditam: tunc in duplici spiritu, & lumine prophetico percipiebat in illis sensum spiritualem ultra litteralem: & sic prævidebat mysteria futura de Christo & Ecclesia: & sic accepto & percepto sensu spirituali illorum mysteriorum, accipiebat *parabolam*, seu *propositionem* ex gestis veteris Testamenti, inferendo mysteria prophetice futura. Et sic condebat litteraliter Psalmos de Christo & Ecclesia. Et sic omnes Psalmi, & omnia vaticinia Prophetarum sunt litteraliter intelligenda de Christo & C Ecclesia.

Sed miseri Judæi non intelligentes nec percipientes hunc *duplicem spiritum prophetiæ*, quem habuit David & omnes alii Prophetæ: ideo putantes, quod omnes Prophetæ locuti sint in spiritu simplici, præcisè de rebus temporalibus & materialibus: inde est, quod omnia dicta Prophetarum intelligunt de illa Hierusalem, & Templo, & terra materiali: & de illa *captivitate Babyloniæ*, vel de ista, in qua modò sunt, de qua frustra expectant liberari per *falsum Messiam* quem expectant.

Tertiò est notandum, quòd non solùm in scriptura veteris Testamenti, sed etiam in scriptura Euangelica, & in omnibus gestis, & dictis Christi, ultra sensum litteralem, D est quærendus sensus spiritualis: eò quòd omnia facta & dicta Christi sunt maximè sacramenta: quia sunt signa visibilia & sensibilia alicujus rei sacræ, ideò quod sub aliqua forma sensibili continebant aliquam rem sacram invisibilem. Unde quod omnia gesta & facta Christi sint quædam profunda sacramenta, in quibus præter sensum litteralem sit quærendus sensus spiritualis de rebus occultis: ostendit *Augustinus* per totum discursum *super Joannem*, & maximè

Quomodò sensus spiritualis est quærendus in Scriptura

homilia de Miraculo quinque panum. Joan. 6. ubi ait, quòd *miracula quæ fecit Christus sunt quædam Divina opera: & ad* E *intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem.* Et infra: *Interrogemus ipsa miracula quid nobis loquantur de Christo: habent enim si intelligantur, linguam suam: hoc enim miraculum, sicut audivimus quam magnum sit, quæramus quam profundum sit, & non tantùm in ejus superficie delectemur, sed etiam altitudinem perscrutemur: habet enim aliquid intùs quòd miremur foris, &c.* Ex quibus verbis *Augustini* patet, quòd in omnibus gestis & factis Christi debemus perscrutari sacramentum, quod latet sub superficie litteræ.

Et ideo *August.* quærens sensum spiritualem illius miraculi, ostendit, qualiter F illi quinque panes ordeacei significabant quinque libros *Moysi*, quos Christus fregit, & in multas partes divisit; ex quibus extorsit quasi infinitas veritates Euangelicas, quas collegit in duodecim cophinis, ex quibus Christus satiavit omnes fideles. Et ita pariter *Augustinus* extorsit sensum spiritualem de miraculo sex hydriarum aquæ, quam Christus convertit in vinum. *Joann.* 2. Et sic patet, qualiter omnia gesta & facta Christi sunt quædam sacramenta multò magis quam gesta & sacramenta veteris Legis: nam illa erant tantùm sacræ rei signum, in quantum significabant futura mysteria Christi & Ecclesiæ: sed non continebant de præsenti illam rem sacram, quam significabant de futuro; sed omnia gesta & facta Christi G non solùm significabant gratiam invisibilem, immò in præsenti continebant, & efficiebant gratiam quam significabant.

Unde sanatio corporalis cæci nati significabat sanationem animæ ejusdem à peccato, quam Christus de præsenti in eo effecit. Et hoc idem significabat sanatio infirmi existentis in probatica piscina. Ideo dixit ei: *Vade, amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat.* Hoc idem patet de paraliticis, & omnibus quos sanavit: quia nullum sanavit in corpore, quin sanaret in anima: & ita pariter omnes quos Christus resuscitavit visibiliter à morte corporali, resuscitavit etiam à morte spirituali peccati. Unde etiam non solùm gesta Christi, quæ fecit erga alios, fuerunt sacramenta continentia in se aliquod profundum & H invisibile mysterium: sed omnia, quæ facta sunt in se, fuerunt quædam maxima sacramenta invisibilia. Nam quando Christus fuit visibiliter mortuus in Cruce, tunc etiam cum eo fuerunt crucifixa & mortua omnia legalia, & tota Lex & Prophetæ: eò quòd ipse erat finis & terminus Legis: ideo omnia finierunt officium, & cursum suum in ejus morte & passione. Ideo antequam redderet spiritum Patri, videns quod omnia legalia & vaticinia Prophetarum erant in

De quinque panibus.

De sex hydriis.

De cæco, & aliis infirmis.

Nota. Quomodò gesta Christi sunt sacramenta.

se completa, dixit: *Consummatum est*, in quorum signum *velum Templi scissum est*, *&c.*

Item Christus visibiliter fuit sepultus; sed tota Lex cum eo fuit invisibiliter sepulta simul cum *Pascha* & *Sabbato*: sed quando Christus resurrexit, non resurrexit cum mortalitate, & pœnalitatibus, nec cum Pascha, & Sabbato: sed relictis omnibus illis in sepulchro, surrexit ad novam vitam gloriosam simul cum *die Dominica*, & cum veritate Euangelica, ostendens omnia legalia manere mortua in sepulchro, & ampliùs numquam resurrectura: & ideo illa legalia non solùm fuerunt tunc mortua æternaliter, sed etiam sunt mortifera omnibus observantibus ea post publicationem Euangelii, ut inquit *Augustinus*. Item non solùm gesta & facta Christi sunt sacramenta continentia & facientia aliquod invisibile præter id quod videbatur (de quibus est semper quærendus sensus spiritualis) sed etiam dicta Christi erant maxima sacramenta, non solùm continentia, & significantia secreta præsentia, sed etiam præterita, & futura: unde in illa parabola de illo, qui descendens ab *Hierusalem in Hierico incidit in latrones*, *&c.* ibi significat Christus omnia mala, quæ traxit *Adam* ex peccato cum tota sua posteritate peregrinante usque ad Christum: & quomodo Christus reperit ipsum hominem sauciatum, & quomodo erat ipsum sanaturus per mortem & passionem, &c. Et sic patet, quomodo omnia gesta, & facta, & dicta Christi sunt sacramenta: & quomodo non solùm septem Sacramenta Ecclesiastica, quæ continuè exercemus in Ecclesia, continent & efficiunt quod significant; sed etiam omnia gesta & facta Christis continebant, & efficiebant quod significabant. Et ideo erant magis sacramenta, quam omnia gesta & legalia veteris Testamenti: & per consequens ultra sensum litteralem magis est quærendus sensus spiritualis in istis, quàm in illis.

Nota. Sed est advertendum, quod omnia gesta, & dicta Christi Euangelica simul sunt veritates & sacramenta: sunt enim veritates respectu veteris Legis completæ in Christo; sed sunt sacramenta, in quantum continent altissima & profunda secreta, & continent gratiam in præsenti, & immediatè significant futuram gloriam; & in quantum sub se continent sensum Moralem & Anagogicum. Differt ergo littera Legis à littera Euangelica: nam sub illa significabatur gratia futura nostræ redemptionis, quæ jam impleta est per Christum: sed sub littera Euangelica continetur gratia nostræ redemptionis in præsenti, & significatur glorificatio nostra futura. Cum ergo ista mysteria, quæ latent in littera, tàm Euangelica, quàm Legali, sint invisibilia; oportet ut illustrentur per lumen spirituale, ad hoc quod nobis fiant visibilia & nota. Unde in tantùm est necessarius litteræ iste spiritus, sive lumen spirituale, quòd dicit *Origenes*, quod *sicut anima dat vitam corpori, & corpus est mortuum, nisi vivificetur per animam: ita littera scripturæ, maximè veteris Testamenti, de se est mortua, nisi vivificetur per lumen spirituale, quod est ejus anima, & dat ei vitam spirituale.*

Quomodò littera occidit, & spiritus vivificat.

Item 2. *ad Corinth.* dicitur, quòd littera non solùm est mortua sine spiritu, immò occidit legentem, nisi legat eam cum spiritu: quia *littera occidit, spiritus autem vivificat.* Unde quia Judæi legunt totum Testamentum vetus sine isto spiritu & lumine; ideo occidit eos littera, & tanquam cæci offendunt in lapidem offensionis, & cadunt, & confringuntur. Item non solùm littera veteris Legis occidit sine spiritu, sed etiam littera Euangelica in quibusdam partibus occidit, nisi legatur cum spiritu. Unde *Arius* legendo sine spiritu illud *Joannis* 13. *Pater major me est*, *&c.* incidit in hæresim, & mortem æternam, dicens, Filium non esse Deum, nec consubstantialem Patri. Item Manichæus legens sine spirituali lumine dictum Salvatoris. *Joann.* 14. *Princeps mundi hujus ejicietur foras, & in me non habet quicquam*, dixit, diabolum esse creatorem & Deum hujus mundi sensibilis, & quod solus Deus verus creavit solas naturas invisibiles. Et sic posuit duas animas in homine: unam immortalem creatam à bono Deo, & alteram corporalem creatam à Principe tenebrarum, & à malo Deo, qui est diabolus. Et sic dixit quod Christus non erat homo in re, sed in sola apparentia, ne cogeretur dicere, corpus Christi esse creatum à diabolo. Et sic dixit multa alia detestabilia præsumens de suo sensu, volens legere litteram sine spiritu. Et sic est dicendum de omnibus aliis Hæreticis, quos occidit littera; eò quòd non legebant eam cum spiritu, & lumine spirituali. Et ideo dicit *August. contra Donatistas*, quòd *in eadem bona lege veteri Christiani sunt boni, & vivificantur, legentes eam cum spiritu; sed Judæi sunt mali, & cadunt, & occiduntur, legentes eam sine spiritu.* Et sic eodem modo in Lege Euangelica Catholici sunt boni, sed Hæretici sunt mali, & occiduntur, volentes, & præsumentes eam legere sine spiritu: quia spiritus est ille, qui vivificat litteram, sicut anima corpus. Unde est advertendum secundùm eumdem *Augustinum* in principio *super Genesim*, quòd sicut anima dat corpori triplicem vitam, scilicet, *vegetativam*, *sensitivam*, & *intellectivam*: ita spiritus dat litteræ triplicem sensum, scilicet, *Allegoricum* quoad fidem ad credendum, & *Moralem* ad diligendum Deum & proximum, & bene operandum; & *Anagogicum* ad sperandum cœlestia & æterna, & contemnendum mundana: & sic Sacra Scriptura utriusque Testa-

Nota.

tamenti potest legi ad istum triplicem sensum præter litteralem.

SEXTA CLAVIS.

Quomodò Sacra Scriptura est interpretanda.

SExta regula est *de sensu verborum, in quo fiunt, & quem faciunt.* Ad cujus A evidentiam est notandum, quòd multæ locutiones fiunt in Sacra Scriptura, maximè Euangelica, quæ videntur falsæ in sensu litterali quem faciunt, & generant in auribus carnalibus: tamen sunt veræ ad sensum, in quo, vel ad quem fiunt spiritualiter. Et ideo ista regula, licèt coincidat cum superiori, cùm possit in ea contineri: tamen melius est, ut de talibus locutionibus fiat regula particularis expressa, ut magis imprimatur in mente ipsius legentis, & audientis. Unde illa scriptura, & locutio, & oratio Christi *Matth.* 26. quando dixit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu: fiat voluntas tua*: ista, inquam, locutio unum sensum facit in auribus corporis, scilicet, quod Christus timuit in principio mortem, & de- B siderabat fugere mortem. Et sic rogabat Patrem, ut talem Passionem transferret, & mutaret sententiam suam: sed in alio instanti temporis, quia Christus vidit quod voluntas Patris erat, ut pateretur tale genus mortis; ideo subdit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu: fiat voluntas tua.* Sed iste talis sensus est falsus, propter multa inconvenientia quæ sequerentur.

Nota. De oratione Christi in Horto.

Nam primo sequeretur, quòd petitio Christi esset indiscreta: quia petebat illud quod jam erat impossibile, cum ipse sciret ab æterno, fuisse à Deo Patre decretum, ut sic fieret. Item sequeretur, quod Christus retractabat suum propositum, & promissum. Nam Christus jam statuerat, & promiserat mori, & pati tale genus Passionis, C prout ipse Apostolis paulò ante revelaverat, quando dixit: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur ad crucifigendum, & flagellandum.* Item sequeretur, quòd Christus pro illo instanti perdidisset charitatem, quam habebat erga genus humanum. Item sequeretur, quòd volebat pro illo instanti facere falsas scripturas, quæ de ipso erant: & omnia ista cedebant in maximum inconveniens secundùm talem sensum. Nam ipsemet dixerat, quòd *non venerat, nisi ad faciendam voluntatem Patris*: & *ad hoc natus erat, ut testimonium perhiberet veritati scripturarum: & quod unum jòta non præteriret à lege de eo scriptum.*

Et ideo est dicendum, quòd talis locu- D tio ad alium sensum facta est, scilicet, ut Christus notificaret nobis, qualiter erat verus homo, & habebat veram carnem mortalem, contra *Manichæos*: & quomodo Passio sua erat dolorosa & terribilis; quia aliter non fuisset ita meritoria. Et sic voluit ostendere veram humanitatem ultra Divinitatem. Et voluit distinguere in se duos appetitus: unum naturalem & sensitivum, qui horrebat & timebat mortem: & alium intellectivum, qui dicitur voluntas, quæ E semper fuit conformis voluntati Patris. Et sic etiam in Christo erant duæ voluntates, scilicet, humana, & Divina. Nam suam voluntatem humanam subjiciebat & conformabat Divinæ. Et sic talis oratio non est facta, nisi ad exprimendum utramque naturam, & ad exprimendum dolorem intolerabilem suæ Passionis. Est ergo talis sensus hujus orationis: O Pater, licèt caro mea & sensualitas horreat, & timeat tam crudelem mortem, & passionem, eò quòd omne ens appetit permanere, & omne animal, in quantum animal, devitet, & velit devitare mortem, & perniciem: tamen ego nolo conformare voluntatem meam carni meæ, nec sensualitati, sed volo conformare tuæ voluntati. Et sic ostendit, quòd voluntas sua simul tempore condolebat carni, & con- F formabatur Paternæ voluntati, prout latiùs videbitur *Psalmo* 20. & 21. quia ad hunc sensum dicitur illud: *Clamabo per diem, & non exaudies.* Ex quibus patet, quòd supradicta locutio non est facta ad sensum quem facit, sed *in quo fit.*

Item illa locutio *Matth.* 20. ubi dicitur, quòd qui laboraverant in vinea per totam diem, murmurabant adversus patremfamilias, eò quòd *laborantes per unam horam æquales eis feciſſet.* Et etiam illa verba filii obedientis, qui indignatus est adversus patrem, eò quòd filium prodigum cum gaudio ad pœnitentiam recepisset. *Lucæ* 15. non sunt talia verba exponenda ad sensum quem faciunt; quia ubi est summa charitas in illa cœlesti patria, invidere fas non est, cum unusquisque justus gaudeat de præmio G alterius: sed sunt intelligenda verba ad sensum in quo fiunt. Nam ibi Salvator in illis parabolis respondet tacitis quæstionibus, quæ ab omnibus carnalibus possent fieri. Nam in prima ostendit Christus, quòd passiones hujus mundi & labores non sunt condigni illo denario summæ beatitudinis. Ideo si eumdem *denarium* dat *primis* & *novissimis*, & è converso, nulli facit injuriam; quia ultra condignum utrisque præmium, & stipendium impendit: ideo utrique debent contentari, & gratias agere. In secunda verò parabola ostendit Christus, quomodo venia datur pœnitentibus ex summa Dei misericordia: & quomodo Deus neminem vult perire, quia pro omnibus passus est: ideo gaudet de pœnitentia peccatoris. Item H ostendit, quòd nullus ex propriis viribus resistit peccato, & agit bonum; sed solùm ex gratia Dei. Ideo ita, immò magis debet agere gratias justus, quàm peccator pœnitens: & sic justus debet gaudere, & congaudere de pœnitentia peccatoris.

Nota. De murmurantibus adversus patrem famil.

Nota. De filio prodigo.

Item illa verba *Job* 3. quando dixit:

Nota Job. *Pereat dies, &c.*

Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua conceptus est homo: non sunt intelligenda ad sensum quem faciunt : quia *Job* homo justus non malediceret creaturam Dei A sine magno peccato: sed intendit *Job* hunc sensum, scilicet, quòd peccatum originale, in quo concipitur unusquisque, est à Deo maledictum : & tale peccatum non est à Deo creatum. Ideo *non computatur in diebus, nec in mensibus anni*, nec inter creaturas Dei: quia non creavit Deus malum, nec peccatum, sed fuit à diabolo causatum, persuadendo primis parentibus. Et sic illud peccatum fuit causa mali, & ab illo peccato proveniunt nobis omnes infirmitates, & omnia mala.

Item loquitur etiam *Job* conditionaliter, quòd si homo non haberet aliquod præmium de suis laboribus, & de patientia sua post hanc vitam, sequeretur, quòd maledictus esset dies conceptionis, & nativi- B tatis omnium justorum, qui maximè vexantur persecutionibus, & infirmitatibus in hac vita. Et sic ad hos sensus sunt intelligenda verba *Job*. Item ad hunc etiam sensum sunt intelligenda verba *Hieremiæ* 20. quando dixit: *Maledicta dies, in qua natus sum, & dies, in qua peperit me mater mea*; quasi dicat: si tu Domine non retribuis præmium justis pro laboribus, & pœnam malis pro peccatis; ergo maledicta dies, in qua natus sum. Et sic magna pars Sacræ Scripturæ utriusque Testamenti est intelligenda ad sensum *in quo fit*, & non quem facit. Nam aures spirituales mentis suscipiunt sensum spiritualem & secretum : sed aures corporis non recipiunt nisi litteram: de quibus auribus spiritualibus dicit Salvator *Matth.* 13. *Qui habet aures audiendi*, id est, in- C telligendi, *audiat*, scilicet, spiritualiter, & non carnaliter, id est, intelligat sensum spiritualem, ad *quem*, & in *quo* verba spiritualia fiunt. Item *Joan.* 6. *verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Spiritus est qui vivificat : caro autem non prodest quicquam.* Et sic patet, quòd ista *sexta regula* partim continetur in præcedenti. Item ista propositio : *Crux adoratur*, non est intelligenda ad sensum quem facit; quia nulla creatura per se adoratur: sed est intelligenda ad sensum in *quo* fit, scilicet, *Christus crucifixus adoratur.*

SEPTIMA CLAVIS.

De unitate Legis, & Corporis mystici.

Septima regula est *de sæculis, sive de* D *ætatibus unius Legis & Ecclesiæ, & de peregrinatione hominis mystici per eam.* Ad cujus intellectum est notandum secundùm *August. Hypognosticon, responsione* 3. & in plerisque locis, quod sicut in utroque Testamento unus semper fuit Christus creditus : ita dicitur, quod una & eadem est Fides Patrum veteris Testamenti, & nostra: eò quòd unitas Fidei est ab unitate objecti crediti. Item sicut fuit semper una Fides Christi: ita fuit, & semper est una Lex in utroque Testamento; quia unitas Legis su- E mitur ab unitate Fidei: sicut ergo in utroque Testamento semper unus est Christus creditus, & una Lex : ita semper fuit *una Ecclesia*, & *una Civitas Dei*, & *unum Corpus mysticum* ab Adam usque ad judicium. Nam *Civitas* dicitur una, in quantum est concors hominum multitudo, unius Legis consensu sociata: sicut ergo unitas Civitatis sumitur ab unitate Legis, ita & unitas Ecclesiæ, & Corporis mystici sumitur ab unitate unius Legis, unius Fidei, & unius Capitis, id est, Christi crediti. Et sic in utroque Testamento est considerandum *unum Caput*, qui est Christus creditus, & *una Fides*, & *una Ecclesia*, sive *unum Corpus mysticum*, cujus Caput semper fuit, & semper est Christus.

Quid sit Civitas.

F Et ideo dicit *Gregorius homil. de Vinea*, quòd *ab Adam & Abel usque ad ultimum electum semper fuit una vinea, & una Ecclesia, cujus palmites & membra fuerunt omnes electi utriusque Testamenti.* Et sic *Adam* & *Abel* & *Abraham* jam erant membra Christi, & Cives hujus Civitatis. Nam licèt Christus nondum esset incarnatus; tamen jam erat Christus creditus: quia Fides est illa, quæ compaginat membra suo capiti. Et sic dicit *Augustinus*, quòd *tota Ecclesia fidelium est unus homo mysticus expulsus à Paradiso terrestri in Adam: quem hominem Deus remisit ad Christum, ut sanaretur ab eo.* Et sic iste mysticus homo peregrinatus est per Fidem in primo Testamento, usquequò pervenit ad Christum, in quo, & à quo accepit nobiscum repromissiones, ut G ait *Apostolus ad Hebræos* 11. quia omnes illi Patres veteris Testamenti non acceperunt repromissiones nisi nobiscum. Ex quo patet secundùm *Apostolum*, quòd una est Ecclesia, & una Fides Christi novi ac veteris Testamenti. Nam eadem Fides Christi, quæ salvat nos, salvavit & illos: quia quem nos credimus jam venisse, & quem recepimus, illum & eumdem Christum ipsi credebant, & expectabant futurum : & in tali Fide salvabantur, ut ait *August.* 2. *contra Adversarium Legis & Prophetarum*, & lib. *de Nuptiis*, & patet 3. *Sententiar. di.* 25.

Contra autem supradicta arguitur, & videtur, quòd Lex vetus & nova non sit una, immò altera, per hoc quod dicitur H *Hierem.* 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum, quod pepigi cum patribus eorum, cum apprehendi manus eorum, ut educerem eos de terra Ægypti.* Item *Baruch* 2. *statuam illis Testamentum alterum sempiternum.* Unde per hunc Textum probat Apostolus *ad Hebr.* 8. Legem novam esse alteram à veteri, & veterem jam præteriisse. Ad hoc

respondetur, quòd Legem novam & veterem esse unam, stat dupliciter: uno modo, unitate essentiali: alio modo, unitate accidentali.

Ad cujus intelligentiam est valdè advertendum, quòd in Lege Dei sunt considerandæ aliqua essentialia, & aliqua accidentalia. Unde ea quæ sunt de essentia unitatis Legis, sunt sex, scilicet, *unitas Legislatoris*, *unitas spiritus intelligentiæ*, sive *intellectus*, & *unitas veritatis*, *unitas Fidei & Spei*, *unitas termini communis*, & *unitas finis*. Accidentalia autem Legis sunt, *officia legalia*, scilicet, *ritus sacrificiorum, & oblationum sacrorum, & sacramentorum*, & universaliter *omnium legalium cærimoniarum*.

Nota.

Ista autem accidentalia, sive officialia fuerunt mutata, & abolita, & non semper fuerunt in eadem Lege: eò quòd *accidens potest adesse, vel abesse præter corruptionem subjecti*. Sed essentialia Legis semper manserunt una & eadem. Quod probatur. Nam semper fuit unus Legislator & Conditor utriusque Legis. Unde dicit *Augustinus contra Adversarium Legis & Prophetarum*, quòd *sicut unus est creator omnium præteritorum & futurorum: ita unus fuit, & est dator amborum Testamentorum*. Nam ille idem Deus, qui locutus est in veteri Testamento per ora Prophetarum, locutus est etiam in novo Testamento per carnem assumptam, & per proprium os, ut ait Apostolus *ad Hebræos* 1. *Multifariè multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio*. Et sic patet, quòd idem Deus est conditor utriusque Testamenti.

Item sicut fuit *unus Legislator*, ita fuit *unus & idem spiritus*: quia idem spiritus qui illuminavit mentes Patriarcharum & Prophetarum, illuminavit etiam Apostolos, & omnes Christianos. Probatur: quia idem ille spiritus qui fecit Patriarchas prævidere futura mysteria de Christo & Ecclesia, illemet fecit Apostolos cognoscere illa mysteria esse de Christo prophetata: & ideo Apostoli, & Euangelistæ, & Doctores allegant dicta Patriarcharum & Prophetarum. Ideo dicit *Augustinus contra Adversarium Legis & Prophetarum*, quòd antiqui Patres eumdem spiritum habuerunt nobiscum. Per eamdem etiam rationem est dicendum, quòd eamdem veritatem habuerunt nobiscum de Sacra Scriptura: quia eamdem veritatem Euangelicam, quam nos videmus præsentem & consummatam, viderunt & ipsi futuram. Item per eamdem rationem habuerunt eamdem Fidem nobiscum de Christo & Ecclesia: quia quod credimus præteritum & præsens, ipsi crediderunt, & expectarunt futurum, ut supradictum est: quia eamdem redemptionem credebant, & eumdem Christum futurum. Item sicut fuit *una Fides*, ita fuit *unum objectum* Fidei, qui est Christus, qui est terminus communis copulans utramque Legem, & faciens ex utrâque unam: quia Christus fuit finis illius Legis veteris, & principium novæ Legis. Unde arguitur sic. Sicut illa linea dicitur una, cujus partes copulantur ad unum punctum & terminum communem: ita & illa Lex dicitur una, cujus partes copulantur ad unum terminum & objectum commune. Sed Lex vetus & nova sunt hujusmodi, quia copulantur ad Christum, qui fuit finis illius & principium hujus: ergo est eadem ratione termini & objecti.

Item per eamdem rationem utraque Lex dicitur una ratione finis: quia Christus est finis utriusque. Nam sicut Christus est objectum, & terminus communis ratione Fidei: ita est finis utriusque ratione Spei. Nam sicut Christus fuit finis intentus & speratus in illa; ita & in ista. Nam eumdem Christum quem ipsi expectabant Redemptorem, nos expectamus Præmiatorem, & Glorificatorem. Et sic unus est finis utriusque Legis. Sed quod sit una Fides, & unus Christus, & unus finis utriusque Legis, probat *Augustinus contra Pelagianos Hypognosticon*, *responsione* 3. dicens: *Ubi* ait Apostolus ad Timotheum *superabundavit gratia Domini nostri Jesu-Christi cum Fide & dilectione, quæ est in Christo Jesu*. „Eamdem ergo Fidem dixit, quæ salutem „attulit & illis, & nobis. Hanc apertissi„mè demonstrat Apostolus ad Galatas di„cens: *Priusquàm adveniret Fides, sub Le„ge custodiebamur conclusi in eam Fidem, „quæ revelanda erat*. In eam utique, quæ „semper temporibus tacitis erat in Servis „Dei per Dei Verbum, & revelanda erat in „Gentibus per incarnatum idem Verbum. „Quia ut ait iterùm Apostolus ad Hebræos: „*Jesus-Christus heri, & hodie, ipse & „in sæcula*. Tempora itaque mutata sunt, „non Fides. Justificatio igitur per Fi„dem Jesu-Christi data est, datur, & da„bitur. Ex dictis *Augustini* hoc loco patet, quòd idem est lator, & conditor utriusque Testamenti, & idem Christus, & eadem Fides, & idem finis. Ex quibus patet, quòd essentialia utriusque Legis sunt eadem: & per consequens utraque Lex est una secundùm essentialia, & sic est una per essentiam; sed est altera secundùm accidentalia, & secundùm officium. Et ideo dicit *August. contra Adversarium Legis & Prophetarum*, quòd *omnia cærimonialia, quæ fiebant in Lege veteri, erant officium respectu novæ*. Unde inquit, quòd *inter officium & finem hoc interest: nam officium est quando facimus; sed finis est, propter quem facimus*. Et sic omnia illa cærimonialia, & legalia, quæ illi faciebant, non faciebant nisi propter Christum: ideo per ejus adventum omnia fuerunt abdicata, & abolita, postquam impleverunt officium, & cursum suum:

Quomodò est unus finis utriusque Legis.

ſuum: quia adepto fine, ceſſat officium: & habitibus exiſtentibus in materia, ceſſat motus. Et ſic patet, quomodo eſt una, & quomodo eſt altera.

Et ideo reſpondetur ad auctoritates in contrarium adductas. Nam Deus per *Hieremiam* non intendebat dare alteram Legem ſecundùm eſſentialia, ſed ſecundùm accidentalia, & officialia, & ſecundùm ritus & cærimonias, in quantum omnia illa debebant ceſſare. Et per hanc rationem poteſt reſponderi ad omnia, quæ poſſunt fieri in contrarium. Ex quibus patet, quòd licèt accidentalia, & officialia Legis ſint mutata per ſucceſſum temporis in adventu Chriſti: tamen non ſunt mutata eſſentialia Legis, ſcilicet, veritas, & finis, & fides Legis. Et ſic non eſt mutata Lex eſſentialiter, immò manet confirmata & verificata.

Unde in hoc decipiuntur miſeri & cæci Judæi, neſcientes diſtinguere inter eſſentialia Legis, & accidentalia: immò putant, quòd illa legalia, accidentalia, & officialia ſunt de eſſentia Legis: cum non ſint data niſi ad officium, & in ſignum futuræ veritatis, & finis, & non gratiâ ſui. Et ſic falſificant Legem, & faciunt ipſam mendacem, poſtquam non recipiunt ejus veritatem. Ex quibus ſequitur, quòd nos melius ſervamus Legem Moyſi, quàm Judæi: quia tenemus & ſervamus veritatem eſſentialem Legis: quæ quidem veritas ſurrexit cum Chriſto; & ipſi, repudiata veritate eſſentiali ipſius Legis, ſervant & colunt accidentalia, quæ jam ſunt mortua & abdicata, poſtquam curſum ſuum compleverunt, quæ non ſolum ſunt eis inutilia, ſed etiam mortifera.

Quomodò melius ſervamus Legem quam Judæi.

Iterum eſt notandum *Apocal.*22. quòd Chriſtus eſt *Alpha & Omega*, id eſt, primus & noviſſimus; ſcilicet, principium & finis: & etiam dicitur *medium & via. Joan.* 14. Et ſic eſt *principium*, *medium*, & *finis*. Eſt enim *principium* noſtrum per creationem. Item eſt *medium* noſtræ redemptionis: quia *mediator Dei & hominum*. Item eſt *finis* noſtræ glorificationis. Ideo iſte *homo myſticus* peregrinatus eſt à principio mundi uſque ad primum adventum Chriſti, tanquam *ad medium*, ut ſanaretur, & Deo reconciliaretur. Sed modò peregrinatur à primo adventu per Legem Euangelicam uſque ad ſecundum adventum, tanquam *in finem ultimum*, ut glorificetur. Et ſic iſte *homo myſticus* exivit à Chriſto per creationem: *quia omnia per ipſum facta ſunt. Joan.*1. & tranſivit per ipſum per redemptionem, & tendit in ipſummet Chriſtum per glorificationem. Et ſic ſemper eſt idem Chriſtus, & idem *homo myſticus*, qui continuatur per unum caput, & per unum medium.

Deus eſt Alpha, & Omega.

Sed dicit *Auguſtinus* libro *de Catechizandis rudibus*, quòd *ſicut Jacob in ſuo ortu prius emiſit brachium, tenens plantam fratris ſui Eſau, & poſteà oſtendit caput, & exinde totum reſiduum corporis: ita pariter homo myſticus prius oſtendit, & traxit ſiniſtrum brachium in veteri Teſtamento: ſed in adventu Chriſti oſtendit, & traxit totum reſiduum corporis ſucceſſivè.* Ex quo patet, quòd ſicut iſte Peregrinus eſt unus homo myſticus ab Adam uſque ad judicium: ita eſt una Lex, & via, per quam peregrinatus eſt. Itaque ergo Lex tota eſt una ſecundùm eſſentialia, ſed altera ſecundùm accidentalia: eſt una ſecundùm finem, ſed altera ſecundùm officium: & una ſecundùm veritatem, ſed altera ſecundùm umbram & ſignum. Item una ſecundùm ſpiritum, ſed altera ſecundùm litteram. Eſt ergo dicendum, quòd iſte *homo myſticus*, qui per Fidem peregrinatus eſt ab *Adam* uſque ad Chriſtum, ſemper continuè in iſto itinere & peregrinatione accepit aliqua accidentalia illius Legis. Nam in *Adam* & in *Abel* accepit oblationes: & in *Noe* accepit aliquem modum ſacrificiorum: & in *Abraham* accepit circunciſionem: & in *Moyſe* accepit Legem præceptorum cærimonialium, & cætera legalia, quæ omnia data ſunt ei in figuram Chriſti futuri. Et ideo cum iſte *homo myſticus* pervenit ad Chriſtum, dimiſſis & abdicatis omnibus ſupradictis accidentalibus, accepit veritatem & perfectionem illorum, & repromiſſionem in Chriſto: & ſic iſte *homo myſticus* jam perfectus in Chriſto per primum adventum, adhùc peregrinatur in hac Eccleſia uſque ad ſecundum adventum Chriſti, in quo eſt recepturus ultimam perfectionem corporis, & animæ, ſcilicet, gloriam, & immortalitatem corporis, & felicitatem utriuſque.

Et ideo eſt advertendum, quòd iſte *homo myſticus* & peregrinus multotiens introducitur ad loquendum in Pſalmis, de quo verificantur diverſæ locutiones ſecundùm diverſitatem ſæculorum, ſive ſtatuum & ætatum ſuarum. Nam aliqua verificantur de eo, prout peregrinabatur in ſtatu, & ætate Legis naturæ: & aliqua verificantur de eo pro ſtatu ſub Lege Moyſi: & aliqua prout fuit in ſtatu gratiæ. Et etiam quia iſta Eccleſia habuit multos ſtatus, & ætates; ideo multa verificantur de ea ſecundùm diverſos ſtatus, & ætates, ut patebit locis ſuis. Nam circunciſio dicitur *data fœdere ſempiterno*, *Gen.*17. Sed hoc eſt intelligendum ſecundùm illam ætatem, & ſæculum ab *Abraham* uſque ad *Chriſtum*. Nam *æternum* dicitur ab *ætate*. Et ſic æternum, ſive ſempiternum dicitur illud, quod eſt ſemper cum aliqua ætate. Et ſic circunciſio dicta fuit ſempiterna, non ſimpliciter cum omni tempore; ſed cum illa ætate ab *Abraham* uſque ad *Chriſtum*: quia fuit ſempiterna illi ætati illius corporis myſtici, & Legis. Et ſic eſt dicendum de *præcepto Sabbati*, & *Agni Paſchalis*, quorum ætas fuit

Nota. De æterno.

fuit finita in Christo. Nam omnes Hebræi & Thalmudistæ dicunt & appellant tempus Messiæ aliud sæculum, & aliam ætatem. Et etiam est dicendum, quòd circuncisio & tota Lex *Moysi* est *æterna* ratione suæ veritatis, & sui figurati. Nam æternitas Legis *Moysi* continuatur in veritate Euangelica, A sicut æternitas Regni *David* fuit continuata in Christo. Ita ergo pariter iste *homo mysticus*, & ista Lex, continuè relinquendo imperfectiones accidentales, accepit in Christo perfectiones essentiales in actu, quas anteà habebat in potentia, & in figura. Et sic in scriptura veteris Testamenti multa verificantur de ista Ecclesia, sive corpore mystico, secundùm diversos status, & ætates, ut patet in *Psalmis*, & in *Canticis Salomonis*: ideo valdè debet attendere prudens lector in hujusmodi sæculis & ætatibus Legis, & hominis mystici: quia cùm sit unus, plures habuit status, & ætates, & sæcula. Nam totum tempus veteris Legis fuit tempus significandi, & figurandi, & desiderandi: sed tempus novæ Legis fuit tempus ad- B implendi, & verificandi, & recipiendi promissiones.

Nota. *De tempore Legis veteris, & novæ.*

Unde quando dicitur in *Canticis*: *Osculetur me osculo oris sui*, verificatur de Ecclesia secundùm statum veteris Testamenti: quia tunc desiderabat adventum Christi Sponsi sui. Sed cum posteà dicitur: *Quæsivi quem diligit anima mea, & inveni, & tenui, nec dimittam illum*, tunc verificatur de Ecclesia secundùm istum statum illicò post adventum Christi, prout ipsum recepit. Sed cùm posteà dicitur: *Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora consurgens, terribilis ut castrorum, &c.* tunc verificatur de Ecclesia post resurrectionem Christi, prout exivit ad prædicandum Euangelium populo Gentili. Sed cùm posteà dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens, innixa super dilectum suum*? tunc C verificatur de Ecclesia pro statu temporis, in quo fuit in sua maxima prosperitate venerata per totum orbem terrarum: & sic appareret per prædicta, qualiter una & eadem Ecclesia habuit diversos status, & ætates, de quibus fiunt diversæ locutiones in Sacra Scriptura: quas prudens lector debet fideliter, & cum tremore considerare: de quibus datur hæc *septima regula.*

Iterùm est notandum, quòd sicut ista Ecclesia, sive hoc corpus mysticum habet tria distincta sæcula: ita etiam tria genera membrorum. Nam quædam sunt pura, sicut est *Virgo Maria*, quæ nunquam peccavit: pro qua de tota Ecclesia verificatur illud: *Tota pulchra es amica mea.* Et quædam sunt membra jam sanata, pro quibus verifi- D catur illud: *Impulsus eversus sum, ut caderem: sed Dominus suscepit me.* Et quædam sunt infirma, quæ adhuc in aliquo peccato laborant. De quibus verificatur illud: *Sana me Domine, quoniam infirmus sum.* Et sic multæ locutiones verificantur de tota Ecclesia ratione alicujus membri. Quare advertat lector.

OCTAVA CLAVIS.

E OCTAVA regula est *de diabolo, & ejus corpore, sive de membris ejus.* Unde est notandum, quòd sicut Christus univit & incorporavit sibi Ecclesiam fidelium per baptismum & gratiam in unitate mystica: pariter diabolus univit sibi infideles, & hæreticos, & obstinatos per peccatum. Quorum quidem congregatio dicitur *Synagoga Satanæ*, sive *Ecclesia malignantium.* Et sic omnes hæretici, & infideles, & obstinati dicuntur *membra diaboli.* Nam cum natura hominis à Deo sit creata bona naturaliter: tamen diabolus inimicus seminavit zizaniam in ipsa. *Matth.* 13. Et sic cùm homo male agit, tunc in eo non operatur Deus, sed diabolus, sive malitia, quam seminavit diabolus, ut inquit *Augustinus in Sermone* F *unius Martyris*, ubi ait: *quòd quando te persequitur homo, noli attendere, nec destruere naturam, nec animam quam fecit & inspiravit Deus: quia non te persequitur quod fecit Deus, sed malitia quam fecit homo: quam malitiam persuasit homini astutia Satanæ.* Unde in tantùm tenet diabolus, & alligat, & copulat sibi peccatores, & obstinatos, quòd inter eos communicantur idiomata, tanquam inter caput & membra, ita quòd homines damnati nominantur nomine capitis sui diaboli: ideo Christus appellavit Judam diabolum. *Joan.* 6. cum dicit: *Unus vestrum diabolus est.* Item *Isaiæ* 14. alloquitur ipsum *Nabuchodonosor* sub nomine diaboli, dicens: *Quomodò cecidisti de Cœlo Lucifer, qui manè oriebaris*? Item *Ezech.* 28. alloquitur Regem Tyri eodem modo dicens: *Tu signaculum similitudinis* G *in delitiis paradisi fuisti.* Item è converso diabolus appellatur homo, sub nomine membrorum suorum quandoque, ut *Matth.* 13. *inimicus homo hoc fecit.* Item *Psalmo* 55. *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo*, id est, diabolus.

Nota: *De diabolo, & ejus corpore.*

Sed est advertendum, quòd in synagoga Satanæ non sunt nisi mali: in Ecclesia autem Christi miscentur multa membra diaboli cum bonis; & dicuntur membra Christi simulata, quæ in secreto sunt hæretici hypocritæ. Est iterùm advertendum, quòd sicut omnes perfectiones & virtutes prius verificantur de Christo, à quo primò derivantur, & ex consequenti de ejus membris fidelibus: ita pari ratione, omnia mala prius intelliguntur & verificantur de diabolo, à H quo derivantur, & suggeruntur; & ex consequenti de membris, in quibus, & per quæ diabolus operatur. Unde illud: *Principes persecuti sunt me gratis*, prius intelligitur de diaboli instigatoribus: & ex consequenti de tyrannis, & hæreticis, & malignis, &c.

quos

quos diabolus instigat contra justos, & fideles. Item *Psalmo* 51. per *Doeg* primò intelligitur diabolus infestator, & excitator, & ex consequenti intelliguntur omnes tyranni persecutores Ecclesiæ, & omnes maligni, & susurrones, & seminatores zizaniæ. A

NONA CLAVIS.

Nota. *Quomodò aliquando pars ponitur pro toto.*

NONA regula est *de specie & genere, sive de toto, & parte.* Unde cùm pars sit aliquid totius, multotiens recipit denominationem totius: & è converso per synedochem, aut per metaphoram. Et sic quandoque in Scriptura cum nominatur una Civitas, intelligitur totum Regnum, aut tota Provincia, & quandoque totus mundus: ut cum dicitur, *Memor ero Rahab & Babylonis*, intelligitur totus populus Gentilis. Et sic *Ægyptus*, & *Sodoma*, & *Gomorrha* ponitur pro toto populo maligno: ut patet in *Epistola Judæ*. Et sic per *Judæam*, & *Hierusalem* intelligitur tota Ecclesia, ut ait *Hieronymus ad Marcellam.* B Item hoc non solùm intelligitur de *toto & parte* in loco, sed etiam in tempore: ut *Apocal.* 19. cum dicitur, quòd Angelus, sive Christus *alligavit Sathanam & diabolum mille annis*: hoc intelligitur per longum & magnum tempus. Hæc etiam littera intelligitur in *numeris*: ut cum dicitur in *Apocal.* 14. *Vidi supra montem Sion centum quadraginta quatuor millia*, ubi ponitur numerus determinatus pro indeterminato. Item *Genesis* 4. *Quicumque occiderit Cain, septuplum punietur*, id est, multipliciter. Ibidem: *Septuplum dabitur ultio de Cain: de Lamech verò septuagies septies*, id est, multo pluries. Item *Matth.* 18. ait Christus Petro: *Non dico tibi septies, sed septuagies septies*: id est, infinities. Verumtamen advertat lector, quod tales numeri non ponuntur sine sacramento. Unde est advertendum, quòd licèt *hæc regula* contineatur sub sequenti: tamen melius est, quòd fiat regula ex parte expressa propter magna sacramenta, & difficultates, quæ continentur in talibus locutionibus, &c. C

DECIMA CLAVIS.

DECIMA & ultima regula est *de tropo & grammaticalibus figuris.* Ad cujus evidentiam est advertendum, quòd licèt omnes species tropi & schematis reperiantur in Sacra Scriptura, & maximè in lib. Psalmorum: tamen aliquæ maximè in hac regula sunt notandæ, eò quòd magis frequentantur, & majorem afferunt difficultatem. D Quarum prima est *hysteron proteron*: quæ causatur in ordine narrationis. De quo *Tichonius* fecit specialem regulam. Nam sæpè in Sacra Scriptura quædam narrantur non eodem ordine quo gesta sunt; sed quandoque per *anticipationem*, aut *postpositionem*, aut per *interpositionem*, quæ dicitur *parenthesis*, aut per *recapitulationem*, aut per *suppletionem.* Unde totum *secundum capi-* E *tulum Geneseos* ponitur per recapitulationem & suppletionem eorum, quæ prænarrata sunt in primo capitulo de ipso Adam. Item omnia quæ scribuntur *in libro Deuteronomii*, ponuntur per recapitulationem. Item omnia quæ scribuntur in libris *Paralipomenon*, ponuntur, partim per suppletionem eorum quæ omissa sunt in *libris Regum*, & partim per recapitulationem. Et sic est dicendum de *secundo libro Machabæorum*, quæ sunt quædam suppletiones eorum, quæ omissa sunt in primo. Item *Psalmo* 77. per anticipationem prius narrantur quæ gesta sunt in deserto, quàm signa quæ facta sunt in Ægypto, ut ibidem patebit. Et sic in Scriptura est valdè attendendum in ordine narrationis, si dicantur res anticipando, aut recapitulando, aut interponendo.

In secundo loco hujus regulæ est valdè F notanda figura, quæ dicitur *Metonymia*: quia quandoque, immò frequenter, ponitur contentum pro continente, & è converso; & artifex pro artificiato, & è converso; & effectus pro causa, & è contra; & abstractum pro concreto, & è contra. Item in Scriptura multum frequentatur metaphora, quâ fit nominis translatio ratione proprietatis: ut, *non arabis cum bove & asino.* Et sic simplex homo dicitur *Agnus.* Item frequentatur *Synepteseis* in Psalmis: quando mutatur persona, ut *Psal.* 4. *Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.* Sed inter cæteras figuras frequentatur *allegoria*, quando unum ad litteram dicitur, & aliud intelligitur. Et sic tota scriptura veteris Testamenti est allegorica: quia non ponitur gratiâ sui, sed gratiâ novi Testamenti; ut dictum G est in *quinta regula.* Ad cujus clariorem evidentiam est notandum, prout dictum est in *quinta regula*, quòd omnia gesta veteris Testamenti non erant gratiâ sui, sed erant quædam figuræ, & picturæ, & signa, & exemplaria, & parabolæ respectu novi Testamenti, in quantum figurabant, & significabant, & notificabant, exemplificabant, & comparabant aliqua alia futura mysteria in novo Testamento. Et ideò processus & discursus, quem facit intellectus fidelis & catholicus à Testamento veteri in novum, tanquam à figura ad suum figuratum, & à signo ad signatum, & ab exemplari ad exemplatum, & à parabola ad suam veritatem Euangelicam, dicitur processus & discursus H allegoricus; eò quòd *allegoria* est tropica, & conversa locutio ab uno ad alterum, quando per unum, aliud intelligitur. Ex quo patet, quòd talis argumentatio & discursus allegoricus reducitur ad *quartam speciem argumentationis*, quæ fit per exemplum. Quatuor enim sunt species argumentationis,

nis, ut patet in *Topic*, & in *princ. lib. Poster.* scilicet, *syllogismus*, *entymema*, *inductio*, *& exemplum*. Et ideò talis discursus allegoricus dicitur argumentatio exemplaris, in quantum extenditur, & ampliatur à rebus veteris Testamenti ad mysteria novi Testamenti, tanquam à figura ad figuratum, & à signo ad signatum, & à parabola ad veritatem, & ab exemplari ad exemplatum, & à propositionibus ad conclusionem. Et tali modo argumentationis, scilicet, allegorico & exemplari, frequenter usus est Christus disputando contra Judæos, inferendo veritates Euangelicas ex veteri Testamento, tanquam ex figuris, & signis, & parabolis, & exemplis, procedendo à figura ad figuratum, & à signo ad signatum.

Christus usus est argumento allegorico.

Unde *Matth.* 12. per mysterium *Jonæ Prophetæ* probavit mysterium sepulturæ, & suæ resurrectionis, cum dixit: *Generatio prava & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ: sicut enim Jonas stetit tribus diebus, & tribus noctibus in ventre ceti: ita erit filius hominis in ventre terræ.* Ita per adventum *Reginæ Austri ad audiendam sapientiam Salomonis*, *&c.* probat Christus, & arguit adventum populi Gentilis ad Fidem Euangelicam audiendam. Et sic utrobique arguit Christus à figura ad figuratum; quod ipse declarat, dicens: *Et ecce plusquam Jonas & Salomon hic:* quasi dicat, illi fuerunt figura mei. Ita à figura ad figuratum arguebat Christus *Lucæ* 10. quando per missionem *Eliæ* ad viduam in Sareptam, & per sanationem *Naaman Syri* à lepra probavit conversionem & baptismum populi Gentilis: ita suam mortem & passionem, & universalem redemptionem allegoricè probavit Christus, quando dixit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis. Joan.* 3. Item Christus docebat Scribas & Pharisæos, ut procederent allegoricè in Scripturis à figura ad figuratum, cum dicit: *Scrutamini Scripturas: quia illæ testimonium perhibent de me: quia Moyses de me locutus est. Joan.* 5. Quasi dicat, quòd omnia sacrificia & legalia fuerunt data in figuram mei. Item tali argumentatione allegorica usus est *Joannes Euangelista*, quando dixit: *Facta sunt autem hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Joan.* 19.

Item hoc genere allegoricæ argumentationis frequentissimè utitur *Apostolus*, maximè 1. *ad Corinthios* 10. quando dixit: *Omnes patres nostri sub nube fuerunt, & in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, &c.* Item *ad Galath.* 4. per *Saram* uxorem *Abrahæ*, & per *Agar* ancillam probat duo Testamenta: & per *Isaac* probat populum Christianum esse filium promissionis: & per *Ismael* probat populum Judaicum post Christum esse filium carnis tantùm, & foras ejectum cum synagoga matre sua. Et per istum discursum allegoricum probat *Apostolus* per totam *Epistolam ad Hebræos*, omnia sacramenta, & sacra, & sacrificia veteris Legis fuisse data in figuram de Christo, & nostra redemptione. Et hoc genere allegoricæ argumentationis utuntur omnes Doctores Catholici. Est etiam ulterius advertendum, quòd non solùm Christus, & omnes Apostoli, & Euangelistæ usi sunt hoc genere allegoricæ argumentationis in scriptura veteris Testamenti, sed etiam ipse David in suis Psalmis. Nam pro majori parte procedit propheticè à figura ad figuratum, & à signo ad signatum: nam adducit gesta Patriarcharum, & Prophetarum, & mysteria Legis Moysi, non gratiâ sui, sed in quantum erant signa & figuræ, & prout in eis prævidit in duplici spiritu futura mysteria de Christo & Ecclesia: & sic allegoricè procedit à figura ad figuratum, ut patebit per omnes Psalmos, & maximè *Psal.* 17. & 77. ubi manifestè dicitur: *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio*: ubi per translationem tabernaculi ab *Ephraim* in Hierusalem, & per translationem Sacerdotii à *filiis Heli* in *Samuelem*, & per translationem Regni à *Saul* in *David* probat, & infert propheticè translationem Regni, & Sacerdotii à synagoga in Christum & Ecclesiam, ut patebit ibi. Et non solùm *David*, sed etiam *Isaias*, & cæteri Prophetæ procedunt frequenter isto discursu allegorico, in quantum prædicunt futura mysteria de Christo & Ecclesia, prout præviderunt ea in spiritu in gestis veteris Testamenti, & in quibusdam signis & figuris.

Ex quibus patet, quòd argumentum allegoricum sumens principium ex mysteriis veteris Testamenti, licèt non sit efficax contra Judæos propter contrariam indispositionem, eò quòd obcæcavit eos malitia eorum, ne intelligant sacramenta Dei clausa in littera: tamen est efficacissimum quantum ad veritatem *in se*, & *quoad nos*, quibus datum est nosse mysterium Regni Dei clausum in littera veteris Testamenti. Unde quia Spiritus Sanctus, qui illustravit mentes Apostolorum, & Doctorum, ut cognoscerent illa mysteria in scriptura veteris Testamenti figurata, per Prophetas vaticinata, in Christo & Ecclesia esse completa; idem illustravit mentem David spiritu prophetico, ut cognosceret, eadem mysteria in Christo & Ecclesia esse complenda; de quibus mysteriis propheticos condidit Psalmos.

Ideò ex his patet, quòd licèt lumen Euangelicum fuerit clarius & perfectius in duodecim Apostolis, & Doctoribus, quàm lumen propheticum in Prophetis: tamen *ex parte rei* eadem est veritas & certitudo: nam sicut Apostolis fuerunt certa gesta Euangelica quoad veritatem esse completa: ita eadem gesta fuerunt certa & credita ipsis Prophetis esse complenda in Christo. Et

ideò David in suis Psalmis prædicit frequenter, & prænunciat futura mysteria de Christo & Ecclesia per verba de præterito propter certitudinem prophetiæ, ostendens illa esse certissima in veritate, ac si jam tunc fuissent completa. Et istum modum servant etiam cæteri Prophetæ, prout dictum est *in Tractatu primo.*

Ex quibus omnibus patet, qualiter argumentum factum per discursum & processum allegoricum à figura ad figuratum, aut à signo ad signatum, & à parabola veteris Testamenti ad suam veritatem Euangelicam sibi correspondentem; licèt non sit efficax contra cœcos Judæos: tamen est efficax inter Catholicos fideles, quibus *datum est nosse mysterium Regni Dei*, ut dictum est. Sed est iterùm advertendum, quòd intellectus fidelis dupliciter discurrit à scriptura veteris Testamenti ad novum: uno modo allegoricè à figura ad figuratum, eo modo quo dictum est. Secundo modo per expressa promissa, litteraliter allegando promissiones expressè factas in veteri Testamento, & prophetias Prophetarum, sicut frequenter faciunt Euangelistæ, ut: *Ecce Virgo concipiet, Matth.* 1. Item omnes etiam istæ *decem regulæ*, sive *claves*, possunt reduci ad numerum septenarium juxta numerum septem sigillorum: eò quòd *sexta* & *septima regula* reducuntur ad *quintam de spiritu & littera:* & *nona regula* reducitur *ad decimam:* & sic manent septem principales claves ad aperiendum septem sigilla libri veteris Testamenti. Et ideò omnes *novem regulæ* supradictæ possunt reduci ad istam *decimam regulam*: quia omnia dicuntur sub aliqua grammaticali & tropica figura, vel sub aliquo tropo, sive typo.

Nota.

Ex omnibus supradictis patet, qualiter prudens lector debet vigilanter attendere in quolibet Psalmo, quam propositionem Propheta David nobis aperiat, sive aperiendam proponat; & ex quo mysterio accipiat & sumat parabolam & propositionem ad prophetandum, & faciendum Psalmum, id est, à qua figura ad quod figuratum allegoricè procedat & discurrat: & in virtute cujus principii, & per quam regulam Psalmus sit exponendus, & intelligendus: & in tali expositione, quæ Conclusio Evangelica inferatur, & eliciatur, id est, quod mysterium de Christo & Ecclesia explicetur in ipso Psalmo, aut quæ chorda psalterii Euangelici pulsetur, quod idem est.



TRACTATUS QUARTUS.

QUANTUM ad *quartum Tractatum* est primò notandum, quòd utriusque juris Professores, & Doctores, non solùm ad vitandam prolixitatem, sed etiam propter necessitatem faciunt specialem tractatum, & rubricam de verborum significationibus. Non ergo minus, immò magis necessarium arbitratus sum, antequam deveniam ad expositionem Psalmorum, præmittere specialem tractatum de nominum significationibus, quæ maximè in Sacra Scriptura, & in hoc libro Psalmorum frequentantur: ne multiplex iteratio in quolibet Psalmo legentibus inferat tædium.

Ad cujus evidentiam est advertendum, quòd in tota Sacra Scriptura veteris Testamenti, & maximè in Psalmis, aut Deus loquitur Populo, aut Populus loquitur ad Deum: aut Messias loquitur ad Patrem orans, & petens salutem pro se, & pro Populo suo. Et quandoque Populus qui loquitur ad Deum, aut petit Messiam Redemptorem, aut petit Legem justificantem, scilicet Euangelicam; aut conqueritur de diabolo & membris ejus persequentibus eum. Et sic frequenter fit sermo de Deo, & de Messia in Lege promisso, & de Populo Dei, & de locis in quibus Deus dicitur habitare, & de locis in quibus habitabat, & fit frequens sermo de Lege promissa, & de diabolo, & membris suis, sive de populo diaboli. Et sic frequentantur septem genera nominum in hoc libro, & etiam in tota Sacra Scriptura veteris Testamenti, scilicet, *nomina Dei*, & *nomina Populi Dei*, & *nomina localia Dei*, & *nomina localia Populi Dei*, & *nomina Legis*, & *nomina diaboli*, & *populi sui.* Quorum significationes sunt dictæ in hoc tractatu, in quo erunt *quinque capitula.* Nam in primo determinabitur *de significationibus nominum Dei, & Messiæ.* In secundo *de nominibus Populi Dei.* In tertio *de nominibus localibus Dei & Populi sui.* In quarto *de nominibus Legis.* In quinto *de nominibus diaboli & populi sui.*

Primum Capitulum.

QUANTUM ergo ad primum est notandum, quòd licèt secundùm *Hieronymum ad Marcellam* Hebræi decem nominibus nominent Deum: tamen duo sunt nomina Dei, quæ maximè apud eos frequentantur, scilicet, *El*, & *Adonaï. El* enim significat universaliter & communiter Deum, scilicet, intelligibilem, & speculabilem, & non sensibilem. Est verum, quòd

Nota. *De nominibus Dei & Messiæ*

quòd reperitur multotiens *Elohim* in plurali in Scriptura: tamen semper cum verbo singularis numeri. Ut, *In principio creavit* Elohim *Cœlum & terram.* Sed dicunt Judæi, & maximè *Rabbi Moyses*, quòd *Elohim* est æquivocum ad *Deum* singularem, & pluralem. Sed hoc dicunt ex ignorantia, non percipientes sacramentum litteræ. Nam ibi *Elohim* non stat substantivè, sed adjectivè, sicut nos dicimus: *Divi creavit Cœlum & terram:* id est, tres Personæ Divinæ: id est, tota Trinitas, sive Deus trinus & unus creavit Cœlum & terram; ad denotandum, quòd omnes tres Personæ concurrunt ad creandum Cœlum & terram: quia opera Trinitatis sunt indivisa *ad extra*, & talia sunt ex tempore producta. Nam opera Trinitatis *ad intra* sunt divisa & æterna, sicut productio, sive generatio Filii, & productio Spiritus Sancti. Et ideò per hoc voluit sibi *Moyses* explicare, quòd creatio est operatio totius Trinitatis *ad extra* facta ex tempore. Et sic *Elohim* ibi non sonat *Deos*, sed *tres Divinas Personas in una essentia & substantia.* Et sic in plerisque locis Sacræ Scripturæ ponitur *Elohim*, non notificando pluralitatem substantiarum, sed Personarum. Et ideò ubicumque ponitur *Elohim* semper apponitur verbum numeri singularis, eò quòd talis actus est essentialis. Et ideò Interpretes, tàm Græci, quàm Latini, ubicumque invenerunt in Hebræo *Helohim* traduxerunt *Deus* in singulari. Sed quia Pagani appellant etiam Deos idola sua: ideò ad differentiam falsorum Deorum, multotiens in Scriptura dicitur *Deus exercituum*, *Deus Cœli*, & *Deus Israel*: ad denotandum, quòd iste solus est verus Deus, & *Dii gentium sunt dæmonia.*

Elohim. Nota.

Secundo modo Deus in Scriptura dicitur *Adonai*, sed reperitur scriptum dupliciter: uno modo per proprias litteras, scilicet, *Aleph*, *Daleth*: alio modo cum quatuor litteris, scilicet, *Jod*, *Heth*, *Vau*, *He*, quæ quidem quatuor litteræ licèt non sonent tale nomen; tamen Hebræi ubicumque reperiunt nomen istarum quatuor litterarum, semper pronunciant *Adonaï*, quòd quidem nomen sic scriptum significat, & denotat in Deo quatuor effectus ineffabiles & incomprehensibiles, scilicet, *omnipotentiam*, *sapientiam*, *misericordiam*, & *justitiam*: ista enim quatuor sunt nobis incomprehensibilia. Nam de primo dicitur: *Potens es Domine, & non est qui resistat tibi.* De secundo: *Sapientiæ ejus non est numerus.* De tertio: *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* De quarto autem: *Judicia Dei abyssus multa.* Et sic dicunt, quòd hoc nomen *Tetragrammaton* significat Deum ineffabilem, eò quòd importat ista quatuor ineffabilia. Sed omnes Interpretes, tàm Græci, quàm Latini, ubicumque invenerunt *Adonai* scriptum tàm per istas quatuor litteras, quàm per proprias litteras, semper traduxerunt *Dominum*: sed forsan melius fuisset apposuisse aliquam differentiam: tùm propter sacramentum quod hoc nomen *Tetragrammaton* importat: tùm quia hoc nomen *Adonai* sic scriptum non potest poni nisi pro ipso Deo. Sed quando scribitur propriis litteris, potest indifferenter significare Dominum terrenum, vel ipsum Deum. Sic ergo est dicendum, quòd hæc supradicta duo nomina Dei, scilicet, *El*, sive *Elohim*, & *Adonaï*, sunt nomina Dei magis frequentata in Scriptura.

Adonai. Tetragrammaton.

Sed nomina *Messiæ* sunt multo plura. Nam pluribus nominibus *Messias* in Lege promissus scribitur & nominatur: scilicet, *Deus*, *Dominus*, *Tetragrammaton*, *Verbum Domini*, *Nomen Domini*, *Salutare Dei*, *Dextera Domini*, *Brachium Domini*, *Sanctus Domini*, *Sanctus Sanctorum*, *Justus*, *Hæres*, *Rex*, *Sacerdos*, *Christus*, *Filius Dei*, *David*, *Messias.* Et sic omnibus supradictis nominibus nominatur *Messias Christus*: quorum quædam sunt sibi naturaliter propria, & quædam ab effectu, ut patet: nam naturaliter est *Deus*, & *Filius Dei*, & *Dominus*: sed ab effectu dicitur *salutare*, & *dextera Dei.* Unde *Christus Messias* in aliquibus locis scribitur & appellatur *Deus*, ubi Judæi non possunt contradicere; immò coguntur confiteri mysterium Trinitatis Personarum Divinarum, ut *Psalmo* 44. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*, per quod denotatur mysterium Trinitatis; scilicet, Deus ungens, & Deus unctus, & Spiritus Sanctus intellectus per *oleum*, quo Filius ungitur quoad humanitatem. Item *Messias* etiam vocatur Deus, *Isaiæ* 45. *Tu es Deus absconditus.* Item 48. *Dominus misit me, & spiritus ejus: hæc dicit Dominus Deus tuus sanctus Israel.* Item *Zachar.* 2. *Dominus misit me ut prophetarem vobis.* Utrobique enim *Messias* dicitur *Deus*, & *Messias*: nam *Messias* interpretatur *Missus.*

Nomina Messiæ.

Item *Messias* in Lege promissus multotiens in Scriptura scribitur sub nomine *Tetragrammaton*, id est, cum illis quatuor litteris scriptum, per quod solus *Deus* intelligitur: ut *Hierem.* 24. *In diebus illis suscitabo David germen justum. Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Item *Threnor.* 4. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Item *Isai.* 9. *Vocabitur magni consilii Angelus, Dominus, Deus, fortis.* Utrobique ponitur sub nomine *Tetragrammaton*, quod soli Deo convenit; & in hoc manifestè convincuntur Judæi: quia *Messias* non solùm nominatur Deus, sed etiam *Adonai.*

Item dicitur etiam *Verbum Domini Psalmo* 104. *Misit verbum suum, & sanavit eos.* Item dicitur *Nomen Domini*: ut, *Domine Deus noster quàm admirabile est*

Nomen tuum in universa terra. Et *Isai.* 3. *Ecce Nomen Domini venit de longinquo.* Item 47. *Utinam disrumperes Cœlos, & manifestares Nomen tuum.* Sed quare Christus dicitur *Nomen Domini*, declarabitur *Psal.*8. Item dicitur *Verbum Dei Patris*, id est, diffinitio. Nam *diffinitio* explicat totam essentiam diffiniti: ideò dicitur *Oratio*, quia est esse rei significans. Unde intellectus concipiens essentiam rei, sive rem per sua essentialia, format conceptum diffinitivum: ideò Græci conceptum, sive diffinitionem essentialem appellant *Logon*, id est, Verbum: sed *Nomen* notificat rem per suos effectus. Et sic dicitur *candela* à *candendo*, & *lucerna* à *lucendo*, & *indumentum* ab *induendo*, ut inquit *Aristoteles* 8. *Metaphysic.*

Ex his sequitur, quòd Christus verè dicitur *Verbum Dei*, & *Nomen Dei.* Dicitur enim *Verbum Dei*, quia est de tota substantia & essentia Patris, & sic explicat totam ejus essentiam: quia est primus & æternus conceptus Patris, quo intelligit se Pater, & in quo sunt omnes Divinæ perfectiones, & ideæ æternæ, ad quarum exemplar omnia sunt creata. Et sic Christus in quantum Deus, verè dicitur *Verbum*: quia est dictum à Patre, & per quod loquitur Pater: & etiam Christus in quantum homo dicitur *Verbum*, quia per ipsum nobis locutus est Pater. Nam sicut per Verbum locutus est *ad extra* omnia creando, quando dixit: *Fiat lux*: ita postea per idem Verbum incarnatum locutus est nobis, ferendo Legem Euangelicam: & sic utroque modo Christus dicitur *Verbum Patris.*

Item dicitur *Nomen Domini Dei Patris*, in quantum nobis notificavit quatuor mirabiles effectus ipsius Patris, postquam fuit incarnatus, scilicet, *omnipotentiam* in miraculorum operatione, & quando expoliavit infernum, & resurrexit, & ascendit in Cœlum. Secundò notificavit *sapientiam* Patris in datione Legis. Tertiò *misericordiam* in sua Passione. Quartò *justitiam*, sive judiciariam potestatem in sua ascensione, quæ magis ostendetur in generali judicio. Et ideò Christus propriè dicitur *Nomen Domini Tetragrammaton*, notificans ista quatuor ineffabilia de Patre, quæ omnia comprehenduntur sub hoc Nomine *Jesus.* Unde hoc est *Nomen*, quod Deus non revelavit Patribus veteris Testamenti, quia solus Christus debebat ipsum nobis revelare. Ideò cum tanto affectu Patriarchæ, & Prophetæ desiderabant, ut veniret *Nomen Domini*, scilicet, *Jesus*: quia hoc est *Nomen Domini Tetragrammaton*, cujus interpretationem nullus potuit scire usque ad adventum Christi. Nam illæ quatuor litteræ, scilicet, *Jod*, *Heth*, *Vau*, *He*, reddunt sonum hujus Nominis *Jothhetsua*, id est, *Jesus.* Nam *Jothhetsua* Hebraicè idem est quòd *salvatio*, sive *Salvator* Latinè. Ideò *Hieronymus* ubicumque reperiit *Jothhetsua* in Hebræo, transtulit *Jesus*, vel *salutare* in Latinum, & hoc in plerisque locis. Rectè ergo Christus appellatus est *Jesus*, quod est *Nomen Domini.*

Item propter supradicta Christus etiam in Scriptura dicitur *dextera Dei*, & *brachium Domini*: eò quòd Pater per ipsum operatus est quatuor supradicta ineffabilia. Item Christus dicitur *Hæres*, in quantum recuperavit hæreditatem Dei, scilicet, genus humanum, de potestate diaboli, tanquam Filius primogenitus Patris. Item dicitur *Sanctus Sanctorum*, quia justus, & caput omnis sanctitatis & gratiæ, à quo omnes gratiæ derivantur ad sua membra. Item dicitur *Rex*, quia hæres Patris. Item dicitur *Sacerdos*, quia seipsum sacrificium pro omnibus obtulit, & omnia sacramenta Ecclesiastica constituit. Item dicitur *Christus*, quia oleo lætitiæ donorum Spiritus Sancti, non ad mensuram, præ cæteris est unctus tanquam caput, ut ab eo descenderet unctio ad sua membra per participationem. Et sic fit unus Christus mysticus ex capite & membris: etiam communicantur idiomata. Nam tota Ecclesia cum Christo dicitur *unus Christus.*

Est verum, quod analogicè dicitur hoc nomen *Christus*, de Christo capite, & de Ecclesia. Nam prius dicitur de Christo vero capite, & ex consequenti de corpore mystico; & etiam de quolibet fideli, tanquam de mensura & mensurato: quia Christus est mensura omnium fidelium in justificando. Item Christus dicitur etiam *David*, *Hierem.* 30. *Servient Domino Deo suo, & David Regi suo.* Item *Oseę* 3. *Revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum.* Unde Christus tripliciter dicitur *David:* uno modo, quia erat futurus de genere David secundùm carnem ipsi promissus. Secundò, quia in multis *David* fuit figura Christi pro majori parte. Tertiò propter nominis interpretationem: quia *David* interpretatur *manu fortis*, quod propriè Christo convenit. Et ideò quando ponitur *David* in titulo Psalmorum, non intelligitur Propheta *David* tanquam actor Psalmi illius: sed intelligitur Christus qui loquitur, vel de quo fit locutio in illo Psalmo. Sic ergo est dicendum, quòd quotiescumque in Psalmis, & cæteris partibus Scripturæ ponitur *Deus*, sive *Dominus*, quandoque intelligitur *Pater*, sive *tota Trinitas*; & quandoque intelligitur *Christus Messias*, ut patebit in suis locis, sed omnia nomina supradicta, scilicet, *Verbum Domini*, *Nomen Domini*, semper verificantur de Christo Messia in Lege promisso; & ad hoc intendat lector.

*** *** *** ***

Se-

Secundum Capitulum.

Nomina Populi Dei.

IN *secundo Capitulo* hujus quarti Tractatus exponuntur *nomina Populi Dei*, quæ magis in Scriptura frequentantur: quæ A sunt ista, scilicet, *Jacob*, *Israel*, *Semen Abrahæ*, *Filii Abrahæ*, sive *Israel*, sive *Jacob*, *Filii Dei*, *Populus Dei*, *Vinea Domini*, *Civitas Dei*, *Consilium & Congregatio Justorum*, *Ecclesia Dei*, sive *Domus Dei*, quod *corpus mysticum*, sive *hominem mysticum*, aut *Christum* appellamus. De quibus per singula est dicendum.

Ad cujus evidentiam est advertendum, quòd dicunt Judæi, quòd totus Populus Dei dicitur *Jacob*, & *Israel*, & *Semen Abrahæ*: eò quòd secundùm carnem descendit ab istis. Et sic dicunt, quòd nos temerè usurpamus nomen *Israel* & *Jacob*, B cùm descendamus à populo Gentili. Sed hoc est irrisorie dictum; nam tunc tota generatio Arabum per mundum diffusa diceretur *Semen Abrahæ*, cùm descendat ab *Abraham* secundùm carnem per *Ismael*: & magna pars populi Gentilis, qui descendebat per *Esau*, à quo descendebant *Syri* & *Idumæi* Gentiles & Idolatræ. Et ideò est dicendum secundùm *Augustinum contra Faustum*, & 16. *de Civitate Dei*, *cap.* 2. quòd *multa nomina sunt imposita antiquis Patribus veteris Testamenti*, *quæ non sunt imposita à casu*, *nec humana voluntate*, *sed solo Dei præcepto*, *& inspiratione*, *in quantum illi fuerunt imago & figura Christi & Ecclesiæ*: *quia omnia contingebant illis in figura*. Et sic ipsum *Abram* appellavit *Abraham*, id est, patrem multarum gentium, in quantum in semine ejus erant om- C nes gentes benedicendæ; & omnes erant futuri filii ejus secundùm promissionem: & sic *Saraï* vocavit *Saram*, id est, *risum*: eò quòd in *Isaac* facta est repromissio de Christo futuro, qui debebat afferre risum, & gaudium universo mundo, *Gen.* 18. Et ideò, quia in *Isaac* facta est de Christo repromissio, ejus filii per Isaac descendentes, dicti sunt *filii repromissionis*: cæteri autem dicti sunt filii carnis. Rursus *Gen.* 25. quia facta est repromissio in *Jacob*, & non in *Esau*, ideò filii Jacob dicti sunt *filii repromissionis*, & filii Esau *filii carnis*: & sic tàm filii *Ismael*, quàm filii *Esau* perdiderunt & amiserunt nomen filiationis *Abrahæ* in Scriptura. Quod fuit figuratum primò in D *Ismael*, qui fuit ejectus de domo *Abrahæ* cum *Agar* ancilla matre sua, secundò in *Esau*, quem Jacob expulit primò de ventre *Rebeccæ* tenens plantam ejus. Per hoc fuit figuratum, quòd filii promissionis ipsius *Abrahæ* & *Jacob* debebant ejicere Judæos, filios carnis, de domo, & Ecclesia Christi in adventu suo: & illis reprobatis & ejectis, *filii promissionis*, qui sunt Christiani, debebant succedere, & possidere hæreditatem promissam ipsi *Abrahæ* & *Jacob*. Hoc ergo prævidens *Rebecca* in spiritu, vocavit illum *Jacob*, id est, *supplantatorem* & *luctatorem*.

Propter duò ergo *Ismael* & *Esau* cum E filiis suis amiserunt filiationem *Abrahæ*. Primò quia fuerunt de domo ejecti: secundò quia non secuti sunt religionem *Abrahæ* de cultu unius Dei, immò declinarunt ad idôla. Et in tantùm *Isaac* dicitur filius *Abrahæ*, in quantùm mansit in domo, & secutus est religionem patris: & sic dicendum de *Jacob* respectu *Esau*. Eâdem ergo ratione Judæi moderni amiserunt filiationem *Abrahæ* & *Jacob*, quia ejecti sunt ab Ecclesia, & non secuti sunt religionem *Abrahæ*, nec *Jacob*, quia non receperunt, nec coluerunt Christum illis promissum & expectatum: & sic Christiani manent veri *filii Abrahæ* & *Jacob* secundùm repromissio- F nem. Primò quia ejecerunt Judæos de domo & ventre Ecclesiæ. Secundò quia imitati sunt *Abraham* & *Jacob*, recipiendo ipsum Christum illis promissum & expectatum. Tertiò quia sunt benedicti & regenerati in Christo, qui est *semen Abrahæ*; Judæi autem, quia non sunt benedicti, nec regenerati in Christo; ideò falsò dicuntur *filii* & *semen Abrahæ*. Item rursum, quia *Esau* vendidit primogenituram ipsi *Jacob* pro cibo carnali, ideò non meruit habere hæreditatem: immò Jacob successit in hæreditate, & nomine filiationis. Per quod fuit figuratum, quòd nos debebamus succedere Judæis in bonis spiritualibus: quia nobis primogenituram vendiderunt pro bonis temporalibus, quando Christum contempserunt: & sic perdiderunt nomen filiationis G simul cum primogenitura.

Item per hoc quod *Jacob* surripuit benedictionem, dum *Esau* ivit ad venandum cibos; fuit figuratum, qualiter nos debebamus surripere benedictionem redemptionis & beatitudinis, dum Judæi vadunt post bona temporalia, contemnentes bona spiritualia Christi & Ecclesiæ. Et sic *Ecclesia* successit in hæreditate & benedictione, *synagoga* repudiata, sequente bona temporalia, & cibos cærimoniarum. Ex quo patet, quòd *Ecclesia Christi* verè dicitur *Jacob*: quia supplantavit & ejecit *synagogam* de ventre, & surripuit benedictionem: & sic supplantavit eam. Et sic manifestè patet etiam, quòd *Jacob* non est nomen naturæ, H sed nomen gratiæ ex dono Dei. Et ideò filii carnis ipsius *Jacob* non merentur dici filii ejus in Scriptura: quæ quidem Scriptura non sequitur carnem, sed gratiam & spiritum: & sic nos sumus *veri Jacob*, & filii ejus.

Item rursus quando *Jacob* rediens de Mesopotamia luctatus est cum Angelo, nec voluit ipsum dimittere usquequò benedixit ipsum, & tunc Angelus vocavit ipsum Jacob *Israël*, & cætera, *Gen.* 32. ubi notantur

Quomodò Judæi, & Populus Dei dicitur Jacob.

Quomodò Christiani sunt Abrahæ filii.

Nota. *De luctatione Jacobcum Angelo.*

tur septem mysteria. Primò, quia *Jacob transivit vadum Jaboc.* Secundò vidit Deum in forma viri. Tertiò luctatus est cum Deo, & tenuit ipsum fortiter. Quartò emarcuit nervus ejus femoris sinistri, & mansit claudus pede sinistro. Quintò fuit benedictus & dilectus à Deo. Sextò mutavit Deus ipsi nomen *Jacob* in *Israël.* Septimò vocatum est nomen loci illius *Phanuel*, id est, *facies Dei:* eò quòd in eo *vidit Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima ejus:* per quæ quidem septem mysteria figurativa prævidit *Jacob* in spiritu alia septem mysteria figurativa de Christo & Ecclesia. Nam per primum prævidit, qualiter nemo poterat pervenire, nec intrare in Ecclesiam Christi, nisi transiret vadum baptismale, id est, per Sacramentum Baptismi. Per secundum autem prævidit, qualiter Filius Dei erat incarnandus & debebat apparere mundo in forma humana. Per tertium verò prævidit, & figurabatur, qualiter filii Jacob baptizati debebant recipere Christum, & tenere ipsum fortiter per Fidem. Per quartum verò prævidit in figura, qualiter filii Jacob erant dividendi in duas partes; quarum una debebat manere clauda, deviando & claudicando à veritate Legis, non recipiendo Christum in Lege promissum: altera autem debebat manere recta, Christum & veritatem Legis recipiendo. Per quintum autem prævidit, qualiter ille populus, qui Christum erat recepturus, debebat ab eo benedici per Ecclesiastica sacramenta, & dirigi per Legem Euangelicam. Per sextum verò prævidit, qualiter omnes qui in Christo erant regenerandi, & benedicendi, & dirigendi, debebant vocari nomine *Israel.* Per septimum tandem prævidit in figura, qualiter in sola Ecclesia Christi erat Deus videndus *facie ad faciem* per Fidem, & maximè in Sacramento Eucharistiæ, & in sola Ecclesia erant fideles salvandi, per hoc quod dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Ex supradictis patet, quòd *Jacob* non dictus est *Israel* secundùm carnem & nativitatem carnalem, sed secundùm spiritum, & regenerationem, & benedictionem spiritualem: & ideò filii Jacob, qui non receperunt benedictionem, & baptismum, & regenerationem Christi, non sunt *Israel*, nec filii secundùm spiritum, sed secundùm carnem tantùm; & non secundùm Fidem, ratione cujus non dicuntur veri *filii Israel* & *Abrahæ:* quia propter Fidem uterque sortitus est tale nomen, & facta est eis repromissio de Christo futuro, & de hæreditate ejusdem. Et sic patet, quòd *Jacob*, & *Israel*, & *semen Abrahæ* non sunt nomina naturæ, nec carnis, sed gratiæ, & promissionis: ideò conveniunt soli Ecclesiæ Christi.

Et sic patet, quomodo *populus Christianus* est *verus Israel*: eò quòd habet supradictas septem conditiones. Nam *Israel* interpretatur *Vir videns Deum facie ad faciem*, ut legitur ibidem: & etiam *Israel* interpretatur *Princeps fortis cum Deo*, vel *directus à Deo*, vel *benedictus à Deo.* Et sic cum populus Christianus videat Deum per Fidem, & receperit Christum, & teneat eum fortiter, & sit benedictus, & confortatus per Ecclesiastica sacramenta, & directus per Legem Euangelicam: ideò verè dicitur *Israel.* Et per consequens populus Judaicus falsò dicitur *Israel*: cum nullam supradictarum conditionum habeat, immò totum oppositum fecit: quia non solùm non recepit Christum, sed & ipsum crucifixit; & sic non videt Deum, immò manet cœcus & maledictus. Nec etiam potest dici *Jacob*, sed *Esau.* Primò, quia ejectus est ab utero Ecclesiæ: secundò, quia vendidit primogenituram nobis: tertiò, quia amisit benedictionem Sanctorum. Ex quibus patet, quòd populus Christianus verè dicitur *Jacob*, & *Israel*, & *semen Abrahæ secundùm promissionem*, & imitationem. Unde excœcationem illius populi reprehendit *Isai.* 6. cùm Dominus dicit: *Excœca cor populi hujus, & aures ejus aggrava.* Item 42. *Quis cœcus, nisi servus meus? & surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? Quis cœcus, nisi qui venumdatus est?* Item 43. prædicit populum Gentilem hæreditaturum nomen Jacob & Israel, dicens: *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da: & Austro, Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ: & omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam formavi eum, & creavi, & feci eum. Educ foras populum cœcum. Omnes gentes congregatæ sunt simul, & collectæ sunt tribus.* Item 44. *Noli timere serve meus Jacob, & rectissime Israel quem elegi. Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam. Et iste dicet: Domini ego sum. Et ille vocabit in nomine Jacob. Et hic scribet manu sua: Domino: & in nomine Israel assimilabitur.* Item *ibidem* 65. *Dimittetis nomen vestrum hæreditarium, & vocabo servos meos nomine alio.* Ex supradictis patet, quòd populus Judaicus debet amittere nomen *Jacob* & *Israel*, & manere cœcus, & populus Gentilis debebat succedere in nomine, & hæreditate, & vocari nomine *Jacob* & *Israel*, & manu, & ore, & scripto profiteri Deum & *Messiam* in Lege promissum. Ex quibus patet, quòd Ecclesia Christi, & populus Christianus, est *verus Jacob*, & *verus Israel*, & *verum semen Abrahæ*, sicut probat *Apostolus* per Epistolam *ad Romanos.*

Nota. *Quomodò populus Christianus est verus Israel.*

Item populus Christianus dicitur *Civitas Dei*, in quantum est concors fidelium multitudo, consensu unius Legis Euangelicæ, & unius Fidei, & Charitatis sociata. Item dicitur *Ecclesia*, in quantum est congre-

Populus Christianus dicitur Civitas Dei.

gregatio fidelium. Item dicitur *Corpus mysticum*, in quantum jungitur uni capiti Christo per Fidem & Charitatem. Item dicitur *unus homo mysticus*, in quantum peregrinatur ab Adam usque ad Christum in primo, & in secundo adventu. Item dicitur *Vinea Domini*: *quia ab Adam usque ad ultimum electum, quot sanctos germinavit, tot palmites protulit*, secundùm *Gregorium*. Et etiam quia Christus expressit ex ea vinum sacramentorum in suo adventu. A

Ex supradictis patet, quòd ubicumque in Scriptura, & maximè in Psalmis, scribitur, & ponitur *Jacob*, aut *Israel*, aut *semen Abrahæ*, aut *Civitas Dei*, aut *Domus Dei*, aut *Hierusalem*, aut *Sion*, aut *Vinea Domini*, semper intelligitur Ecclesia fidelium Christi: quia omnia illa nomina posita sunt in veteri Testamento in figura Christi & Ecclesiæ, sive populi Dei: quia omnia figurabant & significabant istam præsentem Ecclesiam. Causa etiam quare tota Ecclesia Christi dicitur *Israel* & *Jacob*, sive *filii Israel*, est: nam omnes nos descendimus ab Apostolis per generationem spiritualem, & sic sumus *filii Apostolorum* secundùm spiritum: sed illi sunt *filii Jacob*, sive *Israel* secundùm carnem & spiritum. Ideò nos dicimur *Israel* & *Jacob*, sive *filii Israel*, & *semen Abrahæ* secundùm spiritum. Unde sicut ille populus fuit continuatus à *Jacob* usque ad *Apostolos* per generationem carnalem: ita *populus Christianus*, & *Ecclesia* fidelium continuabitur à *Christo* & *Apostolis* usque ad judicium per generationem spiritualem. B

TERTIUM CAPITULUM.

Pars Prima.

C

IN tertio Capitulo exponuntur *nomina localia ipsius Dei & populi ejus.* Ad cujus intellectum est notandum, quòd quinque sunt nomina locorum, quæ maximè in Psalmis frequentantur, in quibus Deus dicitur habitare, scilicet, *Arca Domini*, *Tabernaculum Domini*, *Templum Domini*, *Mons Domini*, & *Cœlum*. Unde *Arca* est, quam Dominus præcepit fieri per Moysen in monte *Sinai* ex lignis *Sethim*, ut patet *Exo.* 27. & 37. In qua considerantur quatuor: scilicet, *materia ex qua* facta erat; quia ex lignis *Sethim*, scilicet, *cypressi* imputrefactibilis. Secundò ibi erant repositæ *duæ tabulæ* Divinæ Legis. Tertiò *Virga Aaron*. Quartò *Urna* ipsius *Mannæ*, ut ait *Apostolus ad Hebr.* 9. In quibus quatuor figurabatur Persona Christi, qui est Deus & homo, Rex, & Sacerdos. Nam per lignum *Sethim* notatur humanitas, per *Manna* Divinitas, per Legem verò *Regnum*, per *Virgam* autem Sacerdotium figurabatur. D

Nomina localia Dei.

De Arca Domini.

Et ideò *Arca Domini* per prius verificatur de ipsa humanitate & Persona Christi, quàm de cæteris; eò quòd in ea habitat Verbum per unionem personalem. Secundò *Arca Domini* verificatur de Sacramento Eucharistiæ, in quo Christus habitat, & continetur realiter & sacramentaliter, & fit unum Sacramentum ex Christo & accidentibus sacramentalibus. Tertiò verificatur de Beata Virgine, in cujus utero virginali Christus novem mensibus habitavit. Quartò verificatur de tota Ecclesia fidelium, in qua Christus habitat per mysticam unionem, quam sibi univit, & desponsavit indissolubiliter per Fidem, quam ex lapidibus vivis fabricavit. Quintò verificatur de qualibet anima justi, quam Deus inhabitat per gratiam. Sextò verificatur de qualibet Ecclesia materiali, in qua Deus habitat per spiritualem dedicationem; eò quòd Ecclesiæ fabricantur, & dedicantur ad ministranda Ecclesiastica sacramenta, & Divina officia celebranda. Septimò *Arca Domini* verificatur de Cœlo Empyreo, in quo Deus habitat per gloriam. Ex quibus patet, quòd Arca analogicè dicitur de istis septem, secundùm prius & posterius per ordinem, secundumquòd in eis majorem habet unionem. Et ideò *Arca Domini* per prius verificatur de humanitate assumpta, quàm in cæteris; quia perfectius unitur ei: & ideò magis beatificat illam, quam cætera Tabernacula. Et sic *Arca Domini* per ordinem verificatur de cæteris. E F

Item per eamdem rationem *Tabernaculum Domini*, & *Templum Domini*, verificantur de septem supradictis per ordinem secundùm prius & posterius. Nam *Tabernaculum*, sive *Templum Domini* primò figurabat humanitatem Christi: & ideò primò de illa verificatur. Et ideò Christus corpus suum, *Templum* appellat *Joann.* 2. quando dixit: *Soluite Templum hoc, & in triduo reædificabo illud.* Et ideò subdit Euangelista, *quòd hoc dicebat de Templo corporis sui*; ideò David in toto illo exemplari, & tota illa descriptione Templi, sibi traditâ à Spiritu Sancto, prævidit in spiritu totum mysterium Incarnationis, & fabricationis Ecclesiæ, ut ipse David ait *primo Paralipom.* 28. quod *intellexit omnia quæ erant in illo exemplari sibi tradito*: ideò totum illud Templum per Salomonem fabricatum verè fuit figura Christi secundùm partes suas. Nam in illo Templo erant tria, quia in medio erat *Sancta Sanctorum*: per quod figurabatur Divinitas, quæ in Christo latebat: secundò erat in illo Templo *Atrium Sacerdotum*, per quod figurabatur anima Christi: tertiò erat ibi *Atrium populi*, per quod figurabatur caro Christi. Et sic totum illud Templum rectè figurabat Personam Christi. Extra autem conjunctim cum Templo erat *Porticus Templi*, per quod figurabatur totum corpus mysticum Ecclesiæ. G H

Tabernaculum Domini, & Templum.

siæ. Ex quo patet, quòd Templum Domini in Scriptura prius verificatur de humanitate Christi, & exinde de sex sequentibus per ordinem.

Hoc idem est dicendum de *Tabernaculo*, quod fabricavit Moyses: quia prius verificatur de humanitate Christi, & inde A de cæteris sex supradictis. Item per eamdem rationem *Mons Domini*, & *Cœlum*, per prius verificatur de humanitate Christi, & exinde de cæteris. Ex quibus patet, quòd quando nos legimus ista quinque loca Dei in veteri Testamento, non debemus sistere in littera: quia non ponuntur gratiâ sui, ut frequenter dictum est, sed ut figurabant supradicta septem loca spiritualia, in quibus Deus verè dicitur habitare, modis quibus dictum est: & sic spiritualiter & propheticè sunt exponenda supradicta quinque nomina localia Dei in Sacra Scriptura. Et in hoc concordat *Rabbi Moyses* Deuter. titulo *de Pœnitentia*, *cap.* 8. dicens: *Quod hoc est bonum, post quod nullum est bonum*: & hoc desiderarunt scire Prophetæ. Quod bo- B num multis vocaverunt nominibus, quæ sunt *Mons Dei*, & *locus Sanctus ejus*, & *locus Sanctuarii*, & *Via sancta*, *Atria Domini*, *Templum Domini*, *Domus Domini*, & *Porta Domini*. Item dicit, quòd illud Templum, quod describit *Ezechiel cap.* 44. non est intelligendum de Templo materiali, sed spirituali, & cœlesti. Ex quibus patet secundùm istum, quòd illa nomina locorum Dei non sunt intelligenda ad litteram de illo Templo materiali.

Pars Secunda.

Nomina localia populi Dei.

IN secunda parte hujus Capituli exponentur *nomina localia populi Dei*. Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd nomina locorum, in quibus habitat populus Dei, quæ magis frequentantur in Scriptu- C ra, sunt quinque, scilicet, *Hierusalem*, *Sion*, *Judæa*, *terra Israel*, & *hæreditas Domini*. Unde *Hierusalem* est Civitas sita in monte *Sion*, & *mons Sion* est in *Judæa*, scilicet, in Tribu & sorte *Juda*. Et *Judæa* est pars meridionalis totius *terræ promissionis*. Et sic *terra promissionis* dicitur tota terra à monte Libano usque ad *Bersabee*, & à mari mediterraneo usque ad *Euphratem*, licet totam numquam possederunt, ut patet *Josue* 1. & *Judicum* 3.

Verumtamen est advertendum, quòd hæc nomina non sunt imposita istis locis à natura, nec à casu: sed ex Dei nutu, & voluntate propter futura mysteria, quæ in ipsis locis erant futura, & implenda. Et hoc patet per eorum interpretationes. Nam D *Hierusalem* interpretatur *visio pacis*, & *Sion* interpretatur *specula*, sive *speculatio*; & Judæa *confessio*. Quæ quidem loca si ad litteram sumantur temporaliter, videtur quod falso nomine nominentur. Nam in

Nota. *De Hierusalem, & terra promissionis.*

Hierusalem numquam fuit visa pax terrena & temporalis: sed semper litigium, & maximè hodie, quæ est subjecta infidelibus. Et ideò est dicendum, quòd ratio & causa quare Patriarchæ & Prophetæ tantùm commendaverunt & desiderarunt illam *Civitatem* E *Hierusalem*, & *Sion*, & *Judæam*: non fuit propter situm, nec propter muros; sed quia præviderunt in spiritu prophetico, qualiter Christus in Lege promissus erat in illam terram & Civitatem venturus, & in ea Prædicaturus, & miracula operaturus, & in *monte Sion* debebat instituere Sacramentum Eucharistiæ, & *in Hierusalem* moriturus, & sepeliendus, & resurrecturus, & in *monte Sion* Spiritum Sanctum super Discipulos missurus. Et ideò, quia Christus *Rex pacis* in illa Civitate nos debebat Deo Patri per suum sanguinem reconciliare, & pacificare, justè est vocata *Hierusalem*. Item, quia Christus *Rex pacis* in illa *Hierusalem* debebat fundare, & ædificare, & incipere suam Ecclesiam in pace fundatam. Et per eam- F dem rationem ille mons dictus est *Sion*, id est, *specula*, & *contemplatio*: quia Apostoli debebant recipere Spiritum Sanctum, & bona gratiarum, per quæ intellexerunt Divinas Scripturas. Et per eamdem rationem tota illa pars terræ dicta est *Judæa*, id est, *confessio*: quia in ea Christus erat nasciturus, & in ea Angeli debebant confiteri Christum esse Deum in sua nativitate, cantantes *Gloria in excelsis Deo*. Item, quia ibi *Magi* Christum confessi sunt ipsum esse Deum & hominem, offerentes tria munera, & *latriâ* ipsum adorantes. Et sic patet, quòd confessio de Christo in Judæa facta est in sua nativitate, & in oblatione Templi per *Simeonem*, & *Annam Prophetissam*, postea per Apostolos: & ideò ex Divina providentia cecidit illa terra in sortem Juda, & vocata est *Judæa* propter mysteria G futura.

Per eamdem rationem tota terra illa dicta est *terra promissionis*: quia in ipsam erat Venturus Christus in Lege promissus; & in ipsa genus humanum debebat recipere repromissiones: & sic etiam dicebatur *hæreditas Domini*: quia in ea recepimus hæreditatem promissam. Et ideò dicit *Hieronymus* in Epistola *de Mansionibus*, quòd *causa quare Patriarchæ & Prophetæ desiderabant sepeliri cum tanto affectu in terra promissionis, fuit, quia præviderunt in spiritu, quod Christus erat ibi moriturus, & sepeliendus, & resurrecturus: ideò desiderabant cum illo resurgere ad vitam immortalem.* Et sic putant multi Doctores, quòd *Adam*, & *Abraham*, & *David*, & multi H Sancti veteris Testamenti surrexerunt cum Christo, propter illam Euangelicam sententiam: *Multa corpora Sanctorum surrexerunt cum eo.* Ex supradictis patet, quòd non à casu, nec voluntate humana, nec propter naturam locorum fuerunt imposita

talia

talia nomina istis locis: sed propter Divina mysteria, quæ erant in eis futura, quæ realiter fuerunt in eis per Christum completa. Sed quia tota Ecclesia Christi incœpit in illis locis, & fuit instituta in *Hierusalem*, & exinde per totum mundum diffusa: ideò A per totam Scripturam Ecclesia Christi nominatur his quinque nominibus, scilicet, *Hierusalem*, & *Sion*, & *Judæa*, & *terra promissionis*, & *hæreditas Dei*. Nam Ecclesia Christi incœpit in illa sancta societate Apostolorum, & Discipulorum, qui secuti sunt Christum ante Passionem, & post Resurrectionem fuerunt congregati numero centum viginti in *monte Sion*, ubi omnes receperunt Spiritum Sanctum, ut patet *Actor.* 1. & 2. quam societatem & Ecclesiam Christus in pace fundavit: quia nunquam venit ad eos, quin diceret: *Pax vobis*, ut patet per totum discursum Euangelicum, & maximè post Resurrectionem: totus enim thesaurus hujus societatis fuit *pax*. Unde dixit eis Christus: *Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis*. Unde ista sancta societas, sive Ecclesia, egressa ab illa *Hierusalem*, B disperſa est per totum orbem. Ideò tota Ecclesia verè dicitur *Hierusalem*: quia ab illa Civitate incœpit; & ideò nomen ejus retinet, sicut flumina retinent nomen fontis unde oriuntur. Unde *Araxes* sic nominatur, eò quòd fluit à montibus *Arach* ipsius *Armeniæ*: & *Borysthenes* sic nominatur per totum, eò quòd oritur à monte *Bory*, qui est pars ipsius *Riphei*. Et sic pro majori parte omnia flumina retinent nomina montium, & locorum, à quibus oriuntur.

Quomodò Ecclesia dicitur Hierusalem.

Propter duo ergo tota Ecclesia Christi dicitur, & denominatur *Hierusalem*. Primò, quia ibi fuit constituta à Christo & incœpta, & inde orta, & per totum orbem diffusa. Secundò propter proprietatem, & nominis interpretationem: quia ipsa est *visio pacis*, in qua sola Christus videtur per C Fidem. Per eamdem rationem dicitur *Sion*, quia in sola ipsa Christus speculatur & contemplatur. Item per eamdem rationem dicitur *terra promissionis*, & *hæreditas Domini*, quia in sola ipsa recepimus promissiones factas de Christo, & recepimus hæreditatem, hìc per gratiam, & in futuro per gloriam.

Hierusalem dicitur Persona Christi.

Et sic est dicendum, quòd in Sacra Scriptura ista quinque nomina verificantur, primò de Christo, secundò de Ecclesia. Nam *Hierusalem*, & *Sion* primò verificantur de Persona Christi, & de ejus humanitate: quia ipsa anima Christi primò videt Deum per essentiam, & in ipsa humanitate videtur Deus in patria à beatis. Item *pax* D primò reperitur in ipsa humanitate Christi, in qua totum corpus cum magna concordia subjicitur & conformatur animæ, & anima Deo. Secundò ex consequenti in tota Ecclesia, quæ dicitur *Hierusalem* propter rationes jam dictas. Tertiò verificatur *Hierusalem* de ipsa *Virgine Maria*: quia in ea maximè viguerunt supradictæ conditiones visionis, & pacis, & ordinis. Quartò verificatur *de anima* cujuslibet justi. Quintò veri- E ficatur *de Regno* cœlesti, & per easdem rationes secundùm ordinem.

Sion primò verificatur *de Christo*, secundò *de Ecclesia*. Et sic est dicendum de hoc nomine *Judæa*, & *terra viventium*, & *hæreditas Domini*, & etiam de hoc nomine *Cœlum*. Nam *Cœlum* interpretatur *clarum*, & dicitur *à claritate*. Ideò prius verificatur *de Christo*, secundò *de Ecclesia*, tertiò *de Virgine Maria*, quartò *de qualibet anima justi*, quintò *de Cœlo Empyreo*, sive *de Regno Cœlorum*, sive *de Curia Beatorum*. Sed hoc est secundùm ordinem successionis: nam secundùm ordinem perfectionis, *Cœlum* prius intelligitur, & verificatur *de consistorio Trinitatis*: secundò de tota illa *Ecclesia Triumphanti*: tertiò de ista *Militanti*; quia illa est clara per gloriam, ista per gratiam, & Fidem.

F Advertat ergò diligenter prudens lector, quia ista nomina non fuerunt imposita illis locis gratiâ sui, sed ratione futurorum mysteriorum de Christo & Ecclesia: ideò ad talem sensum sunt exponenda. Unde cum hoc concordat *Rabbi Moyses de Ægypto* in suo *More*, ubi dicit, quòd *hoc est desiderium desideriorum, quod cupiunt scire Prophetæ: scilicet, scire, & intelligere significationes nominum localium terræ promissionis: quia per Hierusalem inferiorem intelligenda est Hierusalem superior*. Cum hoc etiam concordat illud, quod legitur in Glossa *Beresit Raba*, ubi per Thalmudistas movetur quæstio: *An Deus, sive ejus Messias cùm venerit, debeat esse acceptator personarum?* Ad quam quæstionem respondet, *quod absit: immò Messias cum venerit, salvabit omnes confitentes Deum corde & opere. Quia sic* G *scriptum est* Hierem. 40. *In diebus illis salvabitur Juda, id est, omnes Gentiles Deum confitentes, qui dicentur Juda: quia sic scriptum est etiam* Isaiæ 49. *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad fines terræ*. Ex quibus patet, quòd nomina, sive loca supradicta non sunt intelligenda, etiam secundùm Hebræos, solùm ad litteram, sed spiritualiter pro totâ Ecclesiâ, à Solis ortu usque ad occasum diffusâ. Unde dicit *Rabbi Salomon* super *Zachar.* 9. quòd *Prophetæ non sunt locuti, nisi ad tempus Messiæ: quia nihil est scriptum in Lege veteri gratiâ sui: sed omnia referuntur ad Christum, ut dictum est.*

Nota.

Quæstio.

Quartum Capitulum.

Nota. *De nominibus Divinæ Legis.*

IN *quarto Capitulo* exponuntur *nomina Divinæ Legis.* Ad cujus intellectum est advertendum, quòd *Lex Domini*, secundumquòd habet diversos effectus, & respectus: ita diversis nominibus nuncupatur. Nam in quantum est à Deo lata, & in quantum ligat & obligat hominem, dicitur *Lex Domini:* sed in quantum est à Deo prolata, & scripta in tabulis, dicitur *sermo Domini*, sive *eloquium Domini*: sed in quantum prohibet mala fieri, dicitur *præcepta*, sive *præceptum.* In quantum autem admonet bona fieri, dicitur *mandatum*, sive *mandata.* Sed in quantum est testificata à Deo, & Prophetis, dicitur *testimonium Domini.* Sed in quantum *per Legem* cognoscimus voluntatem Domini, dicitur *voluntas Domini.* Sed in quantum fuit confirmata per mortem Christi testatoris, dicitur *Testamentum Domini.* Sed in quantum justificat observantes, dicitur *justitiæ*, sive *justitia Domini.* Sed operationes quæ fiunt secundùm *justitiam*, dicuntur *justificationes.* Sed punitiones & præmiationes, quæ fiunt per *justitiam*, dicuntur *judicia Domini.* In quantum verò ducit, & dirigit homines, dicitur *via.* Item in quantum ejus scripta omnia sunt impleta in Christo, dicitur *veritas.* In quantum per *Legem* sumus liberati, dicitur *misericordia.* Item in quantum Deo pacificati, dicitur *pax.* Item dicitur *arbor*, sive *lignum vitæ*, & hoc metaphoricè. Nam sicut Adam colendo illam *arborem vitæ*, & comedendo ejus fructum, juxta præceptum Domini fuisset præservatus ab omni infirmitate & morte, & in tempore suo collegisset, & adeptus fuisset immortalitatem, & post magnum tempus translatus esset in vitam meliorem, secundùm *Augustinum:* ita Deus post lapsum dedit homini hanc *Legem* loco illius *ligni vitæ*, ut eam servaret & coleret, expectando ex ea fructum vitæ: & Patres veteris Testamenti eam servaverunt usque ad tempus Christi. Et sic ex ea receperunt fructum in tempore suo, scilicet, *fructum redemptionis*: & sic eamdem Legem secundùm veritatem colentes nos expectamus fructum gloriæ. Ista arbor sicut in primo adventu Christi fecit *fructum gratiæ*, & *nostræ redemptionis:* ita & in secundo adventu faciet *fructum gloriæ.*

Lex Domini dicitur vinea.

Item *Lex Domini* dicitur etiam *vinea Domini.* Nam sicut vinea primò plantatur, & postea facit palmites, & exinde uvas, ex quibus expressis in torculari extorquetur vinum in tempore suo: ita pariter Christus in principio dedit *Legem naturæ*, quæ fecit folia in *Noe*, & *Abraham*: & sic incœpit facere uvas in *David*, & Prophetis, quæ maturatæ sunt in adventu Christi: ex quibus Christus expressit, & extorsit vinum Ecclesiasticorum Sacramentorum in torcu-

A B C D

lari Crucis: & ex eadem Lege veteri extorsit veritatem Euangelicam, quam nos colimus & observamus; ex qua extorquemus, & extorquebimus vinum gloriæ in die judicii, & etiam in fine cujuslibet fidelis. Ex quo patet, quòd *Lex Divina* accommodatè dicitur *vinea Domini. Matth.* 2. & 22. quæ data est nobis ad colendum.

E

Dicitur *Seges.*

Item *Lex Divina* dicitur etiam *Seges*: nam sicut frumentum primò seminatur, & posteà crescit in herbam, & exinde in granum, & ultimò in area cum ventilabro separatur granum à paleis: & granum reponitur in horreo, ad sustentandum vitam hominum; paleæ verò comburuntur igni, & projiciuntur bestiis ad comedendum: pariformiter Deus in principio seminavit Legem post lapsum in *Adam* & *Abel*, quæ crevit in herbam in *Noe* & *Abraham*, & incœpit facere spicas in *Moyse*, & incœpit facere granum in *Prophetis*: quæ quidem *seges Legis* fuit maturata in Christo. Unde dicit Christus *Lucæ* 9. *Messis quidem multa.* Item *Joann.* 4. *Aspicite messes, quoniam albæ sunt.* Sed hanc messem Christus messuit, & in sua area Crucis trituravit, & ventilabro suo granum Euangelicæ veritatis à paleis cærimonialium, & cæterorum legalium separavit: & granum Sacramentorum, & Legis Euangelicæ in horreo Ecclesiæ pro nobis reposuit: & paleas cærimonialium tradidit igni inextinguibili: quia cærimonias, & cætera legalia totaliter reprobavit, & ejecit, & abdicavit.

F

Et sic, sicut jam recepimus granum Sacramentorum, nunc expectamus granum gloriæ post hanc vitam. Judæi autem cœci & obstinati adhuc comedunt folia cærimoniarum sine fructu, & bibunt, sive comedunt vinaceum sine vino, quod jam exinde expulsum est: & ita comedunt paleas legaG lium sine grano, tanquam bestiæ. Et sic patet, quomodo *Lex Divina*, sive *Sacra Scriptura* nominatur istis viginti nominibus: scilicet, *Lex Domini*, *verbum Domini*, *eloquium Domini*, *sermo Domini*, *præceptum*, *mandatum*, *testamentum*, *testimonium*, *justitia*, *judicium*, *justificationes*, *via Domini*, *semita Domini*, *veritas*, *misericordia*, *pax*, *arbor*, *sive lignum vitæ*, *vinea Domini*, *ager*, *sive seges Domini*: & hoc secundùm diversos respectus & effectus: & ideò quandocumque aliquod istorum nominum in Sacra Scriptura ponitur, semper est intelligenda *Lex Divina*, quæ semper est distinguenda secundùm suas ætates, ut dictum est *Tractatu* 3. *regula* 7. verumtamen de unoquoque istorum clariùs dicitur in suis locis.



Quintum Capitulum.

De nominibus diaboli.

IN quinto Capitulo memorantur & exponuntur *nomina diaboli, & populi ejus, magis frequentata in Sacra Scriptura.* Unde diabolus dicitur quia *divisus:* quia *ab initio in veritate non stetit*, sed à Deo discessit: & sicut ipse fuit divisus, ita fuit etiam *divisor*: quia hominem à Deo per peccatum separavit, & continuè inter homines zizaniam seminavit, *Matth.* 23. & à veritate Divinæ Legis nos separare conatur. Secundò dicitur *Satanas*, id est, *contrarius*, & *adversarius:* quia ab initio nobis adversatur, & inimicatur, & omni veritati resistit. Item dicitur *peccator*: quia *ab initio peccat, & mentitur. Joan.6.* Item dicitur *exterminator*, *Apocal.9.* quia hominem extra terminos Divinæ visionis & beatitudinis ejecit, & continuè conatur extrahere. Item dicitur *mors*, *Apocal.9.* quia hominem in mortem dejecit, & actor mortis ipse fuit. Et sic hæc sunt nomina *diaboli* magis frequentata. Dicitur etiam *Belial* & *Leviathan*: nam *Belial* interpretatur *ascensus*, sive *superbia*; & Leviathan *terribilis*, & *vastans.* Sed nomina *populi diaboli* sunt *Sodoma Ægyptus*, in *Epistola Jacobi:* eò quòd tales sunt obcœcati in tenebris peccatorum. Item dicitur *Babylon*, quia *confusio*, *Apocal.* 16. quia inter membra diaboli non est ordo, sed horror & confusio, cùm omnes serviant vitiis, & malis cupiditatibus: & sic in eis non ratio, sed sensualitas dominatur. Et ideò per talia nomina in Scriptura communiter *populus*, sive *membra diaboli*, aut hæretici, & infideles, & mali intelliguntur.

TRACTATUS QUINTUS.

De titulo in Psalmis.

IN *quinto Tractatu* exponuntur generaliter, & explicantur *tituli Psalmorum.* Ad cujus intellectum est notandum, quòd *titulus* in Psalmis est, *cum sacramento occulto aliquid notificans præscriptio.* Unde per hoc quod dicitur *præscriptio*, denotatur, quòd in tali titulo describuntur aliqui termini, sive quod talis fit per aliquos terminos: per hoc autem quod dicitur *aliquid notificans*, denotatur, quòd illi termini ponuntur ad aliquid notificandum. Per hoc autem quod additur *cum aliquo sacramento*, denotatur, quòd illi termini includunt aliquod sacramentum de Christo & Ecclesia. Item secundùm alios, *titulus* in Psalmis est: *Quorumdam terminorum sacramentum Psalmi continentium*, *annotatio*: quæ quidem descriptio idem significat cum superiori.

Et ideò est notandum, quòd sex præ-

notantur in *titulis Psalmorum*: nam talis *titulus* aut notificat nomen Psalmi, aut personam aliquam, aut materiam Psalmi, aut modum cantandi, aut instrumentum cum quo cantabantur illi Psalmi, aut tempus in quo cantabantur. Nomina autem Psalmorum sunt octo, scilicet, *Psalmus*, *canticum*, *hymnus*, *intellectus*, *sive eruditio*, *oratio*, *alleluja*, *Psalmus cantici*, *canticum Psalmi. Psalmus* dicitur quasi *sermo laudatorius.* Et sic omnes generaliter dicuntur *Psalmi. Canticum* dicitur, in quantum cantabatur voce humana. *Hymnus* autem dicitur, in quantum dicit laudem Dei cum lætitia. *Alleluja* dicitur, in quantum continet laudes Dei simpliciter. Unde dicit *Rabbi Abenazara* in Prologo hujusmodi, quòd *hæc est differentia inter* hymnum, & alleluja: *quia* hymnus *dicit simpliciter laudem*: *sed* alleluja *dicit laudem simul cum Deo. Nam* allelu *idem est quod* laudate: *sed* ja *idem est quod* Deus: *id est*, laudate Deum. *Et sic* alleluja *includit simul Deum cum laude.* Sed ista sunt satis frivola: quia hoc idem dicit *hymnus*; nisi quod addit *lætitiam.* Sed *alleluja* dicitur, in quantum in illo *Psalmo* narrantur beneficia Dei. *Intellectus* verò, sive eruditio dicitur, in quantum ille Psalmus continet aliquod mysterium profundum, à Spiritu Sancto propheticè revelatum. *Oratio* dicitur, in quantum in illo *Psalmo* fit aliqua petitio. *Canticum* verò *Psalmi* dicitur, in quantum ille *Psalmus* cantabatur simul cum instrumento musico. Sed erat ista differentia: nam quando chorus Cantorum incipiebat primum versum *Psalmi*, & instrumentum sonabat versum sequentem; tunc dicebatur *canticum Psalmi.* Sed quando instrumentum incipiebat *Psalmum*, & chorus sequebatur secundum versum, tunc dicebatur *Psalmus cantici.* Et sic patet, quòd ista octo sunt nomina Psalmorum *in titulis* prænotata, & non plura. Secundò prænotatur quandoque *in titulis* aliqua persona. Sed illa persona potest esse triplex. Nam quandoque prænotatur, & præscribitur *persona actoris* ipsius Psalmi: ut quando dicitur *Psalmus David.* Quandoque autem *persona Cantoris*, ut cùm dicitur: *ipsi Asaph*, sive *filiis Core.* Quandoque verò *persona* de qua est Psalmus, ut cùm dicitur in *Salomonem*, vel *Doëg*, *Psalmo* 51.

Nota. De personis in titulis Psalmorum.

Nota.

Tertiò in *titulo* quandoque prænotatur *materia de qua est Psalmus*, sive *ex qua* est Psalmus: ut cùm dicitur, *cum David fugeret à facie Absalon.* Quartò prænotatur quandoque in titulo *modus cantandi*: ut cùm dicitur, *in finem*, sive *ad victoriam*, sive *super octavam:* quia tunc unus chorus conabatur superare alium in elevatione vocis. Sed hoc non fiebat sine sacramento, ut patebit suis locis. Quintò quandoque in *titulo* prænotatur *instrumentum* cum quo Psalmus cantabatur: ut cum dicitur, *in or-*

ganis David. Sextò quandoque *in titulo* prænotatur, & notificatur *tempus* in quo Psalmus cantabatur: ut cùm dicitur, *pro torcularibus*, sive *prima & quarta Sabbati.* Sed omnia ista non fiebant sine sacramento, ut patebit. Et dicit *Rabbi Abenazara*, quòd *quando in titulis ponitur* ad victoriam, *sive* in finem, *aut* canticum: *semper prænotabat aliquod futurum.* Item dicit *Cambi in Prologo hujus libri*, quòd *omnes Psalmi, qui intitulantur* ad victoriam, *sive* in finem, *sive* in organis, *loquuntur de Messia; & semper denotant aliquod mysterium profundum.* Item dicit secundò, quòd *David fecit omnes Psalmos, qui sunt sine titulo.* Item dicit tertiò, quòd *David non solùm fecit Psalmos in persona sui, sed etiam in persona aliorum: scilicet, in persona* Adam Harison, *id est*, primi *hominis*, *& in persona Moysi. Unde quando dicitur* Oratio Moysi viri Dei, *non ponitur ibi, quòd Moyses fecerit Psalmum* 89. *sed quòd fecit David Psalmum illum in persona ipsius Moysi, in quantum introducit ipsum ad loquendum.* Et sic est dicendum de Psalmo 71. qui inticulatur *in Salomonem.* Et sic dicimus nos, quòd multi Psalmi sunt facti in persona illius, qui introducitur ad loquendum. Sicut in *Psalmo* 3. & 15. & 20. & multi facti sunt *in persona Ecclesiæ*, sive *corporis mystici*, ut est *Psalmus* 5. Et multi sunt facti *in persona* ipsius *Adæ cum sua posteritate fidelium*, ut est *Psalmus* 5. & 12.

A

B

Et ideò debet diligenter advertere lector, quæ persona introducitur ad loquendum in quolibet Psalmo, & cujus est vox, sive locutio: quia aliter non potest haberi vera intelligentia Psalmi. Et etiam præter *personam auctoris* Psalmi est prænotanda, & valdè consideranda *persona introducta* ad loquendum in Psalmo: sicut in comœdiis, & tragœdiis prænotantur, & considerantur personæ introductæ, quia nusquam loquitur auctor. Ex quo patet, quòd omnes particulæ in titulis positæ, sunt valdè notandæ: quia nulla ponitur sine magno sacramento. Nam ubicumque ponitur *in finem*, prænotatur, quòd ille *Psalmus* dirigit nos in Christum, qui est *finis Legis.* Et sic David per illum Psalmum dirigebat illum populum in Christum Messiam futurum: quia in *illo Psalmo* loquebatur propheticè de Christo futuro, quem ille populus tanquam finem illius Legis expectabat, in quem tendebat, & peregrinabatur.

C

Item sunt etiam attendenda & considerandа *instrumenta musicalia*, quæ nominantur in *titulis*, & in *Psalmis*, quæ sunt *septem*; scilicet, *Psalterium, Cythara, Tympanum, Chorus, Organum, Cymbalum, Tuba*: quorum quodlibet non ponitur sine sacramento: immò significabat aliquod mysterium futurum de Christo & Ecclesia. Nam *Psalterium* est instrumentum musicale quadrangularis figuræ, altera parte longioris, habens decem chordas principales. Per quod significabatur mysticè *Lex Euangelica*, quæ primò est *quadrangularis*; quia per *quatuor Euangelistas* fuit scripta, & testificata: quorum duo sunt majores, & de visu; scilicet, *Joannes*, & *Matthæus*; & duo minores de auditu, scilicet, *Lucas*, & *Marcus.*

D

E

Nota. *De instrumentis musicalibus Psalmorum.*

Item secundò, quòd *Lex Euangelica* habet decem chordas: scilicet, quæ continet in se *decem Euangelica mysteria*; scilicèt primò *mysterium Trinitatis*: secundò *mysterium Incarnationis & Nativitatis:* tertiò *mysterium Prædicationis*: quartò *mysterium Miraculorum operationis*: quintò *mysterium Mortis & Passionis*: sextò *Resurrectionis:* septimò *Ascensionis*: Octavò *Spiritus Sancti missionis*: nonò *Gentilium vocationis*, & *totius Ecclesiæ congregationis:* decimò *futuræ Glorificationis.* Hæ sunt *decem chordæ* psalterii Euangelici. Et hoc dicitur *psalterium decachordum*, figuratum per illud *psalterium* materiale, cum quo cantabantur Psalmi Legis veteris.

F

Item *Lex Euangelica* dicitur etiam moraliter *psalterium decachordum*, in quantum continet *decem præcepta moralia.* Et sic in hac Ecclesia Militanti continuè cantamus *psalterium morale*, per observantiam decem præceptorum. Sancti verò in Cœlo cantant *psalterium anagogicum* decem fructuum, & gaudiorum gloriæ, & felicitatis.

Item *cithara*, quæ est triangularis figuræ, primò significabat *mysterium Trinitatis*, scilicet, tres Personas Divinas in una substantia & essentia. Secundò significabat unam Ecclesiam septam triplici muro, scilicet, *Fidei*, *Spei*, & *Charitatis.* Nam in tota Lege Euangelica nihil præcipitur, nisi quid credendum, quid agendum, quid sperandum. Item significabat *anagogicè* statum futuræ beatitudinis, quæ consistit in *visione*, & *tentione*, & *fruitione.* Unde vigintiquatuor chordæ ipsius citharæ triangularis significabant vigintiquatuor seniores cantantes *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* in conspectu Agni. Item tertiò *Tympanum* significabat *mysterium Passionis Christi* specialiter, quia fuit percussus.

G

De Cithara.

Item quartò per *organum* specialiter significabatur *mysterium Resurrectionis.* Item quintò per *chorum* significabatur *mysterium Glorificationis.* Sextò per *tubam* significabatur *mysterium Ascensionis.* Septimò per *cymbalum* significabatur *mysterium vocationis Gentilium*, & *congregationis in unam Ecclesiam.* Item quando David, aut Sacerdotes in Templo cantabant Psalmos cum psalterio decem chordarum, nihil aliud intelligebant, nisi vocare Christum, ut veniret in carne ad implenda illa decem mysteria Euangelica. Et sic est dicendum de cæteris instrumentis. Nos autem jam cantamus *psalterium Euangelicum*, agendo gratias

H

pro

pro beneficiis illis jam receptis. Ex quibus patet, quòd quando ponuntur in Psalmis & memorantur talia Musicalia instrumenta, non debemus sistere in littera materiali: sed transire ad sensum spiritualem, & ad mysteria Euangelica, quæ significabant illa materialia instrumenta. Item quando in Psal- A mis, sive in titulo alicujus Psalmi ponitur aliquod tempus in quo cantabantur, putà, *pro torcularibus*, aut *pro dedicatione Templi*: tunc debemus recurrere ad mysteria illarum festivitatum, putà, quid significabant futurum in novo Testamento. Et sic sunt exponendi tituli, & etiam Psalmi illius tituli, prout latiùs patebit in suis locis.

Nota. *De Diapsalmate.*

Ulteriùs est tertiò notandum, quòd in psalterio *Septuaginta Interpretum*, præter titulos communes reperiuntur quidam particulares tituli scripti *in rubeo*, qui dicuntur *Diapsalmata*, & hoc sub numero VII. Et hoc in medio quorumdam Psalmorum, & quandoque in principio: de quo *Diapsalmate* nulla est certitudo apud He- B bræos: immò inter se multipliciter discordant. Nam quidam dicunt, quòd est *mutatio metri:* quidam autem, quòd est *commutatio*, sive *pausatio cantûs:* quidam verò, quòd est *mutatio sententiæ.* Sed hoc non placet *Beato Hieronymo* in Epistola *ad Marcellam.* Sed dicit, quòd *ubi Græci habent* Diapsalma *litteris rubeis*, *Hebræi habent* Selà, *quod significat* semper. Et sic *Aquila* ubicumque reperit *Selà* sic scriptum, ipse traduxit *semper.* Septuaginta verò, *Simmachus*, & *Theodocion* traduxerunt *Diapsalma.* Sed *Beatus Hieronymus*, sequens *Aquilam*, transtulit *semper* in latinum in sua traductione. Sed in veritate nullam videtur importare rationem. Nam quasi in infinitis versibus Psalmorum reperitur hoc adverbium *semper*: ubi non scribitur *Diapsalma* tali modo litteris rubeis: C quia solum reperiuntur *septem Diapsalmata* sic in rubeo scripta in medio Psalmorum; & quandoque bis, aut ter in eodem Psalmo. Et ideò *Augustinus* aliter dicit. Unde dicit, quòd sicut *Sympsalma* dicitur *continuatio Psalmi* apud Græcos: ita *Diapsalma* dicitur *divisio* Psalmi, sive manifestæ sententiæ. Nam manifestè videtur, quod ubi ponitur *Diapsalma*, est *distinctio*, seu *mutatio sententiæ* in eodem Psalmo. Et sic *Cassiodorus* sequendo sententiam *Augustini*, ubicumque reperit *Diapsalma*, semper fecit divisionem in littera sui commenti, & in sententia. Sed licèt hoc sit benè & verè dictum: quia *Diapsalma* realiter significat *divisionem Psalmi:* tamen adhuc politio *Augustini* non evacuat totam causam hujus D mysterii, quare hoc nomen *Diapsalma* præponatur, sive interponatur litteris rubeis, sive alterius coloris.

Et ideò est advertendum, quòd si bene inspexerimus *titulos* Psalmorum, potiùs pro majori parte denotant modum cantandi, quàm materiam. Nam *David*, qui ordinavit Divinum cultum in Tabernaculo, & distribuit Psalmos in propriis festivitatibus, & sic intitulavit eos, sicut *Ecclesia* nunc intitulat *hymnos* appropriatos singulis festivita- E tibus: & præcepit David, ut cantarentur illi Psalmi cum cæteris instrumentis significantibus mysteria contenta in illis Psalmis: & sic in titulo *Psalmi* memorabat instrumenta determinata, cum quibus *Psalmi* cantabantur: & etiam explicabat modum cantandi, ut supra dictum est, ut unusquisque chorus sciret secundùm vices suas, quem Psalmum deberet cantare in qualibet festivitate, & per quem modum: & talis modus quandoque explicatur in *titulo.* Et sic *David* intitulavit Psalmos, sicut *Terentius* intitulavit suas comœdias, explicando modum cantandi, & personas, & instrumenta, cum quibus cantabantur, cùm dicit: *Acta ludis Megalensibus duabus tibiis, &c.*

F Item David quandoque dividebat Psalmum quem cantabat chorus in sua festivitate, & accipiebat unam particulam *Psalmi* abscisam, alteri festivitati acommodatam, & appropriatam, quam vocabat *Diapsalma.* Et cantores in medio Psalmi, ubi fiebat talis divisio, scribebant *Diapsalma* in rubeo, ut cognosceretur divisio, & distinctio illius particulæ. Et sic reperiuntur *sexaginta-quinque Diapsalmata*, id est *divisiones*, in toto psalterio secundùm ritum cantandi, qui fiebat tunc in Templo *Salomonis.* Quem modum etiam nos servamus in aliquibus *Psalmis*: quia de toto Psalmo accipimus quandoque aliquam particulam, & cantamus illam in aliqua hora. Nam de *Psalmo* 30. excerpimus sex primos versus, scilicet, *In te Domine speravi.* Et sic relicta secunda parte *Psalmi*, cantamus primam particu- G lam in *Completorio.* Et sic prima particula proprie dicitur *Diapsalma*, id est, *partitio*, sive *divisio Psalmi.* Et sic etiam excerpimus, & abscindimus duos ultimos versus de *Psalmo* 89. scilicet, *Domine refugium:* & dicimus eos cum *Gloria Patri* post *Pretiosa in conspectu Domini* ad *Primam.* Et sic illa *particula & abscisio Psalmi* dicitur *Diapsalma;* & sic etiam *Psalmus* 118. *Beati immaculati in via*, qui habet *viginti duos octonarios*, dividimus in undecim partes, ponendo *duos octonarios* in qualibet parte; & ponimus eos *Primâ*, & *Tertiâ*, & *Sextâ*, & *Nonâ* horis. Quæ quidem partitiones dicuntur *Diapsalmata.* Et sic patet, quid est *Diapsalma.*

Item per oppositum etiam *Ecclesia La-* H *tina* facit aliqua *Sympsalmata*, id est, *continuationes* multorum Psalmorum. Nam quandoque dicit duos Psalmos sub uno *Gloria Patri*, ut in *Laudibus* dicimus: *Deus Deus meus*, & *Deus misereatur nostri*, sub uno *Gloria Patri.* Et postea in fine di-

dicimus tres Psalmos, scilicet, *Laudate Dominum de Cœlis*, & *Cantate Domino*, & *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, sub uno *Gloria Patri*. Et ista talia dicuntur *Sympsalmata*, sive *Apopsalmata*, id est, *continuationes*, sive *appositiones* diversorum A Psalmorum. Itaque sicut *Diapsalma* est *divisio*, sive partitio Psalmi : ita per oppositum *Sympsalma*, sive *Apopsalma*, est *continuatio*, sive *appositio Psalmorum*, quando unus Psalmus apponitur alteri, & continuatur cum eo. Et sic patet, quid est, aut quid significat *Diapsalma*, quare litteris rubeis scribatur, quia significabat *divisionem*, seu *partitionem Psalmi*, factam in illa parte Psalmi propter causas jam dictas.

Sed quid dicendum ad *Beatum Hieronymum*, virum tantæ auctoritatis? qui dicit, quod *Sela* significat *semper*. Ad hoc B respondetur, quòd hoc nomen *Sela* in Hebræo erat tunc æquivocum ad *semper*, & ad *partitionem*. Et ideò *Septuaginta* cum *Symmaco*, & *Theodotione* ceperunt unam significationem & veram : *Aquila* autem, quia ignoravit hanc æquivocationem cepit tantùm unam significationem sibi notam : & hunc secutus est *Beatus Hieronymus*.

Nota. Unde est advertendum, quòd multa fuerunt in *primo Templo* quantum ad Divinum cultum, quæ posteà fuerunt ignorata in *secundo Templo*, ut ait *Josephus* : quia in *secundo Templo* non fuit servatus totaliter idem ritus cantandi Psalmos : immò multa fuerunt omissa, & ignorata, propter destructionem *primi Templi*, & *Civitatis* : quia cum magno labore revocavit *Esdras* Sacerdotes, & illum populum ad cultum Divinum in secundo Templo : & sic non po- C tuerunt omnia recuperari, quæ fiebant in primo Templo : immò dicit *Josephus*, quòd *non solùm perdiderunt Judæi existentes in Babylonia cultum Divinum, & obliti sunt ritus colendi Deum ; sed etiam obliti sunt litteras, & linguam Hebræam.* Et ideò *Esdras* alios characteres litterarum reperit, quibus restauravit, & scripsit Legem, ut inquit *Hieronymus* in *Prologo libri Regum*. Non ergo est mirum, si Judæi moderni post destructionem secundi Templi, à finibus eorum ejecti, & per totum orbem dispersi, perdiderunt omnes ritus colendi Deum antiquos, & linguam Hebræam, & ignoraverunt multas significationes, & æquivocationes vocabulorum : & ideò inter eos D sunt multæ contradictiones & discordiæ in litterali expositione scripturæ veteris Testamenti. Et ideò nulla Fides est eis adhibenda : quia nesciunt quid dicunt propter longam oblivionem. Et ideò est magis credendum *Septuaginta Interpretibus*, & ipsi *Josepho*, qui fuerunt multo tempore ante destructionem secundi Templi, qui melius noverunt ritus colendi Deum, & significationes vocabulorum Hebraicorum, quàm *Aquila* & *Thalmudistæ*, quos sequitur *Beatus Hieronymus* in hac parte : quia Judæi moderni multas significationes vocabulorum ignorant, ut latiùs dicetur *in sequenti Tractatu*. Et ideò Judæi jam nesciunt quid di- E cant in titulis Psalmorum, nec in cæteris ritibus antiquis.

TRACTATUS SEXTUS.

QUANTUM ad *sextum Tractatum*, quia totum Testamentum vetus est traductum ex *Hebræo* in *Græcum*, & *Latinum*, & multæ & diversæ sunt hujusmodi interpretationes, ex quibus est eligenda una ad exponendum librum Psalmo- F rum : ideò tria sunt præmittenda, & videnda in hoc *sexto*, & ultimo *Tractatu*. Primò, *unde habuit ortum lingua Hebræa*, & in quo differt à *Chaldæa*, & ab *Arabica*, & *Syra*? Secundò, *qui fuerunt Interpretes majoris auctoritatis : & quæ fuit causa diversitatis eorum*? Tertiò, *quæ eorum interpretatio in libro Psalmorum ad exponendum nobis sit magis eligenda*?

ARTICULUS PRIMUS.

QUANTUM ad primum est notandum secundumquòd dicit *Albumasar* in suo *Introductorio*, quòd *Noe post diluvium descendit à montibus Armeniæ, & venit in Chaldæam, & quia vidit terram aptam ad scientiam ; eò quòd est sita in* G *quarto climate : ideò decrevit in ea manere cum filiis suis & nepotibus : quos docuit Astronomiam, & Artes Mathematicas, & naturalem Philosophiam.* Posteà Chaldæi docuerunt Arabes, & Phœnices. Sed Arabes docuerunt *Ægyptios*, & *Æthiopes : Phœnices* autem docuerunt *Græcos* : & *Græci Latinos*, & *Sarmathas*. Et sic semper manent aliquæ diversitates in litteris, & linguis : & aliquæ similitudines in sonis litterarum.

Nota. *Unde habuit ortum lingua Hebræa.*

Ex quibus patet, quòd in prima ætate jam erant litteræ, ut dicit *Lisander*. Nam *Enos cœpit invocare nomen Domini*, *Genes.* 4. ergo jam habebat litteras, quibus commendabat memoriæ orationes quas con- H ficiebat. Et sic *Noe* nutritus in prima ætate jam scivit litteras : quæ litteræ & lingua dicebantur naturales, eò quòd in *Lege naturæ* fuerunt traditæ : quas litteras & linguam *Noe* docuit filios, & nepotes in secunda ætate post diluvium. Et sic illa lingua naturalis cum litteris duravit usque ad *Heber* & *Phaleg* : in cujus tempore facta est confusio & divisio linguarum *in Babylonid*. Unde dicit *Augustinus* 16. *de Civitate*, *capit.* 9. quòd *illa lingua naturalis mansit*

in

in Heber, & in filiis suis. Ideò dicitur Hebræa, ab Heber. Sed Hebræi dicunt, quòd illa lingua naturalis totaliter fuit extincta in illa confusione *Babyloniæ.* Sed in veritate hoc non est necesse, quod illa lingua naturalis totaliter extingueretur: sed sufficit A quod fuerit facta confusio, & mutatio ex illa lingua in multas alias, per mutationem aliquarum litterarum in principio dictionum, aut in fine. Et mansit aliqua similitudo & dissimilitudo inter linguas maximè vicinas, ut patet manifestè. Sed cum hoc stat secundùm *Augustinum*, quòd mansit illa lingua naturalis integra & perfecta apud filios *Heber*, & suos successores: & ista fuit *lingua Chaldaica*, ut manifestè patet.

Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd sicut lingua *Gallica* & *Hispana* conveniunt cum *Italicâ*, sive *Latinâ*, eò quòd descendunt ab illa: nam *Romani* B cogebant *Hispanos* & *Gallos*, quibus dominabantur, loqui modo *Romano*: eò etiam quòd *Romani* habebant plures colonias in *Hispania* & *Galliis*, *&c.* Et sic tàm *Galli*, quàm *Hispani* loquuntur Romanum quasi in quibusdam litteris, & syllabis. Et sic *lingua Hispana* moderna nil aliud est nisi *lingua Romana* obliquata. Et ideò *Hispani* pro majori parte intelligunt linguam *Italicam*, & è contrario, eò quòd ista descendit ab illa. Et etiam *Hispani* intelligunt linguam *Gallicam*: eò quòd ambæ descendunt, & derivantur ab *Italica*, & *Latina.* Idem ergo pariter est dicendum de *lingua Hebraica*, & *Syra*, & *Arabica.* Nam quia omnes descendunt à *Chaldaica*, ut dicit *Albumasar*: ideò omnes se intelligunt inter se: & omnes intelligunt faci- C liter *linguam Chaldaicam*: ut manifestè patet intuentibus. Nam pro majori parte *vocabula Hebraica* non differunt ab *Arabicis*, & *Chaldæis*, nisi mutatis quibusdam litteris aliquando in principio, aut in fine.

Et ideò Judæi faciliter addiscunt *Arabicum* propter vicinitatem linguæ. Sed causa quare *lingua Hebræa* derivatur à *Chaldæa* fuit, quòd *Abraham*, vir *Chaldæus*, exiit à *Chaldæa* & *Mesopotamia*, quæ eadem est, & venit in terram *Chanaan*, quæ est in *Syria* citra *Euphraten*, & ibi loquebatur *Chaldaicè* cum filiis & familia sua. Sed per longam temporis moram illa lingua fuit obliquata, conversando cum *Chananæis.* Sed quia *Chananæi*, & omnes *Syri* D vocabant *Hebræos*, omnes venientes ultra flumen Euphraten: ideò omnes de familia *Abrahæ* loquentes illâ linguâ, appellabant *Hebræos*, & illam linguam appellabant *Hebræam.* Nam *Hebræus* interpretatur, *transiens*, *peregrinus*, *veniens ultra.* Sed quia Abraham cum suis venerat ultra de *Chaldæa*, ideò appellabant ipsum *Hebræum* cum omnibus suis. Ideò dicitur *Genes.* 24. quòd venit *Abraham Hebræus*, quasi homo peregrinus veniens ultra Euphraten. Et sic exinde omnes sunt dicti *Hebræi*, quasi *peregrini*, & *ultrafluviani*, & *Chaldæi.* Ex quibus patet, quòd *Abra-* E *ham* fuit *Chaldæus*, & lingua sua, quæ dicitur *Hebræa*, fuit *Chaldæa.* Et sic *lingua Hebræa* est lingua *Chaldæa* obliquata, & aliqualiter alterata propter conversationem aliarum nationum.

Item quia *Ismael* filius *Abrahæ*, & *Esau* filius *Isaac* populaverunt *Arabiam*: ideò lingua *Arabica* est ipsi *Hebraicæ* vicina & similis. Et sic lingua *Syriaca*, & *Arabica* dicitur lingua *Chaldæa* alterata & obliquata: inter quas est tanta vicinitas, ut ait *Hieronymus* in *Prologo Galeato*, quod *se ad invicem intelligunt.* Nam tota terra quæ est ultra *Jordanem*, pertinet ad *Arabiam.* Sed ab *Hierusalem* usque ad *Jorda-* F *nem* vix sunt septemdecim milliaria. Inde est ergo, quòd Beatus *Hieronymus* in brevi tempore didicit ita perfectè litteras, & linguam *Hebræam*, eò quòd habitavit in terra promissionis fermè per quadraginta annos, in qua terra omnes vulgariter loquebantur indifferenter *Arabicè*, & *Syriacè.* Et sic *Hieronymus* jam practicus in lingua *Arabica*, & *Syriaca*, faciliter transivit in linguam *Hebræam*, & *Chaldaicam* propter vicinitatem linguarum. Nam ipse prius novit *Arabicum*: nam immediatè ex *Arabico* in *Latinum* transtulit librum *Job*, ut ipse ait *in Prologo* ejusdem libri. Et sic patet, quòd lingua *Hebræa* nil aliud est nisi lingua *Chaldaica*, quam *Abraham* duxit in terram *Chanaan*, sive *Palæstinam*: quæ postèà fuit obliquata propter conver- G sationem *Chananæorum.* Et jam fuit magis obliquata, dum ipse populus deguit ultra centum annos in terra *Ægypti.* Et sic in hac lingua scripsit Moyses *Legem Domini*, sive *Pentateuchum*; & in eadem lingua fuit scriptum residuum veteris Testamenti; & in eadem lingua fuit tota Scriptura per *Esdram* scripta post captivitatem *Babylonis*, sed forsan non eisdem characteribus litterarum, ut ait *Hieronymus* in *Prologo Galeato*: & sic illa *lingua* & *littera* duravit, & perseveravit usque ad Christum, & destructionem secundi Templi. Sed postèà Judæi expulsi à finibus suis, & mixti inter alias Nationes, obliti sunt illam linguam, & multas significationes vocabulorum: nec sciunt alia vocabula Hebraica, nisi tantùm H illa, quæ ponuntur in Scriptura, & etiam ignorant magnam partem significationum illorum. Sed quia post expulsionem Judæorum *Syri* & *Arabes* inhabitarunt illam terram, ideò omnes vulgariter loquebantur *Arabicè*, & *Syriacè* indifferenter. Et sic patet, unde habuit ortum lingua Hebraica, & ejus litteræ.

Ar-

Articulus Secundus.

Nota. *De Interpretib. Sacræ Scripturæ.*

Quantum ergo ad secundum est dicendum, quòd causa, & modus *quare ista Sacra Scriptura pervenit ad Græcos, & Latinos*, fuit ista. Nam secundùm *Aristeum*, & *Eusebium de Præparatione Euangelica*, *lib.* 8. Et *August.* 18. *de Civitate Dei*, *cap.* 42. & *de Doctrina Christiana*, *cap.* 10. appropinquante tempore adventus Messiæ, Spiritus Sanctus, cujus est providere de Ecclesia sua regenda, prævidens futuram cœcitatem, & obstinationem Judæorum, & conversionem Gentilium, & ex omnibus linguis & nationibus in unam Ecclesiam & Fidem congregationem; tunc per ducentos & quinquaginta annos ante adventum Christi injecit cupiditatem animo *Ptolomæi Philadelphi* Regis *Ægypti* habendi Scripturam, sive *Legem Judæorum* in sua Bibliotheca inter cæteros codices & facultates. Et sic misit nuntios ad *Eleàzarum* Sacerdotem, qui misit ei septuaginta duos viros peritissimos in *lingua Hebræâ*, & *Chaldaicâ*, & *Græcâ*, qui interpretati sunt totam scripturam veteris Testamenti ex *Hebræo* in *Græcum*, nemine in aliquo discrepante: immò omnes in eamdem sententiam fuerunt conformes, & convenientes: quam Interpretationem *Ptolomæus* reposuit in sua Bibliotheca, & coluit cum maxima reverentia.

Spiritus S. procuravit interpretationem Scripturæ propter quinque.

Et hanc primam Interpretationem, ut ait *Eusebius*, procuravit Spiritus Sanctus ante adventum Christi propter quinque. Primò, ne *Judæi* post adventum Christi in sua protervitate & cœcitate manentes, scripturam veteris Testamenti *Christianis* occultarent. Secundò, ne ipsam falsam & corruptam *Christianis* communicarent. Tertiò, ne dicerent quod *Christiani* ad suum libitum falsam transtulissent. Quartò, ut *Græci*, in quibus vigebat scientia, ipsam haberent; eò quòd primi erant ad Fidem convertendi. Quintò, quia *Latini*, qui omnibus nationibus dominabantur, erant maximè Fidem Christi amplexuri. Et sic erat necessarium, ut *Scripturam* ex Græcis jam interpretatam haberent, & faciliter ex *Græco* in *Latinum* possent traducere.

Sed quia ex consequenti prævidit Spiritus Sanctus, quod omnes *Chaldæi*, & *Persæ*, & *Medi*, & *Parthi*, & *Arabes*, & *Armeni*, & cæteri adjacentes populi & nationes erant ad Fidem Christi venturi: ideò in principio Imperii *Cæsaris Augusti*, quasi quadraginta duobus annis ante Nativitatem Christi, suscitavit *Jonatham Abenuziel Babylonicum*, in Lege & Prophetis peritissimum, & iste transtulit totum *Testamentum vetus* ex *Hebræo* in *Chaldaicum*. Sed scripsit illam Translationem *litteris Hebraicis*, quæ non multum distant à *Chaldæis*, sicut dictum est. Quàm traductionem *Judæi* appellant *Targum*, quæ Translatio magis exprimit sensum: quia magis fuit solicitus traducere sensum ex sensu, quàm verbum ex verbo, eò quòd illæ linguæ sunt valdè vicinæ: immò ponit talia vocabula, quæ magis explicant, & declarant sensum: sicut facit *Magister Historiarum* apud nos in texendo historiam veteris Testamenti. Unde iste *Jonathan* ubi nos habemus: *Dixit Dominus Domino meo*, *&c.* ipse transtulit: *Dixit Dominus verbo suo.* Quæ Translatio apud Hebræos est tantæ auctoritatis, quod nullus fuit ausus contradicere ei, tùm propter viri peritiam & auctoritatem, tùm propter ejus sanctitatem. Nam dicunt *Judæi*, quòd quando ille scribebat istam interpretationem, si aliqua musca descendebat in chartam, tunc ignis descendebat de Cœlo, & comburebat illam muscam, ne ipsi inferret impedimentum, absque læsione chartæ, & manus illius. Sed quia Judæi moderni viderunt hanc Translationem ita conformem, & favorabilem Fidei Catholicæ: nam ubicumque in *Scriptura* ponitur, vel nominatur *Christus*, ipse transtulit *Messia*; ut ibi: *Quare fremuerunt gentes adversus Dominum, & adversus Messiam ejus.* Et quia ex tali Translatione multi Judæi convertebantur ad Fidem, & etiam frequenter per eam Christiani convincebant Judæos in disputationibus: ideò *Rabbini* Judæorum occultarunt illam Translationem, & maximè illam, quæ facta est super *Psalterium*; nec permittunt, ut Judæi simplices videant eam, etiam nec Christiani, propter causas jam dictas. Sed hæc Translatio habetur in visu apud *Christianos Chaldæos*, & *Persas*, & *Medos*, & *Parthos*, & *Æthiopes*, & *Arabes*, & *Armenos*; eò quòd istæ nationes utuntur litteris & linguâ *Chaldaica* in rebus arduis, & sacris: sicut *Hispani*, & *Galli*, & *Italici* utuntur *lingua grammaticali Latina* in similibus. Tempore autem *Adriani*, à nativitate Christi anno centesimo quadragesimo quarto, postquam Judæi fuerunt expulsi à finibus eorum, & mixti extraneis nationibus, & linguis, obliti sunt *linguam Hebræam*, & antiquam, & ritum colendi Deum, & significationes vocabulorum Hebraicorum.

Nota bene.

Et ideò quidam Proselytus Ponticus, nomine *Aquila*, ex Gentili factus Judæus propter quamdam pulchram Judæam filiam cujusdam magni divitis *Rabbi* Judæorum, adhibuit studium solicitè litteris Hebræis, & Chaldæis, ut placeret socero, & cæteris Judæis propter lucrum. Et iste ex Hebræo in Græcum transtulit totum vetus Testamentum. Sed quia jam nomen Christianorum incipiebat crescere; ideò in multis pervertit Scripturas. Et ideò *Theodocion* Christianus, utriusque linguæ peritus, ut confunderet perversitatem hujus *Aquilæ*, idem vetus Testamentum etiam in Græcum traduxit: hoc posteà idem fecit *Symmachus.*

Aquila.

chus. Sed quia isti fuerunt sectatores *Ebionitarum*, ideò non habiti sunt in magna auctoritate apud Ecclesiam.

Origenes. *Origenes* autem omnium linguarum peritus, & Sacrarum Scripturarum subtilissimus indagator, videns tantam diversitatem in *Translationibus* Græcis, A omnes *Translationes* habere procuravit, & ex omnibus sub *Asteriſco* & *Obèlo* unam correctam confecit, ostendens editionem ipsorum *Septuaginta* fuisse veriorem: & in hoc apparuit admirabilis labor, & ingenium *Origenis*. Et sic tota Ecclesia Græca utebatur Translatione ipsorum *Septuaginta* per *Origenem* correctâ, & *Asteriſco*, & *Obèlo* notatâ.

Causa diversitatis istarum Translationum. Tertiò est iterum valdè advertendum, quòd causa tantæ diversitatis istarum *Translationum* est ista. Nam *Chaldæi*, & *Hebræi*, & *Arabes* non habent vocales in litteris suis, sed tantùm consonantes: sed utuntur quibusdam punctis appositis, aut præpositis litteris consonantibus loco vocalium: sicut manifestè B videmus in *litteris Arabicis*. Et sic tota Sacra Scriptura fuit scripta per *Esdram* sine vocalibus, & sine punctis. Et ideò non sciebant legere Scripturam Legis, & Prophetarum ante adventum Christi, nisi magni Magistri eorum, ex longo studio & consuetudine; eò quòd vocabula sic posita, erant multum æquivoca, & poterant adduci ad diversos sonos, & significationes per appositionem diversarum vocalium, aut punctorum. Et ideò *Septuaginta Interpretes*, Spiritu Sancto inspirati, & in Lege & Prophetis peritissimi, elegerunt proprias & veras significationes vocabulorum Hebraicorum: & secundùm illas significa- C tiones interpretati sunt totum vetus Testamentum.

Et sic transtulerunt ex *Hebræo* in *Græcum*; & non solùm verbum ex verbo, sed etiam sensum ex sensu. Ideò multis in locis aliquando mutarunt vocabula, & aliquando aliud addiderunt ad sensum explicandum: & hoc fecerunt ex Spiritu Sancti auctoritate; quia fuerunt veri Prophetæ, & pleni Spiritu Sancto, ut ait *Augustinus* 10. *de Civitate Dei, cap.* 43. & *Hieronymus secundo Prologo super Paralipomenon*. Et sic dicit *Augustinus*, quòd *tanquam Prophetæ sunt habendi*. Et ideò cæteris Interpretibus non est adhibenda tanta fides, maximè Judæis, qui semper conati sunt avertere Scripturas à vero sensu. D

Nota. Ad cujus intelligentiam est iterum advertendum, quòd post conversionem *magni Constantini* videntes *Rabbini Judæorum*, omnes Gentiles cum tanta devotione ad Fidem Christi converti per totum orbem, & Ecclesiam tanto favore prosperari; & etiam quòd infinita multitudo Judæorum, videntes manifestam veritatem per experientiam, & miracula, pariter convertebantur; & sic deficiebant quæstus & redditus, & tri- E buta Rabbinorum: hac igitur iniquitate commoti, magna multitudo Rabbinorum congregata fuit apud *Babyloniam Ægypti*, quæ dicitur *Cayre*, ubi quantò magis cautè potuerunt, conati sunt falsificare, & pervertere Scripturas à vero sensu & significatione.

Unde confinxerunt supra quinque, vel septem puncta loco vocalium. Nam loco ipsius *A* confinxerunt virgulam transversam, quam *Pathath* appellant, & aliam quam *Camets* vocant, & posuerunt pro ipso *A* sub qualibet consonante. Et pro *O* posuerunt unum punctum supra, quod *Holem* vocant. Et pro *I* ponunt punctum sub consonante, quod *Hirich* appellant. Et loco ipsius *E* po- F nunt duo puncta sic facta: quæ *Sceva*; vel tria sic ∴ facta, quod *Segol* appellant. Et loco ipsius *V*, ponunt tria sic facta ⁝ quæ *Selosa necudot* vocant.

Et sic hæc puncta apponunt, vel supponunt in litteris consonantibus loco vocalium. Et sic isto modo deduxerunt omnia vocabula Sacræ Scripturæ veteris Testamenti ad sonos & significationes, prout eis libuit, & ad intentum suum, ubi erant manifesta mysteria de Christo & Ecclesia, pervertendo ad eorum intentum. Et sic dixerunt, quòd Translatio ipsorum *Septuaginta* in multis deficiebat. Quorum punctorum inventores fuerunt *Raunia* & *Rauassè*, duo Doctores eorum.

Ex quibus patet, quòd Scriptura G veteris Testamenti, eo modo quo scripsit *Esdras*, ita indiget interpretatione apud Hebræos, sicut apud nos. Ex quibus etiam patet, quòd tota Scriptura, quam hodie habent Hebræi, sic punctuata, est jam interpretata & ducta ad sensum & intentum eorum per illa puncta: & ideò nulla fides est adhibenda Scripturæ Hebraicæ, sicut hodie habent sic interpretatam, & punctuatam: immò ipsimet confitentur, quòd potuit esse error in tali punctuatione, & interpretatione. Et ideò scribunt omnino sine punctis illam Legem Moysi, quam cum veneratione tenent repositam in synagogis eorum, quam *Thorat* appellant. Illa enim *Thorat* est scripta omnino sine punctis, H sicut *Moyses* & *Esdras* scripsit eam. Et hoc faciunt, ut ipsi dicunt, ne possit misceri aliquis error propter illa puncta posita loco vocalium, quæ possunt pervertere & sonum, & sensum, & significationem vocabulorum.

Item isti Rabbini non solùm perverterunt Scripturas modo supradicto, sed etiam confinxerunt libros *Thalmud*, in quibus scribuntur multa, & falsa, & digna irrisione, & contra totam veritatem, non solùm Sacræ Scripturæ, sed etiam Philosophorum, & contra omnem A rationem humanam. Et ideò quando Judæi negant tibi interpretationem *Septuaginta*, vel *Hieronymi*, eò quòd non convenit cum sua littera; dic, quod mentiuntur: immò ipsi habent interpretatam litteram falsò modo, per illa puncta deductam; sed dic eis quod removeant puncta, & reperient veritatem. Est verum quod jam ignorant pro majori parte significationes vocabulorum, & etiam ipsa antiqua vocabula Hebraica, ut dictum est: immò manent per omnia cœci, ignari, & confusi.

Articulus Tertius.

Nota. *Quæ interpretatio sit à nobis magis eligenda.*

QUANTUM ad *tertium Articulum* est B advertendum, quòd tota Ecclesia, tàm Græca, quàm Latina usque ad tempora *Theodosii*, semper usa est Translatione ipsorum *Septuaginta*, & illam colebat & venerabatur. Sed quia, ut dicit *Hieronymus*, illa Translatio venerat in tantam corruptionem ex vitio Scriptorum, quod vix unus codex concordat cum altero: & ideò in quibusdam Ecclesiis Græcorum legebatur Traductio *Origenis*, & in aliis Traductio *Luciani*. Et sic erat magna confusio in Ecclesiis Græcorum. Sed major confusio erat in Ecclesiis *Latinis*, propter diversitatem Traductionum Latinorum. Nam unusquisque Doctor Latinorum traducebat vetus Testamentum ex Græ- C co in Latinum, eò quòd omnes noverant litteras Græcas: in tantum quod quot erant Ecclesiæ, tot erant Traductiones apud Latinos, ut inquit *Hieronymus*.

Et ideò *Paula*, & *Eustochium* videntes tantam confusionem inter Ecclesias Latinas, rogarunt *Beatum Hieronymum*, Hebraicarum, & Græcarum, & Latinarum litterarum virum peritissimum, ut ad vitandam talem confusionem, vetus Testamentum immediatè ex Hebræo interpretaretur, & verteret in Latinum. Et sic rogatu earum transtulit *Pentateuchum*, & *Josue*, & *librum Judicum*, & *libros Regum*. Sed rogatu *Chromatii* D transtulit *libros Paralipomenon*, prout patet in *Prologo Bibliæ*: in qua Traductione *Beatus Hieronymus* tenuit istum modum: quia noluit sequi litteram jam per Judæos punctuatam; sed voluit videre Translationem ipsorum *Septuaginta*, & *Origenis*, & omnium aliorum; & sic elegit significationes, & sensus, prout sibi melius & rationabilius visum fuit. Et in quibusdam non transtulit verbum ex verbo, sed sensum ex sensu, sicut E sæpiùs fecerunt *Septuaginta*, ut ipse dicit in Epistola *ad Pammachium de optimo genere interpretandi*. Unde *Hieronymus* non intendebat in tali interpretatione reprehendere *Septuaginta*, sed vitia Scriptorum, & defectus; eò quòd vitiò Scriptorum, & imperitiâ, & negligentiâ, illa Translatio in multis locis erat vitiata, & quædam etiam erant omissa, quæ allegantur in Scriptura novi Testamenti, ut ipsemet inquit.

Et ideò *Papa Damasus*, & etiam *universalis Ecclesia Romana* benè acceptavit Translationem *Hieronymi*, tanquam veram, & Catholicam. Sed noluit Ecclesia, ut Traductio *Hieronymi*, nec aliqua alia præferretur, nec anteponeretur interpretationi ipsorum *Septuaginta*: immò voluit, ut habeantur tanquam F Prophetæ in omnibus quæ interpretati sunt, & in his quæ addiderunt; eò quòd Spiritu Sancto pleni locuti sunt, ut ait *Augustinus* 18. *de Civitate Dei*, *cap.* 42. & 43. Verumtamen paulatim consuetudo inolevit in Ecclesia, ut unusquisque pro majori parte scriberet ex exemplaribus *Hieronymi* ad vitandam confusionem aliarum Editionum. Et sic in tantum celebrata fuit *Editio Hieronymi*, quòd in præsentiarum aut vix, aut paucis Bibliothecis Latinis reperitur Traductio ipsorum *Septuaginta*: immò per omnes Ecclesias Latinas celebratur *Traductio Hieronymi*.

De *Psalterio* autem fuit major difficultas. Nam *Damasus Papa*, propter G confusionem, & corruptionem diversorum Exemplarium Latinorum, rogavit *Beatum Hieronymum*, ut ex Græca Editione ipsorum *Septuaginta* traduceret Psalterium: & sic correctum, redderet Latinis. Et sic hoc *Psalterium*, per *Hieronymum* primò ex Græco translatum, & correctum, præcepit *Damasus* cantari in Episcopatu Romano. Postea verò, quia *Sophronius* frequenter disputabat cum Judæis non acceptantibus, immò negantibus interpretationem ipsorum *Septuaginta*: ideò rogatu ejus, *Beatus Hieronymus* traduxit *Psalterium* de verbo ad verbum ex Hebræo, jam punctuato, & interpretato per Judæos *Thalmudistas*. H Et hanc Translationem benè acceptant Judæi, eò quòd convenit cum littera punctuata, & interpretata. Sed *Ecclesia Latina* non renuit hanc Translationem: verumtamen noluit, quod cantaretur in Ecclesia; eò quòd est aliquantulum suspecta,

pecta, cùm sit traducta ex Hebræo jam interpretato, & punctuato, & ad determinatas significationes ad libitum Judæorum per illa puncta ab eis deducta. Et hoc dicitur *Psalterium secundùm Hebraicam veritatem*; non quod illa Traductio sit magis vera, quam Traductio ipsorum *Septuaginta*; sed quia fideliter de verbo ad verbum, absque aliquo addito, sive remoto, ex Hebræo jam punctuato sit facta Traductio. Et ideò Hebræi imposuerunt ipsi tale nomen: scilicet, *Psalterium Hieronymi secundùm Hebraicam veritatem.* A

Posteà verò quia Traductio, quam primò ad rogatum *Damasi Papæ* fecerat *Hieronymus* ex Græco in Latinum, vitio Scriptorum, aut astutiâ malivolorum æmulorum, iterum fuerat corrupta: ideò *Hieronymus*, ad instantiam *Paulæ* & *Eustochii*, Psalterium ex Græca editione ipsorum *Septuaginta* vertit in Latinum: quod quidem Psalterium sic emmendatum & correctum receperunt omnes Ecclesiæ Gallicanæ; ideò dicitur *Psalterium Gallicanum*: & sic omnes Ecclesiæ *Italiæ*, & *Germaniæ*, & *Hispaniæ* pariter sunt secutæ: in tantùm, quod omnes Ecclesiæ cantant hodie hoc Psalterium per *Hieronymum* ex Interpretatione Græca ipsorum *Septuaginta* in Latinum translatum, & emmendatum, & correctum. B

Ex supradictis patet, quòd *Beatus Hieronymus* licet totum residuum veteris Testamenti fuerit interpretatus ex Hebræo non punctuato in Latinum; tamen nullam Interpretationem fecit de *Psalterio*, sed solùm fecit Translationes: scilicet, duas ex Græco interpretato per *Septuaginta*, & unam ex Hebræo jam interpretato, & punctuato, ut dictum est. Reperitur ergo triplex *Translatio*, sive *triplex Psalterium* translatum per *Hieronymum*; scilicet, *Psalterium Romanum*, quod primò transtulit ex Græco ad rogatum *Damasi*, quod jam non est in usu. Secundum *Psalterium*, quod dicitur *Hieronymi secundùm Hebraicam veritatem*, immediatè ex Hebræo in Latinum translatum: quod quidem Psalterium licet reperiatur in multis Bibliothecis antiquis, tamen in nulla Ecclesia legitur, propter rationes jam dictas. Tertium dicitur *Psalterium per Septuaginta interpretatum ex Hæbræo in Græcum*: sed ex Græco in Latinum per *Hieronymum* translatum, & emmendatum, sive correctum: quod quidem Psalterium per omnes Ecclesias Latinas cantatur, & allegatur, & celebratur, & apud omnes, tàm sæculares, quàm Ecclesiasticos habetur in usu. Secundùm ergo hanc communem Translationem intendo sequi Psalterium ipsius David in præsenti Expositione. Est tamen verum, quod utramque Translationem ante oculos habere intendo. Et ideò ubi videbo aliquam contradictionem, aut sacramenti occultationem in littera *Hieronymi*: aut concordabo Translationes ad invicem, aut differentiam assignabo. Sed si fuerit sola differentia in rebus absque contradictione sententiæ, nullum intendo facere casum, aut mentionem. C D E

Triplex Psalterium per Hieronym translat.

PROLOGI TAM PROLIXI causæ.

NON ergo quis miretur, si antequam venirem ad Expositionem Psalmorum, ita prolixum præmisi Prœmium & Tractatum: quia hoc visum est mihi necessarium, non solùm ad intelligentiam libri Psalmorum, & aliorum librorum Sacri Canonis: sed etiam ad percipiendam mentem *Beati Augustini*, & aliorum Sacrorum Doctorum, qui in virtute supradictorum principiorum nobis Sacras Scripturas exposuerunt. Unde necesse est, prudentem & catholicum lectorem prescire in quolibet Psalmo, non solùm Auctorem Psalmi, sed quæ *propositio* veteris Testamenti in illo Psalmo proponatur: & quæ *conclusio*, sive quod *mysterium* novi Testamenti nobis ex illa propositione aperiatur: & in virtute cujus principii talis veritas exquiratur: & per quam regulam ille Psalmus exponatur: & quid per nomina significetur spiritualiter: & quæ sacramenta per titulos importentur: & quomodo diversæ Translationes concordentur, & ad invicem verificentur. Et ne omnia simul ista in quolibet Psalmo quærerentur, & iterarentur, ad vitandam prolixitatem & fastidium, fuit necesse ex singulis in hoc *Prologo* particularem, & specialem præmittere Tractatum. F G

PROTESTATIO AUCTORIS.

VERUMTAMEN antequam deveniam ad Expositionem hujus libri, duo intendo cum protestatione præmittere. Primum, quod non intendo aliquid dicere, nec asserere, quod sit contra determinationem Romanæ Ecclesiæ, nec Sacrorum Doctorum ab ea approbatorum: sed omnia mea in hoc opere & dicta, & dicenda, Sacrosanctæ Romanæ Matri Ecclesiæ submitto corrigenda: sub cujus Fide & obedientia vivere & mori intendo.

INTENTIO AUCTORIS.

SECUNDUM est, quod cum ego non susceperim hoc opus aggrediendum ad ostentationem mei, sed ad satisfaciendum devotioni, & petitioni simplicium Sacerdotum, & Christianorum; ideò in hoc opere non intendo disputare materias: cùm jam sint satis digestæ, & examinatæ per Catholicos Doctores, tàm modernos, quàm antiquos. Et sic non intendo adducere diversitatem opinionum Doctorum Scholasticorum: ne videar alicui eorum contradicere, vel derogare. Sed solum intendo ex doctrina Sacrorum Doctorum antiquorum, secundùm gratiam mihi desuper datam, veritatem, & thesaurum Euangelicum, in hoc sacro agro libri Psalmorum absconsum & latentem, in lucem fidelibus detegere, & reserare: & tandem cœcitati & obstinationi modernorum Judæorum obstare, & eorum maledictis, & vanis argumentis respondere, & satisfacere.

INVOCATIO AUCTORIS.

ERGO in nomine Sanctæ Trinitatis ad Expositionem accedamus.

FINIS PROLOGI.



ILLUS-

ILLUSTRISSIMI
AC REVERENDISSIMI DOMINI
D. JACOBI PEREZ
DE VALENTIA
EXPOSITIO PSALMORUM.

PSALMUS PRIMUS.

1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit: & in cathedra pestilentiæ non sedit.*

Arg. l. Ticium & Mevium, ff. de Admi. Tut. Et not. Barthol. in l. 1. §. Si plures, ff. de Exercit.



STE liber vulgariter appellatur *liber Psalmorum David*, in quantum omnes generaliter appellantur *Psalmi*: quia continet totam Sacram Scripturam veteris A Testamenti per modum laudis: ut dictum est *in Prologo*. Secundò dicitur *liber Hymnorum* David: & hoc ratione finis, eò quòd finis omnium Psalmorum est lætitia, & gratiarum actio pro beneficio redemptionis, ut patebit: *Hymnus* enim dicitur *cantus lætitiæ*. Tertiò dicitur *liber Soliloquiorum David*: & hoc ratione modi loquendi: eò quòd vel solus David loquitur Deo in spiritu, & contemplatione: vel introducitur Christus loquens solus ad Patrem, vel introducitur chorus mysticè loquens ad Patrem, vel ad Filium Messiam in Lege promissum. Quem librum Hebræi appellant *Tibilim*, id est, *Librum orationum*.

Sed quantum ad divisionem hujus libri est advertendum, quòd liber Psalmo- B rum non potest sufficienter & præcisè dividi per partes & materias, propter jam dicta *in Prologo*, *Tractatu secundo*, *Capitulo primo*. Et hoc propter quatuor: primò, quia Psalmi non sunt facti successivè in eodem tempore: immò in diversis temporibus, propter diversas causas, & occasiones moventes ipsum David ad condendos Psalmos, sicut accidebat ipsi ex adversitatibus, aut prosperitatibus. Secundò, quia Psalmi non sunt ordinati, & collocati in hoc volumine eo ordine quo fuerunt facti, sed sicut successivè fuerunt reperti, ut ait *Hieronym. in Prologo majori*. Tertiò: non possunt dividi per titulos; eò quòd inter Psalmos ejusdem tituli interponuntur Psalmi aliorum titulorum. Quartò: non possunt dividi per materias; eò quòd quandoque multi Psalmi habent eamdem materiam. C Et ideò oportet, ut unusquisque Psalmus tanquam divisus ab altero, exponatur & dividatur per partes.

Sic ergo ad expositionem *Psalmi primi* accedamus, cui nullus titulus præponitur in Hebræo. Et sic non apparet Actor hujus Psalmi. Sed dicit *Beatus Hieronymus* secundùm opinionem quorundam Hebræorum, quòd *Esdras* fecit hunc Psalmum tanquam prologum totius libri Psalmorum, ut induceret omnes fideles ad studium Divinæ Legis. Tamen *Beatus Augustinus*, & *Origenes*, & *Basilius*, & *Cassiodorus* dicunt, quòd David fecit hunc Psalmum cum omnibus aliis. Unde dicit *Basilius* in *Homilia primi versûs* hujus Psal- D mi, quòd *David*, sive *Esdras*, qui collegit omnes Psalmos in hoc volumine, præposuit istum Psalmum in principio hujus libri *tanquam bravium*, *& præmium*, *omnibus observantibus Divinam Legem*, & ut inducat omnes ad amorem sapientiæ Divinæ Legis, quæ maximè in hoc volumine con-

continetur; eò quòd in hoc Psalmo explicatur, & promittitur vera felicitas, & beatitudo contemplatoribus Divinæ Legis, & observatoribus. Item ipsemet *Hieronym.* in *Epistola ad Paulinum, de omnibus libris Sacræ Scripturæ*, attribuit hunc Psalmum ipsi David, cùm dicit descriptionem viri justi, & David eum arbori vitæ, quæ est in Paradiso, compararet, hoc intulit: *in Lege Domini voluntas ejus, & in Lege Domini meditabitur die ac nocte.* Ex quo patet, quòd David fecit hunc Psalmum.

Nec valet evasio quorumdam dicentium, quòd licet David non fecerit omnes Psalmos: tamen totus liber Psalmorum denominatur à David tanquam à majori parte. Sed hæc responsio videtur frivola. Nam *Hieronymus* in *majori Prologo Psalmorum* de mente Doctorum Hebræorum dicit, quòd David non fecit nisi novem Psalmos: ergo secundùm illum modum loquendi, David minorem partem fecit. Et sic totus liber non denominaretur ab eo. Ex quo patet, quòd *Hieronymus* ibi solum locutus est secundùm opinionem magistri sui *Barrabam*, & quorumdam aliorum Hebræorum illius temporis. Sed postea *Hieronymus* locutus est secundùm veritatem, cùm in diversis *Epistolis*, & *Tractatibus* omnes Psalmos divisim allegat pro ipso David, ut patebit. Ex dictis ergo *Augustini*, & *Basilii* patet, quòd David fecit hunc Psalmum, in quo promittitur vera beatitudo contemplatoribus, & observatoribus Legis.

Beatitudo finis omnium actuum humanorum

Ad cujus evidentiam est ulterius notandum, quòd omnes sapientes in hoc conveniunt, quòd *vera beatitudo est finis omnium actuum humanorum*, ut patet 1. *Ethicorum*, & quòd *est bonum per se sufficiens, delectans habentem*; & per consequens, quòd *est status omnium bonorum aggregatione perfectus, quo adepto nihil est amplius quod desiderari queat*, ut concludit *Boëtius* 3. *de Consolatione.* Sed de isto statu perfecto, & beatitudine, in quo consistat, sapientes diversimodè loquuntur quoad modum, licèt quoad objectum omnes conveniant in Deum.

In quo beatitudo consistat opinio diversa.

Nam *Peripatetici* dicunt, quòd consistit in speculatione summi intelligibilis, & cæterarum substantiarum separatarum, ut patet 10. *Ethicorum*, & 12. *Metaphysicæ.* Sed *Avicenna*, & *Algazel* dicunt 9. *Metaph.* quòd ultima beatitudo, & perfectio animæ rationalis est: ut fiat speculum intelligibile, & describatur in ea forma totius; & sic recipiat formas omnium intelligibilium, usquequò jungatur primo intelligibili, quòd est Deus, & fiat unum cum eo: & tunc est in ultima perfectione, & beatitudine; quia tunc primus intellectus lucet in eo. Sed in veritate licèt hoc sit bene dictum: tamen non explicat totam essentiam beatitudinis hominis. Nam intelligentia non solum beatificatur in apprehensione & contemplatione summi intelligibilis, sed in quantum movetur propter ipsum amatum & desideratum, ut patet 12. *Metaph.* Et sic beatitudo, prout consistit in contemplatione, & contentatione, & delectatione, explet totum desiderium humanum, & appetitum. Ergo non solum pertinet ad aprehensionem intellectùs, sed ultimatè completur, & perficitur per voluntatem, & amorem. Nec sufficit, quòd anima jungatur primo intelligibili per intellectum; sed necesse est, ut amore inhæreat ipsi per voluntatem, ad hoc quòd appetitus & desiderium nostrum finiatur, & sistat, & expleatur. Nam licèt Deus, in quantum ens primum, & prima veritas, sit primum & summum intelligibile: tamen in quantum est summum & sufficiens per se bonum, est summum appetibile & amabile, & ut sic satiat appetitum: & sic felicitat & beatificat homines & Angelos, & est eò fruendum. Ideò ait *Augustinus primo de Doctrina Christiana*, quòd *frui est amore inhærere alicui propter se.* Et sic solis Divinis Personis est fruendum, quæ nos beatos faciunt, in quantum in eis est una summa bonitas: & etiàm fruimur cognitis, quibus voluntas delectata conquiescit.

Frui quid est.

Tria sunt de ratione beatitudinis.

Ex quo patet, quòd tria sunt de ratione beatitudinis. Primò *cognitio* summi boni: & sic ait Christus *Joann.* 17. *hæc est vita æterna: ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Secundò *fruitio*, & *possessio* illius summi boni cogniti & apprehensi; & hoc per inhæsionem voluntatis. Tertiò *delectatio*, & *quies*, & *contentatio* in illo summo bono possesso. Et in hoc consistit essentialiter beatitudo. Et sic nullum aliud essentiale potest ipsi addi, nec desiderari, licet aliquod accidentale possit addi & appeti, ut infra patebit. Ex his patet, quòd in hac vita nemo potest esse beatus in re, sed solum in spe, in quantum per bona opera, quæ hìc facit, expectat præmium beatitudinis.

De modo acquirendi beatitudinem opiniones multiplex.

Sed de modo inhærendi & acquirendi hanc beatitudinem fuerunt multæ opiniones. Nam veri Philosophi dixerunt, quòd per operationes secundùm morales virtutes. Sacerdotes autem Gentilium dicebant, quòd nemo poterat pervenire ad illam beatitudinem, nisi per cultum plurium deorum: & sic finxerunt complures superstitiones, & ritus nefandos, & falsas doctrinas, ad decipiendos, & attrahendos populos ad cultum plurium deorum: ut ostendit *Eusebius* in quinque primis libris *de Præparatione Euangelica*, & *Lactantius* in libris *Divinarum Institutionum*, & *Augustinus* in primis decem libris *de Civitate Dei.* Sed sola Civitas & Populus Dei Divino nutu & Spiritu Sancto instructus à principio dicit, quòd via acquirendi prædictam beatitudinem, non est nisi studium, & observantia Divinæ Legis. Et ratio est: nam sicut peccatum, per quod datur pœna & miseria

ria æterna, nihil aliud est nisi prævaricatio Divinorum Præceptorum, & omne dictum vel factum contra illud, quod lex prohibet, ut inquit *Augustinus*, & *Ambrosius*: ergo meritum quo acquiritur beatitudo, nihil aliud est, nisi contemplatio, & observatio Divinæ Legis. Et quia totum hoc fuit revelatum in spiritu ipsi David: ideo fecit hunc Psalmum, & centesimum decimum octavum. Ideo *Esdras* præposuit ipsum tanquam bravium in principio libri Psalmorum, ut supra dictum est per *Basilium*.

August. A

Ad cujus majorem evidentiam est tertiò notandum secundùm *August. lib. Confessionum*, quòd Deus creavit hominem, *ut ipsum cognosceret, & cognoscendo amaret, & amando frueretur &c.* & sic beatificaretur in tali fruitione. Sed voluit Deus, quòd homo non attingeret talem beatitudinem & præmium, nisi prius operando mereretur. Et ideo in paradiso terrestri dedit ipsi Legem in principio valde levem, scilicet, B *ut operaretur, & custodiret* lignum vitæ, & coleret, & de omni ligno ederet ad vitam sustentandam: sed de ligno vitæ ederet ad vitam perpetuandam, & de omni ligno ederet, præterquàm de ligno scientiæ boni & mali; & hoc sub comminatione duplicis mortis, ut patet *Genes.* 2. Et sic patet, quòd in illa Lege erat duplex præceptum, scilicet, unum affirmativum, & aliud negativum: unde erat propositum præmium, si observaret, & obtemperaret; & pœna, si transgrederetur. Sed quia prævaricati sunt primi parentes Præceptum & Legem Domini: ideo perdiderunt præmium & beatitudinem promissam, & inciderunt in pœnam mortis, & miseriæ. Et sic à paradiso terrestri, in quoad præsens felicitabantur, sunt expulsi, & in hanc vallem lacrymarum destinati. Et sic cum essent felices cives illius civitatis per obedientiam, & observantiam illius legis, facti sunt exules, & miseri peregrini propter innobedientiam. Sed quia Deus est summè bonus & misericors, misertus est homini, veniam & misericordiam petenti. Et ut recuperaret felicitatem promissam in Cœlo, quam peccando amiserat; voluit Deus, ut eam in hoc mundo peregrinando, non aliter quàm per legem fidei ambulando, & ipsam Legem Dei observando, ad cœlestem felicitatem perveniret. Et loco originalis justitiæ dedit ei justitiam, & legem, quam nunc habemus, & per quam ambulat *homo mysticus* in hoc mundo. Et sic per hanc legem, sive in hac, ambulavit *Adam* cum tota sua posteritate fidelium usque ad Christum, & ambulat in præsenti usque ad judicium, D ut dictum est *in Prologo*, *Tractatu* 3.

In lege data Adæ fuit duplex præceptum.

C

Nota.

Lex datur observanda loco originalis justitiæ.

Ex quo patet, quòd tota Lex Domini, tam in veteri Testamento, quàm in novo, data est nobis à Deo ad colendum & observandum loco illius originalis justitiæ, quam homo debebat servare in paradiso. Et ista dicitur *Lex Domini*, & *via* perveniendi ad veram beatitudinem, quæ secundùm diversas ætates accepit majores perfectiones usque ad Christum, in quo accepit gratiam, & redemptionem: nunc autem E jam non expectat nisi ultimum terminum, & beatitudinem. Et sic dicitur *via Domini*, per quam peregrinamur ad ultimam & veram beatitudinem. Hoc ergo mysterium prævidens, & contemplans *David* in spiritu, fecit hunc Psalmum, in quo comparat *Legem Domini*, & *cultorem ejus*, ipsi *arbori vitæ* plantatæ in paradiso deliciarum. Nam sicut si *Adam* servasset Præceptum Domini, & coluisset illam arborem, vixisset in præsenti felicitate in æternum, & post longam vitam in præsenti fuisset absque morte translatus in meliorem & feliciorem vitam æternam in Cœlo: ita nos colendo Legem Dei, & obtemperando ejus præceptis, quæ quidem lex nobis loco illius arboris ad colendum data est; obtine- F bimus vitam gratiæ in præsenti, & vitam glorioſam & æternam in futuro. Et sicut *Adam* contemnendo Divinam Legem & arborem vitæ, gustando de cibo vetito, perdidit utramque felicitatem, & incidit in utramque pœnam mortis: ita pariter prævaricator hujus legis, non solum perdit præfatam promissam felicitatem, sed etiam incurrit damnationem æternam. Unde hoc mysterium & hanc propositionem aperit nobis David in hoc Psalmo. Est ergo dicendum, quòd David ex mysterio *ligni vitæ* plantati in paradiso accepit parabolam, & propositionem ad faciendum hunc Psalmum; in quo duo principaliter facit. Nam primo ostendit, quòd *Lex Domini* est *via*, per quam pervenitur ad veram beatitudinem, & per quam datur felicitas æterna. Secun- G dò comminatur pœnam æternam, & privationem beatitudinis transgressoribus hujus legis; ibi: *Non sic impii, non sic.*

Quoad primum autem duo facit: nam primò facit quòd dictum est. Secundò hoc probat per comparationem & figuram *ligni vitæ* plantati in paradiso. In qua etiam parte ostendit implicitè, in quibus consistit essentialiter vera beatitudo: ibi. *Et erit tamquam lignum.* Quantum ad primum est primo notandum secundùm *Aristot.* 1. *Ethicorum*: quòd sicut sagittarius non potest trahere rectè, nec dirigere sagittam in signum, nisi prævideat, & cognoscat signum: ita & nos non possumus pervenire ad felicitatem, quæ est finis omnium actuum humanorum, nisi præcognoscamus terminum, H & felicitatem, & viam perveniendi ad felicitatem. Cum ergo finis nostræ beatitudinis sit possessio, & fruitio summi boni, quòd est Deus: & *via* perveniendi ad hanc beatitudinem sit *Lex Domini*, ut dictum est: ideo sunt duo nobis præcognoscenda. Primò Deus Trinus & unus, Creator, & Redemptor, & Glorificator, sive Beatificator, qui ut sic est finis noster &c. Secundò

Cognoscenda sunt à nobis duo &c.

dò ipſa Lex Divina, per quam ſumus ad ipſum finem perventuri. Sed quia primum eſt ſupra humanam facultatem naturaliter in hac vita: ideo oportet, ut hoc cognoſcamus & credamus per fidem. Et ſic in hac fide ambulaverunt Patres antiqui ab A *Adam* uſque ad Chriſtum. Et ſic fuit neceſſe, ut Deus revelaret eis Myſterium Creationis, & futuræ Incarnationis, & Redemptionis Chriſti, in cujus fide ſalvati ſunt in adventu Chriſti. Et in eadem nos ambulamus, ut recipiamus ultimum terminum noſtræ beatitudinis. Et ſic per iſtam Fidem & Legem Domini diligimus proximum; & per ſpem ſecundùm legem operamur, & vivimus, & meremur futurum præmium: aliter non. Ex quo patet, quòd Lex Divina eſt illa, quæ docet, quid ſit credendum, & operandum, & expectandum. Et ſic eſt neceſſaria prægnitio, & contemplatio aſſidua Divinæ Legis. Et B ſic credendo per *fidem* dicimur *fideles* & veri, & operando dicimur *juſti*, & boni: & licet nondum dicamur *beati* in re: tamen dicimur *beati* in ſpe: quia jam de juſtitia, & de congruo debetur juſtis & fidelibus iſta beatitudo ex pacto promiſſa per Chriſtum in Lege Euangelica.

Secundò eſt notandum, quòd ſicut tripliciter convenit ambulare in via, & Lege Dei, ad hoc quod perveniatur ad finem debitum, ſcilicet, credendo, & operando, & perſeverando, & docendo: ita tripliciter contingit errare circa Legem Dei, ſcilicet, non credendo, aut non operando ſecundùm legem: aut non perſeverando: aut falſo modo credendo & docendo. Primi, ſcilicet, *non credentes*, dicuntur *infideles*, & *impii*: Secundi dicuntur *injuſti*: Tertii di- C cuntur *irriſores*, & *hæretici*. Et ſic nullus iſtorum poteſt pervenire ad terminum beatitudinis. Nam quilibet iſtorum deviat à via juſtitiæ. Nam infideles non credendo non intrant viam veritatis: & ſic deviant in principio viæ. Injuſtus autem licet credat, tamen exit à via in medio: Hæreticus autem deviat in fine viæ. Et ſic nullus iſtorum poteſt pervenire ad terminum: quia ad conſtruendum, multa requiruntur; ſed ad deſtruendum ſufficit unum, ſive in uno deficere. Oportet ergo, ut obſervator Divinæ Legis rectè credat, & perſeverando bene operetur, & rectè doceat, ut ait *Salvator*, *Matth.* 5. *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* Item *Jacobi* 1. *Eſtote factores verbi, & non au-* D *ditores tantùm, &c. qui autem proſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliviojus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit.* Ex quibus patet, quòd ad hoc quòd quis perveniat ad terminum beatitudinis, oportet, quòd fiat pius & fidelis in credendo, & fiat juſtus in operando ſecundùm legem, & perficiat curſum viæ in perſeverando & docendo: nam aliter dicetur impius, aut injuſtus, aut peſtilens & hæreticus.

Hoc autem prævidens David in ſpiritu, dicit in principio hujus Pſalmi: *Beatus* E eſt ille *vir, qui non abiit in conſilio impiorum*, ſcilicet, infidelium, non credendo; immò credendo *in via peccatorum non ſtetit*, contra legem agendo; immò operando ſecundùm legem; *in cathedra peſtilentiæ non ſedit*, falsò docendo, & intelligendo. Unde nota, quòd ubi Translatio noſtra habet *in cathedra peſtilentiæ*, *&c.* litterà *Hieronymi* habet ſecundùm Hæbraicam Interpretationem, *in cathedra irriſorum non ſedit*, quod idem eſt. Nam Hæretici perversè gloſſando Scripturas, dicuntur *irriſores* Legis, & veritatis divinæ. Et ſic etiam dicuntur *peſtilentes:* quia ſuo mortifero veneno cæteros ſauciant, & inficiunt. F Nota etiam, quòd in hoc *verſiculo* ponuntur tria nomina adjectiva, ſcilicet, *impiorum*, *peccatorum*, & *peſtilentium*, ſive *irriſorum:* & pariter ponuntur tria nomina localia, ſcilicet, *in conſilio*, & *in via*, & *in cathedra.* Et ponuntur etiam tria verba, ſcilicet, *abiit*, *ſtetit*, & *ſedit.* Sed non ſuperfluè ponuntur: Nam *impii* ſunt infideles, quia pietas pertinet ad fidem: *peccatores* ſunt injuſti, à via juſtitiæ declinantes & errantes: *peſtilentes* verò ſunt Hæretici, & obſtinati in peccato. Sed *conſilium impiorum* eſt falſa ſuperſtitio Paganorum. *Via peccatorum* eſt via vitiorum: *Cathedra peſtilentiæ* eſt falſa doctrina Hæreticorum. Infideles ergo Pagani recedentes à via veritatis, *abeunt in conſilio impiorum*, non credendo: *peccatores* autem, & G injuſti ſtant & permanent in via vitiorum, ſcilicet, in ſuperbia, & avaritia, & luxuria: Hæretici verò ſedent in falſis ſectis perverſorum dogmatum & errorum, & permanent in ſuo peccato & obſtinatione.

Unde in hac *cathedra peſtilentiæ*, ſeu *irriſorum* ſedit, & legit primò *Saucuniacus*, qui primò apud *Phœnices*, & *Ægyptios* tradidit neſandos ritus colendi falſos deos. Et *Muſæus*, & *Linus*, & *Homerus*, apud *Græcos*: & *Numa Pompilius*, apud *Romanos*. In hac etiam cathedra peſtilentiæ ſedit *Ariſtoteles*, cum dicit 8. *Phyſi.* & primo *cœli & mundi*, *mundum eſſe æternum:* & cum dixit 2. *de Generatione*, *Revolutiones Cœlorum eſſe æternas*: & *quorum ſubſtantia ſemel deperiit*, *impoſſibile eſſe* H *iterum redire*; & per conſequens reſurrectionem eſſe impoſſibilem. Item in hac *cathedra peſtilentiæ* legit & ſedit Commentator *Averrois*, cum dicit: *Eſſe unicum intellectum omnibus hominibus* 3. *de Anima*, *Commento* 5. Item *Avicenna* qui ponit datorem formarum in concavo orbis Lunæ, & poſſe animas intellectivas creare. Et ſic in libro *de Diluviis*, *homines poſſe naturaliter generari ex corruptione per ſolam influen-*

Quid ſit cathedra peſtilentiæ.

fluentiam animæ à datore formarum. Item in hac *cathedra ſedit Arius* cum ſuis, qui dixit: Filium non conſubſtantialem Patri. Item *Neſtorius*, qui aſſerit duas Perſonas in Chriſto. Item *Eutyches*, qui poſuit unicam naturam cum una Perſona: & ſic de cæteris peſtilentibus & irriſoribus Hæreticis. A

Item totus iſte verſus poteſt intelligi *myſticè*, ſive *propheticè* de Chriſto, & per oppoſitum de Adam. Nam *Adam* abiit in conſilio impiorum, quando perſuaſu diaboli receſſit à Divino præcepto, & comedere propoſuit fructum prohibitum. Sed tunc ſtetit *in via peccatorum*, quando actualiter comedit. Sed tunc *ſedit in cathedra peſtilentiæ*, quando ſuo peſtifero veneno omnes poſteros ſauciavit. Hoc idem eſt dicendum de diabolo, qui recedens ab amore Dei, converſus ad amorem ſui, magis dilexit ſeipſum quam Deum, non implendo voluntatem Dei: & ſic manſit B obſtinatus ſedens *in cathedra peſtilentiæ:* & ſic docet omnes Hæreſes, & falſas ſectas. Sed Chriſtus fuit ille, qui *numquam abiit in conſilio impiorum*: quia numquam receſſit, immò ſemper implevit voluntatem Patris: *& numquam ſtetit in via peccatorum:* quia *peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Nec ſedit in cathedra peſtilentiæ: quia *viam Dei in veritate docuit:* quia *eſt via, veritas, & vita*: ideò *aſcendit in montem, & ſedens docuit*, & declaravit Legem, *Matth.* 5.

Iſte etiam verſus poteſt exponi *moraliter* de quolibet fideli, & juſto. Nam peccatum habet tres gradus, ſcilicet, *propoſitum, operationem*, & *obſtinationem.* Unde quando quis proponit peccare, tunc *abit in* C *conſilio impiorum* per conſenſum, ſive conſentiendo conſilio diaboli. Sed quando operatur per effectum, tunc jam *ſtat in via peccatorum* cum diabolo. Sed dum manet obſtinatus, & moritur in peccato, tunc *ſedet in cathedra peſtilentiæ* cum diabolo. Duo ergo intelliguntur per ſeſſionem *in cathedra peſtilentiæ*, ſcilicet, doctrina Hæreticorum peſtifera, & impœnitentia obſtinatorum: quia ambo illi *ſedent in cathedra peſtilentiæ*: quia uterque iſtorum inſicit ſocios; iſte per falſam & peſtiferam doctrinam, & ille exemplo pravæ vitæ dat cæteris occaſionem, & audaciam peccandi: & ambo dicuntur irriſores Divinæ Legis, ſcilicet, ille, falsò interpretando, & hic prævaricando, & Divina præcepta, & Sacramenta Eccleſiaſtica contemnendo. D

Peccati ſunt tres gradus.

Unde nota, quòd ſicut eſt triplex gradus malorum hominum, ſcilicet, proponentium peccare, & peccantium, & obſtinatorum: ita ſunt tres gradus bonorum, ſcilicet, *incipientium*, & *proficientium*, & *perfectorum*: & ideò *iſte verſus* debet legi & intelligi hypotheticè ſic: *Beatus vir qui*

Nota.

non abiit in conſilio impiorum, ſed manſit *in conſilio* fidelium & juſtorum; *& in via peccatorum non ſtetit*, ſed in via juſtorum permanſit bene operando: *& in cathedra* E *peſtilentiæ non ſedit*, ſed in vera doctrina legis perſeveravit. Item licet aliquando abierit *in conſilio impiorum*, conſentiendo; & ſteterit *in via peccatorum*, male operando: tamen non ſedit *in cathedra peſtilentiæ*: quia finaliter pœnitentiam egit de peccatis.

2. *Sed in lege Domini voluntas ejus: & in lege ejus meditabitur die ac nocte.*

D. 1. de Omnes leges, & 14 q. 1. Quiſquis.

NOTANDUM ſecundùm *Caſſiodorum*, quòd totus iſte Pſalmus procedit per ſyllogiſmos, ſive propoſitiones hypo- F theticas, & duplices. Nam ex negativa infertur affirmativa, & è contrario. Unde quando in primo *verſu* dicit negativè: *Beatus vir qui non abiit &c.* ideò illicò affirmativè ſubdit: *Sed in lege Domini* fuit *voluntas ejus &c.* Quaſi dicat: quòd beatus eſt vir, qui non receſſit à Deo, nec à lege ſua; ſed opere, & fide ſemper manet in lege Domini per contemplationem & operationem. Unde quia non ſufficit ſolùm non agere malum, niſi quiſque agat bonum, & operetur ſecundùm legem: ideò poſtquam dixerat: *Beatus vir qui non abiit &c.* id eſt, qui non deviavit à lege in propoſito, nec in facto &c. protinus addit: *Sed in lege Domini*, id eſt, ſemper ille eſt beatus, ſupple, cujus voluntas eſt *in lege* G *Domini*, & in ea *meditatur die ac nocte.*

Quòd Lex Divina facit hominem fidelem.

Unde notandum, quòd ſicut ſuperſtitio, & infidelitas reddit hominem infidelem, & peccatorem, & peſtilentem: ita Lex Divina, & ejus aſſidua contemplatio reddit ipſum pium, & fidelem, & cultorem unius Dei, & juſtum, & pium, & ſanctum, & dignum vitâ æternâ. Ideò ſubdit: *Sed in lege Domini voluntas ejus &c.* Iterum advertendum eſt, quòd duo dicit de viro juſto: primò, quòd voluntas ejus ſit *in lege Domini:* ſecundò, quòd *in ea meditabitur &c.* Unde per primum intelligitur operatio ſecundùm legem; per ſecundum verò aſſidua contemplatio. Nam primò quis credit per aſſiduam contemplationem, quod pertinet ad intellectum. Se- H cundò diligit Deum & proximum in affectu, & in effectu, quod pertinet ad voluntatem. Nam ex aſſiduâ contemplatione generatur fides, & ex fide generatur charitas, & ex utraque naſcitur ſpes: quia quod credimus bonum, diligimus; & bonum fructum creditum & amatum, ſperamus. Quando ergo Chriſtianus baptizatur, & quando non conſentit diabolo; tunc *non*

Conditiones viri juſti.

abit in conſilio impiorum, ſed fidelium. Et quando voluntas ejus manet *in lege Domini*: tunc operatur ſecundùm præcepta; & non ſtat *in via peccatorum*, ſed juſtorum: & cum contemplatur aſſiduè in lege Domini cum humilitate, & charitate; tunc A non ſequitur falſas doctrinas, nec manebit obſtinatus. Et ſic non ſedebit *in cathedra peſtilentiæ*, ſed veritatis & ſalutis. Et ſic talis eſt beatus in ſpe, ut dictum eſt.

Dies & nox tripliciter ſumuntur in Scriptura.

Secundò eſt notandum, quòd *dies* & *nox* tripliciter ſumitur in Sacra Scriptura. Primò temporaliter: & ſic dies eſt præſentia Solis ſuper terram, & nox abſentia ejuſdem. Secundò ſumitur moraliter: & ſic proſperitas dicitur *dies*, & adverſitas *nox*. Tertiò ſumitur allegoricè: & ſic Lex vetus dicitur *nox*, & Lex nova dicitur *dies*. Et ſic dicit Apoſtolus ad Romanos 13. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit &c.* Quomodocumque ergo ſumatur, ſemper verificatur hoc dictum: quia neceſſe eſt bonum virum meditari *in lege Domini die ac nocte*. Nam beatus vir, qui meditatur *in lege Domini die ac nocte* temporali, id eſt, per totum tempus vitæ ſuæ: B nam tunc cognoſcet Deum, & exemplo bonorum cavebit omne malum, & faciet omne bonum. Et ſic *non* abibit *in conſilio impiorum*: nec ſtabit *in via peccatorum*: nec ſedebit *in cathedra peſtilentiæ*, ſed ſalutis &c.

Item beatus qui *meditatur in lege Domini die ac nocte*, id eſt, in proſperitate, & adverſitate. Nam conſiderando iſta mundana eſſe tranſitoria, & omnia cœleſtia eſſe æterna: quæ non acquiruntur niſi per bona opera, & per patientiam in adverſis. Et ſic exemplo Sanctorum Patrum, patienter tolerabit adverſa, & prudenter diſponet proſpera. Et ſic nec extolletur in proſperis, nec deſperabit in adverſis; ſed æquanimiter feret utraque. Item beatus *qui meditatur in lege Domini die ac nocte*, C id eſt, in Teſtamento veteri & novo. Nam in Teſtamento veteri intelliget, omnia myſteria Chriſti & Eccleſiæ fuiſſe figurata, & prophetata, & in Teſtamento novo eſſe completa.

Aug. notandus.

Et ſic contemplando tam alta & profunda myſteria, totaliter elevabitur à mundanis ad amorem cœleſtium, in tantùm quòd *non* abibit *in conſilio impiorum*, nec ſtabit *in via peccatorum &c.* Unde ait *Auguſtinus ad Voluſianum*, quòd *tanta eſt auctoritas, & profunditas Sacræ Scripturæ, quod ſi diebus ac noctibus quis vellet in ea contemplari; adhuc non ſufficeret parvam partem ejus attingere, propter profunda & infinita myſteria latentia in* D *Lege veteri, & revelata per Chriſtum in Lege nova.* Ideò ait Salvator, *Matth.* 13. quòd *omnis ſcriba doctus in Regno Cœlorum ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova, & vetera*; id eſt, qui de utroque Teſtamento habet intelligentiam. Tota ergo intelligentia iſtorum duorum verſiculorum, quos explanamus, ſtat in hoc, ſcilicet, quòd vera, & futura beatitudo, quam perdidit *Adam*, E non recuperatur, nec acquiritur in hac vita, niſi per contemplationem, & obſervationem Divinæ Legis, & non per ſolas virtutes morales, ſicut dicebant Philoſophi: nec per cultum plurium deorum, ſicut dicebant Poetæ: nec per vitam voluptuoſam, ſicut dicebant Epicuræi, & Hæretici, qui non credunt aliam vitam futuram, nec beatitudinem beatorum, nec pœnam futuram malorum. Et ſic ſoli fideles ſunt beati &c.

3. Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Hierem. 17. & 22. q. 5. *Non vos.*

F IN hac ſecunda particula explicatur præmium beatitudinis promiſſum obſervatoribus Divinæ Legis, comparando Divinam Legem, ſive ipſum Chriſtum, ſive virum juſtum ligno plantato in paradiſo. Unde ſicut Adam cuſtodiendo & colendo illud lignum vitæ, collegiſſet vitam felicem in præſenti abſque aliqua miſeria; ſecundò fuiſſet translatus in Cœlum ad vitam meliorem & æternam per viſionem & fruitionem Divinæ eſſentiæ, ut inquit Auguſtinus *ſup. Geneſ.* ita ergo pari ratione omnes fideles obſervatores Divinæ Legis receperunt fructum redemptionis in primo adventu Chriſti: & nos continuè recipimus fructum gratiæ in præſenti; & recipiemus fructum gloriæ in futuro poſt hanc vitam, translati in Cœlum: & in ſecundo adventu recipiemus ultimam perfectionem, G recuperando corpora glorioſa per reſurrectionem. Et hoc eſt præmium quod David promittit cultoribus Divinæ Legis in hac ſecunda particula.

Nota. *De immortalitate Adæ.*

Ad cujus intellectum eſt primò notandum, quòd illud lignum vitæ plantatum in paradiſo quatuor figurabat, ſcilicet, *Chriſtum*, & *Legem Divinam*, & *quemlibet virum juſtum*, & *Crucem Chriſti.* Primò enim ſecundùm *Auguſtinum*, 1. *lib. contra Adverſarium Legis & Prophetarum*, figurabat Chriſtum. Nam quia *Adam* perdidit illud lignum vitæ plantatum in paradiſo, à quo ſumebat fructum vitæ: ideò Deus Pater in ſupplementum hujus ligni plantavit aliud lignum, ſcilicet, Chriſ- H tum in ventre Virginis Mariæ, qui dedit duplicem fructum in tempore ſuo. Nam primò dedit nobis fructum redemptionis & gratiæ in præſenti. Secundò dabit fructum gloriæ in futuro. Et ſic ſicut Chriſtus dicitur lignum vitæ: ita pariter Virgo Maria di-

Lignum vitæ quid figurabat

dicitur paradiſus delitiarum, in qua lignum veræ vitæ fuit plantatum, & ex puris ſanguinibus formatum, per quam currunt quatuor flumina gratiæ, & ab inſtanti ſuæ creationis, ut dicitur *Canticorum* 4. *Hortus concluſus ſoror mea, hortus concluſus, & fons ſignatus.* Item *Iſaiæ* 9. *Egredietur virga de radice Jeſſe &c.* Item *cap.* 53. *Et erit ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti &c.* Ex quo patet, quòd ſicut Chriſtus dicitur *lignum vitæ*: ita Virgo Maria dicitur *paradiſus deliciarum*, in qua fuit plantatum illud lignum: de quo ligno vitæ & paradiſo dicitur *Apocalyp.* 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo &c.*

Maria dicitur paradiſus.

Secundò: illud lignum paradiſi figurabat *Divinam Legem.* Nam ſicut Deus plantavit illud lignum in paradiſo, ut *Adam* colendo illud, ſumeret fructum ad continuandam & perpetuandam vitam felicem, colligendo fructum in tempore ſuo: ita poſt peccatum in ſupplementum illius ligni Deus plantavit Legem Divinam in Eccleſia ab *Adam* uſque ad judicium, quam coluerunt Patres antiqui in veteri Teſtamento, & collegerunt ex ea fructum redemptionis *in tempore ſuo*, ſcilicet, in primo adventu Chriſti. Nam ſicut arbor germinat fructum in tempore ſuo, ſcilicet, in vere, aut in æſtate: ita Lex Divina vetus germinavit, & fecit, & peperit fructum, ſcilicet, Chriſtum *in tempore ſuo, quando venit plenitudo temporis, ad Galat.* 4. Et Lex Euangelica facit aſſiduè fructus gratiæ, & faciet fructus gloriæ *in tempore ſuo* poſt hanc vitam his qui ſervant eam: de qua Lege dicit *Salomon, Proverbiorum* 3. *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus.* Tertiò illud lignum vitæ paradiſi figurabat *quemlibet fidelem, & hominem juſtum*, qui eſt *plantatus ſecus decurſus aquarum* baptiſmalium, & aliorum ſacramentorum Eccleſiæ: qui quidem homo juſtus facit fructus meritorum, & bonorum operum *in tempore ſuo*, ſcilicet, in hac vita: dum eſt tempus operandi, & merendi. Et ſic homo juſtus faciendo fructus meritorios, colligit fructus gratiæ in hac vita, & fructus gloriæ in futuro de *ligno vitæ*, qui eſt Chriſtus. Ex quibus patet, quòd de quolibet iſtorum trium poteſt verificari iſte verſus; ſcilicet, *de Chriſto*, & *de Divina Lege*, & *de homine juſto.* Et primò verificatur *de Chriſto.* Unde dicit David: *Beatus vir* Chriſtus, *qui* ſolus *non abiit in conſilio impiorum &c. Sed in lege Domini* fuit *voluntas ejus:* qui ſemper implevit voluntatem Patris &c. Ideò eſt *tanquam lignum plantatum:* id eſt, quod plantabitur in utero virginali, & in medio Eccleſiæ ſecus decurſus aquarum gratiarum, & donorum, & omnium virtutum, & dabitur loco illius ligni paradiſi, quod *Adam* perdidit propter peccatum; quod quidem *lignum dabit fructum in tempore ſuo:* ſcilicet, in primo adventu dabit fructum redemptionis, & gratiæ; & in ſecundo adventu dabit fructum reſurrectionis, & gloriæ.

Fidelis dicitur lignum vitæ

A B C D E

4. *Et folium ejus non defluet: & omnia quæcumque faciet proſperabuntur.*

De Præd. 3. cap. Quid ergo turbantur §. Quamquam.

Chriſtus dicitur arbor vitæ.

AD cujus intellectum eſt notandum, quòd illa arbor, ſive lignum vitæ, qui eſt Chriſtus, primò protulit folia, ſecundò protulit fructus. *Folia* enim *ejus* fuerunt prædicatio, & miracula: ſed *fructus* fuerunt noſtra redemptio, & glorificatio. Item *folia* ejus fuerunt Eccleſiaſtica ſacramenta: ſed *fructus* fuerunt res & effectus Sacramentorum; ſcilicet, remiſſio culpæ, & collatio gratiæ: quia ſacramenta novæ Legis ſunt *viſibilis forma inviſibilis gratiæ.* Nam illa viſibilis forma Sacramenti eſt *folium*: ſed res Sacramenti, & effectus quos facit, dicuntur *fructus* ejus. Et hæc ſunt *folia* & *fructus* hujus arboris vitæ, qui eſt Chriſtus: quam arborem vidit Joannes, *Apocalypſis ultimo*, plantatam in medio paradiſi Eccleſiæ, cùm dicit: *Et oſtendit mihi Angelus fluvium aquæ vitæ ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni in medio plateæ ejus. Et ex utraque parte lignum vitæ afferens fructus duodecim per ſingulos menſes reddens fructum ſuum. Et folia ligni ad ſalutem gentium. Et omne maledictum non erit amplius &c.* Unde dicit *Auguſtinus*: quòd illud *flumen*, quod vidit Joannes, eſt gratia Spiritus ſancti, irrigans totam Eccleſiam; quod quidem flumen Spiritus ſancti procedit à Deo, & Agno; id eſt, à Patre, & Filio: & illud *lignum* eſt Chriſtus *plantatus* in medio Eccleſiæ, faciens fructus Sacramentorum per ſingulos menſes & dies in hac Eccleſia: & *folia* hujus ligni ſunt ſacramenta Eccleſiaſtica ad ſalutem noſtram, & ad ſanandos noſtros languores inſtituta: quæ habent virtutem ex ſanguine Agni. Duodecim autem *fructus*, quos facit hoc *lignum vitæ*, ſunt charitas, gaudium, patientia, benignitas, bonitas &c. quos enumerat *Apoſtolus ad Galathas* 5. quibus correſpondent alii duodecim in gloria.

F G H

Et ideò valdè miror de *Beato Hieronymo*, qui in *Expoſitione* hujus Pſalmi negat, per *lignum vitæ plantatum ſecus decurſus aquarum &c.* poſſe intelligi Chriſtum: dicit enim, quòd *magis nobile non poteſt comparari minus nobili: ergo Chriſtus non poteſt comparari illi arbori, propter magnam diſtantiam nobilitatis.* Sed parcat mihi reverentia tanti viri. Nam ipſemet

ſemet Chriſtus ſe appellat *lignum vitæ* in locis præallegatis: ſcilicet, *Apocalypſis* 2. & 22. Item appellatur idem Chriſtus *Leo de Tribu Juda*, & *lapis angularis*, & *vitis vera &c.* Ex quo patet, quòd ratione proprietatis verè dicitur Chriſtus *arbor*, ſive A *lignum vitæ* plantatum in utero virginali, & in Eccleſia, loco illius &c. Dicit ergo David, quòd Chriſtus erit *tanquam lignum vitæ*, quod plantatur *ſecus decurſus aquarum* Spiritus Sancti in Eccleſia, quod *dabit fructum* redemptionis, & glorificationis *in tempore ſuo. Et folium ejus non defluet*, in vanum, ſupple: *Sed quæcumque faciet ſemper proſperabuntur.* Nam Paſſio ejus, & Sacramenta Eccleſiaſtica, quantum ad ſe, ſemper ſunt ſufficientia ad faciendum fructum & effectum. Sed ſi aliquando non faciunt, hoc non eſt ex defectu Sacramenti, ſed ex defectu recipientis, accedentis fictè ad Baptiſmum, vel ad Confeſſionem &c. B Et ita eſt de prædicatione Chriſti, quæ fecit fructum, ſecundumquòd cecidit in terram bonam, *Matthæi* 13. quia *actus activorum ſunt in patiente diſpoſito*, 2. *de Anima.* Et ſic eſt dicendum, quòd folia Chriſti numquam defluxerunt in vacuum ratione ſui. Ex quo patet, quòd tota prima pars hujus Pſalmi verificatur de Chriſto, qui eſt verè lignum vitæ.

Lex Divina dicitur lignum vitæ.

Secundò poteſt verificari de ipſa *Lege Divina.* Nam quia dixit ſupra, *Beatus vir, qui in Lege Domini meditabitur die ac nocte:* ideò ſequitur; & illa Lex, ſupple, erit ipſi, ſcilicet viro juſto, *tanquam lignum*, quod plantatur *ſecus decurſus aquarum* paradiſi. Nam ſicut *Adam* colendo illud lignum, collegiſſet fructum vitæ &c. ita vir juſtus colendo Legem Divinam, &C obſervando eam, illa erit ei tanquam illud lignum: quia *dabit* ipſi *fructus* gratiæ & gloriæ *in tempore ſuo*: quia Lex vetus in primo adventu peperit, & germinavit Chriſtum, & noſtram redemptionem: & in ſecundo germinabit reſurrectionem generalem, & continuè profert nobis Lex Euangelica fructus gratiæ in præſenti, & fructus gloriæ in futuro. *Et folium ejus* numquam *defluet*: quia virtus Sacramentorum numquam deficiet in hac Eccleſia; quia continuè fluit ex latere Chriſti. Et Eccleſia continuè irrigatur ex flumine Paſſionis Chriſti, à quo fluunt quatuor flumina irrigantia quatuor partes terræ. Et ideò folia hujus arboris *numquam defluent*, ſed D *ſemper proſperabuntur*, quoad effectum.

Vir juſtus dicitur lignum vitæ

Item tertiò: iſta prima pars hujus Pſalmi poteſt verificari de quolibet juſto. Nam *Beatus vir* juſtus, qui *meditabitur in Lege Domini die ac nocte &c.* quia talis erit *tanquam lignum &c.* Nam ſicut illud lignum vitæ *plantatum ſecus decurſus aquarum* illorum quatuor fluminum paradiſi terreſtris, numquam perdebat folia, ſed ſemper faciebat fructum &c. ita pariter vir juſtus & fidelis, qui plantatur in Eccleſia *ſecus decurſus aquarum* baptiſmalium, & aliorum Sacramentorum, dabit fructus meritorum, & bonorum operum *in tempore ſuo*, E id eſt, hujus vitæ. Et colliget fructus gratiæ in præſenti, & fructus gloriæ in futuro de ligno vitæ, qui eſt Chriſtus. Nam homo juſtus faciendo fructus meritorum, colliget fructus gloriæ ex ligno vitæ, qui eſt Chriſtus, ut dicitur *Apocal.* 2. *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei &c.* Ex quo patet, quòd tàm homo juſtus, quàm Chriſtus, dicitur lignum vitæ: ſed aliter & aliter. Nam homo juſtus facit fructus meritorum, & bonorum operum: ſed Chriſtus facit fructus præmiorum: & ideò ſubdit de viro juſto, *& folium ejus non defluet.* Quia opera juſti viri in charitate facta, numquam defluent F in vacuum; immò *quæcumque faciet, proſperabuntur*, & facient fructus meritorios: quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Item quartò: illud lignum vitæ paradiſi figurabat etiam *Crucem Domini*, quæ data eſt nobis loco illius ligni: quæ quidem Crux fecit primò fructum noſtræ redemptionis, prout fuit plantata in Monte Calvariæ: ſed poſteà plantata in medio Eccleſiæ, facit fructus Eccleſiaſticorum Sacramentorum per ſingulos dies & menſes. *Folia* verò hujus arboris ſunt Eccleſiaſtica Sacramenta: *fructus* autem ejus ſunt effectus Sacramentorum, ſcilicet, collatio gratiæ, & remiſſio culpæ.

Unde Sacramenta, & eorum effectus dicuntur *folia* & *fructus* Crucis propter G duo. Primò, quia eorum virtus procedit ex Paſsione Chriſti. Secundò, quòd numquam confertur Sacramentum ſine *ſigno Crucis.* Et ideò accommodatè iſti duo verſiculi poſſunt verificari de ipſo ligno Crucis &c. quia *Crux Domini* erit cultoribus Divinæ Legis *tanquam lignum*, id eſt, loco illius ligni, *quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum* in illo paradiſo &c. quod dabit eis *in tempore ſuo* fructum redemptionis &c. Et hoc eſt illud lignum vitæ, quod vidit Joannes *Apocal.* 2. de quo ſuprà dictum eſt.

Eſt ulterius notandum ſecundùm *Auguſtinum*, quòd bene meritò *Chriſtus* comparatur illi *ligno*, ſive *arbori vitæ*: & etiam H ipſe vir juſtus comparatur *cultori ligni vitæ:* quia ultimum quod expectatur ab arbore, dicitur *fructus*, & ultimus uſus dicitur *frui.* Nam ideò Agricola colit agrum & arborem: ut finaliter inde colligat fructum, & fruatur eo, & ſic quieſcat in eo. Ita à ſimili nos fideles colimus Legem Divinam, & ipſum Chriſtum, obſervando Legem; ut hîc colligamus fructus gratiæ, & in fine fructus gloriæ: & ſic ultimum, quod expectamus ex cultu Chriſti, & obſer-

ſervantiâ Divinæ Legis eſt ultima felicitas & beatitudo, & ut fruamur toto Chriſto, ſcilicet, ejus divinitate cum humanitate. Et ſic Chriſtus eſt *verum lignum vitæ*, ex quo expectamus & colligimus fructus vitæ, & A nos ſumus veri cultores, qui fruimur fructibus Chriſti.

Sed etiam unuſquiſque *juſtus* dicitur *lignum vitæ*, ut dictum eſt, in quantum facit opera viva, & non mortua, ſcilicet, fructus bonorum operum dignos vitâ æternâ. Et ſic, ſicut nos exigimus à Chriſto fructus gratiæ, & gloriæ: ita Chriſtus exigit à nobis fructus bonorum operum. Et ideò Eccleſia fidelium dicitur *arbor vitæ*, ut dictum eſt, ex qua Chriſtus continuè exigit & colligit fructus fidei, & charitatis bonorum operum. Ex quo patet, quòd Synagoga Judæorum non fuit *tanquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum* quando venit Chriſtus: quia non fecit fructum *in tempore ſuo*. Quia quando Chriſtus B exegit fructum ab ea, non retulit ei fructum fidei: quia non recepit ipſum; ſed fuit tanquam ficulnea ſterilis, in qua Chriſtus non reperit fructum. Ideò maledixit eam Chriſtus in figura, *Matthæi* 21. Et ideò continuò aruit. Et ſic patet, quòd Lex Moyſis fecit fructum per Chriſtum in Apoſtolis, & cæteris recipientibus Chriſtum. Sed non fecit fructum in Judæis obſtinatis: quia ſine Chriſto Lex Moyſis non poterat facere fructum. Et ſic manet Synagoga Judæorum ſterilis & arida in ſempiternum, & maledicta per Chriſtum. Ideò Judæi non colligunt ex ea niſi maledictionem, & damnationem: quia oratio eorum vertitur in peccatum, *Pſalm.*8. Ideò ſequitur: *Non ſic impii &c.* Ex omnibus ſupradictis patet, quòd tota beatitudo, & præ- C mium, quod promittitur cultoribus Divinæ Legis, eſt fruitio ligni vitæ, qui eſt Chriſtus.

Synagoga Judæor.

5. *Non ſic impii, non ſic: ſed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.*

2. q. 1. c. Si peccaverit, & leg. Vulneratus, ff. ad leg. Aquil. & l. Longiùs, ff. de Judiciis.

POSTQUAM ſuperius Propheta promiſit beatitudinem cultoribus Divinæ Legis: quæ quidem beatitudo conſiſtit in fruitione ligni vitæ, qui eſt Chriſtus; nunc autem in hac ſecunda parte comminatur pœnam, & privationem beatitudinis infidelibus, & tranſgreſſoribus Divinæ Legis. D Ideò primò comminatur pœnam & ſupplicium. Secundò comminatur privationem æternæ felicitatis: ibi: *Ideò non reſurgent impii.* Quantum ad primum, quia ſuperius dixit, quòd vir fidelis & juſtus colens Legem, erit *tanquam lignum* ferens fructum, & quod *folium*, id eſt, bona operatio ejus, *non defluet &c.* Ideò dicit hîc, quòd oppoſitum erit de viris impiis, & injuſtis: quia viri impii non erunt ſic *tanquam lignum*, facientes fructum meritorium *in tempore ſuo*, nec *folia* eorum erunt E fixa: immò fluent & projicientur à facie Dei, *tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ.* Et ſic opera eorum erunt vacua & vana abſque meritis, immò digna pœnâ æternâ. Et ratio eſt. Nam ideò juſti conſequentur beatitudinem cœleſtem, eò quòd contempſerunt iſta terrena & vana, & dilexerunt cœleſtia, quæ ſunt firma & æterna: & ſic operati ſunt opera firma & juſta: & ſic meruerunt præmium æternum. Sed quia injuſti & impii abeuntes à Deo, & Lege Divina, & contemnentes cœleſtia, dilexerunt terrena, & corruptibilia, & va- Nota. na, & abierunt poſt ſuperbiam, & avaritiam, & ſic opera eorum fuerunt vana & caſſa: ideò in vanum ceciderunt, & fluxerunt opera eorum abſque fructu meritoF rum.

Ad cujus intellectum eſt notandum ſecundùm *Ariſtotelem* 4. *Metheorum*, quòd *humidum eſt cauſa compactionis, & continuitatis, & tenacitatis in rebus mixtis naturalibus. Et ſic quæ ſunt arida ſine humiditate, faciliter reſolvuntur, & effluunt in pulveres.* Nam calor naturalis decoquit partes humefactas, & connectit, & compactat eas adinvicem; & hoc videmus in arboribus. Nam in Æſtate exit calor naturalis ad exteriora, & connectit partes humidas. Et ſic retinentur folia in arbore fixa. Sed adveniente Autumno, & recedente calore continentis, tunc calor naturalis retrahitur ad interiora, & tunc ſolvitur humidum in partibus exterioribus: & ſic cadunt folia, & ventus agitat illa, & G *projicit à facie terræ.* Ita pariter accidit in corpore myſtico Eccleſiæ. Nam membra Chriſti humectantur per fidem, & viridificantur per charitatem. Et ſic ignis, ſive calor charitatis connectit membra ſuo capiti Chriſto & inter ſe, tanquam folia arbori, & ſicut palmites in vite, ut patet *Joan.*16.

Et ſic folia eorum, id eſt, opera, radicantur, & ſolidantur per fidem & charitatem formatam; & ſic non defluunt, immò faciunt fructus meritorios, & proſperantur in præmio. Sed ſi deficit eis talis fides, aut charitas; tunc decidunt à corpore Chriſti myſtico, ſicut folium ab arbore. Et ſic etiam opera eorum effluunt in vanum: & ſic etiam ſacramenta Eccleſiæ, & bona opera quæ fa- H cit Eccleſia, non proficiunt eis. Et ſic etiam ipſi impii, tanquam vani & inutiles, projicientur à facie Domini in judicio, cùm dicetur eis: *Ite & diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, *Matth.* 25. Et ſic patet, quòd Judæi obſtinati, & omnes injuſti, & impœnitentes non erunt tanquam *lignum vitæ &c.* ſed tanquam *ficulnea arida & maledicta*, ex qua ceciderunt *folia*, & pro-

projiciet eos *ventus* divinæ vindictæ, sicut ventus projicit pulverem *â facie terræ.*

Guido Brianſonis *in* 4. *quæſt.* 14 *concluſio* 1. *doc. Primo exponit, quòd non habebunt gloriosam Reſurrectionem cum ſanctis in gloria; nec valet conſequentia: Non reſurgĕt in gloria: ergo non reſurgent ſimpliciter.*

6. *Ideo non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio* A *juſtorum.*

HIc comminatur eis privationem futuræ beatitudinis. Ad cujus intellectum eſt notandum, quòd illud *lignum vitæ* plantatum in paradiſo, duo principaliter conferebat cultori ſuo *Adæ*, ſive primis parentibus. Nam primò præſtabat vitam perpetuam ſine aliqua miſeria in præſenti; præſervans ab omni infirmitate & triſtitia: & conferebat immortalitatem: quia poterant non mori, edendo ejus fructum. Secundò poſt longam durationem fuiſſent translati in vitam meliorem & in Cœlum æternum, ubi æternaliter fruerentur Deo viſo & amato, &c. Et ideò poſtquam datus fuit Chriſtus in ſupplementum hujus ligni perditi, oportuit, ut peramplius & perfectius conferret ſuis cultoribus omnia bona, quæ perdiderunt primi parentes amittentes illud lignum. Et ſic etiam oportet, ut recuperemus immortalitatem, & libertatem ab omni miſeriâ, & viſionem Divinæ Eſſentiæ, & perfectam beatitudinem & felicitatem per fruitionem ligni vitæ, qui eſt Chriſtus. Et ideò Chriſtus tanquam verus reparator & redemptor humanæ naturæ, omnia ſupradicta nobis recuperavit. Nam primo per ſuam mortem & Paſſionem nos à culpa & pœna æterna liberavit & ſanavit, conferendo vim purgativam, & ſanativam Sacramentis. Secundò recuperavit nobis immortalitatem, & nos liberavit ab omnibus miſeriis corporalibus per ſuam Reſurrectionem. Tertiò nobis eſt adeptus ſummam beatitudinem, & divinam viſionem, & fruitionem in Cœlo per ſuam Aſcenſionem. Et ſic voluit Chriſtus, quòd illicò liberaremur ab omni peccato per ſuam Paſſionem, & Eccleſiaſtica Sacramenta: & illicò poſt hanc vitam, factâ omni pœnitentiâ debitâ, evolaremus ad Cœlum, & poſſideremus illam perfectam felicitatem. Sed noluit ut omnes poſſideremus illam immortalitatem & impaſſibilitatem corporis, uſque ad finem ſæculi in illa generali Reſurrectione: & tunc erit homo in ſua ultima perfectione. Et hoc factum eſt propter majus bonum, ut inquit *Auguſtinus* 13. *de Civitat. cap.* 4. Nam ideò reliquit nobis Chriſtus iſtas pœnalitates, ut ſint nobis in meritum: quia ſi homines non relicti eſſent mortales & paſſibiles, non fuiſſet victoria, & corona Martyrum, nec eſſent merita & patientia virorum perfectorum, & juſtorum. Ideò iſtæ pœnalitates ſunt bonis bonæ, & malis malæ. Sed in die judicii omnes juſti reſurgent cum corporibus glorioſis, & immortalibus, & tunc erunt perfectè beati; & tunc habebunt ſuum præmium perfectum, & erunt beati in corpore & anima. Et hoc præ- E mium dabitur juſtis in retributionem obſervantiæ Divinæ Legis: quia tanta eſt virtus & perfectio illius *ligni vitæ*, qui eſt Chriſtus, quòd etiam corpora mortua ſuſcitabit in noviſsimo die; & ſic ſimul corpus glorificatum fruetur cum anima: quod præmium minime habebunt impii, & infideles, & injuſti; quia non reſurgent ad gloriam cum juſtis in judicio. *Ideo* ſubdit David, quòd *non reſurgent impii in concilio* & ſocietate *juſtorum.* Et ratio eſt:

7. *Quoniam novit Dominus viam juſtorum: & iter impiorum* F *peribit.*

6. q. 3. c. Exiſtimant.

DOMINUS *novit*, & acceptavit *viam*, & bona opera juſtorum, quia ſecundùm Legem Dei fuerunt facta. Et ideò dedit eis perfectum præmium, & fœlicitatem quoad corpus & animam. Sed *iter impiorum peribit*: eò quòd vita *impiorum* non fuit ſecundùm Legem Dei, immò contra Legem, eò quòd abierunt, & receſſerunt à Lege, & via Dei, & ſteterunt in *via peccatorum*, & diaboli, & finaliter ſederunt in *cathedra peſtilentiæ* & obſtinationis, decedentes abſque finali pœnitentia, & infideles mortui ſunt in ſua infidelitate. Et ideò ſicut via Legis Divinæ & Præceptorum ducit fideles G & juſtos ad illam ſummam beatitudinem: ita via peccatorum ducit impios & infideles in infernum.

Quæſtio. Sed hîc occurrunt tria dubia. Primum: quòd cum ſumma beatitudo ſit *bonum ſufficiens, quo adepto nihil eſt amplius, quod deſiderari queat*, ut inquit *Boëtius*: cum ergo animæ Sanctorum nondum recuperaverint corpora immortalia, & glorioſa; ſequitur quòd nondum ſunt perfectè beatæ: quia adhuc reſtat aliquid quòd deſiderari queat: quia adhuc deſiderant recuperare corpora glorioſa. Secundum dubium eſt de eo quod hic dicitur: quòd *non reſurgent impii in judicio:* cum *Apoſtolus* dicat, quòd *omnes reſurgemus, & erimus ante Tribunal Chriſti.* Et *Da-* H *nielis* 12. quòd *infernus, & mare, & terra dabunt mortuos ſuos &c.* Tertium dubium eſt de eo quod dicit: *Quoniam novit Dominus viam juſtorum*: cum Deus æquè noverit bonos & malos; quia *omnia aperta ſunt oculis ejus.*

Quæſtio.

Quæſtio.

Quomodo animæ beatæ deſiderant corpora.

Reſpondetur ad primum, quòd hanc quæſtionem movet *Auguſtinus* 12. *ſuper Geneſ. circa finem*, & adducitur à *Magiſtro* 4. *ſentent. diſt.* 49. Unde dicit *Auguſ-*

guſtinus hanc eſſe difficilem quæſtionem. Et dicit, quemdam appetitum naturalem ineſſe cuilibet animæ ſeparatæ adminiſtrandi, & recuperandi corpus, quo retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud ſummum Cœlum: donec ille appetitus quieſcat. Et tamen A anima non deſiderat recuperare corpus mortale & grave, quale dimiſit, ſed immortale & impaſſibile & glorioſum, ut ſecum fruatur, & ſit ei ad gloriam, quod fuit ad ſarcinam. Hanc ergo quæſtionem partim relinquit *Auguſtinus* indeciſam: quia affirmat, talem appetitum ineſſe animæ, ut illud corpus ſit ſibi ad majorem gloriam propter conſortium & ſocietatem. Sed non videtur ſolvere, an illud deſiderium tollat aliquid de ejus beatitudine, aut impediat? Sed ad hoc reſpondent *Doctores Scholaſtici*, & moderni ſecundùm eundem *Auguſtinum*, quòd ſunt duo conſideranda in ipſa beatitudine, ſcilicèt, unum quod eſt principale, & eſſentiale; & illud eſt viſio, & fruitio ſummi boni ſecurè poſſeſſi: quia fruimur Deo bono & cog- B nito, in quo voluntas delectata conquieſcit. Aliud autem, immò multa alia poſſunt eſſe accidentalia, & acceſſoria, & minus principalia, putà, ſcire aliqua futura per revelationem ſuperiorem: habere plures conſortes, & ſocios in illa felicitate: & habere corpus glorioſum in conſortium, ad fruendum illo ſummo bono. Unde primum præmium eſſentiale, ſcilicet, videre, & frui illo ſummo bono, & Eſſentiâ Divina, nunquam augetur, neque minuitur beatis in illa Cœleſti gloria: quia unicuique datur ſecundùm menſuram meritorum, & luminis gloriæ, & charitatis. Sed præmium accidentale continuè augetur beatis in patria uſque ad diem judicii, quo- C niam Deus erit *omnia in omnibus*, & recuperabunt omnes ſua corpora. Et ſic finietur appetitus accidentalis beatorum: quia tunc induentur *ſtolis albis*, *&c.* & erunt in ultima ſua perfectione accidentali: nam fruentur toti toto Chriſto. Nam per animam fruentur ipſa divinitate, ſeu Divinis Perſonis, & per potentias corporales glorificatas fruentur humanitate Chriſti. Et ſic omnes potentiæ, tam intellectuales, quàm ſenſitivæ beatificabuntur, ut inquit *Auguſtinus* 22. *de Civitate*, *capitulo penultimo*, *& ultimo*. Et ſic patet reſponſio ad difficultatem. Nam omnes animæ beatorum ſunt perfectè beatæ, quantum ad beatitudinem eſſentialem: quia nihil eſt eſſentiale, quod amplius deſiderari queat: quia omnes fruuntur unâ Eſſen- D tiâ Divinâ in tribus Perſonis, & è converſo, & uno ſummo bono. Sed poſſunt deſiderare aliquod accidentale, quod auget beatitudinem eorum accidentalem: quia quotidie deſiderant converſionem peccatorum: quia *gaudium coram Angelis Dei eſt in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*. Et ſic continuè deſiderant recuperare corpora glorioſa, ut ſimul fruantur cum corpore & anima. Unde ſicut homo exiſtens in carne laboravit & paſſus eſt propter Chriſtum in carne: ita E Martyres deſiderant recuperare illa corpora glorioſa, ut ſint eis in conſortium ſuæ fruitionis. Sed hoc deſiderium non tollit eorum beatitudinem eſſentialem, nec in aliquo impediuntur: quia bonum finitum & accidentale non poteſt impedire bonum infinitum & eſſentiale.

Ad ſecundùm dubium reſpondetur, quòd ſalvator jam hoc ſolvit, *Joannis* 5. cum dicit, quòd *omnes qui in monumentis ſunt*, *reſurgent*. Sed non æqualiter: nam *qui bona egerunt*, reſurgent *in reſurrectionem vitæ*: quia reſurgent in corpus glorioſum & immortale, in vitam æternam. Sed qui mala egerunt, *in reſurrectionem judicii*, & damnationis. Nam corpora eorum erunt paſſibilia. Et ideò dicit F *Apoſtolus*, *primæ ad Corinth.* 15. quòd *omnes reſurgemus*, quantum ad reſurrectionem primam; *ſed non omnes immutabimur*, quoad ſecundam, & glorioſam reſurrectionem; ſed ſoli juſti, ſupple. Item omnes homines, tam boni, quàm mali *reſurgent in judicio*: ſed non omnes reſurgent in *concilio*, & ſocietate *juſtorum*: quia omnes mali reſurgent in concilio & ſocietate impiorum diabolorum. Et hoc eſt quod intendit dicere hîc Propheta, quòd ideo propter cauſas ſupradictas impii *non reſurgent*, neque *peccatores in concilio* & ſocietate juſtorum, ad gloriam & vitam æternam; ſed ad mortem, & pœnam æternam: quia illud non erit *reſurgere*, ſed cadere, & mori.

Quomodo impii reſurgent in judicio.

Ad tertium eſt dicendum: quòd du- G plex eſt notitia Dei. Una dicitur *notitia diſcretionis*, qua omnia novit, tam bona, quàm mala: de qua notitia dicitur *Pſalmo* 93. *Dominus novit cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt*, *&c.* Altera dicitur *notitia acceptationis*, *& approbationis*, quâ acceptat & approbat ſola bona; & neſcit mala, de qua dixit fatuis virginibus: *Neſcio vos. Matth.* 25. Et de hac notitia dicit hîc Propheta, *quoniam novit Dominus*, id eſt, acceptavit, & approbavit *viam*, & opera juſtorum.

Quomodò Deus novit viam juſtorum.

Ex omnibus his patet, quòd tota ſententia & intelligentia hujus *primi Pſalmi* ſtat in hoc, quòd ſolus cultor & obſervator Divinæ Legis eſt *beatus*: quod probat. Quia ſola Lex Divina eſt *via* acquirendi H veram beatitudinem: quod probat: quia vera beatitudo conſiſtit in fruitione *ligni vitæ*, qui eſt Chriſtus, qui datus eſt nobis in ſupplementum illius *ligni vitæ*, quod perdidit *Adam* in paradiſo. Sed ſola Lex Divina nos docet pervenire ad Chriſtum, qui eſt finis Legis. Igitur ſolus cultor Di-

vi-

vinæ Legis erit beatus, & faciet fructus meritorum, & colliget fructus præmiorum *in tempore ſuo*, id eſt, poſt hanc vitam: & hoc, de ligno vitæ, qui eſt Chriſtus. Ex hoc ſequitur, quòd impii, & infideles, & injuſti non erunt beati, nec colligent hujuſmodi fructus: *ideo non reſurgent* ad vitam glorioſam *in judicio*: quia Chriſtus ſolis cultoribus ſuis communicabit beneficium glorioſæ Reſurrectionis: quia ſolam *viam juſtorum novit*, & approbavit. Et ſic *iter, & via impiorum peribit* ut dictum eſt. Et hæc eſt propoſitio, quam aperit David nobis in hoc Pſalmo. Ex toto ergo iſto Pſalmo poſſunt colligi decem concluſiones.

Nota concluſiones.

Prima Concluſio : Quòd ſolus cultor Divinæ Legis eſt beatus. Probatur: quia ſola Divina Lex eſt via perveniendi ad beatitudinem.

Secunda Concluſio : Quòd nullus impius, ſive infidelis, aut Hæreticus, poteſt eſſe beatus. Probatur: quia talis agit contra Legem.

Tertia Concluſio : Quòd nullus obſtinatus, & finalis impœnitens poteſt eſſe beatus. Probatur: quia talis *ſedet in cathedra peſtilentiæ.*

Quarta Concluſio : Quòd talis obſervator Divinæ Legis *erit tanquam lignum*, faciens fructus meritorios.

Quinta Concluſio: Quòd ſolus Chriſtus eſt verum lignum vitæ, à quo ſumuntur fructus fruibiles, & quo eſt verè fruendum; à quo objecto fruibili non excluditur Pater, & Spiritus ſanctus. Item ipſa *Crux* dicitur *lignum vitæ.*

Sexta Concluſio : Quòd quilibet juſtus non ſolùm eſt *tanquam lignum vitæ*, in quantum agit opera vitæ; ſed etiam dicitur cultor ligni vitæ, in quantum fruitur Chriſto.

Septima Concluſio : Quòd Synagoga Judæorum non eſt *tanquam lignum* vitæ, ſed ficulnea arida & maledicta, in quantum in ea Chriſtus non reperit fructum.

Octava Concluſio : Quòd ſoli juſti reſurgent in judicio ad vitam glorioſam.

Nona Concluſio : Quòd licet Deus noverit omnia *notitiâ diſcretionis*; tamen ſola opera juſtorum novit *notitiâ approbationis.*

Decima Concluſio : Quòd *iter impiorum* ſemper *peribit* : eò quòd deviat à Lege Divina.

Psalmus II.

1. *Quare fremuerunt gentes : & populi meditati ſunt inania?* *Actor. 4. cap.*
2. *Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.* *Diſtin. 92 cap. Virũ in glo.*

Iste Pſalmus apud Hebræos eſt omnino ſine titulo. Et ideo quidam eorum dixerunt, eſſe eundem Pſalmum cum primo. Et ſic ex titulo non apparet materia, nec Actor hujus Pſalmi. Sed *Rabbi Salom.* in principio Gloſſæ hujus Pſalmi conatur aſſignare materiam & auctorem, cum dicit: quòd *Magiſtri antiqui expoſuerunt hunc Pſalmum de Rege Meſsia, ſcilicet, de Chriſto in Lege & Prophetis promiſſo: ſed ad intellectum planum*, & *litteraleni*, & *propter reſponſionem ad Hæreticos, exponendus eſt de ipſo David.* Et vocat *Hæreticos*, converſos de Judaiſmo ad Fidem Chriſti, qui cum ſententia hujus Pſalmi convincebant Judæos. Et ſic *Rabbi Salom.* mutando veram ſententiam antiquorum, gloſſat hunc Pſalmum *de David*, & *de Victoria* quam habuit de Philiſthæis, ſcripta 2. *Reg.* 5. *cap.* Ex verbis hujus *Rabbini* manifeſtantur tria. Primò, quia ipſe confitetur, quòd *David* fecit hunc Pſalmum. Secundò, quòd omnes antiqui ad litteram expoſuerunt ipſum de Chriſto Meſſia. Tertiò, quòd ficto & iniquo modo gloſſat ipſum *de David*: quia non propter veritatem gloſſat ipſum, ſed ut contradicat Chriſtianis, & fugiat eorum argumenta: eò quòd manifeſtè ab eis convincebatur. Ex quo patet, quòd licèt quantum ad primum, & ad ſecundum dicat veritatem: tamen quantum ad tertium ipſemet confitetur, ſe eſſe mendacem, & falſum, & perverſum gloſſatorem. Et ſic patet, quod nec in Gloſſa hujus Pſalmi, neque in cæteris Scripturis ejus eſt ei aliqua fides adhibenda.

Omiſſis ergo, & rejectis fictionibus & deliramentis modernorum Judæorum, ſequendo auctoritatem Spiritu ſancti, exponendus eſt iſte Pſalmus de Chriſto, & ejus Regno, & judiciaria poteſtate. Unde legitur *Actor.* 4. quòd omnes populi una voce dixerunt: *Domine, qui Spiritu ſancto dixiſti per os David Patris noſtri pueri tui: Quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus? Convenerunt verè in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum,*

ſum , quem unxiſti , Herodes & Pilatus, &c. Item infra *cap.* 13. dixit *Paulus*: *Deus ſuſcitavit Jeſum , ſicut in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt : Dominus dixit ad me , filius meus es tu : Ego hodie genui te.* Item *ad Hebr.* 1. hanc allegat auctoritatem de A Chriſto. Ex dictis ergo Apoſtolorum patet, quòd *David*, fecit hunc Pſalmum de Morte , & Paſſione , & Divinitate , & Regno Chriſti. Et ſic apparet auctor & materia hujus Pſalmi.

Secundò ſequitur , quòd iſte Pſalmus eſt ſecundus in numero diſtinctus à priori: quod eſt contra eos qui dicunt ; quòd iſte Pſalmus eſt idem continuatus cum priori. Tertiò ſequitur , quòd *David* non fuit cauſa principalis hujus Pſalmi , nec aliorum; ſed ipſe Spiritus ſanctus , qui loquebatur per os David : Sed David eſt cauſa inſtrumentalis mota à Spiritu ſancto : ut B dictum eſt *in Prologo.* Sed quia dictum eſt *in Prologo* , quòd omnia geſta Patriarcharum , & omnia myſteria veteris Teſtamenti fuerunt quædam figuræ , & ſigna , & picturæ Myſteriorum novi Teſtamenti , in quibus prævidit David omnia myſteria futura de Chriſto & Eccleſia , & ex quibus aſſumpſit *argumentum* , & *propoſitionem* , & *parabolam* ad condendos Pſalmos : Et dictum eſt etiam , quomodo David in quolibet Pſalmo aperit nobis aliquam propoſitionem , & infert Propheticè aliquam concluſionem Euangelicam : aut pulſat aliquam *chordam Pſalterii Evangelici* : ideò eſt quærendum in hujus Pſalmi expoſitione : primo in quo Myſterio veteris Teſtamenti prævidit David Myſterium Paſſionis Chriſti , de quo tractatur in hoc Pſalmo ? Ad cujus intelligentiam eſt ad- C vertendum , quòd in pluribus locis potuit David prævidere. Nam primò hoc prævidit in ſua perſecutione , & exaltatione. Nam per hoc quòd *Saul* cum ſuis complicibus , abſque demeritis præcedentibus, conſpirarunt in mortem ipſius David : ſed finaliter poſt multas perſecutiones , diſſipatis omnibus inimicis , David fuit in regnum exaltatus : prævidit David in ſpiritu, qualiter *Principes Sacerdotum* , & *Scribæ*, & *Phariſæi* ſimul cum *Herode* debebant conſpirare in mortem Chriſti : ſed finaliter Chriſtus poſt Reſurrectionem debebat aſcendere in Cœlum , & accipere univerſalem poteſtatem ſuper omnes creaturas, Judæis manentibus confuſis. Et hoc Myſ- D terium cantat David Propheticè in hoc Pſalmo.

Quomodo David prævidit Myſteriũ Paſſionis.

Sed licet David in ſupradicta conjuratione ipſius Saul facta contra ipſum potuerit prævidere conjurationem Judæorum futuram contra Chriſtum : tamen hanc clarius & evidentius prævidit in conjuratione fratrum facta contra *Joſeph* , de qua habetur *Geneſ.* 37. ut poteſt patere diligentèr contemplanti totum diſcurſum ipſius *Joſeph.* Unde per hoc quòd Jacob diligebat Joſeph præ cæteris fratribus propter puritatem & ſapientiam ſuam , prævidit David in ſpiritu , qualiter Deus Pater debebat diligere Chriſtum Filium ſuum E præ cæteris filiis hominum. *Matth. & Lucæ* 3. Item per hoc quòd fratres oderunt Joſeph , eò quòd magis diligebatur à patre, prævidit David , qualiter *Scribæ* , & *Phariſæi* , & *Sacerdotes* debebant odire Chriſtum ; eò quòd erat diligendus à Deo per ſigna miraculorum. Item per hoc quod fratres conſpirarunt in mortem *Joſeph*, eò quòd accuſaverat eos apud patrem *de crimine peſsimo* , invidia fraternæ charitatis: & quia prædixerat exaltationem ſuam per ſomnium , prævidit David in ſpiritu, qualiter *Scribæ* , & *Phariſæi* , & *Sacerdotes* debebant conjurare & conſpirare in necem Chriſti : eò quòd prædicabat con- F tra eorum ſuperbiam , & ſimulationem, & avaritiam ; & quia prædicebat exaltationem ſui regni per vaticinia Prophetarum. Item per hoc quod *Simeon* , & *Levi* commoverunt alios fratres ad mortem *Joſeph*, dicentes , *Ecce ſomniator venit : venite, occidamus eum , &c.* prævidit David, qualiter Scribæ , & Phariſæi *de tribu Simeon*, & principes Sacerdotum *de tribu Levi* debebant conjurare contra Chriſtum , & concitare alios adverſus eum , ut patet per totum diſcurſum Euangelicum. Item per hoc quod Joſeph fuit poſitus in ciſterna, & tamen inde exivit vivus : prævidit in ſpiritu , qualiter Chriſtus erat mortuus ſepeliendus in ſepulchro ; tamen exinde erat vivus reſurrecturus ad vitam glorioſam. Item per hoc quod fratres intinxerunt tu- G nicam *Joſeph in ſanguine hædi , &c.* prævidit David , qualiter caro Chriſti erat intingenda in ſanguine ſuo , qui eſt agnus ſine macula. Item per hoc quod fratres vendiderunt *Joſeph Iſmaëlitis , &c.* prævidit David, qualiter Chriſtus erat tradendus , & vendendus per *Judam.* Item per hoc quod uxor *Putipharis* accuſavit *Joſeph* de adulterio apud virum , eò quòd noluit conſentire voluptati ſuæ , &c. prævidit David qualiter Synagoga *Scribarum*, & *Phariſæorum* debebat accuſare , & perſequi Chriſtum : eò quòd non debebat conſentire avaritiæ , & ſuperbiæ , & pravis moribus eorum : immo debebat exprobrare mala opera eorum , ut patet *Matth.* H 23. & per totum Euangelium.

Nota de Joſeph figurante Chriſtum.

Item per hoc quod ad perſecutionem Joſeph primò moti ſunt, & convenerunt fratres ſui Iſraëlitæ , & ipſi tradiderunt ipſum Gentilibus *Iſmaëlitis :* per hoc prævidit David in ſpiritu , qualiter Iſraëlitæ, & Judæi debebant tradere Chriſtum *Pilato* Gentili ad flagellandum , & crucifigendum. Item per hoc quod *Joſeph* poſt exitum de carcere accepit principatum à *Pharaone* ſuper totam *Ægyptum* , prævidit

David in ſpiritu, qualiter Chriſtus poſt reſurrectionem, & exitum de ſepulchro, eſſet in Cœlum aſcenſurus, & accepturus à Patre univerſalem poteſtatem ſuper totum mundum. Item per hoc quod fratres *Joſeph* volentes contradicere Divinæ voluntati, quam *Joſeph* notificaverat eis per ſomnium de futura ejus exaltatione: & cum mala eorum voluntate & intentione impleverunt voluntatem Dei, quia ſi non vendidiſſent eum *Iſmaelitis*, non fuiſſet profectus in Ægyptum: nec per conſequens fuiſſet exaltatus in principatum: per omnia iſta prævidit David, qualiter *Judæi* volentes impedire voluntatem Dei, & omnia myſteria Patriarcharum, & vaticinia Prophetarum, & opera noſtræ redemptionis: & volentes impedire imperium Chriſti, ne dominaretur ſuper eos &c. ipſi autem cum mala eorum voluntate impleverunt voluntatem Dei, & verificaverunt omnes Scripturas, & diſpoſuerunt viam ad exaltationem Regni Chriſti, ipſum occidendo. Nam quia *Chriſtus humiliavit ſeipſum uſque ad mortem: ideò Pater exaltavit illum &c. Ad Philip.* 2. Item per hoc quod conſilium iniquum fratrum factum contra *Joſeph* fuit caſſum & vanum; eò quòd putantes fugere ejus dominium, inciderunt in ſervitutem ſub ditione & poteſtate ejus, quod vitare cupiebant &c. per hoc prævidit David, qualiter conjuratio & conſpiratio Judæorum facta contra Chriſtum, debebat eſſe caſſa, & vana: nam poſt mortem erat reſurrecturus, & in Cœlum aſcenſurus, & univerſalem poteſtatem accepturus: & ſic *Scribæ*, & *Phariſæi*, & omnes Judæi debebant manere deluſi & confuſi in conſilio ſuo: quia Chriſtus regnavit ſuper eos, & diſſipavit, & diſperſit eos in ſervitutem per univerſum mundum. Et ſic inciderunt in ſervitutem, quam vitare putabant & cupiebant: immò ipſimet diſpoſuerunt viam ad ſervitutem ſuam: ſicut fecerunt *Simeon*, & *Levi*, & cæteri fratres conſpirantes contra eum.

Unde non ſolùm David, ſed etiam Patriarcha Jacob prævidit in ſpiritu omnia ſupradicta futura myſteria de Chriſto, figurata in perſecutione, & venditione ipſius Joſeph. Et ideò ante obitum ſuum vocavit omnes filios: ut prædiceret eis omnia, quæ erant futura in generationibus ſuis in noviſſimis diebus, id eſt, tempore Meſſiæ, ſicut gloſſat *Rabbi Moyſes Gerundenſis*, *Geneſ.* 49. Et ſic quando devenit ad *Simeon* & *Levi*, videns in ſpiritu, qualiter Scribæ & Phariſæi deſcendentes de *Simeon*, & Sacerdotes de *Levi*, debebant conſpirare in mortem Chriſti, & concitare populum contra eum, ſicut *Simeon*, & *Levi* principaliter conſpirarunt contra Joſeph, & concitarunt alios: ideò dixit Jacob: *Simeon*, & *Levi fratres vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum.* Quaſi dicat, ſicut *Simeon* & *Levi* fuerunt fratres & *vaſa iniquitatis* ad conjurandum & conſpirandum in mortem, non ſolùm contra *Sichem*, ſed etiam contra *Joſeph*, dicendo: *Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum &c.* ita pariter Scribæ, & Phariſæi, & Sacerdotes deſcendentes de *Simeon* & *Levi*, conſpirabunt in mortem Chriſti Meſſiæ venturi, dicentes: *Expedit, ut unus moriatur pro populo &c.* & ita congregabuntur, & facient conſilium contra eum, ut eum morti tradant &c. Et ideò ſubdit Jacob: *In conſilium eorum non veniat anima mea: quia maledictus furor eorum: quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura*, & crudelis, & iniqua erit contra Chriſtum: *Dividam eos in Jacob &c.* Et ſic etiam Patriarcha *Jacob*, poſtquam prædixit iniquum conſilium, & conjurationem Phariſæorum, & Scribarum ſuper *Simeon* & *Levi*: allocutus eſt *Judam* pro Chriſto, prædicens mortem, & paſſionem, & exaltationem regni Chriſti ſuper utrumque populum, prout prævidit per myſterium ipſius *Joſeph*: unde ait: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii Patris tui &c.* Quaſi dicat: O Chriſte de Tribu Juda! fratres tui Apoſtoli, & cæteri converſi de Judaiſmo laudabunt te, & adorabunt te, ſicut adoraverunt, & laudaverunt *Joſeph* fratres ſui, quando viderunt ipſum regnantem: *& manus*, id eſt, poteſtas tua erit *ſuper cervices inimicorum tuorum*, tàm Gentilium, quàm Judæorum, qui perſecuti ſunt te, ſicut *Joſeph* fuit dominus eorum, qui vendiderunt eum, & perſecuti ſunt eum. Et tu Chriſte *de Tribu Juda*, eris *catulus leonis* in vincendo diabolum: quia *ad prædam* repetendam *aſcendiſti* in Crucem, & ibi *accubuiſti ut leo, & quaſi leæna* paratus ad prædam: quia quando fueris exaltatus in Cruce, omnia *trahes ad teipſum.*

Et ſubdit: *Quis ſuſcitabit eum?* Quaſi dicat: nullus, niſi Pater. Sed quia poſt reſurrectionem erat Chriſtus regnaturus, ſicut *Joſeph* poſt exitum de carcere: ideò ſequitur: *Non auferetur ſceptrum de Juda &c.* ſed quia erat regnaturus ſuper utrumque populum; ideò ſubdit: *Erit expectatio gentium, ligans ad vineam pullum ſuum*, id eſt, populum Gentilem: *& ad vitem aſinam ſuam*, id eſt, populum Judaicum. Sed quia hoc regnum erat Chriſtus accepturus per mortem, & reſurrectionem, ideò ſubdit: *Lavabit in vino ſtolam ſuam*, id eſt, humanitatem ſuam, *& in ſanguine uvæ pallium ſuum*, id eſt, carnem ſuam: ſicut veſtis *Joſeph* fuerat intincta in ſanguine hædi.

Ex ſupradictis ergo patet, qualiter Ja-

Jacob prædixit totum myſterium conſpirationis Chriſti ſuper *Simeon* & *Levi*: & prædixit totum myſterium reſurrectionis Chriſti, & exaltationis regni ejus in perſona ipſius *Juda*, prout præviderat figurativè in myſterio venditionis Joſeph, & exaltatione regni ejus. Quomodo autem *Simeon* & *Levi* fuerint principales conjuratores, & concitatores contra *Joſeph*, & quomodo probatur quod Scribæ & Phariſæi deſcenderint de Simeon? dicetur in fine Expoſitionis hujus Pſalmi.

David ergo, qui poſtquam quievit à bellis, die ac nocte contemplabatur in Lege Domini, ut dictum eſt in *Prologo*, *Tractatu* 2. contemplando totum myſterium, & diſcurſum venditionis *Joſeph*, & exaltationis principatus ejus: & contemplando vaticinia *Patriarchæ Jacob*, quæ dixerat ſuper *Simeon* & *Levi*, & ſuper *Juda* de Chriſto: prævidit in ſpiritu, qualiter ſicut Simeon & Levi iniquè, & ex invidia conjuraverant in mortem *Joſeph*: ita Scribæ & Phariſæi *de Tribu Simeon*, & Principes Sacerdotum *de Levi* debebant conſpirare in mortem contra Meſſiam ſuum, & tradere ipſum in manus *Pilati*, viri Gentilis, ad crucifigendum: ſed ſicut fratres *Joſeph* fuerunt fruſtrati in ſuo conſilio; quia poſt venditionem & exitum carceris fuit exaltatus in Principem totius Ægypti: & exinde fuit *Dominus fratrum ſuorum &c.* ita prævidit David, quòd Scribæ & Phariſæi debebant deludi, & fruſtrari in conſilio ſuo. Nam Chriſtus poſt mortem erat reſurrecturus de ſepulchro, & accepturus univerſale dominium, non ſolùm ſuper Judæos, ſed etiam ſuper populum Gentilem, & in cœlo, & in terra, & in inferno debebat eſſe univerſalis Judex omnium. Omnia ergo ſupradicta per ordinem prævidens David in ſpiritu, inde aſſumpſit parabolam & propoſitionem ad faciendum iſtum Pſalmum.

In quo tria principaliter facit: nam primò prædicit iniquum conſilium, & conſpirationem *Scribarum* & *Phariſæorum*, & *Sacerdotum* contra Chriſtum, & qualiter manſerunt deluſi & fruſtrati in ſuo conſilio per reſurrectionem Chriſti. Secundò prædicit exaltationem regni Chriſti, & judiciariam ejus poteſtatem, quam maximè oſtendet in finali judicio. Tertiò exhortatur omnes Reges, & Principes, & populos, ut recipiant Chriſtum in ejus adventu, & ſervent ejus Legem Euangelicam, & timeant eum tanquam Dominum, & juſtum Judicem. Secundum ibi: *Tunc loquetur ad eos.* Tertium ibi: *Et nunc Reges intelligite.*

Cauſa conſpirationis in mortem Chriſti.

Quantum ergo ad primum eſt advertendum, quòd cauſa quare Principes, & Phariſæi moti ſunt ad conſpirandum in necem Chriſti; fuit invidia, & timor, ne perderent regnum, & ſacerdotium, & locum, & gentem: & ne perderent redditus, & præbendas, & oblationes. Et ideò dixerunt in concilio: *Si hunc dimittimus, venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem, Joan.* 11. Et reſpondit Caiphas: *Expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat, Joan.* 11. Et ſic accuſarunt ipſum apud *Pilatum*. Sed cum *Pilatus* non inveniſſet cauſam, miſit eum ad *Herodem Tetrarcham*: ſed *Herodes* remiſit eum ad *Pilatum*. Sed cum *Pilatus* vellet eum dimittere, totus cœtus Judæorum clamavit, *Crucifige, crucifige*: quia *ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*: & tunc Pilatus crucifixit eum. Et ſic omnes iſti tres *convenerunt in unum adverſus Chriſtum*, ſcilicet, *Herodes, & Pilatus, & conventus Sacerdotum & Phariſæorum*; & unuſquiſque iſtorum motus fuit ex timore.

Nam *Pilatus* timebat, ne perderet procurationem: & *Herodes* timebat perdere Tetrarchiam: eò quòd *Judæi* accuſabant Chriſtum, quod commoviſſet totam Galilæam uſque in Hieruſalem; & ſic timuit perdere Galilæam. *Sacerdotes* verò timebant perdere locum & ſacerdotium. *Scribæ* & *Phariſæi* timebant perdere judiciariam poteſtatem, quia *ſedebant ſuper cathedram Moyſi* docentes & judicantes cauſas. Et ſic tàm *Pilatus*, quàm *Herodes*, quàm *Judæi*, putantes evadere hæc pericula, omnes conſpiraverunt in mortem Chriſti, & *convenerunt adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*. Et ſic occiderunt eum, putantes eum totaliter de terra delere, ne amplius eis noceret. Verumtamen aliter quod putabant: immò totum oppoſitum evenit eis; quia inciderunt in illa pericula, immò majora, quàm vitare putabant: quia Chriſtus ſurrexit ad gloriam immortalem: & accepit poteſtatem à Patre in Cœlo, & in terra: & *Pilatus* perdidit Procurationem, & ſceptrum, & mortuus eſt in exilio apud *Viennam* in Gallia; & Judæi perdiderunt locum & ſacerdotium, & fuerunt expulſi à finibus ſuis, & diſperſi, & captivi per mundum, & in magna parte trucidati; & Templum, & Civitas incenſa & deſtructa. Et etiam *Herodes* miſerabiliter finivit dies ſuos. Et ſic patet, quòd omnes iſti tres fuerunt fruſtrati à deſiderio ſuo, & conſilium eorum fuit caſſum, & vanum, & fatuum: quia non potuerunt implere deſiderium & votum ſuum, immò totum oppoſitum accidit eis: & ſic manſerunt & manent deluſi.

Hæc ergo omnia ſupradicta prævidens David in ſpiritu, dixit: *Quare*, id eſt, ad quid *fremuerunt gentes*? id eſt, commoti ſunt *Pilatus*, & ſui milites? qui erant Gentiles: qui commoti ſunt cum magno fremitu, & tumultu ad crucifigendum Chriſtum. Et *quare* ſimiliter populi Judæorum *meditati ſunt inania* conſilia, cogitantes occidere

Chriſtum, & putantes evadere pericula. Et ſimiliter, qualiter *aſtiterunt Reges terræ*, ſcilicet, *Herodes*, & *Principes Sacerdotum*, & *Scribæ*, & *Phariſæi*, qui regebant populum judicantes judicia: & ideò dicuntur *Reges* in Scriptura: *convenerunt* A *in unum*, conſpirando adverſus Jeſum Chriſtum *ejus*, id eſt, per Deum conſtitutum & miſſum. Quaſi dicat, quòd in vanum laboraverunt: quia *non eſt conſilium contra Dominum.* Et ideò deſiderium eorum fuit fruſtratum, & vanum: & ſic ad nihilum valuit: immò magis nocuit: quia in vindictam mortis Chriſti unuſquiſque eorum in ſuo ordine punitus eſt, ut ſuprà dictum eſt. Et ſic *meditati ſunt inania*, & vana: quia inaniter & fruſtra laboraverunt.

Triplicitèr Judæi meditati ſunt inania.

Et nota, quod tripliciter populi Judæorum *meditati ſunt inania* & vana. Primò, quia Chriſtus venit ad liberandum eos à ſervitute, & ad dandum eis regnum B æternum; & ipſi putabant, quod veniebat ad auferendum eis regnum, & ſacerdotium, & bona temporalia: cum vellet dare cœleſtia. Secundò, quia putarunt ipſum per mortem totaliter extinguere, ne haberet poteſtatem ſuper eos. Sed ipſe ſurrexit ad altiorem vitam, & accepit poteſtatem à Patre in cœlo, & in terra, & in inferno. Tertiò, quia per mortem ejus putabant evadere ſupradicta pericula temporalia, & inciderunt in majora, & ſpiritualia. Nam non ſolùm perdiderunt ſacerdotium, & civitatem terrenam, ſed etiam cœleſtem: & non ſolummodo perdiderunt vitam temporalem, ſed etiam æternam: & non ſolummodo inciderunt in perpetuam captivitatem corporalem, ſed etiam ſpiritualem. Et ſic patet, quomodo *meditati* C *ſunt inania.*

23. q. 4. Non invenitur, & cap. Si Eccleſia. Et 9. q. 3. c. Aliorum.

3. *Dirumpamus vincula eorum: & projiciamus à nobis jugum ipſorum.*

4. *Qui habitat in Cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.*

Iste verſus omnino continuatur ſuperioribus, tamen diverſimodè adaptatur, ſecundùmquod poteſt eſſe vox diverſorum. Nam uno modo ſecundùm *Auguſt.* & *Caſſiodorum*, poteſt eſſe vox Judæorum: & D tunc eſt ſenſus, qualiter populi Judæorum *meditati ſunt inania*, & vana conſilia, dicentes: *Si hunc dimittimus, venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem*: ergo ne iſta perdamus, occidamus Chriſtum, ut dirumpamus vincula, & ſubjectionem eorum, ſcilicet, *Romanorum*, & *projiciamus à nobis jugum ipſorum*, id eſt, ne veniamus ſub indignatione, & incurramus in captivitatem, & *jugum ipſorum.*

Item dixerunt etiam: Occidamus Chriſtum, & dirumpamus vincula eorum: ſcilicet, *Chriſti*, & *Apoſtolorum*, qui volunt E imponere nobis *vincula* nova, & legem novam Euangelicam, prohibendo, ne vendamus in Templo oves, & columbas, & cætera pertinentia ad ſacrificia, & oblationes: & improperant nobis peccata legis, volendo nos ſubjicere ſuæ legi, & jugo Euangelico: ergo projiciamus à nobis jugum ipſorum, Chriſtum occidendo, & Apoſtolos exterminando. Ideò ſubdit Propheta, quòd licèt talia conſilia meditati fuerint ipſi *populi* Judæorum: tamen Dominus Deus, *qui habitat in Cœlis*, *irridebit eos* poſt reſurrectionem, non adimplendo votum, & deſiderium eorum: & etiam *ſubſannabit eos*, multipliciter punien- F do.

Alio modo iſte verſiculus poteſt eſſe vox ipſorum *Apoſtolorum*, & totius *Eccleſiæ*, ut ſit ſenſus: Ut populi Judæorum *meditati ſunt inania*, volentes occidere Chriſtum, & nolentes recipere legem Euangelicam, ut retinerent nos ſub vinculis cærimoniarum, & ſub jugo legis importabili; *dirumpamus* ergo *vincula*, & onera importabilia ſacrificiorum, & cærimoniarum eorum; *& projiciamus à nobis* grave *jugum ipſorum*, & recipiamus legem Euangelicam libertatis & gratiæ, quæ abſolvit, & liberat ab omni *jugo*, & vinculis legis, & gravi ſervitute, & tributo *Scribarum* & *Phariſæorum*, qui *imponunt* nobis *onera importabilia*: quia jam Dominus qui habitat in Cœlis *irridebit*, G *& ſubſannabit eos*, conſilium infatuando, & ſupradicta vincula dirumpendo.

Chriſtus tria vincula dirupit per Paſſionem.

Unde nota, quod tria vincula dirupit Chriſtus, & triplex jugum abjecit à nobis per Paſſionem & Reſurrectionem ſuam. Primò, vincula cærimoniarum veteris legis. Secundò, vincula tyrannica, & jugum Sacerdotum. Tertiò, vincula malipolii, & conjurationis, & conſpirationis eorum factæ contra ipſum: quia manſerunt deluſi & ſubſannati. Unde eſt advertendum, quòd hæc eſt differentia inter *irridere* & *ſubſannare*. Nam *irridere*, idem eſt quod *quaſi per riſum illudere*. Sed *ſubſannare*, idem eſt quod *naſum rugare*: quod totum hoc impletum eſt in Judæis; nam omnes irridentes eos, & rugant naſum, improperantes eis exilium, & maledictionem propter mortem Chriſti.

De Pœn. d. 1. Num quid Cain & 6. q. 1. Si omnia.

5. *Tunc loquetur ad eos in ira sua: & in furore suo conturbabit eos.*

HÆc est secunda pars, in qua describit Regnum Christi, & judiciariam potestatem ipsi traditam, provenientem Christo jure hæreditario ex naturali filiatione, & ex merito Passionis. Unde quia A dictum est superiùs, quòd consilium Judæorum manlit infatuatum & delusum per Resurrectionem Christi: & quomodo *Dominus irrisit, & subsannabit eos* in hac vita: nunc autem in ista parte ostendit Propheta, quòd magis erunt delusi, & confusi Judæi in die judicii, quando videbunt Christum venientem in *potestate magna, & majestate*, & videbunt eum, quem crucifixerunt, & pupugerunt, & *in quem transfixerunt*, quoniam erit Deus, & homo, & Rex, & Judex eorum, *qui loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo*, postquam noluerunt recipere eum in suo primo adventu, quando venit ad eos cum benignitate & humilitate. B

Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd Christus in judicio non solummodo examinabit facta nostra, sed etiam examinabit seipsum, ostendendo veritatem suæ humanitatis, & divinitatis; & ostendet veritatem Legis Euangelicæ; & quomodo omnia quæ dixit & fecit, erant vera; & quomodo omnia quæ erant scripta in Lege veteri, fuerunt impleta in ipso in primo adventu: ex quo poterant Judæi cognoscere, quod ipse erat *verus Messias* promissus in Lege. Sed quia obcœcaverat eos invidia, & avaritia, & malitia eorum: ideò non potuerunt intelligere sacramenta veteris Legis, quæ in Christo fuerunt aperta, & completa, & verificata. Sed in isto C secundo adventu ista non poterunt negare, quando videbunt Christum in *potestate magna & majestate*, & sic se videbunt magis delusos & confusos: quia videbunt Christum esse Deum & verum Messiam, quem in primo adventu negaverunt, & putarunt esse purum hominem. Et hoc est quod dicit in hoc loco Propheta. Unde dicit, quòd *tunc* in judicio, Christus in Lege promissus *loquetur ad eos*, scilicet, ad Judæos incredulos, non in benignitate, sicut in primo adventu: sed *loquetur ad eos in ira sua*, increpando, & improperando eis iniquitatem eorum, & finalem obstinationem, non recipiendo eos amplius ad pœnitentiam; immò *in furore suo conturbabit eos*, ferendo sententiam damnationis D perpetuæ. Et ostendet manifestè suam universalem potestatem, & quomodo ipse est universalis Rex & Judex, constitutus à Deo Patre: & quomodo est verus Filius Dei: & dicet hæc verba sequentia, scilicet:

6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.*

16. q. 2. Visis. Et 23. q. 1. cap. Quid culpatur, & 2. q. 7. Testes.

E QUasi dicat: Ego veni in primo adventu cum charitate, & humilitate, & prædicavi in Civitate Hierusalem voluntatem Patris mei, ferendo Legem Euangelicam in monte Sion, implevi figuram de Agno Paschali, & institui Sacramentum Eucharistiæ, & probavi per Scripturas, & miracula, me fuisse *Messiam* in Lege promissum, & noluistis me recipere, immò me occidistis. Et iterum prædicavi Legem meam Euangelicam per *Apostolos* & *Doctores*, & vocavi vos per Prædicatores, & noluistis venire. Sed vos videtis nunc, qualiter ego sum missus à Patre, & qualiter sum *constitutus Rex super Sion montem sanctum ejus*, id est, super totam F Ecclesiam toto orbe diffusam, & non solùm Militantem, sed etiam Triumphantem, quia *data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Nam sicut fui prædicans præceptum, & Legem ejus *super Sion* terrenam, à qua sumit exordium, & vocata est Hierusalem, & Sion tota Ecclesia toto orbe diffusa: ita data est mihi potestas in Cœlo, & in terra, & in Hierusalem Militanti & Triumphanti. Verumtamen ne putet aliquis, quod hoc Regnum proveniat mihi ex adoptione, immò dico vobis, quod provenit mihi ex natura & jure hæreditario: quia non sum Filius adoptivus, sed naturalis. Nam

Heb. 1. & Act. 13. E.

G 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

DOminus Pater dixit ad me, *Filius meus es tu:* quia *ego hodie genui te.* Nam in quantum Deus es, *genui te* in hoc die æternitatis: & in quantum homo, genui & formavi te in hoc die gratiæ. Nam sicut tota æternitas dicitur una dies sine principio & fine & successione, in qua generatur Verbum æternum: ita totum tempus gratiæ dicitur una dies, in cujus principio genitus, & ortus est Christus: in quo die omnia regenerantur. Dixit ergo Dominus Pater ad me: Postquam tu es Filius meus naturalis:



8. *Pos-*

Apoc. 2. G. & 19. E.

8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*

9. *Reges eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringes eos.*

POSTULA *à me* Regnum mundi naturaliter de jure debitum. Et poſtquam Judæi noluerunt te recipere in Deum, *Ego dabo tibi gentes*, id eſt, populum Gentilem, *in hæreditatem tuam.* Et dabo tibi omnes *terminos terræ in poſſeſſionem tuam*, & iſti erunt tibi in populum: & tu eris eis in Deum, & Salvatorem. Et quia Judæi noluerunt venire, nec te recipere: ideo *Reges eos in virga ferrea*, & crudeli, & durâ, puniendo eos temporaliter, & æternaliter. *Et confringes eos tanquam vas figuli.* Nam per Romanos deſtrues eorum Civitates, & Regnum. Et una pars trucidabitur, & alia in ſervitutem per mundum diſpergetur: & ſic in præſenti, & in futuro pœnâ æternâ punientur.

Et nota, quòd Chriſtus non ſolummodo *rexit* Judæos *in virga ferrea*, *& tanquam vas figuli confregit eos*: ſed etiam confregit totum populum Gentilem. Nam quoſdam confregit temporaliter, & æternaliter, ſcilicet, *Neronem*, & *Domitianum*, & *Diocletianum*; alios autem aliter *tanquam vas figuli* confregit. Nam ſicut figulus quando ex maſſâ formavit aliquod vas, & poſteà efficitur tortum, & inutile, tunc confringit illud, & ex eadem maſſâ reficit aliud rectum & bonum: ita fecit Chriſtus de populo Gentili. Nam videns ipſum in idololatria & peccatis depravatum, confregit in eo infidelitatem, & vitia, & reddidit, & refecit ipſum rectum, per Baptiſmum mundando, & per Legem Euangelicam rectificando, & juſtificando. Et ſic ex eadem maſſa, de torto fecit rectum & utilem. Et etiam confractis Judæis inutilibus, ex eiſdem filiis *Adam*, ſcilicet, Gentilibus, fecit Eccleſiam. Et ſic dicit David Propheta, quòd Chriſtus *loquetur ad* Judæos, & Infideles in judicio, & oſtendet ſe eſſe verum Deum & Meſſiam in Lege promiſſum, & Judicem univerſalem.

Quæſtio. Sed hîc tria quæruntur. Primò: quando, & quomodo Pater dixit ad Filium, aut ad Chriſtum, *Filius meus es tu &c?* Secundò: quando, & quomodo Chriſtus *poſtulavit à Patre* Regnum mundi univerſale, & populum Gentilem in hæreditatem? Tertiò: quando, & quomodo Chriſtus rexit *in virga ferrea &c?* Ad primum eſt dicendum ſecundùm *Auguſt.* 15. *de Trinit.* & 9. *de Civit.* quòd Deus Pater dupliciter loquitur. Primò, locutus eſt *ad intra*, & *ab æterno*: & ſic dicit Verbum æternum, ſcilicet, Filium per omnia ſibi coæqualem de tota ſubſtantia ſua. Secundò, locutus eſt *ad extra*, & *ex tempore*, cùm dixit, *fiat lux &c.* Et ſic produxit creaturas ad ſimilitudinem ſuam &c. Ex quo patet, quòd Patrem loqui ad Filium, eſt loqui *ad intra.* Et dicere, *Filius meus es tu*, nihil aliud eſt, niſi Patrem dicere Verbum, & producere Filium, ſibi per omnia coæqualem in eſſe & ſubſtantia: quia per talem generationem communicat Pater Filio eamdem eſſentiam & ſubſtantiam. Et ſic licèt Filius ſit alia Perſona: tamen non eſt alius Deus. Item Patrem dicere ad Filium, *Ego hodie genui te*, nihil aliud eſt, niſi Patrem producere Filium *non ex tempore*, ſed *ab æterno.* Nam ſicut Pater communicat Filio eamdem ſubſtantiam; ita eamdem æternitatem: & ſic eſt ſibi conſubſtantialis, & coæternus; quia *in principio erat Verbum*, *& Verbum*, *&c.* Et hoc eſt quod dicit hîc Chriſtus: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*, *&c.* Unde non ſolùm Pater dixit hoc Filio ab æterno; ſed etiam hanc æternam generationem notificavit mundo ex tempore, cùm dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus*, in Baptiſmo, & Tranſfiguratione, ut patet *Matth.* 3. & 17. Et etiam cum vox de Cœlo dixit: *Clarificavi*, & *iterum clarificabo. Joan.* 12.

Pater loquitur ad Filium dupliciter

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd Filius poſtulavit à Patre *gentes in hæreditatem ſibi. Joan.* 17. per totum illud capitulum, cùm dicit: *non ſolum pro his rogo, ſed & pro eis qui credituri ſunt, & ſerva eos quos dediſti mihi*, *&c.* Item in trina oratione in horto, cùm dixit: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte*, id eſt, Paſſio iſta ad omnes gentes, ut eis proſit. Item in Cruce, cùm dixit, *ſitio*: quia tunc ſitiendo, & deſiderando petiit ſalutem omnium, & petivit, & *poſtulavit à Patre gentes* omnes *in hæreditatem ſuam.* Et ideo in Reſurrectione *data eſt ipſi poteſtas* univerſalis *in Cœlo, & in terra*, ut ipſe ait *Matth. ult.* Et ſic Filium à Patre hæreditatem poſtulare, nihil aliud eſt, niſi pro pretio ſui ſanguinis peccatores redimere, & liberare: quod quidem pretium Filius obtulit, & Pater acceptavit. Et Patrem Filio *hæreditatem* dare, nihil aliud eſt, niſi Patrem ſuper fideles Filium Dominum conſtituere.

Quomodo Chriſtus à Patre poſtulat regnum mundi.

Ad tertium eſt dicendum, quòd Chriſtus primò rexit diabolum in virga ferrea, & in poteſtate inſuperabili, & invincibili, quando *fregit portas æreas*, *& vectes ferreos* inferni, & expoliavit Limbum, & abſtulit prædam, & diabolum condemnavit ad pœnam æternam. Secundò, quando vaſtavit Civitatem & Templum Hieruſalem, & abſtulit Judæis Regnum, & Sacerdotium, & trucidavit eos per *Romanos*, & diſperſit per

Quos Chriſtus rexit in virga ferrea?

per mundum univerſum. Tertiò, punivit tyrannos Imperatores *in virga ferrea*, ſcilicet, *Neronem*, & *Domitianum*, & *Diocletianum*, & cæteros obſtinatos de populo Gentili, quos diverſis punitionibus & tormentis plexit, & afflixit. Sed tandem rexit totum populum Gentilem in *virga ferrea*, cum in eis neſandos ritus Gentilitatis, & ſuperſtitionis extinxit, & eos ad veram fidem ſuſcitavit. Ultimò autem in finali judicio reget eos infideles & obſtinatos *in virga ferrea*, cùm dicet : *Ite maledicti in ignem æternum, &c.* illa enim *virga*, & punitio dicitur *ferrea*, quia ignis eorum erit æternus, &c. Et ſic Chriſtum Judæos & incredulos *in virga ferrea regere*, nihil aliud eſt, niſi æternâ pœnâ ſine miſericordia punire. Et Chriſtum malos *tanquam vas figuli confringere*, nihil aliud eſt, niſi occidendo in eis errorem, & peccatum, & ſuſcitando fidem, & gratiam, eos ex via iniqua in viam juſtitiæ dirigere, & revocare.

23.q.4.c. *Si Eccleſia, & q. 6.c.1.*

10. *Et nunc reges intelligite : erudimini qui judicatis terram.*

HÆc eſt tertia pars, in qua Prophe- B ta exhortatur omnes Reges, & omnes Principes, & omnes gentes ad timorem Chriſti, & ejus judicii. Et ut omnes ſuſcipiant eum tanquam Regem, & Meſſiam in Lege promiſſum, verum Deum & hominem : quæ eſt cauſa finalis, & intentio hujus Pſalmi, & ex conſequenti exhortatur omnes ad cultum, & obedientiam Chriſti. Unde duo facit : Nam primò exhortatur omnes Principes ad cultum Chriſti, & timorem judicii ſub quadam comminatione. Secundò promittit præmium beatitudinis timentibus, & colentibus Chriſtum. Ibi : *Beati omnes qui* C *confidunt in eo.*

Quid Judices debent attendere?

Quantum ad primum eſt notandum, quòd omnes Præfecti, & Judices, qui præficiuntur in Provinciis, & Civitatibus per Reges, & Principes, duo principaliter debent attendere. Primò, ut ipſi venerentur, & defendant nomen Regis, vice cujus gubernant, ut eorum exemplo omnes ſubditi deducantur ad obedientiam Regis. Secundò ut regant, & gubernent populum juxta Leges, & ſtatuta Legiſlatoris, & Regni, ut Cives efficiantur boni : ut patet 3. *Politicorum*. Cum ergo omnes Reges, & Principes teneant locum Dei in terris, & ſint Chriſto reddituri rationem de grege ſibi commiſſo, cum venerit Chriſtus ad judicium, ut pa- D tet *Matth.* 25. ideo primò Reges, & Principes terræ, & Prælati Eccleſiæ tenentur Chriſto obedire, & nomen ejus defendere, & Legem ejus ſervare, & omnes ſubditos ad ſervandam Legem Evangelicam deducere. Secundò debent populum Dei regere unuſquiſque in ordine ſuo. Nam Principes Sæculares tenentur regere populum in temporalibus, & Prælati Eccleſiæ in ſpiritualibus : aliter omnes Reges, & Principes, & Prælati incurrent indignationem Chriſti Regis, univerſalis judicis : quos puniet in judicio, niſi duo ſupradicta ſervaverint. Primò ergo exhortatur eos ad duo ſupradicta. Secundò comminatur eis pœnam ; ibi, *Apprehendite diſciplinam.* Dicit ergo : ô Reges, E & omnes Principes, & Prælati, dicti *Reges* à *regendo*, *qui judicatis terram*, quos Chriſtus reliquit loco, & vice ſui ad judicandum, & regendum in terra, quibus commiſit gregem ſuum regendum, & paſcendum : *intelligite*, id eſt, examinate, & diſcernite diligenter bene cauſas, tam Eccleſiaſticas, quàm Sæculares, ut ſciatis diſcernere inter juſtum & injuſtum, & inter lepram & lepram : quia grande officium vobis commiſſum eſt. Et *erudimini* vos *qui judicatis terram*, tam Judices Eccleſiaſtici, quàm Sæculares. Et primò :

11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* F

SERVITE *Domino* noſtro Jeſu-Chriſto *in timore* : quia primò vos debetis ipſi ſervire, & ipſum colere, & venerari, ut exemplo veſtro cæteros ad obedientiam, & cultum Chriſti deducatis. Secundò *exultate ei cum tremore.* Tertiò :

16.q.2.c. 1. *poſt medium.*

12. *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.* G

De Pœn. diſt. 2. c. Achab. in gloſ.

13. *Cum exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo.*

APPREHENDITE *diſciplinam* Legis Euangelicæ, vel, *Apprehendite* hanc *diſciplinam*, quam dedi vobis, ut intelligatis, & diſcernatis cauſas judiciales, & ſerviatis Domino. Et hoc facite, *nequando*, id eſt, ne aliquando Dominus Jeſus-Chriſtus iraſcatur vobis in judicio finali, *cum exarſerit ira ejus in brevi* tempore, & ne dicat vobis : *Ite ma-* H *ledicti in ignem æternum*, & ſic *pereatis de via juſta* Regni Cœlorum : & mittamini per viam inferni ad perpetuam pœnam, & ignem æternum.

Sed eſt advertendum, quòd in prædictis tribus verſibus ponuntur octo vocabu-

bula, quæ sunt valde discutienda. Primò, quia dicit: *Et nunc reges intelligite.* Secundò: *Erudimini.* Tertiò: *Servite Domino in timore.* Quartò: *Exultate ei cum tremore.* Quintò: *Apprehendite disciplinam.* Sextò: *Nequando iratscatur Dominus cum exarserit in brevi ira ejus.* Septimò: *Ne pereatis de via justa.* Et ideo de unoquoque istorum est differendum, scilicet, quid est, *reges intelligere*: quid *judices erudiri*: quid *servire Domino in timore*: quid *exultare ei cum tremore*: quomodo intelligitur ly *apprehendite disciplinam*, secundùm diversas interpretationes: & quomodo, & quando *irascetur Dominus in brevi irâ*: Et quid est *perire de via justa.* Octavò quæritur, qualiter est necessarium judicium generale, cum unusquisque judicetur particulariter post mortem suam?

Quid sit intelligere?

Quantum ad primum est dicendum, quòd *intelligere*, idem est quod *intra eligere*, vel *inter duo*, *vel multa unum eligere.* Et sic *intelligere* præsupponit discernere: & hoc maximè competit Regibus, & Principibus, & Prælatis, & universaliter omnibus judicibus, ad quos pertinet discernere inter causam & causam, & justum & injustum, lepram & lepram, bonum & malum. Et postquam hoc noverint, & discreverint; tunc eligant & tribuant unicuique, quod suum est. Et ad hoc oportet, quod sciant jura divina & humana. Nam *judex* est *quasi jus animatum*, quasi *jus unicuique dans.* 5. *Ethic.*

Quid sit erudire?

Ad secundum est dicendum, quòd *erudire*, idem est, quod *extra ruditatem agere*; & *erudiri*, *extra ruditatem agi.* Sed ruditas & ignorantia potest dupliciter alicui inesse. Uno modo negativè; alio modo per contrariam dispositionem, ut ait *Arist. in lib. Elenchorum.* Et ideo licèt judex noverit jura divina, & humana: tamen odium aut amor potest sibi ducere contrariam dispositionem & ruditatem, in tantum quòd illa passio obcæcabit judicem, ne possit discernere inter justum & injustum, nec eligere; immò eligit partem injustam. Et sic non tribuet unicuique, quod suum est, sed erit acceptator personarum. Ideo ait Propheta: *Et nunc reges intelligite*, id est, discernite inter justum & injustum, & quod justum est eligite: & *erudimini*, id est, ruditatem odii, vel amoris deponite: & omnem passionem abjicite & tribuite unicuique, quod suum est.

Timor multiplex

Ad tertium dicendum, quòd duplex est timor: unus filialis, alter servilis: aliter enim timet Filius offendere patremfamilias, aliter servus. Nam Filius timet offendere Patrem, ne eum contristet, & ne perdat hæreditatem: servus autem, quia non amore operatur, non curat de hæreditate, nec si contristet Dominum; quia non diligit eum, sed timet offendere timore pœnæ, & ne feriatur, aut mulctetur aliquâ pœnâ. Et ita mulier casta timet displicere viro, non timore pœnæ; sed virtutis amore. Sed mulier adultera timet offendere virum formidine pœnæ. Unde *Horatius.*

Oderunt peccare mali formidine pœnæ:
Oderunt peccare boni virtutis amore.

Ideo primus timor dicitur *timor filialis*, & *castus*: Secundus vero dicitur *adulter*, & *servilis.* Et de primo timore dicit Propheta: *Servite Domino in timore*, non servili, nec adultero, sed casto, & filiali. Nam solus timor castus & filialis est meritorius. Adulter autem excusat pœnam, sed non meretur gloriam. Est verum, quòd *timor servilis* est aliqualiter laudabilis. Nam temerarius, & præsumptuosus diceretur, si quis non timeret futurum judicium justi judicis.

Quid sit exultare cum tremore?

Ad quartum est dicendum, quòd operatio secundùm virtutem semper delectat virtuosum. Et ideo justi serviendo Deo semper delectantur, & exultant, ut patet *Actor.* 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati, &c.* Sed talis exultatio non erat sine tremore. Nam justus & sanctus semper tremit: primò, ne perdat gratiam in qua stat, & ne cadat, ut ait *Apostolus.* Secundò tremit, an servitium suum sit Deo acceptum, & si inter bona quæ facit aliquid sit, quod oculos divinæ Majestatis offendat: quia *nemo scit, an sit dignus odio, vel amore. Eccles.* 8. & ideo dicit Propheta: *Servite Domino in timore*, non servili, sed casto & filiali, ut opera vestra, & servitium sit meritorium. *Exultate ei*, non præsumptione, & temeritate, confidentes de vestris viribus, & putantes, ex vestra virtute bene regere populum: sed *exultate cum tremore*, trementes, ne in aliquo Deum offendatis, & ne cadatis à gratia, vel dubitantes an sitis in odio, an in gratia Dei.

Quid sit apprehendere disciplinam?

Ad quintum est notandum, quòd *Nassechubar* sunt duæ dictiones in *Hebræo.* Nam *nassechu* est verbum, & *bar* est nomen. Sed utrumque est æquivocum ad tria. Nam *nassechu* est secunda persona imperativi, & uno modo significat *apprehendere*; alio modo *adorare*; alio modo *osculari*: *bar* vero est nomen: & uno modo significat *disciplinam*; alio modo purè adverbium. Tertiò significat *Filium*, ut patet ibi: *Beatus es Simon Bar-jona*, id est, Filius Joannis. Et ideo Interpretes diversimode traduxerunt hanc orationem. Nam Septuaginta Interpretes traduxerunt, *Apprehendite disciplinam: Hieronymus* verò, *Adorate* purè: *Aquila* autem, *oscula-*

lamini Filium. Sed hoc idem est : nam *adorare Filium* , & *ejus disciplinam apprehendere* , & *ejus pedes osculari* , est ipsi obedire , & subjici. Et sic nemo turbetur in diversitate Translationum in hoc versiculo : quia eadem est sententia : quia ad omnia ista tria exhortatur nos , scilicet, ut apprehendamus Legem Euangelicam; & ut adoremus Christum , & ut osculemur pedes ejus.

De ira Dei.

Ad sextum est dicendum , quòd dies judicii dicitur *dies iræ Domini* signanter; eò quòd totum tempus à primo adventu usque ad judicium dicitur dies & tempus misericordiæ , & veniæ. Nam in primo adventu Christus venit cum benignitate , & humilitate : & locutus est cum benignitate exhortando , & ad gratiam omnes vocando : sed in secundo adventu *veniet cum potestate magna , & majestate* , & cum ira contra damnatos & obstinatos , & cum ira & furore proferet sententiam contra eos. Item totum tempus præcedens dicitur tempus veniæ : sed in illa die non erit amplius venia malis , sed ira & furor. Ideo cum furore dicet Dominus : *Ite maledicti in ignem æternum.* Et ideo dicit Propheta: *Servite Domino &c. nequando irascatur Dominus*, in judicio , supple , *cum exarserit in brevi ira ejus* , id est , finalis sententia contra obstinatos. Et dicitur illa ira *brevis* , id est , non remissibilis : & quia ultra non erit patientia , nec venia apud Christum : nam nunc *longa patientia Dei ad pœnitentiam invitat peccatorem : ad Rom.* 2. tunc autem non erit amplius talis patientia : nec Deus expectabit ulterius peccatores ad pœnitentiam. Et sic *ira Dei* erit *brevis* cum sententia.

Lex est via justa.

Ad septimum est dicendum, quòd cum Lex Domini sit *via* , quæ ducit ad vitam æternam , ut dictum est *in Prologo , tract.* 4. & *Psalmo* 1. ideo *ire per viam* nihil aliud est, nisi tendere in vitam æternam. Ita per oppositum *perire de via* , sive *à via justa*, & *à via justitiæ deviare* , nihil aliud est, nisi in interitum,& mortem æternam tendere. Sed quia tripliciter contingit à via & Lege Domini deviare , scilicet , non credendo , aut contra Legem operando , aut in peccato obstinari , aut falsa docere , ut dictum est *primo Psalmo* : ideo hìc Propheta exhortatur , ne *pereamus* , & ne deviemus à via justa : & si aliàs deviaverimus Legem transgrediendo , quòd revertamur ad viam justitiæ , pœnitentiam agendo. Nam si quis manet obstinatus in peccato, tunc talis totaliter *perit de via justa* ; quia tendit in interitum. Ex quibus patet, quòd Reges , & Principes , & Prælatos Ecclesiæ *intelligere* , nihil aliud est , nisi causas, tàm Ecclesiasticas , quàm sæculares justè discernere , & bene examinare , & quod justum est eligere. Et *erudiri* , nihil aliud est, quàm ruditatem deponere, id est , passionem amoris , vel odii abjicere , & personas in judicio non acceptare , sed unicuique quod suum est tribuere. Et *servire Domino in timore* , nihil aliud est , nisi non solùm formidine pœnæ , sed etiam virtutis amore,& casto & filiali timore Domino servire ; quia tale servitium est meritorium. Et *exultare Domino* tali *tremore* , nihil aliud est , nisi in tali servitio non vanè gloriari , nec gloriam sibi ipsi , sed soli Deo tribuere : quia aliter perderetur meritum , ut patet de *fatuis virginibus* ; & sic in talibus semper Deo gratias agere , & semper ne cadat, timere ; & an sit dignus odio,an amore,dubitare.

Item *apprehendere disciplinam* Christi , nihil aliud est , nisi ipsi obedire & subjici , & ipsum Latriæ adoratione adorare. Item Christum *irasci* & *in ira brevi exardere* , nihil aliud est , quam in finali judicio absque spe veniæ contra damnatos & obstinatos sententiam fulminare. Item *perire de via justa* , nihil aliud est , nisi ad interitum æternæ mortis destinari , & numquam ad viam vitæ reverti ; sed tanquam Legis transgressorem condemnari. Ideo concludit : *Beati omnes qui confidunt in eo.*

Nota: *Quare judicamur universaliter , & particulariter.*

Ad octavum est dicendum , quòd licèt David in Psalmo intendat exhortari omnes gentes & nationes ad cultum Christi , cum sit verus Filius Dei , & Deus & homo , & Messias in Lege promissus : tamen principaliter intendit exhortari Principes & Reges terræ , & Prælatos Ecclesiæ ad timendum Christum futurum Judicem , cui sunt reddituri rationem de populo , & grege commisso. Nam Christus , qui in primo adventu fuit judicatus à Regibus , scilicet, *Herode* , & *Pilato* , & à Principibus Sacerdotum , & populo Judæorum & Gentili, ipsemet Christus est venturus ad judicandum omnes populos , & Reges , & Principes in novissimo die. Unde licèt unusquisque sit judicatus particulariter in fine vitæ suæ , tamen universale judicium erit necessarium propter quatuor. Primò , ad manifestandum veritatem personæ Christi omnibus Gentilibus, & populis , & linguis. Nam qui in hac vita negaverunt , & ipsum recipere noluerunt : videbunt ipsum ibi cum potestate magna , & majestate. Et sicut generaliter Lex Euangelica fuit per totum mundum prædicata ; ita ibi erit generaliter examinata , & transgressores ejus puniti. Secundò , veniet Christus ad manifestandum occulta. Nam omnia homicidia, & adulteria , & alia peccata , quæ in hoc mundo non fuerunt saltem per sacramentalem confessionem manifestata , ibi propalabuntur. Tertiò , veniet Christus ad judicandum male judicata. Nam omnia , quæ in hoc mundo fuerunt per Reges, & Principes , & malos Judices injustè judicata, ibi per Christum justè judicabuntur , & punientur falsi Judices. Quartò , veniet Christus

Judicium universale necessarium propter quatuor.

ad judicandum non judicata. Unde quia Reges & Principes hujus mundi, & Prælati non habuerunt Judices supra se: ideo mala eorum manserunt impunita. Ideo Christus in finali judicio judicabit eos: & ab eis de populis eis commissis rationem exposcet, ut cognoscant, se super eos majorem Regem, & justum superiorem Judicem habere. Unde *Seneca in Thyeste*:

Vos, quibus rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis, atque vitæ;
Ponite inflatos tumidosque vultus.
Quidquid à vobis minor extimescit:
Major hoc vobis Dominus minatur.
Omne sub Regno graviore Regnum est.

Ex quibus patet, quòd propter has quatuor causas supradictas, est necesse, ut fiat generale judicium in fine mundi per Christum Legislatorem. Et ideo concludit Propheta in fine totius Psalmi, dicens: *Beati omnes, qui confidunt in eo*, id est, omnes illi, qui ipsum in Messiam receperunt, & ejus Legem servaverunt, & mundum contemnentes spem suam in ipso Christo posuerunt, erunt beati in Regno Cœlorum: quæ quidem beatitudo consistit in fruitione ligni vitæ, qui est Christus, ut dictum est supra *Psalmo* 1. injusti autem *peribunt de via justa:* quia *iter impiorum peribit.*

Nota *Has conclusiones.*

Ex dictis ergo in toto isto Psalmo colliguntur sex conclusiones.

Prima conclusio: quòd sicut *Simeon* & *Levi* fuerunt principales conspiratores, & incitarunt alios fratres contra *Joseph*: ita Scribæ & Pharisæi descendentes de *Simeon*, & Sacerdotes *de tribu Levi*, conspiraverunt, & concitaverunt populum ad occidendum Christum.

Secunda conclusio: quòd ita accidit Scribis, & Pharisæis, & Judæis crucifixoribus Christi, sicut fratribus ipsius *Joseph*. Nam sicut fratres *Joseph* fuerunt frustrati in suo consilio & conjuratione: eò quòd vendendo *Joseph* inciderunt in servitutem, quam vitare putabant: ita pariter Judæi occidendo Christum, inciderunt in omnia pericula, quæ vitare putabant, scilicet, in dispersionem & servitutem: & sic manserunt delusi, & confusi in consilio suo.

Tertia conclusio: quòd Christus jure hæreditario adeptus est Regnum mundi, eò quòd Filius Dei.

Quarta conclusio: quòd Christus rexit omnes inimicos in virga ferrea, eo modo quo dictum est.

Quinta conclusio: quòd non solùm populi, sed omnes Reges, & Principes terræ debent *servire Christo in timore*: eò quòd est venturus ad judicandum omnia facta eorum.

Sexta conclusio: quòd solum illi erunt beati, qui totam suam spem posuerunt in Christo, & observaverunt Legem ejus Euangelicam. Et sic patebit, qualiter omnes Judæi, & infideles, & obstinati videbunt se delusos, & confusos in die judicii, cùm videbunt Christum, quem negaverunt, & contempserunt, venientem *cum potestate magna & majestate.*

Sed ex dictis in prima conclusione, & in fundamento expositionis hujus Psalmi occurrunt duo dubia: quorum primum est, quomodo probatur, quod *Simeon* & *Levi* fuerint principales conspiratores, & concitatores in mortem & venditionem ipsius *Joseph*? Secundò, quomodo probatur, quod Scribæ, & Pharisæi fuerunt *de tribu Simeon*? Ad primum est dicendum, quòd major pars Magistrorum Hebræorum tenent, quòd *Simeon* & *Levi* fuerunt principales conjuratores & incitatores contra *Joseph*: & moventur tali ratione. Nam illi fratres, qui pascebant gregem, ad quos missus fuit *Joseph*, erant tantum decem. Nam *Benjamin* parvulus, domi manebat: ex quibus decem, quatuor erant filii ancillarum, qui reputabantur quasi servi inter eos: & ideo non est verisimile, quod isti dedissent consilium contra Joseph pro vitanda servitute, cum ipsi jam essent quasi servi; & sic eorum consilium non fuisset æstimatum. Restabant ergo sex legitimi filii *Liæ*, scilicet, *Ruben*, *Simeon*, *Levi*, *Judas*, *Isachar*, & *Zabulon*. Sed manifestum est, quòd *Ruben*, qui erat primogenitus, non dedit tale consilium: quia ipse conatus est ipsum *Joseph* liberare de manibus fratrum, ut patet in littera. Item nec *Judas*, qui erat quartus in ordine, dedit tale consilium, qui liberavit ipsum à morte, dicens: *Quid prodest nobis, si occiderimus fratrem nostrum, & celaverimus sanguinem ejus*? Ergo *Simeon* & *Levi* fuerunt principales, qui dixerunt: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum.* Nam si ipsi paruissent *Ruben* & *Judæ*, pariter paruissent duo sequentes, scilicet, *Isachar*, & *Zabulon*, qui erant minores. Ergo *Simeon* & *Levi* fuerunt principales conspiratores, quos secuti sunt cæteri tanquam minores. Etiam hoc probatur: nam isti duo fuerunt cæteris nequiores, & magis malitiosi, & seditiosi; quorum nequitia patuerat in vastatione *Sichimitarum* facta contra jusjurandum, & fœdus, & pactum, ut patet *Genes.* 34. Et ideo Magistri Hebræorum ad utrumque casum referunt vaticinium ipsius *Jacob*, cùm dixit: *Levi* & *Simeon*, *Vasa iniquitatis &c.* Et sic probant, quòd *Simeon* & *Levi* fuerunt principales conjuratores contra *Joseph*.

Simeon, & Levi vendiderunt Joseph.

Sed quòd Scribæ & Pharisæi, qui cum Sacerdotibus conjurarunt in necem Christi, fuerint de *tribu Simeon*, affirmat *Magister in Historiis*, & multi alii, non solùm Catholici, sed etiam Judæi. Unde super illud quod dixit Jacob *de Simeon* & *Levi*, *Genes.* 49. *Dividam eos in Jacob, & dis-*

Scribæ, & Pharisæi fuerunt de Tribu Simeon.

per-

pergam eos in Iſrael, dicunt Hebræi, quòd duæ Tribus diſcurrebant per totam terram Iſrael tempore ſecundi Templi, ſcilicet, *Tribus Simeon*, & *Levi*. Unde Tribus *Levi* diſcurrebat per omnes Synagogas, eò quòd erat dedicata ad Divinum cultum, & ideo non habuit certam ſortem, *Joſue* 14. Et etiam illi de *Simeon* non habuerunt certam ſortem, eò quòd erant pauci: ſed habitarunt pro majori parte intra Tribum *Juda*, ut patet *Joſue* 19. Et ideo major pars eorum diſcurrebat per omnes Civitates, & loca terræ promiſſionis, docendo pueros, & ſcribendo libros Legis & Prophetarum: & ſic lucrabantur victum, & veſtitum, ſicut faciunt pauperes Clerici, & ſtudentes noſtri. Et ideo ſurrexit proverbium de eis inter cæteras Tribus, dicens: quòd *non eſt pauper ſcriptor, nec pædagogus, niſi de Simeon.* Et ideo factum eſt, quod de illis facti ſunt multi litterati, & periti in Lege & Prophetis: eò quòd continuè dabant operam litteris: in tantum, quod à Summo Sacerdote accipiebant poteſtatem gloſſandi, & determinandi quæſtiones Legis, & legendi in cathedris, & judicandi judicia. Et ſic habebant portionem decimarum, & oblationum ſimul cum Sacerdotibus.

Sed quia communiter inter viros litteratos accidunt diverſæ opiniones, & ſectæ; hinc eſt quod quadraginta annis ante adventum Salvatoris inſurrexerunt quædam ſectæ in *Hieruſalem*, ubi erat ſtudium Legis & Prophetarum, quæ fuerunt poſteà diffuſæ per totam terram Iſrael, ut inquit *Joſephus* 19. *Antiquitatum*, & 2. *de Bello Judaico.* Unde primò ſurrexit ſecta *Sadducæorum*, qui negabant reſurrectionem, & Angelos eſſe. Secundò ſurrexit ſecta *Eſſenorum*, qui dicebant, omnia eſſe communia, fugientes nuptias, & multa ſolatia naturæ.

Sed de *Tribu Simeon*, eò quòd erant magis periti in Lege & Prophetis, contra utramque ſectam ſupradictam ſurrexit ſecta & religio *Phariſæorum*, tanquam veri zelatores Legis & Prophetarum: quæ quidem religio fuit valdè acceptabilis tali populo, eò quòd erat conformis Legi, & prædicabant, & declarabant Legem & Prophetas, & ſimulabant ſanctitatem vitæ. Et ideo dicti ſunt *Phariſæi*, quaſi *diviſi habitu*, & ſingulares in ſanctitate vitæ à communi ſtatu populari: cæteri autem viri periti de Tribu Simeon, qui non erant Phariſæi, ſed ducebant vitam ſæcularem, & communem; dicebantur *Scribæ*, quaſi *Doctores*, & *Gloſſatores Legis.* Et ſic tàm Scribæ, quàm Phariſæi ſedebant ſuper cathedram Moyſi docentes & judicantes judicia. Et ideo venerunt in tantam reverentiam apud populum propter ſimulationem vitæ & doctrinæ, quòd omnes cives quando moriebantur, eos executores teſtamentorum, & tutores relinquebant pupillorum, & viduarum: ſed ipſi in tantum abuſi ſunt officio, quòd comedebant, & diſſipabant domos viduarum, & pupillorum, & impinguabant, & augebant domos ſuas: & ſic etiam gloſſabant omnes ſcripturas, trahentes ad lucrum ſuum. Et ſic propter lucrum ſuum faciebant novas traditiones contra charitatem Dei & proximi: quod videns Chriſtus incepit exprobrare pravos mores eorum. Ideo dixit Salvator, *Matth.* 23. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi; quæcumque dixerint vobis, facite: ſecundùm verò opera eorum nolite facere &c.* Unde ibi & multis aliis locis Chriſtus multipliciter exprobravit, & deteſtatus eſt mores pravos eorum: & ideo moti ſunt omnes ſimul cum Sacerdotibus contra ipſum, & conſpiraverunt in necem ejus. Ecce ergo quomodo apparet, qualiter Scribæ & Phariſæi erant de *Simeon*; & quomodo vaticinium *Jacob*, & myſterium venditionis *Joſeph* fuit impletum per eos contra Chriſtum.

Psalmus III.

1. *Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? Multi inſurgunt adverſum me.*

Secunda Thi. 3. & 7. q. 2. Subjectio. & de Pœ. di. 2. cap. Sienim, §. Opponitur

Huic Pſalmo præponitur talis titulus in Translatione Septuaginta, & beati *Hieronymi*, ſcilicet, *Pſalmus David, cum fugeret à facie Abſalom filii ſui.* Sed quia iſte Pſalmus eſt primus habens titulum: ideò aliqualiter eſt immorandum in expoſitione hujus tituli: ut ſit doctrina pro cæteris. Nam dictum eſt in *Prologo*, *tractatu* 5. quòd titulus in Pſalmis eſt quædam brevis prænotatio quorumdam ſacramentum in Pſalmis latens continentium. Et ideo debemus attendere, qui, & quot ſunt termini, ſive vocabula, quæ prænotantur in titulo, & quod ſacramentum continent & figurant. Nam dictum eſt ibi: quòd ſex poſſunt prænotari in titulo, ſcilicet, nomen Pſalmi, & perſona, & materia, aut modus cantandi, aut inſtrumentum, aut tempus, & locus in quo cantabatur. In hoc autem titulo tantum prænotantur tria, ſcilicet, nomen Pſalmi, cum dicitur *Pſalmus*: ſecundò, perſona auctoris, cum dicitur *David*: tertiò, materia Pſalmi, cum dicitur, *cum fugeret à facie Abſalom. Pſalmus* autem dicitur: inquantum eſt factus ad laudandum Deum, & cantabatur indifferenter cum aliquo inſtrumento. Per hoc autem quod dicitur, *David*, prænotatur, quòd David fecit hunc Pſalmum: & ſic apparet cauſa efficiens: ſed per hoc quod ſubdit, *cum fugeret à facie Abſalom*, prænotatur cauſa materialis, ſive materia hujus Pſalmi: ſed quia dicitur in diffinitione tituli, *ali-*

quod sacramentum continentium, prænotatur, quòd talia vocabula prænotata, & posita in titulo, prænotant, & continent aliquod Sacramentum latens in Psalmis: quia aliter tituli non pertinerent ad Sacram Scripturam, nec ad Prophetiam, ut dictum est supra. Ideo videndum est de mystico sacramento contento in hoc Psalmo, prænotato per titulum: ut sit prævia doctrina pro omnibus.

Ad cujus intelligentiam est notandum: ut legitur 2. *Regum* 15. quòd postquam David remiserat Filio suo *Absalom* fratricidium, quod perpetraverat contra fratrem suum *Amnon*, & revocaverat ipsum ab exilio, & reduxerat in pristinum honorem: tunc *Absalom* immemor, & ingratus de tot beneficiis acceptis, insurrexit contra patrem, & conjuravit cum *Achitophel*, & cæteris malignis, & anhelavit ad regnum: & fecit se Regem constitui, & appellari à suis sequacibus: & sic cum manu armata attentavit venire in Hierusalem. Quod audiens David, operto capite, & nudis pedibus fugit à facie filii sui *Absalom*, cum quibusdam paucis, qui ipsum per jugum montis sequebantur. Unde *Semei* de domo *Saul* improperabat ipsi *David*, dicens: *Egredere, egredere vir sanguinum, &c.* Sed *David* in hac persecutione humiliavit se: quia sciebat hoc evenisse justo Dei judicio propter peccatum *Bethsabee*, & *Uriæ*. Ideo patienter tulit persecutionem. Sed Dominus, visa humilitate David, destruxit consilium *Achitophel*, & *Joab* vicit *Absalom*. Et sic *David* restitutus est in regnum suum.

De conspiratione Absalom in David.

In quo mysterio *David* prævidit in spiritu totum mysterium Passionis Christi. Nam per hoc quòd Absalom filius ejus, cui tot beneficia contulerat, insurrexit contra eum, novit, & prævidit in spiritu, qualiter populus Judaicus, qui tot beneficia quondam receperat à Christo; qui quondam ipsum eduxerat de captivitate Ægypti, & per mare rubrum & desertum traduxerat *in manu potenti*, *& brachio extento*, & in terram promissam introduxerat; & totiens de tribulationibus & necessitatibus eum liberaverat, & peccata remiserat: ut patet per totum discursum *libri Judicum*, & *Regum*, *&c.* Et tandem venit in carne, ut eum à miserabili diaboli servitute liberaret, & tot bona eis contulit, filios eorum sanando, & à morte resuscitando: & tamen ille populus Judaicus insurrexit adversus Dominum & Christum ejus, & ipsum persecuti sunt, & flagellaverunt, &c. Item per hoc, quod David *fugiens à facie Absalom*, ascendit *in clivum olivarum, nudis pedibus*, *&c.* prævidit David in spiritu, qualiter Christus nudis pedibus erat in Crucem ascensurus, & ibi pro nobis moriturus. Item per hoc quod David in tali persecutione intendit, & præ afflictione raptus à sensibus, factus in extasi dormivit; sed postea recuperatis viribus, à tali dejectione surrexit, & fuit restitutus in regnum sublimius, quàm antè: prævidit David in spiritu, qualiter Christus erat moriturus, in sepulchro sepeliendus, & exinde ad gloriam resurrecturus, & universale dominium & potestatem accepturus, & super inimicos regnaturus. Item per hoc, quòd *Achitophel*, qui dederat consilium contra David, seipsum suspendit, videns consilium suum confusum, & infatuatum: prævidit David in spiritu, qualiter Judas proditor, videns Christi resurrectionem, erat seipsum laqueo suspensurus. Item quod *Joab* armiger, & dux exercitus David interfecit *Absalom*, & dissipavit conventicula, & fautores ejus; prævidit David in spiritu, qualiter *Titus*, & exercitus Romanorum, jussu & permissione divina erat destructurus populum Judæorum, & dissipaturus; & sic Judæi erant per mundum dispergendi, & Regnum, & Sacerdotium amissuri. Et sic David per hanc suam fugam & persecutionem prævidit in spiritu persecutionem Christi, & resurrectionem, & futurum Regnum Christi. Et per eandem rationem prævidit persecutionem Ecclesiæ futuram per Tyrannos, & resurrectionem & prosperitatem Ecclesiæ futuram tempore *Constantini*. Et hæc est causa quare David motus est ad faciendum hunc Psalmum.

Ex quibus patet, quòd duplex materia consideratur in hoc Psalmo, sicut dictum est in *Prologo*, *tractatu* 1. *&* *cap.* 2. scilicet, *materia ex qua*, & historialis: & materia principalis *de qua*, & mystica. Nam materia *ex qua* David assumpsit parabolam & propositionem, est fuga David à facie filii sui *Absalom*; quæ se habet tanquam parabola, & propositio, *ex qua* spiritualiter aliquod mysterium intelligitur. Sed materia *de qua* mystica & principalis, est mysterium Passionis & Resurrectionis Christi. Per hoc ergo patet expositio *tituli*, & omnium aliorum similium. Nam cum dicitur, *Psalmus David cum fugeret*, *&c.* intelligitur sic: quòd istum Psalmum fecit David, quando fugit à facie filii sui *Absalom*: quia ibi, supple, prævidit in spiritu mysterium Passionis & Resurrectionis Christi. Et ideo prophetando Passionem & Resurrectionem Christi, fecit hunc Psalmum, habens & sumens occasionem, & parabolam, & propositionem ex fuga sua, & persecutione. Ex quibus patent omnes causæ quatuor hujus Psalmi. Nam actor, & causa efficiens est ipse David: causa materialis historialis *ex qua*, est fuga, & persecutio David. Sed materia *de qua*, & principaliter intenta, est Passio & Resurrectio Christi. Causa verò *formalis*, est modus scribendi,

Causa materialis hujus Psalmi.

Causa formalis.

di, & tradendi metricè, & modus intelligendi. Nam iste Psalmus est intelligendus, & exponendus per quatuor regulas. Primò per regulam de essentia & persona. Nam in hoc Psalmo David introducit Christum loquentem ad Patrem. Et sic una Persona Divina loquitur ad aliam. Item exponitur per secundam *regulam*, scilicet, de Christo Deo & Homine: nam Christus loquitur ratione humanitatis: quia sic passus est, & resurrexit. Tertiò exponitur per *regulam* de Christo capite, & de ejus Ecclesia: quia Christus non solùm loquitur de persecutione sua in capite; sed etiam de persecutione Ecclesiæ, & suorum membrorum. Nam sicut Christus passus est, & resurrexit: ita pariter Ecclesia passa est decem persecutiones per Tyrannos, & pœnè prostrata: sed postea resurrexit tempore *Constantini*, & sublimata est, & regnavit in grandi prosperitate. Quartò exponitur per *regulam* de spiritu & littera. Nam per fugam & persecutionem ipsius David intelligimus persecutionem Christi, & Ecclesiæ, & Resurrectionem. Et sic expositio hujus tituli & Psalmi erit doctrina ad omnes alios titulos & Psalmos, ne fiat iteratio.

Causa verò finalis hujus Psalmi est, ut nos ad fidem & spem resurrectionis inducat, & confirmet, & nostram futuram expectemus. Et ideo licet iste Psalmus possit exponi ad litteram de David, tamen non est ibi sistendum: quia esset contra doctrinam Christi, & contra principia præmissa *in Prologo*, *tractatu* 3. & 4. quia aliter iste Psalmus non esset Propheticus, nec computaretur inter Sacras Scripturas à Spiritu sancto traditas, ut dictum est. Et ideo supradictus titulus non explicat materiam principaliter intentam, sed materiam *ex qua* David accepit parabolam, & propositionem ad faciendum istum Psalmum, sicut dictum est *in Prologo*, *tractatu* 3. *regula* 5. Et talis ordo est servandus in omnibus Psalmis & titulis eorum. Et ideo secundùm intellectum Propheticum, ad quem David fecit eum, est exponendus. Secundùm ergo hunc intellectum Catholicum Psalmus iste dividitur in quatuor partes, prout David introducit Christum loquentem. Nam sicut in Comœdiis & Tragœdiis Poeta nusquam loquitur; sed introducit personas loquentes: ita, licèt David fecerit hunc Psalmum: tamen in hoc Psalmo, & in multis aliis nusquam loquitur ipse; sed introducit Christum loquentem, vel Ecclesiam. Psalmus ergo iste est vox Christi ad Patrem, in quo quatuor facit. Nam primò Christus exponit suam Passionem & persecutionem apud Patrem per modum querimoniæ. Secundò ostendit se exauditum, & liberatum per Resurrectionem. Tertiò prædicit futuram Judæorum punitionem, & vastationem. Quartò ostendit suam Passionem fore in salutem, & redemptionem totius populi. Secunda ibi: *Tu autem Domine.* Tertia ibi: *Non timebo millia populi.* Quarta ibi: *Domini est salus.* Quantum ad primum ergo est dicendum, quòd sicut *Absalom*, & *Achitophel* & *Semei*, & multi alii insurrexerunt contra David, & concitabant populum contra David ad rebellionem; & dicebant, quòd Deus erat contra David, & reprobaverat eum propter peccata ejus: & *Semei* avunculus *Uriæ*, sive ipsius *Bethsabee* publicabat proverbium per totam Civitatem dicens, quòd *rapuit ovem, & interfecit pastorem: quomodo erit ei salus à Domino?* Quasi diceret, Nullo modo: immò est à Deo reprobatus; & sic concitabat populum: Pariter ergo Judæi improperabant Christo in Cruce: *Vah qui destruis Templum Dei, & in triduo reædificas illud: si Filius Dei es, descende de Cruce, & salva temetipsum, & nos. Et multa alia improperabant ei*, putantes esse ipsum à Deo derelictum & reprobatum. Et hoc est quod dicit hîc Christus ad Patrem: unde ait: O Domine Pater, *Quid*, id est, quare, cùm nihil eis male fecerim; immò multa beneficia eis contuli, *multiplicati*, & in magnum numerum congregati sunt Judæi, *qui tribulant*, & persequuntur *me* in Passione? Et *multi* absque injuria præcedente *insurgunt adversum me?* Et hoc dico, & cum ratione conqueror. Nam,

Divisio Psalmi.

2. *Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus.*

26. q. 1. *Agnovimus*, & 32. q. 2. c. *Ancillæ.*

MULTI *dicunt animæ meæ*, id est, loquentes contra vitam meam, & quærentes mortem meam, dicunt: persequamur, & occidamus eum: quia jam *non est salus ipsi in Deo ejus.* Quasi dicat: Jam non expectat à Deo salutem, nec reparationem; quia derelictus & reprobatus est: *Si Filius Dei est, descendat de Cruce, & liberet eum, si vult, &c.* Unde notandum secundum *Augustin. contra Adamantium Manichæum.* Quòd idem Christus, scilicet, Verbum Dei Filius, qui loquebatur in Prophetis, locutus est postea in carne assumpta. Et ideò Christus licèt nondum Incarnatus nec passus: tamen jam loquebatur, & conquerebatur propheticè per os David ante adventum suum: Sed postea hanc eandem querimoniam fecit in Cruce, & in horto, de sua Passione: & hunc ordinem tenet David pro majori parte in omnibus Psalmis. Quia loquitur in Persona Christi futuri, ut latius patebit.

**
*

3. *Tu*

11.q.3.c. *Ad menſam.*

3. *Tu autem Domine ſuſceptor meus es : gloria mea, & exaltans caput meum.*

IN hac ſecunda parte prædicitur propheticè Chriſti liberatio. Unde oſtendit A Chriſtus ſe exauditum & liberatum per reſurrectionem. Unde dicit : O Pater, licet ipſi tanquam excæcati, & in malitia obſtinati dicant hoc, ſcilicet, quod *non eſt ſalus mihi in Deo*: *Autem*, pro *ſed : tu, Domine ſuſceptor*, & ſuſtentator, & liberator *meus es*. Nam licèt ad tempus me dereliqueris exponendo me in eorum poteſtate, quoad Paſſionem, quia illa fuit *hora eorum, & poteſtas tenebrarum* : tamen non dereliquiſti me quoad plenitudinem gratiæ & amoris : quia *quod* Verbum B *ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*. Nam licèt anima eſſet à corpore ſeparata ; tamen divinitas ſemper fuit utrique unita. Et ſic tu Pater, cui Verbum eſt conſubſtantiale, non me dereliquiſti : quia ſemper fuiſti *ſuſceptor*, & ſuſtentator *meus*; & ſemper fuiſti *gloria mea*. Nam licèt paterer in Cruce ſecundùm partem ſenſitivam : tamen fruebar tanquam comprehenſor per partem rationalem. Et ideò ſemper tu fuiſti, & es *gloria mea*, *& exaltans caput*, & regnum *meum*. Nam ibi ubi eram in Cruce, eram Deus, & Caput Eccleſiæ, à quo fluxerunt Eccleſiaſtica Sacramenta &c. Item, *tu es gloria, & victoria mea, & clypeus meus*, ut habet littera *Hieronymi*, & tu es *exaltans caput meum* & regnum ſuper eos. Nam *caput exalta-* C *re*, idem eſt quod Dominum conſtituere. *Voce mea ad Dominum*. Unde nota, quòd Chriſtus multotiens petiit à Patre liberari per Reſurrectionem, ut patet *Joann.* 17. cum dicit : *Clarifica me Pater ea claritate, quam habui antequam mundus fieret*. Item hoc idem petiit in horto in trina oratione. Item hoc idem in Cruce, cum dixit, *Sitio &c.* Ideò ſubdit hîc :

Infra 26. & 141.

4. *Voce mea ad Dominum clamavi : & exaudivit me de monte ſancto ſuo.*

5. *Ego dormivi, & ſoporatus ſum,* D *& exurrexi : quia Dominus ſuſcepit me.*

§ 6. *di. c. Naſci.*

VOCE *mea ad Dominum clamavi*, ſcilicet, pro mea Reſurrectione, & pro totius mundi ſalute, & meorum membrorum. Et hoc clamavi in horto, & in Cruce. Et ſic Dominus Pater *exaudivit me de monte ſancto ſuo*, id eſt, de ſumma altitudine & excellentia gloriæ ſuæ. Unde altitudo & excellentia quam habet Deus ſuper omnes creaturas, eò quòd habitat gloriam inacceſſibilem, dicitur *mons ſanctus*, & *locus Dei*. Item, Deus Pater *exaudivit me de monte ſancto ſuo*, ſcilicet, de Cruce, quæ dicitur *mons Dei*, per quem E eſt acceſſus ad cœlum. Et probo, quod Dominus exaudierit me : Nam *ego dormivi* in Cruce per veram mortem : quia anima fuit ſeparata à corpore, *& ſoporatus ſum*, & quievi in Sepulchro per quadraginta horas, & reſurrexi à mortuis, & Dominus Pater ſuſcepit me, à mortuis reſuſcitando quantum ad humanitatem. Et nota, quòd in Hebræo, & in Translatione *Hieronymi* habetur, *Voce mea ad Dominum clamabo, & exaudiet me &c.* Sed *Septuaginta* transtulerunt de præterito, F *Voce mea ad Dominum clamavi &c.* Unde hæc fuit conſuetudo ipſorum *Septuaginta*. Nam pro majori parte ubi reperiebant verbum de futuro, tranſtulerunt per verba de præterito ; & hoc Divinâ Providentiâ factum eſt. Primò propter certitudinem prophetiæ. Secundò, quia Propheta poſt viſionem faciebat Pſalmum, ideò referebat ad viſionem de præterito, ſicut ſupra dictum eſt *tractatu* 1. *cap.* 3. Tertiò, quia *Septuaginta* præviderunt in ſpiritu, qualiter iſti Pſalmi David erant à fidelibus frequentandi in Eccleſia poſt adventum & Paſſionem Chriſti, & poſt impletam prophetiam. Et ſic pronunciamus omnia de præterito, quia jam ſunt completa per Chriſtum.

Verba de futuro tranſtulerunt per verba de præterito, &c.

Secundò eſt notandum, quòd diffe- G rentia eſt inter *dormire*, & *ſoporari*. Nam *dormire* dicit indifferenter omnem ſomnum : ſed *ſoporatio* dicitur ſomnus profundus poſt magnum laborem & anguſtiam, à quo quis difficulter evigilat. Et ideò mors Chriſti dicitur *dormitio* : eò quòd per vigiliam ſoluta eſt, & per Reſurrectionem. Sed dicta fuit *ſoporatio*, eò quòd per quadraginta horas duravit, & facta fuit poſt longa tormenta : quæ quidem ſoporatio erat difficilis ad ſolvendum, immò impoſſibilis reſpectu cujuſque creaturæ, licèt fuerit facilis apud Deum. Ideò dicit Chriſtus non ſolum, *dormivi* ſimplici dormitione, à qua ſurrexi ; ſed etiam *ſoporatus ſum* ſomno profundo, à quo nullus potuiſſet ſurgere, niſi Divinâ Potentiâ. Un- H de mors magis ſimilatur *ſopori*, quam *dormitioni*. Nam *dormiens* ſimpliciter, aliqualiter movetur. Sed *ſoporatus* nullo modo movetur, propter profunditatem ſomni. Ideò de ſoporato dicimus ; dormit tanquam mortuus. Unde *Virgilius in* 6.

Differentia inter dormire, & ſoporari.

Tum conſanguineus lethi ſopor.——

Item *in* 2. *Æneid.*

Inuadunt urbem, ſomno, vinoque ſepultam.

Et

Et loquitur de ſomno ſoporationis, qui eſt ſimilis morti, & è contrario. Unde ait Salvator, *Joan.* 9. *Lazarus amicus noſter dormit: Sed vado, ut à ſomno excitem eum.*

Sed eſt advertendum, quòd quidam A autumant, ipſum David in illa perſecutione dormiiſſe, & præ labore & anguſtiâ ſoporatum fuiſſe, in quo ſopore, & extaſi prævidit in ſpiritu totum myſterium Paſſionis & Reſurrectionis Chriſti futuræ, ad inſtar ſuæ perſecutionis: & qualiter ſua perſecutio erat figura Paſſionis, & Reſurrectionis, & ſoporationis, & excitationis Chriſti: & ideo fecit hunc Pſalmum in prophetia de Chriſto. Et ideo dicit hîc in perſona Chriſti: *Ego dormivi &c.* Et ſubdit: *Dominus ſuſcepit me.* Littera *Hieronymi* habet: *Dominus ſuſtentavit me:* & tunc eſt littera clara. Et eſt ſenſus, quòd Deitas ſemper ſuſtentavit carnem, cui erat unita, ne corrumperetur, ut patebit *Pſalmo* 15. *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem: quoniam à dextris eſt mihi, ne* B *commovear.*

6. *Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, ſalvum me fac Deus meus.*

24. q. 1. *Non turbatur, &* 11. q. 3. *Secuti.*

NOTA, quòd hæc particula poteſt eſſe conſecutiva, & pertinere ad rationem præcedentem: nam Chriſtus *dormivit, & ſoporatus fuit* in ſepulchro. Sed dum fuit ibi, Judæi petierunt à *Pilato*, ut juberet ſepulchrum cuſtodiri. Unde per omnes quadraginta horas milites *Pilati* cuſtodierunt, & circumdederunt, ne diſcipuli furarentur corpus, aut aliquis alius tolleret. Sed Chriſtus non timuit milites Pilati, nec multa *millia populi circumdantis:* C immò in deſpectu eorum reſurrexit. *Et ecce terremotus factus eſt magnus:* & *præ timore exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui &c.* Et ideo dixit Chriſtus: licèt fuero *ſoporatus* in ſepulchro, *non timebo millia*, id eſt, milites populi circumdantis me, nec ſi multa millia populi eſſent ibi: Quia *tu Domine* exurges, me ſuſcitando, & *ſalvum me* facies &c.

Sed licèt ſic poſſit exponi, continuando hanc particulam præcedenti: tamen aliter poteſt intelligi, ſcilicet, quòd ſit tertia pars hujus Pſalmi, in qua Chriſtus petit ultionem de ſuis crucifixoribus, & perſecutoribus. Unde eſt notandum, quòd poſtquam Judas audivit Chriſtum reſurrexiſſe, ivit ad Phariſæos, & reddidit eis pecu- D niam, dicens: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum &c.* Sed quia Judæi reſpondentes dixerunt: *Quid ad nos? tu videris;* tunc laqueo ſe ſuſpendit. Et ex tunc fuit maxima confuſio inter Judæos: & inceperunt inter eos ſchiſmata, & ſeditiones, & ſtrages, & mutuæ cædes, & aliæ tribulationes, quæ durarunt, & perſeveraverunt per quadraginta annos, ut ait *Joſephus de Bello Judaico*, uſquequò venit *Titus* cum E exercitu Romanorum, & deſtruxit Civitatem, & Regnum, & eos partim trucidavit, & partim captivavit, & per mundum diſperſit. Et hoc eſt quod dicit hîc Chriſtus. Unde petit à Patre punitionem Judæorum & ultionem, dicens: *O Domine exurge*, id eſt, licèt per illud triduum videaris dormire, me obliviſcendo, & in manibus Judæorum dimittendo; tamen *exurge*, tuam poteſtatem oſtendendo, & *ſalvum me fac*, reſuſcitando. Et ſic *non timebo millia populi*, id eſt, totam illam multitudinem populi Judæorum *circumdantis me*, & perſequentis: quia multotiens circumdederunt me, ſcilicet, in Templo, mecum altercando, & in horto, me capiendo & ligando, & ante *Annam* & *Caipham* me percutiendo; & ante *Pilatum* accuſando; & in Cru- F ce improperando, & in ſepulchro me cuſtodiendo: & tamen non timebo, nec timui omnia iſta millia, & multitudines Judæorum: quia non potuerunt me vincere; immò vici eos reſurgendo, & eos deſtruendo.

7. *Quoniam tu percuſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa: dentes peccatorum contriviſti.*

Diſt. 45. *cum Paulus, &* 12 q. 2. *Fraternitas; &* 23. q. 4. *Nabuchodonoſ.*

TU Pater *percuſiſti omnes* Judæos, *mihi ſine cauſa adverſantes*, & *contriviſti dentes*, id eſt, potentiam ipſorum, auferendo eis Regnum, & Sacerdotium: unde eos percuſiſti, & *dentes eorum contriviſti*, quoniam exercitum Romanorum G ſuper eos induxiſti, qui eis Regnum, & Sacerdotium abſtulerunt, & Civitatem, & Templum incenderunt, & eos captivarunt, & ad magnam partem trucidarunt. Et *contriviſti dentes eorum*: nam poteſtas Sacerdotalis, & poteſtas judicandi Scribarum, & Phariſæorum, & bona temporalia erant dentes eorum, quibus rodebant, & mordebant, & devorabant pauperes, & pupillos, & viduas.

8. *Domini eſt ſalus: & ſuper populum tuum benedictio tua.*

21. *diſt. c. Denique.*

HÆC eſt quarta particula, in qua Chriſtus orat Patrem, ut acceptet H Paſſionem ſuam in pretium & redemptionem totius populi. Nam iſte fuit effectus & fructus Paſſionis Chriſti. Et ideo dicis Chriſtus ad Patrem: O Pater, omnis *ſalus* hujus Paſſionis *eſt Domini*, id eſt, tui Domini, id eſt, à te Domine. Nam Græci non ha-

habent ablativum: ideo ponunt genitivum pro ablativo. Unde dicit Filius: O Pater, licèt ego in quantum homo paſſus ſim; tamen tota virtus & ſalus, ſive virtus ſalutis, eſt à te: quia tu dediſti me in ſalutem populi: ideo ſit *benedictio tua ſuper populum*, A id eſt, accepta hanc Paſſionem in ſalutem populi, & omnium membrorum meorum. Item ly *Et*, poteſt conjungere ſimiles caſus ſub uno verbo, & una oratione; ut ſit ſenſus: O Pater, ſalus tui Domini, & tua benedictio eſt, id eſt, ſit *ſuper populum tuum*. Vel poteſt etiam iſte verſiculus conſtrui per *Synepteſim*, quòd ſit mutatio perſonæ: ut quod Filius dicat: omnis ſalus & virtus ſalutis, eſt Domini, id eſt, à Domino; & poſteà converſus ad Patrem dicat: ô Pater ſit *benedictio tua ſuper populum*, meam Paſſionem in ejus redemptionem acceptando, & eos tibi reconciliando, & eis peccata remittendo: quæ quidem figura ſæpe frequentatur in Pſalmis. Ex quo patet, quòd licèt Chriſtus in quantum homo paſſus fuerit: tamen virtus Paſſionis & ſa- B lutis attribuitur Patri. Nam ſicut Filius in quantum Deus quicquid habet, habet à Patre: ita à fortiori totum *ſuppoſitum* quicquid virtutis habet, habet à Patre. Et ideo Chriſtus totam virtutem Paſſionis, & Redemptionis, & ſalutis dicit eſſe ipſius Patris, vel à Patre: quia virtus ſalutis & poteſtas erat in Divinitate: ſed merita, propter quæ datur ſalus & remiſſio, erant in humanitate. Ulterius eſt advertendum, quòd ex conſequenti totus iſte Pſalmus poteſt exponi de Chriſto myſtico, ſcilicet, de capite & membris per *tertiam regulam*, ut dictum eſt *in Prologo*, *Tractatu* 3. & tunc Chriſtus non ſolùm loquitur pro ſe, & de perſecutione ſua, & reſurrectione; ſed etiam de perſecutione Eccleſiæ. Nam quicquid Chriſtus paſſus eſt in capite, paſſus C eſt, ſive paſſa eſt Eccleſia poſteà in membris. Et ita poſt longas perſecutiones & ſoporationes ſurrexit tempore *Conſtantini*, & *contrivit dentes* tyrannorum &c.

Poteſt etiam totus iſte Pſalmus eſſe vox totius corporis myſtici, & cujuslibet membri Eccleſiæ ad Chriſtum Caput ſuum, conquerendo de perſecutoribus Eccleſiæ, & gratias agendo pro liberatione Eccleſiæ; & de punitione perſecutorum: & ſic iſte Pſalmus, & duo præcedentes & ſubſequentes, poſſunt cuilibet Martyri convenire, & in quantum pro Chriſto, & in quantum membrum Chriſti paſſus eſt. Et etiam conveniunt omnibus Confeſſoribus, in quantum ſunt membra Chriſti, & pro Chriſto laborarunt. Et ſic Chriſtus loquitur in eis, D & pro eis; & ipſi in Chriſto pro Chriſto. Nam ſicut Chriſtus paſſus eſt pro membris, ita loquitur, & orat pro membris &c. Et hæc eſt cauſa quare cantamus hunc Pſalmum, & præcedentes, & ſubſequentes in feſtivitatibus Martyrum & Confeſſorum. Et ideo prudens lector, & Sacerdos, cum recitat Pſalmos, advertat intentionem Eccleſiæ. Advertat etiam lector. Nam modus exponendi hunc Pſalmum, poteſt eſſe norma ad exponendum & intelligendum om- E nes Pſalmos ſequentes. Et ſic patet, quòd hiſtoria de perſecutione *Abſalom* facta contra *David* prænotata in titulo, non adducitur in hoc Pſalmo tanquam principalis materia, ſed tanquam propoſitio figurativa: ex qua David propheticè infert concluſionem Euangelicam de Paſſione Chriſti: & hæc eſt materia principalis hujus Pſalmi. Et hæc ſit regula pro omnibus aliis Pſalmis.

PSALMUS IV.

1. *Cum invocarem exaudivit me Deus juſtitiæ meæ: in tribulatio-* 36. diſt. c. Si quis vult.
F *ne dilataſti mihi.*

2. *Miſerere mei: & exaudi orationem meam.*

HUic Pſalmo præponitur talis titulus ſecundùm Septuaginta: *In finem, Pſalmus cantici David.* Secundùm verò Hebræos: *Ad victorem*, ſive *ad victoriam in organis, Pſalmus David.* Secundùm autem Hieronymum: *Victori Pſalmus David.* Unde eſt notandum, quòd ſemper ubicumque apud Hebræos in titulo Pſalmorum ponitur *ad victoriam*, ſive *ad victorem*, ſive *vincentem*, quod idem eſt apud eos; ſemper Septuaginta tranſtulerunt *In finem. Hieronymus* verò traduxit in Dativo. G Sed licèt differant in verbis; tamen omnes conveniunt in ſententia, ſi benè velimus ſpeculari & intelligere ſacramenta titulorum. Nam ex titulis poſſumus intelligere ſacramenta in Pſalmis contenta: dictum eſt enim *in Prologo*, *Tractatu* 5. quòd titulus eſt quorumdam brevis prænotatio ſacramentum retinentium. Et ſic vocabula poſita in titulis prænotant ſacramenta Pſalmi. Et dictum eſt etiam, quòd in titulis ſex præmittuntur, ſcilicet, nomen Pſalmi, aut perſona actoris, aut cantoris, aut materiæ *de qua*, ſive *ex qua* eſt Pſalmus, aut modus cantandi, aut inſtrumentum muſicale, cum quo Pſalmus cantabatur, aut tempus, aut locus, in quo cantabatur; quorum quodlibet prænotat ſacramentum in H Pſalmo cui præponitur.

Et ſic in hoc titulo prænotantur quatuor ex illis ſex, ſcilicet, nomen Pſalmi, & perſona, & modus cantandi, & inſtrumentum muſicum, cum quo cantabatur Pſalmus iſte. Nam per hoc quod dicitur, *Pſalmus cantici*, prænotatur nomen Pſalmi. *Diviſio Pſalmi.*

mi. Nam dicitur *Pſalmus*, in quantum cum inſtrumento muſico ad laudem Dei cantabatur: & dicitur *Pſalmus cantici*, in quantum inſtrumentum muſicale incipiebat primum verſum Pſalmi, & chorus voce humana reſpondebat, & ſequebatur ſecundum verſum. Et ſic alternatim uſque in finem. Per hoc quod dicitur, *David*, prænotatur perſona, & cauſa efficiens, & actor hujus Pſalmi, ſcilicet, quòd David fecit ipſum. Per hoc autem quod additur, *in organis*, explicatur inſtrumentum muſicum A cum quo cantabatur: per hoc autem quod præmittitur, *ad victoriam*, ſive *ad victorem*, & *vincentem*, eſt advertendum, quòd David eligebat ad cantandum de Levitis habentibus altiorem vocem: quibus dabat ad cantandum omnes Pſalmos ſic intitulatos, qui adæquabant voces ſuas cum inſtrumentis muſicis: & incipiebant primum verſum ſubmiſſa voce, & in quolibet verſu elevabant altiùs vocem & punctum: & ſic procedebant elevando magis & magis vocem uſque in finem Pſalmi, & uſque ad finem & ultimum conatum vocum. Et ſic unus nitebatur vincere alium, & ſuperare in elevatione vocis. Et ſic qui magis tolerabant cantum, & elevabant vocem, dicebantur *victores*, ſicut nos facimus in Eccleſia in feſto *Epiphaniæ*, quando cantamus illum Pſalmum *Venite exultemus &c.* B quia ſemper procedimus elevando altiùs vocem in quolibet verſu, & unus chorus nititur ſuperare alium. Ita pariter faciebant cantores in hoc Pſalmo, & cæteris hujuſmodi in Templo: & qui altiùs elevabant vocem, dicebantur *victores*, & conſequebantur præmium in choro præ cæteris. Et ideo ubi in talibus titulis in Hebræo ponitur, *ad victoriam*, ſive *ad victorem*, *Hieronymus* tranſtulit, *victori*: quaſi dicat, quòd dabatur iſte Pſalmus victori ad cantandum cum præmio. *Septuaginta* verò traduxerunt, *In finem*; quaſi dicant: Iſte Pſalmus C cantabatur cum omni conatu uſque ad finem, & ultimum punctum, elevando vocem. Et ſic omnes conveniunt in ſententia.

Ex quo patet, quòd in hoc titulo explicatur actor Pſalmi, & nomen, & inſtrumentum muſicum, & modus cantandi: quia iſte mos & conſuetudo fuit apud omnes Poëtas Lyricos, maximè Comicos, & Tragicos, ſcilicet, præponere titulos in Comœdiis; in quibus titulis explicabatur actor, & tempus, & locus, in quibus Comœdiæ, & Tragœdiæ recitabantur, & inſtrumenta cum quibus cantabantur. Et ſic in Comœdiis *Terentii* præponitur titulus, ſcilicet, *Acta ludis Megalenſibus*, tali & tali *Con-* D *ſulibus*, *tibiis duabus &c.* Et ſic etiam David tanquam verus & divinus Poëta, Pſalmis in Templo cantandis præpoſuit conſimiles titulos, explicantes has perſonas, & materias, & inſtrumenta, & modos cantandi, & loca, & tempora, ut patebit. Sed quia iſta non fecit David ſine myſtico & prophetico ſacramento, ut dictum eſt; quia omnia prænotata in titulis continent ſacramenta: ideo quærendum eſt de ſacramento hujus tituli, ut ſit doctrina & norma pro omnibus conſimilibus titulis ſequentibus, ne liceat iterare.

Ideo eſt valdè notandum, ſicut dictum eſt *in Prologo*, *Tractatu* 5. quòd hujuſmodi inſtrumenta muſicalia in titulis prænotata ſignificant myſteria Chriſti & Ec- E cleſiæ. Sed inter cætera *organum* ſignificat corpus Eccleſiaſticum & myſticum. Nam ſicut in organis ſunt diverſæ voces: tamen omnes ſunt ſubordinatæ ſub quadam proportione ad unum, & ex eis generatur dulcis harmonia: ita pariter in corpore Eccleſiaſtico & myſtico, licèt ſint diverſa membra, & officia, & dignitates ſecundùm Apoſtolum: tamen omnia iſta conveniunt, & compaginantur ſub una fide charitate formata, & habent attributionem ad unum caput, qui eſt Chriſtus, à quo recipiunt ſenſum & motum ſpiritualis gratiæ, & dona gratiarum; & unus Spiritus ſanctus inſufflat hoc organum: & ſic reddit unam dulcem ſpiritualem harmoniam, proportionatam ad Chriſtum, ſervando Legem F Euangelicam. Et ideo per hoc quod prænotatur in titulo, *Pſalmus cantici in organis*, intelligitur, quòd iſte Pſalmus loquitur de Chriſto & Eccleſia; & de harmonia, & proportione, & ordine, & conformitate corporis myſtici ad Caput ſuum, ſive Eccleſiæ ad Chriſtum, ut patebit in ipſo. Per hoc autem quod dicitur, *In finem*, ſive *ad victoriam*, & quòd cantabatur cum omni conatu vocum: prænotatur, qualiter Lex & Prophetæ cum ingenti deſiderio & conatu vocabant Chriſtum, qui eſt finis Legis, ut veniret in carne ad ſalvandum ge- G nus humanum, & ad ferendam Legem Euangelicam juſtificantem ad vitam & felicitatem æternam. Et hoc patebit in Expoſitione Pſalmi. Et hæc eſt materia principaliter intenta, de qua iſte Pſalmus, & pro qua eſt apud Catholicos exponendus.

Quomodo Organum ſignificat Corpus myſticum

Sed de materia myſtica & figurativa eſt multiplex modus dicendi, non ſolùm apud Catholicos, ſed etiam apud Hebræos modernos. Nam quidam dicunt, quòd David fecit hunc Pſalmum in perſecutione *Saul*, quando *Saul* cinxit David ad modum coronæ in deſerto *Maon*. Sed quia nunciatum eſt ipſi *Saul*, quòd *Philiſthæi* venerant, & impleverant terram *Juda*, & *Iſrael*: tunc compulſus eſt dimittere *Da-* H *vid*, & ire, & occurrere obviam *Philiſthæis*. Et ſic David gratias agendo, fecit hunc Pſalmum.

Alii autem dicunt, quòd David fecit hunc Pſalmum contra conſiliatores *Abſalom*. Sed mihi videtur magis conforme litteræ hujus Pſalmi, quòd *David* fecerit ip-

ipſum, quando *Saul* congregavit omnes ſervos in *Gabaa*, tenens haſtam in manu, & dixit: *Audite nunc filii Jemini: numquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros, & vineas, & univerſos vos faciet tribunos & centuriones: quoniam conjuraſtis omnes adverſum me, & non eſt qui mihi renunciet: nec eſt qui vicem meam doleat ex vobis? &c.* Unde tunc *Doëg Idumæus* annuntiavit, qualiter viderat David in *Nobe*, & quomodo receperat ipſum *Achimelech* Sacerdos, & quomodo porrexit ipſi panes propoſitionis, & gladium &c. Unde tunc *Saul* præcepit trucidari *Achimelech* cum omni domo ſua, & Civitatem incendi: & tunc omnes ſervi Saul perſecuti ſunt David, ut patet 1. *Regum* 22.

Nota.

Ex quo patet, quòd *Doëg*, & cæteri ſervi *Saul* poſtpoſitâ omni juſtitiâ & veritate, converſi ad bona temporalia, & relictâ ſpe Divinâ & Lege, ut placerent ipſi *Sauli*, profanarunt Templum Domini, & perſecuti ſunt David injuſtè, & voluerunt diſplicere Deo, ut complacerent regi propter lucrum temporale. In qua conjuratione & perſecutione *David* prævidit in ſpiritu iniquam conjurationem Judæorum contra Chriſtum; & prævidit etiam diram perſecutionem Eccleſiæ futuram per Tyrannos: à qua fuit liberata per Chriſtum à tempore *Conſtantini*.

Ex hoc ergo potuit David ſumere occaſionem & parabolam condendi hunc Pſalmum. Et ſic principalis intentio David eſt, increpare Judæos, ne Chriſtum perſequantur, & Tyrannos, ne vexent populum Chriſtianum; ſed relicta ſpe bonorum temporalium, convertantur ad Chriſtum, & Legem ejus obſervent. In quo quidem Pſalmo ipſe David introducit Chriſtum loquentem pro ſe, & membris ejus, increpando Judæos crucifixores ſuos, & Tyrannos perſecutores Eccleſiæ. Et ſic iſte Pſalmus poteſt eſſe vox Chriſti pro ſe & Eccleſia: vel poteſt eſſe vox Eccleſiæ pro ſeipſa. Et ſic *materia ex qua* eſt iſte Pſalmus, id eſt, *ex qua* ſumpſit David occaſionem faciendi hunc Pſalmum, poteſt eſſe conjuratio prædicta facta contra David. Et hæc eſt propoſitio quam aperit nobis David in hoc Pſalmo. Sed *materia de qua* principaliter eſt iſte Pſalmus, eſt conjuratio Sacerdotum & Phariſæorum facta contra Chriſtum & Eccleſiam, quæ fuit figurata, & prævisa à David in conjuratione facta contra ipſum. Et hæc eſt concluſio Euangelica, quam David elicit ex illa propoſitione. Et ideo littera hujus Pſalmi requirit, ut primò exponatur de Chriſto Capite. Secundò, de Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti: pro ſe, & corpore ſuo Eccleſiaſtico.

Quantum ergo ad iſtum intellectum Pſalmus iſte habet tres partes. Nam in prima Chriſtus orat, & petit liberari. In ſecunda exhortatur Judæos, & Tyrannos, ut deſiſtant à conjuratione, & perſecutione ejus. In tertia agit gratias de ſua liberatione à morte per Reſurrectionem. Secunda ibi, *Filii hominum.* Tertia ibi, *Dediſti lætitiam.*

Quantum ergo ad primum eſt notandum, quòd Chriſtus oravit Patrem in menſa pro ſua Reſurrectione, cùm dixit: *Clarifica me Pater*: & oravit pro ſuis membris, cùm dixit: *Salva quos dediſti mihi: & non pro eis rogo tantum, ſed pro eis, qui credituri ſunt &c. Joan.* 17. Hoc idem oravit in horto & cruce. Et ſic *fuit exauditus pro ſua reverentia.* Ideo Chriſtus ait: *Deus juſtitiæ meæ*, id eſt, qui juſtificat me, & glorificat, & perhibet teſtimonium, ipſe exaudivit me, *cum invocarem eum* in menſa, & in horto, & in cruce, ſcilicet, cum orando dicerem: *Miſerere mei, & exaudi orationem meam.* In littera *Hieronymi* habetur: *Invocantem exaudiet me Deus*, quod idem eſt. Et ideo eſt melius, quòd ſic ordinetur littera: Cum ego invocarem Patrem in menſa, & in horto, & in cruce, & invocando dicerem, *Miſerere mei*, me reſuſcitando, & *Exaudi orationem meam*, adimplendo ea quæ peto pro me, & pro membris meis: tunc Pater *Deus juſtitiæ meæ exaudivit me:* quoniam reſuſcitavit me, & glorificavit me, & dedit mihi poteſtatem in Cœlo, & in terra ſecundùm juſtitiam meam. Et ſic dicitur *Deus juſtitiæ meæ*, id eſt, reſpiciens ad juſtitiam meam.

Et poſteà Chriſtus converſus ad Patrem dicit: O Pater, rectè poſſum dicere, quod tu es *Deus juſtitiæ meæ*: & exaudieris orationem meam. Nam *in tribulatione mea dilataſti mihi* cor, & petitionem meam; quia abunde adimpleſti, prout petebam, & ſperabam. Et cauſatur figura Grammaticalis, quæ dicitur *Synepteſis*: quia mutatur perſona, & accidens verbi in locutione: fit enim mutatio perſonæ à tertia ad ſecundam. Et ideo eſt valde advertendum. Nam ſicut dicit *Rabbi Moyſes* unuſquiſque Propheta habet ſuam linguam, & ſuum modum loquendi: ſed inter cæteros ipſe David habet extraneum & difficilem modum loquendi, eò quòd ſcripſit metricè in verſu *lyrico* & *ſaphico*. Et ideo eſt habenda ejus familiaritas per longam conſuetudinem, ut modum ejus percipiamus, & veritatem ex ejus littera extorqueamus.



3. *Fi-*

12. q. 1. c. Omnis atas ; & 2. q. 3. Proclivis.

3. *Filii hominum uſquequò gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

A

HÆC eſt ſecunda pars, in qua Chriſtus increpat, & exhortatur ſuos perſecutores, ut deſiſtant à malitia, & ſequantur doctrinam ſuam, & Legem Euangelicam. Et duo facit. Nam primò facit quod dictum eſt. Secundò removet, & ſolvit quamdam falſam excuſationem eorum, ibi: *Multi dicunt, quis &c.* Quantum ad primum eſt advertendum, quòd cauſa quare Principes & Phariſæi moti ſunt contra Chriſtum, fuit, quia Chriſtus exhortabatur eos ad contemptum temporalium, & ut ponerent ſpem in Deo, & in bonis cœleſtibus & ſpiritualibus; & prædicabat, Legem Moyſi non eſſe intelligendam ad litteram, ſed ſecundùm ſenſum ſpiritualem. Et ideo conjurarunt contra ipſum, dicentes: *Si hunc dimittimus, venient Romani &c.* Et tunc congregati ſunt in atrio *Caiphæ*, ut ipſum morti traderent &c. Dicit ergo Chriſtus: *O filii hominum*, id eſt, homines mundani & carnales, *uſquequò* eritis *gravi corde*, & manebitis in corde gravi & malivolo? O vos Judæi conantes me occidere, & vos Tyranni perſequentes nomen meum, & Eccleſiam, *ut quid*, id eſt, quare *diligitis vanitatem*? id eſt, bona temporalia, vana, & frivola. Nam vos Judæi propter bona temporalia vana quæritis mendacium, falſo modo gloſſando Legem, ad litteram tantùm intelligendo, & verum ſenſum ſpiritualem reſellendo, &C in cærimoniis permanendo, & veritatem Meſſiæ negando. Nam *Lex* per *Moyſen data eſt, ſed veritas per Chriſtum patefacta eſt*, quam vos tanquam mendaces negatis, & ſuſcipere recuſatis. Et etiam vos Gentiles Tyranni, diligitis vanitatem rerum temporalium, & *quæritis mendacium* ſuperſtitionis, & cultûs idolorum. Et ideo

De Conſe. di. 2. Iteratur. De Pœn. di. 1 Quamobrem.

4. *Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum: Dominus exaudiet me, cùm clamavero ad eum.*

D

SCITOTE, & volo quod ſciatis, *quoniam Dominus* Pater *mirificavit*, & mirificum oſtendit Chriſtum *Sanctum ſuum*, & Filium ſuum: oſtendit enim mirificum in ſua conceptione; quia non opere *Adam*, ſed de Spiritu ſancto conceptus eſt, & ſupra naturam natus. Et etiam *mirificavit eum* per omnia ſigna, quæ facta ſunt in ejus Nativitate per univerſum orbem, ſcilicet, quia Angeli cantarunt, *Gloria in Excelſis Deo &c.* Et *ſtella Magos duxit ad præſepe &c.* Item in ejus oſtenſione, & prædicatione innumera miracula operatus eſt, ægros ſanando, & mortuos ſuſci-

E tando. Item in ejus Paſſione tenebræ factæ ſunt per univerſam terram. Item mirificavit eum in ejus Reſurrectione & Aſcenſione &c. Ideo cognoſcite ipſum eſſe verum Deum & *Meſſiam* in Lege promiſſum, & Caput totius Eccleſiæ, ſine quo nemo poteſt ſalvari, & niſi ipſe oraverit pro eo ad Patrem. Ideo ſubdit: *Dominus* Pater *exaudiet me, cùm*, id eſt, quandocumque *clamavero*, & oravero *ad eum* pro membris meis: ergo

Epheſ. 4. de Pœn. di. 1. cap. Tonſuram

5. *Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.*

F

IRASCIMINI, id eſt, licèt ad horam iraſcimini; tamen *nolite peccare*, id eſt, iram & malum propoſitum in effectum deducere; quaſi dicat: vos Scribæ & Phariſæi, ex ira, & iniquitate, & invidia diligentes vanitatem & quærentes mendacium, conſilium feciſtis, ut me dolo caperetis & occideretis. Et ideo licèt hoc feceritis; tamen *nolite peccare*, id eſt, hanc malitiam in effectum & executionem deducere. Cognoſcite veritatem, & *ſcrutamini Scripturas, quoniam ipſæ teſtimonium perhibent de me*, & nolite effundere, & tradere san-

G guinem juſti. Et ſi forſan hoc *dicitis*, & dixiſtis *in cordibus veſtris*, & propoſuiſtis me occidere; tamen *compungimini in cubilibus veſtris* per pœnitentiam, id eſt, videte & cognoſcite peccatum, & errorem veſtrum in penetralibus, id eſt, ſecretis veſtris; & *compungimini*, & agite pœnitentiam de his quæ *dicitis*, & dixiſtis *in cordibus veſtris* contra me. Et etiam licèt occideretis me; tamen *compungimini* per pœnitentiam, & convertimini ad me, Baptiſmum & Legem Euangelicam recipiendo: & jam deinceps abjicite, & dimittite cærimonias, & ſacrificia figurativa veteris Legis: ſed &c.

argum. 6. q. 6. c. Agnovimus.

6. *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino : multi dicunt , Quis ostendit nobis bona?*

De consec. distin. 4. Nec quèquam. Et cap. Placuit.

7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine : dedisti lætiam in corde meo.*

SACRIFICATE *sacrificium justitiæ* , scilicet , Eucharistiam , in qua sacrificatur , & offertur Christus Filius Dei , qui est verum sacrificium justitiæ , bonum de se , & acceptabile apud Patrem , pro omnibus peccatis satisfaciens , quia bonum de opere operato. *Et sperate in Domino*, & nolite amplius ponere spem vestram in sacrificiis , & cærimoniis legalibus ; quia non sunt gratiâ sui ; sed quia figurabant Christum venturum , & Ecclesiam. Et ideò in eis non est spes ponenda , nec in cibis, aut rebus temporalibus ; sed in solo Deo, & in bonis futuris spiritualibus & cœlestibus. Et ideò *sperate in Domino* , & non in mundanis rebus , & bonis corporalibus.

Multi dicunt , *quis ostendit* ? Unde nota quòd *in Hebræo* , & in littera *Hieronymi* , hîc incipit versus : nec in hoc est vis. Nam dictum est , quòd David composuit Psalmos in versu *lyrico* , & ut plurimum in versu *saphico* aut *Pindarico :* qui quidem versiculi sunt parvi , continentes decem syllabas aut undecim : sed ex duobus versiculis parvis , vel ex tribus , faciebant Sacerdotes unum versum ad cantandum in choro. Unde hic est unus versiculus , scilicet , *sacrificate sacrificium justitiæ*. Et iste est alius , scilicet , *sperate in Domino* ; & , *Multi dicunt* , *quis ostendit nobis bona* , est alius versiculus : Et , *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine* , est alius versiculus. Unde ex istis duobus ultimis versiculis fit una sententia ; eò quòd unus est interrogativus , & alter responsivus. Et sicut Judæi in Hebræo ex primis duobus versiculis faciunt unum versum magnum ; ex duobus ultimis faciunt alium, eò quòd causatur alia sententia per novam interrogationem & quæstionem.

Ad cujus evidentiam est notandum, quòd quia dictum est superius ad Judæos, & homines mundanos , *Sacrificate sacrificium justitiæ* , *sperate in Domino* , id est , quòd relictis sacrificiis veteris Legis offerant verum sacrificium *Eucharistiæ*, per illa legalia figuratum ; & etiam quòd relictis rebus mundanis ponant spem suam in bonis spiritualibus futuris , in Euangelica Lege promissis : ideò Judæi , & homines mundani de hoc volentes se excusare , dicunt : *quis ostendit nobis* ista *bona* spiritualia in Euangelio promissa? Quasi dicant : quomodo poterimus dimittere & contemnere ista bona temporalia , quæ possidemus & videmus , propter ista bona spiritualia , quæ vos Christiani prædicatis, cùm ea non videamus , nec cognoscamus? Quasi dicant : ostendite nobis ad sensum illa bona , & credemus vobis & Euangelio. Omnibus istis Judæis & mundanis loquendo ad Patrem respondet Christus , dicens : ò Domine Pater , non possunt Judæi & homines mundani hoc negare: nam *lumen vultus tui signatum est super nos.*

Duplex lumen signat Deus super animas.

Ad cujus intelligentiam est advertendum , quòd *duplex lumen* signat Deus super animas , scilicet , unum *naturale* , & aliud *supernaturale* & *infusum*. Lumen naturale est lumen intellectus agentis , & rationis , quo omnia naturalia anima nostra potest cognoscere per studium & actionem. Et sic potest cognoscere , quomodo anima nostra est immortalis , & dependens à *primo Esse* , quod est Deus , prout naturaliter cognoverunt Philosophi Deum, & Intelligentias , & animam nostram esse immortalem. Et in eadem parte intellectûs ponitur *lumen rationis* , quæ dicitur *inferior pars* , per quod potest cognoscere , quæ sunt bona , vel mala ; justa , vel injusta ; turpia , vel honesta ; agenda , vel non agenda. Unde sicut primum *lumen* dicitur speculativum : ita secundum dicitur practicum ; & tamen utrumque lumen dicitur nobis naturaliter insitum ; per quod lumen potest anima nostra naturaliter cognoscere tria naturalia principia , sive tres Leges naturales nobis naturaliter insertas , quæ sunt *tria principia* in genere morum : quorum primum est, quòd *omne bonum est agendum , & omne malum vitandum.* Secundùm est , *quod fieri tibi non vis , alteri non facias ; & quod tibi vis , alteri fac.* Tertium *principium*, & *Lex naturalis* est : *nullum bonum irremuneratum , & nullum malum impunitum.* Ex his tribus legibus resultat quarta Lex naturalis , scilicet , quod *Deus , qui est principium omnium , est justus judex, punitor malorum , & remunerator bonorum.* Quæ quidem principia , & Leges scribuntur *Genes.* 4. ubi dixit Dominus ad *Cain* : *Quare iratus es* contra fratrem tuum ? Et *cur concidit facies tua* ? Ubi demonstrat , nullum malum agendum. Et postea consequitur : *Nonne si bene egeris, recipies ; sin autem malè , peccatum statim in foribus aderit* ? Per quod ostenditur, *Nullum bonum irremuneratum , & nullum malum impunitum* , esse Legem naturalem nobis naturaliter insitam ; eò quòd per lumen naturale istam Legem simul cum cæteris duabus possumus naturaliter cognoscere.

Et

Et hoc est *lumen*, quod dicit Christus, esse *signatum super nos*: per quod lumen, & per quæ principia naturalia possumus prævidere, & cognoscere bona spiritualia nobis in Lege Euangelica promissa, & pœnas æternas reprobis debitas, A quod probatur. Nam si *Nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum*: ergo boni & justi de jure naturæ debent remunerari hic, vel in futuro. Sed multi justi patiuntur persecutiones in hac vita propter veritatem, & justitiam, qui hic nunquam fuerunt remunerati, sicut *Abel*, & *Jeremias*; & multi mali fuerunt prosperati, qui nunquam fuerunt puniti in hac vita: Ergo sequitur, quod isti remunerabuntur post hanc vitam bonis spiritualibus, & illi punientur pœnis æternis. Ex quibus sequitur, quod expectantur futura bona spiritualia, quibus boni præmiantur, & futura mala, quibus mali puniuntur. Et sic, tam Judæi, quàm cæteri Infideles per hoc lumen naturale poterant cognoscere futura bona & ma- B la, & tria principia supradicta: quod quidem *lumen* dicit David in persona Christi, quod est *signatum super nos*. De quo quidem *lumine* dicit *Apostolus ad Roman.* 2. quòd Gentiles habebant Legem naturalem scriptam *in cordibus suis*.

Lumen autem *supernaturale* est illud, quod infunditur ex speciali dono Spiritus sancti, elevans intelligentiam ultra naturam sui ad apprehendendum ea quæ sunt supra humanam facultatem, prout Spiritus sanctus *dividit singulis prout vult*: 1. *Cor.* 12. quod quidem *lumen* dupliciter pervenit ad nos. Uno modo per spiritualem infusionem & illustrationem: & sic receperunt ipsum Patriarchæ & Prophetæ in veteri Testamento, & Apostoli, & Sancti Doctores in novo Testamento. Secundo modo pervenit illud *lumen* ad sim- C plices Fideles per doctrinam, & prædicationem. Nam *Moyses* eamdem Legem, quam accepit à Deo, annunciavit populo. Et Prophetæ annunciaverunt populo eadem mysteria & vaticinia, quæ à Spiritu sancto fuerunt eis revelata. Et ita etiam Apostoli revelaverunt nobis ea, quæ à Spiritu sancto receperunt. Ex quibus patet, quòd Scriptura utriusque Testamenti dicitur *lumen signatum super nos*, primò revelatum Patriarchis, & Prophetis, & Apostolis, & ex consequenti nobis annunciatum. Ex quibus patet, quod licet Gentiles non habuerunt hoc *lumen supernaturale*: tamen habuerunt *lumen naturale*, quo potuerunt vitare malum, sive discernere inter bonum & malum, ut supra D dictum est: sed Judæi quia receperunt utrumque *lumen*, scilicet, naturale & supernaturale, minus sunt excusandi: quia multò magis omnia supradicta poterant cognoscere, eò quòd habuerunt Legem & Prophetas loquentes de futura redemptione, & superna felicitate. Et ideò multò minus possunt dicere, *quis ostendit nobis bona?*

Judæi solum quærebant temporalia.

Dedisti lætitiam &c. Hìc Christus E agit gratias Patri de beneficio Resurrectionis, & bonorum spiritualium, quæ à Patre recepit, pro se, & membris suis. Ad cujus intelligentiam est advertendum, quod Judæi carnales non expectabant, nec quærebant nisi temporalia, putà, abundantiam frumenti, vini, & olei, & dominium temporale, & dignitates: & sub tali desiderio expectant Messiam, qui omnia ista debet eis dare. Sed Christus in Lege Euangelica præcipit, omnia ista contemni, & bona spiritualia, & futura desiderari, ut dictum est. Et ideò contempserunt ipsum, & Legem Euangelicam. Sed cum felicitas, quam ipsi petunt, sit tantùm in hac vita, ideò est transitoria, & temporalis, & brevis; & sic lætitia & gaudium eorum est breve, & F multis miseriis admixtum: Christus autem, quia expectabat Resurrectionem, & æternam vitam, & gloriam; ideò *lætitia* ejus & suorum est æterna. Nam præmium est conforme cum spe: ideo ait Christus: O Pater, gratias, supple, ago tibi, quoniam dedisti veram *lætitiam*, & perpetuam vitam, & felicitatem *in corde meo*.

De Pœnit. dist. 3. c. Quid ergo turbamur §. Quamquam.

8. *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.*

NAM ipsi Judæi, & omnes mundani *multiplicati sunt*, id est, abundarunt *à fructu frumenti, vini, & olei*, & cæterorum bonorum temporalium: id est, licèt ipsi sint multiplicati in hujusmodi abundantia & copia bonorum; tamen

Lumen Dei dupliciter ad nos pervenit.

G

1. q. 1. c. Suggestū.

9. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.*

10. *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

EGO *dormiam* simul, & *requiescam in pace*, & quiete bonorum spiritualium hìc per gratiam, & in futuro per gloriam. Nam licèt in hac vita passus fuerim persecutiones, & mortem; tamen resurrexi ad gloriam sempiternam: ipsi autem ad mortem æternam destinabuntur. Et unde hoc? *Quia tu Domine constituisti me singulariter in spe* Resurrectionis H & gloriæ: nam sicut spes mea fuit bona, ita & effectus ejus. Nam semper præmium correspondet spei. Unde est advertendum quod ly *in idipsum*, stat adverbialiter, & idem est quod *simul*, vel *similiter*. Et ideò littera *Hieronymi* habet sic: *In pace dormiam*

Nota.

miam simul, & requiescam. Et sic est adverbium congregandi. Unde septies reperitur hoc adverbium *in idipsum* in hoc libro Psalmorum. Sed ubi *Septuaginta*, posuerunt, *in idipsum*, *Hieronymus* traduxit, & posuit hoc adverbium, *simul*. Sed utrobique, continet magnum sacramentum. A

Duratio temporalis, & æterna differunt.

Unde est notandum secundùm *Augustinum* & *Boëtium*, quòd hæc est differentia inter durationem temporalem, & æternam. Nam duratio temporalis est terminabilis, & successiva, nec potest haberi tota simul: sed *æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.* Et ideo Deus, qui est in æternitate, omnia bona simul possidet, & nullum bonum ipsi deesse potest: sed Deus, qui habet hanc æternitatem & felicitatem per essentiam, communicat eam Sanctis per participationem; & ideo vita & felicitas Sanctorum erit, & est interminabilis *à parte post*, & *tota simul* essentialiter, licèt possit accidentaliter augeri usque ad judicium, ut dictum est in *primo Psalmo.* Et felicitas Sanctorum dicitur *tota simul*, & æterna, & indeficiens, & sufficiens bonum. Et hoc adverbium *in idipsum* significat idem quod *æternum*; & est sensus: *In pace in idipsum dormiam*, id est, dormiam & requiescam in æternum, in pace & quiete beatitudinis: quia illa pax & quies est *æterna*, & *tota simul*, & non transitoria, nec temporalis &c. quia est *status omnium bonorum aggregatione perfectus*, in cujus possessione consistit vera beatitudo. B

Sed quia (ut apparuit in Titulo) iste Psalmus nos dirigit in finem Legis, qui est Christus, & etiam continet statum, & persecutionem, & resurrectionem Ecclesiæ, per hoc quod ponitur, *in organis*, per quod significatur Ecclesia Christi, ut dictum est: ideo ostendit, quòd specialiter exponatur iste Psalmus pro Ecclesia, non C quod Ecclesia sit separata à suo Capite Christo (nam simul intelligitur cum suo Capite) sed oportet quòd hoc fiat ad distinctionem nostræ intelligentiæ; ut iste Psalmus cum præcedente sit norma & regula ad exponendum omnes subsequentes ratione materiæ, & ratione titulorum, ne amplius fiat iteratio: nam sub una voce poterunt exponi.

Ecclesia dicitur corpus.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd sicut tota Ecclesia dicitur *unum corpus mysticum* organizatum, & mensuratum, & proportionatum ex ordine multorum membrorum ad unum Caput, qui est Christus: ita pariter dicitur *una Civitas* organizata, & mensurata ex harmonia, D & ordine multorum Civium ad unum Principem, qui est Christus, consensu unius Legis, & unius Fidei sociata: cujus ortum & progressum & proprietates describit *August.* 14. *de Civitate Dei, cap. ult. &* 15. *de eadem Civitate, cap.* 1. ubi dicit: quòd à primordio mundi genus humanum fuit in duo genera distributum: unum, qui secundùm hominem; & alterum, qui secundùm Deum vivunt: quas etiam mysticè duas Civitates appellamus, id est, duas hominum societates: quarum una est in E æternum prædestinata regnare cum Deo: altera cum diabolo æternum subire supplicium: quarum una, scilicet, *Civitas Dei* incepit ab *Abel*; altera, scilicet, Civitas diaboli incepit à *Cain.* Cives primæ Civitatis dicuntur *Filii Dei*; alteri autem *Filii hominum.* Inter quas duas Civitates assignat *Augustinus* septem differentias; quia differunt secundùm diversos fines.

Civitas Dei, & diaboli.

Unde dicit *Augustinus*, quòd *fecerunt has duas Civitates duo amores:* terrenam, scilicet, *amor sui usque ad contemptum Dei:* cœlestem autem, *amor Dei usque ad contemptum sui.* Secunda differentia: quia illa *in se: hæc in Domino gloriatur.* Tertia: quia illa *quærit ab hominibus gloriari: hæc dicit Domino suo: Tu es gloria mea, & exaltans caput meum.* Item *in illa homines secundùm carnem viventes, Deum verum non honorarunt. In* F *hac autem est vera sapientia, & pietas, in qua rectè verus Deus colitur, expectans præmium in societate Sanctorum Angelorum.*

Ex quibus verbis *Augustini* patet, quòd istæ duæ Civitates principaliter differunt: primò, ratione affectus & amoris. Secundò, ratione cultûs. Tertiò, ratione finis, & spei: quia *Civitas terrena* toto affectu diligit ista temporalia, & non rectè colit Deum: *Civitas* autem *Dei* colit unum verum Deum, & illum super omnia diligit, qui est Christus, Deus & homo, & in eo totam suam spem ponit. Et ideo semper ab initio mundi fuit vexata & afflicta à *Civi-* G *tate terrena*, eò quòd in moribus & cultu semper fuit ipsi contraria & adversa. Unde illicò à principio mundi *Cain* interfecit *Abel*: & posteà *Chaldæi* persecuti sunt *Abraham*, & *Esau Jacob*, & *Ismael Isaac*, & sic de cæteris justis. In Testamento autem novo illicò Scribæ & Pharisæi persecuti sunt Christum, qui est Caput & Princeps hujus Civitatis: & posteà Judæi, & Tyranni persecuti sunt eam in Apostolis & Martyribus: posteà Hæretici vexarunt, & persequuntur etiam per sectam Mahumeticam: & affligetur in fine per *Anti-Christum.*

Tota ergo ista Civitas cum Principe suo Christo introducitur ad loquendum in Psalmo; & conqueritur apud Patrem, pe- H tens ultionem de suis inimicis affligentibus eam. Et ita pariter tota ista *Civitas*, quæ est Ecclesia, introducitur ad loquendum in hoc Psalmo, agens Deo gratias; eò quòd abstraxit, & liberavit eam à solicitudine mundanorum, & rerum temporalium,

lium, & conſtituit eam in bonis ſpiritualibus gratiæ, & in ſpe futurorum bonorum gloriæ. In quo Pſalmo quatuor facit. Nam primò petit bona ſpiritualia. Secundò, increpat Cives terrenos ut deſiſtant à perſecutione juſtorum, & exhortatur ut ſequantur bona ſpiritualia. Tertiò, removet quamdam cavillationem. Quartò, agit gratias, quia rejectis temporalibus, conſtituit eam in bonis ſpiritualibus. Secunda ibi: *Filii hominum.* Tertia ibi: *Multi dicunt.* Quarta ibi: *Dediſti lætitiam.*

Pſalmi diviſio.

Quantum ad primum eſt notandum, A quòd tota juſtitia hominis, quâ acquiritur Regnum Cœlorum, conſiſtit in tribus, ſcilicet, in munditia cordis, & operatione bonorum, & patientia in adverſis propter Deum. Unde iſta tria maximè debemus quærere à Deo. Et ideo ait Salvator, *Matthæi 6. Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus &c.* Sed *primùm quærite Regnum Dei, & juſtitiam ejus.* Hanc ergo petit in primis David ſimul cum tota Eccleſia in principio hujus Pſalmi *Cùm invocarem, exaudivit me Deus juſtitiæ meæ.* Alia littera habet: *Cùm invocavero, exaudi me Deus.* B Littera verò *Hieronymi* habet: *Invocantem exaudi me Deus.* Et tunc littera eſt plana abſque figura. Et eſt ſenſus: O *Deus juſtitiæ meæ*, id eſt, in quo conſiſtit tota mea juſtitia, exaudi me invocantem te: vel, cum invocavero te, dando mihi juſtitiam, ſcilicet, patientiam in adverſis, & munditiam in corde; ut ſine peccato poſſim meritoriè operari. Iſta ergo tria peto à te, ſcilicet, primò, *In tribulatione dilataſti mihi*; & ponitur præteritum pro futuro, ſive pro imperativo: id eſt, dilata, & corrobora mihi animum & cor *in tribulatione*, largiendo patientiam in adverſis, ut valeam perſecutiones, & cætera adverſa æquo animo tolerare. Secundò, C *miſerere mei*, peccata mihi remittendo, & in gratia confirmando, ut poſſim bene operari. Tertiò, *exaudi orationem meam*, Regnum Cœlorum largiendo. Unde nota, quòd iſta prima particula redditur difficilis ſecundùm noſtram Translationem, propter mutationem perſonæ. Sed forſan non eſt ſine myſterio. Unde poteſt eſſe talis ſenſus, referendo ad diverſa, ut dicat Eccleſia: *Cum* ego *invocarem* ſub Lege veteri per Patriarchas & Prophetas, tunc *Deus juſtitiæ meæ exaudivit me*, mittendo Filium ſuum in carne: & converſa Eccleſia ad Chriſtum dicit: Tu Domine *in* illa *tribulatione dilataſti mihi* cor & animum, dando legem libertatis & gratiæ. Et ideo *miſerere mihi*, peccata remittendo per gra- D tiam: *Et exaudi orationem meam*, Regnum Cœlorum largiendo &c. & patientiam in adverſis contra perſecutores conferendo. Et poſtquam liberaſti me à peccato, libera me à perſecutione impiorum.

Juſtitia hominis, qua acquiritur Regnum.

Filii hominum. In hac ſecunda parte Eccleſia increpat Cives terrenos & mundanos, ut deſiſtant à perſecutione juſtorum, & exhortatur eos ad colendum Chriſtum, & Legem ejus, contemnendo terrena, & appetendo bona ſpiritualia. Unde dicit: O *Filii hominum, uſquequò* eritis malivoli & crudeli corde contra me? Ut quid? id eſt, qualiter diligitis vanitatem, ſcilicet, ſuperbiam, & avaritiam bonorum mundanorum, quæ ſunt vana & corruptibilia; *& quæritis mendacium*: ſcilicet, vos Judæi falsò gloſſando Sacras Scripturas ve- E teris Teſtamenti, litteraliter præcisè intelligendo: Et vos Gentiles, idola & falſos deos colendo: Et vos Saraceni, turpem ſectam Mahumeticam obſervando: Et vos Hæretici, falſa dogmata ſeminando, ſimplices decipiendo. *Scitote*, id eſt, volo quod ſciatis, quia *Dominus* Pater *mirificavit* Chriſtum *Sanctum ſuum*, & ipſum tanquam verum Deum, & Redemptorem, & Legislatorem in mundum miſit. Et ideo ego colo eum, & ejus Legem Euangelicam ſervare decrevi, & in ipſo ſpem meam conſtitui. Et ideo ipſe *Dominus* Jeſus F Chriſtus *exaudiet me*, *cum clamavero ad eum*, & liberabit me de manibus & perſecutionibus veſtris. Et ideo ſi *iraſcimini*, id eſt, ſi aliquando fuiſtis irati contra me, & perſecuti me; tamen jam amplius *nolite peccare*: ſed deſiſtite à perſecutione; & *quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini*, id eſt, ſi aliquando dixiſtis, & propoſuiſtis in cordibus, & ſecretis penetralibus veſtris facere malum: tamen non deducatis ad effectum; ſed reſiſtite malis tentationibus, & cogitationibus; & *compungimini in corde*, pœnitentiam agendo; & cognoſcentes veritatem, recipite Legem Euangelicam, quæ docet omnem veritatem, & prohibet om- G ne malum fieri, & exhortatur ad omne bonum. Et ſic ſervantes Legem Euangelicam, *ſacrificate ſacrificium juſtitiæ*, ſcilicet, ſacrificium Euchariſtiæ, quod de ſe eſt juſtum & bonum, juſtificans omnia. Et etiam *ſacrificate ſacrificium juſtitiæ*, id eſt, offerte Deo cor mundum, & contritum, & humiliatum, in quo conſiſtit tota juſtitia hominis: *& ſperate in Domino*, id eſt, ponite ſpem veſtram in Domino, & non in rebus temporalibus, ſed in bonis ſpiritualibus, in Euangelica Lege promiſſis, qui vos beatos & felices facient.

Increpatio malorum.

Multi dicunt &c. Hìc reſpondet quæſtioni, quam homines mundani faciunt, & dicunt: *Quis oſtendit nobis* iſta *bona* futura, quæ Chriſtus promittit? Quaſi dicant: H quomodo contemnemus iſta bona temporalia, quæ videmus & poſſidemus, præ illis quæ non videmus, nec cognoſcimus? quaſi dicant, quòd fatuum eſſet hoc facere &c. Ad hoc reſpondet Eccleſia, quòd *ſignatum eſt lumen vultus Dei ſuper nos*: per quod *lumen* poſſumus credere, & prænoſ-

Nota.

noscere ista bona spiritualia : & exponitur ut supra.

Dedisti lætitiam in corde meo. Ista est quarta pars hujus Psalmi. Ad cujus intelligentiam est advertendum , quòd sicut *Fides* est quædam Virtus Theologica desuper infusa , quâ mens elevata & confortata credit , & assentit rebus supernaturalibus , & non visis : & *Charitas* est alia virtus infusa , quâ voluntas elevatur ad diligendum Deum super omnia : ita pariter *Spes* est quædam virtus infusa , quâ contemptis terrenis , spiritualia bona & invisibilia appetuntur & expectantur.

Quid est Spes?

Secundò est advertendum , quòd hæc est differentia inter hominem justum & pravum. Nam homo pravus quantuncunque potens & dives sit , licèt gerat lætitiam in facie propter affluentiam bonorum temporalium : tamen semper gerit tristitiam & terrorem in corde , timens futurum judicium & punitionem , accusante eum conscientia sua ; & etiam quia timet perdere bona temporalia quæ possidet: & ideo continuus timor non sinit ipsum esse felicem : per oppositum homo justus, licèt aliquando gerat tristitiam & fletum in facie propter persecutionem malorum; tamen semper gerit *lætitiam* & gaudium *in corde* : eò quòd expectat gloriam & præmium propter mala , quæ patienter tulit , & fert propter Deum. De hac ergo *lætitia*, & *spe* agit hîc gratias tota Ecclesia, scilicet , quia recepit fidem & spem , per quam contemnit temporalia , & appetit, & expectat bona futura spiritualia. Et ideò dicit Ecclesia : gratias ago , ò Domine, supple ; quoniam *dedisti* hanc *lætitiam in corde meo.* Quoniam ipsi homines mundani *multiplicati sunt* , & locupletati *à fructu frumenti* , *& vini* , *& olei* , & aliorum temporalium. Sed ego habens hanc spem & lætitiam *in corde meo* de bonis futuris absque sollicitudine temporalium, simul *dormiam* , *& requiescam in pace* & quiete : & hoc faciam ; *quoniam tu Domine singulariter me in* tali *spe constituisti.* Item , ipsi qui abundant talibus divitiis in hoc sæculo ; tamen post finem *tanquam oves in inferno positi sunt* , *& mors* æterna *depascet eos* , *Psalmo* 48. Ego autem post hanc vitam *dormiam* simul , *& requiescam* in illa pace & fruitione cœlesti. Eò quòd tu *constituisti me* in hac vita *in spe*, contemnendo terrena , & appetendo illa cœlestia. Nam illa cœlestia dantur in præmium fidei , & spei , & charitatis , quam hîc habuimus.

Differentia inter hominem Justum & pravum.

Unde est advertendum , quòd ad hunc intellectum , & secundum istam secundam expositionem legit Ecclesia hunc Psalmum quotidie ad Completorium in principio noctis , eò quòd diabolus & civitas ejus semper machinatur ad malum contra Civitatem Dei & Religionem Christianam: ideò orat Ecclesia , ut defendat eam ab iniqua persecutione , & malitia illorum. Legit etiam hunc Psalmum in persona cujuslibet Martyris & Confessoris , eò quòd pro Christo passus est , & laboravit in hac vita, contemnendo terrena , & appetendo cœlestia , & in spe futuræ beatitudinis vixit.

Nota.

Ex toto ergo isto Psalmo possunt recolligi quinque conclusiones.

Prima conclusio : quòd Judæi multipliciter poterant cognoscere Jesum Christum esse Messiam in Lege promissum. Primò , quia Deus Pater mirificaverat ipsum in operatione miraculorum. Secundò, quia doctrina ejus erat vera , & non vana. Tertiò , quia semper fuit exauditus à Patre. Et per consequens Judæi non debebant *gravi corde* persequi Christum.

Judæi poterant cognoscere Christũ.

Secunda conclusio : quòd omnibus hominibus est insertum & signatum *lumen naturale* , per quod quis potest discernere inter bonum & malum , & cognoscere tria principia moralia , scilicet : *omne malum fugiendum , & omne bonum agendum : & quod tibi vis fieri , alteri fac: & nullum bonum irremuneratum , & nullum malum impunitum.*

Tertia conclusio : quòd præter lumen naturale fuit signatum super populum Judaicum *lumen* Sacræ Scripturæ, Patriarchis & Prophetis revelatum , per quod poterant magis cognoscere Deum, & discernere inter bonum & malum, & desiderare humanam redemptionem, & cognoscere Christum esse Messiam in Lege promissum per opera quæ faciebat.

Quarta conclusio : quòd præter *lumen propheticum* est signatum super populum Christianum *lumen Euangelicum*, per quod cognoscit omnia mysteria & vaticinia veteris Testamenti completa per Christum , & per quod cognoscit , spem nullo modo esse ponendam in hoc mundo , sed in sola futura beatitudine.

Quinta conclusio : quòd Civitas Dei, scilicet , Christiana Religio differt à civitate terrena ratione finis : nam cum cæteræ nationes mundanæ constituant finem suum & ponant spem suam in bonis temporalibus : tamen sola Religio Christiana contemptis hujusmodi temporalibus , ponit spem suam in futuris bonis spiritualibus, & æternis.



PSALMUS V.

1 *Verba mea auribus percipe Domine : intellige clamorem meum.*

28.diſ. c. Sedulo. Et de Conſe. diſ. 5. non mediocriter.

TITULUS hujus Pſalmi ſecundùm Hebræos eſt : *Ad victoriam ſuper Hanehilot, Pſalmus David. Hieronymus*, autem tranſtulit : *Victori ſuper hæreditatibus, canticum David. Rabbi* autem *Salomon*, qui in Regno Franciæ *ſuper Pſalterium, & totum vetus Teſtamentum* ſcripſit anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo, qui conatus eſt pervertere Scripturas, ad litteram dicit, quòd *nehilot* eſt æquivocum ad *hæreditates* in plurali, & ad *quoddam inſtrumentum muſicum*, cum quo cantabatur iſte Pſalmus: ideo ly *nehilot* ponitur pro utroque in eodem titulo. Sed licèt hoc poſſit eſſe verum, quia nullam contradictionem inducit litteræ, & ſententiæ hujus Pſalmi: tamen in nullo intendo eum, nec alios Rabbinos Judæorum ſequi : eò quòd magis dubitant in titulis, & in cæteris rebus litteralibus, quam Catholici ; & plures diverſæ opiniones & controverſiæ ſunt inter eos, quam inter nos in hujuſmodi. Et ratio eſt : nam iſtæ cærimoniæ cantandi fuerunt aliquo modo deperditæ : immò poſt incenſam Hieruſalem per Romanos, & diſperſionem Judæorum per mundum, nunquam uſi ſunt hujuſmodi cærimoniis. Ideò totaliter fuerunt deletæ à memoria & ſcripturâ eorum. Et ſic neſciunt quid dicunt in his, & in cæteris, nec procedunt niſi per conjecturas, & falſas fictiones. Ideò magis eſt credendum Translationi & Interpretationi ipſorum *Septuaginta*, qui præceſſerunt adventum Chriſti ; & Interpretationi *Hieronymi*, qui fuit paulò poſt adventum Chriſti, quam fictionibus Thalmudiſtarum, & modernorum Rabbinorum, qui totaliter conantur pervertere ſcripturas, & ſenſum earum. Et ſic nolo amplius terere tempus in vacuum in eorum dictis, ſed in omnibus ſequi Interpretationem *Septuaginta*, & *Hieronymi*, quia fuerunt tunc benè & latè examinatæ.

Sequendo ergo eos in hoc Titulo, & in cæteris : per hoc quod dicitur, *ad victoriam*, ſive *victori*, prænotatur, quod iſte Pſalmus David cantabatur cum toto conatu vocum, elevando vocem uſque ad ultimum punctum & finem : eò quòd Lex vocabat Chriſtum, ut dictum eſt. Per hoc quod dicitur, *in finem* : prænotatur, quod iſte Pſalmus dirigit omnes in Chriſtum, qui eſt finis Legis. Nam per primum adventum eſt finis Legis veteris, & per ſecundum, finis Legis Euangelicæ : in primo, ad ſalvandum & redimendum ; in ſecundo, ad glorificandum, & præmiandum. Et ſic iſte Pſalmus, & cæteri cantabantur in utraque Lege ; ſed diverſo modo finis, ut dictum eſt.

Hæreditas Domini ſecundum Judæos.

Sed per hoc quod additur *Pro ea quæ conſequitur hæreditatem*, eſt notandum, quod Judæi vocant *hæreditatem Domini* totam terram promiſſionis à *Dan* uſque ad *Berſabee*, quæ eſt pars *Syriæ Meridionalis*. Nam ab Oriente clauditur montibus Idumææ, ſcilicet, *Galaad*, & *Faſga*, & *Petræ* : ab Occaſu autem terminatur mari noſtro ; ab Aquilone vero *monte Libano*, & *Hermone magno*, qui interjacet inter *Damaſcum*, & *Ituræam*; ab *Auſtro* vero terminatur deſerto *Cades*, & *Pharam*. Et ſic tota terra Promiſſionis eſt clauſa prædictis terris, cujus longitudo à *Dan*, ſcilicet, à *monte Libano* uſque ad *Berſabee*, ſunt centum ſaxaginta milliaria : latitudo verò à mari noſtro, ſcilicèt, à *Joppe* uſque ad *Baſan* & ad montem *Abarim*, & *Faſga*, ſunt quaſi quinquaginta tria milliaria. In hac terra putant Judæi cæci ſitam ſuam ſpem & felicitatem ; eò quòd data fuit eis & diviſa per *Joſue* poſt exitum de *Ægypto*. Et totum deſiderium eorum, & finalis ſpes eſt, hanc terram poſſidere & inhabitare : & hæc eſt oratio eorum jugis & quotidiana. Ideò *Rabbi Salomon*, & cæteri dicunt, quòd David fecit hunc Pſalmum orando Deum pro hac hæreditate conſervanda, & ab inimicis liberanda. Et ſic faciebat, hunc Pſalmum in templo, ſive in Tabernaculo per Levitas cantari cum hujuſmodi inſtrumento *Nehilotis &c.* Et ſic ſicut cæci ſunt & carnales, non ſapiunt niſi carnaliter, & temporaliter. Et ideò non eſt credendum, quòd David, per quem Spiritus ſanctus locutus eſt propheticè, pro re tam vili & tranſitoria feciſſet hunc Pſalmum; & nec ad hoc indiguiſſet lumine Spiritus ſancti, nec eſſet Propheta : cujus contrarium dictum eſt.

Ideò nos, *quibus datum eſt noſſe myſterium Regni Dei*, aliter debemus hoc intelligere. Ideò eſt notandum, quòd poſtquam *Adam* perdidit hæreditatem paradiſi, & ejectus eſt ab eo, Deus dedit totum mundum ipſi, & poſteris in hæreditatem terrenam, & Legem Divinam in hæreditatem ſpiritualem ; eò quòd per illam erant conſecuturi cœleſtem hæreditatem. Sed quia poſt *Adam* fuit diviſum genus humanum in duas civitates & ſocietates, ut dictum eſt *Pſalmo præcedenti*: ideò tota Civitas Dei, ſive ſocietas fidelium Legem Divinam obſervantium, dicitur *hæreditas Domini* & populus electus peculiaris, eò quòd ſunt conſecuturi cœleſtem hæreditatem, & pertinent ad illam. Cæteri autem dicuntur, *diaboli hæreditas*, cujus ſupplicio ſunt ſubjiciendi.

Hæreditas Domini ſunt Fideles.

Ex quo patet, quòd sola Ecclesia est *hæreditas* Domini ab *Adam* & *Abel* usque ad ultimum electum ; ut ait *Augustinus* , & *Gregorius* , quæ quidem Ecclesia licèt sit una essentialiter ab *Adam* usque ad judicium , eò quòd vivit sub una fide Christi & charitate ; tamen differt accidentaliter , secundùm diversos status , & diversa sæcula, & secundùm minus perfectum , & magis perfectum. Nam totam suam perfectionem in hoc mundo possibilem adepta est per Christum : ultimam autem perfectionem adipiscetur in judicio, ut dictum est. Et ideo pro hac hæreditate conservanda in gratia, & præservanda à malis futuris & peccatis, & liberanda à præsentibus, continuè oravit, & orat Ecclesia.

Et sic est intelligendus iste Titulus, scilicet, quod David fecit hunc Psalmum orando pro ea *Civitate Dei* , scilicet , *Ecclesiâ*, quæ consequitur hæreditatem spiritualem hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. Et præcepit ipsum cantari *ad victoriam vocum*, eò quòd vocabat Christum ad primum adventum, ut daret hæreditatem hîc per gratiam ; & semper vocat ipsum ad secundum adventum, ut conferat hæreditatem gloriæ cœlestis. Et sic dirigit nos in finem , qui est Christus. Ex hoc apparet materia hujus Psalmi, scilicet, quod David introducit Ecclesiam loquentem in hoc Psalmo, & orantem pro seipsa, ut Deus conservet eam in gratia , & liberet eam à malis temporalibus: quæ quidem Ecclesia durat ab *Adam* usque ad judicium ; & est diffusa ab Ortu usque ad Occasum per universum orbem: vel loquitur ipse David tanquam membrum Ecclesiæ in persona totius Ecclesiæ.

Secundum ergo hunc intellectum duo facit David in hoc Psalmo. Nam primò introducit *Civitatem Dei* , scilicet , *Ecclesiam* petentem liberari per Christum à persecutione diaboli & membrorum ejus. Secundò , prædicit fines utriusque Civitatis, scilicet, supplicium malorum , & gloriam, & præmium bonorum ; ibi : *Judica illos Deus.* Quantum ad primum , *Ecclesia* primò proponit suam petitionem exaudiri, captando benivolentiam. Secundò explicat suam petitionem , ibi : *Rex meus* , sive, *Quoniam ad te orabo.* Dicit ergo Ecclesia ad Caput suum , & Regem Christum : O Domine Jesu-Christe *percipe verba mea auribus* benignis : & *intellige clamorem meum :* & quia tu es *Rex meus* , *& Deus meus* , *intende voci orationis meæ.*

Ut petitio impleatur tria necessaria.

Unde est notanter advertendum, quòd tria sunt necessaria ad hoc quod petitio impleatur , scilicet , quod Judex , sive benefícus præbeat aures benignas petenti , ut cum patientia audiat. Secundò , ut discernat & intelligat *verba* , & *clamorem* petentis : ut videat , si petit justum , & justè. Tertiò , ut liberaliter intendat , & annuat, & sit propitius petenti petitionem , votum ejus adimplendo. Et ideo propter primum dicit , *verba mea auribus percipe Domine*, id est , aures benignas verbis meis & accommoda , & præbe. Propter secundum dicit , *intellige* : id est , discerne clamorem meum , scilicet , an sit justus , an injustus. Propter tertium dicit,

2. *Intende voci orationis meæ, Rex meus , & Deus meus.*

De Cons. dist. 1. c. Numquã.

Intende , id est , annue *voci orationis*, & petitionis meæ , tu qui es *Rex meus* per gubernationem , & *Deus meus* per creationem. Unde quando in Scriptura scribitur *Rex* , & *Deus* , semper intelligitur Christus, qui est Deus , & homo , & Caput , & Rex Ecclesiæ , & Civitatis Dei, quam gubernat & regit.

3. *Quoniam ad te orabo : Domine mane exaudies vocem meam.*

1. q. 1. c. Ipsi Sacerdotes.

Quoniam *ad te orabo.* Hîc explicat tempus , & opportunitatem , & modum suæ petitionis. Unde est advertendum secundùm *Augustinum* , quòd sicut Sol per suam præsentiam causat diem & lucem in nostro hemisphærio , in qua luce omnia videntur & discernuntur à nobis ; & per suam absentiam causat noctem & tenebram , in qua res non possumus discernere : ita pariter Christus , qui est *Sol justitiæ* per suam præsentiam causavit, & portavit lucem in adventu suo , & dedit Legem Euangelicam , in qua videmus & discernimus veritatem omnium , quæ latebant in cærimoniis Legis veteris. Et sic Lex vetus ab *Adam* usque ad Christum dicebatur *nox* , ut ait *Apostolus* , *ad Rom.* 13. *Nox præcessit , dies autem appropinquavit &c.* Et ideo *Abraham* , & *Moyses* , & *David* , & omnes Patriarchæ & Prophetæ , & universaliter tota *Civitas Dei* ambulabat in nocte ante adventum Christi. Et sic expectabat diem , & lucem venturam per Christum , ut in ipso discernere posset veritatem , quæ latebat in *nocte* , sive in umbrâ Legis. Et sic Lex vetus appellat tempus Messiæ *diem* , & *manè* , & sic nos appellamus tempus Legis veteris , *noctem* præteritam , quæ præcessit. Unde *Abraham exultavit ut videret* diem istum , ut patet *Joann.* 8. Et ideo *David* , qui erat in illa nocte , & expectabat diem Christi , sive *manè* , dicit in persona totius Ecclesiæ illius noctis : O Domine Jesu-Christe, quoniam tu es *Rex meus* , *& Deus meus* laturus diem & lucem super terram , ideo *manè* , id est , in tuo adventu , ego *orabo te*, &

& tu exaudies vocem meam, & petitionem contra diabolum, & Civitatem terrenam: quoniam in nocte Legis non potui exaudiri, ideo exaudies me in *manè*, ſcilicet, tempore gratiæ, me à diabolo, & membris ejus per tuam Paſſionem liberando. Unde eſt petitio mea, ut habitem tecum in Civitate tua, ſcilicet, in hac Eccleſia per gratiam, & des mihi lumen Legis Euangelicæ, ut videam veritatem. Et tunc quoniam *aſtabo tibi*, & juxta; in lumine Euangelico videbo omnem veritatem, quam in nocte non potui clarè videre: & quid videbo? ſcilicet, *quoniam tu non es Deus volens iniquitatem*, ſed juſtitiam, & æquitatem; & quia *non habitabit juxta te malignus*, in tua Civitate hîc per gratiam, nec in futuro per gloriam. A

Notandum, quòd in Hebræo, & in Translatione *Hieronymi* totus iſte Pſalmus videtur diſcordare à Translatione noſtra in combinatione verſiculorum. Unde ſic ordinatur verſus in Hebræo. *Dicta mea attende Domine, intellige meditationem meam. Auſcultа vocem deprecationis, Rex meus, & Deus meus: quoniam ad te orabo. Domine manè præparabo ad te, & contemplabor. Quoniam non volens iniquitatem tu es: nec habitabit juxta te malignus.* Ex quibus patet, quòd tertius verſus incipit in ly *Domine manè exaudies*, & quartus verſus incipit in ly, *quoniam non Deus volens iniquitatem &c.* Sed iſta noſtra Translatio ipſorum *Septuaginta* fuit confuſa vitio Scriptorum apud Græcos, ut ait *Hieronymus*. Et ideo quandoque confundit ſententiam. Unde ſecundùm litteram *Hieronymi* clarior apparet ſententia, & diviſio hujus Pſalmi, in quo memorantur iſtæ duæ Civitates, & fines earum. B

Nota. Unde eſt advertendum, quòd David in ſpiritu prævidit diſcurſum hujus *Civitatis Dei*. Unde primò prævidit in ſpiritu, qualiter hæc Civitas non poterat habere ſuam perfectionem, niſi per adventum Chriſti, qui erat laturus diem & lucem; & per conſequens deſiderium, & orationes Prophetarum & Patriarcharum non poterant audiri, niſi per Chriſtum in tempore gratiæ: quia tunc debebat ſortiri effectum ſuum: & tunc tota *Civitas Dei* erat viſura veritatem Legis per Chriſtum: quia *in lumine Chriſti omnes eramus viſuri lumen*, ut patet per omnes Prophetas. Secundò prævidit, quos & quales Cives debebat Chriſtus in ſuam Eccleſiam & Civitatem congregare; & quos & quales excludere. Tertiò, prævidit fines diverſos iſtarum duarum Civitatum. Et ideo tria facit in hoc Pſalmo. Nam primò in perſona Eccleſiæ illius ſtatûs orat, ut veniat Chriſtus in carne ad viſitandum ſuam Civitatem, ut orationes ſuæ exaudiantur, & in lumine diei Chriſti videat veritatem eorum, quæ latebant in Lege veteri. Secundò prædicit, C D

quos & quales Cives congregavit Chriſtus in Eccleſia, & quales excludet. Tertiò, prædicit diverſa præmia, & diverſos fines harum duarum Civitatum. Secunda ibi: *Quoniam non Deus volens iniquitatem.* Tertia ibi: *Judica illos.* Prima jam declarata eſt per ea quæ dicta ſunt. Nam dicit Propheta in perſona totius Eccleſiæ pro illo ſtatu: O Domine Jeſu-Chriſte, & Meſſia, *percipe verba mea auribus* tuis benignis, & *intellige clamorem meum.* Et O *Rex meus, & Deus meus &c.* Et ſubdit tempus opportunum, in quo eſt exaudiendus, dicens: *Manè exaudies vocem meam.* Quaſi dicat: O Domine, veni in carne, & porta illum diem & *manè* gratiæ, ut in illo exaudias vocem meam. Quia E

Diſt. 78. Fratrem, 11. q. 3. cap. Æſtimant.

4. *Mane aſtabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

MANE, ſcilicet, in tempore gratiæ *aſtabo tibi, & videbo*, id eſt, habitabo tecum in Eccleſia, & videbo, & contemplabor te. Et ſic videbo omnem veritatem, quæ latebat in nocte & umbrâ Legis: quia tunc ambulabo ſicut in die, poſtquam nox præceſſerit. F

Sequitur ſecunda pars: *Quoniam non Deus volens:* in qua prædicit, qui ſunt excludendi ab Eccleſia. Secundò, qui ſunt introducendi; ibi: *Ego autem in multitudine.* Ad primum dicendum, quòd quinque conditiones hominum excluduntur, ſive erant excludendæ ab Eccleſia in adventu Chriſti, à quibus petit liberari, ſcilicet, maligni, injuſti, mendaces, viri ſanguinum, & homicidæ, & ſuſurrones, qui incitant ad effundendum ſanguinem; & doloſi, ſive deceptores. Ideo dicit: O Chriſte, cum veneris ad congregandos filios diſperſos ad Eccleſiam, & Civitatem tuam, non congregabis malos, ſed bonos. *Quoniam tu es Deus non volens*, nec diligens *iniquitatem*, ſed æquitatem, G

De Pœn. d. 1. Num quid Cain & 93. diſt. cap. Diaconi.

5. *Neque habitabit juxta te malignus: neque permanebunt injuſti ante oculos tuos.*

HOMO malignus *non habitabit juxta te* in Eccleſia, & Civitate tua; nec injuſti, & violenti, & petulantes manebunt *ante oculos tuos*: eò quòd tu es juſtus & æquus. Ideo

22. q. 2. cap. 2. & de Pœnit. d. 5. Fratres.

6. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem : perdes omnes qui loquuntur mendacium.* A

25. dist. c. Unum orarium, §. Alias.

7. *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus : ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.*

ODISTI, & abjecisti *omnes qui operantur iniquitatem*, & injustitiam. Item, quia tu es verax, ideo *perdes omnes qui loquuntur mendacium* : quoniam Dominus *abominabitur*, id est, tanquam malum omen, & monstrum abjiciet ab Ecclesia & domo sua omnem *virum sanguinum*, & omnem *dolosum*. B

Officium mendacis

Unde nota, quòd *officium mendacis* est zizaniam & discordias seminare ; ex quibus sequuntur homicidia, & effusiones sanguinis. Ideo per *virum sanguinum* non solùm intelligit homicidam, sed omnem susurronem, & seminatorem discordiæ, & causatorem effusionis sanguinis. Secundum officium mendacis est, alios decipere, & defraudare : & talis dicitur *dolosus*. Unde hos, scilicet, *virum sanguinum & dolosum abominabitur* Christus, & excludit ab Ecclesia sua hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. Unde hoc prævidens Propheta in spiritu, dicit : *Virum sanguinum &c.* quia isti tales pertinent ad civitatem & societatem diaboli.

Ego autem. Hîc incipit versus in Hebræo, & sententia secundùm veritatem : ubi Ecclesia, sive populus Dei, & corpus mysticum gaudet, & dicit se esse electum à Christo, & introductum in Ecclesia, & non abjectum & reprobatum, sicut prædictæ conditiones hominum. Ideò dicit: C

Dist. 11. cap. Ecclesiasticar. 12. q. 2. c. Cum devotissimâ. 24. q. 3. Cum aliquis.

8. *Introibo in domum tuam : adorabo ad Templum sanctum tuum in timore tuo.*

9. *Domine, deduc me in justitia tua : propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.*

10. *Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.* D

EGO *autem in multitudine misericordiæ tuæ*, id est, secundùm multitudinem misericordiæ tuæ : quia elegisti me, non meis præcedentibus meritis, introibo in domum tuam, & Ecclesiam : *& adorabo* te *ad Templum sanctum tuum*, vivendo in timore tuo filiali. Et sic non ero *malignus*, neque *injustus*, neque *mendax*, nec *vir sanguinum*, nec *dolosus*. Ex his oste- E dit Propheta, quòd non ex nostris meritis, sed ex sua benignitate & misericordia nos prædestinavit in hæreditatem suam, & ex misericordia nos elegit Deus ad Ecclesiam suam, & præservavit & liberavit per gratiam, ne essemus *maligni*, nec *injusti*, nec *mendaces*, nec *viri sanguinum*, nec *dolosi* : quia *non est volentis, neque occurrentis, sed miserentis*; *ad Romanos* 9. Et ideo subdit : *Deduc me Domine in justitia tua*, id est, in Lege tua Euangelica, quæ est *via* ad vitam, & *dirige viam meam*, id est, omnes actus, & operationes meas, *in conspectu tuo*, id est, ne devient, nec recedant à voluntate tua : sed omnia fiant secundùm Legem, & voluntatem tuam ; & sint accepta in conspectu majestatis tuæ. Et hoc fac F propter inimicos meos, scilicet, diabolum, & membra ejus, qui continuè pugnant contra me, & tentant & conantur me decipere, & in peccatum deducere, & à via tua retrahere & separare. Et hoc faciunt, *Quoniam non est in ore eorum veritas* ; & sic volunt me dolo decipere : & etiam quia *Cor eorum vanum est* per superbiam, & avaritiam : & sic volunt alios opprimere & affligere.

Infra 13. dist. 2. ad Rom. 3. c. b.

11. *Sepulchrum patens est guttur eorum : linguis suis dolosè agebant : judica illos Deus.*

G GUTTUR *eorum* est sicut *sepulchrum* apertum & *patens*, plenum cadaverum, emittens fœtorem intolerabilem : quia sic isti emittunt, & evomunt fœtorem blasphemiæ, & mendacii. Et ideo *dolosè agebant*, id est, loquebantur dolosè linguis suis pollutis, ut me deciperent, & in ignominiam deducerent. Et ideo tu Domine Jesu Christe *deduc me in justitia tua, & dirige viam meam in conspectu tuo propter inimicos meos* : ut non sim particeps in peccatis, & moribus eorum ; sed libera me ab eis, gratiam conferendo : quia sine te nec possum malum vitare, nec bonum agere, nec à persecutionibus inimicorum liberari.

Deinde subdit : *Judica illos Deus.* Post- H quam superiùs Propheta per modum orationis prædixit, qui erant eligendi per Christum ad Ecclesiam, & qui pertinent ad Civitatem Dei, & qui ad civitatem diaboli, à quibus petiit liberari : nunc in hac tertia parte prædicit diversos fines harum duarum Civitatum. Nam primò prædicit punitionem & supplicium malorum. Secundò, præmium & felicitatem justorum, ibi : *Et lætentur omnes &c.* Ad primum ergo di-

dicit: O Deus, postquam cives diaboli sunt ita injusti, & maligni, & mendaces, & dolosi, & blasphemi: ergo judica, & puni eos secundùm opera & demerita eorum. Et

A

DePœ.di. 1. Medicina de Pe. di. 3. Quid ergo turbamur

12. *Decidant à cogitationibus suis: secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.*

DECIDANT *à cogitationibus suis*, ut non possint explere malas cogitationes & desideria sua, nec possint nocere justis fidelibus tuis. Et *expelle eos, secundùm multitudinem impietatum* & peccatorum *eorum*; quia non merentur habitare in hac tua Ecclesia per gratiam, nec in superna per gloriam. Et *quoniam irritaverunt* & contempserunt te, & Legem tuam Euangelicam. Et ideo sicut recesserunt à via, & Lege tua; ita non merentur pervenire ad ejus terminum, quæ est vera & cœlestis beatitudo.

B

Ecclesiastici 2. & Rom. 5.

13. *Et lætentur omnes qui sperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.*

HIC describit, & prædicit, & petit finem, & præmium justorum & bonorum, scilicet, hæreditatem, & felicitatem in cœlo promissam. Unde nota secundùm Apostolum 1. *ad Corinth.* 25. C & *Apoc.* 21. quòd tota gloria & præmium sanctorum erit, quia Deus, scilicet Christus, Deus & Homo *habitabit in hominibus* beatis per gloriam. Et sic *erunt omnia in omnibus*: quia per partem rationalem fruentur divinitate, & per sensus corporeos fruentur humanitate. Et sic lætabuntur *ad intra*, & exultabunt *ad extra*: & sic eorum gloria erit perfecta. Dicit ergo Propheta: O Domine, *lætentur* lætitia & gaudio interiori & exteriori *omnes qui sperant*, & ponunt spem suam *in* D *te*, & *in æternum exultabunt* in videndo humanitatem tuam, & in tali exultatione laudabunt te. Et talis exultatio proveniet eis, quoniam *habitabis in eis*, & ipsi in te in civitate tua cœlesti.



E

14. *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices justo.*

De Pœ. dist. 2. c. Charitas est.

15. *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.*

Prima q. 1. c. 1. de Conse. di. 4. c. Nec quãquã.

GLORIABUNTUR, & beatificabuntur omnes qui diligunt nomen tuum: quia gloria eorum erit, ut tu habites in eis, & ipsi in te. Et tota ista gloria proveniet eis: *quoniam tu benedices justo*, conferendo gratiam in hac vita, ut possint vitare malum, & facere bonum. Et hæc gratia fuit, quoniam *tu Domine coronasti*, & vallasti, & circuisti, & protexisti *nos scuto bonæ voluntatis tuæ*, ut liberaremur F ab omni malo, & faceremus bona. Unde hoc non habet homo ex meritis suis, sed ex bona voluntate, & gratiâ tuâ: quia *non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*, volentis hominem ad justitiam eligere, & scuto bonæ voluntatis vallare & armare.

Triplicitèr ergo potest exponi iste Psalmus, uno modo propheticè, prout David prævidit, hæreditatem & civitatem Dei affligendam per inimicos, & tyrannos, & hæreticos, de quibus petit liberari. Secundo potest exponi pro quolibet Martyre: quia communiter justi affliguntur à pravis. Tertio potest exponi in persona cujuslibet defuncti existentis in Purgatorio, petentis ex illis pœnis liberari. Et sic legitur in *Agenda defunctorum.* G

PSALMUS VI.

1. *Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.*

Infra, q. 6 de Pœ. di. 1. c. Porro, §. Item à mortuo. Infra, 37

2. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* H

TITULUS secundum Hebræos, *Ad victoriam in organis super octavam, Psalmus David.* Secundum verò *Septuaginta*, *In finem Psalmus David pro octava.* Hieronymus: *Victori in Psalmis David super octavam.* Per supradicta patet concordia diversitatis dicendi in hoc Titulo. Nam omnes explicant, quòd David fecit hunc Psalmum. Sed in Hebræo explicatur modus cantandi: quia cantabatur

tur cum toto conatu gradatim elevando vocem usque super octavam vocem: & ratio est. Nam hic Psalmus habet decem versus : ergo si in quolibet versu successivè elevabant vocem per punctum , sequitur quòd ascendebant super octavam usque ad decimum punctum ; & hoc cum organis. *Septuaginta* verò explicant personam , ad quam nos dirigit iste Psalmus, scilicèt , in Christum , qui est finis Legis. *Hieronymus* verò explicat etiam personam , cui dirigitur iste Psalmus , scilicet , ipsi Christo , qui intelligitur per *David* mysticè , & secundùm interpretationem. A

De materia hujus Psalmi.

Sed est inquirendum de materia hujus Psalmi. De qua est etiam altercatio apud Hebræos. Nam quidam dicunt, quod David fecit hunc Psalmum postquam cognovit , se peccasse contra *Uriam*. Alii dicunt , quod fecit hunc Psalmum , quando misit Deus illam ingentem pestilentiam per totam Hierusalem propter peccatum numerationis populi , ut patet 2. *Reg.* 24. Et secundùm hunc intellectum dividunt hunc Psalmum in duas partes. Nam in prima explicat David suam devotam petitionem : in secunda , ibi : *discedite à me omnes* , ostendit se esse exauditum à Deo, & peccatum sibi remissum. Et sic exponunt istum Psalmum litteraliter , prout David petit , ne Deus arguat , nec puniat ipsum cum furore , & petit misericordiam , allegando suam fragilitatem. Sed licèt prædicta expositio sit satis conveniens & conformis litteræ hujus historiæ , sive mysterii : tamen non explicat intentum Prophetæ , nec mysterium clausum in illa historia , nec evacuat intelligentiam Psalmi secundum Fidem Catholicam , nec aperit intellectum Christianorum : quia si sic manet merè litteralis : tunc erit inutilis ; quia non diriget nos in Christum, & sic maneret inanis & vacua. Nam non minùs David fuit Propheta illustratus Spiritu sancto in hoc Psalmo , quam in cæteris. Et ideò non est sistendum in litteratura sola ; sed oportet , quod exponatur moraliter ad intentionem Prophetæ & secundum intellectum ad quem legit ipsum Ecclesia , ut verè in Christum dirigatur. B C

Not. quomodo David in tribulatione clarebat intelligentia.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd David in illa pestilentia vidit in spiritu totum mysterium peccati ipsius *Adam*, & qualiter propter illud peccatum totum genus humanum erat , & fuit vulneratum, & percussum pestilentiâ peccati originalis, & concupiscentiâ peccati mortalis , à qua pestilentia non poterat liberari , nisi per Christum. Unde per hoc quod Angelus ex præcepto Domini percussit totum populum à *Dan* , usque *Bersabee* , & interfecit septuaginta millia virorum , intellexit mysticè , qualiter ex sententia Domini in *Adam* , fuit percussum & mortuum totum genus humanum per septem climata mundi , & omnes septuaginta linguas, morte corporali & spirituali : & per hoc quod illa pestilentia duravit tribus diebus, intellexit in spiritu , quod pestilentia peccati *Adæ* erat duratura per tres ætates usque ad Christum venturum. Et per hoc quod Angelus apparuit in area *Jebusei*, qui erat de populo Gentili , & Deus præcepit , quod ibi ædificaret altare Domino, ubi postea ædificavit Templum *Salomon*, intellexit David , & prævidit in spiritu, quod Ecclesia erat ædificanda , & congreganda in populo Gentili , & Synagoga repudianda. Item per hoc quod David emit illam aream pretio quinquaginta siclorum , prævidit in spiritu , quòd pestilentia peccati non poterat aboleri nisi à Christo , & pretio sanguinis quinque vulnerum & flagellorum. Et per hoc quòd præcepit Dominus offerri ibi holocausta pacifica &c. prævidit , qualiter nostrum peccatum non poterat remitti , nec poteramus Deo pacificari , nec conciliari , nisi Christus Rex pacificus offerret se ipsum Patri in Cruce in holocaustum pacificum , pro toto populo. Et sic debebat nobis culpa dimitti , & etiam pœna peccati remitti. Hoc ergo prævidens David in spiritu in illo mysterio , fecit hunc Psalmum , & dedit ipsum Levitis cantandum cum toto conatu vocum , semper gradualiter ascendendo , & elevando vocem usque super octavam ; ad denotandum , quòd ille populus clamando vocabat Christum , ut veniret ad delendam pestilentiam peccati per suam Mortem & Passionem , & remitteret nobis culpam ante octavam diem , scilicet , ante Judicium. Et sic patet , quòd iste Psalmus dirigit nos in finem , qui est Christus , cujus regnum fuit in octava die , scilicet , post Resurrectionem. Et hæc est propositio, quam aperit nobis in hoc Psalmo. D E F G

Ex quo patet , quòd non est sistendum in littera. Nam David bene sciebat, quod peccatum suum , & peccatum totius mundi non poterat remitti nisi per Christum , in cujus fide salvati sunt omnes antiqui , ut patet per primum principium propositum *in Prologo*, *tractatu* 3. & ostendit *Magister* 3. *Sententiarum dist.* 94. Est ergo dicendum quòd David fecit hunc Psalmum , non solum in persona sui , sed etiam in persona ipsius *Adam*, à quo traximus omnes infirmitates , & naturam corruptam , & omnes causas peccandi : & per consequens non solum fecit hunc Psalmum in persona solius *Adam*, sed etiam in persona totius corporis mystici. H

Duplex expositio.

Et ideo dupliciter exponemus Psalmum istum : primo propheticè & mysticè de peccato communi totius mundi , causato

sato in *Adam*. Secundò, exponemus ipsum moraliter pro quolibet peccatore pœnitentiam agente. Ideo secundùm primam expositionem duo facit David in hoc Psalmo. Nam primò in persona totius corporis mystici petit, peccatum totius mundi per Christi adventum aboleri. Secundò, gaudet per Christum se esse Redemptum: ibi, *Discedite à me*. Quantum ergo ad primum est notandum, quoniam sicut sententia data à Deo super populum Israël propter peccatum *David*, fuit punitus populus; ita pariter sententia data in *Adam*, quâ punitum est totum genus humanum, dicta est etiam *furoris*, & *iræ*, eò quòd peccatum *Adæ*, imputatum est omnibus posteris, tam masculis, quàm fœminis, & omnes exules fuimus, & ad duplicem mortem condemnati: & sic omnes facti fuimus *filii iræ*, & *filii vindictæ*: à quâ irâ & vindictâ non poteramus liberari nisi per Christum *mediatorem Dei*, & *hominum*, ut demonstrat Apostolus per totam *Epistolam ad Romanos*, & *Galatas*, & *Hebræos*: hoc ergo prævidens David in spiritu, dicit: O Domine precor *ne arguas me in furore tuo*, id est, ne damnes me secundùm sententiam, quam *in furore* promulgasti in *Adam*, & in omnes ejus posteros; *neque corripias me in ira tua*, sed in misericordia: sed *miserere mei*, Filium tuum in carne mittendo, qui per mortem & Passionem mitiget *iram & furorem tuum*, & liberet nos à sententia mortis, per te data, & nos tibi reconciliet. Et possunt etiam dirigi verba ista ad Christum Deum & Hominem, dicendo: Domine Jesu-Christe miserere mei: id est, subleva me ab hac miseria: *quoniam infirmus* & vulneratus *sum* in omnibus potentiis, & fomite concupiscentiæ sauciatus; in tantum, quòd sum pronus ad cadendum in malum, & infirmus & debilis ad resistendum. Et ideo tu *Domine*, qui es verus medicus, *sana me* in virtute Passionis tuæ, & Ecclesiasticorum sacramentorum. *Quoniam ossa mea &c.* id est, interiora conscientiæ sunt *turbata*, & omnes vires sunt ablatæ.

28. q. 1. c. Omnes.

3. *Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine usquequò?*

TOTA *anima mea* cum omnibus suis viribus *est conturbata*. Nam *invenio legem in membris meis repugnantem legi mentis, & captivantem me in lege peccati*. Et sic *quod nolo, illud ago*, & quod vellem facere, non facio. A qua captivitate & morbo hujus corporis nemo potest liberari, nisi gratiâ tuâ; & ideo *sana me &c.* Sed tu Domine, qui solus hoc facere potes, *usquequò*, tardabis venire, supple. Et *usquequò* differs adventum tuum, ut redimas nos? Et ideo *Domine convertere*. Nam tu fuisti aversus à nobis postquam fui ejectus à paradiso. Ideo nunc

Dist. 56. c. Diaconus.

4. *Convertere Domine, & eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.*

5. *Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?*

CONVERTERE ad nos per Incarnationem: *& eripe animam meam* per Mortem & Passionem: & quia tu es Jesus, & Salvator, ideo *salvum me fac*, non propter meritum, nec justitiam meam, quæ nulla est; sed propter misericordiam tuam: quia tu es pius, & misericors, & innocens sine peccato: ideo tu solus me potes salvare & mundare. Hoc fac; quoniam si non salvaveris me, descendam in Infernum in perpetuam mortem, ubi non te potero laudare: *quoniam non est in morte* infernali *qui sit memor tui*. Nam *in inferno quis confitebitur tibi*? Quasi dicat, Nullus.

De Pœ. di. 1. c. Perfecta in glo.

6. *Laboravi in gemitu meo: lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.*

HIC allegat suam pœnitentiam, & labores, ut magis moveat Deum ad misericordiam, & veniat ad salvandum genus humanum. Unde est advertendum, quòd iste *homo mysticus*, postquam ejectus est cum furore à paradiso, semper peregrinatus est inter inimicos, tam visibiles, quàm invisibiles, à quibus passus est persecutiones, & tribulationes. Nam dictum est, quod diabolus est caput Civitatis terrenæ, & Synagogæ Satanæ, & omnes pravi & Pagani sunt membra ejus. Et sic per se, vel membra sua semper persecutus est Ecclesiam, & *Civitatem Dei*, ut patet per omnes ætates ab *Adam* usque ad Christum, & usque ad Judicium. Unde Civitas Dei, sive iste *homo mysticus*, semper *in gemitu* continuo *laboravit* in fletu expectando Christum, ut veniret ad redimendum & liberandum ipsum: ideo hìc allegat laborem continuum, & *gemitum suum*, ut moveat Christum ad misericordiam

Diabolus est caput malorum.

ricordiam, & veniat. Ideo dicit: O Domine Jesu-Christe, Messia Lege promissus, *usquequò* differs adventum tuum? quia ab Adam hucusque *laboravi in gemitu meo*, patiendo persecutiones: primò tentationes diaboli. Secundò, vexationes membrorum ejus. Quia occisus fui in *Cain*, & vexatus per aquas diluvii, & vexatus in *Abraham* in *Ur Chaldeorum*. Et sic peregrinando in terram *Chanaam*, semper passus sum labores in *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob* à *Chananæis*. Item fui afflictus in *Ægypto* per centum & octoginta annos. Postea fui afflictus in terra promissionis tempore *Judicum*, & Regum à finitimis. Item fui captivus *in Babylonia* per septuaginta annos. Et postea fui flagellatus per *Antiochum* tempore *Machabæorum*. Et diabolus & membra ejus *sæpe expugnaverunt me à inventute mea* in corpore & anima usque nunc. Et sic semper *laboravi in gemitu meo*, in tantum quòd tam crebris laboribus afflictus, *lavi lectulum meum per singulas noctes* flendo & plorando, & *rigavi stratum meum lacrymis meis* affluentibus præ dolore. Et notanter dicitur *per singulas noctes*, & non per singulos dies. Nam totum tempus Legis veteris ante adventum Christi fuit nox & tenebra: quia nondum ortus fuerat *sol justitiæ*. Et ideo totum genus humanum erat in nocte peccati. Item *nox* in Scriptura etiam sumitur pro tempore adversitatis. Et sic *Civitas Dei* semper fuit in nocte persecutionum. Item per *lectulum*, & *stratum* intelligitur *caro* & *sensualitas infirma*, & *sauciata* in Adam, in qua tamquam in lecto jacebat anima nostra ægrota, & infirma. Et sic dicit *Augustinus*, quòd *magnus descendit de Cœlo medicus: quia magnus in lecto jacebat ægrotus. Sed Christus medicus tetigit lectulum nostræ infirmitatis, carnem assumendo, & in ea patiendo, & sanatus est ægrotus.* Hic ergo *lectulus*, in quo iste homo mysticus *rigabat* & lavabat, flendo & gemendo *per singulas noctes* peccati & adversitatis, expectando medicum Christum. Ideo subdit:

Nota.

9. q. 3. c. Aliorum.

7. *Turbatus est à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.*

TURBATUS *est oculus meus à furore* sententiæ tuæ datæ in *Adam:* quia ratio erat turbata per sensualitatem, & caro infirma, in tantum quòd judicabat *bonum malum, & malum bonum.* Et licèt cognoscat veritatem, tamen non potest operari sine gratia Dei propter legem membrorum repugnantem &c. Et sequitur, *inveteravi inter omnes inimicos meos.* Quasi dicat, quòd in tali infirmitate & peccato inveteravi captivus *inter omnes inimicos meos* ab Adam usque ad Christum.

8. *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.*

HÆC est secunda pars principalis, in qua ostendit se exauditum, & sanatum per adventum Christi. Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd Christus in suo adventu multipliciter ejecit diabolum. Nam primò ejecit eum ab animabus hominum per baptismum, & pœnitentiam in virtute suæ Passionis. Secundò, ejecit eum à corporibus obsessis. Tertiò, ejecit ipsum à toto populo Gentili, in quo habitabat per idololatriam: de qua triplici ejectione dicitur *Zachariæ* 13. *In illa die erit patens fons domui David in ablutionem peccatoris, & menstruatæ: & dispergam nomina idolorum de terra.* Item *Joann.* 12. *Princeps mundi hujus ejicietur foras.* Et hoc est quod dicit hîc David in persona totius corporis mystici: O vos omnes *qui operamini iniquitatem*, tàm diabolus, quàm membra ejus, *discedite à me*: quia licèt diu me in captivitate, & peccato, & afflictione tenueritis: tamen venit jam Christus Salvator & Redemptor, qui vos ejiciet foras per baptismum, & pœnitentiam, & prædicationem. Et sic in me non habebitis amplius partem: *quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei*, & omnium Patriarcharum, & Prophetarum, qui diu Christum expectaverunt. Ideo dictum est per *Gabrielem, Exaudita est oratio tua; Lucæ* 1. Item, *Responsum accepit Simeon à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini*: ideo cum tenuit eum in ulnis, dixit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum, in pace: quia viderunt oculi mei, salutare tuum.* Item *Zachar.* dixit: *Benedictus Dominus Deus Israël; quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Item *Beata Virgo Maria* dixit, *Magnificat anima mea Dominum: quia suscepit Israël puerum suum &c.* In persona ergo omnium istorum justorum, qui viderunt adventum Christi, & in persona totius Ecclesiæ dicit David: *Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Et

Matth. 7. & 20. & *Luc.* 15.

Christus multipliciter ejecit diabolū.



9. *Exau-*

38.diſt.c. Sedulo.

9. *Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.* A

Differētia inter orationem & deprecationem.

PER adventum ſuum. Eſt autem differentia inter *orationem*, & *deprecationem*. Nam per *orationem* petimus nobis gratiam elargiri: ſed per *deprecationem* petimus peccata remitti, aut ex aliqua tribulatione liberari. Et ſic Chriſtus ſuſcepit orationem Prophetarum, & Eccleſiæ juſtorum, quando venit in carne. Sed exaudivit deprecationem, cum omnibus peccata remiſit, & diabolum foras ejecit. Et ideo ſequitur:

De Pœnitentia, di. 2. §. Quod verò.

10. *Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubeſcant valde velociter.* B

AD cujus intelligentiam eſt advertendum, quod quando quis poſſedit tyrannicè aliquam poſſeſſionem, non ejicitur ab ea, nec privatur ſine magna confuſione & erubeſcentia. Et ideo diabolus qui poſſidebat totum genus humanum per peccatum originale & actuale, & populum Gentilem per cultum & idololatriam, non ſine grandi confuſione, & violentia ejectus eſt per Chriſtum ab animabus per Baptiſmum, & à corporibus obſeſſis per nomen Jeſu, & à populo Gentili per prædicationem Apoſtolorum & Baptiſmum. C Et ideo dicit *homo myſticus* per Baptiſmum liberatus: *Erubeſcant, & conturbentur vehementer*, id eſt, cum erubeſcentia & confuſione recedant à me diaboli *inimici mei* in virtute Baptiſmi Chriſti. Et *erubeſcant valde velociter*, id eſt, ejiciantur *velociter* vehementi virtute Chriſti ab animabus, & corporibus obſeſſis, & à populo Gentili, quem per idololatriam poſſidebant. Et nota, quod diabolus non ſolum recedit confuſus, quia privatur tali poſſeſſione; ſed etiam quia detegitur iniquitas ſua, & detecta eſt per Chriſtum. Item magis etiam confunditur, quia videt, quod homo per Baptiſmum & humilitatem eſt poſſeſſurus felicitatem, quam D ipſe per ſuperbiam amiſit. Et ideo ejicitur cum grandi erubeſcentia & confuſione. Ideò in *Catechiſmo* dicitur: *Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam, & recede ab hoc famulo Dei &c. Et da honorem Omnipotenti Deo, & verò, & Jeſu-Chriſto Filio ejus &c.*

Diabolus recedit cōfuſus.

Item dicit: *Erubeſcant valde velociter*: quia velociter & in inſtanti ejicitur culpa per Baptiſmum, & introducitur gratia. Item totum hoc poteſt referri ad Judæos inimicos Eccleſiæ, & ad tyrannos perſecutores ejus. Unde dicit Eccleſia: *Diſcedite à me omnes inimici mei: quo-* E *niam Dominus* Jeſus Chriſtus *exaudivit deprecationem meam*, & liberavit me de manibus veſtris &c. Ideo Judæi Chriſti crucifixores *erubeſcant*, *& conturbentur*, *& confundantur*, cum videant ipſum à mortuis reſurrexiſſe, & in Cœlum aſcendiſſe, & Spiritum ſanctum in Apoſtolos miſiſſe: & Principes, & Scribæ, & Phariſæi confundantur & convincantur ab Apoſtolis idiotis & ſimplicibus, oſtendentibus, & probantibus per Scripturas, Chriſtum eſſe Deum & Meſſiam in Lege promiſſum, & à mortuis reſurrexiſſe. Hæc profecto prophetia fuit impleta *Actor* 2. *&* 3. *&* 4. ubi Petrus, & alii Apoſtoli F confuderunt Judæos & Scribas, & converſi ſunt de populo quatuor millia. Ideo ſubdit: *Convertantur* populi ad Chriſtum, & Scribæ, & Phariſæi *erubeſcant*, *& confundantur valde velociter*. Item populi Gentilium cognita eorum deceptione, & viſa veritate, converſi ſunt ad Fidem; ſed diabolus ejectus foras *valde velociter*, converſus eſt retrorſum in Infernum; & Judæi obſtinati *converſi ſunt* retrorſum, *confuſi* in ſua cæcitate & malitia. Et ſic unuſquiſque *converſus eſt* ſuo modo *cum erubeſcentia*, ſcilicet, nos ad Fidem Chriſti; illi ad cæcitatem & malitiam. Tota ergo ſententia hujus Pſalmi eſt, quòd David fecit hunc Pſalmum in perſona ipſius *Adæ*, à quo traximus omnes infirmitates, & naturam corruptam, & cauſas peccandi: & dirigit ipſum in Chriſtum, G ut veniat ad ſanandum ipſum, & totum genus humanum in hac ſeptima ætate vitæ noſtræ, in qua eſt miſericordia cum juſtitia: & non differat *arguere ipſum in furore*, & *in ira* octavæ ætatis, ſcilicet, uſque ad univerſale Judicium, quæ dicitur octava ætas, in qua fiet Judicium *in furore*, & *in ira* ſine miſericordia contra improbos.

SENSUS MORALIS amplificatio.

SED quia finis David in hoc Pſalmo non ſolùm fuit prædicere propheticè H univerſalem remiſſionem peccatorum futuram per Chriſtum, ut oſtenſum eſt ſecundùm prædictam expoſitionem; ſed etiam ut doceret nos agere pœnitentiam exemplo ſui, cùm in aliquo Deum offendimus, ut furorem & iram Dei mitigemus, & veniam mereamur, ſicut ipſe meruit. Ideo Pſalmus iſte inter Septem Pſalmos Pœnitentiales primus per Eccleſiam deſignatur:

& sic tripliciter legit ipsum Ecclesia. Primò in diebus Dominicis ad Matutinas, & principaliter ad sensum propheticum, eo modo quo expositus est, ut nos in Fide Christi confirmet, & nos jam remissionem peccatorum per Christum recepisse cum A gratiarum actione lætificet. Secundò legitur in diebus ferialibus Quadragesimæ post Matutinas genibus flexis pro pœnitentibus, in quantum nos docet agere pœnitentiam. Et sic legitur ad sensum moralem, ut Deus nobis dimittat culpam, & remittat pœnam. Tertiò legitur in legenda & Officio Defunctorum; ut Deus remittat pœnam existentibus in Purgatorio. Quibus jam per pœnitentiam dimissa fuit culpa; quia cum charitate decesserunt. Et ideo consentaneum arbitror istum Psalmum moraliter exponere pro pœnitentibus, & ad devotionem fidelium, ut discant, & cognoscant discursum pœnitentiæ: eò quòd hunc librum exponendum suscepi ad instantiam B simplicium Presbyterorum, & devotionem Fidelium. Ideo non pigeat lectorem iterum moralem Expositionem legere: quoniam hic Psalmus, & cæteri referti sunt mysteriis, & multiplici thesauro sapientiæ, ad quem hauriendum & explendum vires humanæ non sufficiunt.

Nota 7. Ætates merendi.

Secundùm ergo hunc intellectum primo est notandum, quod tam in mundo, quàm in homine computantur septem ætates vitæ, & operationis meriti, vel demeriti. Nam prima fuit ab *Adam* usque ad diluvium. Secunda usque ad *Abraham*. Tertia usque ad *Moysen*. Quarta usque ad *David*. Quinta usque ad destructionem primi Templi. Sexta usque ad Christum. Septima usque ad Judicium. Ita in homine C prima ætas dicitur infantia. Secunda pueritia. Tertia adolescentia. Quarta juventus. Quinta virilitas. Sexta senectus. Septima decrepitus. Et sic istæ septem ætates dicuntur *septem dies mundi* & *hominis*. Et sic tempus quod erit post Judicium, dicitur *octava dies mundi*, & tempus post mortem cujuslibet hominis dicitur *octava dies* ejus. Itaque septem dies, tam mundi, quàm hominis, dicuntur tempus operandi & merendi. Sed octava dies, scilicet, post Judicium, vel post mortem, dicitur tempus puniendi, vel præmiandi unumquemque, prout gessit. Ideo ait Christus *Joann. 9. Oportet operari donec dies est: veniet nox, quando nemo potest operari.* Item *Augustinus* in *Enchiridio* di-D

August.

cit, quod *tempus acquirendi vitam æternam in hac vita Deus hominibus tantum dedit, ubi voluit pœnitentiam esse fructuosam: quia potest homo depositâ malitiâ, & mutatâ voluntate simul opera quoque mutare: sed post hanc vitam nulla erit venia, nec meritum, sed pœna aut præmium.* Ex quo patet, quòd tempus ab *Adam* usque ad Judicium dicitur tempus misericordiæ & pœnitentiæ, & totum tempus vitæ hominis usque ad mortem: sed post mortem uniuscujusque, sive post Judicium, nec est locus pœnitentiæ, nec misericordiæ, sed judicii & pœnæ pro malis, & E felicitatis pro bonis: & ideo dies Judicii, quæ dicitur *octava dies mundi*, non dicitur dies misericordiæ pro impœnitentibus; sed dies *furoris & iræ*, eò quòd sine misericordia dicetur impœnitentibus & damnatis: *Ite maledicti in ignem æternum.* Ac idem tempus post mortem impenitentis dicitur dies *furoris*, *& iræ:* quia non est amplius orandum pro eo: quia peccavit usque ad mortem, & decessit sine pœnitentia & charitate.

Secundò est notandum, quòd de jure naturæ sicut nullum bonum est irremuneratum, ita nullum malum impunitum. Et ideo omne peccatum, vel habet puniri in hoc sæculo per pœnitentiam, delendo F culpam, vel in alio per perpetuam pœnam. Et sic qui in hoc sæculo non delet culpam per pœnitentiam, oportet quòd puniatur in alio sæculo in æternum pœnâ æternâ cum ira & furore Dei sine misericordia: quia tunc diabolus dicitur victor: ideo punitio peccati in hac vita dicitur *punitio misericordiæ*: punitio verò post vitam dicitur *punitio iræ*. Et sic semper est orandum, ut puniamur hîc per misericordiam, ne differamus puniri in alia per furorem & iram. Ideo David orat infra *Psalm.* 12. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: & dicat inimicus meus, prævalui adversus eum &c.* Item *Augustinus*: *Hîc ure, hîc seca Domine, ut in æternum parcas.* Vi-G dens ergo David, quòd in hac vita est tantum pœnitentia fructuosa, & quòd post hanc vitam non est misericordia pravis impœnitentibus: ideo in hoc Psalmo orat Deum, ut remittat sibi culpam in hac vita, in una istarum septem ætatum; & non servet sibi punitionem in octavam diem, scilicet, in judicio, vel post hanc vitam, qui dicitur *dies iræ & furoris*. Ideo præcepit ipsum Psalmum cantari cum instrumento musico octo chordarum: per quod figurat totum discursum hujus vitæ & sæculi usque ad Judicium, & *diem furoris &c.* Item præcepit ipsum cantari *ad victoriam vocum*: ad denotandum, quanto cum conatu debet peccator invocare Divinam misericordiam, ut sibi remittat H culpam: & quomodo cùm peccator convertitur & obtinet veniam, vincitur diabolus, & pœnitens remanet victor contra diabolum, eò quòd ejecit ipsum de anima sua, quam per culpam possidebat.

Quomodo peccatum punitur.

Secundùm ergo hunc intellectum est dicendum, quòd David fecit hunc Psalmum, ut ultra sensum propheticum nos moraliter dirigeret in finem, qui est Chris-

tus,

tus, & in finem vitæ noſtræ, putà, quòd non moriamur cum obſtinatione, & finali impœnitentiâ; ſed in hac vita conemur totis viribus agere pœnitentiam, & ſemper invocare Divinam miſericordiam, ut A det nobis locum, & tempus pœnitentiæ, & ne differamus pœnitentiam in diem octavam, id eſt, in diem mortis, & in diem Judicii. In quo duo facit: nam primò dat ordinem pœnitentiæ. Secundò ibi: *diſcedite*; oſtendens ſe exauditum, deſcribit effectum pœnitentiæ, quæ eſt remiſſio peccati.

Tres ſunt partes pœnitentiæ.

Quantum ad primum eſt advertendum, quòd tres ſunt partes pœnitentiæ, ſcilicet, *cordis Contritio*, *oris confeſsio*, *operis ſatisfactio*: ideo tria facit. Nam primò oſtendit *contritionem* cordis. Secundò, confitetur peccatum. Tertiò, oſtendit ſe feciſſe ſatisfactionem. Secunda ibi, *Miſerere*. Tertia ibi, *Laboravi*. Quantum ad primum eſt notandum, quòd B triplex ſit Judicium de peccato. Primum dicitur *Judicium pœnitentiæ*. Secundum *Judicium obſtinationis*. Tertium *Judicium publicæ condemnationis*. Primum fit in hac vita, ubi ſolum eſt locus pœnitentiæ: quia hîc Deus dedit poteſtatem Sacerdotibus de tali Judicio pertractando. Secundum Judicium fit poſt mortem peccatoris: quia tunc ſi peccator moritur obſtinatus in peccato, tunc anima deſtinatur ad infernum uſque ad diem generalis Judicii. Primum dicitur *Judicium miſericordiæ*. Secundum dicitur *Judicium iræ*: eò quòd *cum furore* fiet executio peremptoria peccatoris ad pœnam æternam. In primo judicio judicatur in corpore & anima ſecundùm quantitatem peccati & oſtenſionem contritionis. In ſecundo judicatur in anima tantum. In tertio vero in corpore & anima C ad pœnam æternam.

Et eſt talis lex, quòd qui judicatur in hac vita judicio miſericordiæ & pœnitentiali, evadit ſecundum & tertium judicium. Sed qui non judicatur in hac vita judicio miſericordiæ, oportet de neceſſitate quod judicetur *judicio iræ & furoris* in die octava &c. Ideo David cupiens vitare illa duo judicia, ſcilicet, *iræ & furoris*, petit judicari in hac vita *judicio miſericordiæ & pœnitentiæ*. Ideo ait: Domine rogo, *ne arguas me* judicio furoris tui in finali judicio, *neque corripias in ira tua* poſt hanc mortem: quaſi dicat: Corrige me in hac vita *judicio miſericordiæ & pœnitentiæ*, & remitte peccata mea. Ne arguas me in finali judicio D *cum furore*, & poſt mortem meam *cum ira tua*, ne moriar obſtinatus. Et hoc pertinet ad contritionem cordis.

Diffinitio pœnitentiæ.

Unde eſt primò notandum ſecundùm *Auguſtinum*, quod *pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe quod dolet commiſiſſe*. Ex quo patet, quòd dolor peccati commiſſi præcedit in pœnitentia ipſa; qui quidem dolor dicitur *cordis contritio*, quæ eſt prima pars pœnitentiæ: qui quidem provenit ex duobus. Nam priE mò peccator ex gratia præveniente cognoſcit ſe peccaſſe contra Deum ſummum bonum. Et ſic deteſtatur, & abominatur peccatum, & convertitur ad Deum: & tunc conſiderat pœnam ſibi debitam ex reatu. Et ſic incutitur ipſi timor futuri judicii: tunc ex tali timore, & ex amore Dei prorumpit in dolorem: & ſic ex duobus provenit ei talis dolor. Primò ex ingratitudine commiſſa contra Deum. Secundò ex timore Divinæ vindictæ, & *iræ* & *furoris* Divini Judicii. Et ſic cum tali dolore proponit amplius non peccare. Sed precatur Deum, ne puniat eum *in ira* & *furore* per juſtitiam, & ſic proponit confiteri. Et iſta eſt prima pars pœnitentiæ, quæ dicitur *contritio*. Ideo ait: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in* F *ira tua corripias me.*

Quid ſit ira & furor, & an ſint in Deo?

Secundò eſt notandum, quòd *ira* & *furor* ſunt animi paſſiones, ſive affectiones. Nam *ira eſt appetitus vindictæ ex accenſu ſanguinis circa cor, propter parvipenſionem*, ut patet *primo de Anima, & lib. de Motu animalium*, furor autem *eſt executio talis vindictæ ſine miſericordia propter iram*. Ex quo patet, quòd tales paſſiones non poſſunt poni in Deo formaliter; ſed dicuntur tales paſſiones de Deo quaſi effectivè, & non ut paſſiones, ſed ut effectus: quia in judicio dabitur damnatis talis ſententia ſine miſericordia, qualis datur ab homine irato & furioſo. Et ſic talis ira & affectio non erit in Deo: ſed erit effectus *iræ* & *furoris* in damnaG tis; quibus dicetur: *Ite maledicti &c.* Item talis ſententia non dabitur à Deo cum ira, ſed cum ſumma juſtitia, quam homo non poteſt exequi ſine ira, quæ dicitur paſſio. Et ſic Angeli exequuntur tales ſententias abſque ira, ut inquit *Auguſtinus 9. de Civitate Dei, cap.* 5. quæ quidem materia declarabitur *Pſalm.* 11. & ſub tali intellectu dicit David: *Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.* Et eſt quædam figura grammaticalis *Antropopathos*, quando paſſiones hominis attribuuntur Deo.

Tertiò eſt notandum propter hoc quòd dicit, *Ne arguas, neque corripias*, quòd ſæpe in Sacra Scriptura ponuntur iſta quattuor verba, ſcilicet, *arguere*, *corripere*, *flagellare*, & *caſtigare*, quæ H differunt ratione finis. Nam *caſtigare* idem eſt quod *caſtum reddere*, 3. *Ethicorum*: *flagellare* idem eſt quòd *propter aliquod flagitium caſtigare*. Et ſic finis flagellationis & caſtigationis eſt, ut à vitio flagitioſus deſiſtat, & convertatur ad virtutem. Ideo nemo caſtigatur, aut flagellatur ad mortem; ſed ut bonus fiat, & vi-

Quid ſit caſtigare?

vat. Ideo ait David *Psalm.* 117. *Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me*: ideo *non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini &c.* A Sed *arguere*, ut plurimum, significat *crimen mortis alicui improperare*, & propter ipsum ad mortem destinare. Et communiter convenit judicio examinationis, ut patet *Psalm.* 49. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Corripere* verò dicitur à *con* & *rapio*, quasi simul rapere: & hoc convenit condemnato ad mortem: quia simul rapitur, & corripitur à tortoribus, & clauditur, & ducitur *ad tenebras exteriores &c.* Et sic *Corripere* dicit executionem ipsius criminosi jam arguti, & examinati, & rei: quæ quidem correptio non fit sine ira & furore. Sed *flagellatio*, & *castigatio* fit cum misericordia, quia non est ad mortem; sed ordinatur ad bonam vitam. B

Quid sit arguere?

Quid sit corripere?

Quid sit flagellare?

Nota qua druplicite ter Deus flagellat, seu castigat.

Et sic Deus quadrupliciter consuevit flagellare, sive castigare quosdam, ut eorum patientiam probaret, ut *Job*; quosdam ad augmentum meritorum, ut *Tobiam*: quosdam ad custodiam virtutum, ne in superbiam eleventur, ut *Paulum, secundæ ad Corinth.* 12. quosdam ad pœnitentiam: & sic flagellavit & castigavit *David* propter peccatum *Uriæ*, ut castum redderet: & flagellavit eum propter peccatum numerationis populi, ut patet 2. *Reg. ult.* Et sic castigavit omnes pœnitentes; quæ quidem castigatio & flagellatio facta iiis quatuor modis, dicitur facta cum misericordiâ. Quia castigat Deus ad tempus, ut eripiat hominem à morte æterna. Et sic Confessor est arbiter in foro pœnitentiali, & flagellat, & castigat pœnitentem pœnâ temporali, ut eruat ab æterna morte. C Ex quo patet, quòd pœnitentiam agere, nihil aliud est, nisi causam suam ad judicium, & forum pœnitentiale deducere, & à judicio futuro retrahere. Et ideo ait *Augustinus* in *lib. de Pœnitentia*, quòd *peccator peccata sua defleat, & futurum judicium per pœnitentiam præveniat.* Et sic pœnitere nihil aliud est, quàm futurum judicium prævenire, & ab ira & furore futuri judicii aufugere. Et ideo cùm dicit David: *Domine ne in furore tuo &c.* nihil aliud intendit dicere, nisi: Domine flagella & castiga me in hac vita per pœnitentiam & misericordiam, quocumque istorum quatuor modorum: *ne corripias & arguas* in futuro judicio *in furore & in ira*: quia sicut pœnitentiam agere, nihil aliud est, nisi à judicio & foro iræ & furoris declinare; eò quòd pœnitentiam agens declinat à curia & foro furoris & iræ, ad curiam & forum misericordiæ: ita nolle agere pœnitentiam, & in peccato obstinari, nihil aliud est, nisi examen, & pœnam ejus ad judicium furoris reservare. Unde ait *Apostolus ad* D

Quid sit pœnitere?

Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens* E *cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera sua &c.* Ideo ait *Augustinus*: *Domine hîc ure, hîc seca, ut in æternum parcas.* Et sic ait Propheta: *Domine ne in furore &c.*

Miserere mei &c.

HIC ponit secundam partem Pœnitentiæ, quæ est *Confessio* peccatorum. Et sic hîc confitetur peccatum suum, dicens: *Miserere mei &c.* Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd peccatum reddit hominem miserum propter duo. Primò, quia infirmat animam & to- F tum corpus. Secundò, quia contrahit animam quoad omnes potentias. Primum patet: nam peccator est in ira Dei ad pœnam æternam destinatus: & non potest esse major miseria, quam esse in ira Dei: sicut non est major felicitas, quam esse in ejus amore. Et sic quoad totum expectat miseriam & pœnam, scilicet, quoad corpus & animam. Item ex luxuria, & gula non solum infirmatur anima, sed etiam corpus: hoc idem facit invidia, & odium; quia totaliter urunt carnem: otium autem torpere facit corpus. Et sic ex peccatis proveniunt etiam infirmitates corporales in corpus, & animam. Secundò, peccatum inducit perturbationem; quia perturbat rationem & potentias, ne libere faciant operationes suas: immò sunt om- G nes pronæ ad malum, & infirmæ ad bonum faciendum. Nam *peccatum quod per pœnitentiam non deletur, mox per sui pondus in aliud trahit*, ut ait *Gregorius*: quia ex malo habitu pervertitur judicium rationis, & peccator judicat *bonum malum, & malum bonum.* Et sic voluntas trahitur ad pravum appetitum sensitivum; & sic efficitur quasi bestialis; in tantum, quod in omnibus actibus suis peccator dicitur miser, & infirmus, & conturbatus, immò perversus. Ideo ait hîc David: *Miserere mei Domine*, id est, sublevа miseriam meam, *quoniam infirmus sum* in corpore, & in anima propter peccatum: *sana* ergo *me Domine* per Sacramentum Pœnitentiæ, culpam & pœnam relaxando, & me tuâ H gratiâ fortificando: *quoniam conturbata sunt ossa mea*, id est, interiora mea, & vires meæ, & potentiæ, tam sensitivæ, quàm rationales: & tota *anima mea*, scilicet, vita, & appetitus sensitivus, sive tota sensualitas, & voluntas *turbata est valde*, & ligata propter peccatum: quia hucusque fuit aversa à bono incommutabili, qui est Deus, & conversa ad bonum commutabile, scilicet, ad mundana.

Peccatum reddit hominē miserum.

Peccatum turbat.

Un-

Nota de Ratione.

Unde eſt advertendum, quòd ſicut *oſſa* ſunt fundamentum totius corporis: ita *ratio* eſt fundamentum ſuſtentans, & regens totum hominem: & ſicut fractis oſſibus dicitur totus homo fractus, & invalidus: ita perturbatâ ratione, dicitur totus homo perturbatus. Et ſic pars rationalis hominis dicitur *oſſa* totius hominis & fundamentum. Sed quia per peccatum infirmatur, & perturbatur ratio: ideo dicit, *quoniam infirmus ſum*, & *conturbata ſunt oſſa mea*, id eſt, vires rationis. Et ſic anima mea tota quoad omnes partes, ſcilicet, quoad ſenſualitatem, & vitam, & rationem, *turbata eſt valde* & infirma. Nam ſicut infirmus redditur invalidus, nec valet ſe ſuſtentare, ſed frequenter ruit, & cadit, & ſcandalizatur, & offenditur à quolibet lapide & calculo; immò offendit omnes lapides: ita homo peccator ex uno peccato ruit & cadit in aliud, tanquam infirmus, & invalidus, & turbatus. Nam ex gula, & otioſitate cadit in luxuriam; & ex luxuria in zelum & invidiam æmulorum. Et ſic ruit in odium, & homicidium, & etiam in ſortilegia, & blaſphemias, & infidelitatem. Item ex ſuperbia cadit in invidiam, & odium: quia non vult pati majorem, nec æqualem. Et ſic ruit ad furta, & homicidia &c. Item ex peccato avaritiæ ruit in rapinam, & uſuram, & ſimoniam, & invidiam, & odium, & homicidium &c. Ex quo patet, quòd peccatum reddit hominem miſerum, & perturbat rationem, & animam. Quæ quidem infirmitates non poſſunt ſanari, niſi per pœnitentiam. Ideo ait, *ſana me Domine quoniam infirmus ſum &c.*

44. di. c. Quælibet.

Sed tu Domine uſquequò? &c.

SED quia nemo poteſt agere pœnitentiam niſi per miſericordiam Dei, & gratiam prævenientem, ut patebit infra *Pſalm.* 58. *Miſericordia ejus præveniet me*; nam oportet, ut Deus illuminet peccatorem, ut cognoſcat peccatum ſuum, & deteſtetur ipſum, & convertatur ad Deum, & petat veniam: ergo oportet, ut Deus prius convertatur ad nos, donando iſtam gratiam, prævenientem bonam voluntatem; nam Deus propter peccatum erat ante averſus à nobis: oportet ergo, ut prius ipſe convertatur ad nos, dando talem gratiam, ut nos poſſimus ad ipſum converti, dimittendo peccatum, & eligendo pœnitentiam, ut ait *Jeremias, Threnor. ultimo*: *Convertere Domine ad nos, & convertemur.* Et ideo hanc gratiam deſiderans David, ait: *Sed tu Domine uſquequò*, ſupple, differs dare mihi hanc gratiam, ut des mihi veniam? Ergo *convertere* ad me, dando gratiam, *& eripe animam meam &c.* Sed melius videtur mihi, quòd ly *uſquequò* non ſtet interrogativè, ſed ponatur pro *aliquantùlum*, ſicut infra *Pſalm.* 89. *convertere Domine uſquequò*, id eſt, convertere Domine aliquantulum, ſicut habet alia translatio: & tunc ly *uſquequò* continuat ſibi verſum ſequentem iſto modo: *Sed tu Domine uſquequò convertere*, id eſt, aliquantulum ad me, & ne avertas faciem tuam; ſed *convertere* aliquantulum ad me, & libera, & *eripe animam meam* de manu diaboli, & *ſalvum me fac propter miſericordiam tuam* à ſupradictis infirmitatibus peccatorum. Nam ſi tu habes converti ad me; oportet quod facias *propter miſericordiam tuam* prævenientem: quia ex me nihil mereor, niſi pœnam ex peccato; quia nullum bonum eſt in me, ſed ſolum peccatum: ergo ſuppleat miſericordia tua, & *ſalvum me fac.*

Quoniam non eſt in morte. Hoc concordat cum ſupradictis in principio. Nam ſi homo non agit pœnitentiam in hac vita, ſed differt eam uſque ad *octavam diem*, ſcilicet, uſque ad mortem excluſivè: tunc tali impœnitenti non debetur judicium miſericordiæ, ſed iræ, & furoris in inferno, ubi non eſt locus pœnitentiæ, ſed pœnæ æternæ, & ſupplicii: quia ibi nullus poteſt eſſe memor Dei, nec confiteri Deum, ſed blaſphemare præ dolore pœnarum, ut dictum eſt. Ideo ait David in perſona cujuslibet pœnitentis: O Domine, convertere ad me aliquantulum dando gratiam, & *eripe animam* per pœnitentiam, ut non deſcendam in infernum ad judicium iræ, & furoris: *quoniam non eſt* aliquis, *qui memor ſit tui in morte*, id eſt, poſt mortem, nec in illa morte inferni. Nam *in inferno quis confitebitur tibi?* Quaſi dicat, *nullus*, præ dolore pœnarum. Et etiam hoc dicit propter multos, qui differunt, & expectant agere pœnitentiam, & condere teſtamentum in fine vitæ, & in morte, quando non ſunt ſui juris; quia communiter perdunt loquelam & ſenſum propter infirmitatem corporalem: & ſic non poſſunt eſſe memores Dei, nec ſui. Unde etiam *Deus non permittit, quod tales agant pœnitentiam, nec vult eis dare gratiam in morte, poſtquam nuſquam ſunt recordati Dei in vita*, ut ait *Auguſtinus in Sermone de Innocentibus.* Hac animadverſione, inquam, concutitur peccator, ut *moriens obliviſcatur ſui, qui dum viveret, oblitus eſt Dei.* Et ideo David deſiderat agere pœnitentiam in vita, & petit gratiam & veniam, & confitetur peccata ſua in perſona cujuslibet peccatoris, dicens:

Cito pœnitendum



La-

Laboravi in gemitu meo, lavabo per &c.

HIC assignat tertiam partem pœnitentiæ, quæ dicitur *Satisfactio*: ut ostendat, se egisse perfectam pœnitentiam. Nam postquam primò ostendit contritionem & dolorem de peccatis, & petiit, non argui in furore, nec corripi in ira futuri judicii, & confessus est, se esse infirmum, & turbatum ex ægritudine peccatorum, & petiit non differri pœnitentiam suam usque ad mortem: hìc agit satisfactionem, vel ostendit jam fecisse.

Ad cujus evidentiam est notandum, quòd satisfactio vel habet fieri Proximo; & sic *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum* ipsi Proximo: sed licèt sit restitutum ablatum, adhuc manet satisfactio Deo facienda, quæ dicitur *pœna*, eò quòd peccavimus contra Deum per superbiam & rebellionem, transgrediendo ejus præcepta. Et sicut peccavimus corde, & ore, & opere: ita oportet, quod tribus modis satisfaciamus, scilicet, *contritione*, *confessione*, & *restitutione*. Et ideo talis satisfactio oportet, quod fiat primò per fletum & gemitum cordis, ut inde veniat pietas & humilitas, unde processit iniquitas. Secundò per jejunium, ad puniendam carnem & animam. Tertiò per orationem, ut inde ingrediatur laus & benedictio, unde egressa fuit blasphemia, aut stultiloquium, & vaniloquium. Quartò per eleemosynam, ut mitigemus Deum aliquo munere, & pauperes deprecentur Deum, ut dimittat nobis debitum peccati. Et sic dolore, & fletu, & oratione, & munere redimimus & solvimus debitum peccatorum: & tunc pœnitentia dicitur completa.

Triplicitèr debemus satisfacere.

Et hanc pœnitentiam dicit David compleviſſe, cum ait: *Laboravi in gemitu meo;* quasi diceret: Domine, da mihi veniam, quia jam complevi pœnitentiam. Primò per *contritionem*, secundò per *confessionem*, tertiò per *satisfactionem*. Nam jam *laboravi in gemitu* & fletu *meo*, semper gemendo, & plorando, & cum lacrymis *lavabo* lectulum meum, in quo dormio: & *per singulas noctes* & dies *rigabo stratum* & pavimentum, in quo jaceo: quod idem est ac diebus & noctibus semper defleo peccata mea. Nam de nocte *lavo lectulum meum*, in quo dormio, lacrymis assiduis: & per diem rigo pavimentum in quo jaceo, orando & plangendo. *Stratum* enim dicitur à sternendo: ideo solum terræ pavimentatum lateribus, vel lapidibus, dicitur *stratum*, ad denotandum, quod David in pavimento terræ agebat pœnitentiam in die, flendo, & plangendo, quod quidem stratum lacrymis suis rigabat. Et per lectulum & stratum potest intelligi caro nostra, in qua tamquam in lecto & strato jacet anima peccatoris infirma; quam carnem debet peccator macerare per jejunium, & rigare ora per fletum &c.

Quæstio.

Sed dubitatur, quare dicit primò, *laboravi in gemitu meo*? unde ostendit, se jam pœnitentiam egisse. Et postea dicit, *lavabo lectulum meum &c.* quasi promittens se facturum pœnitentiam. Ad hoc respondetur, quòd licet peccator egerit pœnitentiam perfectam de peccatis suis per contritionem, & confessionem, & satisfactionem: tamen tenetur semper dolere, flere, & pœnitere, quotiescumque recordatus fuerit illius peccati. Nam si post actam pœnitentiam quis complaceret sibi, fecisse illud peccatum, tunc rediret culpa. Ideo semper tenetur dolere, & pœnitere quandocumque recordatur. Unde dicit *Clemens in Itinerario* suo, quòd *beatus Petrus semper flebat peccatum negationis Christi, quotienscumque recordabatur; in tantum quod lacrymæ decurrentes sulcaverant genas ipsius Petri.* Et ideo David, ut ostendat hominem qui aliquando peccavit, semper debere dolere, & flere peccatum, quotiens in memoriam venerit; dicit, *Laboravi in gemitu meo*, id est, licet laboraverim in gemitu meo, & egerim pœnitentiam; tamen quotiens recordatus fuero, semper lavabo, flendo stratum & lectulum meum, & lacrymis meis stratum meum, id est, conscientiam meam rigabo die ac nocte: eò quòd oculus conscientiæ & rationis meæ *turbatus est à furore*: quia timeo futurum judicium: *quoniam inveteravi*, & senui *inter omnes inimicos meos* dœmones, quamdiù antiquatus sum in peccatis, non agendo pœnitentiam.

Discedite à me omnes qui operamini &c.

IN hac secunda parte ostendit effectum & virtutem pœnitentiæ, quæ est remissio peccati. Unde tria facit pœnitentia. Nam primò impetrat gratiam, secundò delet culpam, & minuit pœnam, tertiò fugat diabolum tentatorem. Ideo David videns, ista tria se fuisse per pœnitentiam consecutum, ait ad dœmones tentatores: O vos dœmones inimici mei, qui semper operamini iniquitatem, homines tentando; qui me diu alligatum tenuistis, & ad interitum deduxistis, & in diversa scelera præcipitastis; discedite, & fugite à me: *quoniam* jam *exaudivit Dominus vocem fletûs mei*, pœnitentiam acceptando. Et *Dominus exaudivit deprecationem meam*, culpam remittendo. Et *orationem meam suscepit*, gratiam conferendo. Et ideo jam amplius non peccare propono, nec vos ultra sequi intendo. Sed secundùm gratiam mihi collatam tentationibus vestris contraire

Tria facit pœnitentia.

traire decerno, nec amplius Deo ingratus eſſe volo: quia *vera pœnitentia eſt peccata præterita plangere, & plangendo iterum non velle committere.* Et nota, quòd ter nominatur hîc Dominus: ad denotandum, quòd tota Trinitas concurrit ad remiſſionem peccati, ſcilicet, omnipotentia Patris, miſericordia Filii, & benignitas, & illuſtratio Spiritus Sancti. Nam illuſtratur peccator per gratiam prævenientem, ut cognoſcat & deteſtetur ipſum. Et ſic per talem inſpirationem dolet peccaſſe, & convertitur. Filius offert Patri ſuam Paſſionem, & pretium pro peccatore. Et ſic Pater per merita Paſsionis Filii remittit culpam, & etiam pœnam, ſi dolor & contritio eſt vehemens: & ideo nominatur Deus ter, ut tota Trinitas comprehendatur.

Nota, quod hìc ter nominatur Dominus.

Erubeſcant. Nota, quòd diabolus tripliciter abjicitur ab anima peccatoris per pœnitentiam. Primò cum erubeſcentia & confuſione, quia reputat ſibi ad magnam confuſionem, quod videat ſe victum, & confuſum, & expulſum ab homine, qui eſt minoris naturæ & nobilitatis. Secundò, abjicitur cum magna vehementia & violentia: quia omnes vires adhibet, ne à domo, quam diu poſſederat, expellatur, & animam, quam diu poſſederat, deperdat & amittat. Tertiò, abjicitur cum grandi velocitate: quia peccator, qui diu inter peccata erat inveteratus, & antiquatus, juſtificatur in inſtanti per pœnitentiam: nam in eodem inſtanti expellitur culpa, & introducitur gratia. Et ſic diabolus, quod per magnum tempus acquiſivit & poſſedit, in uno inſtanti perdit, & amittit per pœnitentiam. Ideo dicit David, & quilibet peccator pœnitens: *Erubeſcant omnes* dœmones *inimici mei*, cum videant ſe confuſos: *& conturbentur*, cum videant ſe victos, & cum violentia abjectos: *& erubeſcant valde velociter*, cum videant in uno momento & inſtanti perdidiſſe, quod per longa tempora poſſederunt.

Triplicìter ejicitur diabolus ab anima per pœnitentiam.

Diſcedite ergo dœmones confuſi & conturbati vehementer, & *velociter*, & violenter, & numquam revertamini. Et ideo caveat peccator, poſtquam ejecerit peccatum, ne iterum vincatur. Nam *cum immundus ſpiritus exierit ab homine* ex confuſione & erubeſcentia, *vadit, & aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe*, & laborat recuperare domum unde exivit; niſi *fortis armatus cuſtodiat* atrium animæ ſuæ, reſiſtendo tentationibus cum humilitate, & oratione, & jejunio, & eleemoſyna. Item ly *Erubeſcant*, poteſt dirigi ad conſocios peccati, quos in peccato habuit conſortes, & conſultores, & favorabiles: ideo ait pœnitens: *Erubeſcant & conturbentur omnes inimici mei*, qui mecum erant participes in peccatis. Nam licet viderentur amici propter ſocietatem; tamen verè erant inimici: eò quòd ad interitum & mortem peccatorum me deducebant, & in peccatis fovebant. Ideo poſtquam me viderunt per pœnitentiam converſum, *erubeſcant* manere in peccato, & convertantur exemplo mei, & agant pœnitentiam, *& erubeſcant valde velociter*, ne amplius maneant in peccato. Et ſi nolunt converti, *erubeſcant, & conturbentur, & confundantur* in peccato ſuo. Et hoc de ſenſu morali.

Sed quia iſte Pſalmus legitur in agenda & officio defunctorum: ideo ex prædictis lector poterit ipſum applicare ad animas fidelium defunctorum exiſtentes in Purgatorio, qui cum pœnitentia & charitate deceſſerunt, ſed ibi propter peccata oblita, aut injunctam pœnitentiam non impletam, ad tempus detinentur. Unde orat Eccleſia ad Chriſtum caput ſuum in perſona cujuslibet iſtorum dicens: Domine Jeſu, *ne arguas & corriplas me in furore tuo, & in ira*: id eſt, ſi ex meis demeritis me ad hanc pœnam temporalem per centum annos deſtinaſti: non me velis punire in furore ſecundùm ſententiam latam; ſed *miſerere mei*, pœnam taxatam remittendo: *quoniam infirmus ſum* in hoc Purgatorio. Et ideo ſana me per *miſericordiam*, id eſt, adhibe merita tuæ Paſſionis, & offer ante Patrem, & ſolve pro me. Et ſic *converterere* ad me aliquantulum, *& eripe animam meam* ab his pœnis: *quoniam non eſt in morte qui memor ſit* tui, id eſt, dum exiſto in hac pœna non poſſum me redimere, nec eleemoſynas elargiri: quia jam non ſum purè viator. Et ideo ſupple tu per miſericordiam tuam & Paſſionem. Nam *quis* poterit *confiteri tibi in inferno*? Quaſi dicat, *nullus*, præ dolore pœnarum. Et ideo abſolve me ab hac pœna, & duc me tecum in Cœlum, & ibi te laudabo. Et ideo anima jam liberata per talia ſuffragia, dicit ad dœmones, qui eam torquebant: *Diſcedite à me, quoniam Dominus exaudivit* omnes orationes Eccleſiæ pro me factas, & ſuffragia acceptavit: ideo *erubeſcant &c.* Ex toto iſto Pſalmo poſſunt recolligi octo concluſiones.

Prima concluſio: quòd octava dies hominis, quæ eſt poſt mortem, non eſt tempus pœnitentiæ, ſed furoris.

Secunda concluſio: quòd octava dies mundi, quæ erit in judicio, non erit tempus veniæ, ſed furoris pro obſtinatis.

Tertia concluſio: quòd judicium pœnitentiale, quod fit in hac vita, dicitur *judicium miſericordiæ*, eò quòd imponit ſolam temporalem pœnam, & abſolvit à pœna æterna.

Quarta concluſio: quòd poſt hanc vitam non eſt judicium miſericordiæ, ſed iræ & furoris, deſtinans ad pœnam æternam: ex quo patet, quòd qui in hac vita non judicatur judicio pœnitentiali & miſericordiæ, judicatur judicio iræ Dei & furoris poſt hanc vitam.

Quin-

Quinta concluſio: quòd qui in hac vita agit pœnitentiam, mutat cauſam ſuam, & declinat à judicio furoris & iræ Dei, & damnationis ad judicium miſericordiæ. Et per oppoſitum, qui non agit hîc pœnitentiam, declinat à judicio miſericordiæ ad judicium iræ, furoris, & damnationis.

Sexta concluſio: quòd tres ſunt partes A quas David oſtendit in hoc Pſalmo, ſcilicet, *cordis contritio*, *oris confeſsio*, & *operis ſatisfactio*.

Septima concluſio: quòd peccatum multipliciter perturbat rationem & diſſipat totum corpus.

Octava concluſio: quòd diabolus per pœnitentiam confuſus recedit ab homine: quia perdidit animam hominis, quam ex peccato poſſidebat.

Psalmus VII.

26. q. 6. c. Agnovimus, & 25. d. c. Recedim.

1. *Domine Deus meus, in te ſperavi: ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera* B *me.*

Titulus communis, *In finem Pſalmus David*, quem *cantavit Domino pro verbis Chuſi filii Jemini*. In Hebræo autem: *Ignorantia David, quam cecinit Domino ſuper verba Chuſi filii Jemini*. Secundùm *Hieronymum* autem, *Pro ignorantia, quam cecinit Domino ſuper verba Æthiopis filii Jemini*. Ex interpretatione *Hieronymi* patet, quòd ly *Chuſi* non eſt nomen proprium, ſed appellativum, & interpretatur *Niger*, ſive *Æthiops*; per quod intelligitur *Saul* filius *Jemini*, id eſt, de filiis Benjamin.

Nota de David.

Ad cujus intelligentiam eſt ſecundò C notandum, quòd poſtquam *David* evaſit de manu *Saul*, & declinavit in *Nobe* ad *Achimelech*, & refectus eſt ab eo panibus propoſitionis, & accepit gladium *Goliath*; fugit inde ad *Achis* Regem *Geth*, & inde ad ſpeluncam *Odollam*, ut patet 1. *Reg.* 17. tunc *Saul* congregavit omnes contribules, & ſequaces in deſerto *Rama*, & haſtam in manu tenens, locutus eſt omnibus dicens: *Audite me filii Jemini: numquid filius Iſai dabit vobis agros, aut vineas, & faciet vos tribunos, quia conjuraſtis adverſum me? &c.* Unde tunc *Doëg Idumæus* dixit ipſi coram omnibus, qualiter viderat *David* in *Nobe*, & qualiter *Achimelech* dederat ei panes propoſitionis, & tradiderat gladium *Goliæ*. Unde tunc *Saul* præcepit D trucidari *Achimelech* Sacerdotem cum tota domo ſua, & incendi totam Civitatem: & pronunciavit *David* proditorem, qui conjuraſſet contra eum &c. Ex quo patet, quòd *Saul* in illa locutione coram toto populo accuſavit David de falſo crimine conjurationis, & malipolii, & proditionis, de quibus omnibus *David* erat innocens & ignorans. Ideo *David* tribulatus de morte Sacerdotum, & de falſo crimine ſibi impoſito per *Saul*, fecit hunc Pſalmum, allegando ignorantiam, & innocentiam ſuam, E & cantavit ipſum coram Domino.

Quare Saul appellatur Chuſi.

Sed reſtat dubium quare *Saul* apellatur *Chuſi*? Ad quod reſpondetur, quòd *Chus*, ſive *Chuſi* interpretatur *niger*: ideo Æthiopes dicuntur *Chuſi*, quia *nigri*. Unde *Saul* hîc dicitur *niger*, non à nigredine corporis, ſed à nigredine animæ: quia fuit denigratus odio ex livore invidiæ contra David abſque ratione, & datus in obſtinatum & reprobum ſenſum, contra Deum, & conſcientiam ſuam, perſequendo David, ut patet per diſcurſum *libri ſecundi Regum*. Et ſic intitulatur niger nigredine peccati. Nam mos & conſuetudo Judæorum eſt, ut omnem rem malam & perverſam & nociF vam appellent *nigram*. Et ſic dicunt iſtam nigram febrem, iſtum nigrum Chriſtianum &c. Eſt ergo ſenſus, quod David fecit hunc Pſalmum allegando ignorantiam, & innocentiam ſuam propter verba comminatoria ipſius *Saulis*, irâ & invidiâ denigrati contra ipſum David. Et ſic ſecundùm hiſtoriam & intellectum Judæi moderni gloſſant hunc Pſalmum de ipſo David litteraliter. Sed in veritate non eſt inſiſtendum præcisè in tali Expoſitione litterali: quia non explicat intelligentiam Prophetæ, nec fuit iſta præciſa ejus intentio, ut ſæpius dictum eſt: nec ſunt tacenda myſteria, quæ latent in hoc Pſalmo: nec omnino convenit littera ſequens cum præfata expoſitione. Nam *David* non conſuevit petere vindictam; immò orare pro *Saul*: nec peteret judicari ſecundùm innocentiam ſuam, quia nullus excuſatur à peccaG to: immò ipſe rogat Deum, ne intret ſecum in judicium, *Pſalmo* 142.

Et ideo eſt dicendum, quòd David per ſupradicta verba *Saulis*, & per falſa crimina ſibi impoſita prævidit in ſpiritu, qualiter Synagoga & populus Judæorum erat denigrandus ex invidia contra Chriſtum. Et quomodo debebat imponere illi falſa crimina, dicens: *Hic dixit; poſſum deſtruere Templum Dei, & in triduo reædificare illud*: & *quòd commovit totum populum à Galilæa uſque in Hieruſalem*: & quòd feciſſet conjurationem contra Cæſarem, ut ſe Regem faceret &c. & prævidit etiam David, quomodo per talia falſa crimina ille populus erat Chriſtum crucifixurus: ſed propter illud peccatum in fine H erat deſtruendus, & diſpergendus: ſed Chriſtus erat reſurrecturus, & in Cœlum aſcenſurus, & regnaturus. Et de hoc myſterio fecit hunc Pſalmum, & tradidit ipſum Levitis publicè cantandum in Templo. Ex quo patet, quòd David fecit iſtum

Pſal-

Pſalmum pro Chriſto & Eccleſia. Nam ſi tantùm feciſſet eum de ſeipſo: tunc non præcepiſſet ipſum publicè in Templo cantari, niſi in quantum continet prophetiam A de Chriſto & Eccleſia, ut ſæpius dictum eſt.

Eſt ergo ſenſus hujus Tituli, quòd David fecit hunc Pſalmum pro ignorantia, & innocentia Chriſti Meſſiæ futuri, *ſuper verba Chuſi*, ſcilicet, crimina falſa ipſius populi Judaici peccato invidiæ denigrati, & obſtinati, qui Chriſtum falsò de ſupradictis criminibus accuſavit, ſive falsò erat accuſaturus: *Chuſi*, dico, *filii Jemini*, ſcilicet, filii *Aſinini*, non filii *Dexteræ*. Nam *Jemini* eſt æquivocum ad *Aſinum*, & ad *Dexteram*. Nam licèt ille populus fuerit filius *Dexteræ*, in quantum vivebat in Fide Chriſti Meſſiæ futuri: tamen poſtquam non receperunt ipſum in ſuo adventu, jam non dicuntur *filii Dexteræ*, ſed *filii Aſinini*, id eſt, ſine ſenſu & intellectu Legis & Prophetarum: immò cœci, & filii ſervitutis, quia dorſum eorum ſemper eſt incurvatum, ſicut aſinus ad onera portanda. Et ſic iſte Pſalmus explicat Chriſti innocentiam, & punitionem Judæorum, propter falſa crimina, quæ Chriſto impoſuerunt. B

In hoc Pſ. David quatuor facit.

In quo Pſalmo David introducit Chriſtum loquentem & excuſantem ſe apud Patrem de falſo crimine ſibi impoſito, in quo quatuor facit. Nam primò petit liberari de perſecutione Judæorum per reſurrectionem. Secundò allegat ſuam innocentiam. Tertiò petit ultionem de Judæis. Quartò promittit ſe agere gratias. Primum ibi: *Domine ſalvum me fac*. Secundum ibi: *Domine ſi feci iſtud*. Tertium ibi: *Exurge Domine*. Quartum ibi: *Confitebor Domino*. Quantum ad primum ergo Chriſtus ut homo dicit ad Patrem: O *Domine* per regimen univerſale, & *Deus meus* per creationem ſecundùm humanitatem, & ſpiritualem obedientiam; ego ſemper *in te ſperavi*, omni humano auxilio poſtpoſito: ideo *ſalvum me fac* in capite, & in membris; & libera me *ex omnibus* Judæis *perſequentibus me*. *Libera*, dico, in capite, per reſurrectionem; & in membris, eripiendo Eccleſiam à Tyrannis & Infidelibus. C

16. q. 2. Viſis.

2. *Nequando rapiat ut leo animam meam: dum non eſt qui redimat, neque qui ſalvum faciat.*

NEQUANDO, id eſt, ne aliquando leo, ſcilicet, diabolus, aut infernus, rapiat animam ut leo, & ipſam retineat ſicut cæteros peccatores: *dum* pro *poſtquam*, vel *quia non eſt* alius, *qui redimat* genus humanum, *neque qui ſalvum faciat* ipſum, niſi tu principaliter, qui es Deus & D

Creator; & ex conſequenti ego per mortem & paſſionem in virtute Divinitatis. Nam ſi ego non eſſem liber, non poſſem E alios ſalvare, nec pro aliis pati. Et ideo oportet, quod ſim *ſolus inter mortuos liber* à peccato, & per conſequens ab inferno: & quod ſuſcites me, ut poſſim communicare membris meis merita paſſionis & beneficium reſurrectionis.

De Pœn. d. 6. §. Opponitur.

3. *Domine Deus meus ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis:*

4. *Si reddidi retribuentibus mihi mala; decidam meritò ab inimicis meis inanis:*

11. q. 3. cap. Nemo peritor.

5. *Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam: & gloriam meam in pulverem deducat.*

F HIC allegat ſuam innocentiam, & ſe eſſe liberum ab omni peccato: non ſolùm ab his quæ ſibi Judæi impoſuerunt, ſed ſimpliciter ab omni peccato: ideo ait: *Domine Deus, ſi* ego *feci iſtud* peccatum, & crimen, quod mihi imponitur à Judæis, ſcilicet, quod prohibuerim dari cenſum Cæſari, & ſim blaſphemus &c. & ſi ſit etiam quæcumque alia iniquitas, & injuſtitia, & peccatum in manibus, & operationibus meis: & *ſi reddidi mala* Judæis *retribuentibus mihi mala* pro bonis: quia ego ſanavi filios eorum, & mortuos ſuſcitavi, & viam ſalutis eis oſtendi; & ipſi pro talibus bonis retribuunt mihi mala, falſa crimina imponendo: Si talia ergo egi, *decidam* ex tali merito *inanis*, & victus, & G vacuus *ab inimicis*. Sed hîc videtur dubium, quòd Chriſtus velit adjurare ſeipſum, & perjurare: quia videtur, quod hoc ſit contra dignitatem ſuam, & reverentiam. Et ideo eſt notandum ſecundùm *Auguſtinum*, quòd Paſſio Chriſti ideo fuit tantæ efficaciæ, & virtutis ad redimendum hominem, & delendum omnino peccatum, quia fuit in homine innocente & libero ab omni peccato, quia aliter fuiſſet inanis & vacua illa Paſſio, nec Chriſtus potuiſſet vincere diabolum, ſi primò ipſe fuiſſet victus, & ſervus diaboli per peccatum, & per conſequens non potuiſſet nos liberare, nec ſeipſum: nam, ut ait idem *Auguſtinus contra Arium*: *Si Verbum Divinum eſſet factum, & creatum, non potuiſſent* H *omnia fieri per ipſum; quod eſt contra illud: Omnia per ipſum facta ſunt.* Ita pari ratione, ſi Chriſtus Verbum caro factum, fuiſſet obnoxius peccato, tunc non potuiſſet alios liberare. Ideo hic ſe oſtendit li-

Paſſionis Chriſti efficatia.

berum ab omni peccato : & sub typo , & figura adjurationis , & pœnæ rei , ostendit, quòd si esset peccator , cecidisset *inanis* & victus sine fructu Passionis. Nam dictum A est *in Prologo* , *Tractatu primo* , quòd quilibet Propheta habet suam linguam, & modum proprium loquendi : inter quos David habet extraneum & exquisitum modum loquendi. Nam prædicit futura mysteria de Christo & Ecclesia quandoque per verba de præterito , propter certitudinem prophetiæ : quandoque per modum orandi, ad ostendendum , quòd omnia facit Pater per Filium : quandoque loquitur per modum adjurationis , ut ostendat , quòd si Christus fuisset peccator , & reus in his quæ sibi imponebantur , tunc sua Passio non fuisset efficax ad delenda omnia peccata. Est ergo sensus : *Domine , si feci istud* , quod mihi imponitur , & si esset iniquitas , & aliquod peccatum in manibus meis ; & non essem liber ab omni peccato : tunc decidissem *inanis* , & victus *ab inimicis* : quia non potuissem superare diabolum : & Passio mea esset inanis & in- B fructuosa : quia tunc inimicus , scilicet, diabolus , persecutus fuisset *animam meam, & conculcasset vitam meam in terra* calce peccatorum: sicut vitam aliorum hominum conculcavit : & tunc tota *gloria mea*, & fama esset deducta *in pulverem* , & ad nihilum sine fructu redemptionis. Et sic ista verba supradicta non sunt intelligenda ad sensum *quem* faciunt, sed ad sensum in *quo* fiunt , sicut dictum est *in Prologo*, *Tractatu tertio*, *& Regulâ sextâ*. Unde Propheta per modum adjurationis prædicit puritatem , & innocentiam Christi , per quam meruit destruere nostra peccata.

6. *Exurge Domine in ira tua : & C exaltare in finibus inimicorum meorum.*

23. q. 5. §. ult.

IN hac tertia parte petit ultionem. Unde est notandum secundùm *Hilarium*, *& Augustinum* , quòd Christus Filius Dei omnia quæ facit per se , attribuit Patri : eò quòd non solùm in quantum Deus quicquid habet , habet à Patre : nam in quantum Deus ab æterno quicquid habet , nascendo accepit ; & in quantum homo ex tempore in Incarnatione accepit omnem virtutem à Patre : ideo quicquid facit , attribuit Patri : & sic dicit : *Doctrina mea non est mea , sed ejus qui misit me Patris &c. Joann. 7.* Et ideo Christus , quia lo- D quitur hîc in quantum homo , & resurrexit in virtute Divinitatis : & ideo hanc resurrectionem & virtutem attribuit Patri; ideo ait : O Domine Pater , *Exurge*, id est, fac me à mortuis resurgere. *Exurge*, dico, *in ira* contra Judæos , & obstinatos : nam resurrectio mea erit gaudium , & gloria fidelibus : sed infidelibus erit ira , & mors, & punitio. Item *exurge* : quia hucusque E sedisti expectando populum Judaicum per quadraginta annos post Passionem meam: sed quia manserunt obstinati , & ad prædicationem Apostolorum noluerunt converti ; ideo exurge in ira tua contra eos. Primò temporaliter eos destruendo , & per mundum dispergendo : & secundò æternaliter condemnando. *Et exaltare*, id est, ostende potentiam , & rigorem in finibus inimicorum meorum Judæorum , eos ab omnibus finibus terræ promissionis exterminando , & expellendo , & trucidando per exercitum Romanorum.

7. *Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti : & synagoga populorum circumdabit te.*

F

IN Hebræo habetur : *Promissum quod promisisti* : scilicet, per Prophetas, per quos prædixisti punitionem Judæorum. Et etiam ista potest esse vox Ecclesiæ ad Christum, dicentis : *Exurge Domine* Jesu-Christe *in præcepto* quod promisisti, quando flevisti super Hierusalem dicens : *Circumdabunt te inimici tui vallo : & non relinquent in te lapidem super lapidem* , *Lucæ* 19. Quasi dicat, imple illud dictum & prophetiam , quam ibi dedisti , & manda , & præcipe *Romanis* , ut veniant contra *Hierusalem* ad vindicandam mortem tuam : quia *Synagoga* , id est , congregatio omnium *populorum* Gentilium *circumdabit te* , & venient tecum ad destruendam Hierusalem. G Item *Synagoga* , id est , congregatio omnium *populorum* , scilicet , Romanorum, & aliorum Gentilium, *circumdabit te* , in verum Messiam recipiendo: & sic Judæis reprobatis , & abdicatis , dabis hæreditatem gratiæ & gloriæ populo Gentili ad fidem conversо.

23. q. 5. *Elevamus*

8. *Et propter hanc in altum regredere : Dominus judicat populos.*

15. q. 6. *Si à Sacerdotibus*

PROPTER *hanc* Synagogam , id est, Ecclesiam ex populo Gentili congregatam , *regredere* ad protegendum eam. Vel H etiam : *Regredere* in Cœlum , unde descendisti propter hanc Ecclesiam populorum ad fidem conversorum, ut des eis hæreditatem in Regno Cœlorum : quia tu, supple, es Dominus qui *judicas populos* , id est , ad quem pertinet judicare populos , & dare unicuique secundùm opera sua.

Do-

Dominus judicat. Hîc propriè incipit versus, & sententia in Hebræo. Unde ait Christus ad Patrem: O Pater, quia tu es ille Dominus qui judicas populos: ideo A

De Pœn. dist. 2. § Oportet.

9. *Judica me Domine secundùm justitiam meam: & secundùm innocentiam meam super me.*

QUASI dicat: tu scis justitiam meam, quia nulli injuriam feci. Et tu scis innocentiam meam, quia nulli nocui: ergo fac, ut opera mea mereantur, & non permittas me amplius injustè pati. Sed redde mihi præmium justitiæ, & innocentiæ meæ. Et fac ut *consumatur* & destruatur *nequitia peccatorum* Judæorum: ut cùm viderint me jam surrexisse, & in Cœlos ascendisse, & judiciariam potestatem super omnes accepisse: tunc confundatur & conteratur nequitia, & malitia eorum. Item: B confundatur nequitia eorum, cum, id est, quoniam tu, qui es Deus justus, *scrutans renes & corda* hominum, *diriges justum* Filium tuum in Cœlo: & etiam diriges Ecclesiam tuam, & prosperabis in terra. Item: tu, qui es Deus justus, *scrutans corda & renes*, & scis justitiam & innocentiam meam, nosti malitiam eorum: ergo fac ut

32. d. c. Erubesc.

10. *Consumetur nequitia peccatorum & diriges justum, scrutans corda & renes Deus.*

EORUM *consumetur nequitia, & diriges justum:* id est, exaltabis Christum tuum cum sua Ecclesia, & hoc facies, C quia semper speravi in te, qui es

Arg. 23. q. 8. cap. Scire. Et 8. q. 1. Clemens.

11. *Justum adjutorium meum à Domino: qui salvos facit rectos corde.*

EX his verbis patet, quòd iste Psalmus non potest exponi præcisè pro David: quia ille non potest dicere, *Judica me secundùm justitiam & innocentiam meam*: quia hoc soli Christo convenit, qui numquam peccavit, nec potuit peccare. Et nota, quòd Christus non solùm petit hic ultionem pro se contra Judæos, sed etiam pro membris suis contra Tyrannos D persequentes Ecclesiam, quæ tota simul ratione capitis, & perfectorum membrorum dicitur *columba* sine macula in Canticis. Et dicitur non habere *maculam, neque rugam.* Et ideo potest esse vox Ecclesiæ ad Christum caput suum, dicens: *Exurge*

Domine in ira tua contra Judæos, & Civitatem Hierusalem *in præcepto quod mandasti,* & prædixisti; *Lucæ* 19. quando *flevisti super Civitatem Hierusalem*, & dixisti: *Circumdabunt te inimici tui vallo, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Veniant ergo Romani, & tollant, & auferant eis locum, & gentem, & sacerdotium, & destruant Civitatem, & Templum &c. Etiam: destrue Tyrannos, & prosterne populum Gentilem à superbia sua &c.

De Pœn. d. 1. Numquid.

12. *Deus Judex justus fortis & patiens: numquid irascitur per singulos dies?*

HIC exhortatur Judæos, & Gentiles, & omnes peccatores ad pœnitentiam sub comminatione, quæ est principalis intentio hujus Psalmi. Unde dicit: O Judæi peccatores, licèt Deus sit justus in judicando, & patiens in expectando peccatorem ad pœnitentiam: tamen *numquid irascitur per singulos dies?* id est, numquid videmus, quod quotidiè irascitur, & cum ira punit impœnitentes & obstinatos, sicut punivit *Pharaonem*, & *Saulem*, & *Achitophel*, & multos alios? Quasi dicat: non. Et ideo dico vobis Judæis, quòd

26. q. 2. Qui sine.

13. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & paravit illum.*

NISI *conversi fueritis* ad Messiam Christum, & receperitis eum: cavete, G quia jam *gladium suum vibrabit:* id est, exercitum Romanorum contra vos præparavit, & arcum suum, & sententiam iræ suæ præparavit, & tetendit contra vos.

14. *Et in eo paravit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.*

ET *in eo paravit* sagittas suas, quæ sunt *vasa* & instrumenta *mortis*: & *sagittas suas effecit* similes fulminibus *ardentibus*; quasi dicat: Deus est paratus ad mittendum fulmina iræ, & sententiæ suæ contra vos. Convertimini ergo: quia satis vos per quadraginta annos expectavit; H aliter autem mittet contra vos sententiam quam præparavit.

Unde nota, quòd sicut homo quando procedit ad bellum, vel quando vult ferire feram, primò in domo extendit arcum, seu balistam, & postea ponit sagittam, & quando videt opportunitatem, tra-

hit, & ferit cervum: ita pariter Deus primò per aliqua tempora expectavit Judæos; sed quia vidit, quòd non convertebantur, incepit vibrare gladium suum, commo- A vendo Hierusalem, immittendo seditiones & bella intestina: immò etiam visus est gladius igneus per annum supra Hierusalem, ut ait *Josephus*. Sed videns Christus, quòd nondum etiam convertebantur, permisit, ut rebellaret Civitas Hierusalem contra *Neronem*. Et tunc *Nero* incepit tendere arcum suum, & præparare exercitum contra Hierusalem, & misit ducem *Vespasianum*. Sed postquam *Vespasianus* factus est Imperator, & *Titus* filius ejus mansit dux exercitus, & incepit obsidere Hierusalem, tunc cæpit ponere sagittas suas in arcum. Sed completis quadraginta duobus annis post Passionem Christi, videns *Titus* obstinationem Judæorum, tunc *sagittas suas* similes fulminibus *ardentibus ef-* B *fecit*, & totaliter evertit, & incendit civitatem. *Effecit etiam sagittas suas* ex fulminibus, sive ferris ardentibus: quam obstinationem & vastationem prævidens David, subdit:

Job. 15. Extra ne sede vacâte, c. 1.

15. *Ecce parturiit injustitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.*

ECCE *parturiit*, id est, licèt Deus istum populum ad pœnitentiam per multa signa invitasset, vibrando gladium comminationum, & tendendo arcum, & ponendo sagittas, ut dictum est: tamen ipse populus in sua malitia obcæcatus: sicut semel *concepit dolorem*, & odium con- C tra Christum; ita semper *parturivit injustitiam*, Apostolos persequendo, & continuò *peperit iniquitatem* in sua obstinatione perseverando. Et sic

6.q. 1. c. Ex merito.

16. *Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit.*

LACUM *aperuit*, cùm contra Imperatorem rebellavit: & sic ipsemet procuravit sibi causam sui interitus. Et sic *incidit in foveam, quam fecit*: quia ipsemet se vallavit, & incluśit in festo Paschæ, ut ait Josephus. Et ibi periit totus populus. D Et sic

Job. 15. infra 12.

17. *Convertetur dolor ejus in caput ejus: & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.*

CONVERTETUR, & conversus est *dolor*, & destructio ejus *in verticem ipsius*, id est, in Hierusalem, quæ erat vertex & caput totius Israël, & terræ promissionis. Et sic *iniquitas ejus descendet in verticem ipsius*, id est, in Hierusalem. Sed totum E etiam hoc potest referri ad excidium spirituale. Unde posset quis quærere: unde accidit illi populo tale exterminium & excidium? Respondet Propheta dicens: quia concepit dolorem & odium contra Christum, livore invidiæ. Et ideo frequenter *parturiit injustitiam*, ipsum Christum accusando, & persequendo, & falsa crimina imponendo; & *peperit iniquitatem*, ipsum crucifigendo sine causa, & aliquo demerito. Et sic iste populus *lacum aperuit* contra Christum, tractando, & conspirando in ejus morte. Sed *incidit in foveam quam fecit*. Nam ipsi crucifixerunt eum, timentes, *ne venirent Romani, & tollerent locum eorum, & gentem*, & ne perderent redditus oblationum & Sacerdo- F tium. Et sic putantes evadere occidendo ipsum, inciderunt in foveam, quam timebant. Nam Christus resurrexit, & regnavit post mortem, & abstulit eis Sacerdotium, & regnum temporale, & spirituale. Et sic inciderunt in ruinam, quam vitare putabant. Et sic *iniquitas* conversa est in caput *& in verticem ipsius*. Nam non solum perdiderunt Regnum, & Sacerdotium; sed etiam intelligentiam scripturarum, & manent cæci & obstinati, & privati vitâ, & Regno æterno. Et hæc est *iniquitas* quæ *descendit in verticem*, & intellectum eorum: quia non possunt veritatem percipere. Et sic totus iste Psalmus potest exponi etiam propheticè de tyrannis persecutoribus Ecclesiæ Christi tempore Martyrum. Et etiam potest exponi G moraliter de quolibet peccatore, in peccato obstinato, cui Christus & Propheta comminatur, nisi egerit pœnitentiam: contra quos peccatores Christus quotidie vibrat gladium, flagella immittendo. Item tendit arcum, bella temporalia permittendo, & pestilentiam, & famem super populos, & regna deducendo. Sed in finem, si nolunt agere pœnitentiam, ardentibus fulminibus eos in inferno præcipit cruciari.

18. *Confitebor Domino secundùm justitiam ejus: & psallam nomini Domini altissimi.*

H

IN hac tertia parte Christus promittit, se acturum gratias Patri post Resurrectionem, & alia beneficia recepta. Ideo ait: postquam recepero supradicta beneficia, ego *confitebor Domino* Patri *secundùm justitiam ejus*. Primò, quia punivit inimicos meos. Secundò, quia retribuit mihi præmium Resurrectionis, & universalis jurisdictionis. Et ideo *psallam nomini Domi-*

mini altiſsimi, celebrando feſtivitates, ſcilicet, Nativitatis, & Paſſionis, & Reſurrectionis, & Aſcenſionis; in quibus agam gratias pro ſupradictis beneficiis receptis. A Et nota etiam, quòd iſte Pſalmus poteſt exponi pro quolibet defuncto exiſtente in Purgatorio, in quantum petit liberari ab illis pœnis per ſuffragia Eccleſiæ: & ideo Eccleſia cantat iſtum Pſalmum in agenda defunctorum in perſona cujuslibet defuncti, & omnium aliorum exiſtentium in Purgatorio: eò quòd adhuc aliquomodo pertinent ad iſtam Eccleſiam, in quantum diſceſſerunt cum pœnitentia & charitate, & adhuc non pervenerunt ad terminum patriæ.

Nota de Defunctis

PSALMUS VIII.

De Conſe. di. 4. Poſtquam aſcendit.

1. *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!* B

HUIC Pſalmo ſecundùm *Septuaginta* præponitur talis Titulus, ſcilicet, *In finem pro torcularibus, Pſalmus David.* Secundùm verò *Hieronymum: Victori pro torcularibus, Pſalmus David.* Pro cujus Tituli declaratione dicit *Rabbi Eliezer* cum ſuis ſequacibus, quòd David fecit hunc Pſalmum agens gratias de rerum creatione, in qua Deus ſubjecit primo homini omnia creata. Sed quia talis creatio facta fuit in ſeptimo menſe, ſcilicet, tempore torcularium; ideo dicitur in Titulo: *pro torcularibus.* Sed iſta opinio deficit tripliciter. Primò, quia creatio facta eſt in principio temporis, & in primo menſe anni: ſed Martius, ſive Aprilis C fuit *principium in menſibus anni*, ut patet *Exod.* 12. & *Levit.* 23. & *Numer.* 27. Ergo creatio non eſt facta in menſe ſeptimo, ſed in primo. Item ſecundò deficit iſta opinio: quia littera & ſententia hujus Pſalmi aliquod aliud myſterium explicat præter creationem. Tertiò deficit, quia aufert dignitatem prophetiæ huic Pſalmo: quod eſt contra intentum Prophetæ.

Alia opinio.

Et ideo eſt alia opinio quorumdam aliorum Hebræorum *Thalmudiſtarum*, dicentium, quòd David in hoc Pſalmo prædicit victoriam Regis Meſſiæ, quam debet habere de toto Romano Imperio: quod intelligunt per ly *torcularibus:* & iſti fundantur ſuper illud *Iſai.* 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de* D *Boſra*? *Quare rubrum eſt indumentum tuum*? Unde dicunt, quòd iſte qui venit de *Edom*, eſt Rex Meſſias, *qui ſolus calcavit torcular*, qui debet ſubjicere totum Romanum Imperium, quod intelligunt per *Edom.* Nam Judæi moderni omnes Romanos, & Latinos appellant *Edom*, quod interpretatur *Rubeus.* Unde dicunt, quòd Meſſias ab eis expectatus, erit Do- E minus temporalis, & ſubjiciet omnes nationes, & ſpecialiter Romanorum Imperium cum magna effuſione ſanguinis Chriſtianorum. Quia ſicut calcans vindemiam in torculari intingit pedes, & manus, & veſtes ex guttis vindemiæ calcatæ: ita pariter *Meſsias* intinget pedes, & manus, & veſtes ex ſanguine Romanorum, & omnium Chriſtianorum, uſquequò obtineat victoriam, & totum orbem ſubjiciat. Et ideo *Iſaias* videns in ſpiritu *Meſsiam* venientem de Romano Imperio cum victoria in Hieruſalem tinctis veſtibus, & aſperſum ſanguine Romanorum, & Chriſtianorum, dicit: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom*, id eſt, de Romano Imperio cum triumpho & victoria *veſtibus tinctis de Boſra*? id eſt, de ſanguine rubro Romanorum. Et tunc ipſe Meſſias F reſpondet dicens: *Torcular calcavi ſolus.* Quaſi dicat: ideo venio rubeus *tinctis veſtibus* ſanguine rubro, quia ego ſolus calcavi Imperium Romanorum, ſicut calcans in torculari &c. Et ſic dicunt iſti, quòd hoc idem prævidit David in ſpiritu. Ideo fecit hunc Pſalmum, in quo prædicit futuram victoriam, & univerſale dominium Meſſiæ futuri: & ideo intitulavit ipſum, *pro torcularibus.*

Sed licèt iſta poſitio ſit valde extorta & extranea totaliter à Titulo hujus Pſalmi; tamen quantum ad auctoritatem quam adducit, aliqualiter, & partim dicit verum, & partim dicit falſum & blaſphemat. Nam dicit verum per hoc quod dicit, quod per illum qui venit de *Edom*, intelligitur *Rex Meſsias* in Lege promiſſus. Sed blaſphemat, in quantum quod eſt præteritum, ex- G pectat futurum. Nam Chriſtus Filius Dei, Verbum Incarnatum venit in mundum, & ipſe ſolus *calcavit* vindemiam in torculari Crucis, & aſperſit veſtem humanitatis in ſuo ſanguine. Nam primò *calcavit* vindemiam Sacræ Scripturæ ex qua expreſſit, & extorſit veritatem Legis & Prophetarum, & vinum Euangelicum, & repoſuit ipſum in cellario Eccleſiæ ad ſalutem & vitam fidelium. Secundò *calcavit* carnem ſuam per Mortem & Paſſionem, ex qua expreſſit vinum Eccleſiaſticorum Sacramentorum, in pretium noſtræ redemptionis: ſed quia in Cruce fuit victor, & non fuit victus; quia diabolum vicit & calcavit ſimul cum populo Judaico: ideo non dicit ſui calcatus, ſed torcular calcavi ſo- H lus. Item tertiò *calcavit* infernum, & ligavit diabolum. Quartò *calcavit*, & ſubjecit totum mundum, & Imperium Romanorum, & omnes Reges mundi. Item dicunt verum, in quantum dicunt, quòd *Meſsias* aſperſus ſanguine erat totum orbem ſubjecturus: ſed dicunt falſum, in quan-

Nota de torculari Crucis.

quantum dicunt, quod ſanguine alieno erat aſpergendus, immò ſanguine proprio erat mundum redempturus. Et ſic patet eorum ineptia, & cæcitas, & ignorantia: quia iſta poſitio nihil facit ad propoſitum hujus Tituli. A

Nota de tribus feſtis Judæorum.

Et ideo rejectis eorum fictionibus, & eorum mendaciis, pro vera intelligentia hujus Pſalmi & ejus Tituli eſt primo notandum: quòd totum tempus gratiæ, & ſeptimæ ætatis, in qua ſumus, fuit figuratum in Lege per ſeptimum menſem, qui dicebatur *menſis & tempus torcularium*: eò quòd tunc colligebantur, & torquebantur vindemiæ in torcularibus: in quo ſeptimo menſe celebrari præcepit Deus tria feſta, id eſt, *feſtum tubarum*, in memoriam ſacrificii ipſius Abrahæ; & *feſtum propitiationis* in decima die: & *feſtum tabernaculorum* in quintadecima die, in memoriam peregrinationis per deſertum, quando Filii Iſraël habitabant in tabernaculis. Et voluit Deus, quod illa tria feſta celebrarentur *in ſeptimo menſe* tempore torcularium. B Primò, quia myſteria illorum trium feſtorum erant implenda in hac ſeptima ætate, in qua ſumus. Nam in hac ſeptima ætate fuit immolatus Chriſtus, figuratus per ſacrificium Abrahæ, ubi, & per quem fuit facta generalis propitiatio & redemptio, & finita fuit tota peregrinatio: in quo tempore fuit expreſſa & extorta tota vindemia Sacræ Scripturæ, & extortum vinum Euangelicum, & repoſitum in cellario Eccleſiæ. Et ſic totum tempus gratiæ, & tota iſta ſeptima ætas dicitur *ſeptimus menſis* mundi, & tempus torcularium ſpiritualium: quia continuè extorquemus vinum ſacramentorum ex cellario Eccleſiæ & Sacræ Scripturæ, prout latius patebit *Pſalmo* 80. & quæſtione finali totius operis.

Secundò eſt notandum: quòd totum C deſiderium Patriarcharum & Prophetarum & Fidelium veteris Teſtamenti, fuit ſcire virtutes & perfectiones, & videre effectus nominis Dei *Adonai*, quod illis quatuor litteris ſcribebatur in Lege & Prophetis. Quod quidem nomen Deus nulli voluit revelare in veteri Teſtamento: unde dicit Deus Moyſi. *Exod. 6. Nomen meum Adonai non indicavi eis*: ſed Deus promiſit omnibus Prophetis revelare nomen ſuum in mundo univerſo per Meſſiam Filium ſuum. Ideo omnes Patriarchæ & Prophetæ deſiderabant tanto tempore videre adventum Chriſti: ut revelaret mundo & declararet illud nomen ſuum omnibus ignotum. Ideo *Iſaias* 62. clamabat dicens: *Utinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes,* D *ut notum fieret nomen tuum &c.*

Nota de nomine Adonai.

Prævidens ergo David in ſpiritu, qualiter in iſta ſeptima ætate erat Chriſtus venturus, & implere debebat omnia, quæ erant figurata per ſeptimum menſem, per myſterium torcularium, & illorum trium feſtorum; & quomodo nomen Domini debebat dilatari, & magnificari per univerſam terram, & Chriſtus regnare per to- E tum orbem: ideo fecit hunc Pſalmum de univerſali dominio Chriſti, & de dilatatione nominis ejus per totum orbem. Et præcepit ipſum cantari *tempore torcularium in menſe ſeptimo*, eò quòd ille erat figura hujus temporis gratiæ, in quo omnia illa ſunt impleta.

Eſt ergo ſenſus Tituli præpoſiti, quòd David fecit hunc Pſalmum dirigens nos in Chriſtum, qui eſt finis Legis, & præcepit ipſum cantari cum toto conatu vocum uſque ad ultimum punctum: eò quòd cum magno affectu vocabat Chriſtum, ut veniret ad regnandum, & manifeſtandum *nomen ſuum in univerſa terra.* Et voluit, ut cantaretur in templo *pro torcularibus*, id eſt, in tempore torcularium, propter figuram jam dictam. In quo quidem Pſalmo duo principaliter facit David: nam F primò admiratur magnificentiam & virtutes illius *nominis* Dei, quæ erant manifeſtandæ *in univerſa terra* per adventum Chriſti. Secundò explicat cauſas ſuæ admirationis, ibi: *Quoniam elevata eſt magnificentia.*

Diviſio Pſalmi.

Quantum ergo ad primum eſt notandum, quod *nomen* proprium Domini magis frequentatum in Sacra Scriptura, quod Hebræi pronunciant *Adonai*, ut dictum eſt in *Prologo*, dicitur *admirabile & ineffabile* propter myſteria mirabilia, quæ in eo ſignificabat. Et ideo ſcribebatur quatuor litteris Hebraicis in Hebræo, ſcilicet, *iod*, *he*, *vau*, *he*. Et hoc propter quatuor myſteria perſonalia, & alia quatuor eſſentialia, quæ continet & notificat illud nomen in Deo, ſignificata per illas quatuor litteras. Nam iſta littera *iod* interpre- G tatur *principium*. Ideo ſignificabat *Patrem* in Divinis, qui eſt principium omnium Perſonarum, non de principio: *he* verò interpretatur *eſſe*. Ideo ſignificabat *Verbum*, ſive *Filium*, per quem facta ſunt omnia, & à quo habent eſſe: *vau* autem interpretatur idem ac *virtus*: ideo ſignificat *Spiritum ſanctum*, qui ſpirat omnem virtutem & motum omnibus rebus. Ultima verò littera, ſcilicet *he*, ſignificat *humanitatem Filii* junctam Verbo. Et ideo bis ponitur *he* in hoc nomine: ad notandum, quòd iſta littera *he*, bis ſumpta, denotat duas naturas in una Perſona. Et licèt ſint duæ naturæ in Chriſto; tamen non manet niſi una Perſona. Et notanter ſecundum *he* ponitur in ultimo loco, ad deno- H tandum, quod licèt tres Perſonæ Divinæ ſint ab æterno; tamen Incarnatio facta eſt ultimatè ex tempore. Et illa humanitas ita eſt juncta perſonaliter Filio, quòd non cæteris Perſonis. Ex quo patet, quòd per illas quatuor litteras ſignificabatur

Myſ-

Myſterium Trinitatis, & Incarnationis ſimul: ſignificabant enim tres Perſonas Divinas, & humanitatem aſſumptam in Verbo. Et ſic ſignificabant ſupradicta quatuor A myſteria perſonalia in Divinis.

Item illæ eædem quatuor litteræ ſignificabant alia quatuor ineffabilia myſteria eſſentialia, ſcilicet, ſummam omnipotentiam, ſummam ſapientiam, ſummam miſericordiam, & ſummam juſtitiam, & ideo iſtud nomen dicebatur *ineffabile & mirabile* apud Patres veteris Teſtamenti; quia numquam ſupradicta myſteria fuerunt ſcita, nec revelata Patribus veteris Teſtamenti, niſi ſub quibuſdam figuris. Ideo dixit Deus *Moyſi, Exo.6.* quòd *nomen Adonaï nondum revelavit eis &c.* Unde tria ſunt prænunciata in veteri Teſtamento de hoc nomine Dei quatuor litterarum. Primò, quòd *Meſsias* in Lege promiſſus debebat habere hoc nomen, & debebat vocari illo nomine Patribus incognito, ut patet *Hierem.23. Ecce dies venient, & ſuſcitabo David germen juſtum, & ſapiens, & rex erit: Et faciet judicium, & juſtitiam in terra. Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter &c.* Ubi ly *Dominus* ſcribitur quatuor litteris, quod ſoli Deo convenit. Et omnes Hebræi dicunt, quòd iſte eſt *Rex Meſsias:* ergo nomen *Meſsiæ* eſt illud nomen Dei *Tetragrammaton*, ſcilicet, quatuor litterarum. Secundò aſſerit Sacra Scriptura, quòd non ſolùm *Meſsias* debebat vocari hoc nomine Dei quatuor litterarum; ſed etiam realiter eſſe illud nomen Dei: quia *Meſsias* nihil aliud debebat eſſe, niſi nomen Dei, *Iſai.30. Nomen Domini veniet de longinquo &c.* per quod nomen intelligitur *Rex Meſ-* C *ſias.*

Qualiter in veteri Teſtamento prænunciatum eſt nomen Dei

Secundò, quòd ſolus *Rex Meſsias* debebat notificare, & manifeſtare; & declarare illud nomen Dei: & quòd nomen toti mundo debebat eſſe notum: & quòd omnes gentes debebant ipſum venerari & invocare, *Iſai.64. Utinam diſrumperes Cœlos, & deſcenderes, & notum fieret nomen tuum.* Item *Pſalmo 95. Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: annunciate inter gentes gloriam ejus.* Et ſic aſſerunt omnes Judæi, & moderni, quòd ſolus *Rex Meſsias* debet hoc nomen Domini quatuor litterarum mundo declarare, & quòd ſoli illi qui erunt in ſæculo *Meſsiæ*, ſcient proprietates, & virtutes hujus nominis. Et ideo excommunicant, & anathematizant omnes præſumentes declarare pro- D prietates, & ſecreta hujus nominis; cùm hoc pertineat ad ſolum *Meſsiam.*

Et ideo ponitur prima concluſio: quòd Chriſtus Salvator noſter habuit illud nomen quatuor litterarum, tanquam nomen proprium. Quod probatur. Nam iſtæ litteræ *Jod, he, vau, he* præpoſitæ in illo nomine, ſi rectè combinentur cum ſuis punctis appoſitis, reddunt, & ſonant hoc nomen *Jobeſſua*, quòd Græcè declinatur *Jotſua*, & Latinè *Jeſus*, quod interpretatur E *Salvator*, ſive *ſalutare*, ſive *ſalvatio.* Et ideo ubicumque reperitur *Jotſua*, ſive *Jobeſſua*, omnes Interpretes traduxerunt, *Salvator*, ſive *ſalutare*, ſive *Jeſus*, quod idem eſt, ut patet in Translatione *Hieronymi.* Ex quo patet, quòd *Jeſus* eſt realiter nomen quatuor litterarum ſecundùm proprium ſonum.

Secunda concluſio: quòd *Jeſus* non nominaliter tantùm, ſed etiam realiter eſt ipſum *nomen Dei*, ſicut Prophetæ dixerunt. Probatur. Primò, quòd in *Jeſu-Chriſto* realiter ſunt illa ſupradicta quatuor myſteria perſonalia. Nam in eo eſt Verbum cum humanitate perſonaliter juncta: & in eo eſt perſona Patris, licèt non incarnata; cùm ſit ejuſdem ſubſtantiæ, & per eumdem modum eſt perſona Spiritus ſancti: quia Pater eſt in Verbo & Spiritu ſancto, & è converſo. Et Chriſtus continet illa quatuor per- F ſonalia myſteria, & per eamdem rationem alia quatuor myſteria eſſentialia: immò ipſe Chriſtus eſt realiter omnipotentia, & ſapientia, & miſericordia, & juſtitia: ergo ſequitur, quòd *Jeſus* realiter eſt nomen Dei *Tetragrammaton.* Secundò hoc idem probatur ratione. Nam ſecundùm *Ariſtotelem 7. Metaph.* inter diffinitionem, quam Græci vocant *verbum*, & nomen intereſt. Nam diffinitio, ſive *verbum*, explicat totam ſubſtantiam & eſſentiam rei diffinitæ; & ideo datur per eſſentialia: ſed nomen notificat rem per ſuos effectus. Et ideo *veſtimentum* dicitur à *veſtiendo*, & *lucerna* à *lucendo* &c. Ideo dicit *Auguſtinus,* G quòd *Verbum Divinum, qui eſt Filius, explicat totam ſubſtantiam & eſſentiam Divinam ab æterno. Sed ut Deus Pater poſſet nobis loqui, & notificare ſua ſecreta, induit Verbum ſuum carne. Et ſic Verbum Dei æternum factum eſt nomen, per quod nomen, & per quem Chriſtum Deus Pater locutus eſt nobis diebus iſtis, & notificavit ſua ſecreta.* Et ſic eſt dicendum: quòd Jeſus Chriſtus ut incarnatus, eſt verum nomen Dei realiter.

De nomine Jeſu.

Tertia concluſio: quòd ſolus *Jeſus* notificavit toti mundo ſupradicta quatuor myſteria, tàm perſonalia, quàm eſſentialia. Probatur primum. Nam ſolus ipſe notificavit nobis myſterium Trinitatis, cùm dixit: *Cum venerit Paraclitus quem mittet Pater in nomine meo &c.* Item notificavit H nobis humanitatem Verbo incarnatam, cùm dixit: *Pater major me eſt*: & notificavit unitatem eſſentialem, cùm dixit: *Pater & ego unum ſumus.* Secundò notificavit toti mundo illa quatuor myſteria eſſentialia: primò Divinam omnipotentiam in ſua nativitate, & vitâ ſuâ, & per miraculorum operationem, mortuos ſuſcitando &c. Item notificavit ſuam ſapientiam in legis donatio-

Chriſtus mundo quatuor myſteria notificavit.

tione, & Ecclesiæ constructione, & fundatione, & Spiritus sancti missione. Item notificavit suam misericordiam in sua Passione, per quem facta fuit copiosa redemptio, totum proprium sanguinem largiendo. Item quartò notificavit summam justitiam, & judiciariam potestatem in die Ascensionis, quando sedit à dextris Dei: quam quidem justitiam magis notificabit in finali judicio, quando veniet *cum potestate magna & majestate &c.*

Ex quibus patet, quòd solus *Jesus* Salvator noster fuit ille, qui notificavit omnia mysteria, & secreta, & virtutes hujus nominis Dei quatuor litterarum: quòd quidem nomen magno opere, & affectu desiderarunt scire, & intelligere omnes Patriarchæ & Prophetæ veteris Testamenti. Immò dicunt omnes Doctores Hebræorum, quòd totum desiderium Patriarcharum, & Prophetarum fuit, scire, & intelligere virtutes, & proprietates illius nominis, quod solus Messias debet mundo notificare.

Ex quibus etiam patet, quòd solus *Jesus Christus* est verus Messias in Lege promissus: eò quòd supradicta mirabilia mundo notificavit. Item sequitur, quòd hoc nomen *Jesus* est illud *nomen Dei*, quod per illas quatuor litteras importatur, & significatur: primò, quia in hoc nomine *Jesu* illæ quatuor litteræ continentur, & ipsum vocaliter sonant, ut dictum est. Secundò, quia in virtute hujus nominis *Jesus* facta sunt supradicta quatuor *mirabilia in universa terra*, ut patebit per singula. Hoc autem prævidens David in spiritu, dicit: O Domine Jesu-Christe, qui es *Dominus noster, quàm*, id est, quantùm *est*, & erit *admirabile nomen tuum in universa terra*! Quasi dicat, quòd hoc *nomen* Dei quatuor litteris scriptum, quod nos *Adonaï* proferimus, ejus vocem, & mysteria, & proprietates ignoramus, sed scire desideramus: quod quidem nomen *Adonaï* in sola Judæa, & terrâ promissionis nunc invocatur, & nominatur: istud, inquam, nomen in tuo adventu erit *admirabile in universa terra:* eò quòd tunc manifestabitur ejus propria vox & sonus, quod est *Jesus*: in cujus virtute, & sono fient, & manifestabuntur omnia supradicta quatuor mysteria, tàm personalia, quàm essentialia *in universa terra*: quia à Solis Ortu usque ad Occasum invocabitur, & venerabitur *nomen* tuum, quod est *Jesus*.



2. Quoniam elevata ex magnificentia tua super cœlos.

35. d. c. Ab exordio.

QUIA dictum est superiùs, quòd hoc nomen Dei *Jesus* debebat esse *admirabile in universa terra*, eò quòd in ejus adventu & virtute debebant mundo manifestari illa quatuor Dei mysteria, scilicet, summa Dei omnipotentia, & sapientia, & misericordia, & justitia: ideo in hac secunda parte hoc ostendit per singula. Nam primò probat, quòd Jesus notificavit toti mundo *Dei omnipotentiam*, & hoc in miraculorum operatione. Secundò ostendit *Dei sapientiam* in Legis datione, & Ecclesiæ constructione. Tertiò qualiter ostendit summam *Dei misericordiam* in Morte & Passione. Quartò summam *Dei justitiam*, sive *jurisdictionem*: & hoc in sua Resurrectione & Ascensione. Secunda ibi: *Quoniam videbo Cœlos.* Tertia ibi: *Quid est homo.* Quarta ibi: *Gloria & honore.*

Jesus magnificatur.

Quantum ad primum est advertendum, quòd in duobus fuit mundo notificata *omnipotentia & magnificentia* hujus nominis Jesus: primò in miraculorum operatione; quia omnia elementa, & omnes Cœli obedierunt Christo in nomine suo. Secundò, quia duodecim homines rustici & plebei convicerunt primò populum Judaicum inimicum Christi; & convicerunt etiam populum Gentilem: & ultimò destruxerunt diabolum, ultorem, & executorem Divinæ justitiæ. Et totum hoc fecerunt Apostoli, & Discipuli per suam prædicationem, & in virtute hujus nominis *Jesus*: in quibus mysteriis fuit notificata *omnipotentia & magnificentia Dei*, & ejus nominis *Jesus*. Dicit ergo David: O Domine Deus noster, bene admirabile est nomen tuum *Jesus* in universa terra: quoniam in hoc nomine *omnipotentia & magnificentia tua elevata est super* omnia elementa in miraculorum operatione: quia *mare, & venti obedierunt nomini tuo:* quando Jesus præcepit, & *imperavit ventis, & mari*, & liberavit Petrum, & filios Zebedæi &c. Item quando suscitavit Lazarum & cæteros de morte ad vitam. Item quando sanavit *cœcum natum* & cæteros ægrotos. Item quando imperavit *dæmonibus*, & ejecit eos de corporibus obsessis. Item imperavit toti elemento terræ, quando tremuit in sua morte, & resurrectione. Item imperavit inferno, quando in ipsum descendit, & Satanam alligavit, & Purgatorium, & Limbum expoliavit, & *portas ejus æreas confregit &c.* Item *magnificentia*, & *omnipotentia* ipsius *Jesu*, non solùm est elevata super elementa, & super infernum; sed etiam super Cœlos. Nam in sua Nativitate non solùm omnia terrestria,

sed

ſed etiam cœleſtia dederunt ſignum ſuæ magnificentiæ. Nam illicò *facta eſt multitudo cœleſtis exercitûs clamantium, & dicentium: Gloria in Excelſis Deo &c.* & A Angelus annunciavit gaudium magnum Paſtoribus &c. *Lucæ* 2. Item nova ſtella apparuit in Cœlo, quæ *Magos* ad Chriſtum adorandum perduxit. Item in Chriſti Paſſione *Sol fuit obſcuratus & Luna.* Item in die Aſcenſionis Cœlos penetrávit. Et ſic Cœli, & Angelorum agmina obedierunt ei. Ex quo patet, quòd elevata fuit Chriſti *magnificentia*, non ſolùm ſuper infernum, & omnia elementa; ſed etiam *ſuper Cœlos, & Angelos.* Et ſic fuit magnificatum hoc nomen *Jeſus* ſuper omnes Cœlos.

3. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos: ut deſtruas inimicum & ultorem.* B

AD cujus majorem evidentiam eſt advertendum, quòd hoc *nomen Dei Jeſus*, primò fuit mirabile & magnificatum per ipſummet Jeſum in miraculorum operatione: & hoc in ſola terra promiſſionis. Secundò fuit magnificatum in Cœlo: primò in Chriſti Nativitate per cantum Angelorum. Secundò in Cœlo per ſtellæ ductum & apparitionem. Tertiò in ſummo Cœlo per Aſcenſionem, quando Angeli ipſum in Dominum recipientes, clamabant dicentes: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? hic formoſus in ſtola ſua &c. Iſai.*63. Et ſic nomen Jeſus fuit magnificatum ſuper Cœlos per Angelos, ut dictum eſt. Tertiò verò hoc *nomen Jeſus* fuit magnificatum *ex ore infantium & lactentium*, ſcilicet, per Apoſtolos, & C ſimplices *in univerſa terra*, quando in nomine Jeſu convicerunt inimicum populum Judaicum, & Gentilem, & corruerunt nomina idolorum. Et ſic deſtruxerunt, non ſolùm inimicum, ſed etiam diabolum ultorem, & executorem Divinæ vindictæ.

Nota tria impoſſibilia apud Philoſophos.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum ſecundùm *Auguſt.* 22. *de Civitate Dei:* quòd *tria non ſolùm mirabilia, ſed etiam impoſſibilia reputabantur apud Philoſophos ante Chriſti adventum. Primum erat, quòd Deus poſſet fieri homo. Secundum, quòd hoc poſſet mundus credere, maximè Philoſophi. Tertium, quòd hoc myſterium poſſent credere Philoſophi ex doctrina & perſuaſione piſcatorum & plebejorum.* Ex hoc ergo D arguit *Auguſtin.* myſterium Incarnationis eſſe verum. Nam nos videmus, quod non ſolùm mundus, ſed majores Philoſophi, putà, *Dioniſius Areopagita*, & cæteri hoc crediderunt: & hodie pro majori parte omnes credunt, & omnes iſti crediderunt ad prædicationem, & perſuaſionem Apoſtolorum, qui fuerunt ruſtici & piſcatores: E ergo ſequitur, quod poſtquam iſta duo, quæ reputabantur magis impoſſibilia, ſunt vera, ut patet intuenti: ſequitur ergo, quod primum eſt verum, ſcilicet, quod Deus factus eſt homo.

Hoc ergo prævidens David in ſpiritu dicit: O Domine, multum *admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra:* quoniam *ex ore infantium & lactentium*, qui fuerunt Apoſtoli, *perfeciſti laudem*, id eſt, confirmaſti, & autoriſaſti nomen tuum, & *laudem in univerſa terra*, quando miſiſti eos ad *prædicandum Euangelium omni creaturæ.* Et appellat Apoſtolos *infantes*, in quantum fuerunt primitiæ, & infantia, & exordium Eccleſiæ. Et etiam vocat eos *infantes*, quia docuit eos loqui. Nam in principio neſciebant niſi linguam mundanam, & groſſam: & ideo quando loquebatur eis cœleſtia, non poterant intelligere, nec capere, ut patet *Joan.* 6. quando dixerunt: *Durus eſt hic ſermo: & quis poteſt eum audire?* Ideo reſpondit Jeſus: *Verba quæ ego loquor, ſpiritus & vita ſunt &c.* Et ita dicit: *Vos adhuc ſine intellectu eſtis: ſed veniet ſpiritus veritatis, & docebit vos omnem veritatem.* Item: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri &c.* Ex quo patet, quòd Chriſtus docuit eos loqui in die Pentecoſtes, quando miſit eis Spiritum ſanctum, & dedit dona gratiarum: & ideo vocat eos *infantes.* Item vocat eos *lactentes:* quia Chriſtus lactavit eos lacte ſuæ ſapientiæ, & prædicationis: cum antè eſſent idiotæ, & ignari. Ideo ait *Petrus* loquens de hoc lacte Chriſti 1. *Petri* 2. *quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite.* Et ſic frequenter Apoſtoli Diſcipuli Chriſti appellantur G *Pueri*: ut patet *Iſai.*8. *Ego & Pueri mei &c.* Item Chriſtus vocat eos *Pueros*: *Joan. ultimo*, dicens: *Pueri, habetis pulmentum? &c.*

Apoſtoli vocantur infantes.

Ex quo patet, quòd grande miraculum fuit *in univerſa terra*, ut Apoſtoli *infantes & lactentes*, & ſimplices in puritate, & ſanctitate, magnificarent, & dilatarent *nomen* Chriſti per totum orbem, & ſubjicerent Chriſto Principes, & Reges, Imperatores, & Philoſophos. Unde dicit *Auguſt.* quòd *non per Philoſophum piſcatorem, ſed per piſcatorem lucratus eſt Philoſophum, & Imperatorem.* Et ſic tantò fuit majus mirabile *nomen* Chriſti, quando per ſimpliciores homines magnificatum eſt. Item hoc idem impletum fuit ad litteram in die Palmarum, quando non H ſolùm Apoſtoli, ſed etiam pueri Hebræorum clamabant: *Oſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* Unde cùm Phariſæi dicerent Chriſto, *Increpa Diſcipulos &c.* reſpondit Chriſtus allegans

gans hanc Scripturam, dicens : *Nunquid legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?* Unde hîc Christus A non solum *pueros* Hebræorum vocat & appellat *infantes*, *& lactentes* ; sed etiam Apostolos, & cæteros Discipulos. Nam sicut *infans & lactens* nescit de se loqui, nisi sicut mater docet, & facit ipsum loqui : ita Apostoli, & illi *pueri* non à se loquebantur, sed per Spiritum sanctum qui in eis loquebatur, & immittebat in eis lac Divinæ Sapientiæ, & impellebat eos ad loquendum, & dicendum *Benedictus qui venit &c.* Unde illemet Spiritus sanctus, qui posuit lac propheticum in ore David, ut in hoc Psalmo diceret, *Ex ore infantium & lactentium &c.* & Psalmo 117. *O Domine salvum me fac : ò Domine bene prosperare : benedictus &c.* ille Spiritus sanctus movit linguas illorum puerorum & Apostolorum in die Palmarum, ut cantarent, *Benedictus qui* B *venit &c.* & implerent hanc prophetiam.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, dicit hîc : *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Et ibi : *O Domine salvum me fac : benedictus qui venit &c.* Sed subdit hîc, *propter inimicos tuos.* Nam David prævidit in spiritu, quod laus Apostolorum & *puerorum* fuit ad majorem confusionem, & damnationem, & inexcusationem Scribarum, & Pharisæorum. Nam Apostoli ignari Legis Prophetarum, & illi *pueri* ignari litterarum, cognoverunt, & confitebantur Christum esse verum Messiam in Lege promissum, & recipiebant ipsum cantando prophetiam de Messia in scriptura, scilicet, *Osanna,* C id est, salvos nos fac, & *benedictus qui venit &c. Psalmo* 117. & ipsi Pharisæi in Lege periti negabant Christum, livore invidiæ percussi & obcæcati. Nam per hoc poterant cognoscere, Christum esse Messiam ; & *Apostolos & pueros* non loqui à se, sed à Spiritu sancto. Et quia confessio istorum *puerorum & Apostolorum* fuit ad condemnationem Judæorum : ideo ait Propheta, & subdit, *propter inimicos*, id est, ad confusionem inimicorum tuorum Judæorum *perfecisti laudem ex ore infantium &c. Ut destruas inimicum* : sed quia ex tali obstinatione & peccato ille populus perpetravit homicidium, & mortem Christi, propter quod peccatum fuit Civitas, & Regnum destructum, & Sacerdotium ablatum : ideo sequitur : *ut destruas inimicum*, scilicet, populum Judæorum D in peccato obstinatorum. Item sequitur, *& ultorem.*

Diabolus est ultor Dei, & executor ejus justitiæ.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd diabolus fuit, & est *ultor* Dei, & executor Divinæ vindictæ. Nam postquam *Adam* peccavit contra Deum, quasi venundedit seipsum & omnes posteros in possessionem diaboli. Est verum, quòd diabolus non possidebat genus humanum E tanquam verus Dominus, sed tanquam *ultor* Divinæ injuriæ, & executor Divinæ sententiæ. Et sic cruciat malos in inferno, & cruciabat omnes temporaliter bonos, & æternaliter malos. Et sic cruciat hodie Deus malos Christianos per Infideles temporaliter. Ex quo patet, quòd diabolus vere dicitur *ultor* Divinæ injuriæ : quia executor est Divinæ sententiæ. Et sic possidebat totum populum per idololatriam, & totum genus humanum per peccatum: sed Apostoli *infantes & lactentes, perficientes laudes Christi*, & magnificantes nomen ejus per totum orbem, *destruxerunt ultorem*, scilicet, diabolum, destruendo idololatriam & peccatum per prædicationem, & Baptismum. Et sic ergo Christus destruxit inimicum populum Judæorum, & Romanos. Et destruxit diabolum, ul- F torem Divinæ injuriæ per prædicationem Apostolorum. Dicit ergo David : O Domine Jesu, *admirabile est nomen tuum in universa terra* : quoniam *ex ore infantium & lactentium*, scilicet, Apostolorum & Doctorum, *perfecisti*, & auctorizasti, & dilatasti *laudem* nominis tui: *propter inimicos*, id est, ad confusionem & destructionem eorum : & explicat dicens ; *ut destruas inimicum* populum Judæorum, & diabolum *ultorem.*

4. *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum : lunam, & stellas, quæ tu fundasti.*

56. dist. c. Nasci, & 6. q. 1. Si omnia.

G

IN hac secunda parte ostendit, qualiter nomen *Jesus* fuit ad ostensionem summæ sapientiæ, quam notificavit in Legis datione, & Ecclesiæ fundatione & constructione. Ad cujus intelligentiam est notandum : quòd sicut Deus Pater creavit mundum per Verbum, tanquam per principium formale : ita pariter recreavit, & construxit totam Ecclesiam suam per idem Verbum Incarnatum, tanquam per principium formale : & sic totus Christus Deus & Homo, Caput Ecclesiæ, mediator Dei & Hominum, comparatus ad Patrem, dicitur construxisse Ecclesiam tanquam principium formale. Et sic Pater tanquam principium primum dicitur conditor, & Redemptor Ecclesiæ per Filium suum Incarnatum, H tanquam per principium formale, & ideale, sive exemplare. Et sic Filius appellat Patrem *Redemptorem* frequenter in sua Sacra Scriptura, ut *Psalmo* 30. *Redemisti me, Domine Deus veritatis &c.* Sed Christus Deus & Homo frequentius appellatur *Redemptor* in Sacra Scriptura, quia tanquam principium formale. Sed rursus quia in Christo sunt duæ naturæ, scilicet,

Quomodo Christus fuit Ecclesiæ principium.

Di-

Divinitas, & humanitas: ideo licèt ad opera redemptionis, & Eccleſiæ conſtrutionis tota illa perſona concurrat tanquam unum principium indiſtinctum; tamen ſi comparetur humanitas paſſa ad Verbum, non eodem modo concurrit. Nam Verbum concurrit tanquam principium principale activum, & humanitas tanquam principium inſtrumentale conjunctum, ſine quo non facta eſt redemptio, nec Eccleſiæ conſtructio. Et dicit *Damaſcenus, quòd illa humanitas fuit ſemper immediatum & conjunctum inſtrumentum, non ſolùm in paſſione: ſed etiam in multorum miraculorum operatione, & in Legis datione: quia Deus Pater, immò tota Trinitas loquebatur per humanitatem Filii. Unde ad vocem Filii ſuſcitabantur mortui, & mitigabatur mare, & obediebant venti, & inſtruebantur Apoſtoli: & ad flatum ejus receperunt poteſtatem dimittendi peccata &c.* Et ſic patet, quòd humanitas fuit inſtrumentum conjunctum & immediatum divinitatis in fundatione, & conſtructione Eccleſiæ. Sed totus Chriſtus Deus & Homo dicitur unum principium activum & formale reſpectu totius operis Eccleſiæ. Et ſic Jeſus Chriſtus dicitur Eccleſiam conſtruxiſſe & formaſſe. Et ſic conceditur, quod illud Verbum Dei Filius, qui *in principio creavit cœlum & terram*, ſcilicet, cœlum, & terram, & lunam, & ſtellas materiales: illud idem Verbum Incarnatum poſtea creavit Eccleſiam, & cœlos, & ſtellas ſpirituales, & omnia ornamenta Eccleſiæ.

Eccleſia dicitur unus mũdus.

Ad cujus evidentiam eſt ulterius notandum: quòd tota Eccleſia dicitur unus *mundus myſticus*, & ſpiritualis, & conſtructus ad inſtar hujus mundi materialis; cujus *cœli* ſunt *Apoſtoli*, & *ſtellæ* ſunt *Doctores* & *Prælati*: & *luna* eſt totus populus ſimplicium. *Sol* autem hujus mundi eſt ipſe Chriſtus, à quo ſumunt lumen, & influentiam omnes Apoſtoli, & Doctores, & populus. Et ſic Chriſtus ſe habet in hoc ſpirituali mundo velut ſol, qui omnia illuminat, & vegetat, & creat, & nutrit, & habetur ut fabricator hujus mundi ſpiritualis: elementa hujus mundi ſunt *Eccleſiaſtica Sacramenta &c.* Hunc ergo mundum ſpiritualem dicit David, quòd Chriſtus *fabricavit* in virtute ſui nominis. Et ideo Propheta non facit mentionem de ſole in hac recreatione: quia ipſe Jeſus eſt ſol hujus Eccleſiæ. Ideo non creavit ſeipſum; ſed *fundavit cœlos*, ideſt *Apoſtolos*, & *ſtellas*, ideſt *Doctores*, & *lunam*, ideſt *totum populum fidelium*. Hoc ergo prævidens David, & contemplans in ſpiritu, dicit: O Domine Jeſu, *quam admirabile erit nomen tuum in univerſa terra!* nam in tuo adventu oſtendes & notificabis tuam ſummam ſapientiam in toto mundo, in Legis datione, & Eccleſiæ conſtructione. Nam ſicut nunc video iſtos cœlos, & lunam, & ſtellas, & cætera opera hujus materialis mundi, quæ in principio tu fundaſti: ita pariter tunc in adventu tuo videbo *cœlos* ſpirituales, ſcilicet, *Apoſtolos*, & *lunam*, ſcilicet totum populum fidelium, & *ſtellas*, ſcilicet Doctores, & homines ſanctos & perfectos, & *opera* manuum, & *digitorum, quæ tu fundaſti*, in fabricatione hujus *mundi myſtici* & ſpiritualis, quæ eſt Eccleſia tua: quæ quidem *opera* manuum & *digitorum tuorum* ſunt Eccleſiæ Sacramenta.

Ad cujus intellectum eſt notandum, quòd Chriſtus fabricavit iſtos *cœlos*, id eſt Apoſtolos, inſtruendo eos ante Paſſionem, & poſt Reſurrectionem, quando aperuit eis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas. Et in die Pentecoſtes, quando miſit eis Spiritum ſanctum, ubi receperunt omnia dona gratiarum. Et ſic facti ſunt *cœli*, & *ſtellæ* hujus mundi ſpiritualis. *Lunam* autem, ſcilicet totum populum fidelium regeneravit, & fabricavit per Baptiſmum, & cætera Sacramenta. *Opera digitorum ſuorum*, ſcilicet Eccleſiaſtica Sacramenta, *fundavit*, primò in ſuo Baptiſmo, ubi contulit aquis virtutem regenerativam per ſuum contactum &c. Secundò in ſua Paſſione, quando ex ejus latere *exivit ſanguis & aqua* in remiſſionem peccatorum, unde omnia iſta Sacramenta traxerunt & receperunt virtutem.

5. *Quid eſt homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?*

6. q. 3. a. Ad menſã, & 14. quæſt. 1. c. Que dignior.

Charitas Patris oſtenditur erga hominẽ magis quam erga Angelum.

IN hac tertia parte David admiratur miſericordiam, & charitatem Dei Patris, & humilitatem Filii in myſterio noſtræ redemptionis. Unde eſt advertendum & notandum ſecundùm *Auguſtinum*, & *Gregorium*, quòd in hoc Deus Pater oſtendit maximè ſuam charitatem & miſericordiam circa hominem; quia ut ipſum redimeret, Filium ſuum tradidit: & in hoc oſtenſa eſt ſimul miſericordia, & obedientia Filii; quia ut Patri obediret, & homini miſereretur, & miſeriam hominis ſublevaret, ſeipſum ſponte obtulit morti & paſſioni: & quod maximum eſt, cum eſſet Deus, factus eſt homo, ut hominem redimeret. Unde Chriſtus cum eſſet Deus, oblitus eſt ſuæ dignitatis & deitatis, ut eſſet memor noſtræ fragilis & miſeræ humanitatis. In hoc ergo oſtendit, tam Pater, quàm Filius ſuam ineffabilem miſericordiam & charitatem: quia memor fuit hominis lapſi, qui eſt tam parvæ dignitatis, & infimus inter creaturas intellectivas, & ingratus, & rebellis contra Deum.

Nam communiter res digniores, & superiores obliviscuntur, & contemnunt inferiores: sed Deus non oblitus, immò memor hominis, factus est filius hominis, carnem assumendo, ut hominem redimeret & liberaret: & hoc vult dicere hìc David. Nam prævidit in spiritu, qualiter Deus, licèt per magna tempora, permisit hominem affligi in potestate diaboli: tamen non totaliter debebat ipsum oblivisci: immò memor miseriæ & fragilitatis ejus, debebat incarnari, & pro homine pati, & ipsum liberare. A

Ex quo patet, quòd majorem charitatem & misericordiam ostendit homini, quam Angelo. Nam hominem assumpsit, & redemit, & non Angelum. Et ideo valdè admiratur David dicens: O Domine, *quid est homo*, & quam dignitatem habet in se, *quòd* sic *es memor ejus*? ejus carnem assumendo; cum sit infimæ naturæ, & miseræ, & indignæ? & non assumpsisti, nec redemisti Angelum, cum sit nobilioris naturæ: quasi dicat: hoc est admirabile, & incomprehensibile, excedens humanam intelligentiam, & facultatem: quia memor es hominis, & oblitus es Angeli. *Aut*, quid est, supple, *filius hominis* Christus, qui est verus Deus, *quoniam visitas eum* per mortem, & passionem propter hominem, & ut per ipsum, hominem redimas, & liberes? Quasi diceret, quid meruit homo, ut pro ipso Christum affligas? B

Adam idem est quod homo.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd *Adam* in Chaldæo & Hebræo idem est quod *terra rubra*. Et sic ubicumque in Scriptura in Chaldæo & Hebræo scribitur *Adam*, in Latino habetur *homo*, quod idem est. Nam *homo* dicitur ab *humo*, quod est *terra*: eò quòd *Adam*, sive *homo* fuit formatus ex terra. Et ideo pro majori parte, ubi in Scriptura ponitur *homo*, intelligitur *Adam* cum tota sua posteritate: & quando in Scriptura ponitur *filius hominis*, vel *filii hominum*, intelliguntur *filii Adam*: & ita reperitur apud Hebræos. Nam *Adam* numquam dicitur *filius hominis*, nec *filius hominum*: quia non fuit genitus ab homine, sed à Deo formatus: ideo dicitur *filius Dei* per creationem, & non per generationem. C

Sed omnes descendentes ab *Adam* dicuntur *filii Adam*, sive *filii hominum*, eò quòd sunt geniti ex homine masculo, & ex homine fœmina. Sed quia Christus, licèt secundùm carnem descendat ab Adam, tamen non per naturalem generationem, quia non ex masculo & fœmina simul, sicut cæteri, sed ex sola Maria Virgine opere Spiritus sancti, & ideo Christus non potest dici filius hominum, sed filius hominis: quia est filius Mariæ, quæ est homo fœmina: quia hoc nomen *homo* est communis generis ad masculum & fœminam, sive ad virum & mulierem: & ideo Christus propter duo dicitur *filius hominis* in Scriptura. D

Quare Christus non dicitur filius hominum

Primò, quia est filius ipsius Adam secundùm carnem, non descendens per generationem naturalem ex viro & muliere. Secundò, quia est filius solius Virginis. Et sic sortitur hoc speciale nomen. Et ideo ubicumque in Scriptura ponitur *homo*, intelligitur *Adam* cum tota sua posteritate: & ubi ponitur *filii hominum*, intelliguntur solum descendentes ab *Adam* per naturalem generationem ex viro & fœmina. Et per *filium hominis* intelligitur semper Christus Deus, & homo, sive in quantum homo. David ergo prævidens, qualiter Deus Pater misertus, & memor ipsius hominis, scilicet ipsius *Adam* cum tota posteritate, ut ipsum liberaret, debebat mittere Verbum Divinum Filium suum, & facere ipsum filium hominis, carnem ex Virgine assumendo, ut in ipsa pateretur, & flagellaretur, & crucifigeretur pro homine; quam rem non erat facturus pro Angelo lapso: ideo admiratur David dicens: O Domine Pater, *quid est homo*, scilicet Adam cum tota sua posteritate? & quid tibi meruit, *quòd* ita *memor es ejus*, Filium tuum in carne mittendo? *aut* quid est, aut quid demeruit *filius hominis*, scilicet, filius Virginis, *quoniam* sic *visitas*, & affligis *eum* dura morte, & passione, & fame, & siti, & cæteris humanis defectibus: cum ipse sit Deus, & innocens sine peccato? Item cum sit Deus major Angelis, E F

6. Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum. G *Heb. 2. b.*

MINUISTI *eum paulò minùs ab Angelis*, faciendo ipsum filium hominis, & mortalem, & passibilem pro homine. In *Hebræo* habetur: *Quid est homo, quoniam memor es ejus*? *aut filius Adam, quoniam visitas eum?* Unde Christus semper se nominat *filium hominis*, id est, filium Adam: eò quòd ex *Adam* accepit carnem, ut ipsum redimeret cum sua posteritate.

David de multis admiratur.

Hìc est advertendum, quòd David admiratur non solùm propter unum, sed propter multa. Primò, quomodo Filius Dei cum sit Deus, major Angelis, factus est homo: & quomodo est possibile? Secundò, quare Verbum assumpsit hominem, qui est infimæ naturæ, & non Angelum, qui est nobilioris naturæ? Tertiò, quare *fuit memor hominis*, & oblitus est Angeli? quia hominem redemit, & non Angelum; cum uterque esset peccator, & rebellis. Quartò, quare voluit sic visitare, id est, affligere Christum talibus tormentis, & tali genere passionis, cum esset innocens? H

Quin-

Quintò, quia videtur quod per talem incarnationem eſſet factus Chriſtus minor Angelis in dignitate, & poteſtate. Iſta quandoque admiratur David de myſterio A Incarnationis, & Paſſionis Chriſti, non ex defectu fidei: quia iſta in ſpiritu prævidebat: ſed admirabatur ineffabilem Dei miſericordiam, & charitatem, quam comprehendere non poterat.

Unde nota, quod tria tanguntur in his tribus particulis. Primò miſericordia Patris, qui memor, & miſertus hominis perditi, Filium proprium morti tradidit: cùm dicit: *Quid eſt homo, quod memor es ejus*? Secundò notatur patientia, & obedientia Filii, qui paſſus eſt talibus tormentis *viſitari* & affligi, ut Patri obediret, & genus humanum liberaret, per hoc quod ſubdit: *Aut filius hominis, quoniam viſitas eum.* Tertiò notatur ejus Filii humilitas: quia *humiliavit ſemetipſum formam ſervi* B *accipiens*, per hoc quod ſequitur: *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis*: & ſic tàm in Patre, quàm in Filio notificata fuit mundo, & *in univerſa terra* ſumma Dei miſericordia per myſterium Paſſionis.

Duo homines dicuntur principia generis humani.

Gloria & honore. Hìc David in hac quarta parte admirabatur Divinam juſtitiam, & præmium, quod Chriſtus conſecutus eſt ex meritis ſuæ Paſſionis, & tantæ obedientiæ & humilitatis. Ad cujus evidentiam eſt primò advertendum, ſicut dictum eſt *in Prologo*, *Tractatu* 2. quòd duo homines dicuntur principia generis humani, ſcilicet, *primus Adam*, qui eſt principium omnium hominum carnalium per generationem naturalem; & *ſecundus Adam*, ſcilicet, Chriſtus, qui eſt principium omnium hominum ſpiritualium per baptiſmalem regenerationem C: unde omnia quæ *primus Adam* perdidit per inobedientiam, recuperavit Chriſtus per ſuam humilitatem & obedientiam, implendo voluntatem Dei Patris. Unde Deus conſtituerat *Adam* ſuper omnia opera creata, ut *præſideret & dominaretur piſcibus maris, & volucribus cœli*, ut patet *Geneſ.* 2. Sed propter peccatum, & inobedientiam fuit ejectus à tali honore, & dominio. Ideo Deus Pater conſtituit Chriſtum Filium ſuum, qui in quantum homo Patri obediendo, recuperavit omnia, quæ *primus Adam* perdiderat. Et ſic Deus Pater *ſubjecit* Chriſto *omnia ſub pedibus ejus*, ſcilicet, *oves, & boves, volucres cœli, & piſces maris.* Et hoc eſt quod miratur David in hac parte, dicens: D *Quid eſt homo &c.* Quaſi dicat, quid meruit homo, ſcilicet, *primus Adam, quòd memor es ejus:* cum ſit peccator? Aut quid demeruit *filius hominis*, ſcilicet, Chriſtus, *quoniam* taliter *viſitas eum* per mortem, & paſſionem; cum fuerit innocens ſine peccato: & cur *minuiſti ipſum paulò minus ab Angelis*, cum ſit major Angelis? Quia licèt ſecundùm deitatem ſit immortalis, & impaſſibilis: tamen adhuc ſecundùm humanitatem, non merebatur mortem; quia non ex opere Adam natus eſt, nec peccavit in illo, nec in ſe. Verumtamen licèt E minueris ipſum ab Angelis, ipſum morti ſubjiciendo; tamen poſteà propter realem obedientiam feciſti ipſum majorem Angelis. Nam *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.*

Tria meruit Chriſtus per ſuam Paſſionem.

Secundò eſt ulterius notandum, quòd tria principaliter meruit Chriſtus propter ſuam paſſionem, & obedientiam, & humilitatem ad Patrem, & propter immenſam charitatem erga genus humanum. Nam primò meruit liberare totam humanam naturam de poteſtate diaboli: & hoc offerendo ſuam vitam & ſanguinem pro nobis in pretium. Secundò meruit immortalitatem & reſurrectionem pro ſe, & membris ſuis: & hoc ratione ſuæ obedientiæ & charitatis, quia propter nos *fuit viſitatus.* Tertiò meruit univerſale dominium, & judiciariam poteſtatem ſuper homines & Angelos in cœlo, & in terra, & in inferno, & meruit univerſaliter dominium ſuper cœlos, & omnia elementa, & omnes creaturas, tam rationales, quàm irrationales: & hoc quia *exinanivit, & minuit ſeipſum paulò minùs ab Angelis*, & humiliavit ſe, factus obediens Patri uſque ad mortem, *ad Epheſ.* 2. Ex quibus patet, quòd majus fuit meritum Chriſti, quam peccatum ipſius *Adæ:* quia plura recuperavit Chriſtus per ſuam paſſionem & humilitatem, quam perdidit *Adam* per peccatum. Nam Adam ſolum perdidit dominium, & poteſtatem quam habebat tantùm ſuper creaturas irrationales, & animalia bruta. Sed Chriſtus G adeptus eſt poteſtatem & dominium, non ſolummodo ſuper homines & animalia bruta, ſed etiam ſuper omnes Angelos & dæmones, & ſuper omnes Cœlos, & omnia elementa, ut ipſe dicit *Matthæi ult: Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra &c.* Hoc ergo prævidens David in ſpiritu dicit: O Domine Pater, *quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra* quantum ad juſtitiam & æquitatem! Nam licet minueris Filium tuum Jeſum paulò minùs ab Angelis, faciendo ipſum filium hominis mortalem, & paſſibilem, & viſitaveris, & cruciaveris eum dura morte & paſſione pro homine liberando: tamen propter merita ſuæ humilitatis & mortis, H tribuiſti ipſi juſtum præmium. Nam primò *gloria & honore coronaſti eum*; quia ipſum de morte ad vitam glorioſam ſuſcitaſti; quod pertinet ad gloriam. Secundò in Cœlum recepiſti, & in dextera tua collocaſti, & univerſalem poteſtatem in Cœlo, & in terra, & in inferno ei tradidiſti, & tanquam Regem hominum & Angelorum coronaſti: quod pertinet ad honorem. Unde non ſolùm conſtituiſti ipſum ſuper creaturas rationales; ſed etiam conſtituiſti

Majus meritum Chriſti, quam peccatum Adæ.

cum

eum super omnia opera manuum tuarum. Nam

Hebr. 2. 96. dist. Cum ad verum.

7. *Omnia subjeciſti ſub pedibus ejus:* A *oves, & boves univerſas, inſuper & pecora campi.*

8. *Volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.*

OMNIA creata ſubjeciſti *ſub pedibus* & poteſtate *ejus*, ſcilicet, *oves*, & *boves univerſas*, & inſuper ſubjeciſti ipſi *omnia pecora campi*: & omnes *volucres cœli*: & omnes *piſces maris*, *qui perambulant*, & natant *ſemitas maris*.

Ad cujus intellectum eſt advertendum, quòd omnia iſta animalia, & etiam elementa, fuerunt realiter & litteraliter ſubjecta virtuti nominis Chriſti, & ejus poteſtati: nam *mare & venti obedierunt ei* ante & poſt reſurrectionem, & etiam piſ- B ces obedierunt ei: nam in virtute & præcepto Chriſti Apoſtoli laxarunt rete, & cœperunt magnam multitudinem piſcium, ut patet *Lucæ* 5. & *Joan.* 21. Sed etiam iſta locutio Prophetæ intelligitur metaphoricè. Nam per *oves*, & *boves* non ſolùm intelligit beſtias, ſed etiam rationales creaturas per hujuſmodi intellectas. Nam per *oves* intelligit populos, & ſtatus inferiores hominum: & per *boves* intelligit Reges, Principes, & majores: & per *pecora* campi intelligit gentes barbaras, quæ ad modum pecorum vivebant, campos & nemora peragrantes: ſicut ſunt *Scythæ*, & *Æthiopes*, per deſerta jugiter errantes. Et per *piſces* intelligit habitantes in inſulis maris; & *perambulantes ſemitas maris* intelligit navigantes. Itaque nulla regio, nulla ha- C bitatio, nulla hominum conditio ſecluditur à Chriſti, & ejus nominis poteſtate. Item per *volucres cœli* intelligit Angelos, qui ceciderunt de cœlo: & etiam bonos, qui in cœlo manſerunt: Angeli enim dicuntur *volucres* à *volando*, & à *velocitate* intelligentiæ, & virtutis. *Omnia* ergo Pater *ſubjecit ſub pedibus*, & poteſtate Chriſti, etiam in quantum homo eſt: & hoc ab inſtanti ſuæ conceptionis. Sed hoc magis apparuit in ſua vita per miraculorum operationem. Sed multò magis fuerunt manifeſtata in ſua reſurrectione, & aſcenſione. Sed multò maxime manifeſtabitur executio ſuæ poteſtatis in finali judicio. Ideo David in fine hujus Pſalmi admirando virtutes & D poteſtatem hujus *nominis Jeſus* propter omnia ſupradicta, admirando concludit quod in principio præmiſit, dicens:

* * * \

manifestavit in universa terra perfectiones essentiales, quas significabat illud nomen Dei *Tetragrammaton*. Probatur: nam Christus primò per se, & ex consequenti A per suos Apostolos, manifestavit *omnipotentiam* Dei in universa terra per operationem miraculorum. Secundò manifestavit Dei *sapientiam* in fundatione Ecclesiæ, & datione Legis Euangelicæ. Tertiò manifestavit Dei *misericordiam* in morte, & passione, & in peccatorum remissione. Quartò manifestavit Dei *justitiam*: quia Pater omnia subjecit sub pedibus ejus, & tradidit ipsi judiciariam potestatem, & dominationem super omnes creaturas.

Quinta conclusio: quòd nomen *Jesus*, quod est *nomen Dei*, per adventum Christi fuit manifestatum, & magnificatum, non solùm *in universa terra*; sed etiam in cœlo, & in inferno: quia *in nomine Jesu omne genu flectitur &c.*

Judæorum quæstio, seu objectio.

Sed contra prædictas conclusiones, & B contra totam supradictam Expositionem arguunt Judæi moderni dicentes: quòd hoc nomen *Jesus* non est *nomen Dei Tetragrammaton*, nec illud *nomen Dei admirabile in universa terra*, de quo loquitur David in hoc Psalmo, quod erat manifestandum in adventu Messiæ. Unde arguunt primò sic. Illud nomen fuit ignotum, & incomprehensibile Patriarchis & Prophetis, & erat manifestandum per solum *Messiam* in Lege promissum: quia tunc erit *nomen novum*, *quod os Domini nominavit*, ut patet *Isai.* 62. sed hoc nomen *Jesus* est nomen antiquum & notum Patriarchis & Prophetis: quia multi vocati sunt hoc nomine *Jesus*; putà *Jesus filius Nave*, qui introduxit Israel in terram promissionis: & *Jesus filius Josedech* Sacerdos magnus, qui C ædificavit secundum Templum: & *Jesus filius Sirach*, qui renovavit sapientiam: ergo hoc nomen *Jesus* non est illud *nomen Dei Tetragrammaton.*

Secundò arguunt sic. Nam illud nomen Dei *Adonai* debet comprehendere totam plenitudinem Divinitatis, & totum pelagus Divinarum perfectionum, & virtutum. Et ideo dicitur *ineffabile & incomprehensibile*, quia est nomen omnipotentiæ, & virtutis: in cujus virtute *Messias* debet detegere omnes thesauros absconditos, & subjicere sibi totum orbem, & cogere Angelos, & dœmones venire ad suum imperium: immò dicunt, quòd in virtute hujus nominis suscitabit mortuos: & convertet ferrum & stannum in argentum & aurum: & mutabit montes ex uno loco ad alium: quia cum manu capiet mon- D tem *Sinai*, & montem *Thabor*, & junget eos cum monte *Sion*, & super eos reædificabit magnam & novam Hierusalem pro suis Judæis. Sed nos videmus, quod ad invocationem hujus nominis *Jesus* nihil horum fit: ergo sequitur, quod non est illud nomen *Adonai*.

Tertiò arguunt sic. Nam illud nomen Dei in adventu *Messiæ* debet *dilatari & magnificari à solis ortu usque ad occasum*, E ut patet *Malach.* 1. sed hoc nomen *Jesus* non est magnificatum, nec notum apud Saracenos, nec Judæos, nec apud Indos, nec manifestatum in aliquibus partibus mundi: igitur non est illud *nomen Dei* magnificum, & *admirabile in universa terra:* nec est adhuc manifestatum. In oppositum est Salvator, *Joan.* 17. qui dixit: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus.*

Quæstionis enucleatio.

Respondeo. In hac quæstione erunt duo Articuli. Nam in primo est videndum, an possit esse aliquod nomen ita sufficiens, & proprium, quod comprehendat, & notificet totam essentiam & plenitudinem deitatis cum omnibus perfectionibus suis? In secundo verò videbitur, an possit reperiri aliquod nomen vocale, ita proprium ad F notificandum Deum & Messiam in Lege promissum, sicut est hoc nomen *Jesus*? Quantum ad primum est notandum secundùm *Aristotelem*, *secundo de Anima*, & *septimo Metaphysicæ*, quòd intellectus noster in sui prima operatione apprehendendo rem per sua essentialia, format conceptum diffinitivum rei intellectæ absque compositione, & divisione: quia in tali apprehensione nec dicit rem esse, nec non esse, nisi solùm quicquid est secundùm essentiam suam: quem quidem conceptum Græci appellant *Logon*, id est, verbum, per quem conceptum res dicitur nota tantum ipsi intelligenti. Et dicit *Augustinus* super *Joan.* & *Avicenna* in *Logica sua*, quòd ad hoc quod talis conceptus ad extra notificetur cæteris, oportet quod induat vocem: & tunc per vocem notificatur cæteris. Et tunc G conceptus, sive diffinitio mentalis efficitur *nomen*, quasi *notamen*, quia ut sic cæteris notificatur. Ideo dicit *Aristot.* 1. *Perihermenias*, quòd *nomina & voces sunt notæ earum*, *quæ sunt in anima*, *passionum*, id est, ipsorum conceptuum & cogitationum. Item *quarto* & *septimo Metaphysic.* dicit, quòd *nomen significat diffinitionem*: ex quo patet, quòd *nomen vocale* in se includit conceptum simul & vocem: quia *nomen* non est aliud, nisi *conceptus notus per vocem*, sive vox explicans & notificans conceptum & verbum mentis. Ita ergo di- „ cit *August.* 15. *de Trinitate*, quòd sicut „ nos per simplicem intelligentiam forma- „ mus conceptum diffinitivum de tota es- „ sentia rei, quod dicitur Verbum expli- „ cans totam essentiam rei: ita pariter „ Deus ab æterno intelligendo se, dicit H „ Verbum de tota memoria sua fœcunda, „ & per consequens de tota essentia, & „ substantia sua, diffiniens, & comprehen- „ dens totam essentiam & substantiam „ suam, & plenitudinem suæ deitatis, & „ pelagus omnium suarum perfectionum. „ Nam cum illud Verbum sit de tota subs- „ tan-

Nota.

„ tantia ipsius dicentis, in eo sunt, & ap-
„ parent omnes Divinæ perfectiones, &
„ ideæ omnium rerum. Et sic Deus Pater A
„ per illud Verbum diffinit & comprehen-
„ dit seipsum secundùm totam plenitudi-
„ nem suæ deitatis & perfectionis. Et sic
„ infinitè seipsum comprehendit & diffinit.
„ Ex quo patet, quòd illud Verbum non
„ potest esse finitum, nec temporale, nec
„ successivum, sed æternum: quia Pater
„ numquam fuit sine tali Verbo. Ideo di-
„ citur *Joann.* 1. quòd *in principio erat*
„ *Verbum, & Deus erat Verbum: hoc*
„ *erat in principio apud Deum.* Rursus
„ quia in tali Verbo sunt ideæ omnium re-
„ rum, à quo dependent secundùm suum
„ esse: ideo Pater solo Verbo dicendo *ad*
„ *extra* omnia creavit extempore. Et ideo
„ subdit Euangelista, quòd *omnia per ip-*
„ *sum facta sunt &c.* Dicit ulterius *Au-*
„ *gustinus*, quòd sicut Verbum nostrum,
„ sive conceptus, ad hoc quod notificetur
„ *ad extra*, & notificet rem, oportet, quod
„ efficiatur *nomen* induendo vocem: quia B
„ aliter esset nota soli intelligenti: ita pa-
„ riter Deus Pater, ut notificaret nobis
„ Verbum & Filium suum, & voluntatem
„ suam toti mundo, induit *Verbum* suum
„ carne, & fecit ipsum *nomen*, per quod
„ nobis locutus est. Et Christus sic Ver-
„ bum incarnatum factum *nomen*, notifi-
„ cavit nobis Divina mysteria, quæ usque
„ ad illud tempus mundo fuerant occulta.
„ Ideo subdit Euangelista, quòd *Verbum*
„ *caro factum est, & habitavit in nobis:*
„ *& vidimus gloriam ejus &c.* Et sic pa-
tet, qualiter *Verbum* Dei æternum factum
est *nomen*, temporaliter & noviter carnem
assumendo.

His habitis, ponitur *prima conclusio*, *Conceptus creatus nō potest comprehendere Deum.* scilicet, quod nullus conceptus creatus potest comprehendere, nec explicare, nec diffinire Deum secundùm totam essentiam, C & substantiam, & plenitudinem suæ deitatis, & perfectionis. Probatur. Quia nullum finitum potest comprehendere, nec ambire aliquod infinitum, sed Deus quoad plenitudinem deitatis & perfectionis est infinitus: ergo est incomprehensibilis, & indiffinibilis à quocumque finito. Minor patet, major probatur. Nam diffinire nil aliud est, quam rem secundùm totam essentiam comprehendere, & ambire, & concludere, & terminare. Et ideo *Philosophus* 2. *posteriorum* diffinitionem appellat *terminum rei*, eò quòd claudit rem diffinitam, & terminat, & ambit secundùm totam suam essentiam. Hoc idem dicit *Augustinus* 12. *de Civitate*, *cap.*8o. quòd *quicquid scitur, scientis scientiâ comprehenditur, & scien-* D *tis comprehensione finitur &c.* Ex quo patet, quòd solus Deus per Verbum suum seipsum potest diffinire: eò quòd illud Verbum est sibi consubstantiale, & infinitum, & coæternum. Et quia solus Deus de se potest dicere, & producere tale *Verbum*, sui ipsius diffinitivum; immò Deum E dicere *Verbum* de tota substantia sua, nihil aliud est, nisi seipsum diffinire secundùm plenitudinem suæ deitatis.

Quomodo Christus est nomen Dei.

Secunda conclusio: quòd Jesus Christus Salvator noster, scilicet, illa Persona, quæ nos redemit, est *nomen Dei Patris.* Probatur. Nam illa Persona est Verbum incarnatum, factum *nomen* induendo carnem, per quod nobis Pater notificavit suam voluntatem, & suam omnipotentiam, & sapientiam, & misericordiam, & justitiam, & notificavit nobis totum mysterium Trinitatis, & Incarnationis: ergo est *nomen Dei.* Nam sicut conceptus humanus, sive Verbum internum notificat nobis rem per suam essentiam, & per suos effectus per vocem sibi injunctam: ita *Verbum Dei* notificavit nobis per carnem, & humanitatem mysteria Dei occulta, ut dictum est. Unde sicut nomen nostrum vocale continet in se conceptum: ita humanitas Christi F quasi *induit Verbum*, & sic *Verbum* carne indutum notificavit mundo omnia supradicta. Unde sicut nomen nostrum vocale nihil aliud est, nisi *Verbum* indutum voce, seu habens vocem. Ita Christus nihil aliud est, nisi *Verbum Dei* habens carnem, vel *Verbum* in carne, vel *Verbum caro* personaliter *factum*, *Joann.* 1. qui quidem Christus declaravit nobis Legem, & Prophetias, tanquam verum *nomen Dei Patris*: quia *Lex per Moysen data est; gratia autem & veritas per Christum nobis facta & manifestata est.*

Ex supradictis patet, quòd nullum *nomen vocale*, vel scriptum, nec aliquis humanus conceptus, nec creatus, potest diffinire Deum secundùm essentiam, & plenitudinem deitatis, & perfectionis: quia omnis talis conceptus est creatus, & fini-G tus. Et per consequens talis conceptus per nullam vocem humanam indutus poterit notificare Deum secundùm totam suam essentiam & substantiam, nec secundùm plenitudinem suæ deitatis, nec secundùm pelagus omnium suarum rerum & perfectionum: quia hoc convenit soli *Verbo incarnato*, quod est *proprium nomen Dei*, ut dictum est.

Secundò sequitur, quòd persona Christi, scilicet, Verbum incarnatum, est illud *nomen Dei*, *quod os Domini nominavit*, *Isai.*62. quia primò ab æterno est *Verbum* à Patre dictum, & *sapientia*, *quæ ex ore altissimi prodiit*, qui cum Patre, & Spiritu sancto *fuit cuncta componens*, *Prover.*8. & ex tempore est à Patre *nominatum*, id H est, *caro factum.* Nam Patrem Filium *nominare* nihil aliud est, quàm Verbum in carne mittere. Item sequitur, quòd illud *nomen Dei*, quod per illas quatuor litteras significabatur, non est aliquod *nomen vocale*, nec *scriptum*, sed realis persona

Chris-

Chriſti, ſcilicet, *Verbum* incarnatum: quod quidem nomen deſiderarunt ſcire, & cognoſcere, & videre Patriarchæ, & Prophetæ, & omnes fideles veteris Teſtamenti, in quo expectabant ſalvari, & liberari: unde non expectabant aliquod *nomen vocale*, vel ſcriptum, ſed Filium Dei, in quo, & per quem erant omnes ſalvandi. Unde quando *Iſaias* 30. dicit: *Nomen Domini venit de longinquo &c.* non intendebat dicere, quòd aliquod *nomen vocale*, vel *ſcriptum* deberet venire de longinquo cœlo; ſed perſona Chriſti, ſcilicet, *Verbum in carne.* Item *nomen vocale* non eſt *nomen, quod os Domini nominavit:* quia ex ore Dei non exit aliquod accidens. Sed intendit dicere, quòd *os Domini* ab æterno produxit *Verbum Dei*, & ex tempore miſit ipſum in carne. Hoc idem dicitur *Iſai.* 45. ubi dicit Pater ad Filium arcana ſecretorum: *Ut ſcias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Iſraël. Propter ſervum meum Jacob, & Iſraël electum meum: & vocavi te nomine tuo, & aſſimilavi te &c.* Quæ quidem verba non poſſunt intelligi niſi de ſolo Chriſto Jeſu, quem *Pater nominavit*, & Deum vocavit: cui theſauros abſconditos Sacræ Scripturæ, & cœleſtis gloriæ revelavit: & *cui dedit nomen quod eſt ſuper omne nomen &c.* de quo dicitur *Apocal.* 19. quòd Chriſtus habet *nomen ſcriptum* in diademate, *quod nemo novit niſi ipſe. Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & vocabatur nomen ejus Verbum Dei &c.* Ex quo patet, quòd perſona Verbi incarnati eſt *nomen Dei* incomprehenſibile, quod nemo novit niſi ipſe: quia ſicut ſolus Deus ſe diffinivit illo Verbo æterno: ita ſe nominavit illo *nomine*, ſcilicet Verbo incarnato, ſignificato per illud *nomen Tetragrammaton* veteris Legis: & per hoc *nomen Jeſus* novæ Legis.

Ex ſupradictis patet, eſſe ſtultam, & vanam cupiditatem, & ſolertiam modernorum Judæorum circa intelligentiam, & inquiſitionem, & declarationem illius *nominis Dei* quatuor litterarum, qui videntes tot & tanta ſcripta in Lege & Prophetis de illo nomine, continuè quærunt & inveſtigant declarationem illius. Unde dicunt, quod eſt unum *nomen vocale*, & *ſcriptum*, ſignificatum per illas quatuor litteras, *iod, he, vau, he*, quod non novit niſi *Moyſes*, cum quo fecit illa miracula; & Salomon, cum quo ſcivit omnes ſcientias, & acquiſivit multas divitias. Alii autem dicunt, quòd nullus antiquorum potuit ſcire illud nomen, ſed ſolus *Rex Meſſias*, quem falsò expectant, debet ſcire illud, cum quo revelabit theſauros abſconditos & ſubjiciet totum orbem. Alii autem dicunt, quod *Jeſus Nazarenus* furatus eſt illud nomen ſcriptum à Nicromanticis & Magis *Ægypti.* Et ideo cum illo nomine ſuſcitabat mortuos, & ſanabat ægrotos, & faciebat cætera miracula. Et ideo exinde fuit injecta cupiditas omnibus Rabbinis & Magiſtris Judæorum, inquirendi hoc *nomen*, & proprietates ejus, quod nomen *Semammeforas* appellant, cum quo putant detegere theſauros abſconditos & tranſmutare plumbum, & cuprum, & cætera metalla in argentum & aurum. Et ſic invocant dæmones, ut doceant illud nomen. Et ſic omnes *Rabbini* eorum ſunt Nicromantici decepti à diabolo. Sed quàm ſit ſtulta & vana talis opinio, de ſe eſt manifeſtum. Nam primò iſti decipiuntur circa ſubſtantiam nominis Dei: & quærunt unum *nomen vocale*, vel *ſcriptum*, quod ſolùm eſt in aëre vel charta. Secundò errant circa tempus: quia quod jam venit & factum eſt, quærunt futurum: quia jam venit Chriſtus, qui eſt verum nomen Dei, & revelavit theſauros abſconditos Sacræ Scripturæ, & Regni Cœlorum: & confregit portas & vectes ferreos inferni, & liberavit omnes de ſervitute inferni, & peccati. Et jam mutavit montes: quia humiliavit Principes, & Reges, & Imperatores: & *direxit prava in directa, & aſpera in vias planas &c.* Item errant circa modum inquirendi hoc *nomen.* Nam hoc *nomen*, & ejus proprietates non quæruntur niſi per fidem, & ſpem, & charitatem, & humilitatem: & ipſi quærunt ipſum ex proprio conatu, & per artes magicas. Item errant circa finem & effectum ejus. Nam Deus Pater promiſit, & miſit ipſum ad ſalvandum, & liberandum à ſervitute peccati, & ad dandam gloriam in futuro, & Regnum Cœlorum: & ipſi deſiderant ipſum ad divitias corruptibiles acquirendas, & theſauros temporales detegendos, & dominium temporale adipiſcendum, & opera magica & deteſtabilia facienda. Ex quibus manifeſtè patet eorum deceptio, & vana & ſtulta cupiditas, & ridenda ſollicitudo circa inquiſitionem ejus. Et hoc de primo articulo.

Quomodo Judæi decipiuntur circa ſubſtantiã nominis Dei.

Quantum autem ad ſecundum articulum eſt primò notandum ſecundùm *Philoſophum 7. Methaphyſicæ*, & *ſecundo Poſteriorum*, quòd *ſicut illa eſt melior & perfectior diffinitio, quæ magis explicat diffinitum: ita illud nomen eſt melius & convenientius, & magis proprium, quod manifeſtius notificat rem.* Et ideo ſi eſt aliquod nomen notificans rem, non ſolum quoad eſſentialia, in quantum nomen ſignificat diffinitionem; ſed notificat quoad rei effectus: illud erit magis proprium & ſufficiens: quia ſicut proprium eſt diffinitioni diffinire rem quoad eſſentialia: ita proprium eſt nomini notificare rem quoad ejus effectus, & ſecundùm omnem modum notificandi poſſibilem: quia *nomen* dicitur à *notificando.* Ex quo patet, quòd

illud nomen erit magis proprium Deo, quod plura & magis propria notificat nobis de Deo, non solum quoad essentiam, sed etiam quoad ejus effectus.

Nota de esse & vivere.

Secundò est notandum, quòd ista quatuor se habent per ordinem, scilicet *esse*, *vivere*, sive *vita*, & *salvere*, sive *salus*, & *salvare*, sive *Salvator*. Unde *esse* dicit actum essendi, sive durationem: *vita* autem dicit *esse* cum vitali operatione; quia vivere viventibus est *esse*. *Salus* autem dicit *vitam* cum integritate sine defectu. *Salvare* autem sive *Salvatorem esse*, dicit actum salvandi, scilicet cæteris rebus vitam dare. Et sic ille qui dat salutem, & salvat: ille idem dat *vitam*, & *esse*. Et qui dat *vitam*, & *salutem* & *esse*: necesse est ut de se habeat *salutem*, & *vitam*, & *esse*; quia unum per ordinem includit aliud: & ultimum includit omnia tria per ordinem præcedentia. Sed cum in Deo nullum sit accidens, nec aliquod dependens: ideo essentialiter est quicquid habet. Et sic Deus essentialiter est sua *salus*, & *vita*, & *esse*: etiam est causa omnium *salutis*, & *vitæ*, & *esse*: & per consequens quia solus de se potest dare salutem; ideo essentialiter est Salvator, id est, quia ad ipsum pertinet *salvare*, & *dare salutem*, & *vitam* integram rebus à se creatis.

Esse est proprium Deo.

His ergo habitis, ponitur *prima conclusio*: scilicet, quòd esse simpliciter & per se, est proprium ipsi Deo. Probatur. Nam Deus est *primum necessè esse* à nullo dependens, & *dans esse* omnibus rebus. Ergo soli Deo est proprium *esse*. Hanc conclusionem probat *Avicenna*, & *Algazel in sua Methaphysica*. Et *Philosophus secundo & quinto & decimo Methaphysicæ*. Et ideo dixit Dominus Moysi *Exodi* 3. *Ego sum qui sum: dic Filiis Israël: qui est misit me ad vos. Hoc est nomen meum memorabile in æternum.* Hoc idem probat *Augustinus* 12. *de Civitate Dei*, *cap.* 2. & in plerisque locis.

Vivere est proprium Deo.

Secunda conclusio: quòd *vivere* & *vita*, est proprium ipsi Deo: quod probatur per eandem rationem. Nam si solus Deus vivit, & est vita per essentiam suam, & dat omnibus vitam & vivere: ergo sibi est proprium *vita*, & *vivere*. Hanc conclusionem probat *Philosophus* 12. *Methaphysicæ*, dicens, quòd *esse*, *& vita*, *& voluntas dicuntur de Deo essentialiter*, *ut ipse est sua vita*. Et sic omnibus rebus dat vitam. Et omnia vivunt in ipso: patet *Joann.* 1. quia *quod factum est in ipso vita erat*. Item: *In ipso vivimus*, *movemur*, *& sumus*. *Actor.* 17. Et ideo quia Deus per se vivit, & dat cæteris vitam, hinc est quod Deus semper jurat per vitam suam, dicens *Ezechiel.* 18. *Vivo ego*, *nolo peccatoris mortem &c.* Ideo fideles veteris Testamenti jurabant per vitam Dei. Unde 1. *Regum* 14. dixit Saul: *Vivit Dominus Salvator Israël*, *Jonathas absque retractatione morietur &c.* Et sic jurabant omnes fideles veteris Testamenti. Ex quo patet, quòd *vita*, & *vivere* est proprium ipsi Deo.

Salvare est propriù Deo.

Tertia conclusio: quòd *salus* & *salvare* est per se proprium ipsi soli Deo. Probatur: quia solus Deus per se vivit vitâ integrâ sine defectu, & sine termino: qu a duratio sua est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, libera ab omni infirmitate, & miseria, & defectu. Unde nulla duratio aliorum dicitur propriè *vita*: nam duratio hominum, & omnium animalium & plantarum, tendit ad interitum. Ergo non est propriè, nec simpliciter *vita*, sed tantum secundùm aliquid. Item duratio Angelorum licet non tendat ad interitum; tamen hoc non habent Angeli à se, sed à Deo: & ideo Deo volente, possunt deficere secundùm *Platonem in Timæo*. Et ideo soli Deo est proprium *vivere*, & cæteris ad libitum vitam communicare. Et sic omnes per talem vitam integram, quæ dicitur *salus*, Deum imitari desiderant. Ideo semper amicis salutem optamus dicendo, *salus sit tibi à Deo*: & *salve amice*, id est, vive in æternum. Et sic dicebat *Paulus ad Colossenses quarto*: *Salutat vos Lucas Medicus*, id est, salutem & vitam æternam vobis optat. Item *Terentius in Eunucho:*

—Plurima salute Parmenonem
Summum suum impertit Gnato.

Et ideo quia solus Deus est sua *salus* & *vita* integra, hinc est quod ipsi dicitur in Hymnis:

Sit salus illi decus atque virtus &c.

Et quia solus ipse Deus potest dare talem salutem, scilicet *vitam* integram sine defectu: hinc est quod in tota Scriptura dicitur *Salvator*, & *salutare*, & *salus* nostra. Et sic patet, qualiter ista quatuor per ordinem se includunt, & sunt propria ipsi Deo, scilicet, *esse*, *vivere*, *salus*, sive *salvere*, & *salvare*, sive *Salvatorem esse*.

Salvatorem esse, propriissimum Deo.

Quarta conclusio: licet supradicta quatuor nomina, scilicet, *esse*, & *vita*, & *salus*, & *Salvator* sint propria ipsi Deo: tamen ultimum nomen, scilicet *Salvator* est magis proprium & propriissimum ei, & magis accommodatum. Prima pars est probata per tres conclusiones supradictas. Secunda pars probatur. Nam licet *esse*, & *vita*, & *salus* sint propria ipsi Deo: tamen absque contradictione potest communicare, & communicat ea cæteris creaturis. Nam omnibus communicat *esse*, tam animatis, quàm inanimatis: & solis animatis communicat *vitam*, seu *vivere*: & so-

solis rationalibus & intellectualibus communicat *salutem*, scilicet *vitam* integram, & æternam, & beatam : sed nulli puræ creaturæ communicat, quod possit *salvare*, scilicet *dare salutem*, & *vitam*, & A *esse* : quia hoc soli Deo convenit, cùm sit omnia ista per essentiam. Et sic Deus ista non posset dare alicui puræ creaturæ, nisi faceret ipsam Deum, quod est impossibile. Et ideo hoc *nomen Jesus*, id est *Salvator*, est *nomen* solius Dei *proprium* ; & soli Filio ipsum communicavit ; eò quòd seipsum, *factus obediens usque ad mortem Crucis*, *humiliavit*. Ideo Pater *dedit illi* hoc *nomen*, *quod est super omne nomen &c. ad Philippens.* 2. quod quidem nomen in tantum dicitur magis proprium Deo, in quantum in se continet omnes alias perfectiones, & est puris creaturis incommunicabile quantum ad suum significatum : quia nulla creatura potest *salvare* : id est, *dare esse*, & *vitam*, & *salu-* B *tem*, scilicet vitam integram & felicem sine defectu. Et quia soli Filio suo *hoc nomen* Pater potuit communicare, quia quicquid Filius habet, habet à Patre : ideo sub tali nomine *salutis*, sive *Salvatoris* promisit ipsum mittere in mundum, ut patet in toto Testamento veteri. Unde *Isaiæ* 12. *In illa die haurietis aquas de fontibus Salvatoris* : Item *Capitulo* 35. *Salvator ponetur in ea &c.* Item *Capitulo* 36. *Dabo in Sion salutem.* Item *Capitulo* 64. *Ego propugnator ad salvandum.* Item sub tali nomine receptus est Christus in novo Testamento. Unde *Matthæi primo : Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hoc idem *Luc.* 1. Item sub tali nomine Salvatoris recepit ipsum *Simeon in ulnas suas, di-* C *cens. Nunc dimittis &c. quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Item ipse Christus se nominat *Salvatorem. Joann.* 3. cum dixit : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum : sed ut salvetur mundus per ipsum.* Ex quibus patet, quòd *Jesus*, id est, *Salvator*, est *nomen magis proprium*, quia magis convenit & pertinet ad Christum inter cætera nomina : quia ipsi soli convenit, & nulli alteri ; & magis explicat officium ejus, quam cætera nomina : quia primò & principaliter venit ad salvandum omnes, & dandum *vitam æternam.* Quia hoc nomen *Salvator* duo explicat simul, scilicet redemptionem & glorificationem. Nam *Jesus*, sive *Salvator* est dator saluris, id est, *vitæ integræ* sine defectu & miseria. Quartò exclu- D dit, & abjicit mortem, & omnem miseriam, & dat vitam felicem, quod soli Deo convenit.

Ex quibus patet, quòd Pater, & Spiritus sanctus non excluduntur ab hoc *nomine Jesus.* Nam sicut Pater est æternus, & vita integra ; ita pariter est *Salvator*, & dator æternæ vitæ. Et sic est dicendum de Spiritu sancto : quia Salvator Pater, & Salvator Filius, & Salvator Spiritus sanctus ; non tres Salvatores, sed unus Salva- E tor, & una salus, & una vita æterna. Sed hoc *nomen Jesus* & Salvator in tantum attribuitur Filio, in quantum per ipsum in humanitate facta est nostra redemptio & salus, & in quantum est mediator, & Verbum incarnatum. Quia sicut tota Trinitas creavit nos, ita salvavit nos : & ita dicitur, quòd Pater redemit nos per Filium : immò quia Pater de se & à se habet hoc nomen *Salvatoris* ; ideo donavit ipsum Filio : quia Pater dedit Filio hoc *nomen Jesus, quod est super omne nomen. Ad Philippens.* 2. & sic hoc nomen convenit toti Trinitati. Et hæc est causa quare in primitiva Ecclesia baptizabant *Apostoli* in *nomine Jesu. Act.* 3. eò quia hoc nomen competit toti Trinitati, sed ex nu- F tu Spiritus sancti postea baptizarunt in *nomine* Patris, & Filii, & Spiritus sancti, juxta formam sibi traditam à Christo. *Matth.* 28. & *Marc. ult.* ad explicationem Trinitatis Divinarum Personarum, & ut obviarent perfidiæ *Arianorum* & *Judæorum.* Et sic patet, qualiter hoc *nomen Jesus* est magis proprium ipsi Deo, quia magis, & plures perfectiones explicat : quia explicat creationem, redemptionem, & glorificationem. Et sic explicat totum intentum Sacræ Scripturæ : quia nil aliud intendit tota Sacra Scriptura utriusque Testamenti, nisi ostendere Deum esse unum, primum principium æternum, trinum & unum, & Creatorem, & Redemptorem, & Glorificatorem. Nam si Deus est prima salus, & *vita integra*, & æterna, & da- G tor *salutis*, & vitæ sine defectu : ergo est Creator, & Redemptor, & Glorificator. Et patet etiam quomodo licèt hoc *nomen Jesus*, & *Salvator* competat toti Trinitati ; tamen attribuitur Filio, eò quòd tota Trinitas operata est per eum nostram redemptionem, tanquam per mediatorem, ut dictum est *in Prologo tractatu* 3. & dicetur *Psalm.* 17. Et quia per ipsum Christum manifestatum est hoc *nomen Jesus in universa terra :* quia ipse manifestavit mysterium Trinitatis, & Creationis, & Redemptionis, & Glorificationis. Et ideo verè dicitur *Jesus*, & *nomen Dei.*

Quare baptizabatur in nomine Jesu.

Sed contra omnia prædicta arguitur. Nam dictum est in toto primo articulo, quod *nomen Dei non est vocale, nec scriptum*, sed est ipsa persona Filii, scilicet H *Verbum incarnatum*, quod Patres veteris Testamenti expectabant. In hoc autem secundo articulo dicitur, quod *nomen magis proprium Deo est hoc nomen Jesus*, habens tres syllabas : Ergo contradictio in verbis.

Objectio.

Ad hoc respondetur. Quod Deus habet duo *nomina*, scilicet unum, quo ipse

Deus duo nomina obtinet.

ſe nominat ſe: & alterum, quo nos nominamus eum. *Nomen* quo Deus nominat ſe, eſt *Verbum incarnatum*, ſcilicet, ipſa perſona Filii. Nam in quantum *Verbum* eſt ab A æterno dictum à Patre, eſt conceptus quo Pater diffinit ſe, ut dictum eſt: ſed in quantum incarnatum, eſt *nomen* quo Pater ſe, & per Filium manifeſtavit ſeipſum mundo, & per quem *locutus eſt nobis Pater noviſsime diebus iſtis*, *Hebr.* 1. Ideo ait Salvator, *Joan.* 17. O *Pater*, *manifeſtavi nomen tuum hominibus &c.*

Et ſic patet, qualiter Filius incarnatus eſt *nomen*, quo Deus Pater nominat ſe nobis. Sed hoc *nomen Jeſus* habens tres ſyllabas, eſt *nomen vocale*, vel *ſcriptum*, quo nominamus Deum, & ſpecialiter illam perſonam incarnatam ipſius Filii: ſicut Patres antiqui nominabant ipſum per illud nomen quatuor litterarum, quod idem eſt quod *Jeſus*. Nam illæ quatuor litteræ, ſcilicet, *Jod*, *he*, *vau*, *he*, ſi rectè combinentur in Hebræo cum ſuis punctis, reddunt hoc nomen *Johesſua* Hebraicè, quod idem eſt quod *Jeſous* Græcè, & *Jeſus*, id eſt *Salvator* Latinè. Et ſic hoc *nomen Jeſus* eſt, quo nos nominamus illam perſonam B Chriſti, eò quòd ſignificat Salvatorem, & Redemptorem, & Glorificatorem: quem omnes Patres veteris Teſtamenti expectabant, ut veniret ad ſalvandum, & redimendum genus humanum. Ideo tantopere deſiderabant ſcire proprietatem illius *nominis Tetragrammaton*; non ratione ſigni, ſed ratione ſignificati: quia ſignificabat *Meſsiam* in Lege promiſſum. Et illi tantùm habebant litteras hujus nominis Jeſus, ſcilicet, *Jod*, *he*, *vau*, *he*, in illo *nomine*; ſed non habebant ſonum: quia non pronunciabant niſi *Adonaï*, & ſic nondum habebant proprium ſonum, nec ſciebant proprium ſignificatum; quia neſciebant propriè, quid ſignificabant illæ quatuor litteræ. Et ideo utrumque deſiderabant ſcire, C ſcilicet, ſonum proprium illius nominis quatuor litterarum, & ſignificatum ejus. Sed nobis, quibus *datum eſt noſſe myſterium Regni Dei*, Deus revelavit in novo Teſtamento ſonum illius *nominis Tetragrammaton*, quando Gabriel dixit *Virgini Mariæ*: *Ecce concipies & paries Filium*, *& vocabis nomen ejus Jeſum.* Et hoc idem revelavit *Angelus* in ſomniis ipſi Joſeph, dicens: *Vocabis nomen ejus Jeſum*; & revelavit etiam ejus ſignificatum, cùm ſubdidit: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Sed hoc magis revelavit nobis Chriſtus, cùm realiter prædicavit, & dedit Legem Euangelicam, & pro nobis paſſus eſt, & reſurrexit &c. per quam D Paſſionem nos realiter ſalvavit, & redemit: & ſic fuit notum *nomen Dei* in mundo per Chriſtum, & divulgatum *in univerſa terra* per Apoſtolos; & factum eſt *admirabile in Cœlo &c.*

Dubium.

Sed reſtat adhuc difficultas. Nam *Apoſtoli*, & ſancti viri in hoc *nomine Jeſu* faciebant ſigna, & miracula, ut patet per E totum diſcurſum *Actuum Apoſtolorum.* Ergo ſequitur, quòd virtus faciendi miracula erat in illis tribus ſyllabis brevibus hujus *nominis Jeſus.* Ad hoc reſpondetur, quòd virtus faciendi miracula non erat realiter in illo *nomine* triſyllabo, niſi tanquam in ſigno; ſed illa virtus erat realiter in ejus ſignificato, ſcilicet, in illa perſona Filii, & Verbo incarnato, & in tota Trinitate: quam quidem perſonam Chriſti *Apoſtoli* invocabant ſub illo *nomine*: ſed cauſa quare Chriſtus magis faciebat miracula invocatus ſub illo nomine, erat: quia illud nomen magis notificat dignitatem Chriſti, & omnes ejus perfectiones, & ejus poteſtatem: quia eſt nomen omnipotentiæ, & ſapientiæ, & miſericordiæ, & poteſtatis, & juſtitiæ, ut dictum eſt. Et ideo vult, quod quando nominamus ipſum ſub hoc nomine *Jeſu*, *omne genu flectatur &c.* Et ſic voluit Deus eligere magis hoc nomen, quàm aliud; ut in ejus prolatione Deum adoremus: ſicut voluit eligere crucem; ut in illo ſigno adoremus ipſum. Et ſic patet, qualiter perſo- F na Chriſti, ſcilicet Verbum incarnatum, eſt *nomen Dei*, quo ipſe nominat ſeipſum; & hoc *nomen vocale Jeſus* eſt illud nomen, quo nos Deum nominamus, ſpecialiter perſonam Filii attributivè, eo modo quo dictum eſt.

Nota quomodo virtus faciendi miracula erat in nomine Jeſu.

Ad argumenta.

Sed nunc reſtat reſpondere ad argumenta Judæorum in principio adducta. Ideo ad primum, quando dicitur, quod hoc *nomen Jeſus* jam fuit notum in veteri Teſtamento: ergo non eſt illud nomen Dei &c. Reſpondetur: quòd licèt hoc *nomen vocale* triſyllabum *Jeſus* fuerit notum in veteri Teſtamento: tamen Verbum incarnatum, quod eſt verum nomen Dei, quo Deus nominat ſeipſum, numquam fuit no- G tum, nec manifeſtum in veteri Teſtamento, uſquequò Deus venit in carne: nec etiam *nomen Domini Tetragrammaton* fuit notum quoad ejus proprium ſonum, & ejus proprium ſignificatum, uſquequò per Angelum fuit *Mariæ & Joſeph* expreſſum & revelatum, ut dictum eſt. Item hoc nomen Jeſus valde æquivocè dicitur de *Jeſu Nave*, & de *Jeſu Chriſto.* Nam de illis tribus, ſcilicet, *Jeſu Nave*, & de *Jeſu filio Sirach*, & de *filio Joſedech*, dicebatur hoc *nomen Jeſus* tanquam de figura, in quantum fuerunt figura Chriſti: ſed de Chriſto dicitur *Jeſus* tanquam de veritate figurata per illos, ſicut æquivocè dicitur homo de homine picto, & de homine vero, & vi- H vo.

Ad ſecundum autem cùm dicitur, quòd per illud nomen Dei erant facienda miracula, quod non videmus fieri hodie ad invocationem hujus *nominis Jeſus &c.* reſpondetur, quòd *Jeſus Chriſtus*, qui eſt *nomen*

men Dei, jam fecit infinita miracula in vita, & in morte, & in resurrectione, ut patet per totum discursum Euangelicum. Et *Apostoli* jam fecerunt infinita miracula, A cum invocabant eum sub hoc *nomine Jesu*, ut patet in *Actibus Apostolorum*, & in *Ecclesiastica Historia*, & in *Gestis Martyrum*, & aliorum Sanctorum: eò quòd tunc erant necessaria miracula pro fidei favore. Et Christus jam mutavit, & convertit ferrum, & cuprum in argentum, & aurum, quando populum Gentilem ad fidem convertit: & convertit ferrum, & stannum veteris Legis in aurum, & argentum Euangelicum: & detexit thesauros Euangelicos, qui latebant in Scriptura veteris Testamenti, & hoc *in nomine Jesu*: & in ejus virtute suscitati sunt mortui, & sanati ægroti, & mitigatum mare &c. Et jam ædificavit novam Hierusalem, & dominatus est toti orbi, ut patebit *Psalmo* 18. & 71. Causa autem quare nunc non fiunt tot frequentia miracula sensibilia, est: quia nunc non sunt ita necessaria. Unde duplici ex causa tunc fiebant sensibilia miracula. Primò propter exigentiam temporis, ut infideles videntes miracula, moverentur ad credendum, & venirent ad fidem Christi. Secundò hoc accidebat propter ferventem fidem, & charitatem, & sanctitatem Apostolorum, & Martyrum invocantium Christum sub *hoc nomine*; & sic fiebant miracula propter augmentum christianæ religionis: sicut & propter fidem invocantium. Sed quia christiana religio jam fuit dilatata per universum orbem; ideo non sunt necessaria miracula sensibilia, & corporalia; sed miracula necessaria, & spiritualia jugiter fiunt ad invocationem hujus *nominis Jesus*. Nam jugiter remittuntur peccata in baptismo, & pœnitentia, & extrema unctione: & jugiter confertur gratia in omnibus C Sacramentis, & in orationibus Ecclesiæ ad invocationem *hujus nominis*: sed hoc non percipiunt miseri Judæi, & infideles.

Quare fiebant miracula.

Ad tertium autem respondetur, quòd hoc *nomen Jesus* jam fuit magnificatum, & dilatatum, & prædicatum per totum orbem *à Solis ortu usque ad occasum*, *& ab Aquilone in Austrum*: quia *in omnem terram exivit sonus*, & prædicatio *Apostolorum*: & totus populus venit ad fidem post conversionem *Constantini* Imperatoris: sed postea Saraceni deviaverunt à fide. Verumtamen adhuc *nomen Jesus* est magnificatum inter eos, & in *Alcorano* eorum, & *nomen Virginis Mariæ*. Quod autem Judæi non credant, nec venerentur hoc *nomen Dei*, quod est *Jesus*, hoc accidit ex cæcitate, & D maledictione eorum, sicut jam prophetatum est per omnes Prophetas. Unde de Judæis, & infidelibus persequentibus hoc *nomen Domini*, dicitur *Isai.* 52. *Quoniam ablatus est populus meus gratis, dominatores ejus iniquè agunt, dicit Dominus: & jugiter tota die nomen meum blasphematur*; sed de populo Christiano subdit Propheta: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego qui loquebar, ecce adsum &c.* Ecce ergo, qualiter Judæis manentibus cœcis, & reprobatis, *nomen Domini Tetragrammaton*, quod est *Jesus*, fuit *admirabile & magnificatum in universa terra* per adventum Christi, prout David prophetizavit in hoc Psalmo.

Psalmus IX.

1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.* *Infr. 110 & 137.*

2. *Lætabor & exultabo in te, psallam nomini tuo Altissime,* *10. q. 1. Revertimini.*

F

3. *In convertendo inimicum meum retrorsum: infirmabuntur, & peribunt à facie tua.* *2. q. 4. c. Consuluisti.*

4. *Quoniam fecisti judicium meum & causam meam: sedisti super thronum qui judicas justitiam.* *32. dist. Erubesc.*

Titulus: *In finem pro occultis filii Psalmus David.* Ex Titulo apparet, quod David fecit hunc Psalmum, dirigens nos in Christum, & tempus Messiæ, qui est finis Legis: quapropter cantabatur ad G victoriam vocum. Sed rejectis vanis modis dicendi Judæorum, est advertendum propter id quod additur: *Pro occultis filii*; quòd licèt ad totam Trinitatem pertineat judicare, eò quòd opera Trinitatis sunt indivisa *ad extra*: tamen Filio attribuitur judicium, in quantum homo, sicut ipsa redemptio, eò quòd est *mediator Dei & hominum*, ut dictum est *in Prologo:* & eò quòd fuit missus ad ferendam Legem Euangelicam. Ergo ad eum specialiter pertinet judicare observatores Legis, & transgressores, tribuendo unicuique præmium secundùm opera sua. Quam quidem judiciariam potestatem adeptus est Filius propter suam humilitatem & patientiam, ut dictum est *Psalmo præcedenti.*

H Verumtamen est attendendum, quòd triplex legitur de Christo judicium: scilicet, *judicium discretionis*, & *secretionis*, & *discussionis*, sive publicæ examinationis, & retributionis. Nam primum judicium, scilicet *discretionis*, fecit Christus in primo suo adventu, quando dedit Legem Euan-

Triplex est judicium de Christo.

Euangelicam, in qua discrevit, & separavit granum à paleis, & veritatem ab umbra legali, annullando cærimonialia, quæ A erant figura Legis, & veritatis Euangelicæ: quia *Lex per Moysen data est, gratiâ autem & veritas per Christum facta est*, *Joann.* 1. Discrevit etiam inter veram, & falsam religionem, eligendo Fideles in Ecclesia sua. Et sic ascendens in Cœlum *sedet à dextris Dei*, ubi accepit judiciariam potestatem à Patre, per quam totum istum statum judicat in occulto, & in secreto: sed in universali judicio judicabit in publico. Et ideo omne judicium, quod facit Christus ab Ascensione usque ad finem mundi, vocatur judicium *secretionis*, eò quòd est nobis secretum & occultum, eò quòd non videmus Judicem oculis corporeis; & etiam quia judicata sunt nobis occulta: quia nescimus discernere quomodo sunt judicati illi, qui ab hac vita discesserunt, scilicet, an sint damnati, an salvati: B sed solum generaliter scimus, quod solum boni Christiani salvantur, qui cum charitate discesserunt: & sunt etiam nobis occultæ punitiones malorum, & præmia bonorum. Item videmus in hac vita bonos affligi, & malos temporaliter prosperari: quod non fit sine occulto judicio.

Item videmus, quod licèt mali ad tempus prosperentur; tamen multi eorum, vel in vita puniuntur, vel mala morte finiuntur. Et ideo omnia ista judicia, quæ Christus facit in hoc tempore, dicuntur occulta: unde dicitur, quod cathedram tenet in Cœlis, qui occultè & manifestè judicat in terris. De quibus indiciis occultis est materia hujus Psalmi; de quibus dicitur in Titulo: *Pro occultis filii*, id est, C quod David fecit hunc Psalmum de occultis judiciis, & punitionibus *Christi Filii Dei*, quæ facit præcipuè de malis affligentibus bonos in hac vita: quia nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum. Et etiam judicium finale dicitur occultum, in quantum ejus tempus est nobis ignotum.

Secundò est notandum, quòd David prævidit in spiritu omnes persecutiones, quas passura erat Ecclesia à primo adventu usque ad secundum: & prævidit etiam omnes punitiones, & ultiones, quas Christus debebat successivè facere de persecutoribus, & afflictoribus Ecclesiæ ex suo occulto & justo judicio. Nam licèt Christus permiserit ad tempus suam Ecclesiam ab infi- D delibus & malis affligi: tamen in fine semper punivit malos, & exaltavit, & liberavit bonos, de quibus persecutionibus & punitionibus David fecit hunc Psalmum. Sed est advertendum secundùm *Augustinum*, quòd quatuor principales persecutiones erat passura Ecclesia à primo adventu Christi usque ad secundum. Primò persecutionem Judæorum in Apostolis. Secundò persecutionem Tyrannorum tempore Martyrum. Tertiò persecutionem Hæreti- E corum, & pravorum hominum, in qua nunc sumus. Quarta erit persecutio Antichristi. Sed in omnibus his licèt Christus permiserit Ecclesiam suam ad tempus affligi per malos; tamen semper finaliter liberavit Ecclesiam, & punivit malos. Nam post primam persecutionem punivit Judæos, & Romanos. In secunda punivit Tyrannos Imperatores, & cæteros persecutores Martyrum diversis pœnis, ut patet de *Nerone*, & *Domitiano*, & *Diocletiano &c.* & liberavit Ecclesiam. In tertia punivit Hæreticos, & videmus quotidiè pravos & malos puniri post longam prosperitatem. Quartò puniet Anti-christum, & suos sequaces, antequam Christus veniat ad universale judicium. Et de istis quatuor judiciis occultis fecit David præsentem F Psalmum. Causa ergo finalis, & intentio David in hoc Psalmo est, deterrere, & incutere timorem malis, ut timeant Divinum Judicium, & desistant à peccatis, & inducere bonos ad patientiam in adversis: quia nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum. Duo ergo principaliter agit. Nam primò dicit, se velle *confiteri mirabilia judicia Dei.* Secundò incipit narrare per singula, ibi: *Increpasti gentes.*

Quantum ad primum est advertendum, quòd *confiteri*, idem est quod *veritatem sponte fateri*: & hoc contingit dupliciter. Nam aut confitemur facta nostra, aut facta Dei. Primo modo non possumus confiteri nisi peccata: quia in actibus nostris, ut nostri sunt, non invenitur nisi peccatum, secundùm *Augustinum*: si quid bo- G ni agimus, illud non est ex nobis, tanquam ex nobis: quia *omnis sufficientia nostra ex Deo est* secundùm *Apostolum.* Et ideo talis confessio voluntaria, dicitur *confessio peccatorum*: & hoc pertinet ad pœnitentiam. Ex hac autem confessione dicetur *Psalmo* 31. *Dixi confitebor adversùm me &c.*

Confiteri quid est.

Confessio autem de Deo est triplex: quia aut confitemur ejus excellentiam, & omnipotentiam, ut putà, ipsum esse trinum & unum, & omnium Creatorem, & Incarnatum, & Redemptorem &c. Et tunc dicitur *confessio Fidei*, de qua ait Salvator, *Matth.* 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum &c.* Aut confitemur ejus bonitatem, & miseri- H cordiam. Et sic narramus, & allegamus ejus nobis collata beneficia. Et talis dicitur *confessio beneficiorum*; & pertinet ad gratiarum actiones, & ad laudes. Et de hoc David fecit plures Psalmos, qui incipiunt à *confessione*, putà, *Confitebor*, aut *Confitemini Domino quoniam bonus &c.* Item de hoc fecit omnes Psalmos *Allelujaticos*, & Hymnos de laudibus Dei, memo-

Triplex confessio Dei.

morando beneficia. Tertiò autem possumus *confiteri* justitiam Dei, narrando ejus judicia justa, & occulta, aut manifesta: & A hæc dicitur *confessio justitiæ, & judiciorum occultorum, & ineffabilium, & tremendorum Dei:* & de hac materia est iste Psalmus.

Ideo ait Propheta David: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, id est, non solùm ore, sed toto corde tibi sponte manifestabo, & profitebor omnia mirabilia, & tremenda judicia tua. Unde licèt non possim, nec sufficiam narrare omnia mirabilia in numero in hoc Psalmo: tamen narrabo omnia mirabilia judicia tua in gènere, quæ facturus es, sive fecisti in Ecclesia à primo adventu usque ad secundum. Et licèt ista narratio Judiciorum Dei sit ad terrorem malorum, & pravorum peccatorum: tamen est ad exultationem justorum, ut habeant etiam patientiam in adversis, & B ne desperent in persecutione, sed expectent præmium de sua patientia, & credant futuram punitionem suorum persecutorum. Ideo subdit David in persona Ecclesiæ, & cujuslibet justi: *Ego lætabor* facie, *& exultabo* in gestu *in te*, ô Domine *Altissime*, *& psallam* tibi, gratias agendo de præmio bonorum, & punitione malorum. *Lætabor*, dico, *in convertendo inimicum*, id est, quia convertisti *inimicum meum retrorsum*, scilicet, diabolum, & membra ejus. Littera *Hieronymi* habet: *Gratulabor in te, & psallam nomini tuo, ut reversi sunt inimici mei retrorsum, & corruerunt, & perierunt ante te:* & sic est littera plana.

Nota, quòd *inimicus* Ecclesiæ est primò diabolus in capite, & ex consequenti C membra ejus: membra autem diaboli primò fuerunt Judæi, secundò Tyranni, tertiò Hæretici, quartò erit Anti-christus cum sequacibus suis. Hos Christus *convertit retrorsum*, & fecit retrocedere, quando eis abstulit vires, & debilitavit, & infirmavit, & abstulit arma, in quibus confidebant. Ideo subdit ipse: Inimicus diabolus, & membra ejus *infirmabuntur* in adventu tuo primo, & secundo: *& peribunt à facie tua.* Nam diabolus fuit infirmatus, & ejectus per Baptismum, & Mortem, & Passionem Christi. Et membra ejus, scilicet, Judæi, & Tyranni, & Anti-christus fuerunt primò puniti in hoc mundo temporaliter, & in alio æternaliter cum diabolo. D

E 5. *Increpasti gentes, & periit impius: nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi.* 15. q. 1. *Non est*, & 23. q. 5. §. ult.

HÆC est secunda pars, in qua explicat, & narrat per singula occulta Christi judicia per manifestas punitiones temporales malorum, & inimicorum Ecclesiæ per *judicium secretionis.* Et tria facit. Nam primò prædicit punitionem in hoc mundo temporalem persecutorum Ecclesiæ, tàm Judæorum, quàm Gentilium. Secundò punitionem æternam in inferno omnium peccatorum impœnitentium, sive obstinatorum. Tertiò punitionem Anti-
F christi, & suorum. Secunda ibi: *Cognoscetur Dominus judicia faciens.* Tertia: *Exurge Domine.*

Quantum ad primum est advertendum, quòd dupliciter punivit Christus populum Gentilem, & etiam Judæos. Primò destruendo in eis errorem, & suscitando Fidem, ut inquit *Augustinus.* Et sic destruxit in eis, & exterminavit diabolum. Secundò punivit, & destruxit obstinatos in corpore, & anima. Dicit ergo: O Domine Jesu-Christe, tu *increpasti gentes*, & etiam Judæos gentiliter viventes; & hos *increpasti* per prædicationem Apostolorum, in quibus conversis *periit* diabolus *impius*, qui eis dominabatur: quia destruxerunt omnia idola, quæ adorabant. Et sic *delesti nomen eorum in sæculum sæculi:* quia non ultra nominantur Gentiles, sed
G Christiani, ut patet *Zachar.* 13. *In illa die destruam omnia nomina idolorum, & non nominabuntur ultra. Et omnem spiritum immundum auferam &c.* Item non solùm destruxisti superstitionem Gentilium, sed etiam delesti Regnum, & Sacerdotium Judæorum, & legalia, & cærimonialia: quia non erunt amplius in memoria quoad effectum, ut patet *Isai.* 86. Item, non solùm *delesti* Gentiles, & Judæos spiritualiter, ut dictum est; sed etiam temporaliter. *Duplicitter Christus punivit Judæos*

6. *Inimici defecerunt frameæ in finem: & civitates eorum destruxisti.* 24. q. 5. §. ult. c. *Virga furoris mei Assur.*

H

NAM *frameæ*, id est, arma, & potestates inimici, scilicet, populi Judæorum, *defecerunt in finem*, id est, finaliter, & æternaliter: *& Civitates eorum*, scilicet, Hierusalem, & cæteras *Civitates* Judææ, & Galilææ *destruxisti* per Titum & Romanos in vindictam mortis Christi, & etiam *destruxisti Civitates* Gentilium obstinatorum. Nam misisti pestilentias, & guer-

guerras , & strages inter eos : & hoc in vindictam sanguinis Martyrum , ut patet in *octavo* , & *decimo* , & *undecimo Ecclesiasticæ Historiæ*. Unde licèt Christus ad A tempus permisisset Gentiles persequi Christianos ; tamen in fine Reges Christianorum destruxerunt complures Civitates Paganorum , & subjecerunt eos. Unde *Carolus Magnus* vastavit totam *Saxoniam* , & interfecit omnes Paganos ultra ætatem septem annorum. Item legitur , quod multæ Civitates Paganorum fuerunt fulminatæ & submersæ , & terræmotu subversæ , & viscerali , & etiam externo bello desolatæ. Quæ omnia facta sunt justo Dei & occulto judicio in vindictam sanguinis Martyrum. Et sic

17. *dist. Multis, & 35. q 4. c. 1.*

7. *Periit memoria eorum cum sonitu : & Dominus in æternum* B *permanet.*

MEMORIA illorum obstinatorum *periit cum sonitu* & strepitu armorum , & clangore tubarum ; & tamen *Dominus*, id est , nomen Christi , *in æternum permanet* stabile & firmum cum Ecclesia sua. Nam ipsi conati sunt delere nomen Christi ; & tamen ipsi deleti sunt , & fides Christi manet stabilis & inconcussa. Et sic diabolus fuit extinctus & deletus in se , & in membris suis. Nam primò fuit ejectus foras per Baptismum à conversis. Secundò fuit destructus in membris obstinatis. Nam Principes facti Christiani , obtinuerunt Civitates Gentilium , & comminutis Idolis, consecrarunt Christo templa eorum. Et sic *periit memoria* diaboli , *cum sonitu* prædicationis Apostolorum & Doctorum. C Et etiam *periit memoria* obstinatorum *cum sonitu* divinæ punitionis & sententiæ. Et non solum *periit memoria* supradictorum infidelium , sed etiam *memoria* divitum , & magnorum Principum Christianorum *periit cum sonitu* campanarum & cymbalorum. Nam cum moritur aliquis magnus dives malus , communiter fit magnus sonus campanarum & exequiarum. Et sic *periit memoria* ejus , quia nihil dignum memoria dimittit in mundo. Sed *memoria* justi nunquam *peribit* : quia *in memoria æterna erit justus*. Et sic patet , quod Christus destruxit omnes malos & infideles , & omnes impœnitentes. Et ratio est.

Nam ipse in die Ascensionis assumpsit
judiciariam potestatem : sedens
ad dexteram Patris:
& tunc

* * * * * * * * * * * *

8. *Paravit in judicio thronum* 9. q. 3. c. *Aliorum.*
E *suum : & ipse judicabit orbem terræ in æquitate : judicabit populos in justitia.*

PARAVIT *thronum suum in judicio* : & ideo *judicabit populos in æquitate* & *justitia* : & hoc in occulto. Quia sicut est judex justus ; ita nullum bonum relinquet irremuneratum , & nullum malum impunitum.

9. *Et factus est Dominus refu-* 2. q. 1. *Adversi-*
gium pauperi : adjutor in op- *tas.* & 7.
portunitatibus , in tribulatio- q. 1. *Cum*
F *ne.* *percussio,* & 5. q. 5. *Non omnis.*

FACTUS *est refugium pauperis* populi Christiani vexati , & afflicti : & factus est *adjutor* ejus *in opportunitatibus* , & *in tribulatione* persecutionum.

Et nota , quòd David in toto libro Psalmorum vocat & appellat populum Christianum pauperem , eò quòd Lex Euangelica contemnit omnes divitias mundanas propter Regnum Cœlorum. *Matth.* 5. Item , non solum fuit *adjutor* populi Christiani contra persecutores Paganos; sed etiam est *adjutor in tribulatione* , & persecutione cujuslibet pauperis Christiani justi contra oppressiones divitum. Nam licèt Christus ad tempus permittat malos prosperari , & bonos persequi ; tamen in fine liberat eos , & punit malos. Et sic G Christus liberavit Ecclesiam de manu Tyrannorum. Et ideo , ut justi non desperent in persecutione , sequitur:

10. *Et sperent in te , qui no-* Arg. 8. q. 1. *Clemēs,* & 23. q. 8. *Scire,* 11. q. 3. c. *Ad mensam.*
verunt nomen tuum : quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.

ET *sperent in te , qui noverunt nomen tuum*, quod est *Jesus* , cui proprium est salvare : ideo *non dereliquisti quærentes te Domine.* Quasi dicat : quia proprium est tibi salvare , cum sis *Jesus* : ideo non dereliquisti quærentes , & sperantes in te. Unde nota , quòd ista prophetia fuit impleta tempore *Constantini* , quando Deus H dedit pacem Ecclesiæ per conversionem Gentilium , & quotidie impletur ; quia frequenter Christus punit malos & liberat justos sua potestate.

* * *

11. *Psal-*

8. q. 1. Oportet, 36. di. c. Si quis vult.

11. *Psallite Domino, qui habitat* A *in Sion: annunciate inter Gentes studia ejus.*

HIC David prædicit festivitates, quas Ecclesia incæpit celebrare in memoriam Sanctorum Martyrum, postquam cessavit persecutio tempore *Constantini.* Unde Ecclesia lætatur in celebrando memorias Martyrum, & etiam in punitione Tyrannorum, & persecutorum Ecclesiæ. Ideo David exhortatur fideles ad laudem Dei, dicens: *Psallite*, ò vos Christiani, cantate & agite gratias Domino Jesu-Christo, *qui habitat in* hac *Sion* per gratiam, & in superiori per gloriam, & *annunciate studia ejus*: id est, Legem Euangelicam, & triumphos Martyrum in Ecclesia, celebrando eorum festivitates. Et hoc *annunciate inter Gentes* ad fidem conversas. B

47. di. c. Sicut bi. & 12. q. 3. Gloria Episcopi.

12. *Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum.*

NON *est oblitus clamorem pauperum* Martyrum: immò est requirens sanguinem eorum de manu Tyrannorum: quia in vindictam sanguinis Martyrum punivit *Neronem*, & *Domitianum*, & *Diocletianum* & cæteros Tyrannos.

Sent. 6. a 38. di. Sedulo, & 46. dis. Multi.

13. *Miserere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.* C

HIC forsan Ecclesia liberata à Tyrannis, sive de manu Tyrannorum per *Constantinum*, postea petit liberari depravitate & persecutione Hæreticorum. Unde dicit: *Miserere mei*, ò Domine Jesu-Christe, & libera me de inimicis meis Hæreticis, ut Arianis, & cæteris qui surrexerunt contra me post *Constantinum*: & *vide humilitatem meam.* Et hoc dicit, quia Ecclesia non vicit Tyrannos, & Hæreticos cum armis, sed cum humilitate, & auctoritate Sacræ Scripturæ. *Miserere mei*, dico,

11. q. 3. c. Custodi.

14. *Qui exaltas me de portis mortis: ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* D

QUI *exaltas*, inquit, *me de portis mortis.* Nam fuit persecutio Ecclesiæ per Arianos: quæ quasi superaret persecutionem Tyrannorum, ut ait *Rufinus* 12. *Ecclesiasticæ Historiæ*: ideo Christus exaltavit, & liberavit eam *de por-* E *tis*, & interitu *mortis*, & totalis desolationis, cum misit *Athanasium*, & *Basilium*, & *Ambrosium*, & *Hilarium*, & *Hieronymum*, & *Augustinum* ad defendendum eam de pravitate Hæreticorum. Unde omnes isti, extincto mendacio Hæreticorum, annunciaverunt laudationes Christi, & veritatem Scripturarum *in portis filiæ Sion*, scilicet Ecclesiæ toto orbe diffusæ, ut patet intuenti illam persecutionem. Et ideo subdit Ecclesia:

1. q. 4. c. Homini, §. Econtra.

15. *Exultabo in salutari tuo: infixæ sunt Gentes in interitu quem fecerunt.*

16. *In laqueo isto, quem abscon-* F *derunt, comprehensus est pes eorum.*

EXULTABO *in salutari tuo*, scilicet in nomine *Jesu*; quia, supple, *Gentes*: id est Gentiles & Hæretici, *infixi*, & submersi sunt *in interitu quem fecerunt* & astruxerunt contra me. Nam *peccator*, & populus Gentilium, & cætus Hæreticorum *comprehensus est in laqueo*, *quem absconderunt*: quia ipsi quærebant, & machinabantur laqueum mortis contra fideles; sed ipsi *comprehensi* sunt in morte. Nam *Nero* interfecit seipsum, & *Domitianus* interfectus est à Senatu, & *Diocletianus* grandi & turpi plaga est percussus, G & *Arius* cum suis complicibus, qui cum falsa expositione & intelligentia Scripturarum, volebat fidem & Ecclesiam confundere, ipse in suo mendacio confusus, & interemptus, & à diabolo suffocatus est, & crepuit medius, ut ait *Ambrosius.* Item tota illa bestia sectæ Arianorum, quæ ab inferis extulerat caput, postea triceps facta in se contra se, confusa est. Et sic *in laqueo quem absconderant* contra Ecclesiam, ipsa *comprehensa est.* Et sic communiter videmus pedes peccatorum *comprehensos in laqueo*, quem parant contra justos. Et sic *cognoscetur Dominus judicia faciens*: quia unusquisque *peccator comprehensus est in operibus manuum suarum.*

* *
*

15.q.1.c. Non est, &c. Sunt quędam. Et 11. q. 1. Si quis Sacerdotum, & 7 q.1 c.Denique.

17. *Cognoscetur Dominus judicia faciens : in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* A

18 *Convertantur peccatores in infernum, omnes Gentes quæ obliviscuntur Deum.*

LICET iste versus possit adaptari cum sententia superiori ; tamen eò quòd hîc interponitur, vel præponitur *diapsalma*, videtur quod comprehendat aliud genus sententiæ. Nam superius locutus est, & prædixit punitionem temporalem persecutorum Ecclesiæ : hîc autem in hac secunda parte prædicit punitionem spiritualem omnium peccatorum obstinatorum post hanc mortem in inferno. Nam si peccatores in hac vita non convertuntur, nec corriguntur per punitiones temporales, sed moriuntur impœnitentes : tunc *comprehenduntur in* malis *operibus manuum suarum*, & sic convertuntur & destinantur in infernum in æternum. Potest etiam dici, quòd superius Propheta prædixit judicium & punitiones temporales persecutorum Christi & Ecclesiæ, hîc eorum prædixit perpetuam damnationem factam in inferno. Et sic duplici pœna puniuntur. Dicit ergo David : Dominus Jesus-Christus non solùm *cognoscetur* judex & *faciens* justitiam temporaliter in hac vita ; sed etiam post hanc vitam : immò *cognoscetur* Christus *faciens judicia*, & punitionem de obstinatis post mortem. Nam ipse *comprehendet peccatorem in operibus manuum suarum* : quia veniet ad eum sicut fur, & in illo statu C comdemnabit eum ad pœnam perpetuam. Ideo sequitur, *convertantur :* id est, convertentur & destinabuntur *peccatores in infernum*, scilicet *omnes Gentes*, & carnaliter viventes, *qui obliviscuntur Deum.* Nam hac animadversione percutitur peccator ; ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei, ut inquit *Augustinus.* Sed per oppositum erit de justis. B

19. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis : patientia pauperum non peribit in finem.*

23. q. 1. circamed.

DEUS *non in finem* & æternaliter oblitus est *pauperis justi : nec patientia pauperum peribit*, immò præmiabitur: quia sicut nullum malum impunitum, ita nullum bonum irremuneratum. Ideo, sicut mali æternaliter convertuntur in infernum ; ita justi destinabuntur in gloriam cœlestem. Peccatores ergo qui in vita sua noE luerunt converti ad Deum, nec dimittere peccata : ideo comprehensi sunt in malis operibus. Et sic post mortem conversi sunt in infernum, id est, destinati sunt in infernum. Unde licet talia judicia facta de damnatis, & improbis & impœnitentibus post mortem, sint nobis occulta quantum ad evidentiam : tamen sunt nobis certa quantum ad fidem : quia credimus, omnes impœnitentes æternâ damnatione puniri illicò post vitam ad infernum. D

20. *Exurge Domine, non confortetur homo : judicentur Gentes in conspectu tuo.*

15. q. 1. Sunt quędam.

IN hac tertia parte prædicit persecutionem Ecclesiæ futuram tempore *Anticristi.* Et duo facit. Nam primò prædicit F prædictam persecutionem. Secundò petit ultionem de *Anti-christo* & sequacibus suis, ibi : *Exurge.* Dicit ergo : ò *Domine* Jesu-Christe, *exurge*, ne videaris dormire. Postquam permisisti regnare Anti-christum, veni. *Ne confortetur*, nec prosperetur amplius *homo*, scilicet Anti-christus, qui est homo purus, licet faciat se Deum. Et *judicentur Gentes in conspectu tuo.* Primò occulto judicio temporaliter. Secundò in publico, & universali judicio, æternaliter puniendo. Quasi dicat, accelera adventum tuum, & veni ad judicium: *ne confortetur*, & prosperetur per longum tempus iste *homo* iniquitatis Anti-christus: & non permittas ipsum diu regnare : sed abrevientur dies illius, ne deficiant electi. Quia Anti-christus tentabit delere omnes electos, & trahere ipsos ad hæresim suam. G Ergo veni ad judicium &c.

21. *Constitue Domine legislatorem super eos : ut sciant Gentes quoniam homines sunt.*

De Pœ. di. 2. c. 1. In princi. & 99. di. c. Ecce.

CONSTITUE, & ostende te *legislatorem super eos.* Et *sciant* omnes *Gentes*, quoniam Anti-christus, & sui, *homines* carnales & voluptuosi *sunt*, & non spirituales. Nam in primo adventu tu venisti cum humilitate, & dedisti Legem Euangelicam ; sed contempserunt eam, & noluerunt servare eam, nec tibi credere : immò putarunt te esse hominem purum, & H non Deum. Ideo ostende te verum *legislatorem* in judicio *super eos*, & *sciant* omnes *Gentes* & cognoscant, *quoniam homines sunt*, & carnaliter viventes.

Nota, quòd multi referunt ly *legislatorem* ad Anti-christum, ut sit sensus : O

Do-

Domine Jeſu-Chriſte, poſtquam Judæi, & peccatores carnales & obſtinati noluerunt te recipere, nec Legem tuam ſervare; ideo A conſtitue Anti-chriſtum pſeudo-legislatorem ſuper eos : & permitte eum regnare ſuper eos in pœnam peccati : & *ſciant* & cognoſcant, *quoniam homines* carnales *ſunt*, & ita puniantur &c. *Joann.5. Ego veni in nomine Patris mei, & noluerunt me recipere: veniet autem alius in nomine ſuo, & illum recipient.* Et ſic uterque ſenſus poteſt eſſe verus, & applicabilis litteræ.

15. q. 1. cap. Illa. 40. diſt. Sed illud. 23. q. 5. Quid ergo, & diſ. 19. Anaſtaſius.

22. *Ut quid Domine receſsiſti longe, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?*

23. *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in conſiliis quibus cogitant.*

B

HIC dat cauſam ſui clamoris, & querelæ, & petitionis. Nam quia dixit *Exurge*, id eſt, ne videaris dormire, & ne permittas amplius regnare hominem iniquitatis: ideo ſequitur: *Ut quid*, id eſt, quare, *receſsiſti* tamdiu *longe* à populo, & Eccleſia tua, permittendo ipſam crudeliter concuti, affligi, & vexari, & conculcari per Anti-chriſtum : & *deſpicis* populum Chriſtianum, & quemlibet juſtum *in opportunitatibus & tribulatione* perſecutionis? id eſt, dando opportunitatem Anti-chriſto, & ſceleratis, ut ipſum perſequantur & tribulent. Nam *dum* Anti-chriſtus, & quilibet impius *ſuperbit*, & in ſuperbiam elevatur per potentiam ſibi permiſſam, tunc pauper populus Chriſtianus, & quilibet juſtus *incenditur*, & affligitur, & vexatur. *Comprehenduntur in conſiliis.* Hîc incipit ſententia : quia in Hebræo habetur, *Capiatur* C *in conſiliis.* Ideo eſt ſenſus : O Domine, fac ut Anti-chriſtus & maligni non amplius affligant juſtos, nec regnent ; ſed capiantur & *comprehendantur in conſiliis quibus cogitant* : & ſimili pœna plectantur, & puniantur.

Diſt. 86. c. Donar. De Pœn. d. 1. Illud vero.

24. *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ : & iniquus benedicitur.*

25. *Exacerbavit Dominum peccator : ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret.*

D

QUONIAM Anti-chriſtus, & quilibet obſtinatus *laudatur* & gloriatur *in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Nam omnes ſequaces ſui laudant & magnificant eum adulando. Et ſic *peccator* in tali proſperitate elatus *exacer-*
E *bavit* & provocavit *Dominum*, & contempſit : & ſic *ſecundùm multitudinem iræ*, id eſt, ſuperbiæ *ſuæ*, *non quæret* Deum; vel Deus *non quæret* eum, dando ipſi gratiam. Quia Deus *exacerbatus* & iratus, non dabit ei gratiam : & ſic manebit in ſua obſtinatione & ſuperbia induratus. Ideo ſequitur:

15. q. 1. §. 1. ante fin. di. 93 c. Diaconi

26. *Non eſt Deus in conſpectu ejus: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.*

27. *Auferuntur judicia tua à facie ejus : omnium inimicorum ſuorum dominabitur.*

NON *eſt Deus in conſpectu ejus : inquinatæ ſunt viæ*, & operationes
F illius *in omni tempore*; non male operando, ſed male cæteris conſulendo : quia ab infantia ſua fuit poſſeſſus à diabolo. Et ſic ergo non habendo Deum *in conſpectu ejus*, nec judicia ejus præ oculis, & permiſſus à Deo in ſua obſtinatione & poteſtate, *omnium inimicorum ſuorum* juſtorum *dominabitur* : id eſt, dominari permitteretur, & ſic deceptus,

45. diſt. cap. Licet nonnumquam, & c. Retedite.

28. *Dixit enim in corde ſuo : Non movebor à generatione in generationem ſine malo.*

DIXIT, id eſt, dicet *in corde ſuo* elatus : *Non movebor* ab hac *generatione ſine malo*, id eſt, non perdam dominium & poteſtatem ſuper hanc generatio-
G nem, *ſine malo* & pœna eorum. Quaſi dicat : nullus poterit mihi reſiſtere ſine maximo damno ſuo. Et non eſt mirum, quod iſta dicat *Anti-chriſtus.* Nam cum viderit omnia ſibi bene ad votum ſuum ſuccedere, putabit Deum non curare, nec providentiam habere de iſtis inferioribus. Et blaſphemabit contra Deum : quia forſan erit illius ſectæ & opinionis eorum, qui dicunt, Deum non eſſe, nec curare iſta inferiora. Ideo ſequitur:

46. d. c. Hoc habet

29. *Cujus maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo: ſub lingua ejus labor, & dolor.*

H

CUJUS *maledictione*, id eſt, blaſphemiâ : *& amaritudine*, id eſt, provocatione ad iram contra Deum, *& dolo* contra homines *os plenum eſt. Sub lingua ejus*

non erit niſi *labor & dolor*, id eſt, crudelitas contra juſtos, & tormenta. Et ſic

De Pœn. diſt. 2. Si. n. §. Liberi.

30. *Sedet in inſidiis cum divitibus in occultis : ut interficiat innocentem.*

SEDET, id eſt, ſedebit, *cum divitibus*, ſequacibus ſuis, quos divites efficiet de bonis pauperum raptis *in occultis*, *ut interficiat* omnem *innocentem*, & juſtum: & ſic ſedebit in proſperitate temporali.

23. q. 4. cap. Duo ante fin. a.

31. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt : inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua.*

3. q. 1. Nulli, & de Pœnit. diſt. 2. §. Opponitur

32. *Inſidiatur ut rapiat pauperem: rapere pauperem, dum attrahit eum.*

33. *In laqueo ſuo humiliabit eum: inclinabit ſe, & cadet, cum dominatus fuerit pauperum.*

OCULI *ejus in pauperem* fidelem *reſpiciunt*: & *inſidiatur*, & parabit inſidias *in abſcondito* cum aſtutia, ſicut facit *leo in ſpelunca ſua.* Nam ſicut leo inſidiatur *in ſpelunca ſua*, *ut rapiat prædam* ad comedendum: ita Anti-chriſtus cum ſuis *inſidiabitur rapere*, id eſt, ad rapiendum pauperem, & ſpoliandum, & interficiendum eum. Nam ſicut *Auceps* abſcondit ſe in tugurio, & cadit inclinatus in terram, ne videatur ab avibus, & ſic capit eas in laqueo, & retiaculo ſuo: ita iſte malignus *humiliando ſe*, quaſi *cadens* in terram, cum ſuis perſuaſionibus *capiet eum*, ſcilicet, pauperem: & hoc *cum dominatus fuerit pauperum.* Et hoc faciet iſte miſer filius perditionis, quia putabit, Deum iſta non reſpicere, nec curare. Ideo ſequitur:

De Pœn. d. 1. Medicina.

34. *Dixit enim in corde ſuo : Oblitus eſt Deus; avertit faciem ſuam, ne videat in finem.*

SED forſan melius eſt, quòd ly *in laqueo ſuo*, referatur ad punitionem Anti-chriſti, & cujuslibet maligni; ut ſit ſenſus: Sed dum iſte malignus Anti-chriſtus *inſidiatur*, *ut rapiat pauperem* populum Chriſtianum; tunc Deus *humiliabit eum*, quia *cadet*, *cum dominatus fuerit pauperum.* Nam poſtquam Deus permiſerit regnare iſtum filium perditionis, & ſedere in Templo tribus annis cum dimidio : tunc Deus *interficiet ipſum ſpiritu oris ſui*, & ſic cadet in terra, 2. *ad Theſalon.* 1. Tunc apparebit ejus iniquitas & deluſio, qui ante *dixerat in corde ſuo : Oblitus eſt Deus, ne videat*, nec curet iſta inferiora : immò ipſe, & omnes iniqui cognoſcent juſtum Dei judicium per experientiam. Et ideo ſequitur:

1. q. 2. c. Paſtor. 12. q. 2. GloriaEp.

35. *Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua : ne obliviſcaris pauperum.*

EXURGE *Domine Deus* : & *exaltetur manus*, id eſt, potentia *tua* : id eſt, veni ad judicium cum poteſtate magna & majeſtate, & ne obliviſcaris pauperum : ſed fac ultionem de perſecutoribus eorum. Nam

Arg. 2. q. 8. c. Quanto; diſt. 87 Deſolatus.

36. *Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde ſuo: Non requiret.*

37. *Vides quoniam tu laborem & dolorem conſideras : ut tradas eos in manus tuas.*

PROPTER *quid impius* Anti-chriſtus, & quo jure *irritavit*, & contempſit *Deum*, & *dixit in corde ſuo :* Deus *non requiret* iſta ſcelera de manu mea, putans te non eſſe verum Deum, & juſtum Judicem? *Vides quoniam tu conſideras laborem & dolorem* malorum, *ut tradas eos in manus tuas.* Nam Deus permittit malos regnare ad tempus, ut finaliter *tradat eos in manus ſuas* ad puniendum. Sed tamen conſiderat & vindicat *laborem & dolorem*, quem pauperibus intulerunt. Et ideo ſequitur:

12. q. 2. GloriaEp.

38. *Tibi derelictus eſt pauper : orphano tu eris adjutor.*

De Pœn. d. 4. §. Finis hujus.

39. *Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius, & non invenietur.*

TIBI *derelictus eſt pauper* ad defendendum & liberandum : & *orphano tu eris adjutor* : quia non deſeres eum ſine auxilio. Quia in fine perſecutionis duplici pœna punies Anti-chriſtum, & omnes oppreſſores pauperum. Nam primò conteres & franges brachium & poteſtatem Anti-chriſti, & cujuslibet maligni. Secundò, *quæretur* & examinabitur *peccatum* ejus. Et ſic iſte malignus non invenietur ſcriptus in libro vitæ, nec numerabitur inter electos:

tos : sed numerabitur in infernum. Et sic peribit prosperitas & Regnum Anti-christi, & omnium Tyrannorum, simul cum corpore & anima. Sed

De Consec. dist. 3. c. ultim.

40. *Dominus regnabit in æternum, & in sæculum sæculi : peribitis gentes de terra illius.*

DOMINUS Jesus Christus *regnabit in æternum* post Judicium cum justis, & electis, & pauperibus, cujus Regni non erit finis : & vos *gentes*, id est, infideles homines terreni, *peribitis* æternaliter *de terra* viventium. Quoniam

47. d. c. Sicut hi.

41. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.*

B

DOMINUS *exaudivit desiderium pauperum* : eò quòd contempserunt terrena, & desideraverunt cœlestia: & *præparationes cordis eorum audivit auris tua*: eò quòd non præparaverunt, neque ædificaverunt magnas domos in terra, sed per bona opera præparaverunt perpetuas mansiones in Cœlo, & passi sunt persecutiones propter justitiam. Et ideo auris tua exaudivit præparationes cordis eorum.

Arg. 3. q. 7. Judic.

42. *Judicare pupillo, & humili: ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.*

JUDICARE, id est, exurge ad judicandum injurias factas *pupillo humili* ; ut homo iniquitatis Anti-christus, & quilibet alius iniquus *non apponat*, nec præsumat, nec addat ultra *se magnificare super terram :* quia ultra non regnabunt Tyranni & injusti super terram, sed in inferno æternaliter cruciabuntur. Est etiam advertendum, quòd totus iste Psalmus potest exponi de Judiciis, quæ Christus facit quotidiè de Tyrannis, & oppressoribus pauperum : quos licèt Deus permittat ad tempus prosperari : tamen finaliter videmus eos in bonis, & personis malâ morte perire.



C

D

E

PSALMUS X.

1. *In Domino confido : quomodo dicitis animæ meæ : transmigra in montem sicut passer?*

26. q. 6. Agnovim. & c. Recedite.

TITULUS : *In finem Psalmus ipsi David.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit istum Psalmum dirigens nos in Christum, qui est finis Legis : sed de materia dicunt Judæi moderni, quòd David fecit hunc Psalmum, quando fugiens à facie Saul, abiit in speluncam *Odollam* ultra Jordanem, ubi congregati sunt ei quadringenti viri de Tribu & cognatione sua, & factus est eorum Princeps ; cui dixit *Gad: Noli manere in præsidio, sed proficiscere in terram Juda, quia Deus erit tecum.* E contra autem persuadebant cognati sui, ne rediret in Judæam, quia Saul quærebat

F ipsum interficere, ut patet 1. *Reg. cap.* 22. Et David voluit magis obedire ipsi *Gad* Prophetæ, quàm suasioni consanguineorum. De quo adventu & regressu in Judæam, dicunt Judæi, quòd fecit hunc Psalmum ; quasi dicat ad consanguineos : Ego *in Domino confido* ; cur prohibetis me redire in Judæam, quia dicitis : Fuge à facie Saul, & *transmigra in montem, sicut passer* fugiens sagittarium, transmigrat in montem : quia Saul jam *paravit sagittas suas in pharetra* quærens te interficere: ideo fuge ad montes, & ne revertaris in Judæam? &c. Et sic isto modo Judæi litteraliter exponunt istum Psalmum de illa fuga, & reditu ipsius David in Judæam ad præceptum *Gad* Prophetæ.

Sed manifestè patet, talem Expositionem esse inutilem, non explicantem ali-

G quod sacramentum : cùm David non minus sit Propheta in hoc Psalmo, quam in cæteris ; maximè, quia per hunc Psalmum dirigit nos in Christum, qui est finis Legis, ut apparet in Titulo proposito. Et ideo est dicendum : quòd supradictus reditus David in Judæam, non est præcisa & principalis materia hujus Psalmi, sed fuit materia exemplaris & figurativa, in quantum David prævidit in spiritu spontaneum adventum Christi in Hierusalem ad Mortem, & Passionem, & per consequens spontaneam oblationem Apostolorum & Martyrum ad martyrium suscipiendum pro Christo : ex illa ergo fuga accepit David parabolam & propositionem ad faciendum Psalmum.

Ad cujus intelligentiam est notandum,

H sicut habetur *Matth.* 16. quòd cum Christus esset in partibus *Tyri* & *Sidonis*, incepit ostendere Discipulis mysterium suæ Passionis. Et primò, quomodo oportebat eum ire Hierosolymam : & ibi multa pati à senioribus &c. cujus accessum volens prohi-

hibere Petrus, dixit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Cui respondit Christus: *Vade Satana, quia mihi scandalum es.* A Et tunc Christus conversus ad omnes Discipulos, dixit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Item legitur *Joann.* 10. quòd cum Judæi voluissent Jesum apprehendere, exivit de manibus eorum, & abiit trans Jordanem, ubi solebat Joannes baptizare juxta speluncam *Odollam*, ad quam fugerat David à facie Saul, ut supra dictum est, & ibi mansit Jesus per aliquot dies &c. Sed cum esset ibi, venit nuntius ex parte *Marthæ*, & *Magdalenæ* notificans, qualiter *Lazarus* infirmabatur ad mortem: & tunc dixit Jesus Discipulis suis: *Lazarus amicus noster dormit: ideo eamus in* Judæam, *ut à somno excitem eum*: cui dixerunt Discipuli: *Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare; & iterum vadis illuc?* Ex quibus patet, quòd Discipuli multotiens conati sunt prohibere Jesum, ne rediret in Judæam ad patiendum pro nobis: sed Jesus magis voluit obedire, & satisfacere Patris voluntati, quam piæ & humanæ suasioni Discipulorum. Quarè venit in Judæam, & suscitavit *Lazarum*, ut patet *Joann.* 11. & posteà passus est pro nobis. B

Ex supradictis patet, quòd illa fuga David à facie Saul, fuit propria figura Christi. Nam ad eumdem locum trans Jordanem, ad quem fugit David, ubi congregati sunt quadringenti viri &c. ad eumdem etiam locum fugit Christus cum Discipulis suis à facie Pharisæorum, ad quem venerunt & congregati sunt multi, *Joann.* 10. Item spontaneus reditus ipsius David in Judæam ex præcepto *Gad* Prophetæ, fuit etiam figura reditus & adventus spontanei ipsius Christi in Judæam & Hierusalem C contra sensum Discipulorum. Omnia ergo ista prævidens David in spiritu per illam figuram & reditum, fecit hunc Psalmum: in quo introducit Christum loquentem: & duo facit. Nam primò increpat Discipulos suos prohibentes ipsum venire in Hierusalem ad patiendum pro nobis. Secundò prædicit futuram punitionem & damnationem suorum crucifixorum ex justo Dei judicio, ibi: *Dominus in Templo sancto suo.* Quantum ergo ad primum, videns Discipulos suos prohibentes ipsum venire in Hierusalem ad patiendum, increpat eos, dicens: O modicæ fidei, nescitis, quod ego *in Domino confido*, qui liberabit me per resurrectionem, & puniet Judæos per æternam damnationem: *quomodo* ergo D timentes *dicitis animæ meæ*, non vadas ad Judæam: quia ibi te volebant lapidare? Sed *transmigra in montem*, id est, fuge ad montem, *sicut passer* fugit sagittarios volentes ipsum interficere.

E 2. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* *De Pœn. dist. 2. §. Opponitur*

PECCATORES & maligni, scilicet Principes Sacerdotum, & Pharisæi *paraverunt sagittas suas in pharetra.* Nam sicut auceps intendit arcum suum, & parat sagittas suas in pharetra ad sagittandum passeres: ita Judæi intenderunt arcum suæ potestatis & malitiæ, & præparaverunt sagittas suas in pharetra, id est, machinati sunt falsa testimonia & crimina contra te & tuos in occulto, scilicet, quòd tu dixisti: *Destruam Templum hoc, & in triduo* F *reædificabo illud;* & quòd prohibuisti dari censum Cæsari &c. Et omnes has sagittas parant in occulto: *ut* posteà *sagittent*, & feriant *rectos corde*, scilicet, te, & omnes Discipulos tuos, & justos. Ideo cave, ne vadas illuc. Quasi dicat Christus: omnia ista dicitis animæ meæ, putantes me retrahere ex timore mortis: sed magis volo obedire Patri meo, & compati toti generi humano, quàm vobis pro nunc complacere; quia in Domino Patre meo confido, qui liberabit me per Resurrectionem, & totum genus humanum per meam Passionem, & puniet Judæos crucifixores meos ad æternam damnationem. Et ideo Christus conversus ad Patrem dicit: O Pater, omnia supradicta dicunt Discipuli mei ex quadam pia dilectione & compassione.

3. *Quoniam quæ perfeciſti destruxerunt: justus autem quid fecit?* *23. q. 4. Qui secundùm 3. 6. q. 1. Quies cite.*

G

INIQUI Judæi destruxerunt & interfecerunt justum Filium tuum, quem tu tam magnis donis perfeciſti, Verbo tuo uniendo, & omnia dona gratiarum non ad mensuram tribuendo, & mediatorem Dei & hominum constituendo: quid ergo mali fecit iste justus Filius tuus, quem ita graviter per Judæos tractari permittis? cum sit justus sine peccato &c.

4. *Dominus in Templo sancto suo: Dominus in Cœlo sedes ejus.* *41. dist. cap. Parsimoniam*

H

IN hac secunda parte prædicit punitionem crucifixorum suorum, in qua duo facit. Nam primò allegat Deum esse justum Judicem. Secundò ex justo Dei judicio prædicit damnationem & punitionem suorum

rum perſecutorum, ibi: *Pluet ſuper peccatores.* Dicit ergo: Licèt Judæi occiderunt iſtum juſtum ſine peccato: tamen non A evadent punitionem: quoniam *Dominus* Deus ſedet in Templo ſancto ſuo, *in Cœlo*: & quia eſt Dominus, & juſtus Judex; ideo *ſedes ejus* judiciaria eſt in Cœlo. Et notanter ponitur ibi *Dominus* bis. Nam *Dominus in Templo ſancto ſuo* refertur ad Patrem: ſed per ly *Dominus in Cœlo ſedes ejus*, intelligitur Filius, qui ſedens à dextris Patris accepit judiciariam poteſtatem: & ideo dicit David, quòd Dominus Pater eſt *in Templo ſancto ſuo*, & *Dominus* Filius, & *ſedes ejus* eſt *in Cœlo.* Quaſi dicat: quòd licèt Judæi judicaverint Chriſtum falſo modo, & occiderint injuſtè: tamen ſicut Deus Pater eſt in Templo ſancto ſuo, ita Dominus Chriſtus ejus Filius, eſt à dextris Patris, quia in Cœlo eſt *ſedes ejus* judiciaria, & ſic judicabit eos, qui ipſum judicarunt, & interfecerunt injuſtè. Unde B

Abac. 2. diſ. Supra 9. v.

5. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum.*

OCULI *ejus reſpiciunt* in quemlibet pauperem oppreſſum injuſtè, & paſſum injuriam: ut puniat oppreſſores ſuos & vindicet ipſum. Et *palpebræ* ejus, eò quòd omnia ſunt nuda & manifeſta oculis ejus, *interrogant filios hominum* carnaliter viventes. Et Dominus Jeſus Chriſtus Judex univerſalis, nunc in judicio occulto, & in fine mundi judicio manifeſto, C

25. diſt. ca. Unum Orarium, §. Alius.

6. *Dominus interrogat juſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.*

INTERROGAT *juſtum & impium*, id eſt, examinat cauſam, & diſcutit inter juſtum & impium: & ſic tribuit unicuique ſecundùm opera ſua. Sed quia dixit, quòd *Dominus interrogat juſtum & impium*, id eſt, peccatorem; poſſet aliquis dubitare, quare vocat peccatorem impium? ad hoc reſpondet & ſubdit, quòd omnis peccator eſt impius & crudelis. Nam peccator eſt ille, *qui diligit iniquitatem.* Sed talis odit D animam ſuam & abhorret, offerens eam ad mortem perpetuam & æternam: ergo eſt ſibi impius, & ſævus, & crudelis. Et eſt valdè advertendum per hoc quod ait, *palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Nam hæc eſt differentia inter Judicem providum, prudentem, & tardum. Nam Judex groſſus & tardus procedit per ambages, & longam locutionem, & interrogationem verborum, & circuitionem: ſed Judex providus & prudens in ſolo aſpectu judicat, & cognoſcit, & apprehendit E veritatem inter judicandos, & quaſi in ſolo aſpectu & colore & facie cognoſcit reum. Et ſic dicit Propheta, quòd Deus providus Judex, non indiget longa interrogatione, & circuitu ad cognoſcendam veritatem. Nam in ictu oculi faciet judicium. Unde *palpebræ ejus*, & ſolus aſpectus, *interrogant filios hominum*, & cognoſcunt *juſtum & impium:* quia omnia nuda ſunt oculis ejus. Et ideo eſt proviſum, ne quis cœcus poſſit eſſe Judex; ut poſſit judicare per colorem, & mutationem faciei, & alterationem &c. Duo ergo habet Chriſtus in judicio. Primò, quòd eſt juſtus. Secundò, quòd providus & prudens &c.

De Pœn. d. 3. Qui vult in gl.

7. *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.*

F

HIC prædicit punitionem & deſtructionem Judæorum propter peccatum mortis Chriſti. Unde eſt notandum, quòd Deus non poteſt oſtendere majorem iram peccatori, quam non dare illi gratiam, & dimittere eum in adinventionibus ſuis. Nam ex natura ſua corrupta & vitiata ſemper ruit in diverſa ſcandala, & diverſos *laqueos*, poſtquam non habet præſervatorem. Ita Judæi obſtinati poſt mortem Chriſti ruerunt in diverſa ſcandala, & inciderunt in diverſos laqueos per illos quadraginta annos, ut ait *Joſephus de Bello Judaico.* Nam primò inter eos fuerunt ma- G ximæ diſcordiæ, & ſeditiones, & commiſſa ſunt multa homicidia, & furta, & rapinæ. Secundò commoverunt rebellionem contra Romanos: unde evenit obſidio & deſtructio: ergo ſeditiones & rebellio fuerunt eis laquei, quos Deus pluit eis de Cœlo, permittendo eos ruere in ſimilia ſcandala; unde evenit eis deſtructio & judicium. Unde quatuor mala fuerunt inflicta illis Judæis. Primò laquei & occaſiones ſcandali, ſcilicet, rebellio & obſidio per Romanos. Secundò ignis, quia Civitas fuit incenſa. Tertiò ſulphur tormentorum & baliſtarum trahentium lapides contra muros, ex imperu pulveris ſulphurei, quas *bombardas* vulgariter vocant. Quartò fuit H ſpiritus procellarum, ventorum, & ſulminum de Cœlo, ut ait *Joſephus: Multa fulgura, & ſigna viſa ſunt in Cœlo ſupra Civitatem illis diebus.* Et ſic omnia iſta mala realiter & corporaliter fuerunt Judæi paſſi. Sed ultra hanc pœnam temporalem patiuntur in inferno æternaliter *laqueos* & catenas perpetuæ captivitatis, & *ignem, & ſulphur, & procellam* æternam, ad quam manifeſtè mittet eos Chriſtus in Judicio finali, cùm dicet: *Ite maledicti in ignem æter-*

Mala inflicta Judæis.

æternum &c. Dicit ergo, quòd eò quòd Judæi occiderunt Christum justum, ideo in punitionem illius peccati *pluet* Dominus *super* eos *laqueos* scandali, ut dictum est, & *ignis, sulphur*, & *spiritus procellarum* erunt *pars* & portio *calicis* & punitionis *eorum.*

Di. 45. c. Qui emẽdat, & 16. q. 1. Revertimini.

8. *Quoniam justus Dominus, & justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.*

HIC assignat causam quare Deus puniet eos sic, & dicit, quòd ideo Deus sic puniet, quia est justus & semper dilexit justitias. Et ideò *vultus* & veritas suæ justitiæ *videt æquitatem*, & illam amplectitur. Cum ergo justitia sit virtus quæ tribuit unicuique quod suum est, & secundùm opera sua: ideo Deus punivit Judæos juxta iniquitatem suam, & tribuet bonis secundùm merita eorum. Totus etiam iste Psalmus exponitur in persona totius Ecclesiæ, quæ tempore Tyrannorum fugiebat per montes. Sed licet ad tempus permiserit Deus eam affligi, tamen postea justo judicio punivit Tyrannos & persecutores. Nam primò punivit Judæos, & postea Tyrannos, scilicet *Neronem*, & *Domitianum* & *Diocletianum*, & cæteros. Et ideo iste Psalmus legitur in festivitatibus Martyrum, eò quòd *confidentes in Domino*, & sequentes Christum, se martyrio sponte pro Christo obtulerunt. Et sic quilibet Martyr potest dicere verba hujus Psalmi, & tota Ecclesia simul cum capite suo.

Psalmus XI.

22. q. 3. Cum aliquis. Infra 68. a.

1. *Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.*

HUIC Psalmo præponitur talis Titulus, scilicet, *In finem, Psalmus David pro octava.* Ex quo Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum dirigens nos in Christum, qui est finis Legis. Et quòd cantabatur in Templo gradatim elevando vocem usque ad octavum punctum, vel quia cantabatur cum instrumento musico octo chordarum: eò quòd *homo mysticus* introductus ad loquendum in Psalmo, expectabat liberari in octavo die ab omni ignorantia &, pestifera doctrina, scilicet in die Rrreesucti onis, quæ erit *octava dies mundi*, ut dictum est *Psalmo* 6. De materia autem hujus Psalmi dicunt quidam Hebræi & Catholici, quòd David fecit hunc Psalmum, videns ingratitudinem civium *Ceilæ*, qui voluerunt ipsum tradere in manus Saul, 2. *Reg.* 23. Ideo ait David: *Salvum me fac Deus, quoniam defecit sanctus*: quasi dicat, quia jam nulla est sanctitas, nec fides in hominibus; quia *diminutæ sunt veritates à filiis hominum*, scilicet, à civibus *Ceilæ &c.* Et sic glossant litteraliter totum istum Psalmum de David conquerente se de illa ingratitudine, de quibus petit ultionem &c.

Sed talis intelligentia & expositio nullo modo videtur convenire litteræ hujus Psalmi, nec detegit thesaurum latentem in hoc Psalmo; cum in medio ejus dicatur: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus &c.* Item, *Eloquia Domini, eloquia casta &c.* Ideo dimissis modis dicendi Judæorum: est dicendum, quòd David considerans mores hominum esse corruptos propter superstitionem Gentilium: & prævidens in spiritu, Scripturam Sacræ Legis fore depravandam ante adventum Christi per falsas traditiones Scribarum, & Pharisæorum, & Saducæorum: ideo fecit hunc Psalmum, in quo petit liberari à tali pestifera doctrina per adventum Christi, & doctrinam, & veritatem Euangelicam. Duo ergo facit: nam primò ostendit omnes mores hominum esse corruptos ex falsa superstitione Gentilium, & omnem doctrinam esse depravatam ante adventum Christi. Secundò per modum petitionis prædicit mundum esse liberandum à tali peste per Christum, & Legem ejus Euangelicam, ibi: *Propter miseriam.*

Quantum autem ad primum est dicendum, quòd licet sit difficile loqui de *Veritate*, ut patet *secundo Metaphys.* tamen quantum ad præsens spectat, est advertendum, secundùm *Augustinum* 15. *de Trin.* & *super Joann.* quòd cum Christus sit prima veritas, in quantum est Verbum Patris: ideo est metrum & mensura & causa omnis veritatis: & per consequens est dicendum, quod ipse est prima justitia, & causa omnis justitiæ, & prima sanctitas, & causa omnis sanctitatis. Et sic dicitur *veritas verificans*, & *justitia justificans*, & *sanctitas sanctificans*: quia *docuit omnem veritatem.* Sed quia omnis veritas, & justitia, & sanctitas ipsius Dei lucet, & manifestata est per Christum in utroque Testamento, primò Patriarchis & Prophetis in veteri Testamento, secundò per se ipsum in novo, sicut pluries dictum est; ideo est dicendum, quòd tota Sacra Scriptura utriusque Testamenti, dicitur veritas, & justitia, & sanctitas, in quantum ista tria manifestantur in ipsa Sacra Scriptura, vel in quantum Deus lucet in Scriptura per veritatem, & justitiam, & sanctitatem; vel in quantum Deus per Legem divinam verificat & justificat & sanctificat homines.

Is-

Veritatis juſtitiæ & ſanctitatis diffinitiones.

Iſta ergo tria ſe conſequuntur per ordinem, ſcilicet, veritas, & juſtitia, & ſanctitas. Nam veritas eſt quædam adæquatio, A & conformitas hominis fidelis ad Deum per fidem articulorum: & juſtitia eſt quædam adæquatio hominis juſti ad Deum per obſervantiam Divinorum Præceptorum & mandatorum: & ſanctitas eſt quædam adæquatio & conformitas hominis ad Deum ſecundùm ordinem totius divinæ Legis: quia homo in tantùm dicitur verax & fidelis, in quantum adæquat & conformat intellectum, & inhæret per fidem concredendo articulis fidei. Et in tantùm dicitur juſtus, in quantum conformatur divinæ voluntati, obſervando mandata. Et in tantùm dicitur ſanctus, in quantum conformatur, & configuratur Deo per Eccleſiaſtica Sacramenta, & in quantum ordinat vitam ſuam in Deum ſecundùm ordinem divinæ Legis: quia ſanctus dicitur, quaſi bene ordinatus: B de *ſancio*, *ſancis*, *ſanxi*, *ſanctum*: *ſancire* enim idem eſt, quod bene ordinare. Ideo ille qui bene ordinat vitam ſuam in Deum ſecundùm Legem, id eſt credendo articulis, & diligendo Deum in ſe, & propter ſe; & diligendo proximum in Deo, & propter Deum: ille talis dicitur *ſanctus*, ideſt bene ordinatus: quia ſervat ſpeciem, & modum, & ordinem in credendo, & diligendo Deum & proximum, & ponendo & conſtituendo ſpem ſuam in Deo, tanquam in fine ultimato.

Ex ſupradictis ſequitur primò, quod qui negat Chriſtum, negat omnem veritatem. Probatur: quia Chriſtus eſt Verbum Patris, & prima veritas, & cauſa omnis veritatis, & ſanctitatis, & juſtitiæ: & ſic qui negat Chriſtum, negat totam Legem Divinam, quæ à Chriſto tradita eſt in utro- C que Teſtamento, ut dictum eſt in *Prologo tractatu* 3. Unde Chriſtus ad hoc venit in mundum, ut declararet veritatem, quæ latebat in Lege veteri. Quia *Lex per Moyſen data eſt: ſed veritas & gratia per Chriſtum facta eſt*, ut oſtenſum eſt in novo Teſtamento. Ideo Chriſtus dicit Pilato *Joann.* 19. *Ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium peribeam veritati: omnis enim qui eſt ex veritate, audit vocem meam.* Et ſic patet, quod qui negat Chriſtum, negat omnem veritatem. Item ſequitur ſecundo, quod qui negat Chriſtum & ejus Legem Euangelicam, negat Deum Patrem, qui in *Jordane*, & in monte *Thabor*, teſtificatus eſt de Chriſto, dicens: *Hic eſt Filius meus di-* D *lectus, ipſum audite.* Unde dicitur 1. *Joan.* 5. *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe: qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit teſtimonio, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.* Et ſic patet, qualiter qui negat Chriſtum, negat omnem veritatem, & juſtitiam, & ſanctitatem, & totam Sacram Scripturam utriuſque Teſtamenti, quæ tota eſt de ipſo Chriſto: & etiam qui negat E Chriſtum, facit Deum Patrem mendacem, ut dictum eſt.

Secundò eſt notandum, quòd cum iſta tria, ſcilicet, veritas, & ſanctitas, & juſtitia conveniant in uno modo generali, in quantum dicunt quamdam æquationem & conformitatem hominis ad Deum per obſervationem Divinæ Legis: ideo communicant idiomata ſibi ad invicem in Sacra Scriptura: nam quandoque nomine veritatis intelligitur juſtitia, ut *Pſalmo* 118. *Omnia mandata tua veritas.* Item ibidem: *Principium Verborum tuorum veritas.* Item *Iſaias* 39. *Non expectabunt qui deſcendunt in lacum veritatem*, id eſt, juſtitiam tuam. Et ſic patet, quod omnia quæ ſcribuntur in Lege, dicuntur quædam veritates, & quædam juſtitiæ, & quædam ſanctitates, F eò quòd iſta reddunt hominem verum, & juſtum, & ſanctum, quia ordinant ipſum in Deum, & debitum finem. Et ideo ita dicitur mendax, qui declinat à mandatis, in quibus conſiſtit juſtitia, ſicut qui declinat ab articulis. Unde 1. *Joann. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt*: pariter etiam dicitur maledictus, & non ſanctus, qui declinat à mandatis Dei, *Pſalmo* 118. Et ſic patet, qualiter iſta tria communicant ſibi nomina in Sacra Scriptura. Et ita David per veritates intelligit omnia iſta tria, ſcilicet, Fidem articulorum, & obſervantiam præceptorum, & gratiam Sacramentorum, & ordinem charitatis. Et hæc eadem tria etiam intendit per ſanctitatem: quia ſanctitas includit veritatem & juſtitiam, & è converſo: quia non G ſolum dicitur homo verus in quantum credit, ſed etiam in quantum per fidem operatur: nec dicitur juſtus ſolum in quantum bene operatur, ſed in quantum operatur per fidem, ordinando vitam in Deum: ut patebit *Pſalmo* 14.

Nota quo modo iſta tria conveniunt.

Mendax quis dicitur.

His habitis eſt dicendum ſecundùm *Auguſtinum ſuper Geneſ. ad litteram*, & etiam 11. *de Civitate*, *cap.* 13. & 14. & 15. quod non ſolum homo, ſed etiam diabolus fuit creatus à principio cum tali veritate, & ſanctitate, & juſtitia: quia Deus ſimul fuit condens naturam & largiens gratiam: & per conſequens cognovit Deum trinum & unum Creatorem &c. & propoſita eſt ipſi Lex juſtitiæ, quam ſi ſervaſſet, fuiſſet beatus: de qua Lege dicetur *Pſal-* H *mo* 81. ſed quia non ſervavit illam Legem juſtitiæ, ideo dicit Salvator *Joann.* 8. quod *in veritate non ſtetit ab initio: ideo mendax eſt, & Pater mendacii*, in quantum deviavit ab illa veritate, & Divina Lege. Et ſic cecidit: ut patebit *Pſalmo* 81.

Nota de creatione hominis & diaboli.

Eodem modo tenetur, quòd Adam primus homo fuit creatus in eadem veritate, & juſtitia, & ſanctitate: quia ante peccatum

tum cognovit Deum trinum & unum, & Creatorem omnium, & Gubernatorem, & prævidit Deum incarnandum, & futurum A Glorificatorem. Et fuit ipsi proposita Lex justitiæ, in cujus observantia promissa erat ei cœlestis felicitas : cui Legi per aliquod tempus fuit subordinatus & obediens, & per consequens fuit justus & sanctus ; eò quòd Deo erat conformis per intellectum, & voluntatem: & in hoc consistebat ejus originalis justitia, & veritas, & sanctitas: sed peccando defecit, & cecidit ab illa veritate & sanctitate : & per consequens non permansit in veritate, & justitia, & sanctitate, in qua fuit creatus. Et sic perdidit justitiam originalem, & diminuit veritatem, quam Deus in ipso impresserat. Et sic mentitus est à veritate, & justitia, & diminuta fuit in eo omnis veritas, & justitia, & sanctitas, quando desecit & deviavit à Divino præcepto: & sic fuit in eo tota natura corrupta, & omnes potentiæ B fuerunt vulneratæ & debilitatæ. Et sic fuit etiam causa omnis mendacii, & peccati in suis posteris: quia continuè omnis veritas, & sanctitas, & justitia fuit in eis diminuta usque ad Christum. Et sic postquam iste *Adam* sanctus & justus desecit & peccavit, continuè *veritates*, & justitiæ *fuerunt diminutæ à filiis hominum* per successionem temporis usque ad Christum, qui restauravit omnem veritatem, & justitiam, & sanctitatem. Unde licèt *Adam* non poterit diminuere veritatem primam essentialem in eò quòd semper mansit imago Dei in eo: tamen *diminutæ sunt* in eo *veritates*, & justitiæ Dei : quia non habuit tam claram cognitionem de rebus Divinis, sicut ante peccatum, ut communiter tenetur: & hoc propter impedimentum passionum, & carnis corruptæ, nec habuit facultatem de se nisi C aliquantò læsam, ad servandum Legem Dei, & declinandum à malo, & faciendum bonum, propter eamdem corruptionem. Ex quibus patet, quòd sicut *Adam* defecit à sanctitate & justitia erga Deum : ita in eo fuit diminuta *sanctitas*, & ordo partium inferiorum ad superiores : quia corruptus fuit totus ordo & natura in eo, & languor concupiscentiæ inflictus in carne &c. prout magis patebit *Psalmo* 13.

Sed istæ *veritates* jam fuerunt magis *diminutæ* in *Cain*, quando obcœcatus invidiâ, cum dolo vocavit fratrem suum *Abel* in agrum, & interfecit eum, *Genes.* 4. Et ideo ait illi Deus : *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies : sin autem male, statim peccatum in foribus aderit ? Sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius &c.* D Ex quibus verbis ostendit Deus, quòd *Cain* defecerat & deviaverat à veritate cognoscíva & legali, quam Deus in mente & ratione ejus impresserat, pro cujus prævaricatione erat ipsi pœna infligenda. Sed magis istæ *veritates fuerunt diminutæ à filiis hominum* carnalibus, quando Filii E Dei, scilicet, filii *Seth*, instructi in Lege Domini naturali, videntes filias hominum descendentes à *Cain*, quod essent pulchræ, acceperunt eas in uxores: ex quibus nati sunt gigantes, id est, homines carnales & terreni, qui dediti carnalibus voluptatibus, totaliter obliti sunt Legem Dei : in tantum quòd corrupta est universa caro, & multiplicata fuit malitia hominum super terram: & sic Deus deduxit diluvium super omnem carnem, solo *Noe* salvato cum uxore & filiis &c. *Gen.*6. Item magis *diminutæ sunt veritates à filiis hominum*, cum *Zoroastes* relicta vera scientia & regimine sui creatoris, declinavit ad falsas artes magicas, quæ nullam in se continent veritatem, sed mendacium & dolum : in cujus tempore *Nembroth* cum sequacibus, putantes fugere ditionem, & dominium Dei, decreverunt F fabricare turrim in *Babylonia*. Sed jam magis *sunt diminutæ veritates à filiis hominum*, cum *Ninus* Rex *Assyriorum* fecit fabricare idolum, id est, statuam *Belli* patris sui. Et fecit ipsam ab omnibus venerari, in tantum quod diabolus intravit statuam, & cœpit loqui, & dare responsa in ea. Et sic omnes Reges fabricaverunt statuas filiis & patribus suis defunctis: in tantum quod idololatria diffusa & multiplicata fuit per totum mundum, ut patet *Sapientiæ* 14. *De Nino Rege Assyriorum.*

Sed adhuc magis fuerunt *diminutæ veritates à filiis hominum* : cum inceperunt superstitiones, & nefanda sacrificia in Ægypto, & monstra multorum deorum. Et sic nefandæ & detestabiles superstitiones & artes diffusæ sunt per totum orbem: G unde in tantum verus Deus fuit eis ignotus & contemptus, & diabolus veneratus, quòd compellebat patres sibi immolare filios & filias, & constitui & celebrari ludos scenicos & turpes *Baccho*, & *Veneri*, & deæ *Vestæ*, & *Priapo:* & multa alia detestabilia sunt commissa, quæ solus Christus ejecit de mundo cum diabolo actore eorum, ut probat *Eusebius in* 5. *&* 6. *de Præparatione Euangelica.* Sed jam magis *fuerunt diminutæ à filiis hominum*, quando Scribæ & Pharisæi perverterunt veram intelligentiam Legis, trahentes Legem & Prophetas ad suum falsum sensum, & obcœcati invidiâ & malitiâ negaverunt Christum, qui est prima veritas Legis, & crucifixerunt eum, qui erat in Lege promis- H sus ad declarandum Legem & Prophetas, & ad liberandum de jugo Legis, & de captivitate peccati. Et sic simul crucifixerunt sibi veritatem cum Christo. Ideo quia nullo modo veritas lucet in eis, manent obcœcati, ne intelligant sacramenta Dei.

Omnia ergo supradicta prævidens David in spiritu, clamat ad Christum in persona *hominis mystici*, ut veniat ad liberandum

dum eum de talibus superstitionibus & mendaciis, & detestabilibus moribus, & de tali cæcitate Judæorum. Ideo dicit: O Domine Jesu-Christe, veni in carne, & *salvum me fac.* Nam postquam sanctus Adam defecit & peccavit, *diminutæ sunt veritates à filiis hominum*: nam *Adam* fuit creatus sanctus & in gratia: sed quando peccavit, defecit gratia in eo, & omnis sanctitas. Et sic posteà *diminutæ sunt veritates*, scilicet, cognitio veri Dei, & Legis Divinæ. Vel potest sic construi: O Domine Jesu-Christe *salvum me fac.* Nam postquam Adam peccavit, supple, *defecit sanctus*, id est, omnis sanctitas, & justitia; quia perdidit originalem justitiam, & gratiam, & omnia præmia, quæ consequebantur illam originalem justitiam: quoniam exinde successivè diminutæ sunt supradictæ veritates à filiis hominum successoribus Adam usque ad Christum: quia diminuta fuit Divina cognitio, & fides, & obediencia, & cognitio Divinæ Legis. Probatur. Nam

2. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde & corde locuti sunt.*

27. d. c. Si quid, & c. Nonne.

UNUSQUISQUE locutus est vana documenta & exempla ad proximum suum: nam *locuti sunt labia dolosa in corde*, id est, per labia dolosa in corde, id est, aliud habendo in corde, & aliud in labiis. Et ideo *corde* locuti sunt mendacium, supple: unde *corde & corde*, id est, duplici corde locuti sunt. Unde *Cain* per *labia dolosa* & duplici corde locutus est ad *Abel* fratrem suum, quando dixit: *Egrediamur foras*: & interfecit eum in agro. Item duplici corde & linguâ dolosa & mendaci locutus est ad Deum, cùm dixit: *Numquid custos fratris mei sum?*

Vanæ locutiones hominum

Item *vana locuti sunt* homines terreni, & filii hominum, cùm dixit alter ad alterum: *Venite, faciamus nobis Civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat usque ad Cœlum: & celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras*, Genes. 9. Item *vana locuti sunt & lingua dolosâ*, & duplici corde, omnes inventores Artium Magicarum: & omnes Arioli, & Hydromantici, & Geomantici, & inventores superstitionum, & falsorum deorum, ut patet *Sapientiæ* 13. & 14. Item *vana* & falsâ duplici corde & *lingua dolosa, locuti sunt* ad proximum suum falsi Judices, & Advocati, & Causidici: quia propter lucrum detinent litigia, & destruunt pauperes, & viduas, & pupillos.

Item *vana locuti sunt* omnes Poëtæ, qui ad demulcendas aures hominum, confinxerunt falsa figmenta de falsis diis. Item *vana locuti sunt* & duplici corde omnes Oratores, & Scriptores, & Poëtæ, qui ut complacerent Principibus, & Magistratibus, & consequerentur favores eorum, multa falsa scripserunt in historiis & libris suis: sicut *Homerus* de Græcis, & *Titus Livius* de Romanis, & *Quintus Curtius* de Alexandro, & *Herodotus* de Regibus Persarum &c.

Item *vana, & labiis dolosis*, & duplici corde *locuti sunt* Scribæ & Pharisæi ad Christum, cùm dicebant: *Magister scimus, quia verax es &c.* Item *vana locuti sunt*, cùm dixerunt: *Si hunc dimittis, venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem*, Joan. 9. Et ideo subdit Propheta, dicens:

3. *Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam.*

6. q. 1. c. Sunt plurimi.

DISPERDAT *Dominus universa labia dolosa* supradicta, tàm Judæorum, quàm Gentilium, & Hæreticorum: & *linguam magniloquam*, id est, Poëtarum, & Oratorum, magna mendacia loquentium.

4. *Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?*

9. q. 1. Illud. 23. q. 4. Qui negligunt.

QUI *dixerunt* inter se: *Linguam nostram* cum ornatu & schemate verborum *magnificabimus* inter gentes, id est, per linguam nostram, & propter eloquentiam, erimus magnificati per totum mundum: quia *labia nostra à nobis sunt*, & non à Deo: quia non est Deus præter naturam: nam *quis noster Deus est?* Quasi dicerent: nullus Deus est, nec habemus hoc donum nisi à natura. Unde *Tullius*, *Quintilianus*, & *Livius*, & *Salustius*, & cæteri omnes Oratores, & Poëtæ, propter linguam suam & eloquentiam, putabant magnificari in mundo, & per famam in æternum vivere: unde ait *Ovidius in fine*, 15. *Metamorph.*

Ovidius.

Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas:
Quaque patet domitis Romana potentia terris,
Ore ferar populi, perque omnia sæcula fama,

Si quid habent veri vatum præsagia, vivam.

Sed pejores fuerunt Scribæ & Pharisæi, qui A volentes *dilatare fimbrias, & phylacteria sua*, confidentes de proprio ingenio, noluerunt intelligere, sed falso modo glossare Scripturas: nec voluerunt audire veritatem à Christo: nec ipsum recipere; immò negaverunt eum coram Pilato, dicentes: *Non habemus Regem nisi Cæsarem:* & quando dixerunt: *Hunc autem nescimus unde sit*: & cùm dixerunt: *Quis noster Dominus est*? Quasi dicerent: Iste *Jesus Nazarenus* non est Dominus, nec Messias noster. Et ideo tunc Jesus clamando dixit eis: *Et me scitis, & unde sim, scitis, Joan.* 7. Item *Joann.* 5. dixit eis: *Scrutamini Scripturas: quia illæ testimonium perhibent de me: quia Moyses de me locutus est &c.* Ex quo patet, quòd quando Judæi negaverunt Christum, *lingua dolosa* & duplici corde locuti sunt. Et maximè *diminutæ sunt veritates* in eis, & *ab eis:* quia negaverunt Jesum Christum, qui est prima veritas per essentiam: & veritatem Legis & Prophetarum: & per consequens negarunt omnem veritatem. Et ideo dixit eis Christus: *Vos ex patre diabolo estis: ille enim in veritate non stetit. Et ideo cum loquitur, de propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus, Joann.*8. Ex hoc innuit Christus, quòd sicut diabolus non stetit in prima veritate in principio quando peccavit; ita pariter Judæi quando negaverunt Christum, recesserunt à prima veritate, & per consequens recesserunt ab omni veritate. Et sic jam non loquuntur nisi mendacium, quando de lege loquuntur: quia totam Legem faciunt mendacem, C expectando alium Messiam: quia postquam *erraverunt ab utero*, non loquuntur nisi falsa.

Ex quibus patet, quòd Propheta non solùm dixit, *veritates* esse *diminutas* in populo Gentili, sed multò magis in populo Judaico, quando negaverunt Christum, & veritatem Scripturarum voluerunt occultare, corrumpendo Sacram Scripturam cum suis falsis glossis. Sed magis sunt in eis *diminutæ veritates*, quando *Mair Idumæus* simul cum Pharisæis confinxit, quòd *Moyses* accepit duas Leges à Deo in monte *Sinai*, scilicet, unam in scriptis, quam omnes habemus; & alteram ore tenus, quam *Misna* appellant, in qua continentur omnes detestabiles traditiones Pharisæorum, & multa alia erronea. Item etiam magis *diminutæ sunt veritates à filiis hominum*, D quando *Rabbini* Judæorum congregati in *Babylonia*, composuerunt Scripturam ipsius *Thalmud*: in quo confirmant omnes traditiones Pharisæorum, & ipsum *Misna*: quibus addi debent multa abominabilia & horrenda, ut patebit *Psal.*54.

5. *Propter miseriam inopum, & E gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.*

Arg. 1. q. 2. *Pastor.* & 12. q. 2. *Gloria Epi.*

HÆC est secunda pars, in qua quasi consolatoriè prædicit David, qualiter Christus in suo adventu debebat liberare totum mundum de prædictis miseriis: & depellere omnem deceptionem, & mendacium, & superstitionem, & dare Legem Euangelicam continentem, & docentem omnem veritatem.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd ante adventum Christi, mundus non solùm erat in miseria & captivitate peccati, sed etiam laborabat in duplici miseria corporali, & temporali: ut ostendit *Eusebius* per totum *quintum librum de Præparatione Euangelica*, & *Lactantius* in libris *Divinarum Institutionum.* Nam dæmones cogebant patres immolare filios, ut patet de *Agamemnone*, qui immolavit & sacrificavit filiam diis, ut haberet prosperos ventos. Et *Pyrrhus* immolavit *Astianactem* filium *Hectoris* ad sepulchrum *Achillis*, &c. Item dæmones in responsis suis semper persuadebant bella inter Principes & finitimos, & persuadebant rebelliones populorum contra Reges suos, & seditiones inter Cives, ut fierent cædes & homicidia, eò quòd omnes illi implebant infernum: & multa enormia, & turpia contra bonos mores & naturam persuadebant. Et non solùm in populo Gentili regnabant istæ superstitiones, sed etiam pro majori parte in populo Judaico, ut patet per totum discursum *Libri Judicum*, & *Regum.* Et ultra hoc regnabat in populo Judaico multiplex miseria: nam Sacerdotes, & Scribæ, & Pharisæi opprimebant pauperes & pupillos, & *comedebant domos viduarum*, & cum violentia & tyrannide regebant populum, ducentes, & glossantes falsò Legem & Prophetas ad libitum & lucrum suum, ut improperabat eis Christus, *Matth.* 23. dicens: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ &c.*

Mundus ante Christi adventum erat miser.

Et ideo Christus in suo adventu, non solùm liberavit fideles veteris Testamenti de Limbo inferni; sed etiam liberavit populum Gentilem ab illa miserabili servitute diaboli, totam idololatriam destruendo, & bella & seditiones per Legem & Baptismum auferendo. Et etiam liberavit *pauperes* de populo Judaico à miserabili jugo H Scribarum & Pharisæorum, & à jugo Legis importabili. Et hoc est quod dicit Propheta. Unde ait: Dominus meus Jesus Christus dicit mihi in spiritu, ex revelatione, supple: Ego *exurgam*, id est, in carne apparebo, & veniam in mundum *propter miseriam inopum*, & propter *gemitum pau-*

pauperum, id est, ut liberem & relevem inopes à miseria, & pauperes à gemitu: hoc est, ut liberem vinctos de Limbo inferni, & inopes Gentiles à miserabili servitute diaboli, & à nefandis superstitionibus, & detestabilibus moribus; & ut liberem pauperes de populo Judaico à gemitu, & oppressione Scribarum & Pharisæorum, & omnes peccatores à miserabili servitute peccati. Et nota, quòd David in hoc versiculo refert revelationem, & promissionem, quam habuit de Salvatore Mundi. Quasi dicat: Dominus promisit mihi per revelationem, quòd ipse *exurgeret*, apparendo in mundo ad liberandum pauperes à *gemitu*, & *inopes* ab omni miseria supradicta. Item resurrexit Christus à mortuis, & misit Spiritum sanctum in Apostolos, qui per totum orbem Legem Euangelicam prædicaverunt, & idola destruxerunt, & detestabiles superstitiones Gentilium deleverunt, & falsas traditiones Scribarum & Pharisæorum detexerunt. Ideo dicit: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam &c.* Ideo sequitur, & subdit Propheta in persona totius corporis mystici:

A B C

26. q. 1. Omnes, §. Ex his. Et 96. d. c. Nos. & c. Ubi.

6. *Ponam in salutari: fiducialiter agam in eo.*

PONAM spem, & fidem meam *in* isto *salutari* & Salvatore meo Jesu-Christo, cum venerit in carne, & recipiam eum tanquam Salvatorem & Messiam. Et recipiam Legem suam Euangelicam, quam ipse ore suo prædicavit, & in cordibus hominum scripsit. Et dat rationem, quare vult recipere Christum, & ponere fidem & spem in Christo Salvatore, & Lege Euangelica. Unde ait:

C

Di. cap. 1. Omnes.

7. *Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.*

AD cujus intellectum est notandum, quòd quinque perfectiones memorat, & attribuit Legi Euangelicæ: primò, quòd omnia, quæ sunt in Lege Euangelica, sunt *eloquia Dei*, id est, quòd est à Deo prolata, eò quòd Christus lator ejus, est verus Deus, & prima veritas. Secundò, quòd omnia verba, quæ sunt in Lege Euangelica, sunt *casta*, id est, vera, absque mendacio. Tertiò, quòd tota Lex Euangelica est *argentum igne examinatum*. Quartò, quòd est multipliciter *probatum*. Quintò, quòd est *terræ purgatum septuplum*. Nota, quòd in quibusdam exemplaribus, etiam antiquissimis, reperitur versus iste sic scriptus: *Eloquia Domini eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum ter, repurgatum septuplum.* Et sic esset vitium Scriptorum, qui syllabam *re* divisissent à ly *purgatum*, & junxissent ad ly *ter*. *Augustinus* tamen, & cæteri postillatores exponunt, secundùm quod nostra nunc habent Psalteria &c. Unde per ista quinque vocabula in hoc versiculo posita, ostendit Propheta quinque perfectiones Legis Euangelicæ, & quinque differentias, quibus differt à cæteris scientiis. Nam primò dicit, quòd Lex Euangelica sunt *eloquia Domini*: per quod ostenditur prima dignitas ejus, quia est à solo Deo tradita: ita per consequens non potest mentiri. Et etiam ostenditur, quòd Lex Euangelica differt ab omnibus scientiis humanis, tàm practicis, quàm speculativis, quæ sunt ab hominibus inventæ. Per hoc autem quod dicitur bis, *eloquia casta*, ostenditur, quòd Lex Euangelica est verissima, & castigata ab omni mendacio: nam *castus* dicitur de *castigo*, *castigas*: & sic dicitur *casta*, & correcta, & castigata ab omni mendacio & vitio: quia castigat omnia vitia, in quantum prohibet omne vitium, & docet omnem virtutem: per quod differt ab omni scientia, & scriptura superstitiosa, & ab omnibus artibus magicis: quæ omnes sunt mendaces & adulterinæ, docentes omne mendacium, & detestabiles & pravos mores, de quibus supra dictum est. Et ideo omnes sequentes illas magicas artes, dicuntur adulteri in Sacra Scriptura; eò quòd deviant à castitate & veritate Sacræ Scripturæ. Tertiò Lex Euangelica dicitur *argentum igne examinatum*. Et hoc multipliciter: primò, quia fuit tradita à Christo: sed postea fuit examinata & digesta igne Spiritus sancti in die Pentecostes, quando venit Spiritus sanctus super Apostolos & Discipulos in linguis igneis, & suggessit eis omnia, quæ Christus dixerat eis.

D E F G

Quinque perfectiones Legis Euangelicæ.

Item fuit *examinata igne* charitatis Apostolorum & Martyrum, qui omnes mortui sunt pro Lege Euangelica defendenda. Item fuit *examinata igne* miraculorum. Item fuit *examinata igne* inspirationis: quia igne Spiritus sancti inspirati Doctores, ipsam elucidarunt & declararunt. Per hæc ergo differt ab omnibus scientiis humanis; quia in solo lumine intellectûs agentis sunt traditæ, & glossatæ per homines sæculares, licèt hoc non fiat sine communi influxu superiori. Quartò dicitur, quòd est *argentum probatum*, quia Lex Euangelica multipliciter fuit approbata: nam primò fuit prænunciata per Patriarchas & Prophetas: & fuit promissa Moysi, *Deuter.* 18. cùm dixit Dominus: *Prophetam suscitabo de medio fratrum tuorum, loqueturque ad*

H

eos omnia quæ dixero illi, id est, dabit Legem Euangelicam suo ore prolatam. Secundò, fuit prædicta, & probata, & desiderata per David in omnibus Psalmis, maximè *Psalmo* 118. ubi dicit: *Legem pone mihi*, &c. Item *Isaias* 2. *de Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Hierusalem.* Item *Jerem.* 31. *Dabo Legem meam in cordibus eorum, & in visceribus eorum scribam eam.* Item fuit approbata per Deum Patrem, quando dixit: *Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite*, id est, Legem ejus audite, & recipite. Ultimo fuit approbata per innumera miracula. Ex quibus patet, quòd Lex Euangelica est *argentum* multipliciter *probatum*, & *examinatum* per autentica testimonia. Et sic patet veritas, & dignitas, & auctoritas ejus.

Vivèdum est in Lege Euangelica sic.

Et ideo hæc est causa, quare fiducialiter est acceptanda Lex Euangelica, & est vivendum in ea: primò quia est à Domino Jesu-Christo prolata. Secundò, quia est casta & vera. Tertiò, quia tanquam *argentum igne examinatum.* Quartò, quia est tanquam *argentum purgatum*, & separatum à terra & rubigine. Quintò dicitur *argentum terræ purgatum*, & *probatum septuplum*: per quod non solum differt ab omnibus scientiis humanis: sed etiam à Scriptura veteris Testamenti. Ad cujus intelligentiam est notandum, quod sicut Lex Euangelica dicitur *oleum expressum* ab oleis veteris Testamenti, & separatum ab amurca cærimoniarum: & dicitur vinum expressum ab uvis veteris Testamenti, & separatum à vinacio cærimoniarum. Et dicitur granum trituratum ex segete veteris Testamenti separatum à paleis cærimoniarum per ventilabrum Christi, ut dictum est in *Prologo*, *tractatu* 1. ita pariter dicitur argentum *igne* Spiritus sancti *examinatum*, & probatum, & *terræ purgatum septuplum.* Nam sicut Lex Euangelica erat in veteri Testamento, tanquam oleum in oliva, & vinum in uvis, & granum in spica: ita erat in eadem Lege veteri, & in cærimoniis, tanquam argentum in minerali mixtum cum terra. Unde sicut argentum effossum à minerali, non potest purificari, & separari à terra, & purgari à cæteris metallis vilibus, cum quibus est mixtum, nisi cum igne materiali, & magno artificio, & studio, & labore: ita mysteria Euangelica, quæ erant clausa, mixta, & tecta sub terrenis & materialibus & sensibilibus cærimonialibus veteris Testamenti, non poterant separari, & purificari, & purgari ab illa terra cærimoniarum, nisi per laborem, & Mortem, & Passionem, & doctrinam Christi, & per ignem & lumen Spiritus sancti, qui omnia illa cærimonialia figurativa, in se complevit & consummavit, & veritatem eorum nobis aperuit, cum *incipiens à Moyse, & Prophetis, interpretatus est duobus Discipulis omnia quæ de ipso scripta erant:* & cùm clauso ostio *introivit ad Discipulos, & aperuit eis sensum & Scripturas, & omnia mysteria, quæ erant scripta in Lege, & Prophetis, & Psalmis de ipso, Luc.* 24.

Argẽtum Euangelicum septies per Christum fuit purificatum.

Et sic purgavit mysteria Euangelica à terra cærimoniarum igne Passionis, & lumine suæ doctrinæ: & sic hoc argentum Euangelicum fuit, *igne examinatum*, & *probatum*, & *terræ*, id est, ex terra, & à terrâ cærimoniarum *purgatum* & purificatum; non semel tantum, sed *septuplum*, id est, septies per Christum. Nam primò, fuit purificatum per suam prædicationem & doctrinam. Secundò, per Mortem & Passionem. Tertiò, post Resurrectionem, quando *aperuit eis sensum & Scripturam.* Quartò, quando ascendit in Cœlum, & præcepit, ut irent ad prædicandum Euangelium per universum mundum. Quintò, quando misit Spiritum sanctum in die Pentecostes: quia tunc data sunt Apostolis dona Spiritus sancti, quibus intellexerunt omnes Scripturas. Sextò, fuit hoc *argentum examinatum*, & *probatum*, & *purgatum* per doctrinam Apostolicam in *Epistolis Pauli*, & *Petri*, & *Joannis*, & *Jacobi*, & *Judæ*: & in *Actibus Apostolorum*, & in *Apocalypsi.* Septimò, fuit *examinatum*, & declaratum per Ecclesiam, & sacros Doctores, qui fuerunt illustrati lumine & igne Spiritus sancti. Et ideo *Augustinus*, & cæteri sacri Doctores reliquerunt nobis quædam principia doctrinalia, & quasdam regulas ad intelligendas Sacras Scripturas: ut sciremus separare argentum Euangelicum ex terra cærimoniarum, quando legimus Scripturas veteris Testamenti.

Et ideo non debent mirari lectores fideles hujus operis, quòd tot principia & regulas præmisimus, & tot doctrinas in *Prologo*: quia absque illis impossibile est, ut lector perfectè & integrè possit separare mysteria Euangelica à terrenis cærimoniis veteris Testamenti, & extorquere veritates Euangelicas ex Lege & Prophetis. Nam si humana sollicitudo indiget tanto studio, & labore, & artificio, & tot instrumentis ad purgandum & purificandum argentum & aurum, & separandum ipsum à terra, & rubigine, & cæteris spurcitiis & sordibus: ergo multo majori studio & labore, & majori igne spirituali, & pluribus principiis, & regulis, & doctrinis indiget fidelis lector, cum legit Scripturam veteris Testamenti, ad extorquendas & separandas veritates Euangelicas ab illis terrenis & materialibus cærimoniis, & ab illa materiali litteratura, & ab ænigmatibus prophetarum. Quia omnia illa septem principia & decem regulæ præpositæ in *tertio tractatu*, & omnes doctrinæ præmis-

miſſæ in toto reſiduo *Prologi*, non ſunt niſi quædam ſpiritualia inſtrumenta, & adjumenta ad extorquendum & purgandum A & purificandum argentum Euangelicum à terra veteris Teſtamenti.

Et hoc eſt quod intendit dicere David in hoc verſu. Unde ait: Ego *ponam* totam ſpem & fidem meam *in ſalutari*, id eſt, in Salvatore meo Jeſu, cum venerit in carne. Et *fiducialiter*, id eſt, cum confidentia *agam in eo*, id eſt, omnia opera faciam ſecundùm præcepta, & ſecundùm Legem ſuam Euangelicam: eò quòd talia præcepta ſunt *eloquia Domini*, id eſt, à Deo prolata. Et ſunt *eloquia caſta*, & veriſſima abſque mendacio: quia docent omnem veritatem & virtutem, & prohibent omne vitium & mendacium. Et non ſunt eloquia adulterina & adulatoria, ſicut eloquia Oratorum, & Poetarum, & artium magicarum, & ſicut ſuperſtitiones Gentilium, quæ continent omne mendacium. Item *eloquia* Chriſti Euangelica, ſunt *argentum igne* Spiritus ſancti *examinatum* & *probatum*. Et *terræ*, id eſt, ex terra purgatum & purificatum *ſeptuplum*, per Chriſtum & per Apoſtolos & Doctores, prout dictum eſt. Et etiam *purgatum* & purificatum *ſeptuplum*, & ſepties per illa ſeptem principia, & per decem regulas *in Prologo*, *tractatu* 3. præmiſſas, ſine quibus perfectè & integrè non poteſt intelligi Scriptura veteris Teſtamenti, nec ex ea argentum Euangelicum extorqueri, ut dictum eſt ibi. Et ly *ſeptuplum* ponitur pro *multipliciter* indeterminatè: quia multis modis & exemplis, & multis doctrinis; & per multos Doctores Lex Euangelica fuit examinata, & probata, & purgata, & elucidata: quaſi dicat, concludendo quòd poſtquam Lex Euangelica eſt ita vera & perfecta, ideo *fiducialiter agam* & vivam *in ea*, & operabor ſecundùm ejus C præcepta. Deinde cum dicitur:

2. q. 7. c. Teſtes, §. Chriſtus.

8. *Tu Domine ſervabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.*

PETIT & reſumit quod in principio incepit petere, ſcilicet, liberari per Chriſtum ab omni mendacio, & deteſtabili ſuperſtitione Gentilium, & generatione magorum, & nicromanticorum, & obſervatorum ſiderum, & à prava generatione pravorum Judicum, cauſidicorum, & à fermento, & falſa doctrina, & malitia Scribarum & Phariſæorum, de quibus D dictum eſt in prima parte: de quibus miſeriis, & afflictionibus, & dolis, & deceptionibus nemo poterat mundum liberare, niſi ſolus Jeſus Meſſias in Lege promiſſus. Ideo ait Propheta: *tu Domine* Jeſu-Chriſte, quando veneris in carne, *ſervabis*, & *cuſtodies*, & liberabis *nos in* E *æternum ab hac* prava & deteſtabili *generatione* magorum ſuperſtitioſorum, & maleficorum, & deceptorum, & de miſerabili ſervitute dæmonum, & à prava & falſa doctrina & *fermento Scribarum & Phariſæorum*: qui negaverunt Chriſtum, & ejus Legem Euangelicam, & falſificaverunt Scripturas Legis & Prophetarum, in quibus Chriſtus promittitur & figuratur. Et ſubdit:

9. *In circuitu impii ambulant: ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.*

24. q. 3. c. Hæreticus & c. Quid autem.

OMNES iſti *impii ambulant* non rectè per viam veritatis, ſed *in circuitu* per devia mendacia, ut decipiant ſimplices; non intrantes viam veritatis. Unde primò *am-* F *bulant in circuitu* omnes Magi, & Nicromantici, deviantes à prima veritate, qui eſt Deus: & quærentes auxilia à ſpiritibus immundis & mendacibus: quia *diabolus ab initio in veritate non ſtetit;* & ideo *mendax eſt*, & *pater* & dux omnis mendacii: & ſemper *ambulat in circuitu*, quomodo decipiat hominem, & faciat ipſum deviare à via veritatis & rectitudinis: & per conſequens omnes ejus ſequaces ambulant *per* eundem *circuitum* extra centrum veritatis.

Secundò, *in circuitu ambulant* omnes Sacerdotes Gentilium, qui cum ſuis ſuperſtitionibus propter lucrum decipiebant populum. Tertiò, *in circuitu* ambulabant omnes Poëtæ, & adulatores, & paſſionati rerum geſtarum Scriptores, qui ad demulcendas aures audientium, multa men- G dacia ſcripſerunt. Et ſic *in* eodem *circuitu* ambulant omnes qui legunt, & terunt tempus, legendo eorum ſcripta. Item *in circuitu ambulant* omnes Saraceni, & Infideles & Hæretici cum ſua doloſa, & impura, & execrabili doctrina. Item *in circuitu ambulant* omnes falſi Judices, & Cauſidici, qui cupiditate lucri, falſo & obliquo modo interpretando Leges, detinent ſimplices populares, & pauperes, & viduas in longo litigio, uſquequò deſtruunt & expoliant eos. Item, *in circuitu ambulant impii* & cæci Judæi extra centrum veritatis Euangelicæ: qui ut defendant protervitatem & obſtinationem ſuam, falsò gloſſant Sacram Scripturam veteris Teſtamenti, retrahentes eam à vero ſenſu ſpirituali, confingentes enormia, & exe- H crabilia, & irridenda mendacia de Meſſia, quem fruſtra & falsò expectant: ut patet per totum diſcurſum *Thalmud*, & in gloſſis eorum. De quibus omnibus dicit Propheta: tu Domine Jeſu-Chriſte *ſerva-*

bis

bis & custodies nos in æternum ab hac generatione impiorum : quoniam omnes isti *impii ambulant in circuitu* per devia mendacia extra centrum veritatis Euangelicæ doctrinæ. Nam Euangelica doctrina est centrum & mensura omnis veritatis : eò quòd est tradita à Christo , qui est prima veritas simpliciter. Et sic Judæi moderni usque ad vesperam mundi *ut canes circuibunt civitatem* Euangelicam , non valentes intrare sanctuarium veritatis Euangelicæ, *Psalmo* 58. Ex supradictis patet , qualiter Christus , qui est prima veritas , reparavit omnes *veritates* , quæ fuerant *diminutæ à filiis hominum.* Unde sicut sol per suos radios pellit omnes tenebras , & illuminat totum hemisphærium : ita Christus sol justitiæ per radios Legis Euangelicæ fugavit , & extinxit non solum tenebras peccatorum & ignorantiæ , sed etiam fugavit omnia mendacia , superstitiones , & execrabiles ritus Gentilium , & *fermentum Pharisæorum.*

Deinde cùm dicit : *Secundùm multitudinem tuam multiplicasti filios hominum;* respondet cuidam tacitæ quæstioni , quam faciebat *Porphyrius* contra Christianos , & quæ nunc continuè fit per curiosos. Unde dicunt ; quòd si ita est , quòd Magici, & Nicromantici , & siderum observatores, & omnes superstitiosi , & Gentiles , & Saraceni , & Judæi moderni omnes *ambulant in circuitu* per devia mendacia extra centrum veritatis : & quod soli Christiani boni ambulant in via rectitudinis & veritatis per Legem Euangelicam : ergo quare Deus permisit multiplicari per mundum supradictos infideles in tam magno numero ? quia semper fuerunt & sunt in mundo plures Infideles , quàm Fideles. Item: si Christus solus erat liberaturus mundum ab hujusmodi infidelitate & peccato : ergo quare distulit tantùm adventum suum? Item : si soli Christiani ambulant per viam rectam : ergo quare Deus permittit multiplicari Judæos , & Saracenos , & Hæreticos , & omnes alios Infideles , cùm sint in majori numero quam Christiani ? Et sic apparet , quòd paucos salvavit Christus: quia plures sunt damnati , quàm salvati.

Quare Deus infideles permisit multiplicari?

Ad hoc respondet Propheta , quod nemo potest hoc arcanum comprehendere in hac vita: quia hoc pertinet ad solam altitudinem & profunditatem sapientiæ & scientiæ Dei : ideo dicit David : ò Domine , nemo quærat solutionem hujus quæstionis in hoc mundo : quoniam tu *multiplicasti* , id est , multiplicari permisisti filios hominum , scilicet , carnales , & terrenos , & infideles , *secundùm altitudinem tuam* , id est , secundùm profundum, & altum secretum , & arcanum sapientiæ tuæ inaccessibilis , & incomprehensibilis. Dicat ergo christiana humilitas : *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei &c.* Littera verò *Hieronymi* habet : *In circuitu impii ambulant , cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum.* Et tunc est sensus , quòd ipsi mali & perversi homines non exaltantur , nec multiplicant divitias , nec acquirunt dignitates ambulando per viam justitiæ : sed *in circuitu* extra justitiam , id est , per rapinam , & dolum , & cum adulationibus & cæteris illicitis.

Ex toto ergo isto Psalmo , & dictis in eo , possunt recolligi duodecim conclusiones.

Prima conclusio : quòd ille dicitur *verus* , qui adæquat & conformat & subjicit intellectum suum credibilibus in Lege Domini revelatis : sive ille qui conformatur primæ veritati , quæ est Deus : quæ quidem prima veritas manifestatur in Lege Domini.

Secunda conclusio : quòd ille est verè *justus* , qui conformat voluntatem suam Divinæ voluntati , & adæquat operationes suas Divinis Præceptis.

Tertia conclusio : quòd ille est *verè sanctus* , qui rectè ordinat vitam suam vivendo secundùm Legem Domini per fidem, & spem , & charitatem.

Quarta conclusio: quòd quando Adam peccavit , *defecit* , & deviavit à prima veritate , & justitia , & sanctitate , in quibus consistebat originalis justitia , in qua fuit creatus : & per consequens *diminuta fuit* in eo veritas & justitia.

Quinta conclusio : quòd postquam Adam peccavit , continuè & successivè *fuerunt diminutæ veritates à filiis hominum* usque ad Christum , & per consequens diminutæ fuerunt justitiæ , & sanctitates: quia postquam homines perdiderunt fidem, cæperunt incidere in detestabiles ritus , & superstitiones , & falsas opiniones & pravos mores in populo Gentili.

Sexta conclusio : quòd non solum in populo Gentili fuerunt *diminutæ veritates* & justitiæ , sed etiam in populo Judaico per falsas traditiones Scribarum & Pharisæorum , & Sadducæorum ; & multo magis per falsam fictionem & fermentum Thalmudistarum.

Septima conclusio : quòd solus Christus in suo adventu delevit , & eliminavit falsas superstitiones Gentilium , & detexit fermentum Pharisæorum , & Sadducæorum , & restauravit veritatem deperditam, & verificavit Legem & Prophetas. Et hoc per radios lucidos Legis Euangelicæ.

Octava conclusio : quòd Lex Euangelica est *casta* & inviolata , & *septuplum* igne Spiritus sancti *examinata* , & *purgata.* Et ideo in sola ipsa est vivendum , & secundùm ipsam operandum & in sola ipsa est spes & fiducia ponenda.

Nona conclusio : quòd solus Christus custo-

cuſtodivit & liberavit mundum à prava *generatione* Idolatrarum, & Paganorum, & Judæorum, & Infidelium. A

Decima concluſio: quòd ſicut ſoli Catholici ambulant per viam rectitudinis, & veritatis, & juſtitiæ: ita omnes impii & infideles ambulant in circuitu extra viam & centrum veritatis.

Undecima concluſio: quòd hoc arcanum, ſcilicet, *quare Deus permittit impios, & infideles, & peccatores multiplicari*? Eſt ſoli Deo cognitum ſecundùm altitudinem ſuæ ſapientiæ.

Ex ſupradictis infertur *duodecima concluſio*, ſcilicet, quòd iſte Pſalmus non eſt factus, nec commodè, nec debitè poteſt exponi litteraliter de prodimento Civium *Ceylæ* machinato contra David: ſed eſt factus, & eſt exponendus de diminutione, & corruptione humanæ naturæ facta in *Adam* propter peccatum, quæ erat per ſolum Chriſtum reſtauranda per gratiam, & per B Legem Euangelicam, eo modo quo dictum eſt: quod non ſolùm probatur ex Sacra Scriptura utriuſque Teſtamenti, ſed etiam ex Gloſſis, & dictis *Thalmudiſtarum* & Magiſtrorum Hebræorum.

Ad cujus probationem eſt advertendum, quòd iſta dictio *Toldach* in Hebræo, idem eſt quod *generationes* Latinè; quæ quidem dictio ubique ſcribitur diminutè per ſola puncta ſyllabicata, præterquàm in duobus locis, ſcilicet *Geneſ.*2. ubi dicitur: *Iſtæ ſunt generationes Cœli & terræ &c.* Et *Ruth ult. cap.* ubi dicitur: *Hæ ſunt generationes Phares &c.* In quibus duobus locis iſta dictio *Toldach* ſcribitur perfectè cum omnibus ſuis litteris integrè. Ubi quæ-
„ rit *Rabbi Salmai:* quæ eſt cauſa quare
„ dictio *Toldach* in omnibus aliis locis ſcri-
„ bitur diminutè, præterquàm in his duo-
„ bus locis? Ad quod reſpondet, quòd C
„ cauſa eſt hæc: Nam in principio omnia
„ fuerunt creata in plenitudine perfectio-
„ nis ſuæ: ſed quando peccavit *Adam* pri-
„ mus homo, omnia fuerunt corrupta &
„ diminuta; & maximè generatio humana.
„ Et dicit ulterius: quòd iſta corrupta &
„ diminuta non revertentur ad perfectum
„ & integrum ſtatum & diſpoſitionem, do-
„ nec veniat filius *Phares*, & *David*,
„ ſcilicet, Chriſtus Meſſias in Lege pro-
„ miſſus. Unde dicit, quòd iſta dictio *Tol-*
„ *dach*, ideo *Geneſ.*2. ſcribitur integrè cum
„ omnibus ſuis litteris, quando dicitur:
„ *Iſtæ ſunt generationes Cœli & terræ*
„ *&c.* eò quòd *Adam* nondum peccave-
„ rat. Ideo omnia erant perfecta & inte-
„ gra in ſua natura: ſed quia poſtquam D
„ *Adam* peccavit, omnia fuerunt corrupta
„ & diminuta; ideo ubicumque ponitur
„ poſteà hæc dictio *Toldach*, ſcribitur di-
„ minutè. Ideo *Geneſ.*5. ubi dicitur: *Hæ*
„ *ſunt generationes Adam:* & *Geneſ.*6. *Hæ*
„ *ſunt generationes Noe*: & *Geneſ.*25. *Hæ*
„ *ſunt generationes Iſmael, & generatio-*
„ *nes Iſaac, & Jacob &c.* ſemper iſta dic-
E „ tio *Toldach* ſcribitur diminutè; ad deno-
„ tandum, quòd tota humana generatio
„ erat corrupta in omnibus illis. Sed poſ-
„ teà *Ruth ult.* quando dicitur: *Hæ ſunt*
„ *generationes Phares:* iſta dictio *Toldach*
„ ſcribitur integrè: per quod denotatur,
„ quòd tota generatio humana corrupta, &
„ diminuta in *Adam*, debebat reſtaurari,
„ & redintegrari, & reſici per Chriſtum in
„ Lege promiſſum, *Filium Phares & Da-*
„ *vid.* Ex quibus patet, quòd iſte *Rabbi*
Salmai in ſuis dictis concordat cum David in hoc Pſalmo, ſecundùm prædictam Expoſitionem: quia nihil aliud intendit prædicere David in hoc Pſalmo, niſi quod quando *Adam* defecit à prima veritate, & juſtitia, & ſanctitate; tunc tota humana natura fuit in eo corrupta & *diminuta*: & F ſic ſucceſſivè *diminutæ fuerunt omnes veritates à filiis hominum:* ſed quia humana natura non poterat reſtaurari, niſi per Chriſtum: ideo David vocat eum, ut veniat ad ſalvandum genus humanum à peſte ſupradicta, prout dictum eſt.

Not. propter peccatum Adæ omnia depravata.

PSALMUS XII.

1. *Uſquequò Domine oblivíſcèris me in finem? Uſquequò avertis faciem tuam à me?*

De Sum. Trinit. & Fide Cath. cap. 1.

TITULUS: *Victori*, ſive *In finem Pſalmus ipſi David.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Pſalmum, dirigens nos in Chriſtum, qui eſt finis Legis, & verus *David* victor contra diabolum: qui G quidem Chriſtus, ſive *David* in mundo expectabatur Salvator & Redemptor. In quo Pſalmo Propheta in perſona ipſius *Adam* & totius *corporis myſtici* conqueritur de longa mora Chriſti, & longa ſua captivitate. Ideo exclamat, ut Chriſtus in brevi veniat ad illuminandum & liberandum ipſum de captivitate diaboli, & cœcitate tenebrarum. Unde eſt advertendum, quòd licèt iſte Pſalmus ſit parvus in littera, tamen eſt magnus in ſententia, & virtute, & utilitate; eò quòd ſub eiſdem verbis explicat, primò deſiderium Patriarcharum de adventu Chriſti. Secundò ſtatum peccatoris pœnitentis, deſiderantis per gratiam juſtificari, & à peccato liberari. Et ſic iſte Pſalmus eſt ſimul propheticus, & pœniten-H tialis: & ſic oportet, quòd dupliciter exponatur. Primò propheticè: ſecundò moraliter.

Duplex Expoſitio.

Quantum ad primum ſenſum tria facit David in hoc Pſalmo. Nam primò dolendo de longa mora adventus Chriſti, explicat miſerabilem ſtatum ſuum. Secundò petit

tit liberari. Tertiò promittit se gratias acturum. Secunda ibi : *Respice, & exaudi.* Tertia ibi: *Ego autem in misericordia tua* A *speravi.* Quantum ergo ad primum est notandum, quòd ante adventum Christi totum genus humanum erat in triplici miseria constitutum. Primò, quia erat projectum à facie Dei propter peccatum *Adæ*, & per consequens extra gratiam. Secundò, quia erat subjectum diabolo propter peccatum & idololatriam. Tertiò, quia diu expectaverat Christum & nondum veniebat: ideo *David* in persona totius generis humani deflendo longam miseriam suam, & longam moram Christi, cupiens liberari, ait: *Usquequò Domine oblivisceris me in finem*? id est, deducere me ad te, qui es *finis* Legis, & *finis* omnis miseriæ: quia per te debet finiri omne peccatum, & omnis miseria: quia in tuo adventu *finem* accipiet peccatum, & *adducetur justitia sempiterna*, *Dan.* 9. Ergo *Adam mysticus* cupiens liberari per Christum futurum, dicit: *Usquequò Domine oblivisceris me in* B *finem*? id est, *oblivisceris* venire, ut des *finem* Legi, & *adducas justitiam*? Et *usquequò averte*s *faciem tuam* & gratiam *à me*, differendo adventum tuum? Et *usquequò exaltabitur* diabolus *inimicus meus super me*? Quia toti mundo dominatur, & possidet genus humanum in hoc sæculo per idololatriam & peccatum: & in inferno omnibus dominatur per pœnam sensus, aut damni. Et quia homo semper erat in tali querela & meditatione considerando suum miserum statum; & quia erat projectus à facie Dei, & captivus in potestate diaboli; ideo affligebatur in mente ex continua meditatione in nocte: & affligebatur in corde & corpore ex continuo dolore & timore pœnæ. Ideo subdit:

De Pœ. di. 1. c. Serpens.

2. *Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo* C *per diem?*

QUAMDIU *ponam consilia in anima mea*? id est, vertam & agitabo cogitationes in mente, & *ponam*, & patiar *dolorem in corde per diem*, id est, per totam vitam meam, timendo pœnam, & expectando te, ut liberes me? Quia dum tu tardas, diabolus semper dominatur in mundo. Ideo ô Domine,



D

E 3. *Usquequò exaltabitur inimicus meus super me? Respice & exaudi me Domine Deus meus.* 7. q. 1. c. *Cum percussio.*

USQUEQUÒ *exaltabitur super me*? quia in toto orbe adoratur & colitur à Paganis, *usquequò* tu venias, & ejicias eum foras: ergo *usquequò* tantùm tardas? *Respice & exaudi me Domine Deus meus.* Hîc exponit suam petitionem, petendo liberationem, dicens: O Christe *Domine Deus meus*, quia hucusque avertisti faciem tuam, & oblitus es mei: ideo nunc respice miserendo, & gratiam conferendo: & *exaudi me*, tuum adventum accelerando. Et

4. *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte: nequando* 16. q. 2. cap. *Visi.* F *dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.*

5. *Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speravi.*

ILLUMINA *oculos meos*, id est, animam meam cœcam, & ignorantem, & tenebrosam, & falsâ superstitione seductam, & in tenebris peccatorum obrutam. Et hoc facies per Legem Euangelicam, & Ecclesiastica Sacramenta: *Ne unquam obdormiam in morte* peccati & ignorantiæ, in qua sum. *Ne inimicus meus* diabolus *dicat aliquando*, nec possit gloriari, dicendo: Ego *prævalui adversus eum*, scilicet, ad- G versus hominem, in æterna eum captivitate possidendo. Nam *si* ego *motus fuero* ab hac vita sine fide Euangelica, & charitate: tunc inimici mei diaboli *qui tribulant me*, in cujus potestate sum, *exultabunt*, æternaliter me cruciando, & in potestate sua possidendo. Ergo veni, ne differas, & noli tardare, ut liberes me. *Ego autem.* Hîc promittit se gratias acturum, postquam fuerit liberatus & redemptus post adventum & Passionem Christi: & hoc, in exhibendo Christo verum cultum.

Unde nota, quòd verus Christi cultus consistit in tribus principaliter. Primò interiùs in fide, spe, & charitate. Nam fides est in intellectu, & spes, & charitas in voluntate. Secunda pars cultus Divini con- H sistit in laudando Deum, id est, confitendo eum ore coram hominibus, & agendo gratias beneficiorum, sive ex beneficiis receptis; atque in bene operando erga proximum. Unde primò, credimus, & diligimus Deum, & ponimus spem nostram in eo: *Cultus Dei consistit in tribus.*

&

& hoc pertinet ad actum interiorem animæ. Secundò, ex hoc prorumpimus in laudem ejus, & veram adorationem; & A exinde operamur opera misericordiæ erga proximum. Et hoc servat Ecclesia. Nam primò præcipit, & dat fidem, & spem, & charitatem, & dona Spiritus sancti, per Sacramenta Ecclesiastica. Secundò ordinavit Officia Ecclesiastica, quæ septies in die Deo cantamus. Et ordinavit festivitates, in quibus cantamus beneficia, quæ Christus nobis exhibuit per suam Incarnationem, & Nativitatem, & Passionem, & Resurrectionem, & Ascensionem, & Prædicationem. Et sic prædicamus in Ecclesia omnia beneficia Christi, agendo gratias, & quotidiè recommemoramus Passionem Christi, & offerimus Christum Mediatorem Dei & hominum in Sacramento Eucharistiæ. Et in his consistit secunda pars Divini cultus. Tertiò, operando opera misericordiæ erga B proximum propter Deum: quæ est tertia pars Divini cultus.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, dicit: O Christe, veni in carne, & *illumina oculos* mentis meæ per tuam Legem Euangelicam; *ne unquam obdormiam &c.* Nam dæmones *qui tribulant me*, *exultabunt*, id est, exultarent, *si motus fuero* à stabilitate fidei, & sine redemptione, ab hac vita: *autem* pro *sed*: sed quia per fidem & spem meæ redemptionis intendo salvari, in qua omnes antiqui salvabantur. Quasi diceret, quòd *si motus fuero*, & recessero ab hac vita sine redemptione: tunc diaboli *exultabunt*. Ergo veni ad liberandum me, &c. Ideo semper *in misericordia tua speravi*: quia tu per *misericordiam tuam*, & Passionem me salvabis. Et cum fuero à te C per Passionem salvatus, & cum reposueris & constitueris me in Lege Gratiæ: tunc reddam tibi verum cultum.

Psal. 7. d. 6. *Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: & psallam nomini Domini altissimi.*

PRIMÒ *exultabit cor meum in salutari*, & redemptione tua ex firma fide, & spe, & charitate. Et hoc quoad primam partem Divini cultûs: quia gaudebo & D exultabo, me esse à te, & per te redemptum. Et sic dolor, quem in corde habebam ex statu miseriæ, convertetur mihi in gaudium & exultationem per adventum tuum. Secundò *cantabo Domino* Patri, *qui bona tribuit mihi* mittendo Filium suum. Et sub eodem cultu & adoratione *cantabo* laudes *Domino* Jesu-Christo Filio suo, *qui tribuit mihi bona*, scilicet, beneficia Incarnationis, & Nativitatis, & Legis Euangelicæ, & Passionis, & Redemptionis &c. Et sic confitebor ipsum verum Deum, & E prædicabo publicè per universum mundum beneficia recepta, & celebrabo officia in festivitatibus *septies in die &c.* Tertiò adimplebo Legem suam, bene operando erga proximum. Et sic ergo tripliciter colam ipsum, scilicet corde, ore, & opere, & vitâ contemplativâ, & activâ. Et sic tripliciter agam gratias pro beneficiis à Deo receptis in suo adventu.

Sed quia intentio David in hoc Psalmo, non solùm est prophetare, desiderando, & prædicando adventum Christi, ut expositum & dictum est; sed etiam intentio ejus fuit deducere nos ad veram pœnitentiam exemplo sui: ideo iste Psalmus est moraliter exponendus pro quolibet peccatore pœnitente. Unde forsan David fecit hunc Psalmum post peccatum adulterii F *Bethsabee*, quod per annum celatum tenuit, ut patebit *Psalmo* 50. Ideo deflet in hoc Psalmo miserabilem statum suum, & longam moram in illo peccato, per quod fuit separatus per annum à gratia Dei, & à spiritu prophetico. Ideo in hoc Psalmo agens pœnitentiam, duo facit. Nam primò, describit totum processum & decursum veræ pœnitentiæ. Secundò verò, discursum, & processum statûs gratiæ post pœnitentiam, in quo homo satisfacit pro peccato, ibi: *Ego autem in misericordia tua speravi &c.* Quantum ad primum est notandum, secundùm *Augustinum*, *libro de vera & falsa Pœnitentia*, quòd *pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse.* Gregorius verò dicit, quòd *pœnitentia vera est, peccata* G *præterita commissa plangere, & plangendo iterum non committere.* Et sic omnes assignant tres partes pœnitentiæ; scilicet, *Contritionem*, & *Confessionem*, & *Satisfactionem.* *Quid est pœnitentia*

Sed in prima parte multa præcedunt, scilicet ad *Contritionem.* Nam processus pœnitentiæ debet correspondere processui peccati, quod similiter consistit in corde, & ore, & opere: unde in prima parte multa continentur. Nam quis primò proponit peccare: sed cognitio præcedit propositum. Nam primò homo considerat & cognoscit apparens bonum, ad quod convertitur: etiam habet cognitionem Dei, & Legis ejus, à quibus avertitur. Et posteà H convertitur ad commutabile sibi apparens bonum. Primò ergo avertitur ab incommutabili sibi cognito bono ex Lege sibi data. Secundò convertitur ad commutabile sibi apparens bonum: & proponit peccare. Et hic dicitur primus gradus peccati, scilicet, in corde, per quod illicò perdit homo gratiam Dei, in qua erat. Secundò sequitur locutio per os, vel effectus & opus peccandi. Tertiò sequitur prosecutio. Et ideo oportet, quòd tripliciter pœniteat, sci-

scilicet, corde per *Contritionem*, & ore per *Confessionem*, & opere per *Satisfactionem*. Sed quia propositum peccandi præcessit cogitatio (nam ideo dicitur *peccatum*, quia propositum & voluntarium) ita ideo dicitur *propositum* & voluntarium, quia *præcognitum*. Ita pariter vera *Contritio* dicitur, quæ est *præcogitata*, & *præcognita*. Ideo duo, vel tria præcogitantur ante *Contritionem*. Nam primò peccator considerat Deum, quem offendit, & à quo separatus est: & gratiam quam perdidit; & Legem, contra cujus præceptum & justitiam fecit. Secundò considerat vilitatem peccati, & miserabilem statum, in quo est: & detestatur peccatum, & revertitur ad Deum. Et tunc convertitur in corde, versando supradicta. Et sic dolet, se contra Deum peccatum commisisse. Et iste est *primus gradus Pœnitentiæ*. Et sic in eodem gradu & statu proponit duo. Primò, *dimittere peccatum*. Secundò, *confiteri*. Tertiò, *nunquam amplius committere*. Et sic perficitur *primus gradus Pœnitentiæ*: & sequitur *secundus*, scilicet, *Confessio peccati* apud Ecclesiam, si adest facultas, & opportunitas. Tertiò sequitur post Confessionem *Satisfactio*, & bona operatio in statu gratiæ.

Gradus Pœnitentiæ.

Et hunc ordinem servat hîc David, & docet servare omnem pœnitentem. Nam conversus ad se, & videns miserum statum suum separatum à gratia Dei, eò quòd à Deo fuerat aversus, & Deus ab eo, & subtraxerat gratiam propter peccatum, & permisit per longum tempus manere in ipso: ideo dicit David ad Deum: O *Domine usquequò oblivisceris me in finem*? permittendo me tam diu manere in peccato. Et *usquequò*, & quamdiu *avertis faciem tuam à me*, subtrahendo gratiam? Secundò considerando peccatum, & miserum statum suum, dicit: *Quamdiu ponam consilia in anima mea*? id est, cogitabo peccatum in quo sum, tam detestabile & abominabile: & hucusque non curavi, nec volui ab eo exire? Tertiò, ex hoc sequitur dolor & *Contritio* in corde. Ideo ait: *Quamdiu ponam dolorem in corde meo per diem*? id est, continuè, dum recordatus fuero peccati, & offensæ Dei. Et sic sequitur detestatio peccati, in quo diabolus dominabatur ei, cùm dicit: *Usquequò exaltabitur*, & dominabitur diabolus *inimicus meus super me*? possidendo me per peccatum. Et hæc est vera *Confessio*: quia confitetur peccatum suum, & proponit dimittere, & amplius non committere: ideo petit liberari per gratiam gratificantem, dicens: *Respice*, dando gratiam, *ô Domine Deus meus*, postquam per tantum tempus *avertisti faciem tuam à me* propter meum peccatum: *& exaudi me*, dando veniam, & dimittendo culpam: *& illumina oculos* mentis meæ; *ne unquam obdormiam in morte*, id est, ne moriar in mortali peccato: quia tunc esset peccatum obstinationis, & finalis impœnitentiæ, quod *non dimittitur in hoc sæculo, nec in alio*, pro quo non est orandum. Et gloriaretur diabolus, se prævaluisse adversum me. Et ideo *nequando*, id est, aliquando, *inimicus meus* diabolus *dicat*: Ego *prævalui adversus eum*; tu propter misericordiam *illumina oculos meos* lumine tuæ gratiæ, mihi præteritam culpam remittendo: ne amplius similia peccata committam. Nam *si motus fuero* ab hac vita, & decessero sine pœnitentia: tunc dœmones, *qui tribulant me*, tentando per peccatum, tunc *exultabunt*. Et ponitur *futurum Indicativi* pro *Conjunctivo*: eò quòd Hebræi carent *Optativo & Conjunctivo*, ut frequenter dictum est. Quasi dicat: Si decederem sine pœnitentia, tunc exultarent *inimici mei* dœmones.

Ego autem. Hîc describit statum gratiæ, in quo fit vera *Satisfactio*. Nam sicut status peccati habet tres gradus: scilicet, malum propositum, & executionem, & prosecutionem; quia corde, ore, & opere peccator offendit Deum. Ita pariter in statu gratiæ justus tripliciter Deo servit, scilicet corde, per fidem, spem, & charitatem. Secundò ore, Deum laudando, & de beneficio remissionis peccati adepto, & pœnitentiâ factâ, gratias agendo. Tertiò bona opera per charitatem exercendo, & pro reatu & peccato quondam commisso plenè satisfaciendo. Et ista tria tangit David in hac littera. Unde dicit primò: *Ego autem*, postquam egero veram pœnitentiam, & mihi fuerit remissa culpa, & illuminatus fuero per gratiam: tunc *in misericordiâ tua speravi*, id est, sperabo: & hoc per fidem veram, & spem: ex quibus sequitur charitas, & vera exultatio in corde. Nam sicut cùm eram in peccato, delectabar in eo; ita post actam pœnitentiam delectabor in statu gratiæ per fidem, spem, & charitatem. Et sic *exultabit cor meum in salutari tuo*, id est, in salute animæ meæ, quam per pœnitentiam acquisivi: & tunc delectabiliter serviam Deo: primò in vita contemplativa, Deum laudando, & gratias agendo pro beneficiis receptis. Et sic *cantabo Domino*, *qui* tanta *bona tribuit mihi*, culpam remittendo, & gratiam conferendo. Secundò *psallam nomini Domini altissimi*, bene operando erga proximum, & pro peccato satisfaciendo. Unde nota, quòd tria ponuntur in hoc versiculo, scilicet, *exultatio cordis*: per quam intelligitur status, & gaudium, fides, & spes, & charitas Dei & proximi. Secundò ponitur *cantus*: per quem intelligitur gratiarum actio, & vita contemplativa. Tertiò ponitur *psallere*: per quod intelligitur bona operatio ad laudem Dei & utilitatem proximi, quæ est observatio decem præceptorum.

Justus Deo tripliciter servit.

Ex

Quatuor concluſiones.

Ex toto iſto Pſalmo poſſunt recolligi quatuor concluſiones. Quarum *prima* eſt: quòd Deus obliviſcitur peccatorem, & A avertit faciem ſuam ab eo, ſubtrahendo gratiam propter peccatum. Unde peccator non peccavit, quia Deus ſubtraxit gratiam: ſed ideo Deus ſubtraxit gratiam, eò quòd homo peccando abjecit eam. Et ſic Deus non eſt cauſa peccati, ſed iſte homo, qui peccando abjecit gratiam.

Secunda concluſio: quòd oppoſitum accidit in juſtificatione peccatoris: quia collatio gratiæ præcedit abjectionem culpæ. Nam ideo peccator convertitur & juſtificatur, quia Deus illuminat eum, gratiam conferendo. Ideo David in perſona pœnitentis petendo gratiam gratificantem, dicit: *Illumina oculos meos &c.*

Tertia concluſio: quòd ſi peccator non egerit pœnitentiam in vita, ſed moriatur obſtinatus: tunc diabolus dicitur victor & *prævaluiſſe adverſùs eum:* eò B quòd tenuit hominem in peccato uſque ad terminum, & non reliquit ipſi locum pœnitentiæ.

Quarta concluſio: quòd tria recuperat & conſequitur homo per pœnitentiam. Primò lætitiam in corde, recuperando charitatem. Secundò *cantat Domino* gratias agendo: quia evaſit perpetuam damnationem. Tertiò liberè operatur meritoriè, ſecundùm Divina mandata.

PSALMUS XIII.

Argum. de Pœn. d. 1. §. Tres item, cap. Medicinâ & 15. q. 1. §. 1. ante fin.

1. *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.* C

TITULUS: *In finem, Pſalmus ipſi David.* Ex Titulo patet, quòd David fecit hunc Pſalmum, dirigens nos in Chriſtum, qui eſt finis Legis, & Liberator, & Salvator Iſrael, ut patebit in fine hujus Pſalmi. Sed de materia hujus Pſalmi dicit „ *Rabbi Salomon*, quòd David fecit hunc „ Pſalmum, prævidens deſtructionem *Hie-* „ *ruſalem* faciendam per *Nabuchodonoſor*, „ & captivitatem Judæorum in *Babylonia.* „ Et dicit, quòd iſte *Inſipiens*, qui dixit „ in corde ſuo *Non eſt Deus*, fuit *Nabu-* „ *chodonoſor*, & populus *Chaldæorum*, qui „ dixit, quòd Deus Iſrael non erat verus „ Deus, quia non potuit Judæos liberare „ de manibus ſuis. Et ideo *Nabuchodono-* „ *ſor*, & omnes *Chaldæi corrupti & abo-* D „ *minabiles facti ſunt.* Et iſto modo *Rabbi Salomon*, & multi *Rabbini* Judæorum litteraliter præcisè ad hunc ſenſum gloſſant iſtum Pſalmum.

Sed manifeſtè patet, talem expoſitionem eſſe inutilem & inanem. Primò, quia ſequeretur, quòd iſte Pſalmus non pertineret ad Sacram Scripturam: cùm talis expoſitio non explicet aliquod ſacramentum de Chriſto, & Eccleſia. Secundò, non E dirigeret nos in Chriſtum, quod eſt contra Titulum præpoſitum huic Pſalmo. Tertiò: quia expoſitio non eſt ſufficiens, non explicans intelligentiam Pſalmi; in quo dicitur, quòd *Deus de Cœlo proſpexit*, non ſolùm ſuper *Babylonios*, ſed ſuper omnes *filios hominum*: &, *Omnes declinaverunt &c.* Ergo non ſolùm *Chaldæi &c.* Et ideo *Caſſiodorus* exponit hunc Pſalmum de populo Judæorum, qui *dixit in corde ſuo*, quòd Chriſtus *non erat Deus*: & ideo incurrit omnes corruptiones, & maledictiones in hoc Pſalmo memoratas.

Sed etiam iſta præcisè expoſitio facta de ſolis *Judæis*, videtur inſufficiens, propter hoc quod dicitur, quòd *Deus reſpexit ſuper* omnes *filios hominum*; & non ſolùm ſuper Judæos, ſed *omnes declinaverunt &c.* Et ideo Beatus *Auguſtinus*, non ſolùm F exponit Pſalmum de Judæis, ſed etiam de populo Gentili, & de quibuſdam Philoſophis, qui negarunt, Deum eſſe Creatorem mundi, & juſtum Judicem, & Retributorem; nec habere providentiam de actibus humanis: nec poſuerunt unum Deum, ſed plures. Et ideo negato hoc primo principio, proruperunt in omnem corruptionem, & omnia ſcelera in hoc Pſalmo memorata.

Sed cum reverentia tanti Viri, adhuc Expoſitio, & præfata cauſa præcisè aſſignata, non videtur eſſe ſufficiens, nec videtur evacuare totam ſententiam & intelligentiam hujus Pſalmi. Unde *Apoſtolus, ad Romanos tertio*, per Scripturam hujus probat, non ſolùm Gentiles, ſed etiam Ju- *Nota.* G dæos, & omnes homines fuiſſe corruptos in *Adam.* Unde dicit: *Cauſati*, id eſt, argumentati *ſumus*, *Judæos*, & *Græcos omnes ſub peccato eſſe*; & intelligit per *Græcos*, omnes Gentiles, & Barbaras Nationes, & omnes filios *Adam*, ut patet intuenti. Et ſic ex fundamento hujus Pſalmi profert illam univerſalem ſententiam: *Omnes in Adam peccaverunt.* Ex quibus verbis *Apoſtoli* videtur innui, quod ille *inſipiens*, qui *dixit in corde ſuo: Non eſt Deus*, per quem, & cujus peccato omnes ſunt corrupti, & incurrunt omnia ſcelera in hoc Pſalmo memorata; fuit ipſe *Adam*, qui *dixit in corde ſuo: Non eſt Deus.*

Sed hæc ſententia *Apoſtoli*, & intelligentia, videtur nimis dura, & extranea: ſcilicet, quòd *Adam dixerit in corde ſuo,* H *Deum non eſſe*; & quòd aliquo modo negavit Deum, cùm fuerit creatus in tanta ſcientia & ſapientia, cui Deus commiſerat gubernationem omnium creaturarum inferiorum, & qui omnibus propria nomina impoſuerat ſecundùm proprias naturas. Et ſic ſcivit, Deum eſſe omnium Creatorem & Gubernatorem &c. Item ex textu *Geneſis* non habetur, quòd *Adam* negaverit

rit Deum, quando peccavit : immò post peccatum fugit à facie Dei, ex timore & confusione: & per consequens semper confessus est, & novit ipsum Deum, & Dominum. A

Dupliciter negatur Deus.

In oppositum videtur littera hujus Psalmi, secundùm intentionem *Apostoli*. Ad cujus intelligentiam est valde advertendum, quòd aliquem negare Deum, stat dupliciter: uno modo *directè & assertivè*; alio modo *indirectè*. Primo modo, *Adam* non negavit Deum directè & assertivè: quia semper cognovit, Deum esse Creatorem, & Dominum, ut dictum est. Sed secundo modo potest dici, quòd negavit Deum *indirectè*, & *dubitativè*, in quantum putavit, aliquid inesse, sive deesse Deo : quod est contra ejus majestatem, & immensam sapientiam: ad quod sequebatur, Deum non esse Deum : quia putavit, Deum esse invidum, & finitum in sapientia. Quod probatur. Nam quando *Adam* credidit diabolo B dicenti ipsi: *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut Dii, scientes bonum & malum &c.* tunc *Adam* putavit tria de Deo. Primò, Deum esse mendacem in verbis, non facientem quod comminabatur. Secundò, putavit eum esse invidum; eò quòd timebat, ne *Adam* ipsi æquipararetur in scientia. Tertiò, putavit Deum esse finitum, cum de facto ipse *Adam* præsumpsit, Deo parificari, ut ait *Augustinus*, quòd *Adam & Eva volentes rapere Divinitatem, perdiderunt felicitatem.* Ex quibus sequebatur, Deum non esse Deum : quia ista tria sequebantur ex verbis diaboli, ex quibus sequebatur Deum non esse Deum: unde diabolus fecit Deum mendacem, dicendo: *Nequaquam moriemini.* Et fecit eum invidum, cum subdidit: *Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes*, id est, æquales in scientia. Ex quibus sequebatur, non solùm Deum esse finitum, sed etiam invidum : & per consequens sequebatur, non esse Deum. Et sic *Adam* credendo diabolo & uxori, inductus est in eosdem errores, licèt *indirectè*. Sed Gentiles, & quidam Philosophi magis *directè* negarunt Deum, dicentes, Deum non habere curam, nec providentiam de actibus humanis. Sed Judæi magis *directè* negarunt Deum, negando Christum esse Deum & Messiam in Lege promissum, ut patebit.

Nota, tres insipientes Deum negantes.

Tres ergo *insipientes* negarunt Deum. Primò *Adam indirectè*, dubitando de ejus D veritate, & infinita sapientia. Secundò *populus Gentilis*, negando ejus unitatem, & providentiam, & justitiam. Tertiò *populus Judaicus*, negando Christum esse verum Deum & Messiam. Triplicem ergo corruptionem prævidit, & vidit in spiritu David, considerando omnes status hominum. Nam primò, vidit universalem corruptionem humanæ naturæ factam, & etiam provenientem ex peccato ipsius *Adam*. Secun- E dò, vidit corruptionem morum totius populi Gentilis, & omnium barbararum Nationum, provenientem ex negatione justitiæ, & providentiæ Divinæ de rebus humanis. Tertiò prævidit corruptionem populi Judaici, venturam ex negatione Christi in Lege promissi.

Tripliciter ergo exponetur iste Psalmus, secundùm quod David fecit ipsum de supradicta corruptione : nam primò exponetur de corruptione totius humanæ naturæ facta in *Adam*, & juxta intelligentiam *Apostoli*. Secundò exponetur de corruptione totius populi Gentilis, negantis Divinam providentiam, & justitiam : & hoc secundùm expositionem *Augustini*. Tertiò exponetur de corruptione populi Judaici, negantis Christum esse Deum & Messiam.

F Quantum ergo ad primam expositionem est advertendum, sicut dictum est *in Prologo*, quòd duo homines fuerunt principia generis humani. Primus enim *Adam* fuit principium carnalis generationis omnium hominum, & causa corruptionis humanæ naturæ, & omnis mali, & peccati. Secundus Christus fuit principium spiritualis regenerationis & salutis omnium hominum: quia sicut in *Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificantur*: 1. *ad Corinth.* 15. Hoc ergo prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum: in quo duo facit. Nam primò ostendit, genus humanum esse corruptum propter peccatum ipsius *Adam*. Secundò ostendit, Christum esse Judicem omnium & Salvatorem, ibi: *Nonne cognoscent.*

G Quantum ad primum est advertendum, secundùm *Augustin.* 2. *lib. de Nuptiis*, quòd illud peccatum, quod primum hominem mutavit in pejus, multò grandius fuit, quam judicare possumus: ideo ab omni nascente trahitur, quia totum genus infecit humanum. Causa autem tantæ gravitatis illius peccati, fuit multiplex circunstantia, ut inquit *Augustin.* in *Enchiridio* : quia quasi omnia genera peccatorum fuerunt illi peccato annexa. Sed maximè ibi fuit blasphemia, & sacrilegium, & crimen læsæ majestatis, in quantum putavit & dubitavit, Deum esse mendacem, & invidum; & temerè præsumpsit rapere Divinitatem, ut supra dictum est.

De Adæ peccati gravitate.

Ex quo patet, quòd *indirectè* negavit H Deum esse: ex quo detestabili peccato ipse fuit corruptus, & tota sua generatio in eo. Et hoc est quod dicit David in hac prima parte hujus Psalmi. Unde ait, quod *Adam* factus insipiens credendo diabolo, *dixit in corde suo, Non est Deus*, non assertivè & directè, sed dubitativè, & consecutivè: quia hoc sequebatur ex sua dubitatione, & præsumptione. Et ideo ex gravitate tam gran-

grandis peccati perdidit totam hæreditatem, non ſolùm quam poſſidebat in illo terreſtri Paradiſo; ſed etiam futuram felicitatem ſibi promiſſam in Cœlo. Et ſicut perdidit illam originalem juſtitiam, quâ voluntas ſua erat divinæ voluntati conformis & ſubjecta: ita pariter perdidit obedientiam ſenſualitatis ad rationem: quia illicò caro ſua fuit languore, & vitio concupiſcentiæ ſauciata, & omnes potentiæ vulneratæ, & tota natura corrupta. Et ſic caro illicò inſurrexit ad luctandum adverſus ſpiritum: quam quidem corruptionem, & languorem, & morbum tranſmiſit in omnes filios per carnalem generationem; & illi *filii Adam* tranſmiſerunt eamdem corruptionem acceptam à patre, filiis eorum. Et ſic ſucceſſivè corruptum & infectum fuit totum genus humanum ex illo peccato primi parentis; qui *dixit in corde ſuo, Non eſt Deus &c.* Et ideo ſubdit:

2. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Infr. 52. 2.

OMNES, inquit, filii Adam *corrupti, & abominabiles* Deo *facti ſunt in ſtudiis ſuis*, & cogitationibus, & operibus: in tantùm, quòd *non eſt* aliquis eorum, *qui* naturaliter *faciat bonum*, *nec eſt* bonus naturaliter *uſque ad unum.* Et notanter dicit Propheta: quòd *corrupti ſunt, & abominabiles.* Nam omnes filii Adam fuerunt facti corrupti in ſe, in quantum traxerunt naturam corruptam à parentibus: & ſic ſunt proni ad omne malum, & fragiles ad omne bonum faciendum. Sed *fuerunt* Deo *facti abominabiles* & odioſi filii iræ: quia *Adam* omnes poſteros vendidit, & obligavit ſuo peccato, & ad pœnam, & damnationem ſui peccati. Et ſic omnes incurrerunt indignationem Dei, & condemnationem, & pœnam. Sed quia non ſolùm fuerunt Deo *abominabiles* propter peccatum parentum, ſed etiam omnes fuerunt in natura *corrupti*: ideo *Non eſt qui faciat bonum, nec eſt* bonus *uſque ad unum.* Sed eſt advertendum, quòd ly *uſque ad unum*, dupliciter poteſt poni, & intelligi: uno modo *incluſivè*: & ſic eſt ſenſus; quòd in tantum omnes filii naturales ipſius *Adam* ſunt mali, quia *nullus eſt* naturaliter *qui faciat bonum*, nec ſit bonus: & iſte ſenſus eſt verus. Secundò, poteſt poni *exceptivè* ly *uſque ad unum*, quòd ſit ſenſus: Inter omnes homines *non eſt qui* naturaliter ſit bonus, *præter unum*, id eſt, Jeſum-Chriſtum: eò quòd non eſt ex opere Adam natus: & ideo non deſcendit per generationem naturalem, licèt acceperit carnem ex *Adam.* Et ideo *Adam* non potuit ipſum venundare, nec obligare ſuo peccato. Et ſic ſolus Chriſtus eſt *inter mortuos liber*, & inter malos naturaliter bonus. Et ideo ad majorem confirmationem dicit David:

3. *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum: ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* Arg. 24. q. 1. cap. Quia.

DOMINUS Deus *proſpexit de cœlo ſuper* omnes *filios hominum*, & filios ipſius Adam, *ut videat*, id eſt, videret: & proſpicit quotidiè: *ut videat*, ſi inter eos ſit aliquis *intelligens*, *aut requirens Deum*, id eſt, ſi ſit aliquis, qui totum intellectum & ſtudium adhibeat ad intelligendum Deum, ut poſſit ipſum ſuper omnia diligere: aut adhibeat totum conatum, & voluntatem ad requirendum Deum per bona opera propter Regnum Dei adipiſcendum. Sed

4. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Infr. 52. a.

OMNES ſimul *declinaverunt* à via juſta & recta, & à divina voluntate, ad ſcelera & peccata nefanda; & *omnes ſimul facti ſunt inutiles* & debiles ad bene operandum. In tantum, quod *non eſt* aliquis inter eos, *qui faciat bonum*: *nec eſt* bonus naturaliter aliquis *uſque ad unum* incluſivè, ſivè exceptivè, ut ſupra dictum eſt, præter unum, qui eſt Chriſtus. Nam ſi ly *uſque* tenetur incluſivè, tunc naturaliter nullus eſt bonus de filiis naturalibus ipſius Adam: ſi autem ly *uſque* tenetur exceptivè, excluditur & excipitur Chriſtus, qui non eſt naturaliter filius *Adam*, ut dictum eſt.

Sed contra hoc arguit *Julianus*, dicens, quòd humana natura eſt de ſe bona: quia *omnia quæ fecit Deus, erant valde bona*: ergo naturaliter homo eſt bonus. „ Ad hoc reſpondet *Auguſtinus*, quòd *hu-*
„ *mana natura dupliciter poteſt intelligi:* Natura humana intelligitur dupliciter.
„ *uno modo, pro eſſentia hominis, vel na-*
„ *turâ ſpecificâ. Et ſic omnis natura na-*
„ *turaliter eſt bona: quia ad ſimilitudi-*
„ *nem boni exemplaris, & à bono Deo eſt*
„ *facta & creata.* Secundo modo ſumitur
„ pro ipſa generatione humana, ſcilicet,
„ in quantum eſt collectio omnium homi-
„ num deſcendentium ab *Adam* per gene-
„ rationem naturalem & libidinoſam: quia
„ ſicut dicitur *natura Æneadum* ab *Ænea*,
„ &

„ & *natura Fabiorum* à *Fabio*, & *Gracchorum* à *Graccho*: ita dicitur, natura & generatio humana *ab Adam* primo homine: quia *Adam* Hebraicè, idem est quod *homo* Latinè. Et sic tota humana natura, sive humana generatio, fuit in Adam corrupta, & vitiata peccato, & sic dicitur mala: & per consequens omnes trahentes illam humanam naturam *ab Adam*, dicuntur naturaliter mali corrupti. Ex quo sequitur, quod solus Christus est naturaliter bonus: eò quòd non trahit talem naturam *ab Adam* per generationem naturalem, sed ex opere Spiritus sancti. A

Psal. 5. b. 203. b.

5. *Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant: venenum aspidum sub labiis eorum.*

B

3. q. 2. Accusatores, & 11. q. 1. c. Quatuor.

6. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*

7. *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum.*

QUIA superius dixit in generali, qualiter ex peccato ipsius *Adam* omnes homines fuerunt *corrupti*, & *declinaverunt* ad omnia scelera ex tali corruptione percussi & excitati: ideo hîc explicat, & magis particulariter exprimit scelera, in quæ omnes inciderunt, & proruperunt, quasi morbo quodam hæreditario. Unde dicit, quòd primò ceciderunt in fœtidam blasphemiam contra Deum. Ideo *guttur eorum* fuit evomens fœtidas blasphemias, sicut *sepulchrum patens* & apertum emittit fœtorem ex cadaveribus putridis. Quasi dicat, quòd sicut cadavera putrida emittunt illum fœtorem de *sepulchro*, & sunt causa illius fœtoris: ita corpus hominis est *sepulchrum* corruptionis contractæ ex *Adam* in generatione. Et sic ex tali corruptione evomit blasphemias, & omnia peccata. Item, sicut *sepulchrum* continet in se illa cadavera putrida, ex quibus emittit abominabilem fœtorem: ita non solùm corpus est *sepulchrum* illius morbi & corruptionis; sed etiam anima est *sepulchrum* malarum cogitationum, & iniquorum propositorum. Ex quibus malis homo evomit blasphemias, & omnia alia scelera, ut ait Salvator, *Matth.* 15. quòd *ex corde exeunt blasphemiæ, & homicidia, & furta &c. quæ coinquinant hominem.* Et ideo subdit David, quòd ex tali corruptione non solùm procedunt blasphemiæ contra Deum, sed etiam contra proximum. Nam homines sic corrupti *linguis suis dolosè agebant*: id est, dolosè loquebantur ad deceptionem proximorum: quia blandis verbis decipiunt proximos; & sic sunt mendaces & dolosi. Tertiò sunt detractores, accusando, & falsa crimina proximis imponendo. Et sic *in labiis eorum* reperitur *venenum aspidum*, id est, venenum invidiæ, & detractionis, & infamationis. *Quorum os est plenum maledictione:* quia sunt maledici contra Deum & proximum: & *est plenum amaritudine*, id est, odio, & zizania. Et sic *pedes eorum sunt veloces ad effundendum sanguinem*; & quia non solùm effundunt sanguinem proximorum propriâ manu ex ira & odio, sed etiam seminando zizaniam, concitant alios ad effundendum sanguinem. Et ideo ex tali odio, & invidia, & superbia semper est *contritio & infelicitas*: id est, litigium, prælium, discordia, & tristitia, & bella intestina, & infelicia *in viis*, & operationibus eorum: quia nunquam *cognoverunt viam pacis*, sed discordiæ: cujus causa est, quia *non est timor Dei ante oculos eorum.* C D E F G H

Primo. *Secundo.* *Tertio.*

Ex quibus patet, quòd defectus timoris Dei est causa omnium supradictorum malorum: quod provenit ex corruptione, & prava concupiscentia inflicta in carne ex illo primo peccato. Nam ex illa prava & corrupta concupiscentia provenit omnis inordinatus appetitus. Nam primò provenit appetitus propriæ excellentiæ, quæ dicitur superbia, non compatiens majorem, neque æqualem; & venit homo taliter corruptus usque ad contemptum Dei, non timens ejus judicium, & per consequens magis contemnit & despicit proximum: & quia non patitur majorem, & æqualem, exinde prorumpit in invidiam, non patiens prosperitatem proximi, & exinde in homicidium: & ex tali etiam invidia seminat discordias, & zizaniam inter proximos: & ex tali superbia & invidia prorumpit in avaritiam, & omnem rapinam, & furtum, & usuram, ad sustinendum statum suum, ut nulli subjiciatur, sed omnes sibi subjiciat. Item ex illo vitio & corruptione carnis prorumpit in luxuriam & acidiam. Ex quibus patet, quòd ex illa corruptione inflicta in *Adam* proveniunt omnia genera vitiorum, & omnia scelera detestabilia in totum genus humanum, ut demonstrat David in hac prima parte hujus Psalmi, & *Apostolus* per totam *Epistolam ad Rom.*

Defectus timoris Dei causa malorum.

Quæstio.

Sed contra supradicta videntur esse duo dubia: quorum primum est contra lite-

teram. Nam isti tres versus ultimi ab illo loco, *Sepulchrum patens est guttur eorum &c.* non reperiuntur in Hebræo. Et ideo A dicunt, quòd Christiani interposuerunt eos, vel *Septuaginta Interpretes* addiderunt eos in Græca Interpretatione. Ad quod respondetur, quòd ipsa veritas confundit eos. Nam manifestum est, quòd *Septuaginta Interpretes* fuerunt ultra ducentos annos ante adventum Christi: & ideo nullam habuerunt causam & occasionem aliquid addendi, vel removendi in Græca Interpretatione. Sed interpretati sunt, prout repererunt in Hebræo. Et hoc confirmatur. Nam *Apostolus Paulus*, in Lege & Prophetis Doctor & Magister, qui Hebraicâ texturâ utebatur, allegat hos tres versus cum versibus præcedentibus *ad Romanos* 3. Et ideo est potius credendum, quòd Thalmudistæ amputaverunt hos tres versus ab hoc Psalmo; eò quòd in eis propheticè memoratur, & explicatur tota corruptio, & maledictio Judæis inflicta, eò quòd negaverunt, & crucifixerunt Christum, ut patet in *tertia Expositione.* B

Secundò dubitatur contra totam prædictam sententiam & Expositionem, in qua dictum est, quòd *omnes homines fuerunt corrupti in Adam.* Unde arguit *Pelagius* ex fundamentis Sacræ Scripturæ, quod multos justos commendat Sacra Scriptura, qui non perpetrarunt talia scelera & peccata, sicut in hoc Psalmo explicatur, sicut fuit *Abel*, *Noe*, *Abraham*, *Isaac*, *& Jacob*, *& Job*, *& Daniel* in Testamento veteri. Et in novo *Zacharias*, *& Joannes*, *& Simeon*, *& Anna*, *& Joseph Sponsus Mariæ*, quos omnes justos sine peccato & querela utriusque Testamenti sacra commendat auctoritas. Ex quibus patet, quòd peccatum ipsius *Adam*, nec omnibus posteris fuit imputatum, nec omnes in eo fuerunt corrupti.

Quæstio.

Sed hanc pestiferam opinionem exterminavit *Augustinus* ab Ecclesia, respondens ad hujusmodi argumenta in libro *de Natura & Gratia*, & *de Baptismo Parvulorum*, & in omnibus libris quos *contra Pelagianos* confecit. Ad cujus intelligentiam est valde advertendum, secundùm *Augustinum*, quòd duo sunt considerandа in peccato ipsius *Adam.* Primò obligatio naturæ: quia omnes filios naturales & posteros obligavit, & vendidit peccato suo. Et hoc dicitur in nobis *peccatum naturæ*: quia omnibus nobis fuit imputata pœna illius peccati, & ad illam fuimus omnes obligati, & venundati. Et de tali peccato naturæ dicit *Paulus Apostolus*, quòd *omnes in Adam peccaverunt*, in natura, sed D non in persona: quia nullus nostrum ibi personaliter erat &c. Unde sic exponit *Augustinus* hanc auctoritatem, 2. *de Baptismo Parvulorum*, & *Hypognosticon*, *resp.* 1. Secundò est considerandа *natura corrupta*, quam *Adam* transmisit in posteros per generationem successivè: quæ quidem caE sat omne peccatum in anima. Nam per solam unionem & consortium causat originale in anima: quia illa anima in puris naturalibus in illa carne vitiatâ, creata, & infusa, illicò obligatur peccato, & sententiæ ipsius *Adæ*: eò quòd ex carne, & anima resultat una naturalis persona: & ideo tota persona obligatur. Item postea illamet caro corrupta, per consensum in adultis, causat mortale, & veniale in eadem anima, in quantum caro semper luctatur adversus spiritum. Unde voluntas per solum consensum indeliberatum, contrahit veniale, sed per consensum deliberatum, contrahit actuale, & mortale. Ex quo patet, quòd omne peccatum provenit ex illa carne corruptâ, in omnes homines per libidinosam generationem transmissâ.

Duo in peccato Adam considerandа.

Sed est ulterius advertendum, quòd ista *natura corrupta*, sive totus homo habens istam naturam corruptam, qui dici- *Nota de homine fauciato.*
F tur fauciatus & vulneratus per consortium talis naturæ, dupliciter potest considerari secundùm *Augustinum* in locis præallegatis. Uno modo in se, sine aliquo adjutorio derelicta: alio modo per gratiam Christi adjuta. Primo modo dicit *Augustinus*, quòd *est impossibile*, *quod quis in sola tali natura derelictus*, *possit peccata vitare*, *aut aliquid bonum agere.* Et ratio est. Nam illa corruptio taliter vitiavit & vulneravit omnes potentias, quòd voluntas, sive liberum arbitrium manet taliter claudicatum, & debilitatum, & infirmum ex tali languore, & pondere carnis vitiatæ, quòd semper trahitur in præceps ad omnia mala, sicut trahitur una statera à pondere lapidis, nisi apponatur aliud pondus ex oppositо. Quod quidem vitium carnis, & pondus, licèt non tollat totaliter cognitionem pecG cati: tamen debilem reddit potestatem resistendi, nisi per gratiam liberum arbitrium adjuvetur. De quo vitio dicit *Apostolus ad Romanos 7. Invenio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: ideo quod nolo, id ago; & quod volo, id non facio. Unde non ego id facio, sed, quod habitat in me, peccatum.*

Ex quo patet, quòd talis *lex*, & corruptio membrorum, licèt non tollat totaliter cognitionem & affectum; tamen impedit effectum. Sed quia talis voluntas non potest adjuvari, nisi per gratiam Christi; ideo subdit *Apostolus*: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et respondet ipsemet, dicens: *Gratia Christi* me potest liberare. Ex quibus patet, quòd voluntas H adjuta per gratiam Christi, potest liberari ab hujusmodi pugna, & vincere carnem, & omne peccatum. Et hoc est quod dicit David in hoc Psalmo: quòd licèt omnes homines prout sunt corrupti in *Adam*, sint proni ad supradicta scelera, & nullo

modo possint ea vitare ex propriis viribus: tamen per gratiam Christi adjuti & præventi, non solùm possunt supradicta scelera vitare, sed etiam ea bona, quæ sunt supra hominem facere, & omnia mala superare, & bene operari, & à supradicto gravamine liberari. A

Ex supradictis fundamentis respondet *Augustinus* ad argumenta *Pelagianorum*, dicens, quòd licèt *Abel*, *Noe*, & *Abraham*, & *Joannes Baptista*, vitarint peccata supradicta; hoc tamen non fecerunt ex propriis viribus, sed per gratiam Christi adjuti & liberati. Sed si fuissent in sua natura corrupta sine gratia derelicti; non solùm supradicta, sed pejora scelera commisissent. Est verum, quòd nullus Sanctorum supradictorum potuit vitare originale peccatum, quod anima contrahit per consortium ex carne corrupta, *à qua regula fuit excepta Beata Virgo Maria*, ut *Augustinus* ait ibidem, & declarabitur *Psalmo* 45. Et ideo dicit *Augustinus* libro *de Sancta Virginitate*, quòd *nullus Sanctus debet in se gloriari de sua justitia, sed de gratia Dei.* Et ideo dicit, quòd *magis tenetur justus, qui nunquam peccavit, quàm pœnitens, cui dimissa sunt multa: quia plura peccata sunt dimissa justis, quàm peccatoribus. Nam licèt justis non sint dimissa peccata, quæ non commiserunt: tamen sunt dimissa peccata quæ fecissent, nisi per gratiam fuissent præventi.* Et sic dicit *Augustinus*, quòd *magis tenetur diligere Deum virgo, quàm corrupta.* Unde ait: *Deputate vobis, tanquam omninò esset dimissum, quicquid mali à vobis non est regente illo commissum. Nam quisquis ab initio permanet pudicus, ab illo regitur: & quisquis impudicus est, ab illo deseritur.* Hoc idem dicit *Augustinus* in *Homilia de Peccatrice*, cùm ait: quòd *non est peccatum quod fecit homo, quin faciat alter homo, nisi adjuvetur ab illo, à quo factus est homo.* Et in hoc patet veritas hujus Psalmi, & præfatæ dubitationis, & hujus primæ Expositionis.

Nota. B

Quantum vero ad secundam Expositionem, est advertendum secundùm *Augustinum*: quòd sicut in scientiis speculativis est dare unum principium, à quo generaliter habent virtutem omnia probata in illa scientia, ut patet *Primo Posteriorum*, quo ignorato, destruitur & ignoratur tota illa scientia: ita pariter in actibus humanis est dare unum primum principium, à quo sumunt virtutem, & diriguntur omnes actus humani: quod quidem principium est, *Deum esse justum Judicem omnium actuum, & operationum humanarum*, & præmiatorem bonorum, & punitorem omnium malorum. C D

Ex quo sequitur illud generale: *Nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum*: quo principio negato, destruuntur, & corrumpuntur omnes mores, & omnes actus humani: quia qui non credit tali principio, illicò contemnit Deum, non timens ejus judicium: & sic cadit & prorumpit in omnia scelera detestabilia. Secundò est notandum, quòd Gentiles quatuor modis negarunt istud supradictum principium. Nam quidam eorum totaliter negarunt Deum esse, sed omnia provenire à casu & fortuna. Quidam autem crediderunt, & coluerunt plures Deos: & sic negabant Deum esse; eò quòd negabant unitatem & essentiam unius Dei. Quidam autem alii negabant Deum habere curam & providentiam de actibus humanis: & sic negabant Deum esse justum Judicem &c. Quidam autem alii asserebant, animam esse mortalem, & per consequens negabant illud principium, *Nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum.* E F

Ex quibus patet, quòd omnes istæ sectæ negarunt illud primum principium, scilicet, *Deum esse justum Judicem &c.* Et inde est, quòd Gentiles ante adventum Christi negantes illud principium, *Traditi sunt in reprobum sensum, & in passiones ignominiæ*, & in corruptionem, & illa scelera detestabilia, quæ narrat *Apostolus ad Rom.* 1. Videns ergo David totum populum Gentilem esse corruptum in suo tempore propter negationem hujus principii, dicit in prima parte hujus Psalmi: quòd quando *insipiens* populus Gentilis dixit, & asseruit in corde suo, quòd *non est Deus*, vel quòd Deus non est unus justus Judex, remunerator bonorum, & punitor malorum: quòd tunc omnes illius sectæ Deum contemnentes, nec Deum timentes, *corrupti & abominabiles*, & odibiles Deo *facti sunt*: in tantum, quòd non fuit, nec est, *qui faciat bonum: nec est* bonus ex eis *usque ad unum* inclusivè, id est, quòd nec unus eorum fuit bonus. Et sic Deus *prospexit de Cœlo super* omnes *filios hominum*, & filios terrenos, *si* reperiretur aliquis *intelligens Deum*, quantum ad fidem, & devotionem, & dilectionem: *aut requirens Deum*, in suis operationibus. Sed *non fuit usque ad unum* illorum, id est, Nullus fuit *qui faceret bonum.* Et non solùm ille populus Gentilis; sed etiam nullus malus Christianus fuit *qui faceret bonum*, carens illo principio, quod est *timor Domini.* Et sic omnes Gentiles, & mali Christiani contemnentes Dei judicium, in tantum sunt corrupti, quod *guttur eorum est* factum sicut *sepulchrum patens*, & fœtens, & prorumpens in blasphemias contra Deum, & in dolum contra proximum &c. Exponuntur autem isti tres versus sicut in prima Expositione. G H

Quantum vero ad tertiam Expositionem, est notandum, prout dictum est *in Prologo*: quòd unum de principalibus principiis Sacræ Scripturæ veteris Testamenti, erat, quòd

Nota de adventu Messiæ.

quòd *Filius Dei erat incarnandus*, & in paupertate & humilitate venturus, & per mortem & paſſionem ſuam mundum à peccato liberaturus; qui quidem Chriſtus erat finis totius Legis, ad quem omnia Legalia ordinabantur: de cujus adventu omnes Prophetæ fuerant locuti. Ex quibus patet, quòd quando negarunt Chriſtum eſſe Deum & Meſſiam in Lege promiſſum, tunc negarunt totam Legem & Prophetas. Et ſic fecerunt Deum mendacem in ſuis promiſſis: & per conſequens negarunt Deum eſſe Deum. Negato ergo iſto principio, ſcilicet, *Chriſtum eſſe Meſſiam*, in tantum corruptus eſt ille populus Judæorum, quòd prorupit in ſcelera deteſtabilia, & perpetravit deteriora, quàm populus Gentilis. Nam primò Deum & hominem interfecit, & Deum, & totam Legem mendacem fecit: & in tantam cœcitatem & inſaniam devenit, quòd poſt publicationem Euangelii nullum Deum colit. Quod probatur: quia non intendit colere Deum trinum & unum, nec incarnatum: immò blaſphemat, & execratur talem Deum: ſed nullus alius Deus eſt, niſi trinus & unus, & incarnatus: ergo nullum adorat. Et ſic *facta ſunt noviſſima* hujus populi *pejora prioribus*, *Matth.* 12. & *Luc.* 11.

Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, dicit in hac prima parte hujus Pſalmi: *Dixit inſipiens* populus Judaicus *in corde*, & in lingua *ſua*: Chriſtus *non eſt Deus*, nec Meſſias in Lege promiſſus. Et hoc dixit iſte *inſipiens* populus, eò quòd vidit Chriſtum pauperem, & cum humilitate venientem, & eorum ſuperbiam, & avaritiam deteſtantem. Et ideo negato iſto principio, omnes Judæi facti ſunt *corrupti* in ſe, & abominabiles Deo, & odioſi; in tantum quòd *uſque ad unum* eorum incluſivè, *non eſt qui faciat bonum*. Unde *Dominus de Cœlo proſpexit ſuper* omnes iſtos *filios hominum*, tanquam homines carnaliter viventes poſt adventum, & paſſionem, *ut videret*, *ſi eſt* aliquis *intelligens* Deum per fidem, & veram intelligentiam Legis, *aut requirens Deum* per operationem bonam. Sed *omnes declinaverunt* à via veritatis, & fidei, & à vera intelligentia Sacræ Scripturæ: immò perverterunt verum ſenſum & intelligentiam Scripturæ ad falſum ſenſum. Et ſic *facti ſunt inutiles*: quia orationes & ſacrificia eorum ſunt eis inutilia; quia nihil eis proſunt, immò nocent, quia mortifera. Et ſic *non eſt* aliquis eorum *qui faciat bonum*: nec eſt aliquis bonus *uſque ad unum* incluſivè. Quaſi diceret, quòd nullus eorum eſt bonus, nec utilis: immò malus, & perverſus in credendo, & operando. Unde ex tali perverſione & corruptione, ruerunt in omnia ſcelera nefanda, & deteſtabilia. Nam primò, *ſepulchrum patens eſt guttur eorum*, blaſphemiam perpetrando, quando vocaverunt Chriſtum voracem, & dœmonium habentem. Secundò, *linguis ſuis doloſè agebant*, quando volentes ipſum capere in ſermone, dixerunt: *Si licebat dare cenſum Cæſari*, *an non?* Tertiò, fuit *venenum aſpidum ſub labiis eorum*, quando dixerunt: *Nos audivimus eum dicentem: Poſſum deſtruere Templum hoc manufactum: & in triduo reædificabo aliud non manufactum &c.* Item, *os* eorum fuit *plenum amaritudine*, *& maledictione*, cùm dixerunt: *Audiſtis blaſphemiam*, & maledixerunt. Et eorum *pedes* fuerunt *veloces ad effundendum ſanguinem*, cùm dixerunt: *Crucifige*, *crucifige &c.* Item, fuit *contritio & infelicitas in viis eorum*, *& viam pacis non cognoverunt*, quando dixerunt: *Si hunc dimittimus*, *venient Romani &c.* *Ideo expedit*, *ut unus homo moriatur &c:* Sed quia omnia iſta fecerunt Judæi ex defectu timoris & fidei, negando Chriſtum eſſe Deum, & Meſſiam, & Salvatorem: ideo ſubdit: *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Quia ſi credidiſſent Scripturæ, timuiſſent Deum, & recepiſſent Chriſtum, & timuiſſent; & ſi timuiſſent, Regem Gloriæ juſtum non crucifixiſſent.

Ex quibus patet, quòd in pejora ſcelera ceciderunt Judæi, quam Gentiles. Ideo omnia ſcelera ſupradicta manent in populo Judæorum jure hæreditario: ad quam ſententiam & maledictionem ipſimet ſe obligarunt, quando dixerunt: *Sanguis ejus ſuper nos*, *& ſuper filios noſtros.* Ex quo patet, quòd ſicut *Adam* in peccando obligavit ſe, & omnes poſteros ad pœnam mortis: ita pariter Judæi Chriſtum crucifigentes, obligarunt ſe, & ſuos poſteros ad perpetuam *maledictionem*, & vindictam mortis Chriſti. Et ſic omnibus imputatur homicidium Chriſti: & omnes ſunt blaſphemi, & doloſi, & mendaces, & ſuſurrones, & maledici, & latrones, & pejores quàm idololatræ: quia nullum Deum adorant, immò verum Deum deteſtantur, & maledicunt. Et ſic ſicut Gentiles in colendo plures Deos, & negando Divinam juſtitiam, & providentiam, addiderunt corruptionem ſupra corruptionem inflictam in *Adam*: ita Judæi negando Chriſtum, addiderunt ſupra corruptionem populi Gentilis: & ſic ſunt corrupti triplici corruptione. Item eſt advertendum, quòd omnia ſupradicta non ſolùm ſunt intelligenda propheticè de populo Gentili, & Judaico, ſed etiam de omnibus malis Chriſtianis, qui non credunt Divinam Juſtitiam & providentiam; nec credunt reſurrectionem: quia tales non timentes Dei judicium, audent omnia ſcelera perpetrare.

Tres fuerunt Chriſtum negantes.

Ex ſupradictis patet, quòd tres fuerunt inſipientes negantes Deum: primò enim negavit *Adam* Deum *indirectè*, volendo rapere Divinitatem: per quod peccatum totum genus humanum fuit in eo cor-

corruptum in bonis naturalibus, & privatum bonis gratuitis, eo modo quo dictum eſt. Secundò, negavit Deum *populus Gentilis*, falſos deos adorando: propter quod peccatum ultra corruptionem naturæ, fuit magis corruptus in moribus, & incidit in deteſtabiles paſſiones & ignominias, *ad Roman.*1. Tertiò, negavit Deum *populus Judæorum*, quando ex certa ſcientia, & malitia, & invidia negavit Chriſtum in Lege promiſſum, & crucifixit eum: propter quod peccatum ultra corruptionem naturæ, & ultra pœnam populi Gentilis, incurrerunt Judæi omnes maledictiones contentas & memoratas in hoc Pſalmo, & 108.

Sed contra ſupradicta arguere poſſent quidam Catholici. Nam licèt Gentiles & Judæi negaverunt Deum, prout dictum eſt: tamen non eſt dicendum, quòd *Adam* negaverit Deum, conſentiendo uxori. Quia ut ait *Auguſtinus de Verbis Apoſtoli*, *Adam non fuit ſeductus, nec credidit verbis ſerpentis: ſed comedit fructum, ut complaceret uxori, ne deſtitueretur ejus ſolatio &c.* Ad hoc autem reſpondetur: quòd in hoc videtur *Auguſtinus* contradicere ſibi, propter hoc quod ſuit ſupra allegatum; ſcilicet, quòd *Adam & Eva volentes rapere deitatem, perdiderunt felicitatem.* Et ideo reducenda ſunt verba *Auguſtini* ad quoddam ſanum medium, ſcilicet, quòd *Adam* non credidit aſſertivè verbis ſerpentis: nec credidit, nec inhæſit firmiſſimè præcepto, nec comminationi Dei, annuendo & complacendo uxori. Et ſic eſt dicendum, quòd hæſitavit in utroque. Et ideo dixit illi Deus: *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam, ne comederes &c.* Quaſi dicat: Quia magis credidiſti uxori, & ſerpenti, quàm mihi; ideo hæſitaſti & dubitaſti &c. Et ſic patet, quòd ille conſenſus *Adæ* nec fuit vera & expreſſa negatio, nec firma confeſſio Dei; ſed fuit *indirecta negatio*, in quantum ex verbis diaboli ſequebatur, Deum eſſe mendacem, & invidum, & finitum; & per conſequens ſequebatur, ipſum non eſſe Deum. Ita pariter eſt dicendum de *Moyſe*, quando non paruit Deo, *Numer.*22. immò *diſtinxit in labiis ſuis*, *Pſalmo* 104. Ideo dixit Dominus ipſi, & *Aaron*: *Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me &c.* Item hoc idem fecit *Zacharias* pater *Joannis Baptiſtæ*, *Lucæ primo*; cui dixit Angelus: *Quia non credidiſti verbis meis &c.* Ex quibus patet, quòd iſti duo non negarunt, nec contempſerunt Deum *directè*, nec crediderunt firmiſſimè: ſed viſi ſunt hæſitaſſe. Ita ergo poteſt dici de *Adam*, qui magis paruit & credidit verbis uxoris, quàm præcepto & comminationi divinæ; ex quo ſequebatur Deum eſſe mendacem &c. Et ideo ſicut *Moyſes* & *Zacharias* fuerunt puniti ſolum in perſonis propter illam inobedientiam: ita pariter *Adam* fuit punitus in perſona, & in tota ſua natura & generatione, prout dictum eſt.

Reſponſio 2.

8. *Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis?*

24. q. 1. cap. *Quia* Extra de Offi. Dele. c. *Paſtoralis.*

9. *Dominum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

10. *Quoniam Dominus in generatione juſta eſt, conſilium inopis confudiſtis: quoniam Dominus ſpes ejus eſt.*

POSTQUAM ſuperiùs Propheta deſcripſit triplicem corruptionem provenientem ex trina negatione Dei, nunc verò in hac parte volens eliminare ſupradictas falſas & deteſtabiles opiniones, duo facit. Nam primò, demonſtrat, Chriſtum eſſe verum & juſtum Judicem, & præmiatorem bonorum, & punitorem malorum: & hoc contra negantes Divinam Juſtitiam & Providentiam. Secundò, oſtendit, Chriſtum eſſe Salvatorem, & Redemptorem, & Liberatorem omnium, de captivitate, & peccato, & corruptione inflicta in *Adam*: & hoc contra Judæos negantes Chriſtum, ibi: *Conſilium inopis confudiſtis.*

Quantum ergo ad primum; quia dictum eſt ſuperiùs, quòd Gentiles negato primo principio, ſcilicet, quòd Deus eſt juſtus Judex, retributor bonorum, & punitor malorum; & ſic poſtpoſito Dei timore, proruperunt in omnia ſcelera: ideo dicit hîc Propheta, quòd omnes iſti, qui in vita negarunt, & noluerunt cognoſcere, Deum eſſe juſtum Judicem: tunc in die Judicii hoc ſcient, & cognoſcent per experientiam, quia videbunt Chriſtum Deum & hominem *venientem cum poteſtate magna & majeſtate, & ſedebit in concilio juſtorum* & ſanctorum, & puniet omnes ſupradictos injuſtos & ſceleratos: & ſic tribuet unicuique ſecundùm opera ſua: quia juſtis dabit gloriam, & malis pœnam æternam. Et nominat hîc Propheta quatuor generationes improborum, quos Chriſtus condemnabit, ſcilicet, iniquos, tyrannos, infideles, & ſeminatores diſcordiæ; & quaſi ſub his quatuor comprehendit omnia genera malorum hominum, de quibus ſupra dixit. Dicit ergo: *Nonne omnes* injuſti, *qui operantur iniquitatem* contra Deum & pro-

Quatuor generationes improborum quas Chriſtus condemnabit.

proximum? & intendit per *operantes iniquitatem*, omnia genera peccatorum: ut omnes tyranni, & raptores, qui *devorant* A *plebem meam*, & domos pauperum, *ſicut* qui devorant *eſcam*, & cibum *panis*. Item omnes infidelis, & mali Chriſtiani, qui *Deum non invocaverunt*: immò Deum contempſerunt. Item omnes ſeminatores diſcordiæ, qui *trepidaverunt timore ubi non erat timor*: qui *non cognoverunt viam pacis*, ſed poſuerunt, & ſeminarunt *contritionem*, & *infelicitatem*, & diſcordiam inter proximos: quorum *pedes* fuerunt *veloces ad effundendum ſanguinem*. Omnes ergo iſti, ſcilicet injuſti, & tyranni, & infideles, & ſeminatores diſcordiæ, ſeu iracundi, & inquieti, qui non cognoverunt Deum eſſe juſtum Judicem, nec timuerunt ejus judicium: *Nonne omnes* iſti *cognoſcent, quoniam Dominus* Jeſus Chriſtus Deus & homo, *eſt*, & habitat *in generatione juſta*? id eſt, diligit juſtos, & reprobat, & reprobabit omnes ſupradictos injuſtos? Quaſi dicat, *immò*, *certè*: quia duæ negationes in- B terrogativè poſitæ æquipollent vehementi affirmationi: quaſi dicat Propheta, quòd omnes ſupradicti ſcelerati, qui in hac vita negaverunt, Deum eſſe juſtum Judicem omnium actuum humanorum; ex quo contemnentes judicium Dei, perpetraverunt omnia ſcelera ſupradicta in prima parte: *cognoſcent* per experientiam, & videbunt Chriſtum in Judicio generali, & etiam in particulari poſt hanc vitam, eſſe verum Judicem dantem juſtis gloriam, & injuſtis pœnam æternam.

Et eſt advertendum, quòd hæc particula ſupradicta, non ſolùm intelligitur de Gentilibus negantibus Divinam Juſtitiam & providentiam, ſed etiam de Judæis negantibus Chriſtum. Nam ipſi Sacerdotes & Judæi, *qui operabantur iniquitatem* propter ſuperbiam & avaritiam; *devo-* C *rabant plebem ſicut eſcam panis, comedendo domos viduarum, & imponentes* cæteris ſimplicibus & pauperibus *onera graviora*, *Matth.*23. Qui quidem Judæi *Deum non invocaverunt*, nec habuerunt Deum præ oculis, quando Chriſtum crucifixerunt; ſed *trepidaverunt timore ubi non erat timor*, quando dixerunt: *Expedit, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Hoc autem dicebant, quia *trepidabant timore, ubi non erat timor*: quia non habebant cauſam timendi. Nam ille qui veniebat ad dandum eis Regnum Cœleſte, non volebat eis auferre bona temporalia, quæ ipſi perdere timebant. Et ideo omnes iſti Ju- D dæi, qui Chriſtum negaverunt, & in tot ſcelera proruperunt & ceciderunt, poſteà per experientiam cognoverunt ipſum eſſe verum Deum, & Meſſiam, & juſtum Judicem: & hoc cognoverunt per effectum, quando audierunt, Chriſtum reſurrexiſſe, & in Cœlos aſcendiſſe, & Spiritum ſanc- E tum in Apoſtolos miſiſſe: & quando *Petrus*, & omnes Apoſtoli in die *Penteceſtes* tria millia hominum converterunt ad Fidem Chriſti. Sed magis *cognoverunt* Chriſtum eſſe verum Judicem per omnes illos quadraginta annos, in quibus paſſi ſunt infinitas tribulationes & diſcrimina, & finaliter per *Romanos* Civitas fuit incenſa, & ipſi trucidati, & facti captivi. Sed poſteà Judæi hoc magis per ſucceſſionem temporis *cognoverunt* per converſionem totius populi Gentilis ad Fidem Chriſti. Sed magis *cognoſcent* hoc in Judicio finali, quando *veniet* in *poteſtate magna &c.* quia tunc *videbunt* & aſpicient *in quem tranſfixerunt & pupugerunt*: *Zachar.*12. & *Joan.*19.

Conſilium inopis. Hîc incipit verſus & ſententia in Hebræo, ubi David oſtendit ſpecialiter contra obſtinatos Judæos, Chriſtum eſſe verum Deum & Meſſiam in F Lege promiſſum, & Salvatorem totius generis humani, in quo ſumus liberati ab omni peccato, & ſententia data in *Adam*. Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd duplex fuit cauſa, quare Judæi non receperunt, ſed contempſerunt Chriſtum, & ejus doctrinam Euangelicam. Prima fuit, quia Chriſtus venit pauper & dejectus ſecundùm opinionem eorum: quia ipſi expectabant ipſum venturum cum poteſtate temporali, ut eos temporaliter liberaret de poteſtate & ſubjectione *Romanorum*, & omnes temporaliter proſperaturum, ſicut ipſi erant carnales & temporales: & ideo videntes eum ſic pauperem & dejectum, ipſum contempſerunt. Secunda cauſa fuit: quia ejus Euangelica doctrina erat contraria moribus, & deſiderio, & ſtudio eorum: nam ipſi quærebant dignitates, & G divitias temporales in hoc mundo: Chriſtus autem prædicabat contra eorum ſuperbiam, & avaritiam, & ſimoniam, & uſuram: & ſuadebat amare cœleſtia, & relictis & contemptis rebus mundanis, ponere ſpem in Deo, & in futura beatitudine: & hæc fuit cauſa, quare non ſolùm ipſum contempſerunt, ſed etiam crucifixerunt, & ſuam Euangelicam doctrinam repudiaverunt & execraverunt. Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, increpat Judæos, dicens: O Judæi cœci & carnales, vos *confudiſtis*, id eſt, contempſiſtis, & irriſiſtis *conſilium*, & doctrinam Euangelicam Chriſti *inopis*, & pauperis, id eſt, quoniam venit inops, & pauper, & dejectus. Et etiam contempſiſtis eum: *quoniam Dominus eſt ſpes ejus*, H id eſt, quia poſuit, & præcepit poni totam ſpem in Domino, bonis mundanis contemptis. Et ſic hac duplicici de cauſa contempſiſtis eum, & *conſilium* ejus. Sed dicatis mihi, ò cœci,

Quare Judæi non receperunt Chriſtum.

Notâ.

Infr. 52.

11. *Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, & lætabitur Israel.*

QUIS *dabit ex Sion salutare Israel?* nisi solus Christus, supple, quem vos spreviſtis; quasi dicat: nullus alius poterit dare salvationem toti Israel, nisi solus Christus Messias in Lege promissus: quia ideo dicitur *Jesus*, quia *Salvator*. Nam sicut *primus Adam* omnes homines suo peccato & corruptioni subjecit; ita solus iste *Jesus* omnes poterit liberare. Ideo subdit: *Cum Dominus* Jesus *averterit captivitatem plebis suæ* per mortem & passionem, & per doctrinam Euangelicam: tunc *exultabit Jacob, & lætabitur Israel*, scilicet, populus Christianus, cum viderit se per Jesum Christum liberatum & redemptum de captivitate diaboli, & ab omni peccato, quod traxit ex *Adam*.

Duo dubia.

Sed hîc sunt duo dubia. Primum, quare doctrinam & Legem Euangelicam David appellat consilium? Secundum, quare populum Christianum appellat *Jacob & Israel*? Ad primum dicitur, quòd David appellat Legem Euangelicam *consilium* ratione modi, ad differentiam Legis veteris: eò quòd Lex vetus data fuit cum grandi comminatione, & per modum præcepti sub comminatione mortis, ut patet in plerisque locis. Sed Lex Euangelica data est à Christo per modum *consilii*; unde dicit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, moralia tantùm. Et ideo Lex Euangelica dicitur *Lex libertatis & gratiæ*: illa autem dicitur *Lex subjectionis & servitutis*.

Lex Euangelica dicitur consilium, & lex libertatis.

Ad secundum est dicendum, sicut jam dictum est *in Prologo*, *tractatu* 4. quòd populus Judæorum modernorum jam perdidit nomen *Jacob & Israel* secundùm rem & veritatem, & solus populus Christianus est *verus Jacob & Israel* secundùm rem & nominis interpretationem. Nam Jacob dictus est *Jacob*, eò quòd primò supplantavit, & ejecit *Esau* fratrem suum de utero matris. Secundò, quia surripuit fratri primogenituram, *Gen.*25. Tertiò, quia surripuit illi benedictionem, *Gen.*27. quòd factum est in figura, in quantum populus Christianus debebat supplantare populum Judæorum, & Synagogam in adventu Christi. Nam primò, populus Christianus recipiendo Christum supplantavit, & ejecit Synagogam ab hæreditate, & utero Ecclesiæ Christi. Secundò, surripuit illi primogenituram: quia Judæi pro bonis temporalibus, contempserunt hæreditatem Messiæ, & redemptionem *Abrahæ*, & toti Legi promissam; & hanc primogenituram Christianis renuntiaverunt, & reliquerunt.

Populus Christianus dicitur Jacob & Israel.

Tertiò, quia populus Christianus illi surripuit benedictionem & salutem, recipiendo Legem Euangelicam & Baptismum. Et sic patet, quòd populus Christianus, sive tota Ecclesia, verè dicitur *Jacob*; & propter easdem causas verè etiam dicitur *Israel*. Nam *Jacob* sortitus est nomen *Israel* propter quatuor. Primò, quia *vidit Deum facie ad faciem*. Secundò, quia fuit *directus à Deo*. Tertiò, quia fuit *benedictus à Deo*. Quartò, quia fuit *fortis cum Deo*, quando luctatus est cum Angelo, nolens ipsum dimittere, quousque benedixit eum. Et sic propter hæc quatuor mysteria vocatus est *Israel*, ut patet *Gen.*33. quæ omnia quatuor mysteria impleta sunt in populo Christiano. Nam solus iste videt Deum per Fidem; & est benedictus per Baptismum, & directus per Legem Euangelicam; & est fortis cum Deo, quia in virtute Sacramentorum diabolum superavit.

Ex quibus patet, quòd justè hæreditavit hoc nomen *Jacob & Israel*. Et patet etiam, quòd Synagoga justè perdidit ista duo nomina, postquam negavit Christum. Ideo jam non est *Israel*, sed cœca; neque *Jacob*, quia vendidit primogenituram, & hæreditatem Christi, & benedictionem pro rebus temporalibus: & non solùm perdidit ista supradicta, sed etiam manet ei pœna inflicta ipsi *Adæ* in prima corruptione, & incurrit omnes maledictiones, & ignominias populi Gentilis, eò quòd nullum Deum adorat. Tertiò, incurrit omnes supradictas maledictiones ex homicidio, & negatione Christi. A quibus omnibus maledictionibus poterat salvari, si Christum recepisset.

Ex quo patet, quòd Synagoga renuntiavit nobis nomen *Jacob & Israel* jure hæreditario. Et ideo dicit David, quòd *cum* Christus *averterit captivitatem suæ plebis* Christianæ in suo adventu, tunc *exultabit* verus *Jacob, & lætabitur Israel*, id est, quòd populus Christianus in Christo salvatus & liberatus, *exultabit*, quia factus est *Jacob*, supplantando Synagogam, & intercipiendo hæreditatem, & benedictionem. *Et lætabitur*, quia factus est *Israel*, Deum per Fidem videndo: è contrario Synagoga plorabit, & ululabit, quia perdidit nomen *Jacob & Israel*, & nobis dimisit hæreditatem, *Isai.*65.

Ex toto isto Psalmo possunt recolligi *quinque conclusiones*. *Prima*: quòd ex peccato *Adæ*, qui negavit Deum *indirectè & tacitè*, tota sua generatio fuit corrupta.

Secunda conclusio: quòd totus populus Gentilis fuit magis corruptus, & incidit in detestabiliores ignominias, eò quòd magis *directè* negaverit Deum, colendo plures deos.

Tertia conclusio: quòd populus Judaicus

cus *directè* negavit Deum, & fecit ipſum mendacem & invidum, quando negavit Chriſtum, & Scripturas: & ideo majores maledictiones, & corruptiones incurrit.

Quarta concluſio: quòd tàm Judæi, quàm Gentiles potuerunt cognoſcere, Deum eſſe juſtum Judicem, quando poſt Paſſionem & Aſcenſionem, ſic eos punivit: ſed hoc magis *cognoſcent* in die Judicii, videntes eum *cum poteſtate & majeſtate*.

Quinta concluſio: quòd ſolus Jeſus Chriſtus Salvator liberavit *Jacob & Iſrael*, ſcilicet populum Chriſtianum, à ſupradicta corruptione, & captivitate, & maledictione.

Psalmus XIV.

1. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?*

Infr. 23. 2.

Titulus: *Pſalmus David.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Pſalmum. Sed de materia hujus Pſalmi altercantur Hebræi inter ſe: nam quidam dicunt, quòd David quærit à Deo, quis erit dignus habitare in terra promiſſionis? Et quòd Dominus reſpondet: *Qui ingreditur ſine macula &c.* Alii autem dicunt, quòd poſtquam David tetendit Tabernaculum Domini juxta domum ſuam, ut habetur 2. *Regum* 6. tunc voluit eligere Sacerdotes juſtos & bonos ad cultum divinum. Et ideo ad hoc voluit conſulere Dominum, ut ei revelaret, qui eſſent digni habitare, & miniſtrare cultum divinum in Tabernaculo. Et ſic dicit: *Domine quis habitabit?* Et tunc Dominus reſpondet: *Qui ingreditur ſine macula &c.*

Sed licèt littera poſſet applicari ad hunc ſenſum, tamen non eſt ſufficiens expoſitio, nec evacuaret intellectum hujus Pſalmi, cùm David non fuerit minus Propheta in hoc Pſalmo, quàm in cæteris. Item, quia Sacerdotes veteris Legis forſan nunquam fuerunt in tanta perfectione & juſtitia, ut hîc memoratur: & ideo eſt aliter dicendum, quòd cum *Lex Moyſis* non eſſet perfecta, niſi in quantum erat via ducens in Chriſtum, tanquam in finem Legis: ideo quicquid in Lege veteri præcipiebatur, erat figura novæ Legis, in qua perfectio expectabatur. Nam ſicut Lex Euangelica dirigit nos immediatè in Regnum Cœlorum: ita Lex vetus dirigebat in Chriſtum, à quo expectabat habere perfectionem, & dirigi in Regnum Cœlorum.

Unde omnes illæ conditiones quas ponit *Moyſes* de Sacerdotibus offerentibus in Templo, *Levit.* 9. ſcilicet, quòd *Sacerdos, aut Levita non ſit gibboſus, nec lippus, nec claudus &c.* ſed *ſit ſine macula in carne &c.* per ea figurabatur, quales debebant eſſe in anima Sacerdotes novi Teſtamenti, qui Sacrificium in *Euchariſtia* erant oblaturi. Item per illas conditiones & proprietates, quas debebant habere, pro quibus ſacrificia offerebantur, ſcriptas in *capitulo ſequenti*, figurabantur conditiones Fidelium novi Teſtamenti, pro quibus offertur *Agnus immaculatus* in Altari: quòd debent eſſe *mundi, veraces, non doloſi &c.* eò quòd pertinent ad Regnum Cœlorum. Ex quibus patet excellentia & præeminentia Legis Euangelicæ ſupra Legem veterem: quod prævidens David in ſpiritu, fecit hunc Pſalmum. In quo per ea quæ ſcripta ſunt in Lege veteri prævidit David, quales erant futuri, & debent eſſe, non ſolùm Sacerdotes, & Miniſtri novi Teſtamenti, ſed etiam fideles, qui debent habitare in hac Eccleſia per gratiam, & in futura per gloriam.

Nam illud Tabernaculum & Templum veteris Legis, ſignificabat propheticè Eccleſiam Militantem, & Anagogicè Triumphantem; duo ergo facit David in hoc Pſalmo. Nam primò ponit interrogationem ad Chriſtum. Secundò ponit Chriſti reſponſionem, ibi: *Qui ingreditur ſine macula.* Quantum ergo ad primum eſt advertendum, quòd Eccleſia Militans eſt via, in qua peregrinamur ad altitudinem Cœli, & ad patriam, in qua ſumus perpetuò manſuri, & debemus quieſcere propter merita, quæ in hac ſuimus adepti. Ideo hæc Eccleſia in Scriptura dicitur *Tabernaculum*, quòd figurabatur per *Tabernaculum Moyſis*, quòd fuit mobile per deſertum, quod filii Iſrael ſequebantur. Sed *Templum Salomonis* figurabat patriam, & montem perpetuum, & immobilem patriæ. Et ſic per *Tabernaculum* in Scriptura intelligitur præſens Eccleſia, eò quòd hîc *peregrinamur* & *non habemus Civitatem manentem.* Sed per *montem Domini* intelligitur cœleſtis patria. Dicit ergo David ad Chriſtum: O *Domine* Jeſu-Chriſte Meſſia future, *quis habitabit*, aut quis erit dignus habitare *in tabernaculo tuo*, ſcilicet, in hac Eccleſia per gratiam? Aut *quis requieſcet*, id eſt, merebitur requieſcere, *in monte ſancto tuo*, ſcilicet, in Cœlo per gloriam? Quaſi diceret, quibus meritis tui fideles & membra merebuntur tecum in Cœlo quieſcere, & felicitatem illam poſſidere?

Dist. 1. c. Ecclesia.

2. *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam:* A

Infr. 23. a.

3. *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua:*

18. q. 7. & hoc diximus.

4. *Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximos suos.*

5. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat.*

HIC Propheta introducit Christum, B sive Spiritum sanctum respondentem suæ interrogationi. Unde respondet Christus, & dicit: *Ille habitabit in Tabernaculo* hujus Ecclesiæ per gratiam, & in Cœlo per gloriam, *qui ingreditur*, & qui ambulat *sine macula, & operatur justitiam.*

Meritum, in quo consistit.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd totum meritum nostrum consistit in *justitia*, & operatione secundùm *justitiam*; & per consequens in operatione secundùm virtutem erga Deum & proximum. Sed justitia præsupponit munditiam & puritatem: sed talis munditia consistit in declinando ab omni malo. Et ideo oportet, quòd antequam quis *operetur justitiam*, sit *sine macula*: & sic perfecta *justitia* Christiani consistit in declinando à malo, & faciendo bonum; quia ultimum præsupponit primum: ideo primum meritum beatitudinis C est mundum se custodire, abstinendo à malo: posteà sequitur *operari bonum.* Ideo ait *Gregorius*, quòd *non sufficit mala non agere, nisi etiam quisque studeat bonis operibus insudare.* Et ideo oportet, quòd prius sit munditia in corde, & postea *lumen veritatis in operatione.* Hoc idem patet *Jacob.* 1. & *in Psalm.* 33. Ideo dicit, quòd ille merebitur *habitare in hoc Tabernaculo* per gratiam, & *requiescere in illo monte* cœlesti per gloriam, *qui* in hac via *ingreditur*, id est, ambulat *sine macula, & operatur justitiam.* Nam ambulando *sine macula*, excusat pœnam infernalem: sed *operando justitiam* meretur gloriam cœlestem. Unde *Psal.* 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege* D *Domini &c.*

Sed dicet aliquis: Tu Christe dicis, quòd ille *habitabit &c. qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam*: ego jam scio, quòd *ingredi sine macula* est abstinere ab omni malo, & se immaculatum custodire; sed nescio, quid est *operari justi-* E *tiam*, & in quibus consistit operatio secundùm justitiam, & quæ, & quot sint de ratione justitiæ, & quis est ille qui operatur justitiam? Ad hoc respondet Christus: quòd ille *qui operatur justitiam*, est *qui loquitur veritatem in corde &c.*

Justitia Euangelica abundat.

Ad cujus intelligentiam est notandum secundùm doctrinam & sententiam Salvatoris, *Matth.* 5. quòd *nisi justitia* Christiani *abundaverit plusquam justitia Scribarum & Pharisæorum, non intrabit in Regnum Cœlorum.* Nam in duobus abundat & supereminet *justitia* Euangelica super *justitiam* veteris Legis, scilicet, in corde & lingua, sive locutione. Nam illa solum prohibebat manum & operationem malam: sed ista prohibet animum, & linguam, & manum, scilicet, propositum, & locutionem, & operationem malam. Et ideo ait Christus: non solùm qui occidit, & qui percutit gladio; sed etiam qui iras- F citur in corde, & *dixerit* ore *fratri suo fatue, reus erit gehennæ &c. Et qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Ex quo patet, quòd *vera justitia* est in Lege Euangelica: quia totum justificat, scilicet, animam, & linguam, & manum. Et sic *justitia vera* consistit in corde, & locutione, & operatione exteriori: & hoc tàm in præceptis affirmativis, quàm in negativis. Et in hoc præstat & præcellit Lex Euangelica Legem veterem. Ideo vult Christus, quòd ista tria veniant & correspondeant ad invicem, scilicet, cor, & lingua, & effectus, ad bonum: ne quis habeat aliud in operatione, nec aliud in lingua, & aliud in corde, & è contrario: eò quòd operatio, sive locutio in tantùm est meritoria, sive demeritoria, in quantum voluntaria: quia locu- G tio & operatio sumunt mensuram & meritum à corde & voluntate, sive intentione. Nam lingua & manus sunt instrumenta voluntatis, cùm voluntas sit primum movens in agibilibus. Et sic quia totum, scilicet, anima & corpus debet beatificari in patria: ideo oportet, totum hominem quoad animam & corpus justificari.

Dicit ergo Christus: quòd ille meretur *habitare in Tabernaculo* Ecclesiæ hujus per gratiam, & *in monte* cœlesti per gloriam: primò, *qui loquitur veritatem in corde suo.* Secundò, *qui non egit dolum in lingua sua*, id est, qui non aliud tenebat in corde, & aliud in lingua: sed conformat linguam cordi. Tertiò, *qui non fecit malum*, nec nocuit proximo suo in facto, & H sic non nocet proximo, nec *corde*, nec *lingua*, nec facto. Et hæc est prima pars *justitiæ*, quæ prohibet omne malum contra proximum, scilicet, *corde*, & *linguâ*, & *opere*; id est, quòd nemo offendat proximum *corde*, malum cogitando contra eum: nec *lingua*, ipsum in præsentia vituperando,

Nota.

do, & convitia inferendo, nec opere lædendo. Secunda verò pars *justitiæ* consistit in veritate de *proximo* absente quoad laudes & vituperia: & hoc consistit in duobus, scilicet, in audiendo laudes aut vituperia alterius: aut dicendo. Unde in utroque, & circa utraque contingit errare: & primò in audiendo. Nam qui vult audire opprobria de *proximo* justo, vel non audire virtutes ejus, valde peccat, & agit contra *justitiam*: ideo justum est reprehendere maliloquos, & *non accipere opprobria*, nec audire *adversus proximos suos*. Et ideo ait David, quòd ille meretur *habitare & requiescere &c. qui non accepit*, id est, non vult audire *opprobrium adversus proximos suos*, immò reprehendit maliloquos: & est quædam virtus moralis, quam ponit *Aristoteles* in fine, 4. *Ethic.* quæ dicitur *Indignatio de malo &c.*

Secunda pars veritatis consistit in laudibus bonorum, & vituperando malum: & per oppositum maxima iniquitas est laudare malos, & detrahere, & mordere bonos. Unde *Isai.* 5. *Væ qui dicunt bonum malum, & malum bonum*, quod maximè accidit habitantibus in domibus Regum, & Principum. Ideo ait Salvator, *Matth.* 11. *qui mollibus vestiuntur*, id est, adulatores, & detractores, *in domibus Regum sunt*. Et ideo Christus volens ostendere, quàm justum est commendare & laudare virtuosos in absentia, commendavit *Joannem Baptistam* coram populo, cùm dixit: *Quid existis in desertum videre &c?* & ideo utrumque docet Christus ibi, scilicet, quod debemus virtuosos, sive virtutem laudare, cùm commendavit *Joannem*. Secundò docet, quòd non debemus vitiosos laudare, nec caripendere, immò vilipendere, cùm dicit: *Arundinem vento agitatam*: & *qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*. Ideo nusquam legitur, quòd Christus laudaverit vitiosos. Nam de diabolo dicit *Joan.* 8. *Ille in veritate non stetit, & mendax est*. Item de Herode dixit: *Dicite vulpi illi*, *Lucæ* 13. Item Pharisæis dicit, *Matth.* 23. *Væ vobis &c.* &, *Vos ex patre diabolo estis*, *Joann.* 8.

Vitiosi non sunt laudandi.

Dicit ergo hîc Christus per os David, quòd ille meretur habitare &c. *qui non accepit opprobrium*, nec audire voluit *adversus proximos suos*: & ille *qui glorificat*, & commendat, & laudat *timentes Deum*, scilicet, justos & bonos: & in cujus *conspectu malignus ad nihilum deductus est*, id est, qui non laudat, nec commendat, nec exaltat *malignos* & adulatores, sicut faciunt mali principes. Ex quo patet, quòd justus aliter se habet circa bonos, & aliter circa malos. Nam bonos *glorificat*, & commendat, nec *opprobrium* de eis vult audire, immò defendit eos: malos autem non laudat, immò vituperat, & reprehendit, & deprimit, & annihilat, id est, in eis vitium reprehendit, & annihilat.

6. Qui jurat proximo suo, & non decipit: qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit.

17. di. c. Quoniam. 14. q. 4. Si quis oblitus. Et extra de Usu, c. 3. & 4.

HIC ponit tertiam partem justitiæ, quæ consistit in commutationibus. Unde est advertendum: quòd tripliciter quis potest lædere proximum in commutationibus. Primò in promissis, non reddendo debitum, seu promissum. Secundò accipiendo ultra sortem aut debitum, per usuram. Tertiò accipiendo munera à pauperibus ultra debitum, ne vexentur, sicut accidit; quia pauperes dant munera creditoribus, ne vexentur: quod est quasi usura, cùm sit ultra debitum. Unde per omnia ista tria committitur injustitia contra proximum, quia inde læditur. Dicit ergo Christus, quòd ille *operatur justitiam*, & meretur habitare *in Tabernaculo &c. qui jurat proximo*, id est, quando non decipit eum in promissis: immò reddit debitum promissum, sive mercedem. Et etiam ille *qui non dedit pecuniam suam* proximo *ad usuram*: immò charitativè mutuat pecuniam, non accipiendo ultra sortem: & etiam ille *qui non accepit munera* supra creditorem *innocentem* & pauperem: immò gratis expectat, & tolerat eum. Item etiam ly *munera super innocentem non accepit*, potest referri ad malos judices, qui pro muneribus favent injustis contra pauperes, & innocentes. Unde isti tales dicuntur vendere justitiam.

Triplicit. ter proximus potest lædi in commutationibus

Sumitur ergo sufficientia *justitiæ* isto modo: nam cum *Justitia* sit *virtus ad alterum*, ut patet 5. *Ethicorum*: totiens contingit injustum facere, quotiens contingit proximo nocere, sive lædere. Sed contingit tripliciter proximum lædere, scilicet, *in persona*, aut *in fama*, aut *in bonis temporalibus*. In persona autem contingit tripliciter lædere, scilicet, *corde*, aut *linguâ*, aut *operatione*. Ideo dicit, *qui loquitur veritatem in corde suo, nec egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum*. In fama autem similiter tripliciter etiam contingit proximum lædere. Primò volendo audire opprobrium proximi. Secundò tacendo ejus virtutes. Tertiò detrahendo ipsi, ut putà, laudare nocentem, & vituperare innocentem. Ideo sequitur: *Opprobrium non accepit adversus proximos suos: ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat*. In bonis autem temporalibus contingit etiam lædere proximum, & nocere tripliciter, scilicet, non reddendo illi debi-

Lædere proximũ tripliciter possumus.

bitum, & mercedem promissam: aut accipiendo usuram ultra sortem: aut accipiendo munera à creditoribus pauperibus, ne vexentur: sive pro muneribus savendo injustis contra pauperes, & *innocentes*: & ideo subdit, *qui jurat proximo suo, & non decipit*, in quocumque licito modo aut debito promisso: *& qui non dedit pecuniam ad usuram*, ut inde ultra sortem accipiat: *& qui non accepit munera super innocentem*, ut dictum est.

De Pœn. di. 1. c. Omnis qui non diligit.

7. *Qui facit hæc, non movebitur in æternum.*

HIC concludit præmium ipsius justi merentis habitare in tabernaculo Dei. Unde quia Propheta in principio interrogavit, quis esset dignus habitare *in* hoc *tabernaculo* per gratiam, & *in monte* superno per gloriam: Christus respondet: *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam*, id est, mundus & justus est dignus vitâ, & quiete æterna. Et ulterius exponit, in quibus consistit justitia erga proximum: & dicit, quòd in novem, id est, in tribus circa personam, & in tribus circa famam, & in tribus circa bona temporalia. Nam per ista novem dicitur quis justus, & per consequens dignus habitare hîc per gratiam, & quiescere in Cœlo per gloriam. Ideo hîc concludit, quod *qui facit hæc*, novem supradicta, non solùm est dignus *quiescere* in illo *sancto monte* cœlesti; sed etiam nunquam *movebitur* ab illa felicitate *in æternum*: quia gaudium & præmium ejus non tolletur ab eo; quia illud regnum nunquam sibi auferetur. Item *qui facit* novem supradicta, *non movebitur in æternum* à viâ justâ, nec divinâ voluntate, quæ est mensura omnis justitiæ. Nam *justitia* dicitur à *juxta*, 5. *Ethicorum*: quia illud dicitur *justum*, quod est magis juxta medium. Et sic ille homo dicitur *justus*, qui non recedit, nec movetur à Divina Lege, in qua manifestatur Divina voluntas, quæ est mensura omnium actuum humanorum. Et sic qui *non movetur*, nec recedit à Divina voluntate & Lege in operationibus suis in hac vita, *nunquam movebitur* ab illa summa felicitate: ideo ait Salvator *Matth.* 5. quod *qui facit voluntatem Patris &c.* ille *intrabit in Regnum Cœlorum.*

Ex supradictis patet, quòd hæc omnia supradicta in hoc Psalmo, priùs & per se competunt Christo, tanquam capiti & magistro, qui omnia per se implevit; & ex consequenti membris suis, quæ per gratiam Christi cooperantem possunt omnia hæc adimplere.

Dubitatio.

Sed hîc potest dubitari. Nam licet in hoc Psalmo sit explicita *justitia*, quæ debet servari erga proximum: tamen nulla facta est mentio de *justitia* erga Deum, quæ consistit in fide formata charitate, propter quam quis meretur *habitare in tabernaculo* hujus Ecclesiæ per gratiam, & *in monte sancto* per gloriam *quiescere*. Et ideo ad majorem evidentiam, & intelligentiam eorum quæ prædicta sunt in hoc Psalmo, est præadvertendum secundùm *Aristotel.* 5. *Ethicorum*: quòd *justitia* dicitur à *juxta*: unde illud dicitur *justum*, quod fit juxta aliquod principium regulativum, & rectificativum, & mensurativum. Unde sicut opus domificationis, & cujuscumque alterius artis, redditur justum & rectum, quando fit juxta illam regulam mensurativam, cum qua fabricatores mensurant opera sua: ita pariter operationes humanæ redduntur & dicuntur justæ, quando fiunt juxta aliquam legem, & regulam, & conformantur, & adæquantur illi legi & principio regulativo.

Quatuor sunt principia regulativa actuum.

Sed quia quatuor assignantur & reperiuntur principia regulativa actuum humanorum, derivata ab illa prima Lege æterna Divinæ voluntatis: ideo possunt assignari quatuor modi justitiæ in humanis. Primum autem principium est *lex naturalis*, quæ consistit in dictamine rationis naturalis, scilicet, omne malum vitandum, & omne bonum agendum, & quod tibi non vis, alteri ne facias: & quod tibi vis, alteri fac: & nullum malum impuniendum, & nullum bonum irremunerandum. Istæ enim sunt tres Leges naturales conformes naturali rationi. Nam sicut illud principium: De quolibet *esse*, *vel non esse*, & de nullo *simul ambo*, est principium naturale ipsius intellectus speculativi: ita ista sunt tria naturalia principia ipsius intellectus practici & activi, ad regulandum omnes operationes voluntarias. Et ideo quicunque operatur *secundùm*, & juxta ista principia, dicitur *justus* naturaliter, & tales operationes naturaliter sunt justæ.

Primum.

Secundù.

Secundò: quis potest operari moraliter juxta aliquod principium moraliter regulativum Et sic *Prudentia* potest dici quoddam principium *justitiæ moralis*, eò quòd regulat omnes alias virtutes. Ideo dicitur *recta ratio omnium agibilium*, in quantum regulat omnes alias virtutes, reperiendo in eis medium, & dirigendo eas in debitum finem. Et sic regulat *concupiscibilem* circa cibum & potum, & circa actus venereos: & regulat *irascibilem* circa ardua & terribilia: & regulat *voluntatem* circa commutationes & distributiones. Et sic regulat omnes partes hominis, & subjicit eas rationi. Et sic *Prudentia* dicitur omnis virtus. Unde *Plato* omnes virtutes dixit esse prudentias, ut patet 6. *Ethicorum*. Et sic *Prudentia* dicitur quædam generalis & communis *moralis justitia*, in quantum justificat & rectificat, & in quantum re-

regulat omnes alias virtutes juxta medium ſuum, & dirigit omnes actus humanos in debitum finem. Eſt verum, quòd aſſignatur quædam particularis *Juſtitia* ad alterum circa commutationes & diſtributiones, de qua breviter dictum eſt in hoc Pſalmo. Et ſic patet, quod omnis qui operatur ſecundùm virtutes morales, poteſt dici moraliter *juſtus*: eò quòd operatur juxta *Prudentiam*, quæ eſt recta ratio & principium regulativum omnium agibilium: & etiam quia operatur juxta aliquod medium particularis virtutis: ſic omnes juſtificationes morales dicuntur *juſtæ*, & quædam *juſtificationes*: immò omnis qui ſubjicit omnes partes inferiores, & ſenſualitatem ipſi rationi dicitur metaphoricè *juſtus*, ut ait *Ariſtoteles* in fine 5. *Ethicorum*.

Tertium. Tertium principium regulativum actuum humanorum dicitur *Lex civilis*, quæ humanam coercens audaciam, & nocendi refrænans facultatem, regulat hominem ad vivendum cum cæteris ſocialiter & civiliter, nulli nocendo. Et ſic operans ſecundùm leges civiles, dicitur *juſtus civiliter*.

Quartum Quartum principium regulativum actuum humanorum dicitur *Lex Divina*: eò quòd regulat hominem in Deum. Et ſic operans ſecundùm Legem Divinam, dicitur *juſtus divinus*.

Ex quibus patet, quòd quadruplex eſt *Juſtitia*: ſcilicet *naturalis*, *moralis*, *civilis*, & *divina*, juxta quatuor principia & leges, quibus omnes actus regulantur humani, prout ſupradictum eſt. Quæ quidem leges ita ſe habent per ordinem, quòd una perficit alteram, & data eſt in ſupplementum propter defectum alterius, ad juſtificandum hominem & perficiendum ipſum in ſuis operationibus. Unde primò *lex naturalis* inſerta fuit naturaliter in mentibus hominum; ut inquit *Apoſtolus* ad *Romanos* 1. & 2. quia unuſquiſque naturaliter cognoſcere poteſt, omne malum eſſe vitandum, & omne bonum agendum &c. Sed quia natura fuit corrupta in *Adam*, & omnes potentiæ vulneratæ, & debilitatæ; quæ quidem natura ſic corrupta tranſmiſſa eſt in omnes poſteros, ut dictum eſt *Pſalmo* 13. ideo natura fuit impedita ad operandum liberè, juxta ſupradicta principia, & leges naturales, ut inquit *Auguſtinus contra Pelagianos*. Nam ratio propter paſſiones ſenſualitatis non rectè judicat inter bonum & malum, nec inter juſtum & injuſtum. Et voluntas rationalis trahitur ab appetitu ſenſitivo corrupto. Et ſic declinat à bono ad malum agendum contra legem naturalem. Et in hoc decipiebatur *Pelagius* cum tota ſua ſecta, qui non conſiderans naturam hominis corruptam in *Adam*, putabat, unumquemque ex propriis viribus poſſe liberè operari ſecundùm *legem naturæ*, ſcilicet, vitare omne malum, & facere bonum, & implére omnia præcepta divina. Contra quam deteſtabilem ſectam *Beatus Auguſtinus* condidit plures libros. Et ideo ſatius ſenſerunt Philoſophi, ſcilicet, *Pythagoras*, & *Socrates*, & *Plato*, & *Ariſtoteles*, & cæteri, qui ad ſupplendum defectum naturæ, ad comprimendum illicitum appetitum, & concupiſcentiam, & omnes paſſiones naturæ corruptæ tradiderunt præcepta moralia: ut ex frequentatis actibus generentur boni habitus morales: per quos reprimeretur mala inclinatio, & juvaretur natura ſauciata ad bene operandum. Ex quibus patet, quòd virtutes morales juvant naturam, & ſupplent ejus defectum.

Sed quia pauci inter homines reperiuntur, qui velint amplecti virtutes morales, propter difficultatem adipiſcendi eas contra malam inclinationem & morbum naturæ: ideo videntes Principes & Magiſtratus multa mala fieri inter homines, propter defectum moralium virtutum; nec rempublicam poſſe conſervari, niſi viveretur ſecundùm virtutem, propter malam inclinationem hominum: ideo fuit neceſſe, ut conderent leges civiles, ut earum metu humana compeſceretur audacia, tutaque eſſet inter improbos innocentia, ut inquit *Auguſtinus* & *Iſidorus*. Et ideo dicit *Ariſtotel.* in fine *decimi Ethicorum*, quòd *neceſſaria eſt poſitio legis, ut homines aſſuefiant ad mores capeſſendos*. Et ſic patet, qualiter poſitio legum facta eſt in ſupplementum propter defectum virtutum moralium. Sed quia Deus creavit hominem, ut non ſolùm in hoc mundo cum cæteris, tanquam animal ſociale conviveret; ſed ut Deum cognoſceret, & cognoſcendo diligeret, & diligendo in hoc mundo amaret, & in cœleſti patria amando frueretur: ut inquit *Auguſt.* lib. *Confeſſionum*: ideo oportet, ipſum juſtificari & regulari in hujuſmodi actibus ad conſequendam beatitudinem. Sed quia nulla ſupradictarum legum, ſcilicet, *naturalis*, & *moralis*, & *civilis*, poteſt hominem regulare, & juſtificare ſufficienter, ſcilicet, ad cognoſcendum Deum, & ordinatè diligendum, & amandum, & colendum: ideo fuit neceſſe à Deo dari, & tradi Legem Divinam, quæ omnia ſupradicta ſuppleret, & doceret, & hominem ad capeſſendam ſummam beatitudinem ſufficienter regularet, & juſtificaret.

Juſtus ad conſequendam beatitudinem fit. Ad cujus intelligentiam eſt ſecundò notandum: quòd ad hoc quod homo ſit ſimpliciter juſtus, & juſtificatus, ad ultimam felicitatem & vitam æternam conſequendam, quatuor ſunt ſibi neceſſaria: primò, quòd mundetur ab omni macula & culpa præterita. Secundò, quòd poſſit vitare futura peccata: & ſi committit, quòd iterum poſſit mundari. Tertiò, quòd poſſit bonum operari erga Deum & proximum.

Quartò, quòd sit Deo gratus & acceptus, & sua opera accepta ad vitam æternam: quia aliter non posset pervenire ad terminum beatitudinis. Sed nullum horum supradictorum possunt facere tres leges supradictæ: quia nulla earum potest mundare culpam commissam, nec peccatum originale: nec aliqua illarum de se absque revelatione potuit Deum perfectè cognoscere, nec meritoriè operari, & maximè *lex civilis:* quia homines secundùm eam magis operabantur formidine pœnæ, quam virtutis amore. Et ideo opera facta secundùm solas morales virtutes, & secundùm solas leges civiles, solum civiliter erant præmianda. Ideo data est *Lex Divina*, quæ supplet omnes defectus aliarum, & confert omnia necessaria ad vitam æternam, & ultimum humanum finem consequendum. Nam primò docet, quis Deus colendus: quia unus, trinus & unus, & æternus, & creator omnium rerum: & docet quomodo colendus; quia per verum cultum Latriæ: & docet quomodo diligendus; quia in se, & propter se: & quomodo proximus diligendus; quia in Deo, & propter Deum: & sic docet, quid credendum, quid amandum, & agendum, & quid sperandum. Item secundò confert Sacramenta, ad tollenda, & vitanda peccata, & confert gratiam, ut homo sit Deo charus &c. Et sic patet, qualiter in *Lege Divina* traditur *vera justitia* tribuens unicuique, quod suum est: scilicet, Deo veram Latriam; proximo mutuum charitatis effectum.

Lex Divina tres habet status.

Sed iterum est advertendum, prout dictum est *in Prologo*, *tractatu tertio*: quòd licèt illa *Lex Divina* à Deo in principio lata, sit una secundùm essentiam ab *Adam* & *Abel* usque ad Judicium: tamen ipsa habuit tres status; scilicet, *statum naturæ* ab *Adam* usque ad *Moysen*: & *statum scripturæ* à *Moyse* usque ad Christum: & *statum gratiæ* usque ad Judicium: in quibus statibus semper processit ex imperfecto ad perfectum: quia continuè accepit aliquam perfectionem quoad modum colendi Deum. Nam in *Adam* & *Abel* accepit modum sacrificiorum, & oblationum, tanquam *signaculum Fidei* Christi futuri: & in *Abraham* Circuncisionem; sub qua Fide Christi venturi salvati sunt omnes fideles ab *Adam* usque ad *Moysen* in lege naturæ. Et sic iste status legis naturæ est pars Legis Divinæ à Deo tradita supradictis Patriarchis: & differt à lege naturaliter hominibus inserta, de qua supra dictum est: quia illa lex naturalis naturaliter hominibus inserta, non poterat hominem justificare ad vitam æternam, absque Fide Christi futuri, quæ revelata fuit specialiter Patribus veteris Testamenti, prout dictum est. Sed ista lex adhuc accepit majorem perfectionem, & expressam Justificationem in *Moyse* per expressa præcepta moralia, & judicialia, & cærimonialia, in quibus expressius figurabantur mysteria nostræ redemptionis: sub qua Fide Christi futuri, in illis cærimoniis figurati, salvati sunt omnes Patriarchæ, & Prophetæ, & fideles professores & observatores Legis veteris.

Sed ultimam suam perfectionem accepit *Lex Divina* à Christo *in tertio statu*, quæ in suo adventu in se complevit omnia qui erant figurata in omnibus sacrificiis & cærimoniis Legis veteris, quando pro nobis passus est, & dedit *Legem Euangelicam*, in qua aperuit, & verificavit omnia mysteria, quæ latebant in veteri Testamento, & aperuit sensum, & Scripturas, ut patet *Luc.* 23. quia *Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Christum facta est.* Et sic Christus aperuit nobis manifestè, quod in Lege latebat sub quibusdam figuris. Nam Christus docuit, qualiter Deus est trinus in personis, & unus in substantia: & sic reseravit mysterium Trinitatis, & quomodo Deus unus in Trinitate personarum est adorandus. Et patefecit veritatem Ecclesiasticorum Sacramentorum, conferendo eis virtutem ex sua passione ad conferendam gratiam, & tollendum & purgandum omne peccatum, & per consequens ad justificandum sufficienter totum hominem, & sic per suam passionem solvit pretium pro omni peccato: & contulit virtutem Sacramenti ad purgandum peccata, & ad conferendam gratiam gratificantem & justificantem hominem ad merendum vitam æternam.

Quatuor ergo facit *Lex Euangelica:* nam primò purificat, & mundat ab omni peccato per *Baptismum*, & *Pœnitentiam*, & *Extremam-Unctionem.* Secundò fortificat, & roborat per *Confirmationem.* Tertiò reficit per *Eucharistiam.* Quartò docet omnem veritatem per *doctrinam Christi.* Et sic justificat totum hominem ad vitam æternam. Et sic supplet defectum *Legis Naturalis*, & *Moralis*, & *Civilis*: immò includit, & approbat omnes alias Leges, supplendo defectum earum. Nam primò Christus approbavit *Legem naturalem*, *Matth.* 7. cùm dixit: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Item approbavit *Legem moralem*, *Matth.* 15. cùm dixit: *Ex corde exeunt blasphemiæ, homicidia, furta, & adulteria; hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Item approbavit *Leges civiles*, cùm dixit: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Item approbavit & declaravit verum sensum totius *Legis veteris*, ut patet *Matth.* 5. & 7. & per totum discursum Euangelicum.

Ex quibus omnibus patet, quòd de ista *justitia Euangelica*, quæ sufficienter justificat hominem secundùm omnes partes suas, & confert ultimatum finem, loquitur

tur propheticè David in hoc *Psalmo* 14. quia nulla alia Lex est, quæ faciat hominem habitare *in hoc Tabernaculo Dei* per gratiam, & *in monte sancto* cœlesti per gloriam, nisi *Lex Euangelica*, quæ sola justificat hominem erga Deum & proximum. A

Dubium. Sed nunc restat quid dicendum ad dubium: quia David non videtur facere mentionem de *justitia* hominis *erga Deum*; sed solum erga proximum, ut patet in littera. Ad hoc respondetur, quòd si bene considerentur, & contemplentur verba hujus Psalmi, videtur, qualiter David memorat propheticè *justitiam Euangelicam*, & *justitiam erga Deum & proximum*. Nam dictum est, quòd Lex Euangelica comprehendit omnem Legem & justitiam, tàm naturalem, quàm moralem, civilem, & divinam. Et explicat omnem virtutem, quam illæ non poterant explicare, nec efficere: & justificat sufficienter totum hominem quoad affectum, & effectum, scilicet, B quoad animam, & corpus, & quoad actus interiores & exteriores: quia non solùm prohibet manum, sed animum, ut patet *Matth.*5. Et ideo dicitur *Lex veritatis & gratiæ*.

Et ideo quando David dicit in hoc Psalmo, quòd ille *habitabit in Tabernaculo Dei, qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam*: tunc per hoc intelligit Legem, & justitiam Euangelicam, quæ sola per sacramenta mundat & purificat hominem à peccato, & reddit ipsum purum sine macula. Et facit ipsum operari justitiam, & opera justa & meritoria per gratiam, quam sola Lex Euangelica confert per sacramenta. Et sola ipsa docet omnem veritatem, & imprimit fidem & veritatem in corde: & sic justificat cor hominis, & opera interiora: quia non solùm C præcipit effectum, sed affectum. Ideo dicit, quòd ille *habitabit in Tabernaculo Dei, qui loquitur veritatem in corde*, id est, qui confitetur *veritatem* fidei *corde* & *lingua* per confessionem: quia *Corde creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem*; *ad Rom.*10. Et tunc, quia *Lex Euangelica* est illa, quæ docet credere fidem in *corde*, & confiteri eamdem fidem in *lingua*: ideo *Lex Euangelica* dicitur vera justitia justificans hominem *corde*, *lingua*, & *opere erga Deum*.

Nota. Unde *operari justitiam sine macula*, nil aliud est, nisi sine peccato erga Deum & proximum justè operari. Et *loqui veritatem in corde*, nil aliud est, nisi primæ veritati, qui sunt Articuli Fidei, firmiter D inhærere. Et *non agere dolum in lingua*, nil aliud est, nisi veram fidem Articulorum publicè confiteri, & Fidem non tacere, nec occultare, sed publicè prædicare. Item *operari justitiam*, nil aliud est, nisi divinæ voluntati, quæ dicitur *Lex æterna*, per charitatem inhærere, & per opera E confirmare, nec à divinis præceptis deviare: quæ quidem veritas, & lex æterna, & justitia maximè lucet in *Lege Euangelica*, ut dictum est *Psalmo* 11. Et ideo David primò memorat *justitiam* hominis *erga Deum*, per id quod ait: *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam*: &, *qui loquitur veritatem in corde suo, nec egit dolum in lingua sua.* Sed ex consequenti memorat *justitiam* hominis *erga proximum*, per hoc quod subdit: *Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximos suos &c.*

Ex quibus patet, quòd David in hoc Psalmo explicat omnem *justitiam erga Deum & proximum*, & docet, in quibus consistit tota justitia hominis, per quam meretur *habitare in* hoc *Tabernaculo* per gratiam, & *in monte cœlesti* per gloriam: de qua Lege Euangelica, & ejus proprietatibus, & effectibus latiùs dicetur *Psalm.* F 18. & 118. Et per hoc patet responsio ad dubium.

Ex toto isto Psalmo possunt recolligi *sex conclusiones*: quarum *prima est*: quòd solus ille *habitabit in hoc Tabernaculo* & Ecclesia per gratiam, & in superiori per gloriam, *qui ingreditur*, & ambulat in hac via *sine macula*, purificatus per Ecclesiastica Sacramenta, declinando à malo: & *operatur justitiam*, faciendo bonum. Probatur. Nam declinando à malo, evadit pœnam; & agendo bonum, meretur gloriam.

Secunda conclusio: quòd ille *loquitur veritatem in corde*, qui firmiter credit Articulos Fidei: & ille *non agit dolum in lingua*, qui Fidem, quam corde credit, publicè confitetur, & prædicat, & secundùm ipsam Fidem operatur.

G *Tertia conclusio*: quòd tripliciter servatur *justitia*. Uno modo *erga seipsum*, ambulando sine macula, & declinando ab omni malo. Secundò *erga Deum*, credendo, & confitendo *ore* & *lingua*, & operando per Fidem, & Spem, & Charitatem. Tertiò servatur *justitia erga proximum*, non illi nocendo, sed proficiendo, & subveniendo: in quibus tribus sufficienter justificatur homo erga Deum & proximum.

Quarta conclusio: quòd tripliciter potest quis lædere proximum, scilicet, *corde*, *lingua*, & *opere*. Item tripliciter potest homo lædere proximum *corde*. Primò odio habendo. Secundò mala contra ipsum cogitando. Tertiò lædere proponendo, & H deliberando. Item tripliciter potest quis lædere proximum *per linguam*. Primò in absentia detrahendo. Secundò verbis coram vituperando, aut gestu contemnendo. Tertiò verbis adulando, & decipiendo. Item tripliciter potest quis *opere*, & *factis proximum lædere*: primò occidendo, vel

ver-

verberando. Secundò bona temporalia rapiendo, aut in bonis defraudando. Tertiò debitum honorem auferendo, aut non exhibendo. A

Quinta conclusio : quòd perfecta *justitia* hominis consistit in sola *Lege Euangelica*. Probatur primò, quia ipsa sola docet & explicat fidem omnium Articulorum, & patefacit veritatem eorum : & sic explicat omnem veritatem. Secundò confert gratiam per sacramenta. Tertiò explicat, quid agendum & sperandum per observantiam præceptorum. Et sic justificat perfectè hominem per fidem Apostolorum, & gratiam sacramentorum, & observantiam præceptorum, distinguendo, quid credendum, quid sperandum, & quid agendum erga Deum & proximum.

Sexta conclusio : quòd in hoc Psalmo explicatur & memoratur propheticè tota *justitia Legis Euangelicæ* : & per consequens explicatur tota *justitia Legis & Prophetarum*, & *Legis naturalis*, & *moralis*, & *civilis* : quas Leges continet & includit Lex Euangelica. Probatur : nam tota *justitia* Legis & Prophetarum, & totius Euangelii, pendet ex his duobus præceptis, scilicet, *diliges dominum Deum tuum ex toto corde & mente &c.* & *diliges proximum tuum sicut teipsum* : ut patet *Matth.* 22. Sed tota *justitia* & dilectio erga Deum & proximum explicatur in hoc Psalmo. Ergo. Probatur minor. Nam hîc explicatur primò *justitia* & dilectio erga Deum, per hoc quod dicitur : *qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam, & loquitur veritatem in corde suo, & non egit dolum in lingua sua.* Item secundò : & distinguitur *justitia* quæ debet servari erga proximum corde, & lingua, & opere, & ne lædatur in persona, nec in bonis temporalibus, nec in honore, per hoc quod subdit : *Nec fecit proximo suo malum, nec opprobrium accepit adversus proximos suos &c.* usque ad finem Psalmi. B C

Item hoc idem probatur. Nam de Lege & *justitia* naturæ est, quòd quis vivat sine macula, declinando à malo, & *operetur justitiam* faciendo bonum, & quod faciat erga alium, quod vellet fieri erga seipsum. Sed hoc idem docet *justitia moralis*, tam communis, quàm particularis, scilicet, *Commutativa* & *Distributiva;* quæ est erga alterum, scilicet, proximum. Et hoc idem præcipiunt & statuunt omnes *Leges civiles*, quæ intendunt facere cives bonos propter bonum reipublicæ. D

Item ad *Legem Divinam* pertinet justificare, & regulare, & dirigere hominem in Deum, ut possit vivere & habitare in hac Ecclesia per gratiam, & quiescere in cœlesti per gloriam. Sed omnia ista explicantur in hoc Psalmo, ut visum est : ergo nulla Lex, nec pars *justitiæ* prætersugit istum Psalmum, quin convenienter explicetur in eo. Ex quibus omnibus patet : quòd illa summa *Lex æterna*, quæ est Divina voluntas, à qua omnis *justitia*, & omnes *Leges*, tam naturales, quàm morales, quàm civiles, quàm divinæ habent ortum & mensuram ; maximè explicatur & lucet in hoc Psalmo sub paucis verbis, prout patet diligenter contemplanti sententiam & intelligentiam ejus. E

Psalmus XV.

1. *Conserva me Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* F

Arg. 2. q. 8. Testes, §. Christus, & 34 q. 1. cap. Quæ dignior.

Titulus in Hebræo : *Humilis & simplicis David.* In Bibliis autem nostris : *Tituli inscriptio ipsi David.* Ex primo Titulo patet, quòd David fecit hunc Psalmum in persona alicujus humilis & simplicis, petentis aliquid cum humilitate & patientia. Ex secundo verò Titulo apparet, quòd in isto Psalmo continetur inscriptio hæreditatis, & dominii promissi ipsi David in persona alicujus. Ideo Hebræi quidam moderni conantur applicare litteram hujus Psalmi ipsi David : qui fecit hunc Psalmum, dum esset in persecutione *Saulis*, qui propter humilitatem & patientiam adeptus est hæreditatem & Regnum Israël. Sed licèt istud mysterium, & persecutio, & exaltatio esse potuerit, immò fuerit figura Christi, & regni ejus, ut pluries dictum est : tamen non est persistendum in littera, sed in figurato, cujus est figura. Nam ea, quæ dicuntur in hoc Psalmo, non propriè verificantur de David, sed de solo Christo per David figurato. Ideo est magis credendum *Beato Petro*, qui postquam fuit illustratus à Spiritum sancto, habuit intelligentiam hujus Psalmi. Unde in die *Pentecostes*, allegando litteram & sensum hujus Psalmi, probavit resurrectionem, & exaltationem regni Christi. Et convicit Scribas & Pharisæos, & convertit & baptizavit tria millia hominum, ut patet *Actuum* 2. Et sic exponendus est iste Psalmus & Titulus de Christo. G H

Unde David per suam persecutionem & exaltationem prævidit in spiritu, qualiter Christus in Lege promissus post persecutionem, & Passionem, & Mortem debebat resurgere, & adipisci hæreditatem, & universalem potestatem, & regnum in Cœlo, & in terra. Hoc ergo prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum de hæreditate, & regno Christi, per pa-

patientiam & humilitatem acquirendo. Ideo ponitur in Titulo : *Humilis & simplicis David* ; in quo explicatur , quòd Christus, A qui *David* in Scripturis nominatur , per obedientiam & humilitatem erat regnum adepturus.

Quid sit hæreditas

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd *hæreditas* dicitur *successio debita alicui in bonis paternis, vel tanquam paternis :* & sic bona patris debentur filio naturali jure hæreditario : & debentur cognatis & consanguineis , sive filiis adoptivis loco filii naturalis : cum ergo regnum & dominium totius mundi sint bona Dei Patris : ergo dominium in Cœlo, & in terra debetur Christo jure hæreditario , in quantum est Filius naturalis Dei Patris. Et sic regnum mundi , & dominium super omnem creaturam dicitur hæreditas Christi. Ideo dicit *Apostolus , ad Galathas* 4. quòd *si Christus est Filius Dei Patris : ergo hæres per Deum , & Dominus omnium.* B

Sed est iterum advertendum , quòd licèt ista hæreditas & principatus mundi proveniat Christo jure hæreditario ab instanti suæ conceptionis , eò quia est Filius naturalis Patris : tamen Deus voluit , ut Christus , in quantum homo , acquireret hanc hæreditatem ex propriis meritis , ut eam posset suis membris communicare: quæ quidem hæreditas consistit in quatuor. Primò , in principatu Ecclesiæ Militantis super justos. Secundò , in principatu Inferni super omnes dœmones, & damnatos : & etiam in principatu omnium elementorum , & creaturarum corporalium. Tertiò , in principatu sui corporis , quantum ad immortalitatem,& impassibilitatem. Quartò , in principatu Ecclesiæ Triumphantis , quantum ad gloriam , & univer- C salem potestatem. Primum adeptus est Christus per suam humilitatem , & passionem , & per eamdem adeptus est secundum : quia non solùm recuperavit genus humanum , sed etiam superavit diabolum, & Limbum , & Purgatorium expoliavit. Tertium adeptus est in sua Resurrectione. Quartum autem in sua Ascensione. In quibus quatuor consistit tota hæreditas Christi.

In quatuor consistit.

Nota.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum , introducens Christum ad loquendum : in quo duo facit. Nam primò , Christus petit conservari in hæreditate adepta. Secundò , agit gratias Patri, explicando partes hæreditatis , ibi : *Sanctis qui sunt in terra.* Quantum ergo ad D primum est notandum , quòd Christus , in quantum Deus , non eget bonis Patris , licèt ab eo habeat ab æterno quicquid habet : & isto modo Pater non est Deus, nec Dominus Filii , cùm sit ipsi consubstantialis: & sic Pater , & Filius , & Spiritus sanctus sunt tantùm æqualiter unus Deus , & unus Dominus. Sed Christus , in quantum homo , indiget bonis Patris : & sic dicitur suscitatus , & liberatus , & conservatus à E Patre , & habere regnum mundi ab eo, non solùm jure hæreditario , sed etiam ex meritis suæ passionis , & obedientiæ. Sub tali ergo conditione Christus appellat Patrem Deum & Dominum suum , & petit ab eo hanc hæreditatem , & in ea conservari , quam per justitiam , & ex meritis suæ passionis fuit adeptus. Ait ergo Christus in hac parte : Ego in quantum homo dixi Domino Patri meo : *Tu es Deus meus* per creationem , *& Dominus meus* per specialem gubernationem. Ideo tu *non eges bonorum meorum :* sed ego egeo bonorum tuorum : quia nihil à me habeo, nisi quod per unionem & merita passionis contulisti. *Conserva me* ergo in hac hæreditate, quam adeptus sum : & *conserva me* & in sepulchro usque ad resurrectionem , ne corpus F meum putrefiat , nec incineretur ; sed tertia die resurgere valeam immortalis , & impassibilis : *quoniam in te speravi*, certus de mea resurrectione , & conservatione hæreditatis.

Et nota , quod est valde advertendum in expositione & intelligentia hujus Psalmi : eò quòd est valde difficilis inter omnes , non solùm profunditate sententiæ, quam continet in paucis verbis; sed etiam scabrositate , scilicet ; quia ut plurimum utitur terminis metaphoricis & extraneis: & etiam propter diversitatem interpretationum. Nam interpretatio *Hieronymi* ex Hebræo videtur multum differre ab editione ipsorum *Septuaginta* , quam sequimur. Nam illi in hoc Psalmo magis traduxerunt sensum ex sensu , quam verbum ex verbo. Sed cum toto hoc littera manet difficilis & G dura , ut patet intuenti.

2. *Sanctis , qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.*

23. q. 4. ca. Forte, & c. Infideles.

IN hac secunda parte agit gratias , explicans hæreditatem adeptam per suas partes : & ideo tria facit. Nam primò agit gratias , eò quòd adeptus est totam Ecclesiam Militantem in partem & sortem suæ hæreditatis. Secundò agit gratias, quia adeptus est immortalitatem , & impassibilitatem sui corporis per resurrectionem. Tertiò, quia adeptus est principatum , & gloriam, H & ultimam felicitatem in Regno Cœlorum per suam ascensionem. Secunda ibi : *Insuper & usque ad noctem.* Tertia ibi : *Notas mihi fecisti.* Quantum ergo ad primum est notandum secundùm *Apostolum ad Rom.* 8. quòd Deus ab æterno Sanctos suos ad gratiam & gloriam prædestinavit nullis meritis præcedentibus. Unde ait , quòd Deus *quos prædestinavit , hos & vocavit : &*

quos

Nota. *quos vocavit, hos & justificavit: & quos justificavit, illos & glorificavit.* Item *ad Ephes.*1. dicit, quòd Deus Pater *elegit nos* A *in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati, & prædestinavit nos in adoptionem filiorum, & gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Ex quibus patet, quòd Filius ex tempore vocavit, & justificavit, & redemit, & gratificavit, & magnificavit, quos Pater ab æterno prædestinavit: & hos solos Christus in Ecclesiam congregavit, cæteris in suis carnalibus desideriis & mundanis adinventionibus permanentibus. Tota ergo voluntas, & desiderium, & conatus Christi fuit, voluntatem Patris adimplere, & quos ipse prædestinaverat, redimere, & justificare. Et tota voluntas Patris fuit, Christum in omnibus his mirificare, & vota ejus adimplere. Et sic de omnibus his agit gratias Christus in hac parte. Primò, quia adimplevit desiderium suum in conversione fidelium. Secun- B dò, in congregatione eorum ad Ecclesiam. Tertiò, quia *mirificavit* ejus redemptionem, tribuendo sibi meritum, & hanc hæreditatem in præmium. Quartò, quia hanc hæreditatem magnificavit, & præclaram fecit. Secunda ibi: *Non congregabo.* Tertia ibi: *Dominus pars hæreditatis.* Quarta ibi: *Funes ceciderunt.* Quantum ad primum dicit Christus: Gratias ago Patri meo, quia *mirificavit omnes voluntates meas*, id est, mirificè adimplevit desideria mea *in eis* Sanctis, *qui sunt in terra ejus.* Et hoc multipliciter fecit Deus. Nam primò

5. q. 5. c. *Mordacissimi.*

3. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea acceleraverunt.* C

MUltiplicatæ *sunt infirmitates eorum*, id est, cum multæ essent infirmitates in Sanctis ante conversionem, postea ad solam meam vocationem *acceleraverunt* venire ad fidem. Nam primò vocavi *Apostolos*, scilicet, *Joannem*, & *Andræam*, & *Petrum*, & *Philippum*: & illicò *acceleraverunt* ad sequendum me. Item cum vocavi eos ad mare Galilææ, illi relictis retibus & navi, secuti sunt me. Item cum *Matthæus* esset publicanus, ad solam vocationem secutus est me. Item omnes cæteri Apostoli, cum essent multipliciter infirmi, & ignorantes, & fragiles, illicò post receptionem Spiritus sancti *acceleraverunt* ad prædicandum per universum mundum, D ut implerent voluntatem meam, & præceptum, & desiderium meum, non timentes mortem & persecutiones propter nomen meum. Item non solùm *mirificavit voluntates* meas in Apostolis, sed etiam in toto populo Gentili. Nam cum antea Gentiles essent multiplici infirmitate, & detestabili vitio corrupti, ut dictum est *Psal.*13. postea ad prædicationem Apostolorum cum magnis signis miraculorum *accelera-*
E *verunt* ad fidem Christi, & ad mortem, & persecutiones pro eo tolerandas. Ex quo patet, quòd *mirifica* fuit conversio fidelium, & *mirificas* fecit Pater *voluntates* & desideria Christi in eis. Item secundò fecit *mirificas* voluntates Christi in sanctis fidelibus, quando *non congregavit*, nec justificavit, nec approbavit peccatores, & carnales, sed justos, & spirituales: & ideo Ecclesia Christi non dicitur congregatio impiorum, & carnalium, & mundanorum: sed congregatio spiritualium, & sanctorum, non ponentium spem suam in carnalibus, & mundanis: quia *non congregati* sunt in Ecclesia, nisi Judæi, qui legalia, & cærimonialia reliquerunt: & Gentiles, qui relictis idolis, detestabiles superstitiones abjecerunt. Et ideo dicit Christus:

F 4. *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.* 17. d. c. *Multis.*

NON *congregabo* ad Ecclesiam meam *conventicula*, & societates *eorum, de sanguinibus*, & peccatoribus, & voluptuosis, & mundanis: *nec ero memor nominum eorum per labia mea*: quia non pertinent ad hæreditatem meam carnales & mundani, nisi soli illi, qui *non ex sanguinibus*, *neque ex voluntate viri*, *neque ex voluntate carnis*, *sed ex Deo* per baptismum, & pœnitentiam *nati* & regenerati
G *sunt*, *Joan.*1.

Et notanter dicit Christus: *Non ero memor nominum eorum per labia mea.* Nam Christum esse memorem alicujus, nihil aliud est, nisi per gratiam vocare, & justificare. Et Christum nomen alicujus *per sua labia* nominare, nihil aliud est, quam ipsum esse justum approbare, & nomen ejus in libro viventium scribere, & annotare. Unde de reprobis, & obstinatis, & infidelibus dicitur *Psalm.*69. *Deleantur de libro viventium*, *& cum justis non scribantur.* Tertiò fuit *mirifica* ista hæreditas Christi, quia mirifico, & grandi pretio fuit redempta, & Deus Pater *mirificavit voluntates* Filii: quia utramque Ecclesiam, scilicet, Militantem, & Triumphantem pro
H pretio sanguinis, calicis, & passionis ipsi tribuit. Et ideo subdit:



5. Do-

12. q. 2. Clericus, 12. q. 8. Si morte extra de Præb. & Dist. cap. Cum secundum.

5. *Dominus pars hæreditatis meæ,* A *& calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.*

DOminus Pater est *pars hæreditatis meæ*, id est, portio & sors hæreditaria *calicis*, & passionis meæ. Quia ex pretio passionis meæ Regnum Cœlorum in portionem & sortem hæreditariam mihi debetur: & ideo conversus ad Patrem, dicit: O Pater, tu fecisti hoc pactum, & promisisti mihi hæreditatem utriusque Ecclesiæ in præmium *calicis*, & passionis meæ: ideo *tu es* ille *qui restitues hæreditatem meam mihi.* Nam sicut Adam perdidit eam per superbiam, & inobedientiam: ita ego lucratus sum eam, & recuperavi per humilitatem, obedientiam, & mortem, & B passionem: ergo dignum est, ut hanc *hæreditatem restituas mihi.*

Et notanter dicit: *Dominus pars hæreditatis meæ:* nam Pater dupliciter est portio, & sors hujus hæreditatis: quia in ea includitur. Nam *visio Dei est tota merces* & felicitas Sanctorum, *Joan.* 17. & sic tota beatitudo & hæreditas Sanctorum finaliter consistit in possessione Regni Cœlestis, in quo *mansiones multæ sunt*, secundùm diversitatem meritorum. Secundò Pater dicitur portio hæreditaria passionis Christi, in quantum seipsum cum toto Regno Cœlesti præbuit pro pretio illius passionis. Quartò Pater *mirificavit voluntates* & desideria Christi *in Sanctis ejus*: quia omnes eos, quos Filius justificavit, & redemit per suam passionem, ipse Pater cla- C rificavit per suam glorificationem. Et ideo Filius quartò agit gratias dicens: Gratias ago Patri, quoniam

Extra de Præbe. & Dist. cap. Cleric. in Gl. Extra de El. cap. Cum tria

6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.*

FUnes *ceciderunt mihi in præclaris*, id est, sortes prædestinationis *ceciderunt mihi* in Sanctis. Nam quos Pater prædestinavit, ego justificavi, & sanctificavi: & postea *hæreditas mea præclara est mihi*, id est, valde clara, & glorificata. D Nam quos ego sanctificavi & justificavi, ipse Pater clarificavit, & glorificavit. Et nota, quòd *Funes*, & *funis*, & *funiculus* communiter sumuntur in Sacra Scriptura pro *sorte* & *hæreditaria portione*; eò quòd hæreditates & portiones hæreditatum mensurabantur *funibus*, sive *funiculis*, & sic distribuebantur portiones inter fratres & parentes secundùm merita: ut patet in libro *Josue*, qui funibus mensuravit & distribuit totam terram promissionis. Ita ergo pariter Deus secundùm *funiculum*, & pro- E positum suæ voluntatis ab æterno prædestinavit, & præparavit diversas mansiones suis electis in Regno Cœlorum, quas postea Filius distribuit eisdem electis, per ipsum vocatis, & justificatis: & hoc fecit secundùm mensuram, & gratiam meritorum uniuscujusque. Et sic Christus Sanctis, quos ab æterno Pater prædestinavit, & quibus mansiones præparavit, eisdem Filius easdem mansiones post Resurrectionem distribuit, & condonavit. Et ideo subdit:

7. *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: insuper &* 1. q. 1. cap. 1. *usque ad noctem increpuerunt me* F *renes mei.*

BEnedicam *Dominum, qui tribuit mihi* scientiam & *intellectum* ad distribuendum supradictas portiones hæreditarias secundùm propositum & mensuram voluntatis Patris mei. Nam sicut *funes ceciderunt mihi in præclaris*, id est, secundùm quod Pater præparavit has sortes, & portiones, & mansiones hæreditatis: *etenim*, id est *certè*: ita *hæreditas mea præclara est mihi*, id est, ita eam justis distribui: & Pater eam clarificavit, id est, gloriam dedit.

Deinde cùm dicit: *Insuper & usque ad noctem*, respondet Christus mordaci blasphemiæ, & inani querelæ Judæorum, & omnium obstinatorum. Ad cujus intel- G lectum est notandum, quòd Judæi continuè blasphemant, & increpant Christum, dicentes: Quòd quare non vocavit eos, & compulit eos intrare in Ecclesiam, sicut vocavit, & justificavit Gentiles? Et quare reprobavit eos, & non Gentiles? Sed huic fatuæ querimoniæ putat Christus respondisse per ea quæ dicta sunt in prima particula. Nam omnes vocavit: Sed ipsi noluerunt venire, sed remanere in suis carnalibus voluptatibus, & sanguinibus, & peccatis: Gentiles autem relictis omnibus his, & relictâ superstitione Idolorum, acceleraverunt venire ad Fidem: & sic admissi sunt in Ecclesia, & justificati.

Sed rursum arguunt & increpant Chris- H tum: quare non compulit eos, sicut compulit Paulum? Ad hoc respondet Christus per penultimam particulam: quòd ipse non tenebatur justificare, nisi quos Pater prædestinaverat, & super quos *sortes* prædestinationis *ceciderant.* Sed quia ipse Paulus erat prædestinatus, & ipsi non: ideo Paulum compulit, & non eos. Et hoc est, quod dicit hîc Christus: scilicet, *insuper*, id est, *propterea*, *renes mei*, scilicet Judæi, qui sunt de Tribu mea, & *de renibus*

Jacob secundùm carnem, *increpuerunt*, & increpant *me usque ad noctem*, id est, usque ad finem mundi, propter supradicta : eò quòd non justificavi, & glorificavi eos, sicut Gentiles. Sed jam responsum est eis : quòd ipsi *non acceleraverunt* venire, quando vocavi eos : nec sunt prædestinati sicut Gentiles. Sed si rursus arguunt, & increpant Deum, Quare non prædestinavit eos sicut Gentiles ? Ad hoc respondet *Apostolus Paulus*, & *Augustinus*, quòd hoc fecit Deus secundùm propositum suæ æternæ voluntatis. Et ideo non est quærenda causa divinæ voluntatis : cum ipsa sit causa omnium. Unde multi volentes inquirere de hoc profundo, versi sunt in profundum diversarum hæresum. Ideo de hac materia melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. A

Sed licèt hæc particula, scilicet, *Insuper & usque ad noctem &c.* sit superius exposita cum sententia præcedente : tamen quidam ordinant ipsam cum parte subsequente ad alium sensum. Ideo secundùm B istam intelligentiam est dicendum : quòd hîc incipit secunda pars, in qua Christus agit gratias Patri de sua Resurrectione, & corporis glorificatione : quæ est tertia pars suæ hæreditatis. Unde dicit Christus, quod *insuper*, vel quamvis *renes*, id est, contribules, & consanguinei *mei* Judæi *increpuerunt me*, & accusaverunt me *usque ad noctem*, id est, usque ad mortem, putantes me totaliter de mundo delere ; tamen *in vanum laboraverunt* : quia à mortuis resurgam, quia non potero incinerari, nec corrumpi in sepulchro. Et ratio est : quoniam

Act. 2. d. 8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper : quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* C

AD cujus intelligentiam est notandum : quòd duplici ratione Christus erat certus de sua Resurrectione. Primò, quia sciebat, corpus suum non posse incinerari, nec corrumpi. Et hoc ratione unionis ad Verbum, eò quòd Verbum semper fuit unitum personaliter, non solum animæ in inferno ; sed etiam corpori mortuo in sepulchro. Et sic Verbum conservabat corpus & carnem in esse existentiæ, licèt caro esset separata ab anima, quæ dabat ei esse formale. Et sic non poterat deficere, nec corrumpi. Secunda ratio est : nam anima Christi semper videbat Verbum *visione matutina* : in quo infallibiliter videbat omnia futura contingentia tanquam præsentia. Et sic videbat futuram Resurrectionem secundùm æternam & divinam voluntatem. Et sic ab instanti suæ creationis illa anima fuit certa de recuperatione sui corporis, & per consequens de sua Resurrectione : hoc est ergo, quod dicit Chris- D
tus in quantum homo in hac parte. Unde E
ait : quamvis *renes mei*, & consanguinei Judæi *increpuerunt* : id est, persecuti sunt *me usque ad noctem*, id est, usque ad mortem, & finem vitæ, & etiam per totam illam noctem me afflixerunt in domo *Annæ*, & *Caiphæ*, & *Pilati*, & in *Monte Calvariæ* crucifixerunt, & finaliter in sepulchro sepelierunt, & clauserunt : tamen semper fui certus de mea Resurrectione. Ratio est, quoniam *semper providebam Dominum in conspectu meo*, id est, Verbum junctum corpori mortuo in sepulchro. Et ideo *quoniam Dominus est mihi à dextris ;* nunquam *commovear*, nec corrumpar. Et nota, quòd aliter est Verbum junctum humanitati Christi, & aliter Pater. Nam Verbum personaliter, & Pater concomitanter, in quantum est idem essentialiter cum Verbo. Et ideo, tam Pater, quàm Verbum dicitur *à dextris Filii*, & de utro- F
que intelligitur hîc. Nam videns anima Christi Verbum esse unitum sibi indissolubiliter per incarnationem, & Patrem esse sibi *à dextris* per concomitantiam & favorem ; ideo certus de Resurrectione ait : *Quoniam à dextris est mihi, ne commovear*, nec corrumpar.

9. *Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea : insuper & caro mea requiescet in spe.* *Extra de reliq. cap. Unice, in Clementi.*

IN *spe*, dico, Resurrectionis propter rationes jam dictas : quia scio, G

10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* *16. q. 7. Hoc diximus & de conse. dis. 2. Revera Act. 13.*

NON *derelinques* animam meam in inferno ultra quadraginta horas : *nec dabis* Christum *sanctum tuum videre corruptionem* sui corporis in sepulchro : nec permittes ipsum incinerari. Et hoc propter rationes jam dictas ; & etiam quia ex merito suæ obedientiæ & Passionis meretur Resurrectionem. Et nota ; quòd spes quam habuit Christus de Resurrectione, H
non erat virtus theologalis propriè, eò quòd erat cum evidentia, in quantum suam Resurrectionem intuitivè tanquam præsentem videbat in Verbo : sed dicebatur spes æquivocè, in quantum eam cum desiderio expectabat prò salute fidelium.

11. *No-*

De conſe. d.5.c. Jejunium.

11. *Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua uſque in finem.*

HÆC eſt tertia pars, in qua Chriſtus agit gratias, ſe adeptum fuiſſe ultimam partem hæreditatis, ſcilicet, principatum in Cœlo, & ſuper omnes creaturas : & hoc in die Aſcenſionis. Unde eſt advertendum ſecundùm *Auguſtinum*: quòd ante Chriſti adventum Cœlum erat nobis clauſum, & via vitæ æternæ per Cœlum erat nobis ignota : quia nullius adhuc fuerat trita veſtigio. Sed poſt Chriſti Aſcenſionem facta eſt nobis via vitæ nota per Cœlum, quæ ante habebatur ignota : eò quòd Chriſtus fuit primus homo *qui penetravit Cœlos*, & aperuit nobis viam per eos. Tria ergo fecit Chriſtus in die Aſcenſionis. Nam primò penetravit, & aperuit nobis Cœlos, recipiendo tanquam Dominus poſſeſsionem pro nobis, & viam nobis aperiendo. Secundò : ſedet à dextris Patris in æternum, ubi accepit principatum in æternum ſuper omnes creaturas, & judiciariam poteſtatem ſuper homines & dæmones, in terra & in inferno. Tertiò : adeptus eſt nobis divinam viſionem, & fruitionem, & æternam felicitatem : quæ conſiſtit in tribus, ſcilicet, in manſione Cœli Empyrei. Secundò in viſione Divinæ Eſſentiæ. Tertiò, in ſummo & æterno gaudio, & quiete, & delectatione. Et de his Chriſtus agit gratias Patri, cum dicit : O Pater, gratias tibi ago, quoniam *notas mihi feciſti vias vitæ* in die Aſcenſionis, quando Cœlos penetravi, & viam membris meis præbui. Secundò : *adimplebis me lætitia cum vultu tuo* : in cujus viſione conſiſtit tota merces & felicitas. Tertiò : ſedebo *in dexterâ tuâ*, ubi erunt mihi delectationes & gaudium *uſque in* æternum, & *finem*.

Nota de Chriſti Aſcenſione.

Ex quibus patet, quòd in hoc ultimo verſu complectitur Propheta omnes partes beatitudinis. Nam per ly *notas mihi feciſti vias vitæ*, intelligit manſiones, quas pro nobis Chriſtus adeptus eſt in Cœlo. Et per ly *implebis me lætitia cum vultu tuo*, intelligit viſionem Divinæ Eſſentiæ, ex qua reſultat fruitio & ſumma lætitia. Et per ly *delectationes in dextera uſque in finem*, intelligit æternam delectationem, & ſecuram poſſeſſionem illius æternæ hæreditatis. Ex quibus patet, quòd totus iſte Pſalmus eſt gratiarum actio, quam agit Chriſtus Patri pro adeptione ſuæ hæreditatis, quam pro nobis adeptus eſt. Ex omnibus ſupradictis, tam in ſecunda, quàm in tertia parte patet, quòd Chriſtus non accepit hanc hæreditatem de novo pro ſe in ſua Reſurrectione & Aſcenſione. Nam totam hanc hæreditatem habuit à principio ſuæ conceptionis. Nam primò habuit principatum ſuper elementa : quia *venti & mare obediverunt ei*. Et etiam dæmones fuerunt ipſi ſubjecti, & homines, & Angeli, quando voluit. Item habuit ſecundam partem hæreditatis : quia ſi voluiſſet, nunquam fuiſſet mortuus, per rationes ſupradictas : eò quòd divinitas erat conjuncta humanitati. Et ſic poterat ipſam ſine morte conſervare : ſicut potuit mortuam ſuſcitare. Item, ſicut habuit poteſtatem animam ponendi & recuperandi: ita habebat poteſtatem retinendi eam in æternum in carne. Ex quo patet, quòd Chriſtus non mortuus eſt causâ recuperandi immortalitatem pro ſe, ſed pro ſuis membris. Nam ſi voluiſſet, abſque morte & paſſione fuiſſet factus immortalis, & impaſſibilis. Sed oportuit ipſum mori, ut hanc *hæreditatem* & immortalitatem ex meritis ſuæ paſſionis membris ſuis poſſet communicare.

Nota hęc quæ Chriſtus habuit in inſtanti conceptionis.

Ad majorem evidentiam eorum, quæ dicta ſunt, eſt advertendum : quòd quinque habuit Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis, ſcilicet, plenitudinem gratiæ, & ſapientiæ, & poteſtatis, & firmum propoſitum & decretum nos redimendi per ſuam paſſionem. Et exinde habuit quintum, ſcilicet plenitudinem meritorum. In quibus quinque nullo modo crevit nec profecit Chriſtus intenſivè & habitualiter quoad ſe ; ſed bene crevit & profecit extenſivè, & effectivè, & oſtenſivè quoad nos, illa quinque communicando & oſtendendo : ſicut ſol in aurora & ortu ſuo habet in ſe totam plenitudinem ſui luminis, & caloris, & virtutis : ſed in illis ſucceſſivè creſcit, & proficit quoad nos, ſucceſſivè accedendo. Et iſto modo dicit Euangeliſta, quòd *Chriſtus proficiebat*, & creſcebat *ſapientiâ apud Deum & homines* ſimul cum ætate, ſcilicet *apud Deum*, voluntatem Patris adimplendo; & *apud homines* prædeſtinatos, vocando, & juſtificando, & docendo, & per miracula ſuam poteſtatem oſtendendo.

Ex toto iſto Pſalmo poſſunt recolligi quindecim concluſiones.

Prima concluſio : quòd omnis creatura *indiget bonis Dei*, & non è contrario. Probatur : quia omnis creatura dependet à Deo in triplici genere cauſæ, ſcilicet, efficientis, formalis, & finalis.

Secunda concluſio : quòd Deus *mirificavit voluntates* & deſideria Chriſti *in ſanctis ejus*. Probatur : quia ſicut totum deſiderium Chriſti fuit adimplere voluntatem Patris : ita tota voluntas Patris fuit adimplere deſiderium & petitionem Filii.

Tertia concluſio : quòd licèt Chriſtus omnes homines vocavit ad fidem : tamen ſoli

soli electi *acceleraverunt* ad convertendum.

Quarta conclusio : quòd Christus *non sanguineos* & carnales congregavit in Ecclesia, sed solum justos. A

Quinta conclusio : quòd Christus *non scripsit, nec annotavit in libro viventium peccatores & carnales, sed solos spirituales.*

Sexta conclusio : quòd Christus per *calicem* passionis lucratus, & adeptus est *hæreditatem* Dei. Et sic non potest ipsi denegari.

Septima conclusio : quòd Christus hos justificavit & clarificavit, quos ab æterno Pater prædestinavit : & ideo non sunt justificati & clarificati nisi illi, super quos *ceciderunt funes*, & sortes prædestinationis.

Octava conclusio : quòd causa quare Christus non poterat incinerari, fuit unio Verbi cum corpore in sepulchro.

Nona conclusio : quòd Christus semper fuit certus de sua Resurrectione. Probatur hoc : quia non solum Resurrectionem, sed omnia futura contingentia tanquam præsentia videbat in Verbo ab instanti suæ conceptionis. B

Decima conclusio : si Christus voluisset, nunquam fuisset mortuus. Probatur. Nam sicut habebat potestatem ponendi animam, & assumendi : ita habebat potestatem retinendi semper eam in carne : quia Verbum animam in corpore sine senio & morte conservasset, sicut conservavit corpus sine corruptione.

Undecima conclusio : quòd Christus non fuit mortuus causâ recuperandæ immortalitatis pro se. Probatur. Quia si voluisset, absque morte fuisset factus immortalis & impassibilis ratione Verbi conjuncti: quod probatur. Nam ante passionem se ostendit immortalem, & impassibilem cum dotibus corporis glorificati : ut in Transfiguratione.

Duodecima conclusio : licèt Christus C ab instanti suæ creationis possideret ad libitum totam hæreditatem pro se : tamen oportuit ipsum pati & mori : ut illam hæreditatem ex meritis suæ passionis posset justis communicare, ut nos justè redimeret. Probatur. Quia diabolus non potentiâ, sed justitiâ fuit vincendus.

Tertiadecima conclusio : quòd solus Christus primus aperuit nobis viam per Cœlum ad vitam, & adeptus est nobis illam beatitudinem.

Decimaquarta conclusio : quòd tota beatitudo consistit in visione Divinæ Essentiæ. Probatur. Quia ex illa visione resultat summa fruitio, & delectatio, & quies, & æterna securitas. D

Quintadecima conclusio : quòd quinque habuit Christus in primo instanti conceptionis, scilicet, plenitudinem gratiæ, & sapientiæ, & potestatis, & meritorum, & sumum propositum & decretum patiendi pro nobis: in quibus non crescebat, nec proficiebat intensivè & habitualiter in se, E sed extensivè quoad nos per effectum, sicut Sol crescit passim, attingendo partes terræ.

Psalmus XVI.

De Conf. d. 1. cap. Quando autem ista mus.

1. *Exaudi Domine justitiam meam: intende deprecationem meam.*

Titulus : *Oratio David.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum, in quo aliquid petit. Et est primus, qui sic intitulatur. Unde Hebræi moderni dicunt, & quidam Catholici eos sequentes, quòd David fecit hunc Psalmum petens liberari de manu & ira *Saul*, allegando suam justitiam, & innocentiam. Et sic litteraliter exponunt ipsum de ipso David. Sed hæc expositio est primò inutilis, & negat David esse Prophetam. Secundò est falsa : quia ea quæ dicuntur hîc, F non possunt ipsi David convenire : quia nullus est justus & innocens, nisi Christus, & Mater sua. Ideo nullus alius potest allegare justitiam suam coram Deo. Item hoc contradicit illi, quod David dicit infra *Psal.* 42. *Non intres in judicium cum servo tuo Domine : quia non justificabitur in conspectu tuo &c.* Ex quibus patet, quòd ista verba non possunt verificari, nisi de Christo. Ideo est dicendum, quòd David per persecutionem suam prævidit in spiritu persecutionem Christi in capite & membris. Et ideo fecit hunc Psalmum in persona Christi: in quo introducit Christum, qui petit liberari in se per Resurrectionem, & in membris à persecutione Tyrannorum, tàm Judæorum, quàm Gentilium. Unde totus iste Psalmus est prophetia illius orationis, quam Christus fecit in horto, *Matth.* G 26. Et illius petitionis, *Joan.* 17. Tria ergo facit Christus. Nam primò petit in forma servi suam orationem exaudiri, allegando suam justitiam. Secundò petit liberari in sua Passione, & suam Ecclesiam in sua persecutione. Tertiò petit de persecutoribus ultionem. Secunda ibi : *Perfice gressus meos.* Tertia ibi : *Exurge Domine.* Quantum ergo ad primum, dicit Christus in forma servi : *Exaudi Domine justitiam meam*: id est, exaudi me secundùm justitiam & innocentiam meam, *qui peccatum non feci, nec inventus est dolus in ore meo:* Et *intende ad deprecationem meam.* Unde est differentia inter orationem & deprecationem. Nam *orare*, est aliquid petere in- H differenter : sed *deprecari*, est ab aliquo malo petere liberari. Ideo utrumque fecit Christus. Nam primò precatur liberari. Secundò orat, & petit præmium gloriæ pro se, & pro membris suis. Ideo ait:

2. Au-

De Conſe. d. 5. Non mediocri-ter.

2. *Auribus percipe orationem meam,* A *non in labiis doloſis.*

SED procedentem à rectitudine & devotione cordis: quia oratio & petitio mea eſt juſta & pura. Ideo ſubdit:

Extra de Appell. c. Ut noſtrũ, & ut Eccleſiaſtica Beneficia, c. Unico.

3. *De vultu tuo judicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.*

ROGO, inquit, ut judicium meum contra inimicos meos *prodeat de vultu* & notitiâ tuâ: quaſi, non permittas facinus impunitum. Sed *oculi tui videant æquitates*, & actiones meas juſtas: ideo juſtè judica, & diſcerne cauſam meam inter me, & B perſecutores meos. Nam

De Conſe. d. 2. §. Ex premiſſis.

4. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.*

TU *probaſti cor meum*, & *viſitaſti* me *nocte*, id eſt, in tota illa nocte Paſſionis, & *igne* tormentorum *me examinaſti*: quia fui captus, & tanquam latro ligatus, & in domo *Annæ* & *Caiphæ* alapis cæſus, & in domo *Pilati* deluſus & flagellatus &c. Unde in omnibus his per totam illam noctem fui *probatus* & *examinatus*, & *non eſt inventa in me iniquitas*, C nec aliqua culpa: in tantùm, quod *Pilatus* dixit: *Nullam in eo invenio cauſam* mortis. Et ſic fui bene impugnatus, & accuſatus, & percuſſus, & crucifixus ſine cauſa; quia nullum malum feci: quia implevi voluntatem Patris mei, & prædicavi veritatem. Unde in tantùm *non eſt inventa in me iniquitas*, nec mendacium, nec dolus,

22. diſt. ulti. cap. Quotiens.

5. *Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.*

D

UT *os meum non loquatur*, id eſt, non loqueretur verba hominum, ſed verba Dei, & *verba labiorum tuorum*. Nam qui loquitur verba hominum, id eſt, ad nutum & obſequium hominum, loquitur verba mendacia, & doloſa, & adulatoria. Sed ego nolui talia verba loqui, nec hominibus placere, & adulari: immò volui Judæos, & Phariſæos corrigere, & exprobra-E re: quia malui implere voluntatem tuam, ô Pater, quàm voluntatem hominum. Ideo *propter verba labiorum tuorum*, id eſt, quia implevi verba labiorum tuorum, prædicando eis veritatem: ideo *cuſtodivi*, id eſt, ſuſtinui, *vias duras*, id eſt, dura tormenta, & perſecutiones. Littera *Hieronymi* habet: *Cuſtodivi vias latronis*, quod idem eſt. Nam Chriſtus pœnas debitas latroni ſuſtinuit: quia fuit flagellatus, & crucifixus inter duos latrones, propter veritatem prædicandam, ſcilicet, quia magis voluit prædicare verba Dei, quàm verba hominum: id eſt, quia maluit corrigere, & reprehendere, quàm adulari, & blandiri; & ideo paſſus eſt pœnas duras.

Ex omnibus ſupradictis patet, quòd iſta oratio, & iſta verba non poſſunt verificari de aliquo puro homine, niſi de ſolo F Chriſto, ut demonſtrat *Auguſtinus*, *ſecundo de Baptiſmo Parvulorum*: quia *omnis homo mendax* & peccator, niſi ſolus Deus *mediator Dei & hominum*, *homo Chriſtus Jeſus* de debito, & Mater ſua per gratiam. Et ſic ſolus Chriſtus poteſt intrare innocens in judicium ante Patrem, & dicere verba ſupradicta. Et ideo ſolus eſt ipſe mediator, & poteſt interpellare pro membris, & per juſtitiam ſuam poteſt petere apud Patrem, ſua membra juſtificari: quod nulli alteri hominum convenit.

De Pœnit. di. 2. ca. Si quis.

6. *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis: ut non moveantur veſtigia* G *mea.*

HÆC eſt ſecunda pars, in qua poſtquam Chriſtus allegavit juſtitiam, & examinavit innocentiam ſuam, cujus intuitu Pater Cœleſtis confert ei omnia bona: nunc explicat ſuam petitionem. Unde duo petit. Nam primò petit gratiam & fortitudinem pro membris ſuis, ſcilicet pro fidelibus, ut ſint fortes, & conſtantes, & patientes in adverſis. Secundò, ut liberentur de manu perſecutorum, ibi: *A reſiſtentibus dexteræ*, &c. Unde nota, quòd cùm Chriſtus ſit caput Eccleſiæ, ſive corporis myſtici, & nos ſimus ejus membra; tamen iſta membra non eumdem actum habent, neque eodem modo membra dicuntur. Nam *alios dedit* Chriſtus in Eccle-H ſia *Apoſtolos*, *alios Euangeliſtas*, *alios Doctores*, & alios ſimplices: ideo Apoſtoli dicuntur uno modo *pedes* Chriſti; eò quòd Chriſtus per Apoſtolos ambulavit, & prædicavit Euangelium per univerſum mundum. Ideo Apoſtoli dicuntur, *Euangelizantium pedes* &c. *Iſai.* 52. & *ad Rom.* 12. cæteri autem fideles dicuntur *veſtigia* Chriſti, quaſi *impreſſio relicta* ex doctrina

&

& prædicatione Apostolorum. Sed quia Apostoli non potuerunt perfici in tali prædicatione, nec fideles converti, nec sustinere persecutionem, nisi ex gratia Christi, pro eis deprecantis, ut patet *Lucæ* 12. *Ego pro te oravi, Petre, ut non deficiat fides tua*: ideo propheticè orat hîc Christus pro omnibus membris, ut Apostoli dirigantur in tali prædicatione, & fideles populi convertantur, & persecutiones ubique constanter tolerent, & patiantur. Dicit ergo Christus: O Pater, *perfice gressus*: id est, Apostolos, & Discipulos, & Doctores *meos in semitis tuis* Euangelicis, per septem dona Spiritus sancti in die Pentecostes, ut intelligant Scripturas, & constanter prædicent veritatem: & *perfice eos* signis, & miraculis, & exemplo vitæ, & doctrinæ, ut *vestigia mea*, scilicet, populi simplicium, *non moveantur*, nec titubent à fide: sed ad ipsam veniant, ut in ipsa firmiter figantur, & permaneant. Quia

De Consec. dist. 2. c. Quando autem.

7. *Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.*

EGO *clamavi* in horto, & in mensa, rogando pro eis: ideo *tu Deus exaudisti me*: ideo *inclina* semper *aurem tuam*, & *exaudi verba mea*. Quasi dicat: Sicut *exaudisti me* in capite, me resuscitando; *exaudi me* nunc in membris, scilicet fidelibus, eos convertendo. Item sicut *exaudisti me*, eos convertendo: *exaudi me* nunc, eos de persecutoribus liberando, &

38. d. ca. Sedulo.

8. *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.*

MIrifica, id est, fac mirificas in eis *misericordias tuas*, eos mirabiliter à periculis liberando, *qui salvos facis sperantes in te*: id est, sicut consueviſti salvos facere *sperantes in te*, putà, sicut salvasti filios Israel de Ægypto, & in mari Rubro, & per totum desertum, & in terra promissionis tempore Josue, & Judicum &c. sic ergo custodi me in membris meis de persecutione Tyrannorum, & Hæreticorum, & *ab* omnibus *resistentibus dexteræ*, & potentiæ, & voluntati tuæ: & de *resistentibus* mihi, qui sum *dextera*, *custodi me*, dico, *ut pupillam oculi*. Nam sicut *pupilla oculi* habet à natura plures tunicas nervosas, & palpebras ad sui custodiam: ita tu da mihi, id est, membris meis dona gratiarum ad eorum custodiam, & defensionem, sicut *pupilla oculi* non patitur pulverem, nèque festucam: ita tu Pater non permittas Hæreses in Ecclesia, neque Schismata: sed ipsam redde *non habentem rugam*, *neque maculam*, neque aliquid hujusmodi.

9. *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.*

2. q. 7. Testes, §. Christus.

10. *Sub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt.*

11. *Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt: os eorum locutum est superbiam.*

Dist. 2. §. Opponitur

12. *Projicientes me nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.*

Dist. 2. §. E contrario.

13. *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: & sicut catulus leonis habitans in abditis.*

CUstodi *me* ab omnibus Hæreticis, & Schismaticis *resistentibus dexteræ tuæ*. Item *protege me sub umbra* & influentia *alarum tuarum*, sicut gallina fovet & protegit pullos suos sub alis, ne milvus rapiat eos: ita tu *protege me à facie impiorum* Judæorum, & Tyrannorum, & Hæreticorum, *qui me afflixerunt*, & Ecclesiam meam multis persecutionibus infestarunt, & *animam meam*, id est, Ecclesiam meam, *circumdederunt* sicut leo rugiens, fideles occidendo. Et hoc fecerunt ex abundantia bonorum temporalium, & potestate terrena; quia erant divites, & potentes: ego autem cum meis Discipulis eram simplex & pauper. Nam ipsi *concluserunt adipem suum*: id est, pingues divitias congregarunt. Et ideo cæteros contemnentes, *os eorum locutum est superbiam* contra me, rapiendo bona, & inferendo opprobria: & sic *projicientes me* à domo mea, *circumdederunt me* verberibus & plagis. Et *statuerunt declinare in terram*, id est, ad bona temporalia, spiritualia relinquendo. Et sic *circumdederunt me*, *sicut leo paratus ad prædam* circumdans ovem, ut laniet eam: ita ipsi *circumdederunt* fideles meos interficiendo, & bona diripiendo. Et nota, quòd tota ista persecutio verificatur de Christo Capite. Nam Judæi circumdederunt eum, & multotiens injuriis affecerunt, & ad terram in horto dejecerunt,

runt, & ligaverunt, & trahentes per terram ad *Annam* & *Caiphan* deduxerunt, & finaliter flagellaverunt, & crucifixerunt. A

14. *Exurge Domine prævени eum, & ſupplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.*

23. q. 5. §. ult.

De Punitione Judæorum.

IN hac tertia parte primò Chriſtus petit ultionem & punitionem de inimicis. Secundò petit præmium ſuæ Paſſionis, ibi: *Ego autem.* Quantum ad primum eſt notandum, quòd tàm Judæi, qui perſecuti ſunt Chriſtum in Capite, quàm Gentiles, qui perſecuti ſunt eum in membris, ſuerunt puniti, licèt diverſimodè. Nam Judæi rebellantes contra Romanos, per quadraginta annos paſſi ſunt multa diſcrimina, & ſeditiones, ut ait *Joſephus* in libro *de Bello Judaico.* Sed in fine quadraginta annorum in feſto Paſchæ fuerunt obſeſſi per Romanos, & fuerunt incluſi & præventi, non ſolùm Cives Hieruſalem, ſed etiam omnes, qui venerant ad feſtum ex diverſis partibus: & tandem poſt longam obſidionem, & cædem, & cladem fuit capta Civitas, & fuerunt trucidati decies centena millia, ſecundùm *Joſephum*, & totidem capti, & Civitas incenſa cum Templo, & à fundamentis everſa, & captivi fuerunt venditi, & diſperſi per mundum. Et ſic fuit ablatum à Judæis Sacerdotium, & Sacrificium, & Regnum: & hoc eſt quod dicit hic Chriſtus per os David: O Pater, *exurge* à longa patientia: quia jam expectaſti iſtum populum per quadraginta annos, & noluit venire ad pœnitentiam; ſed ſemper perſeveravit obſtinatus in ſua malitia contra Chriſtum & Eccleſiam: quia lapidavit *Stephanum*, & occidit utrumque *Jacobum*, & relegavit *Paulum* &c. ergo *exurge*, & *prævени eum*, in feſto Paſchæ incluſum, ne poſſit fugere. Nam ſicut ipſi prævenerunt me in feſto Paſchæ, quia ex parte noctis ceperunt me in horto &c. ita tu *prævени* iſtum populum per Romanos, & deſtrue Civitatem, & *ſupplanta* populum iſtum à ſedibus ſuis, & diſperge ipſum per mundum, & *eripe animam meam*, id eſt, me & Eccleſiam meam, *ab* hoc populo *impio* & crudeli, qui me crucifixit: & *eripe*, & auſer *frameam*, id eſt, gladium ſacerdotalem, & ſceptrum temporale à Judæis, *inimicis manus tuæ*: ſcilicet, *ab inimicis* Filii tui, qui eſt *manus* & dextera tua, cui volunt reſiſtere. Et tu

* *
*

* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *

15. *Domine à paucis de terra divide eos in vita eorum: de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.*

15. q. 1. *Non eſt.*

DOmine *divide*, & diſperge *eos* de terra ſua *à paucis:* id eſt, ex paucis; quaſi dicat: licèt ipſi ſint pauci reſpectu aliarum nationum; tamen ex paucis *divide eos* in multas partes; & diſperſi per omnes partes mundi, ſerviant cæteris nationibus, in oſtenſionem ſui ſceleris, in memoriam meæ Paſsionis: ut *in vita eorum* patiantur temporaliter in hoc mundo, & poſt mortem æternaliter in inferno.

Deinde ibi: *In vita eorum* incipit alia ſententia, ubi reſpondet tacitæ quæſtioni. Nam diceret aliquis: Si Judæi, & omnes infideles ſunt ita maledicti; quomodo ergo abundant divitiis temporalibus, & prole filiorum? Ad hoc reſpondet Chriſtus: quòd hoc ſit occulto Dei judicio. Et tamen bene poteſt reddi aliqua ratio: eò quòd ſunt diverſi fines inter fideles, & infideles. Nam Judæi, & omnes infideles, ponunt ſuum finem, & totam ſpem, & felicitatem in hoc mundo, non expectantes aliam gloriam, præter divitias & res mundanas. Et ideo noluerunt Chriſtum recipere, qui præcipiebat temporalia contemni, & cœleſtia deſiderari: & ideo apponunt totum deſiderium ſuum in pecuniis & divitiis congregandis, committentes uſuras & dolos abſque timore futuri judicii: & ideo de neceſsitate oportet, quòd abundent bonis temporalibus. Et ſic ſuſtinentur à principibus mundi propter munera, quæ recipiunt ab eis: ſed finaliter expoliant eos. Et etiam videmus, quod populi inſurgunt contra Judæos, & expoliant domos eorum: & quandoque interficiunt eos. Et ideo vivunt in continuo timore: & ſic divitiæ vertuntur in detrimentum eorum. Chriſtiani verò, quia timent Divinum Judicium, & vivunt ſecundùm Euangelium ex juſto labore, ponentes ſpem ſuam in bonis cœleſtibus: ideo non curant congregare theſauros in terra, ſed in Cœlo, ſecundùm conſilium Chriſti: quia ibi expectant beatificari. Dicit ergo Chriſtus in perſona ſui, & membrorum: O Pater, tu permittis, ut iſti Judæi, & homines mundani habeant aliquam felicitatem in hoc mundo, licèt cum damno ſuo: nam *venter*, id eſt, appetitus eorum, *adimpletus eſt de abſconditis tuis*, id eſt, de bonis temporalibus.

Judæorũ finis eſt in temporalibus.

* * * *
* *

16. Sa-

De Pœn. dist. 3. §. Quamquã & c. Quid ergo turbamur.

16. *Saturati sunt filiis: & dimiserunt reliquias suas parvulis suis.* A

SAturati *sunt*, id est, abundaverunt *filiis* in copia prolis: *& dimiserunt* post mortem *reliquias suas*, id est, bona relicta *parvulis suis*. Quasi dicat: licèt isti homines mundani abundaverint divitiis, & copia filiorum, & reliquerint filiis magnam hæreditatem ex male acquisitis, propter quod patiuntur pœnam æternam in inferno: tamen ego volui magis vivere pauper in hac vita, quàm rapere bona aliorum, ut vitarem pœnam æternam, & cum mea paupertate acquirerem divitias cœlestes. Et B ideo subdit:

De Confe. dist. 5. ca. Jejunium

17. *Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua.*

EGO *autem in justitia* mea, id est, quia justè vixi in hac vita: ideo justus *apparebo conspectui tuo*: id est, ante faciem tuam, in cujus visione consistit tota nostra felicitas, & fruitio. Et tunc *cùm apparuerit gloria tua*, ego *satiabor*, fruendo illâ summâ deitate, & illo summo bono: quo adepto, nihil est amplius quod desiderari queat. Ex quibus patet, quòd decepti fuerunt Judæi, & cæteri homines mundani, qui posuerunt spem suam in rebus terrenis, & corruptibilibus, quas brevi tempore possederunt, & secum deferre non potuerunt: sed parvulis suis cum magna damnatione eorum reliquerunt. Et notanter dicit, *de absconditis tuis adimpletus est venter eorum*. Nam bona temporalia dicuntur *abscondita*, vel *de absconditis Dei*; eò quòd occulto Dei judicio permittuntur etiam mali ista possidere, in damnationem sui. Et ideo Deus quandoque non permittit Justos bona temporalia possidere, ne eis male utantur, & damnentur. Ex quo patet, quòd paupertas est salubris, & utilis justis, sicut copia divitiarum est reprobis damnabilis, & nociva. Ex quibus omnibus patet, quòd Christus introductus ad loquendum in isto Psalmo, petit liberari in se, & in membris suis, de persecutione D malorum: & orat pro Ecclesia sua; ut in paupertate servetur in hac vita, tolerando persecutiones malorum, ut possit satiari bonis æternis in Regno Cœlorum.



E PSALMUS XVII.

1. *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.*

2. *Deus meus adjutor meus, & sperabo in eum.*

3. *Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.*

F

4. *Laudans invocabo Dominum: & ab inimicis meis salvus ero.*

HUIC Psalmo in 2. *Reg. c.* 22. præponitur Titulus sub hac forma: scilicet, *locutus est autem David Domino verba carminis hujus in die qua liberavit eum de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul: & ait: Diligam te Domine &c.* Et sic David prosequitur totum istum Psalmum usque in finem in toto illo Capitulo. Sed quia iste Psalmus datus est ad cantandum in Templo cum toto conatu vocum cum cæteris Psalmis: ideo David, sive Cantores addiderunt postea in principio Tituli hanc particulam, scilicet, *In finem puero Domini David, qui locutus est Domino verba Cantici hujus &c.* Et in hoc G conveniunt *Septuaginta*, & ipse *Hieronymus* in suis Translationibus. Ex quo Titulo habetur, quòd David fecit hunc Psalmum in senectute in fine bellorum suorum, postquam dedit studium cultui Divino, ut patet per totum discursum *primi* & *secundi Regum*. Nam *secundo Reg.* 22. inseritur totus iste Psalmus cum suo Titulo. Et ideo dicit *Rabbi Salomon* cum cæteris Judæis modernis, quòd propter nullam aliam causam fecit David istum Psalmum, nisi quia epilogat totum discursum vitæ suæ, agendo gratias Deo, quia liberavit ipsum de omnibus persecutionibus suis, & dedit sibi victoriam super omnes inimicos suos, ut videtur sonare littera totius Psalmi. Et sic omnes Judæi moderni exponunt istum H Psalmum præcisè litteraliter de David, & Regno suo. Et eos sequuntur quidam Catholici in expositione sua.

2. Reg. 22 ca. 2. infr. 117. 2.

Sed manifestum est, quòd talis præcisa litteralis expositio non solùm est inutilis Christianæ Religioni, sed etiam de se est manifestè falsa. Et hoc propter quinque. Primò, quia tollit dignitatem propheticam ab ipso David, & ab hoc Psalmo: quia ut sic non pertineret ad Sacram Scripturam,

nec

nec locutus esset David in spiritu prophetico in hoc Psalmo, nec præcepisset ipsum cantari in Tabernaculo & Templo cum A cæteris Psalmis, sicut pluries dictum est. Secundò, quia in Translatione Chaldaica hujus Tituli dicitur: quòd *locutus est David in prophetia verba carminis hujus &c.* Tertiò, quia finito Psalmo sequitur immediatè, 2. *Reg.* 23. *Hæc sunt verba novissima, quæ dixit propheticè David filius Isai egregius psaltes Israël, cui constitutum est de Christo Dei Jacob*: & sequitur infra: *Dominus per me locutus est, & spiritus Domini per linguam meam &c.* ubi manifestè ostenditur, David locutum esse propheticè in hoc Psalmo, & in cæteris. Quartò, quia ea quæ narrantur in hoc Psalmo, non videntur convenire ipsi *David* filio *Isai*: quia ipse non fuit liberatus ex Ægypto, nec in Mari Rubro, sicut memoratur in hoc Psalmo. Item, non potest convenire ipsi *David* illud, quod dicitur: *Et retribuet mihi Dominus* B *secundùm justitiam meam, & secundùm puritatem manuum mearum &c.* quia hoc soli Christo convenit: quia David non consuevit allegare justitiam, & puritatem suam, cùm dicat *Psal.* 142. *Non intres in judicium cum servo tuo Domine; quia apud te non justificabitur omnis vivens &c.* Quintò, hoc idem probatur per *Rabbi Cambi* Magistrum eorum, qui dicit: quòd omnes Psalmi qui intitulantur *In finem*, sive *ad vincentem*, loquuntur de Rege Messia, & latent in eis multa & profundissima mysteria de Rege Messia. Ex quibus omnibus patet, quòd David in hoc Psalmo non minus fuit Propheta, quàm in cæteris: nec loquitur principaliter de seipso, sed de Christo in Lege promisso. C

Et ideo pro vera intelligentia hujus Psalmi, & Tituli ejus, est advertendum, quòd David Propheta, postquam quievit ab omnibus bellis, & incœpit dare operam Divino cultui, & studio Sacræ Scripturæ, considerando afflictionem filiorum Israel dum erant in Ægypto: & quomodo fuerunt liberati, & educti per *Moysen* ex præcepto Domini: & quomodo fuerunt liberati in transitu Maris Rubri, *Pharaone* cum exercitu suo pereuntibus, in signis & portentis: & quomodo postea *Josue* introduxit illum populum in terram promissam, etiam cum magnis signis & portentis: prævidit David in spiritu, qualiter Christus in Lege promissus debebat liberare totum genus humanum de servitute peccati, & D educere fideles veteris Testamenti de Limbo inferni, & introducere eos in terram viventium patriæ cœlestis; & hoc per Mortem, & Passionem, & Resurrectionem suam. Ideo secundò David considerando & contemplando totum discursum vitæ suæ, & magnas persecutiones suas, & qualiter fuit liberatus de *Saul* & *Absalom*, & finaliter obtinuit victoriam de omnibus inimicis suis, & obtinuit totum Regnum super omnes Tribus Israel, & subjecit, & fecit sibi tributarios *Ammonitas*, & *Moabitas*, & *Syros*, & cæteros finitimos de populo Gentili: in tali contemplatione prævidit, qualiter Christus post Mortem, & Passionem, & Resurrectionem debebat obtinere Regnum totius orbis: & qualiter per *Apostolos*, & *Martyres*, & *Doctores* debebat sibi subjicere totum populum Gentilem: & repudiato populo Judaico, & dissipato, debebat fieri Caput totius populi Gentilis ad Fidem conversi. Ex omnibus ergo supradictis contemplatis, & consideratis, David assumpsit parabolam, & propositionem ad faciendum istum Psalmum de triumpho, & Regno Christi universali. E

Est ergo sensus Tituli hujus Psalmi: quòd *David prepheticè locutus est verba carminis hujus, postquam liberavit eum Dominus de manu Saul, & omnium inimicorum ejus &c.* Quasi dicat, quòd David in contemplando, qualiter Deus liberavit ipsum de manu Saul, & omnium inimicorum ejus, prævidit in spiritu, qualiter Christus post multas persecutiones, & Mortem, & Passionem, & Resurrectionem debebat liberare totum genus humanum de servitute peccati, & Patres de Limbo inferni; & postea erat adepturus totum Regnum mundi, & regnaturus super omnes inimicos suos. Et exinde accepit David parabolam, & propositionem ad faciendum hunc Psalmum: & dedit illum Cantoribus ad cantandum in Templo *in finem*, & *ad victoriam* vocum: eò quòd Lex vetus vocabat Christum cum omni conatu, G ut veniret ad redimendum, & liberandum genus humanum, & ut acciperet imperium totius mundi. In quo quidem Psalmo David introducit Christum, in quantum homo, ad loquendum, & agendum gratias Patri de Regno mundi, & triumphis sibi collatis: & de beneficiis à Patre receptis, pro se, & membris suis. In quo Psalmo David in persona Christi servat modum boni rhetoris, & oratoris, dividendo, sive compartiendo suum carmen in tres partes principales: nam primò præmittit proœmium, sive præfationem, in qua breviter, & in generali complectitur totam materiam dicendorum, agens gratias in communi de omnibus beneficiis receptis à Patre. Secundò prosequitur narrationem H suam, explicando in specie, & in particulari omnia beneficia recepta. Tertiò concludit Psalmum & carmen suum, gratias expressas agendo. Secunda ibi: *Circumdederunt me.* Tertia ibi: *Vivit Dominus, & benedictus.*

Quantum ergo ad primum est notandum secundùm *Augustinum*, quòd Christus in hoc Psalmo loquitur in forma servi, & in quantum homo, & ut persona com-

munis, & Caput Ecclesiæ. Et sic ut plurimum loquitur in persona totius Corporis mystici, & membrorum, in quantum non A solùm per se, sed pro suo etiam Corpore mystico accepit à Patre beneficia in hoc Psalmo memorata. Et ideo cum proœmium sit breviloquium dicendorum: sub novem vocabulis complectitur, & refert omnia beneficia, quæ accepit à Patre per se, & membris, ut captet benevolentiam in exordio, & præfatione suæ narrationis: sub quibus novem vocabulis substantivis, & adjectivis, appellat Patrem tanquam beneficum, & benefactorem suum. Unde primò vocat Patrem *fortitudinem*, in quantum recepit ab eo vires ad triumphandum de mundo & diabolo. Secundò vocat eum *firmamentum*, in quantum in eo fundantur omnia, & in eo *movemur*, & *sumus*. Tertiò vocat eum *refugium*, in quantum in omnibus tribulationibus ad eum confugimus. Quartò vocat eum *liberatorem*, in B quantum per Resurrectionem Pater eum & nos ab omni miseria & passione liberavit. Quintò vocat eum *Deum & Dominum*, quia Creator est & Rector. Sextò vocat eum *adjutorem*, in quantum præbuit nobis auxilia Sacramentorum contra diabolum. Septimò vocat ipsum *Protectorem*, ratione donorum Spiritus sancti, & gratiarum, & virtutum, quibus continuè nos protegit. Octavò vocat eum *cornu salutis*, in quantum propter humilitatem *exaltavit illum*, & *dedit illi nomen &c.* Nonò vocat eum *susceptorem*, in quantum eum à dextris in Cœlo recepit, & collocavit.

Nota de Beneficiis Dei sub specie vocabulis.

Dicit ergo Christus ad Patrem: O Domine Pater, ego simul cum membris meis *diligam te*; & teneor te semper diligere, & tibi gratias agere propter beneficia, quæ à te recepi. Primò, quia tu semper fuisti, & eris *fortitudo mea*, dando mihi & membris meis fortitudinem, & vires ad resistendum diabolo, & inimicis meis, & ad debellandum eos. Item secundò, quia tu es *Dominus*, & *firmamentum meum*. Tertiò es *refugium meum*: & quartò *liberator meus*: & quintò *adjutor*: & ideo *sperabo in eum*, scilicet, Patrem meum. Sextò est Deus Pater *Protector meus*. Septimò *cornu*, & victoria, & honor *meæ salutis*: & octavò est *susceptor*, & glorificator meus. Nonò est *Dominus meus* per creationem & gubernationem, in quantum ego sum homo. Et sic propter ista novem ego *laudans* cum fiducia *invocabo eum*, tanquam D *Dominum* & *fortitudinem* & *protectorem &c.* Et sic semper *salvus ero ab inimicis meis*: immò de omnibus inimicis meis & toto mundo triumphabo.

*** *** *** *** ***

E 5. *Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* *De Pœn. di. ult. in fine.*

6. *Dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis.*

7. *In tribulatione mea invocavi Dominum: & ad Deum meum clamavi.* *De Conse. d. 1. Quando, & di. 4. Nunq.*

8. *Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: & clamor meus* F *in conspectu ejus introivit in aures ejus.*

HÆC est pars narrativa hujus carminis, in qua Christus explicat particulariter in specie beneficia, quæ à Patre recepit, & accepit in persona sua, & membrorum suorum: in quo duo principaliter facit. Nam primò explicat beneficium humanæ redemptionis & liberationis, quod Christus adeptus est à Patre ex justitia per suam puritatem, & Mortem, & Passionem. Secundò explicat universalem dominium super totum mundum, & super omnes inimicos ejus, quod Christus meruit adipisci, & accipere à Patre propter suam obedientiam & humilitatem: quæ quidem secun- G da pars incipit 37. *versu*: ibi: *retribuet mihi Dominus &c.* In prima autem parte tria facit. Nam primò explicat miserias, & infirmitates, in quibus jacebat sauciatum genus humanum ante adventum Christi, quas traxerat ex Adam: & hoc dicit per parabolam, & figuram afflictionis, & servitutis, in qua erant Filii Israël in Ægypto. Secundò prædicit, & explicat liberationem & redemptionem totius generis humani de servitute peccati: & hoc per figuram liberationis Israël de Ægypto: & de oppressione, & periculo transitus maris Rubri. Tertiò ostendit, qualiter hanc victoriam adeptus est Christus ex justitia per suam puritatem & humilitatem. Secunda ibi: *Commota est*: Tertia ibi: *Et retri-* H *buet mihi Dominus.*

Quantum ad primum est notandum secundùm *Augustinum in hoc Psalmo*, & prout dictum est in Prologo: quòd tanta est unitas Christi ad sua membra mystica, quòd communicantur idiomata. Et ideo Christus omnia peccata nostra, & afflictiones, & miserias, & infirmitates nostras, quas traximus ex Adam, dicit esse suas, quan-

Aliena esse sua, quis dicit septem modis.

quantum ad pœnam. Unde est advertendum, quod septem modis contingit, ut quis aliena dicat esse sua. Primò modo, A tanquam *advocatus*: nam *advocatus* causam quam advocat, dicit esse suam. Secundò, *procurator* causam sui principalis dicit esse suam: quia pro illo laborat, & litigat, & recipit redditus, & solvit creditoribus, & agit omnes actus in persona illius. Tertiò *fidejussor*, debitum alterius dicit esse suum, eò quòd se obligavit solvere pro illo. Quartò, *caput* dolores membrorum dicit esse suos: unde dicit; doleo pedem, aut brachium. Quintò *vir*, aut *sponsus* causam uxoris, aut sponsæ dicit esse suam: & pro ipsa sumit bellum. Sextò *pater*, aut *mater* causam filiorum dicit esse suam. Septimò *Dominus*, aut *Rex* causam vasallorum dicit esse suam, & pro eis assumit bellum, & quandoque pro eis intrat duellum, & singulare certamen pro injuriâ eorum ulciscendâ, aut prædâ B repetenda. His ergo septem modis Christus omnia peccata, & omnes infirmitates, quas traximus ex Adam, dicit esse suas: non quoad culpam, sed quoad pœnam, & solutionem, in quantum pro omnibus his passus est, & exolvit pœnam.

Nota, quomodo Christus peccata nostra esse dicit sua.

Nam tanquam *fidejussor*, & *procurator*, & *advocatus* se voluit obligare solvere pro nobis, & defendere causam nostram. Et tanquam *caput*, & *pater*, & *sponsus* condoluit doloribus, & infirmitatibus nostris. Et tanquam *verus Dominus*, & *hæres* patris, cum diabolo congressus, suam hæreditatem repetivit, & liberavit: & injuriam paternam ultus est, & vindicavit, & de diabolo triumphavit. Et ideo dicitur *liberator*, & *liberatus* propter rationes supradictas: dicitur enim *liberator* in capite, & *liberatus* in membris: quia in eo omnes fuimus liberati. C Et sic est verum dicere, quod *dolores* nostræ *mortis circumdederunt* Christum in Adam, & nostra peccata *circumdederunt* eum in cruce: quia pro doloribus, & peccatis nostris mortuus est. Dicit ergo Christus in persona ipsius corporis mystici afflicti in Adam, & in persona fidelium existentium in Limbo inferni: Bene possum dicere, quòd Pater est *fortitudo mea*, & *refugium*, & *protector*, & *liberator meus*: quia ipse liberavit me ex omnibus infirmitatibus, & ex tribulationibus, quas in membris meis traxi ex Adam. Nam primò in Adam *circumdederunt me dolores mortis*: quia propter peccatum Adæ factus fui mortalis, incurrendo obligationem moriendi: & fui condemnatus ad duplicem mortem, scilicet corporis, & animæ. Secundò *torrentes iniquitatis conturbaverunt me*: nam sicut tempore pluviarum torrentes decurrentes cum impetu, rapiunt omnia quæ sunt in ripis: ita postquam Adam peccavit, *torrentes iniquitatis* ejus rapuerunt omnia bona mea gratuita, & vulneraverunt, & debilitaverunt omnes po- E tentias, & sauciaverunt sensualitatem & carnem veneno concupiscentiæ, & fomitis peccati: & sic fracta, & destructa sepe, & ripa, & muro originalis justitiæ, mansit liberum arbitrium claudicatum, & mansit corrupta tota natura, & caro mea; & judicium perversum, & vires perversæ, & totus ordo perversus: quia *quod nolo, quandoque hoc ago: & quod volo, non hoc facio*: quia caro, quæ deberet obedire, insurgit adversus spiritum: & sic possum dicere, quòd *torrentes iniquitatis* ipsius Adæ *conturbaverunt me*, & perverterunt totum ordinem in me.

Item tertiò *dolores inferni circumdederunt me*: quia fui ad pœnam inferni destinatus; etiam dolores inferni, & Sanctorum Patrum, qui erant in Limbo, *circumdederunt me. Et præoccupaverunt me laquei mortis* F ipsius peccati originalis, in cujus laqueo omnes filii Adam fuerunt capti & alligati. Et ideo in tot & tantis tribulationibus & afflictionibus constitutus, *invocavi Dominum* Patrem, *& ad Deum meum clamavi* per Patriarchas, & Prophetas, & omnes fideles veteris Testamenti, ut me de hac peste liberaret: sed tandem ipse Pater *exaudivit vocem meam de templo sancto suo*: scilicet de Cœlo Empyreo, & de consistorio Trinitatis: & sic *clamor meus* fuit *in conspectu ejus*, & *introivit*, & penetravit *aures ejus*, in tantum quod misit Filium suum in carne ad liberandum me per Mortem & Passionem.

Nota, quomodo Christus loquitur in persona sui.

Est tamen rursus advertendum, quòd Christus in supradictis, non solùm loquitur in persona membrorum, & sui corporis mystici, sed etiam in persona sui, in quantum Caput: quia ipse in quantum Caput, G fuit circumdatus *doloribus mortis*, & doloribus *inferni*, & *torrentibus iniquitatis &c.* sed diversimodè: nam membra Christi, scilicet nos, fuimus circumdati omnibus illis, quantum ad culpam, & pœnam: sed Christus non fuit circumdatus, nec vulneratus, nisi quoad pœnam tantùm, propter culpam nostram, in quantum pro omnibus nobis, & propter culpam nostram passus est, ut nos à culpâ & pœnâ liberaret. Et sic potest dicere Christus, quod *dolores* nostræ *mortis circumdederunt eum* in hac vita, & in horto, & in Cruce: quia ut nos à morte perpetua liberaret, *passus, & crucifixus est*. Et sic etiam circumdederunt eum dolores inferni: quia ut nos ab inferno liberaret, in H Cruce passus est. Et sic in toto isto Psalmo Christus quandoque loquitur in persona capitis tantùm; quandoque in persona membrorum; quandoque in persona totius, scilicet capitis, & corporis: sed diversimodè, ut dictum est, & patebit. Ideo advertat lector, quia iste Psalmus est vade dif-

difficilis ad extorquendam veritatem latentem in eo.

Nota. Iterum autem est advertendum, quòd A supradicti quatuor versus possunt referri ad afflictionem filiorum Israel, quam patiebantur in Ægypto, in quantum illa servitus & afflictio significabat servitutem peccati, in qua erat totum genus humanum propter peccatum Adæ. Nam sicut omnes Hebræi, qui erant in Ægypto, jam concipiebantur, & nascebantur in servitute, propter quam affligebantur, & tribulabantur ab Ægyptiis: ita omnes filii Adam concipiebantur, & nascebantur in servitute peccati originalis, & postea in adulta ætate affligebantur cæteris peccatis actualibus. Ideo sicut filii Israel clamabant ad Dominum, ut liberaret eos ex illa servitute, & afflictione, & dolore: ita pariter Patriarchæ, & Prophetæ, & fideles veteris Testamenti clamabant ad Dominum, ut omnes à peccato liberaret. Et sicut *clamor* filiorum Israel penetravit, & *introivit ad aures Dei: & Deus exaudivit eos de monte sancto suo*, & misit Moysen, qui eduxit, & B liberavit eos: ita pariter Deus audivit clamorem Patriarcharum, & Prophetarum; & misit Christum Filium suum, qui per Mortem, Passionem, & Resurrectionem liberavit genus humanum à peccato, & eduxit sanctos Patres de Limbo &c. Hoc ergo prævidens David in spiritu in illo mysterio servitutis Ægyptiacæ, dixit: *Circumdederunt me dolores mortis &c.* Et sic explicat clamorem Patriarcharum, & Prophetarum Christum petentium & vocantium per figuram afflictionis filiorum Israel existentium in Ægyptiaca servitute: unde accepit David parabolam & propositionem ad prædicendum, & propheticè explicandum captivitatem totius generis humani sub potestate diaboli, & omnium sanctorum Patrum in tenebris Limbi inferni: & C explicat omnes miserias, quas traxit genus humanum ex Adam, & omnes pœnas quas Christus passus est pro illo peccato. Nam sicut illud peccatum comprehendit nos omnes quoad culpam & pœnam de jure naturæ corruptæ: ita illud peccatum comprehendit Christum quoad pœnam tantùm, non de jure naturæ, cui Christus non obligatur; sed quia voluntariè ex charitate has pœnalitates & pœnas voluit pro nobis assumere. Et hoc explicat David in hac parte: quia Christus dicit, quòd illud peccatum comprehendit ipsum quoad pœnam tantùm, & omnia sua membra quoad culpam & pœnam.

* *
*

* * * * * *
* * * * * *
* * *

D 9. *Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.*

De Confe. d. 3. Iteratur.

IN hac parte explicat modum liberationis & redemptionis generis humani, & quomodo Christus triumphavit de diabolo: & hoc per figuram liberationis Israel de Ægypto, & de Mari Rubro: eò quòd illa liberatio fuit figura generalis redemptionis. Nam secundùm *Apostolum Judam in Canonica sua*, idem Jesus, qui eduxit Israel de Ægypto, liberavit totum genus humanum de servitute peccati. Nam Christus, sicut tunc liberavit nos in figura, ita postea nos liberavit in re: quia *omnia contingebant illis in figura*, 1. *Colossens.* 10. Et ideo est advertendum secundùm *Leonem Papam in* E *sermone de Passione*, & secundùm *Augustinum*: quòd cum Christus sit *Agnus occisus ab origine mundi*, *Apocal.* 13. inde est, quod in figura jam fuit occisus in *Abel*, & vexatus in *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob*, & afflictus in *Ægypto*, & in Mari Rubro, & in *David*, & in omnibus Patriarchis, & Prophetis, & in omnibus membris suis veteris Testamenti, in quantum erant figura ejus: sed postea Christus fuit passus omnia illa realiter in se, quæ illi passi sunt in figura, & Fide Christi futuri: quia quod passus est figuraliter in illis, postea passus est realiter in se: & quod passus est realiter in se, passus est postea in membris suis novi Testamenti: quia propter Christum Martyres passi sunt tormenta, & persecutiones. Unde Christus jam factus immortalis & impassibilis, adhuc dicebat *Actor.* 6. *Saule*, F *Saule, quid me persequeris &c?* Et ideo, quia illa afflictio filiorum Israel, & illa liberatio fuit figura afflictionis, & Passionis Christi, & liberationis generis humani: & quia ibi fuit Christus in figura afflictus, & corpus mysticum Christi liberatum, & in figura redemptum: ideo Christus se dicit ibi afflictum, & liberatum; scilicet, afflictum in se, & liberatum in membris. Et ideo volendo explicare mysterium nostræ redemptionis, adducit figuraliter liberationem filiorum Israel de Ægypto, & Mari Rubro. Et sic utitur figura pro figurato, & signo pro signato: quia per afflictionem servitutis temporalis illorum, intelligit, & explicat afflictionem, & servitutem peccati totius generis humani. Et per liberatio- G nem temporalem illorum, intelligit universalem redemptionem factam per Christum: & sic utitur figura pro figurato, sicut frequenter facit David in Psalmis. Et hoc idem faciunt omnes Prophetæ, sed miseri, & cœci Judæi hoc capere non possunt. Et

Nota de figuris Christi.

ideo

ideo in hoc Pſalmo & in cæteris locis Sacræ Scripturæ dicunt multa inepta & falſa, implicantia contradictionem, ut patet. A

David ergo in perſona Chriſti, alludendo ad liberationem Iſrael, & utens figura pro figurato, dicit in hac parte; quod ſicut in illa liberatione *commota eſt, & contremuit terra*, & facta ſunt ſigna & prodigia in Mari Rubro in illa liberatione: ita multo majora facta ſunt per Chriſtum in inferno, & toto mundo in noſtra redemptione. Ideo ait, quòd ſicut tunc quando clamavit Iſrael in illa tribulatione Maris Rubri, videns ſe oppreſſum à *Pharaone* inter montes & mare, *clamavit ad Dominum, & Dominus exaudivit eum*, immittendo tempeſtatem in mare: quia tunc *commota eſt, & contremuit* tota *terra* Ægypti, & *fundamenta montium conturbata, & commota ſunt*: quoniam Deus eſt iratus eis, immittendo decem plagas Ægyptiis: B

10. *Aſcendit fumus in ira ejus: & ignis à facie ejus exarſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.*

1.q.4.c. *Homini*, § *Econtra*, & 23.q.5.§.*ult.*

FUMUS illarum decem plagarum *aſcendit* per totam terram Ægypti, *& ignis exarſit*, comburendo omnes arbores, & plantas, & fructus terræ Ægypti: in tantum quod ſicut *carbones ſuccenſi ſunt ab eo*, ut patet *Exod. à ſexto capitulo uſque ad undecimum.* Sed forſan totum hoc poteſt referri ad ſolam tempeſtatem factam in Mari Rubro ſuper *Pharaonem*, & exercitum ejus; & tunc eſt ſenſus: quòd dum *Pharao* perſequeretur illum populum, ut teneret ipſum anguſtiatum & oppreſſum inter montes & mare: tunc ille populus in illa tribulatione clamavit ad Dominum, *& clamor introivit in aures ejus:* & ſic *exaudivit* eos de Cœlo &c. Nam tunc *Moyſes* ex præcepto Dei percuſſit aquas, quæ diviſæ ſunt, præbentes iter, & ſic tranſivit ille populus illæſus ad aliam partem littoris. Sed cum *Pharao* cum exercitu ſuo perſequeretur eos per aridam inter aquas diviſas: tunc *commota eſt, & contremuit terra* circumquaque, & *fundamenta montium commota ſunt*: *quoniam* Dominus *iratus eſt* Ægyptiis: & illico mota eſt tempeſtas in aëre, & in mari. Nam *ignis exarſit à facie* Domini: id eſt, fulmina ignea apparuerunt in aëre, & in mari: & ipſi Ægyptii fuerunt combuſti & *ſuccenſi ab eo*, ſcilicet igne: vel à Deo, quaſi *carbones*. Et ſequitur: C D

E 11. *Inclinavit cœlos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus ejus.* 2.q.7.§. *Item objicitur.*

12. *Et aſcendit ſuper cherubim, & volavit: volavit ſuper pennas ventorum.*

13. *Et poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebroſa aqua in nubibus aeris.* 3.di.c.1.

14. *Præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt, grando, & carbones ignis.* 76.d.c. *Nonſatis*, &c. *Sequen.*

F

15. *Et intonuit de cœlo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam: grando, & carbones ignis.*

DEINDE explicat actorem hujus tempeſtatis, & dicit, quod Deus *inclinavit cœlos, & deſcendit*: quia ille Angelus qui ducebat caſtra, qui Deum repræſentabat, & per quem miracula faciebat, *poſuit tabernaculum* in illa nube & *aqua tenebroſa*, mittens fulmina & coruſcationes: & ſic *nubes* ardentes, & *grando, & carbones ignis tranſierunt* ſuper Ægyptios.

G 16. *Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipavit eos: fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* 23.q.4. *Quid faciet*, & ſequenti.

DOMINUS *miſit ſagittas ſuas* fulmineas, *& diſſipavit eos*, & *multiplicavit fulgura*, & coruſcationes: *& conturbavit eos*: & tunc fuit tanta motio & agitatio ventorum, quòd mare aperuit ſe, in tantum quod terra apparuit arida in medio maris.

17. *Et apparuerunt fontes aquarum, & revelata ſunt fundamenta orbis terrarum.* 27.q.1.c. *Impudicas.*

H

ID eſt, *apparuerunt* loca ubi ſituabantur aquæ: quæ quidem terra eſt fundamentum, & centrum totius orbis terrarum. Et converſus ad Deum dicit:

18. *Ab*

26.d. Qui in aliud, & de Pœ. d. 8. Nullus.

18. *Ab increpatione tua Domine, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.* A

O Domine, tota iſta tempeſtas facta eſt *ab inſpiratione ſpiritûs*, id eſt, venti *iræ*, & ſententiæ tuæ: quia miſiſti ſuper eos terribiles ventos, qui cauſarunt hanc tempeſtatem. Et nota, propter illud quod dicit: *Apparuerunt fontes aquarum &c.* quòd in profundo & ſolo maris manant & bulliunt multi fontes aquarum dulcium: qui fontes tunc apparuerunt in apertione illius maris. Deinde cùm dicit:

5.q. 5. c. Non omnis.

19. *Miſit de ſummo, & accepit me: & aſſumpſit me de aquis multis.* B

DESCRIPTA tempeſtate, & diſſipatione Ægyptiorum, memorat liberationem Iſrael, dicens in perſona illius populi: quòd Dominus *miſit* auxilium *de ſummo* Cœlo, *& aſſumpſit*, & liberavit *me de* illis *multis aquis* Maris Rubri. Et quia tranſivi illæſus, non ſolum liberavit *me de* illis aquis, ſed etiam *eripuit me de* Ægyptiis *inimicis meis fortiſſimis*, & armatis, cùm ego eſſem inermis: *qui* quidem inimici *oderunt me*, *& confortati ſunt ſuper me*: quia fortiores me erant: & ſic *prævenerunt me in die afflictionis*, dum eram in Ægypto, mihi onera importabilia imponendo: & tamen *Dominus factus eſt protector meus*, quia liberavit me de illis anguſtiis, *& deduxit me in latitudinem* per loca ſpatioſa, uſquequò introduxit me in terram promiſſam: & hoc non fecit ex meis meritis, ſed ex gratia: *quoniam me* C *voluit* eligere in populum ſibi peculiarem.

Ex ſupradictis patet, quòd hæc littera non poteſt intelligi de ipſo David, quia ipſe non fuit liberatus in Mari Rubro. Et ideo eſt dicendum, ſicut priùs, quòd David non adducit iſtam hiſtoriam gratiâ ſui, ſed figuraliter, prout in illa prævidit in ſpiritu totum myſterium noſtræ redemptionis factæ per Chriſtum, ut patebit in littera ſequenti: & ſic ponit figuram pro figurato ſecundùm conſuetudinem Prophetæ. Et ideo videndum eſt totum myſterium figuratum, de quo principaliter intendit loqui Propheta in perſona Chriſti. Unde ait Chriſtus Caput noſtrum: quòd ſicut tunc *dolores inferni*, *& laquei mortis circum-* D *dederunt* Adam, & totum genus humanum, quando peccavit in eo: ita nunc in Paſſione *circumdederunt me* omnia illa mala, non quoad culpam, ſed quoad pœnam. Item ſicut Patres veteris Teſtamenti clamabant, ut ſanarentur: ita ego clamavi in

Nota de myſterio noſtræ redemptionis.

cruce apud Patrem, ut ſanarem, & liberarem eos. Item ſicut ille populus Iſrael oppreſſus in Ægypto, & in Mari Rubro E clamabat ad Dominum, ut mitteret eis auxilium de Cœlo: ita pariter clamabant fideles, & Sancti Patres veteris Teſtamenti ad Dominum in tenebris inferni, ut mitteret eis Salvatorem, qui eos liberaret. Item ſicut Deus *exaudivit vocem* illorum filiorum Iſrael, & miſit eis *Moyſen* ad liberandum eos: ita pariter Deus *exaudivit voces* Patriarcharum & Prophetarum, & miſit eis Jeſum Salvatorem ad redimendum eos.

Item ſicut Deus *inclinavit cœlos*, *& deſcendit*, ponendo, vel mittendo illum Angelum clauſum in illa nube inducentem illam tempeſtatem ſuper Mare Rubrum, & liberavit filios Iſrael, & fulminavit, & ſubmerſit Ægyptios: ita pariter Deus Pater miſit Filium ſuum latentem in nube humaF nitatis: in cujus Morte & Paſſione tota terra mota eſt, & *factæ ſunt tenebræ ſuper univerſam terram ab hora ſexta uſque ad nonam.* Unde anima Chriſti deſcendit ad inferos, *& miſit ſagittas ſuas*, & fulmina ſuæ poteſtatis: & *ignis* inferni fugit *à facie ejus*, *& diſſipavit* dæmones, & damnatos, *& conturbavit eos*, & abſtulit eis prædam, expoliando Limbum, & Purgatorium. Et iſto modo liberavit fideles veteris Teſtamenti, & debellavit diabolum, & triumphavit de eo. Item ſicut tunc *miſit ſagittas ſuas*, *& diſſipavit* Ægyptios: ita poſt Paſſionem ſuam *miſit* multas plagas in Hieruſalem per illos quadraginta annos, & finaliter *miſit* exercitum Romanorum, *& diſſipavit* omnes Judæos in vindictam ſuæ mortis. Item ſicut in Mari Rubro *Dominus intonuit* ſuper mare, & ſuper Ægyptios, & aperuit G mare & tranſierunt Hebræi illæſi ſubmerſis Ægyptiis: ita pariter in die Pentecoſtes *Dominus intonuit* ſuper Collegium Apoſtolorum, & ſuper mare Sacræ Scripturæ, & fecit duodecim vias, qui ſunt duodecim articuli fidei, per quos tranſeunt omnes fideles per mare Sacræ Scripturæ. Item ſicut ille ventus aperuit mare, & diviſit aquas, & apparuerunt *fontes aquarum*, *& revelata ſunt fundamenta orbis terrarum*; de quibus fontibus dulcibus biberunt Filii Iſrael in illo tranſitu: ita pariter in die Pentecoſtes, quando *intonuit Dominus*, & aperuit Apoſtolis mare Scripturarum, diviſit aquas amaras cærimoniarum legalium, & *apparuerunt* tunc *fontes aquarum* dulcium, ſcilicet, duodecim articuli fidei, & H omnia myſteria & ſacramenta novi Teſtamenti, quæ ſub illis aquis amaris latebant. De quibus fontibus dulcibus, & Eccleſiaſticis Sacramentis omnes fideles novi Teſtamenti bibunt, & reficiuntur.

Item ſicut poſtquam tranſivit ille populus illæſus per illas duodecim vias, reverver-

verſæ ſunt aquæ ſuper Ægyptios cum illa terribili tempeſtate, & ſuffocaverunt, & diſſipaverunt eos : ita pariter poſt publicationem Euangelii, poſtquam Judæi noluerunt Chriſtum recipere, nec voluerunt de fontibus dulcibus bibere : reverſæ ſunt aquæ ſalſæ & amaræ cærimonialium & legalium veteris Teſtamenti, & ſuffocaverunt, & occæcaverunt, & *diſsipaverunt eos*, in tantum, quod circunciſio, & cætera legalia non ſolum ſunt eis inutilia, ſed etiam mortifera. Sed populus Chriſtianus qui tranſivit inter aquas per articulos fidei, fuit liberatus per Chriſtum : quia aperuit ipſi mare Sacræ Scripturæ. Ideo Chriſtus in perſona hujus populi Chriſtiani agendo gratias, dicit: Dominus Pater *miſit* Filium ſuum *de ſummo* Cœlo in carne, *& accepit me* per Incarnationem in unitatem ſuppoſiti, *& aſſumpſit* corpus meum myſticum in unitate myſtica : & ſic liberavit *me de aquis multis*, id eſt, de ſupradictis tribulationibus. Et nota, quod Filius in quantum homo poteſt dicere, quod Verbum Divinum *accepit eum*. Eò quòd *accepit* illam humanitatem in unitatem ſuppoſiti, & perſonaliter. Sed quia totus Chriſtus *accepit* Eccleſiam per fidem in quadam unitate myſtica : ideo in perſona membrorum poteſt dicere, quòd *accepit eum* tali unitate myſtica, & liberavit ipſum *de aquis multis*. Et ideo ſicut liberavit illum populum *de multis aquis* Maris Rubri : ita liberavit ſuos fideles veteris Teſtamenti *de aquis* tenebroſis Limbi & Purgatorii. Et ideo ſubdit Chriſtus in perſona membrorum:

Nota.

20. *Eripuit me de inimicis meis fortiſsimis, & ab his qui oderunt me : quoniam confortati ſunt ſuper me.*

Arg. 7. q. 1. Adverſitas.

21. *Prævenerunt me in die afflictionis meæ : & factus eſt Dominus protector meus.*

23. q. 4. Quid faciet, &c. Nimium.

22. *Et eduxit me in latitudinem: ſalvum me fecit, quoniam voluit me.*

ERIPUIT *me de* diabolis *inimicis meis fortiſsimis, qui oderunt me* ab initio : *quoniam confortati ſunt ſuper me:* quia in Limbo captum me tenebant, & *prævenerunt me*, & captivaverunt me *in die afflictionis meæ*, id eſt, *in die* peccati. Sed ly *in die afflictionis meæ*, poteſt ordinari cum littera ſequenti : ut ſit ſenſus, quòd *Dominus factus protector meus*, & adjutor *in die afflictionis meæ*, dum eſſem in Limbo, & Purgatorio. Nam exinde *eduxit me in latitudinem*, & libertatem, & *ſalvum me fecit*, non meis meritis, ſed per gratiam : *quoniam voluit me* redimere. Item totum hoc dicitur in perſona totius Eccleſiæ novi Teſtamenti : quia *eduxit eam* de peccato, & de ergaſtulo culpæ *in latitudinem* gratiæ, & ex meritis ſuæ Paſſionis *ſalvavit eam*. Et ſic patet, qualiter Chriſtus in perſona membrorum agit gratias Patri pro redemptione generis humani, adducendo figuram ſupradictam.

Sed contra fundamentum poteſt argui. Nam dictum eſt ſupra, quòd Jeſus Chriſtus qui liberavit populum Iſrael de Ægypto, ipſemet poſtea liberavit totum genus humanum de poteſtate diaboli. Sed in tota iſta parte videtur Chriſtus agere gratias, eò quòd Pater redemit & liberavit genus humanum : Ergo falſa eſt tota expoſitio. Ad hoc reſpondetur : quòd hoc eſt grande myſterium, quod cæci & miſeri Judæi non poſſunt capere, eò quòd cecidit ſuper eos ſpiritus iræ Dei.

In Chriſto duę naturæ.

Ad cujus intelligentiam eſt advertendum, quòd cum in Chriſto ſint duæ naturæ, divina ſcilicet & humana ; noſtra redemptio erat in divinitate, tanquam *in principio poteſtativo*. Sed erat in humanitate Chriſti tanquam *in principio meritorio* : quia poteſtas, & auctoritas relaxandi captivitatem & peccata erat in Patre : ſed merita erant in humanitate Filii, & in tota perſona: eò quòd illa redemptio facta eſt per merita Paſſionis Chriſti, in quantum Chriſtus obtulit ſuam Paſſionem pro genere humano, & Pater acceptando illam Paſſionem in pretium, relaxavit captivitatem. Et ideo Chriſtum, in quantum homo eſt, mundum redimere, nihil aliud fuit, niſi ſuam Paſſionem Patri pro nobis offerre : & Patrem genus humanum liberare, nil aliud fuit, quàm Paſſionem Chriſti in pretium acceptare, & pro illo pretio captivitatem relaxare. Et ideo in tali redemptione Chriſtus agit gratias Patri, eò quòd voluit Paſſionem ſuam in pretium acceptare. Et ſic Filius ſemper attribuit opus redemptionis Patri ſuo, non ſolum in redemptione, ſed in omnibus aliis ; eò quòd quicquid habet Filius, habet à Patre : ut magis patebit in parte ſequenti.



Arg. 23. q. 3. cap. Sex differentiæ.

23. *Et retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam, & secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi.* A

24. *Quia custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.*

9. q. 3. c. Aliorum.

25. *Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo: & justitias ejus non repuli à me.*

26. *Et ero immaculatus cum eo:* B *& observabo me ab iniquitate mea.*

ET *retribuet.* Postquam superius explicavit modum redemptionis generis humani per figuram liberationis Israel de Ægypto, & in Mari Rubro; hîc explicat, & ostendit, quo jure, & quibus meritis potuit liberare genus humanum, & congredi cum diabolo, & adipisci hæreditatem, & regnum mundi. Ad cujus intelligentiam est notandum secundùm *August.* 11. *de Trinit. cap.* 13. quòd diabolus non fuit superandus potentiâ, sed *justitiâ.* Sed est advertendum secundùm *Aristot.* 5. *Ethic.* quòd cum *justitia* sit *perpetua voluntas tribuens unicuique, quod suum est*: ideo duplex est *justitia.* C

Quid sit justitia, & quod multiplex sit.

Una dicitur *Legalis*: alia dicitur *justitia Particularis.* Justitia *legalis* consistit in operationibus, quæ fiunt secundùm legem, sive juxta legem: nam *justitia* dicitur à *juxta*: & illa operatio dicitur *justa*, quæ fit *juxta* legem: eò quòd non deviat à lege, nec à voluntate Legislatoris, qui intendit cives facere bonos: & sic *justa* dicitur omnis virtus. *Justitia* vero *particularis* est duplex. Una dicitur *commutativa*, quæ fit in commutationibus, & venditionibus; quæ consistit in proportione, & æqualitate commutatorum: quia tunc commutatio dicitur *justa*, quando fit juxta medium rei secundùm proportionem arithmeticam; scilicet, quod unum commutatum non excedat alterum in pretio, ut dicitur 5. *Ethicorum.* *Justitia* autem *distributiva* D sit in distributione dignitatum, & præmiorum bonorum communium, juxta meritum & proportionem meritorum, secundùm mensuram & proportionem laborum & virtutum: & hoc fit comparando res & personas secundùm proportionem geometricam, ut patet ibidem. Est ergo triplex *justitia*, scilicet, *legalis*, *commutativa*, & *distributiva.* Et ideo secundùm

Triplex justitia.

hanc triplicem justitiam Christus adeptus est totum genus humanum in hæreditatem, E & hoc triplici jure liberavit, & adeptus est genus humanum cum tota hæreditate paterna, scilicet, jure legali, & commutativo, & distributivo. Probatur: nam de *jure legali & hæreditario* proveniebat, & pertinebat ad eum tota hæreditas Patris: & per consequens justè potuit assumere bellum, & congredi cum diabolo pro injuriâ ulciscendâ, & prædâ repetendâ: ergo justè debellavit diabolum, & expoliavit infernum, & liberavit prædam, scilicet, fideles veteris Testamenti, quos injustè, & tyrannicè possidebat.

Secundò potuit liberare genus humanum *jure commutativo*, sive secundùm *justitiam commutativam.* Probatur: quia jus- F tum pretium obtulit Patri pro relaxatione illius captivitatis: nam obtulit seipsum, quod erat pretium infinitum. Primò, quia Deus, & homo. Secundò, quia innocens sine macula & peccato. Et ideo solus potuit auferre peccatum, & esse pretium pro peccato ratione puritatis. Unde ait *August. sup. Joann.* & *Psal.* 50. quòd *solus ille infans innocens esse potuit, qui non ex opere Adam natus est.* Et rursus: *Solus ille Agnus tollit peccata mundi, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Et ideo, quia Christus nunquam fuit obnoxius peccato in natura, nec in persona: ideo solus potuit esse pretium conveniens & justum pro peccato totius generis humani.

Tertiò adeptus est Christus totum genus humanum in hæreditatem secundùm *justitiam distributivam*, ex qua meruit to- G tum principatum mundi in præmium laborum suorum, & obedientiæ, & humilitatis: eò quòd semper implevit & fecit voluntatem Patris. Et sic patet, quòd tota justitia Christi consistebat in tribus, scilicet, in natura, quia Filius naturalis. Secundò in puritate & innocentia, quia omnino sine peccato. Tertiò in humilitate & obedientia, quia humiliavit *seipsum factus obediens usque ad mortem, ad Philip.* 2. Et ideo propter hanc triplicem justitiam, justè potuit Christus liberare genus humanum, & adipisci principatum totius mundi in hæreditatem. Et hoc ostendit David in hac particula. Unde ait Christus: *Dominus* Pater, quia est justus Judex, *retribuet mihi* hæreditatem generis humani *secundùm justitiam* H *meam*: quia secundùm justitiam legalem mihi debetur, & justè acquisivi eam: quia sum Filius naturalis: & ideo justè potui congredi cum diabolo pro præda repetenda, & pro injuria Patris ulciscenda: & sic jure potui genus humanum liberare, & de diabolo triumphare. Item etiam: Pater *retribuet mihi secundùm puritatem manuum mearum*, quia purum sacrificium & pretium pro genere humano ipsi obtuli in

Cru-

Cruce, *qui peccatum non feci &c.* Et per consequens secundùm justitiam commutativam Pater relaxavit captivam hæreditatem, & *retribuet mihi* eam. Tertiò modo: Pater retribuet mihi hanc hæreditatem secundùm justitiam distributivam, eò quòd fui humilis & obediens Patri, quia semper custodivi vias & præcepta Domini: *nec aliquid impiè gessi*, nec feci alienum *à Deo meo*, nec quod esset contra ejus voluntatem & legem: *nec justitias ejus repuli à me*: immò semper legem ejus ante oculos habui, & opere servavi. Et ideo semper *ero immaculatus* & purus sine peccato *coram eo, & observabo me* purum *ab iniquitate mea.*

23. q. 4. cap. Sex different.

27. *Et retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam: & secundùm puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.*

HÆC est secunda pars totius narrationis. Nam postquam Christus ostendit, qualiter ex supradicta triplici justitiâ meruit liberare genus humanum de servitute diaboli, & tenebris peccati: nunc in hac secunda parte ostendit, quomodo per eamdem *justitiam*, scilicet, propter *puritatem*, & obedientiam, & humilitatem meruit dissipare populum Judaicum, & inimicos suos, & subjicere populum Gentilem: & sic meruit regnum, & principatum totius mundi. Unde duo facit in hac secunda parte. Nam primò in generali præmittit conclusionem intentam. Secundò exequitur de intento, ostendendo, quibus armis fuit armatus à Patre, & quibus armis armavit Discipulos suos ad debellandum, & subjiciendum sibi totum orbem: ibi: *Quoniam quis Deus præter Deum nostrum?*

Quomodo Deus respicit humilia.

Quantum ad primum est advertendum, quòd cum Deus per naturam sit *excelsus*, & justus, & omnia alia sint infima respectu sui: ideo *humilia respicit, & alta* & superba *à longe cognoscit.* Et sic officium suum est humiliare, & deprimere superbos, & exaltare humiles: & *Parcere subjectis, & debellare superbos*; & sic in primordio mundi debellavit, & dejecit diabolum appetentem exaltari ultra meritum, & naturam sui. Et sic depressit *Adam* propter inobedientiam & rebellionem: sed quia Christus *seipsum humiliavit usque ad mortem factus obediens*: ideo Pater *exaltavit illum, & dedit illi nomen &c. ad Philip.* 2. Et sic patet, quomodo Deus *reddet* unicuique *secundùm justitiam suam.* Et dicitur metaphoricè, *superbus cum superbis, humilis cum humilibus*: eò quòd amplectitur humiles, & abjicit & deprimit superbos. Et sic ergo per eamdem *justitiam* Christus respondit unicuique secundùm humilitatem, vel superbiam suam. Nam salvavit populum Gentilem, quia humiliavit se ad credendum, & sic exaltavit eum: sed quia populus Judaicus ex superbia & malitia noluit se humiliare ad credendum Christo, & Euangelio: ideo Christus humiliavit eum, & dissipavit, & eradicavit à sedibus suis, & redegit ipsum in servitutem. Et hoc est quod dicit Christus in hac parte: Et *Dominus* Pater *retribuet mihi*, supple, regnum & principatum totius mundi: & hoc *secundùm justitiam meam* supradictam, scilicet, quia Filius naturalis, obediens, & humilis. *Et secundùm puritatem manuum*, & operationum mearum: quia *peccatum non feci, nec inventus est dolus in ore meo*, sed semper fui, & sum *inter mortuos liber*, & *factus fui obediens usque ad mortem in conspectu oculorum ejus.* Et deinde Christus conversus ad Patrem, subdit:

28. *Cum sancto sanctus eris: & cum viro innocente innocens eris.*

2. Reg. 22. & 45. d. Sed illud, & 24. q. 3. Resecante.

29. *Et cum electo electus eris: & cum perverso perverteris.*

O Pater, *cum sancto sanctus eris*, id est, quia semper eris benignus sanctis, tribuens eis præmium *secundùm justitiam suam: & eris innocens cum viro innocente*: quia sicut innocens nemini nocet; ita tu non nocebis ei: immò tribues ei præmium *secundùm innocentiam, & puritatem suam*: *& cum electo electus eris*, & justus, justè ei retribuendo: *& cum perverso eris perversus*, secundùm perversionem suam eum puniendo, & retribuendo pœnam pro culpa: nam sicut ipse se avertit, & recessit à te: ita tu avertes faciem tuam ab eo. Unde nota, quod *Deum esse sanctum cum sanctis*, nihil aliud est, nisi tribuere eis secundùm sanctitatem suam. Et *Deum esse perversum cum perversis*, nihil aliud est, nisi respondere eis secundùm perversionem, & superbiam suam. Et ideo sequitur:

93. dist. c. Dominus, & 90. q. 3. Nullus.

30. *Quoniam tu populum humilem salvum facies: & oculos superborum humiliabis.*

H QUoniam tu salvum facies humilem populum Christianum, & *humiliabis*, & dejicies, & reprobabis *oculos superborum* Judæorum, & aliorum obstinatorum: *Quoniam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Unde nota, quòd Judæi dicuntur superbi, eò quòd no-

luerunt inclinari ad audiendum Euangelium, confidendo de viribus suis, & præsumendo de scientia sua. Nam Christus venit ad declarandam Legem, & Prophetas: & ipsi totaliter ei conati sunt resistere, & contradicere. Et ideo, quia voluerunt resistere gratiæ, meritò obcœcavit eos malitia eorum, ne intelligerent sacramenta Dei. Unde ait *Apostolus*, 2. *ad Corinth.*4. quòd *opertum est Euangelium in his qui pereunt, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Euangelii gloriæ Christi.* Ex quibus patet, quòd Deus ita est *sanctus cum sanctis*, quòd humilibus dat gratiam, & *populum humilem salvat*: & ita est *perversus cum perversis*, quòd *superbis resistit*, subtrahendo gratiam, eò quòd ipsi superbi resistentes, nolunt eam recipere: & obcœcavit sic mentes Judæorum. Et ideo dicit Propheta: *Oculos superborum humiliabis*, id est, obcœcabis. Sed quia Apostoli fuerunt humiles & simplices, quia humiliter Christum receperunt, & audierunt: ideo *datum est eis nosse mysterium regni Dei &c.* Item, quia populus Gentilis voluit prædicationem humiliter audire, ideo de eo subdit Propheta:

De Pœn. d. 1. cap. Alii è contra, §. Nò potest. 3. q. cap. Nulli.

31. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.*

32. *Quoniam in te eripiar à tentatione: & in Deo meo transgrediar murum.*

AD cujus intelligentiam est notandum, quòd *lucerna* Christi fuerunt Apostoli, & Discipuli, qui per mundum lucem Euangelicam portarunt, qui exemplo vitæ, & doctrinæ totum populum Gentilem illuminarunt. De quibus ait Salvator, *Matthæi* 5. *Vos estis lux mundi*: per quam *lucernam* Christus *tenebras* populi Gentilis *illuminavit*. De quo populo tenebroso per lumen Euangelicum illuminato dicitur *Isai.* 40. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Et ideo subdit Christus in hoc Psalmo: O Pater, postquam tu humiliasti & obcœcasti populum Judæorum, & *illuminasti meam lucernam*, scilicet, Collegium Apostolorum: ideo per eos, & prædicationem eorum *illumina tenebras meas*, id est, populum Gentilem, qui hucusque *in tenebris ambulavit.* Et sic per talem lumen Euangelicum *in te eripiar à tentatione*, & persecutione: *& in Deo meo*, id est, in virtute Dei mei, *transgrediar*, & penetrabo *murum*, & potentiam populi Gentilis, & ipsum mihi subjiciam.

33. *Deus meus impolluta via ejus: eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.* *19. q. 2. c. Due.*

NAM quia *Deus meus* est, supple, impollutus, & justus, ideo *via ejus*, id est, Lex Euangelica, est *impolluta*, *non habens rugam*, *neque maculam*: & *eloquia Domini*, scilicet, verba Euangelica, sunt multiplici *igne examinata*, sicut dictum est *Psal.* 11. Ideo sunt tantæ virtutis, non solùm ad resistendum, sed etiam ad triumphandum, quia totum populum Gentilem Apostoli per verbum Euangelicum subjecerunt: quia Deus *est protector omnium sperantium in se.* Ex supradictis patet, quòd Christus per suam *justitiam*, & *humilitatem*, & *puritatem* meruit debellare diabolum, & liberare, & redimere genus humanum: & per eamdem puritatem & humilitatem meruit *transgredi*, & penetrare *murum* diaboli, & omnis peccati, tàm originalis, quàm actualis, & meruit *transgredi*, & superare *murum*, & potentiam, & superstitionem populi Gentilis, & ipsum sibi subjicere: & sic meruit regnum, & principatum totius orbis. Secundò ex supradictis etiam patet, quòd omnia verba supradicta nullo modo possunt litteraliter verificari, nec intelligi de ipso David filio *Isai*; sed de solo Christo, qui fuit justus, & purus, & semper humilis, & obediens Patri: per quam *justitiam* meruit liberare genus humanum, & adipisci populum Gentilem in hæreditatem, ut magis patebit in sequenti littera.

34. *Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?* *Ca. Quid culpatur. 23. q. 1. & 8. dist. cap. Quæ contra.*

POSTQUAM superiùs Propheta prædixit, qualiter Christus illa triplici *justitia* debellavit diabolum, & liberavit genus humanum, & adeptus est principatum totius orbis: in hac secunda parte ostendit propheticè, qualiter Christus quadruplici virtute debellavit inimicos suos obstinatos, & ejecit diabolum foras, & subjecit populum Gentilem. Ubi duo facit: nam primò ostendit, quibus armis & virtutibus fuit armatus, & armavit Apostolos, & Discipulos ad debellandos inimicos. Secundò exequitur de intento ibi: *Persequar inimicos.*

Quantum ad primum est notandum, quòd Christus quadruplici virtute armavit Apostolos & Discipulos, & quatuor genera armorum dedit eis ad debellandos inimi-

Christus armavit Apostolos quadruplici virtute.

micos, quando misit eos ad prædicandum per universum mundum. Nam primò tradidit eis Ecclesiastica sacramenta. Secundò A septem dona Spiritus sancti ad intelligendum Scripturas. Tertiò tradidit eis hoc nomen *Jesus*, in cujus virtute ineffabilia miracula faciebant, & fuerunt semper victores. Quartò tradidit eis Legem Euangelicam, in cujus lumine totum orbem illustrarunt. Quæ omnia quatuor patent, *Marci ult.* quando Christus dixit Apostolis: *Euntes in universum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris &c. In nomine meo dæmonia ejicient &c.* &, *Linguis loquentur novis.* Ex quibus patet, quòd hac quadruplici virtute armavit Christus Discipulos suos, quando misit eos ad prædicandum, scilicet, virtute Sacramentorum, & virtute septem donorum, & virtute *nominis Jesu*, & virtute Legis Euangelicæ: has ergo quatuor virtutes enumerat, & prædicit Propheta in hac parte, cùm ait in persona Christi: *Quis Deus præter Deum nostrum?* B *aut quis Dominus &c?* Quasi dicat: nullus est *protector omnium sperantium in se*, nisi solus Deus, & Dominus *Tetragrammaton*, qui est omnipotens, & sapiens, & misericors, & justus: ideo solus est ipse, qui est *protector omnium sperantium in se*: & ideo ipse est *Deus* potens, *qui præcinxit*, & armavit me *virtute* septem Ecclesiasticorum Sacramentorum ad sananda vulnera peccatorum: & ideo *posuit immaculatam viam meam.* Nam sicut ego fui absque omni peccato conceptus per naturam: ita ego per gratiam Sacramentorum regeneravi, & feci *immaculatam* Ecclesiam meam virtute Sacramentorum. Et nota, quod ly *quis Deus* debet ordinari cum particula præcedenti; ut sit sensus: *Quis est Deus protector sperantium in se præter Dominum* Adonaï? aut *quis Deus* fortis, & po- C tens *præter Deum nostrum*? Et ideo subdit:

13. q. 2. cap. 1. In præsenti.

35. *Deus, qui præcinxit me virtute: & posuit immaculatam viam meam.*

DEUS *noster est fortis, qui præcinxit & armavit me virtute* septem Sacramentorum. Et ideo *posuit immaculatam & innocentem viam meam*, ut habetur in Hebræo: quia Ecclesiastica Sacramenta reddunt hominem sine peccato. Secundò armavit me virtute septem donorum Spiritus sancti per Confirmationem.

*** *** ***

D 36. *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum: & super excelsa statuens me.*

De Pœn. d. 6. §. 2. De Confe. d. 4. cap. Quæris.

PERfecit *pedes meos*, id est, Apostolos, veloces ad ambulandum per mundum prædicando, *tanquam pedes cervorum, statuens me supra excelsa*, id est, in alto gradu & perfecto, ad aggrediendum excelsa & ardua: hoc dicit, quia in Confirmatione dantur septem dona Spiritus sancti, ad roborandum, & resistendum, & aggrediendum ardua & excelsa, contra mundum, carnem, & diabolum. Et ideo subdit:

2. Reg. 22 cap. Infra 143.

37. *Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti ut arcum æreum, brachia mea.*

E

QUI *docet*, & armat, & fortificat *manus*, id est, vires meas *ad prælium.* Et conversus ad Patrem dicit: Tu Pater, qui es fortis & potens, *posuisti* & fecisti *brachia mea* fortissima *ut arcum æreum*, & ferreum. Quasi dicat, quòd per ista septem dona Spiritus sancti fortificasti vires meas, quæ non possunt flecti ad contrarium, sicut arcus æreus. Fortificasti enim *brachia mea ut arcum æreum*, ad trahendum sagittas Euangelicas ad penetranda corda hominum.

13. q. 2. c. In præsenti.

38. *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: & dextera tua suscepit me.*

F

TERTIÒ *dedisti mihi protectionem, & clypeum salutis tuæ.* Ut habetur in littera *Hieron.* qui clypeus salutis est hoc nomen *Jesus*, quod interpretatur *Salvator*, quòd quidem nomen dedisti in protectionem. Et *dextera tua*, quæ est ipsemet *Jesus*, *suscepit & confortavit me*, ut habet littera *Hieronymi.*

5. q. 5. c. Mordacissimum.

39. *Et disciplina tua correxit me in finem: & disciplina tua ipsa me docebit.*

G QUARTÒ armasti me virtute & doctrinâ Legis Euangelicæ, quæ quidem disciplina & Lex Euangelica *correxit me* in membris meis ab omni vitio: & ipsamet *disciplina docebit* omnem virtutem: nam ipsa doctrina Euangelica perficit hominem, eò quòd simul corrigit, & docet:

corrigit enim, in quantum prohibet omne vitium: docet autem & instruit, in quantum præcipit omnem virtutem. Et ideo A

11. q. 1. c. *Si omnia.*

40. *Dilatasti gressus meos subtus me: & non sunt infirmata vestigia mea.*

CUM tali doctrina Euangelica *dilatasti* pedes meos, id est, Apostolos per totum orbem *subtus me*; & *vestigia mea*, scilicet, populi ad Fidem conversi, *non sunt infirmati:* immò per doctrinam Euangelicam fuerunt à peccato sanati, & ad omnem virtutem fortificati & roborati. Et appellat Apostolos *gressus* & *pedes*, eò quòd per eos peragravit, Euangelium prædicando: & *vestigia sua*, populos ad Fidem Christi conversos; eò quòd Apostoli, qui fuerunt pedes Christi, impresserunt vestigia ejus in illis populis per Baptismum, & prædicationem: quia in eis impresserunt characterem Fidei, Spei, & Charitatis: de quibus B *pedibus*, & *gressibus* dicit *Isai.* 52. quàm *pulchri sunt pedes annuntiatis pacem, euangelizantium bona*! deinde cùm subdit:

23. q. 4. *Si Ecclesia.*

41. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non convertar, donec deficiant.*

EXEQUITUR de intento. Unde ait Christus: Postquam Pater meus armavit me talibus armis sic invincibilibus, cum audacia *persequar inimicos meos* Judæos, & *comprehendam illos*, & *non convertar, donec deficiant*, id est, non revertar, nec cessabo, donec consumam eos.

C

3. q. 1. c. *Nulli.*

42. *Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.*

CONfringam *illos*, & superbiam illorum, *nec poterunt stare*, nec surgere, & *cadent subtus pedes meos.* Hoc dicit, quia postquam Judæi semel ceciderunt à regno, & sacerdotio, nunquam amplius poterunt surgere, nec sacerdotium, nec libertatem recuperare: sed semper erunt subjecti & captivi sub pedibus Christianorum. Est tamen advertendum, quòd ea quæ sunt dicta in his duobus versibus, licèt principaliter sint intelligenda de destruc- D tione populi Judæorum, tamen etiam possunt intelligi de destructione populi Gentilis, licèt aliter & aliter: nam in populo Gentili destruxit tantùm errorem, & detestabiles ritus: & suscitavit in eis Fidem, & lumen veritatis, & subjecit eos jugo Fidei, quæ est maxima libertas: Judæos autem destruxit quantum ad corpus, & E animam, & libertatem, & lumen mentis. Deinde cùm dicit:

15. q. 1. *Non est.*

43. *Et præcinxisti me virtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtus me.*

ET *præcinxisti me virtute*, explicat modum destructionis & captivitatis Judæorum. Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd sicut Christus armavit Apostolos armis spiritualibus ad debellandum mundum, & diabolum, ut dictum est: ita pariter armavit *Titum* cum exercitu Romanorum ad destruendum cum armis temporalibus totum populum, & statum Judæorum. Ideo ait Christus ad Patrem: Tu Pater, *præcinxisti*, & armasti *me virtute*, F & potentia temporali *ad bellum* contra Judæos: & per *Titum*, & Romanos *supplantasti*, & eradicasti, & disperdidisti Judæos insurgentes & rebellantes contra me, & subjecisti eos *subtus me*, & *dedisti mihi* Judæos *inimicos meos dorsum*, id est, ut sint dorsum, super quod sedent & calcant Christiani, & calcant tanquam servos, & captivos: quia dorsum eorum semper est incurvatum ad servitutem.

24. q. 1. *Miramur*

44. *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum: & odientes me disperdidisti.*

ISTOS Judæos *inimicos meos* me semper odio habentes, à sedibus eorum eradicasti, & *disperdidisti*: nam quosdam trucidasti, & G quosdam fame consumpsisti, & quosdam per mundum captivos dispersisti. Deinde cùm dicit:

38. d. c. *Sedulò.*

45. *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum: nec exaudivit eos.*

CLamaverunt. Explicat secundam plagam Judæorum: quia non solùm sunt reprobati & ejecti à Deo temporaliter; sed etiam spiritualiter. Nam ante adventum Christi, licèt multotiens fuerint flagellati, & captivati; tamen clamabant ad Domi- H num, & exaudiebat eos; ut patet per totum discursum librorum *Moysi*, & *Josue*, & *Judicum:* ut dictum est, in captivitate Babyloniæ, & persecutione Machabæorum: sed in hac captivitate post Passionem Christi, ita clausum est eis Cœlum, quòd orationes

nes eorum non exaudiuntur à Deo. Ideo in hac captivitate perseverant per mille quadringentos & triginta annos, qui enumerantur à Passione Christi usque ad hodiernum diem : quia translato sacerdotio & sacrificio, translata fuit etiam oratio; & sic *oratio eorum vertitur in peccatum:* quia non verum Deum adorant, nec orant, ut dictum est in *Psal.* 13. Et ideo quando Judæi clamabant ad Deum in illa obsidione Romanorum, *non fuerunt exauditi :* quia jam erat eis Cœlum clausum : quoniam extra Ecclesiam nemo exauditur, non solùm ad salutem spiritualem, sed nec etiam temporalem. Ideo dicit Christus, quòd Judæi in illa obsidione *clamaverunt, nec erat qui faceret eos salvos.* Nam in omnibus aliis oppressionibus & captivitatibus misit eis aliquem Salvatorem,& liberatorem: sed nunc non fuit, nec est, qui eos salvet: immò permisit Deus, eos vastari & deleri. Ideo sequitur:

A

B

23. q. 5. §. ult.

46. *Et comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti : ut lutum platearum delebo eos.*

COmminuam *ut pulverem ante faciem venti*, & dispergentur, & *delebo eos* de terra promissionis, & sacerdotio, & sacrificio, ut deletur *lutum platearum*, & projicitur extra Civitatem ad loca immunda : ita ipsi projicientur à Templo & sacerdotio, tanquam immundi & abominabiles Deo : & sic sacrificia & orationes eorum non erunt Domino acceptæ, immò abominabiles.

C

1. q. 4. c. Homi. §. E contra.

47. *Eripies me de contradictionibus populi : constitues me in caput gentium.*

Populus Judæorù quinque nominibus nuncupatur.

ERipies *me de contradictionibus.* Hîc prædicit electionem populi Gentilis, & obedientiam, propter rebellionem populi Judaici. Unde notandum, quòd populus Judæorum quinque nominibus nuncupatur, scilicet, *populus contradictionis & tentationis*, & *populus alienatus*, & *populus claudus*, *populus mendax*, & *populus inveteratus.* Primò dicitur *populus contradictionis*, quia semper Deo contradixerunt; ut patet *Numer.* 20. *apud aquam contradictionis:* quia non poterant credere, Deum posse eis elicere aquam de petra, quod fuit signra; quia cum vera petra veniret, scilicet Christus, ipsi erant contradicturi. Nam viderunt exire à Christo veram aquam sapientiæ, & virtutis miraculorum ; & tamen non crediderunt, immò ipsi contradixerunt. Item dicitur *populus tentationis*, quia semper Christum tentaverunt : quia licèt viderunt doctrinam & miracula; tamen *adhuc signum de Cœlo quærebant tentantes*, ut patet *Matth.* 12. *Lucæ* 11. & sic semper eum tentaverunt: sicut tentaverunt eum in rupe Horeb, & tentaverunt decies in deserto; *Numer.* 13. Item dicuntur *filii alieni*, sive *alienati*: quia cum esset populus electus, & hæres, repudiavit hæreditatem, quando Christum in Lege promissum negavit; & sic alienatus est *à vulva Legis.* Item dicitur *populus mendax*, quia mentiti sunt Deo, & Legi : quippè promiserunt sub maledictione recipere Messiam in adventu suo: sed tamen crucifixerunt eum. Item dicitur *populus inveteratus* in malitia: quia ab initio semper patres eorum fuerunt rebelles, & occisores Prophetarum. Et sic ipsi secuti sunt eos, ut eis improperat Christus, *Joann.* 8. & *Matth.* 22. Item dicitur *populus claudus*: quia claudicavit & deviavit à semitis Legis, cùm Christum non recepit. Ideo bene meritò iste populus reprobatus est à Christo. Sed per oppositum populus Gentilis, qui nunquam habuerat Legem, nec Prophetas, illicò recepit Christum in adventu suo, nec ei contradixit : nec tamen vidit eum prædicantem, nec miracula facientem ; sed ad solam prædicationem Apostolorum obedivit Christo, & ipsum recepit. Et hoc est quod hîc dicit Christus in persona Capitis : O Pater, tu *eripies me de contradictionibus populi* Judaici, ipsum reprobando, *& constitues me in Caput* & Principem *gentium*, id est, populi Gentilis, ipsum eligendo : unde populus Judæorum dicitur *populus contradictionis*: primò, quia Deo contradicunt, cùm mihi contradicunt. Secundò contradicunt Legi & Prophetis, qui *de me scripserunt.* Tertiò contradixerunt Judæi sibi ipsis : nam *quidam dicebant quod bonus est, & alii quod non*, sed *seducit turbas.* Et sic schisma semper fuit, & erit inter eos. De his ergo contradictionibus propter hoc eripies me, illum reprobando, *& constitues me in Caput* populi Gentilis, ipsum eligendo.

D

E

F

G

14. q. 5. cap. Qui habetis.

48. *Populus quem non cognovi, servivit mihi : in auditu auris obedivit mihi.*

COnstitues *me*, inquam, *in Caput* populi Gentilis : eò quòd ille populus Gentilis, *quem non cognovi*, quia Legem ipsi non dedi, nec apud eum miracula feci, nec ego in persona ipsi prædicavi ; tamen *in* solo *auditu* ex prædicatione Apostolorum *obedivit* & servivit *mihi*, Legem Evangelicam & Baptismum recipiendo. Ideo mihi ipsum desponsavi,& univi per Fidem: & populus qui erat alienus, factus est proprius: sed oppositum fecit populus Judaicus.

H

49. *Fi-*

De Pœn. dist. 4. §. Finis.

49. *Filii alieni mentiti sunt mihi: filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis.*

NAM ipsi, qui erant filii proprii, quibus facta erat promissio hæreditatis, facti sunt *alieni*, me negando, & sic *alieni* & alienati *mentiti sunt mihi*, non servantes quod in Lege promiserunt, *Deut.* 18. *& per totum.* Item *mentiti sunt* Legi Moysis, & Prophetis, qui de me scripserunt. Et *inveterati sunt* in peccatis patrum suorum: quia fuerunt homicidæ, sicut patres eorum: nam sicut patres eorum occiderunt Prophetas, qui locuti sunt de Christo: ita ipsi filii occiderunt, & persecuti sunt Christum, de quo locuti sunt Prophetæ. Et sic *inveterati sunt* in malitia patrum suorum, qui semper Deo contradixerunt. Item *inveterati sunt*, quia B noluerunt in Christo revocari, nec servare Legem, immò *claudicaverunt à semitis suis.*

Christus finis Legis.

Unde nota secundùm Apostolum *ad Romanos* 10. quòd *Christus est finis Legis:* quia Lex & Prophetæ dirigunt in Christum tanquam in finem. Nam sicut omnes lineæ ductæ à circunferentia circuli terminantur ad punctum, medium, & centrum; ita tota Lex & Prophetæ terminantur in Christum, tanquam ad centrum & terminum Legis & Prophetarum. Unde omnia gesta & mysteria & dicta veteris Testamenti, dirigebant in Christum tanquam in terminum, & erant viæ & semitæ in eum. Et sic Lex duxit illum populum à Moyse usque ad Christum per semitas suas & præcepta. Sed quando Judæi fuerunt prope terminum, erraverunt, & C *claudicaverunt à semitis suis*, quando ipsum Christum & terminum negaverunt. Et sic *erraverunt ab utero*, & via, & semitis Legis; & *locuti sunt falsa*, cùm dixerunt: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem:* &, *hunc nescimus unde sit &c.* Unde nota, quòd *claudicatio* hujus populi fuit figurata, *Gen.* 32. quando Jacob luctans cum Angelo mansit claudus pede: eò quòd emarcuit nervus fœmoris ejus: & sic gradiebatur uno pede recto & firmo, & altero claudo: per quod fuit figuratum, quòd una pars filiorum ejus debebat incedere pede recto: quæ fuit illa quæ recepit Christum & Legem Euangelicam, scilicet Discipuli, & cæteri conversi: sed altera pars mansit clauda & obliqua, scilicet, omnes negantes & obstinati, D quia *claudicaverunt à semitis* Legis in Christum dirigentis. Et sic bene meritò iste populus factus *alienus*, & *mendax*, & *claudus*, & *contradicens*, fuit reprobatus, & Gentilis factus obediens, & Capiti Christo incorporatus.

E 50. *Vivit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltetur Deus salutis meæ.*

De Pœn. dist. 1. §. Item si. versi resuscitatus

HÆC est tertia pars principalis & ultima, in qua Christus claudendo agit gratias in forma servi pro beneficiis receptis. Unde ait: *Vivit*, id est, vivat *Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur &c.* Unde nota, quòd Christus in hoc versiculo, in persona Corporis mystici, confitetur mysterium Trinitatis. Et ratio est: nam suprà dixit, quòd Judæi *mentiti sunt ei, & claudicaverunt à semitis suis.* Nam Judæi dicuntur *mendaces*, in quantum falsificant Legem, falso modo intelligendo & glossando, retrahendo & pervertendo à vero sensu. Et dicuntur *claudi*, in quantum incedunt uno pede recto, & alio F obliquo; nam incedunt uno pede sano, in quantum confitetur unum Deum, Creatorem Cœli & terræ: sed claudicant altero pede, in quantum negant Christum esse Deum & Messiam in Lege promissum, & Redemptorem, & Salvatorem omnium &c. sicut tota Scriptura testatur. Et sic negando Christum, negant totam Scripturam, & *claudicant* in ea. Et ideo Christiani habent fidem rectam, & Orthodoxam, qui confitentur Deum unum in substantia & essentia, & trinum in Personis, & Filium incarnatum, qui est Christus, Salvator, & Redemptor, & Messias. Et sic populus Christianus tenetur reddere & agere gratias Deo, qui dedit sibi talem fidem. Et ideo Christus in forma servi, & in persona Ecclesiæ confitetur omnes tres Personas in una essentia. Et primò confitetur personam Patris, cùm dicit: *Vivit* G *Dominus* Pater, supple. Secundò confitetur personam Spiritus sancti, cùm subdit: *Et benedictus Deus meus*, ad denotandum, quòd Spiritus sanctus est Deus. Tertiò confitetur personam Filii incarnati, cùm subdit: *Et exaltetur Deus salutis meæ:* ad denotandum, quòd Filius est Deus, & Salvator, & per consequens Deus & homo Messias in Lege promissus. Unde nota, quòd Patrem non appellat *Deum*, sed *Dominum*, sive *Adonaï*, eò quòd in hoc loco scribitur cum quatuor litteris; quòd nomen sic scriptum soli Deo competit. Sed explicando, appellavit Spiritum sanctum & Filium: ad denotandum, quòd sunt consubstantiales Patri, & inter se: sed specialiter appellat Filium *Deum salutis*: ad denotandum, quòd solus H est incarnatus, & passus &c. Et sic patet, quòd Deus est Trinus & Unus: quam fidem sola Religio Christiana profitetur. Et ideo ad denotandum, quòd omnes istæ tres Personæ sunt unus Deus in substantia, subdit Christus in forma servi:

51. *De*

Arg. 24. q. 1. cap. Quæ dignior.

51. *Deus qui das vindictas mihi,* A *& subdis populos sub me : liberator meus de inimicis meis iracundis.*

DEUS, in quam, *qui das vindictas mihi*, id est, tu es Deus trinus, *qui das vindictas mihi.* Quasi dicat : sicut liberasti David de manu Saulis, & Absalom, & cæterorum inimicorum, & dedisti ipsi de omnibus vindictam, & victoriam, & finaliter *subdidisti* omnes *populos* duodecim tribuum, & populos finitimos, scilicet, Ammonitarum, & Idumæorum, & Moabitarum : quæ omnia fuerunt in figura mei: ita tu es *Deus*, & *liberator meus de inimicis meis*, tàm Judæis, quàm Tyrannis *iracundis*, & persecutoribus, *qui das mihi vindictas* de eis : primò de Judæis. Secundò de Tyrannis, & finaliter *subdis* omnes *populos sub me* per fidem à solis ortu usque ad occasum. B

De Pœn. d. 3. Quamquam.

52. *Et ab insurgentibus in me exaltabis me : à viro iniquo eripies me.*

NON solum me liberasti de Judæis *inimicis iracundis*, sed etiam *exaltabis me* ab insurgentibus Tyrannis, & Hæreticis *qui contra Ecclesiam meam insurgent* ; & *eripies me ab omni viro iniquo*, tam Hæretico, quàm Tyranno, & persecutore. C

53. *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine : & nomini tuo psalmum dicam.*

IPSIS *propterea* Judæis meritò reprobatis, *confitebor in nationibus*, id est, in populo Gentili ; & *nomini tuo psalmum dicam* : quia Ecclesia congregata pro majori parte de populo Gentili, confitebitur *nomini tuo*, *Joann.* 10. quod dicitur *nomen Dei tetragrammaton*, ut dictum est *in Prologo*, *tractatu* 4. & *Psalmo* 13. septies in die cantabit tibi psalmodiam, & propria, divina, & canonica officia secundùm festivitates, ad honorem & memoriam Incarnationis, & Nativitatis, & Passionis, D & Resurrectionis &c. Et totum hoc faciam in Ecclesia ; eò quòd Deus Pater est

* *
*

E 54. *Magnificans salutes regis ejus, & faciens misericordiam Christo suo David, & semini ejus usque in sæculum.*

2. Reg. 25. Rom. 17.

MAgnificans *salutes regis ejus*, id est, quia semper *magnificavit Christum regem ejus*, & Messiam ab eo missum, in omnibus actibus humanæ redemptionis & *salutis* : quia magnificavit eum in Incarnatione, & in Nativitate, quando omnes creaturæ, & dæmones dederunt signa suæ Nativitatis, ut dictum est, & *magnificavit* ipsum Filium in Baptismo, cùm dixit: *hic est Filius meus dilectus &c.* hoc idem fecit in Transfiguratione. Item *magnificavit* ejus prædicationem per signa, & miracula. F Item *magnificavit* ejus Passionem: quia terra mota est, & petræ scissæ sunt, & factæ sunt tenebræ super universam terram &c. Item *magnificavit* ejus descensum ad inferos : quia fregit portas æreas, & vectes ferreos confregit, & cum triumpho & pompa nobili prædam recuperavit. Item *magnificavit* ejus Ascensionem, quando ascendit in altum captivam ducens captivitatem ; & Angeli dicebant : *quis est iste qui venit de Edom* ? Et sic Christus sedit à dextris Dei, & obtinuit universalem potestatem in Cœlo & in terra. Ex quo patet, quòd Pater *magnificavit salutes* Christi *regis ejus.* Item est *faciens* multas *misericordias suo David mystico.* Primò in Capite propter supradictas rationes: G quare liberavit ipsum ab inimicis, & dedit ipsi vindictas & victorias, ut dictum est. Secundò ex consequenti est semper *faciens misericordias semini Christi*, id est, populo Christiano per Baptismum regenerato. Et hoc durabit usque in finem : quia licèt Ecclesia passa sit multas tribulationes & persecutiones per Hæreticos & Tyrannos, & patietur usque ad Anti-christum: tamen Deus semper liberabit eam *finaliter*, maximè cum Christus restituet regnum Deo Patri, ad quod nos perducat &c.

Deus fecit Christo suo misericordias.

Ideo ait Christus : *Dominus* Pater, quia justus, *retribuet mihi hæreditatem* generis humani *secundùm justitiam meam*: quia de justitia legali, & jure hæreditario mihi debetur, eò quòd sum Filius natu- H ralis ejus. Ideo justè potui congredi cum diabolo pro injuriâ ulciscendâ, & prædâ repetenda. Et sic justè potui liberare genus humanum de captivitate. Item etiam Pater *retribuet mihi secundùm puritatem manuum mearum :* quia purum sacrificium & pretium obtuli ipsi in cruce ; quia obtuli me ipsum in pretium, *qui peccatum non feci &c.* Et per consequens jure commu-

mutativo, & secundùm justitiam commutativam relaxavit Pater captivitatem, & hæreditatem, & prædam: & retribuet mihi eam. Tertiò Pater retribuet mihi hanc hæreditatem *secundùm meam justitiam* distributivam: eò quòd ratione humilitatis & obedientiæ debetur mihi de jure & de justitia distributiva. Probatur: quia fuerim humilis & obediens: eò quòd *custodivi* semper *vias Domini*, *nec impiè gessi*, nec feci aliquid alienum *à Deo meo*, nec quod esset contra ejus voluntatem & Legem.

Nota. Ex toto isto Psalmo possunt recolligi sexdecim conclusiones in quibus consistit tota sententia hujus Psalmi.

Prima conclusio est: quòd Pater in omnibus fuit *fortitudo*, *& refugium*, *& protector*, *& liberator* Christi, in quantum est homo: non solum ratione sui, sed ratione membrorum.

Secunda conclusio: quòd omnes *infirmitates* & miseriæ & *dolores inferni comprehenderunt* Christum, quoad pœnam, sed non quoad culpam: sed comprehenderunt ejus membra quoad culpam & pœnam.

Tertia conclusio: quòd sicut Filii Israel *clamaverunt ad Dominum*, ut liberaret eos de illa servitute & afflictione Ægypti: ita Patriarchæ, & Prophetæ, & omnes fideles veteris Testamenti, clamabant ad Dominum ut mitteret Filium suum, & liberaret totum genus humanum ab afflictione & servitute peccati.

Quarta conclusio: quòd sicut Deus audivit vocem & clamorem filiorum Israel in Ægypto, & in Mari Rubro, & liberavit eos per Moysen: ita audivit clamorem fidelium veteris Testamenti, & misit Filium suum ad liberandum eos de servitute peccati.

Quinta conclusio: quòd Christus in hoc Psalmo dicitur *liberator & liberatus*, scilicet, liberator in Capite, & liberatus in membris.

Sexta conclusio: quòd Filius attribuit Patri totum opus nostræ redemptionis, in quantum acceptavit suam Passionem in pretium: quia nostra redemptio erat in Patre potestativè, & auctoritativè; & in humanitate Christi meritoriè & instrumentaliter. Et sic tam Pater, quàm Filius dicitur Redemptor noster.

Septima conclusio: quòd triplici jure Christus liberavit genus humanum, & adeptus est principatum mundi. Primò *jure hæreditario & legali*: eò quòd Filius naturalis. Secundò *jure commutativo*: quia justum pretium obtulit ratione puritatis & innocentiæ. Tertiò *jure distributivo*, ratione humilitatis & obedientiæ, & laboris: quia semper implevit voluntatem Patris.

Octava conclusio: quòd Deus dicitur *sanctus cum sanctis*, & *perversus cum perversis* effectivè, eò quòd unicuique tribuit secundùm justitiam & meritum, quia parcit humilibus, & debellat superbos. Et sic populum Gentilem humilem salvavit: & populum Judaicum superbum & obstinatum dissipavit, & subjecit.

Nona conclusio: quòd quadruplici virtute armavit Christus Apostolos, quando misit eos ad prædicandum, scilicet, virtute septem donorum Spiritus sancti, & virtute hujus nominis *Jesus*, & gladio Euangelicæ doctrinæ ad ferienda corda hominem.

Decima conclusio: quòd his quatuor armis supradictis Apostoli debellarunt totum orbem, & Christo subjecerunt.

Undecima conclusio: quòd sicut Christus per Apostolos debellavit totum populum Gentilem; ita per Romanos debellavit Judæos.

Duodecima conclusio: quòd populus Judaicus non solum fuit dissipatus temporaliter, sed etiam spiritualiter: eò quòd omnia legalia sunt eis mortifera, & orationes inanes: immò odiosæ in blasphemiam apud Deum.

Tertiadecima conclusio: quòd ille populus bene meritò fuit reprobatus, quia semper Deo contradixit. Ideò dicitur *populus contradictionis* in utroque Testamento.

Decimaquarta conclusio: quòd triplex nomen sortitus est ille populus in hoc Psalmo in perniciem sui post adventum Christi. Nam primò dicitur *mendax*: quia in veritate Legis non stetit: immò fecerunt Legem mendacem, & Prophetas, & Deum, quando negarunt Christum. Secundò dicitur *claudus*: quia *claudicavit*, & deviavit in termino & fine Legis, qui erat Christus. Tertiò dicitur *alienus*: quia cum esset filius Abrahæ & Israel secundùm carnem, quibus facta fuerat promissio, ipse degeneravit, & factus est *alienus*, negando Christum. Quartò dicitur *inveteratus*: quia secutus est mensuram Patrum suorum, qui occiderunt Prophetas, & mansit obstinatus in sua malitia.

Decimaquinta conclusio: quòd Christus reprobato populo Judaico factus est caput populi Gentilis, qui ipsi obedierunt.

Decimasexta conclusio: quòd Christus de tribus triumphavit. Primò de diabolo, ipsum expoliando. Secundò de Judæis, ipsos reprobando, & dissipando. Tertiò de populo Gentili ipsum jugo fidei subjiciendo. Et sic patet tota sententia hujus Psalmi.

PSALMUS XVIII.

De Pœ. d. 2. ante finem.

1. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.*

TITULUS: *In finem, Pſalmus David.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Pſalmum, dirigens in Chriſtum, & Legem Euangelicam, qui erat finis Legis veteris. Ideo ſpretis, & omiſſis fabulis Judæorum de materia hujus Pſalmi, & ſequendo doctrinam *Apoſtoli, ad Rom.* 10. qui ex Scriptura hujus Pſalmi probat Euangelium eſſe publicatum per totum orbem: eſt dicendum, quòd David in hoc Pſalmo prædicit publicationem Euangelii, & perfectiones, & fructus ejus. Ad cujus intelligentiam eſt advertendum, quòd ſicut tota Eccleſia dicitur *unus homo myſticus:* ita pariter dicitur *unus mundus myſticus.* Nam ſicut totus iſte mundus ſenſibilis & viſibilis conſtat ex Cœlis & elementis pro membris, & ex ſole pro capite & principio omnium generabilium & corruptibilium: ita Eccleſia conſtat ex ſole, qui eſt Chriſtus *Sol juſtitiæ*; & Cœlis, qui ſunt Apoſtoli; & ſtellis, qui ſunt Doctores, & Sancti viri; & ex terra, qui ſunt populi fideles. Nam ſicut ſol influit & mittit virtutem ſuam in Cœlos, & ſtellas; & Cœli influunt in terram, & elementa: ita Chriſtus influit Euangelicam doctrinam, & Sacramenta in Apoſtolos, & Apoſtoli in populos. Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, contemplando diſpoſitionem hujus mundi ſenſibilis, fecit hunc Pſalmum: in quo tria facit. Nam primò prædicit publicationem Euangelii per Apoſtolos per univerſum mundum faciendam & hoc per diſpoſitionem Cœlorum, & curſum, & influxum ſolis. Secundò prædicit proprietates, & dignitatem, & perfectionem, & fructus, & præmium Legis Euangelicæ. Tertiò petit gratiam, ut valeat Legem Euangelicam obſervare. Secunda ibi, *Lex Domini.* Tertia ibi: *delicta quis intelligit?*

Eccleſia dicitur mundus myſticus.

Pſalmi diviſio.

Quantum ad primum eſt advertendum, quòd ſicut in mundo ſenſibili eſt dare diem, qui cauſatur ex illuminatione ſolis ſuper terram; & noctem, quæ cauſatur ex abſentia ſolis ſuper terram: ita pariter in Eccleſia, quæ dicitur *mundus myſticus & figuratus*, eſt dare unum diem, & unam noctem. Nox autem fuit ab Adam uſque ad Chriſtum, facta propter peccatum Adæ, & abſentiam ſolis, qui dicitur Chriſtus. Dies autem incepit à Baptiſmo & prædicatione Chriſti: quia tunc Chriſtus Sol juſtitiæ incepit mittere lumen Euangelicum, & influentiam Eccleſiaſticorum Sacramentorum ſuper univerſam terram. Et ſic facta eſt dies ex præſentia Chriſti, & Euangelii ſuper terram: de quo die & nocte ait *Apoſtolus, ad Rom.* 13. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit.* Item ſicut in nocte non apparet ſol, ſed ſolum apparet Cœlum ſtellatum, quod dicitur *firmamentum*, in quo tantùm videntur ſtellæ in illo fixæ, quæ ſtellæ, & maximè *Venus*, qui dicitur *Luciſer*, cum cæteris Planetis in nocte apparentibus prænunciant adventum ſolis, & diem futurum propinquum: ita pariter ſecundùm *Gregorium*, 1. *Moralium*, *cap.* 10. Chriſtus in nocte Legis veteris promiſit Patriarchas & Prophetas, tanquam ſtellas prænunciantes adventum ſuum. Et ſicut ſol in ſuo ortu pellit & fugat omnes tenebras noctis, & non amplius videntur ſtellæ, ſed omnia ſunt manifeſta in terra, & omnia videntur clara, tam Cœlum, quàm elementa; quia in omnibus manifeſtatur & apparet imago ſolis: ita pariter in adventu Chriſti ceſſaverunt omnes viſiones, & prophetiæ, & omnia quæ latebant ſub umbra & littera noctis veteris Teſtamenti, fuerunt in Chriſto per ipſum manifeſta & clara. Et ſicut tunc nox firmamenti, ſcilicet, Patriarchæ & Prophetæ prænunciabant nocti, id eſt Synagogæ, & illi populo, qui erat in nocte, ſcientiam & adventum Chriſti futuri: ita pariter Chriſtus, qui eſt verus dies, *eructavit verbum* Euangelicum *diei*, id eſt Collegio Apoſtolorum, jam in die gratiæ exiſtenti: & ipſe dies, ſcilicet Collegium Apoſtolorum, *eructavit*, & *enarravit* verbum Euangelicum *diei*, id eſt, toti Eccleſiæ, quæ jam ambulabat in die, & gratia, & lumine Chriſti.

Et hoc eſt quod intendit dicere David in hac prima parte. Unde ait: *Cœli*, id eſt Apoſtoli, à Chriſto, qui eſt Sol juſtitiæ, illuſtrati in die Pentecoſtes, *enarrant gloriam Dei*, in novo Teſtamento: quia per totum orbem prædicant Euangelium Chriſti, in quo manifeſtatur gloria, & omnipotentia, & ſapientia, & juſtitia, & miſericordia Dei. *Et firmamentum*, id eſt, cætus Patriarcharum & Prophetarum *annuntiat opera ejus.* Et eſt figura quæ dicitur *hyſteron proteron*, id eſt, *præpoſitio, & poſtpoſitio*: nam ſecunda clauſula debet præponi. Nam prius in veteri Teſtamento Patriarchæ prænuntiarunt hujuſmodi myſteria Chriſti & Eccleſiæ. Debet ergo littera ſic ordinari: quòd ſicut in veteri Teſtamento firmamentum, ſcilicet cætus Patriarcharum & Prophetarum annunciarunt opera Dei per Chriſtum facienda: ita pariter *Cœli*, id eſt Apoſtoli, *enarrant gloriam Dei*, & Legem Euangelicam in novo Teſtamento: quaſi dicat, quòd ea, quæ Lex vetus prænunciavit de Chriſto in veteri Teſtamento, eadem *enarrant* Apoſ-

toli, & prædicarunt esse completa in novo Testamento. Unde sicut Apostoli dicuntur *Cœli novi Testamenti*: ita Lex vetus dicitur A *firmamentum veteris Testamenti.* Unde nota, quòd hæc est differentia inter *scientiam*, & *verbum.* Nam *scientia* dicitur ut est in habitu intra intellectum absconsa. Sed eadem scientia dicitur *verbum*, in quantum ad extra per vocem manifestatur. Ita ergo pariter mysteria Christi & Ecclesiæ dicuntur *scientia*, in quantum erant in utero Legis veteris Testamenti absconsa ante adventum Christi: sed eadem mysteria dicuntur *verbum*, quando per Christum & Apostolos fuerunt in mundo manifestata. Ideo sequitur:

25. q. 5. cap. Relegentes.

2. *Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam.*

B DIES, scilicet Christus, *eructat verbum* Euangelicum ipsi *diei*, scilicet Collegio Apostolorum: & Apostoli *eructant* ipsummet *verbum* Euangelicum *diei*, id est, toti Ecclesiæ, quæ post adventum Christi incepit in die ambulare: *& nox*, scilicet Lex vetus, annuntiat, & prænuntiat *scientiam* Christi futuri ipsi *nocti*, id est, Synagogæ veteris Testamenti. Quasi dicat: sicut ante adventum Christi Lex Moysis prænuntiavit Synagogæ *scientiam* & mysteria Christi futuri, quæ in ea erant clausa: ita post adventum Christi *dies*, scilicet Christus & Apostoli, *eructant*, & manifestant verbum Euangelicum, in quo omnia legalia sunt manifestata & impleta. Quia ut dicit *Augustin.* in libro *de Catechizandis rudibus*, *Nil aliud est Testamentum vetus,* C *nisi occultatio novi: & novum Testamentum nil aliud est, nisi manifestatio veteris.*

Christus dicitur dies, & Apostoli horæ diei.

Et nota, quòd Collegium Apostolorum appellatur *dies* in hoc loco. Sed Christus magis dicitur *dies*, & Apostoli *horæ hujus diei.* Nam sicut dies artificialis habet duodecim horas; ita Christus, qui est verus dies, habuit duodecim Apostolos: & ideo Apostoli sunt *duodecim horæ diei*, qui est Christus secundùm *Augustinum sup. Joan.* 11. ideo dicit Christus Apostolis: *Nonne duodecim horæ sunt diei &c?*. Ex quo patet, quòd tàm Christus, quàm Apostoli dicuntur *dies.* Iterum est advertendum, quòd ly *nox nocti indicat scientiam*, maximè verificatur de Synagoga pro statu isto: nam D Synagoga cœca & tenebrosa vult *indicare scientiam* Legis ipsi *nocti*; scilicet populo cœco Judæorum: cùm ipsa sit cœca, nullam habens *scientiam*, nec intelligentiam Legis & Prophetarum. Item est advertendum, quòd per ly *firmamentum* potest intelligi Ecclesia simplicium: nam sicut Cœli mittunt suam influentiam ad terram, quæ dicitur fundamentum & centrum mundi: ita Apostoli miserunt influentiam Euangeli- E cam supra totam Ecclesiam toto orbe diffusam: in qua Ecclesia manifestantur Christi opera per miracula & Ecclesiastica sacramenta. Quasi dicat: sicut *Cœli*, id est Apostoli, *enarrant gloriam Dei* per prædicationem: ita *firmamentum*, id est Ecclesia, *annuntiat opera Dei*, quæ facta sunt in ipsa. Item iste versiculus potest referri ad principium nostræ miseriæ, & nostræ resurrectionis: nam tunc *nox nocti indicavit scientiam*, quando serpens tenebrosus dixit *Evæ*: *In quocumque die comederitis, eritis sicut Dii scientes bonum & malum.* Sed tunc *dies diei eructavit verbum*, quando Angelus Gabriel dixit: *Ave gratia plena, concipies &c.* Sed prima expositio videtur melior. Nam sequitur:

F 3. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* 45. d. c. ult.

NON *audiantur*, id est, non intelligantur *voces*, id est, idiomata *eorum*: quia in die Pentecostes receperunt Apostoli septem dona Spiritus sancti, inter quæ receperunt omnia genera linguarum. Et sic loquebantur variis linguis, nec fuit aliqua lingua eis ignota: nec lingua, quæ voces eorum non intelligeret: nec fuit aliqua pars mundi, nec provincia, quæ eorum prædicationem non audiret. Nam Bartholomæus & Thomas prædicaverunt in India majori & minori, citra, & ultra Gangem, & Matthæus in Æthiopia, & Andræas in G Syria: Jacobus in Hispania. Cæteri autem in medio terræ. Littera *Hieronymi* habet: *Non est dictum, nec sunt verba, quibus non audiatur vox eorum.* Et tunc est sensus: quòd vox Apostolorum fuit audita & intellecta per omnes linguas & nationes mundi. Ideo subdit:

4. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Ro. 14. d.

IN *omnem terram*, inquit, *exivit sonus*, id est, prædicatio *eorum*: *& in fines orbis terræ verba eorum* Euangelica. Et sic H nulla fuit pars in mundo, aut lingua, ad quam non pervenerit Euangelium, aut per Apostolos, aut successores eorum. Unde licèt Apostoli non transierunt ad Hunnos, & Gothos, qui habitabant in orbe ignoto & inaccessibili ultra *Meotidis* paludes: tamen in die Nativitatis omnia idola eorum clamarunt, Regem pacis & Dominum totius mundi fuisse natum in medio mundi.

Et

Et ſic congregati omnes Gothi & Hunni, duobus agminibus factis, relictis ſedibus, A tranſierunt Meoticas paludes ſuper aquas glatiales, & ſic pervenerunt ad partes noſtras, & per ſucceſſionem temporis Baptiſmum ſuſceperunt. Ex quo patet, quòd ex Divina Providentia illud factum eſt, ut poſſent audire vocem Euangelicam. Et hoc idem factum eſt apud Æthiopes. Unde *Virgilius in* 6.

Hujus in adventu jam nunt & Caſpia Regna
Reſponſis horrent divûm, & Meotica tellus,
Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.

B

Ex quo patet, quòd Lex Euangelica per totum mundum fuit publicata, & prædicatio Apoſtolorum per omnes linguas fuit manifeſtata: unde ſicut Deus per cœlos & ſtellas mittit naturales influentias ad generandum iſta inferiora, & vivificandum &c. ita pariter Chriſtus per ſuos Apoſtolos miſit ſuas ſpirituales & Euangelicas influentias in ſuam Eccleſiam toto orbe diffuſam, ad regenerandos fideles, & nutriendos, & conſervandos &c. Et hunc verſiculum allegat Apoſtolus, *ad Romanos* 10. ubi probat, Fidem Euangelicam per totum orbem ab Apoſtolis eſſe publicatam.

Diſt. 14. *Ita Dominus; & d.* 37. *c. fin. In glo.*

5. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* C

HIC oſtendit undè, & à quo iſti *Cœli* ſupradicti habuerunt & traxerunt hanc virtutem tam efficacem, & quis fuit ille qui fecit hunc diem in Eccleſia. Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd non ſolùm geſta Patriarcharum, & Prophetarum veteris Teſtamenti fuerunt figura Chriſti & Eccleſiæ, ut dictum eſt; ſed etiam productio & diſpoſitio creaturarum, & totius machinæ mundi, fuit figura Conceptionis & Nativitatis Chriſti, & noſtræ regenerationis, ut inquit *Auguſtin. contra Adverſarium Legis & Prophetarum*, ſicut magis patebit *Pſalmo* 103. Et ideo David volens oſtendere myſterium Nativitatis Chriſti, & modum publicationis Legis Euangelicæ, & univerſalem, & quaſi ſubitam illuſtrationem Eccleſiæ per Euangelium Chriſti: adducit in figura ortum Solis, & illuminationem, & curſum ejus, & gyrum ſuper terram: per quem gyrum & illuminationem cauſat diem: & loquitur hîc quaſi modo poëtico & figurativo de Solis ortu.

Nota. D

Unde eſt advertendum ſecundùm modum loquendi Poëtarum, quòd Sol eſt filius Auroræ: & Aurora eſt filia Noctis. Nam ex Nocte naſcitur Aurora, quæ eſt nobilior & clarior Nocte: ex Aurora naſcitur Sol, qui eſt clarior & nobilior quàm Aurora. Et ideo Aurora dicitur *thalamus Solis*: quia antequam oriatur, videtur tegi in thalamo Auroræ. Et ſic *procedit* ex Aurora, *tanquam ſponſus ex thalamo*. Verumtamen licèt Sol naturalis videatur tectus in illo *thalamo* Auroræ, quæ dicitur aër ſupremus & illuminatus: tamen Sol ſemper manet in ſua ſphæra, ſemper lucens ſine tenebris: nam talis apparentia eſt quoad aſpectum noſtrum. Item licèt videatur Sol quoad noſtrum aſpectum procedere & naſci ex Aurora Noctis: tamen E ortus & egreſſus eſt *à ſummo Cœlo*, in quo manet: quod quidem Cœlum eſt multo altius & ſuperius Aurorâ ipſâ. Et ſic Sol *procedens* ab Aurora, & egrediens *à ſummo Cœlo*, diſcurrit ſuper univerſam terram: & gyrans eam in viginti quatuor horis, regreditur ad eumdem locum. Et ſic cauſat diem, & illuminat partes terræ. F

Sol filius Auroræ.

Ita ergo pari ratione intendit & dicit David, quòd Chriſtus, qui eſt *Sol Juſtitiæ*, eſt Filius Mariæ Virginis ſecundùm humanitatem: quæ quidem Virgo dicitur *Aurora*, per puritatem & gratiam ornata, & nata ex nocte Legis veteris, ſcilicet ex tribu Juda, & ſtirpe David, & per conſequens ex utero Legis: & tamen ipſa non traxit tenebras noctis peccati, eò quòd in ea ſplendebat & lucebat Sol Juſtitiæ, & ipſam irradiabat per ſpecialem gratiam. Ideo Chriſtus non proceſſit ab ea, tanquam vir de thoro maritali & corrupto, ſicut nos omnes proceſſimus, ſed *tanquam ſponſus de thalamo* virginali. Et ſic uterus virginalis & intactus dicitur *Aurora*, & *Thalamus intemeratus*, à quo, & de quo Chriſtus proceſſit: & ideo dicit David, quòd Verbum æternum *poſuit* & præparavit *tabernaculum ſuum in Sole* humanitatis aſſumptæ: & ponitur tranſitivè. Quaſi dicat, quòd ipſe qui eſt *Sol*, poſuit ſe in tabernaculo humanitatis, & univit ſibi illam in unitate ſuppoſiti: & ſic humanitas facta eſt tabernaculum Solis æterni. Unde illa humanitas facta eſt *tabernaculum*, & facta eſt *Sol*, in quo Verbum æternum fulgebat mundo, ſicut lumen latens in laterna, fulget per laternam. Et ſic Verbum caro factum, *verus Sol* fuit *procedens de Aurora, & utero virginali, tanquam ſponſus de thalamo ſuo*, Matrem Virginem inviolatam & intactam relinquendo, ſicut ſponſus relinquit ſponſam virginem in thalamo in die deſponſationis, antequam copuletur cum ea in thoro maritali. Et ſic oſtendit David, quòd Chriſtus non proceſſit, nec fuit natus ex Virgine thoro maritali & corrupto: ſed de thalamo ſponſali, H

Nota de Virg. Maria.

& intemerato. Et dicitur Virgo Maria *Thalamus* Christi, propter pulchritudinem virginitatis, & diversitatem ornamentorum virtutum & gratiarum.

Sed ne quis crederet, Christum habere totum suum principium ex *thalamo Virginis Mariæ*, sicut blasphemavit *Ebion*, & *Cerinthus*, & *Judæi hodierni*: ideo subdit, quòd licèt Christus secundùm humanitatem & carnem processerit temporaliter ex Virgine Maria, sicut Sol ex Aurora: tamen secundùm Divinitatem, *egressio* & nativitas ejus est *à summo Cœlo*, id est, æternaliter à summo Patre. Nam sicut Sol quoad nos nascitur ex Aurora: tamen fuit semper ante Auroram, & semper manet in suo Cœlo altissimo: ita Deus Verbum æternum, licèt sit natus ex Matre de utero virginali secundùm carnem: tamen ab æterno nascitur & procedit *à summo* Patre, semper in eo manens. Nam licèt sit Christus natus in *Bethlehem* terra Juda, ex semine David secundùm carnem: tamen *egressus* ejus fuit à diebus æternitatis secundùm Divinitatem; ut patet *Miche.* 5. Et ideo dicit David, quòd licèt Christus processerit *tanquam sponsus de thalamo* virginali secundùm carnem: tamen ipse

Extra de Elec. cap. Fundam. lib. 6.

6. Exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio ejus:

7. Et occursus ejus usque ad summum ejus: nec est qui se abscondat à calore ejus.

EXultavit *ut gigas* fortis & potens, id est, extra Cœlum saltavit in uterum Virginis per Incarnationem: & factus est homo viator *ad currendam viam* hujus mortalitatis, & cucurrit per istam viam laborum per triginta tres annos: postea cucurrit finaliter per viam Mortis & Passionis pro nostra redemptione. Sed peragrato cursu hujus vitæ, & debellato diabolo; sicut *egressio ejus* fuit *à summo Cœlo* Patris: ita *occursus ejus* fuit *usque ad summum ipsius Patris*, prædam & triumphum secum reportando. Unde sicut *egressio ejus* fuit mirabilis, & progressus ejus per mundum fuit velox & fortis: ita *occursus* & regressus *ejus* fuit triumphalis in Cœlum per Resurrectionem, Ascensionem, & universalem jurisdictionem. Et sic Christus *Sol Justitiæ egressus à summo Cœlo*, & gyrans & perambulans viam hujus mundi, quæ antè erat tenebrosa, illuminavit eam per lumen Euangelicum, & calefecit eam ardore & calore suæ Passionis. Et sic per suum adventum, & per radios Euangelicos pepulit, & fugavit noctem, & tenebras veteris Legis, & peccati universalis, & causavit diem gratiæ super terram. Sed primò illuminavit Cœlos, id est Apostolos, & misit eos tanquam radios suos, & perlustrarunt populum Gentilem, ducentes diem Christi, & lumen Euangelicum per omnes partes mundi: in tantùm, quod nulla est regio, nec pars mundi, quæ *se abscondat à calore* & lumine *ejus*.

Objectio. Sed contra hoc arguunt Judæi, dicentes: quòd Lex Euangelica non pervenit ad omnes partes mundi: nam nos videmus, quòd Saraceni obtinent totam Africam, & Arabiam, & Syriam, & Assyriam. Et Tartari, quorum una pars est Idolatra, & altera sequitur sectam Saracenorum, obtinent omnes Indias, & totam Scythiam: igitur iste Psalmus non est intelligendus de publicatione Euangelii.

Responsio. Ad hoc respondetur, quòd isti non solùm loquuntur ex cœcitate mentis, sed etiam ex ignorantia historiarum: nam licèt ista prophetia non fuerit simul impleta, tamen per omnes partes mundi successivè fuit verificata. Nam primò, tempore *Augustini* tota Africa, & Ægyptus, & Arabia erat per Christianos habitata: immò hodie tota Æthiopia colit Euangelium: licèt secundùm ritum Jacobitarum, quorum magna pars habitat in Ægypto. Item omnes tres Indiæ ante adventum Tartarorum, colebant Euangelicam Legem, licèt secundùm ritum Nestoreitarum, ubi *Presbyter Joannes* præsidebat, qui modo habitat in regione *Sinarum*, qui est ultima regio nobis nota: unde omnes Indiæ, & tota Persia, & Media, & Mesopotamia, & Armenia, & magna pars Scythiæ est plena Jacobitis, & Nestoreitis, & multis aliis diversis sectis, & ritibus Christianorum habitantibus inter Infideles. Et sic patet, quòd ad omnes illas partes pervenit Euangelium. Ultimò autem, quia restabat Norvuegia, & Suetia, quæ erant partes absconsæ ad Aquilonem: ideo circa quadringentesimum annum receperunt Euangelium, & facti sunt Christiani. Ex quo patet, quòd nulla remanet pars in mundo, quæ non audierit famam Euangelii per Apostolos, aut per successores eorum, & in omnibus partibus mundi dominati sunt Christiani. Si autem perdiderunt magnam partem, quam occupaverunt Saraceni, & Turci, & Tartari; hoc non est ex defectu Legis, nec ex defectu hujus prophetiæ, quæ jam totaliter fuit impleta; sed ex defectu Christianorum, propter ingratitudinem, & multitudinem peccatorum: quia Deus jam fecit quod promisit, ut magis patebit *Psal.* 70. & 71.

**
*

8. *Lex*

D. 1. c. Omnes Leges.

8. *Lex Domini immaculata, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.*

A

Quia superiùs ostendit, Legem Euangelicam per totum orbem fuisse publicatam, & hoc per comparationem solis: nam sicut sol existens in Cœlo per suum cursum mittit radios per omnes partes mundi repræsentantes ipsum solem: ita Christus misit Apostolos, qui portarunt, & prædicarunt Euangelium & nomen suum per universam terram: & sic illuminarunt totum mundum per lumen Euangelicum. Et sic videtur, quòd Lex Euangelica sit lux hujus solis, qui est Christus. Et ideo in hac secunda parte explicat proprietatem, & perfectiones, & fructus Legis Euangelicæ.

B

Lex Euangelica quinque nominibus nominatur.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd *Lex Euangelica* quinque nominibus nominatur in hoc Psalmo. Primò dicitur *Lex*, in quantum fuit à Christo lata. Secundò dicitur *Testimonium*, in quantum fuit à Deo Patre approbata & testificata in Baptismo, & in Transfiguratione, cum dixit: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Fuit etiam testificata per Prophetas & Angelos, ut dictum est *in Prologo.* Tertiò dicitur *Justitia*, in quantum justificat ratione consiliorum, & mandatorum, & Sacramentorum. Quartò dicitur *Præceptum* ratione prohibitorum, quia prohibet omne vitium. Quintò dicitur *Judicia*,

C

in quantum tribuit præmium observatoribus. Ex quo patet, quòd una & eadem Lex habet multa nomina secundùm diversos respectus. Secundò est notandum, quod sicut lumen solis, sive radii solares faciunt septem effectus in istis inferioribus: primò, quia totum hemisphærium illuminant. Secundò, fugant omnes tenebras. Tertiò, manifestant omnia quæ latebant in nocte. Quartò, disgregant heterogenea, & congregant homogenea. Quintò, convertunt & attrahunt vapores ad se. Sextò, omnia vivificant, & generant fructus, & conservant. Septimò, penetrantes faciem terræ generant pretiosa metalla, & lapides pretiosos in visceribus terræ. Ita ergo pariter dicit David, quòd *Lex Euangelica*

Lex facit hos septem effectus.

D

fecit septem mirabiles effectus in mundo. Nam primò, quia ipsa *Lex Christi* est de se *immaculata* & pura: ideo segregavit granum à paleis, & fideles ab infidelibus, & purificavit fideles à peccatis, & convertit animas, & traxit ad Christum: ideo ait, quòd quia Lex Christi est *immaculata* & pura, ideo purificat, & est *convertens animas.* Secundò dicit, quòd *testimonium Domini* est *fidele*, id est, quod Lex Euangelica est *fidelis*, quia testificata per Legem & Prophetas, & per Deum Patrem, quando dixit: *Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite.* Ideo *præstat sapientiam* & lumen *parvulis* & simplicibus. Nam Apostolos ex parvis fecit magnos. Tertiò dicit:

E

9. *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*

De Pœn. d. 2. Unctio in gl. & de Consec. d. 2. Quia corpus. 23. q. 6. Schismatici, §. ult.

10. *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: judicia Domini vera, justificata in semetipsa.*

F

Justitiæ Domini, quantum ad consilia & mandata affirmativa, sunt *rectæ*: quia hominem rectificant, & perficiunt. Quartò lætificant corda hominum: quia virtuosus delectatur in sua operatione, 2. *Ethic.* Quintò, dicit quod *præceptum Domini*, scilicet Lex Euangelica, quantum ad præcepta prohibitiva, quia prohibet omne vitium, est *lucidum, illuminans oculos* mentis: quia ut sic discernit inter bonum & malum, & docet, quid fugiendum & vitandum, & quid agendum. Sextò: *Lex Euangelica* sanctificat, & vivificat hominem, constituens eum in *timore sancto*, & charitate erga Deum: qui quidem *timor Domini sanctus permanet in æternum* in homine.

G

Timor multiplex.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quod quinque modis dicitur *timor* in Sacra Scriptura. Primus dicitur *servilis.* Secundus *filialis.* Tertius *castus.* Quartus *gratus.* Quintus dicitur *timor sanctus.* Primi tres timores reperiuntur in domo patrisfamilias. Nam aliter timet servus, aliter filius, aliter uxor. Unde servus timet delinquere contra dominum, ne verberetur. Filius autem, ne abdicetur, & privetur hæreditate. Uxor verò timet delinquere, & adulterium committere, ne repudietur, & perdat amorem viri, sed ut diligatur ab eo. Et ideo primus *timor* dicitur *servilis.* Secundus *filialis.* Tertius dicitur *timor castus.* De quibus tribus timoribus est dictum *Psalmo* 2. Sed quartus *timor* dici-

H

tur *gratus*, in quantum beneficiatus timet offendere beneficum, à quo recepit beneficium; ne ei videatur ingratus. Quintus *timor* dicitur *sanctus*, in quantum est bene ordinatus respectu objecti. Et talis timor solum est respectu Dei. Nam quia solus Deus est à se, per se, & propter se, & omnia alia sunt à Deo creata, & per Deum conservantur in esse, & sunt propter

ter Deum, quia ad ipsum ordinantur: ergo solus Deus est de se, & per se, & propter se diligendus, & timendus; ne offendatur: A eò quòd omnipotens & bonus est per se, justus, & misericors, & creator, & conservator, & glorificator. Et iste *timor* ponit hominem in statu perfectissimo: & ideo dicitur *sanctus*, quia sanctificat hominem: etiam ordinat ipsum in Deum: quia *sanctus* dicitur *bene ordinatus*. Unde ita se habent per ordinem isti quinque timores. Nam secundus *timor* est perfectior primo, & tertius secundo, & quartus tertio, & quintus est perfectior omnibus, eò quòd unusquisque aliorum habet aliquod proprium interesse, & sic patitur aliquem defectum secundùm magis & minus. Sed non est negandum, quin primi timores sint boni: nam bonum est timere offendere Deum, ne quis æternaliter damnetur, qui dicitur *timor servilis*; sed talis non est multùm meritorius. Et melius est timere Deum, ne perdamus felicitatem æternam; sed jam est melius timere offendere Deum, ne perdamus ejus amorem: quod pertinet ad *timorem castum*. Sed B forsan est melius timere offendere Deum, ne simus ingrati de tantis beneficiis receptis: quod magis accedit ad quintum: quia sic videtur, quod timeamus ipsum per se, & propter se. Sed absque dubio quintus *timor* est perfectissimus & ordinatissimus: quia servat speciem, modum, & ordinem: & ideo dicitur *sanctus*, & perficit, & sanctificat hominem: qui quidem *timor* continet quasi *timorem filialem*, & *castum*, & *gratum*: & ideo vel est idem quod ipsa charitas, vel consequitur charitatem: & ideo dicit Propheta, quòd iste *timor sanctus manet in sæculum sæculi*; qui quidem timor est effectus *Legis Euangelicæ*: nam sola observantia *Legis* constituit hominem in isto sancto timore. Ex quo patet, quòd observantia Legis Euangelicæ sanctificat hominem, quia constituit hominem in statu C perfectissimo: & sic Lex Euangelica dicitur sancta, quia ordinat hominem ad Deum: sive quia ordinat charitatem, & timorem Dei in ipso homine, quod idem est: & hæc est intentio Prophetæ in hac particula.

Septimò dicit Propheta, quòd Lex Euangelica dicitur *justificata in semetipsa* ratione judiciorum: eò quòd *judicia* facta in ipsa sunt *justificata in semetipsa*. Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd tria possumus intelligere per judicia Euangelica. Primò actum judicandi, quem fecit Christus in multis ad eum venientibus. Secundò, præmia tributa eis, talibus judiciis. Tertiò, promissa observatoribus Legis Euangelicæ: quomodocumque autem intelligantur & sumantur ista tria judicia, semper sunt D *justificata in semetipsa*. Nam primò, omnia judicia quæ Christus fecit, fuerunt *justificata*: quia nullus venit ad eum petens veniam de peccatis, quin abiret justificatus, & sanatus, ut patet de Magdalena, cui *dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit* E *multum*. Et ideo Christus judicavit inter eam, & Pharisæum, ostendens quomodo est justum, dare veniam petenti: ponens exemplum de *duobus debitoribus*. Et sic Christus mansit justificatus in suo judicio, & Magdalena abiit justificata in sua pœnitentia, ut patet *Lucæ 7*. Item justum fuit judicium, quod Christus fecit de *Adultera*, sive inter adulteram, & Pharisæos, accusantes eam de adulterio: nam postquam ipsa promisit non peccare, dixit ipsi: *Nec ego te condemnabo: vade, & amplius noli peccare, Joan. 8.* & misit eam justificatam. Et sic est dicendum de *Chananæa*, & *Latrone*. Et tale judicium de pœnitentibus commisit Petro, & toti Ecclesiæ, cùm dixit: quòd non solùm remittat peccata *septies pœnitentibus*, *sed septuagies septies*, *Matth. 18*. Ex quibus patet, quòd talia *judicia* quæ fecit Christus, & præcepit fieri in Ecclesia de pœnitentibus, sunt *justificata* semper F *in semetipsa*: quia humilitas & pœnitentia justificat hominem, & meretur veniam.

Secundò talia *judicia* sunt *justificata* ratione promissionum: nam Christus neminem fallit in promissis, quia semper ejus promissa fuerunt impleta: quia semper dedit, & dabit gloriam promissam observatoribus Legis, ut patet de Apostolis & Martyribus, per quos non solùm ante, sed etiam post mortem Christus ostendit multa miracula: per quæ possumus credere, eos obtinere gloriam & felicitatem promissam. Et sic Christus, & *Lex* Euangelica manet *vera & justificata* in suis judiciis & promissis. Ideo dicit Propheta, quòd *judicia Domini*, id est Lex Euangelica, quantum ad sua judicia & promissa, est *vera & justificata in semetipsa*: quia omnes pœnitentes justificat, & omnia promissa complet: quia omnibus observatoribus suis præbet gratiam in præsenti, & gloriam promissam in futuro. Tertiò dicitur justificata: quia præmiat ultra condignum, & punit citrà condignum. Ex supradictis patet, quòd si Lex Euangelica est sic *justificata in semetipsa*, semper dat veniam pœnitentibus, justificans eos per gratiam; & nunquam fallit in promissis, sed tribuit felicitatem promissam observatoribus suis, & præmiat ultra condignum: sequitur ergo, & subdit, & concludit Propheta, quòd *judicia* Legis Euangelicæ sunt

Per judicia Evangelica quid intelligatur?

H 

11. De-

11. *Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum : & dulciora super mel & favum.* A

12. *Etenim servus tuus custodit ea : in custodiendis illis retributio multa.*

Arg. 2. q. 1. c. Nomen Presbyteri.

Desiderabilia super, id est, magis quam aurum, & super omnem *lapidem pretiosum* : & sunt dulciora gustui spirituali : *super* ; id est, magis quàm *mel & favum. Etenim*, id est, propterea, certè *servus tuus* Christianus *custodit ea*, scilicet omnia judicia & præcepta Legis Euangelicæ. Primò, quia ipsa sunt justa de se, & B faciunt hominem justum. Secundò, quia *in custodiendis illis* datur *retributio multa* & magna : quia datur æterna felicitas in eis.

Septem perfectiones Legis Euangelicæ.

Per supradicta ergo patent septem perfectiones Legis Euangelicæ : scilicet, quòd est *immaculata*, *fidelis*, *recta*, *lucida*, *sancta*, *justificata*, & *desiderabilis*. Item explicat Propheta septem effectus Legis Euangelicæ, cum dixit, quòd *convertit animas*, & *præstat scientiam parvulis*, & *lætificat corda*, & *illuminat oculos* mentis, & *sanctificat*, & *justificat*, & ultimò retribuit præmium æternum. Ex præmissis sex sequitur ultimum. Nam si ipsa habet dictas proprietates, & perfectiones, & effectus, sequitur, quòd Lex Euangelica est super omnia *desiderabilis*, & servanda, & in ea to- C tum nostrum desiderium, & spes est constituenda.

Ex supradictis septem conditionibus, & perfectionibus patet differentia, & eminentia Legis Euangelicæ supra Legem veterem. Nam illam in pluribus potiùs convertebat corpus, quàm animam : quia non prohibebat animum explicitè, sed manum. Secundò, illa non præstabat sapientiam in ea latentem, sed litteram & sensum apparentem. Tertiò, illa non lætificabat corda, sed corpora in copia ciborum, & temporalium promissorum. Quartò, illa non illuminabat oculos mentis, sed corporis tantùm de præsenti. Quintò, illa non sanctificabat hominem timore casto, & gra- D to, & sancto, sed timore servili, & formidine pœnæ. Sextò, illa non justificabat, nec dabat veniam simpliciter pœnitentibus, nec eos expectabat ; sed illos pœnâ, aut morte corporali puniebat, etiam de condigno, & etiam ultra condignum quantum ad apparentiam, ut de colligente ligna in sabbato, *Numer.* 15. & de *Oza*, qui solum tetigit Arcam Domini, 2. *Reg.* 6. & de *Ozia*, qui præsumpsit adolere incensum, 4. *Reg.* 14. Et 2. *Paralipom.* 26. Septimò, quia illa non promittebat E nisi bona temporalia. Ex quibus omnibus patet, quòd Lex Euangelica in omnibus supereminet veteri. Et ideo dicit Propheta, quòd sola ista est per se *desiderabilis*; & quod bona, quæ promittuntur, & dantur in Lege Euangelica, tam in præsenti, quàm in futuro, sunt *desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum*, & super omnes divitias, quæ promittebantur, & dabantur in veteri Lege. Et bona gloriæ quæ dantur in futuro, sunt *dulciora super mel*, & omnes cibos veteris Legis : ibi enim promittebatur copia lactis, & mellis temporalis : hic autem fruitio cœlestis & æternalis : quia *nec oculus vidit*, *nec auris audivit*, *nec in cor hominis ascendit*, *quæ præparavit Deus diligentibus se : Isai.* 64. & 1. *ad Corinth.* 2. Et ideo concludit, F quòd *in custodiendis illis* mandatis Christi datur *retributio multa*, in Cœlo, supple.

13. *Delicta quis intelligit ? ab occultis meis munda me : & ab alienis parce servo tuo.*

De Pœn. d. 1. c. Si enim in princ.

Postquam superius explicavit perfectiones & fructus & præmia Legis Euangelicæ, nunc in hac tertia parte petit gratiam, ut valeat hanc Legem Euangelicam observare, sine qua nec Lex potest observari, nec peccatum vitari. Ad cujus intelligentiam est notandum secundùm *Augustinum*, *de Natura*, *& gratia*, G *& contra Pelagianos* in omnibus tractatibus suis : quod causa quare nullus homo potest vitare peccatum, nec implere divina præcepta, nisi per gratiam Christi fuerit adjutus, est duplex : una se tenet ex parte nostra, alia ratione trium impugnatorum. Causa prima est corruptio nostræ naturæ. Nam sicut dictum est *Psalmo* 13. taliter fuit corrupta caro, & natura, & sensualitas nostra in Adam, quod omnes potentiæ fuerunt debilitatæ, & vulneratæ, in tantum, quod homo mansit pronus ad cadendum in omne vitium, & difficilis, & infirmus ad resistendum, & magis difficilis ad resurgendum : eò quòd liberum arbitrium nostrum mansit claudicatum : si- H cut homo claudus, quem impossibile est recte ambulare, nisi sanetur. Unde sicut homo claudus semper cadit ad partem pedis læsi, & est pronus ad illam inclinari, & non ad aliam : ita liberum arbitrium nostrum magis est pronum ad cadendum ad partem peccati, quam ad servandum præcepta divina. Et hæc est prima causa ex parte nostri. Secunda causa est triplex ratione trium impugnatorum, qui continuè suggerunt, & impugnant ad malum.

Nota quare sine Dei gratia nō possumus præceptū adimplere.

Pri-

Nota de concupiscentia.

Primus suggestor & impugnator dicitur *intrinsecus* & occultus, qui est *concupiscentia* in carne & sensualitate nostra, ex peccato primorum parentum inflicta: quæ duo facit. Nam primò infirmat & debilitat omnes potentias, ut dictum est. Secundò, insurgit & luctatur adversus spiritum, infligens in eo omnem inordinatum appetitum: à qua quidem concupiscentia omnia mala oriuntur, ut inquit *Augustinus, de Verbis Apostoli.* Nam primò ista concupiscentia infligit appetitum propriæ excellentiæ in honoribus, cui voluntas consentiens, non patitur majorem, nec æqualem, & sic incidit in peccatum superbiæ. Et per concupiscentiam carnis, incidit in gulam, & luxuriam. Et ex concupiscentia bonorum fortunæ, incidit in avaritiam. Et ex appetitu vindictæ, incidit in iram, & odium, & sic de singulis. Et iste dicitur impugnator & suggestor *intrinsecus*, qui multis nominibus nominatur: dicitur enim *concupiscentia*, in quantum excitat animam ad omnem appetitum inordinatum, ut dictum est. Secundò dicitur *fomes omnis peccati.* Tertiò dicitur *lex membrorum.* Quartò dicitur *tyrannus.* Quintò *languor*, & *morbus*, & *corruptio naturæ*, in quantum infirmat & destruit vires naturæ.

Nota de diabolo tentatore.

Sed præter istum suggestorem intrinsecum, sunt duo alii suggestores *exteriores:* quorum primus est *diabolus*, qui semper ab initio tentat hominem, & ex sua astutia habet infinitos modos, & parat infinitos laqueos ad capiendum hominem: de quo dicit Salvator, *Matth.* 12. quod si non potest hominem capere in uno laqueo, aut dejicere per unum peccatum: tunc *assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant in homine.*

Mundus impugnat

Tertius impugnator est *mundus*, qui non habet pauciores modos, & vias ad prosternendum hominem: qui quidem *mundus* impedit hominem ad bene agendum, & sollicitat ad omnia mala; tum ratione uxoris, aut filiorum, aut amicorum, ut eis complaceat, & eos sustineat. Unde dicit Apostolus, 1. *ad Corinth.* 7. quod vir sollicitus est mundo, *quomodo placeat uxori*, & è converso. Item inimici incitant hominem ad iracundiam, & omne malum, & ex invidia, aut aliâ causâ: unde nascitur odium, & homicidia, & cætera hujusmodi. Ex supradictis patet, quòd impossibile est, hominem sic in natura corruptum & infirmum posse resistere istis tribus impugnatoribus absque auxilio, cùm impugnent ipsum intus, & extra, & in occulto, & in publico. Et hoc est quod dicit Propheta: O Domine Jesu-Christe, adjutor meus, & Redemptor meus, da mihi gratiam, ut possim Legem Euangelicam servare, & delicta, & peccata vitare. *Nam delicta quis intelligit?* id est, quis potest intelligere, & discernere, & præcavere, & enumerare tot genera delictorum & peccatorum, & tot modos tentationum & suggestionum: cùm habeamus tres impugnatores, unum intrinsecum & occultum, qui dicitur concupiscentia, quæ nos semper impugnat in occulto: & duos exteriores & alienos, scilicet, mundum, & diabolum, qui nos exterius impugnant, & in publico incitant modis infinitis ad omnia mala perpetranda? Quod idem est ac, nullus poterit resistere tot & tantis tentatoribus; nec præcavere delicta, nisi per tuam gratiam fuerit adjutus. Et ideo tu Domine *munda me ab occultis* peccatis meis: *& ab alienis parce servo tuo.*

Peccata dicuntur tripliciter occulta.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd peccata possunt dici tripliciter *aliena*, & *occulta.* Uno modo, quia ab occulto impugnatore, scilicet, interiori concupiscentia sunt suggesta, & illicita, vel illecta: aut in solo proposito sunt commissa: aut in secreto sunt perpetrata. Item per oppositum peccata dicuntur *aliena*, quando suggestione alienorum impugnatorum, scilicet, mundi, & diaboli, sunt commissa: aut ex propositio in effectum, & in personam alienam sunt completa & deducta, sicut sunt furta, homicidia, opprobria, & adulteria, & cætera hujusmodi: aut quando ex occulto in publicum sunt manifestata, & diffamata: quia jam tunc alios scandalizant, & offendunt aures eorum. Ab istis ergo peccatis, tàm occultis, quàm alienis petit mundari & liberari, cum dicit: *ab occultis meis munda me Domine*, id est, à peccatis, quæ in occulto & in secreto, aut in solo proposito, aut ab occulto impugnatore & concupiscentia propria commisi: & *parce mihi servo tuo ab alienis delictis*, quæ ex alienis impugnatoribus, aut in personas alienas, aut in publico perpetravi. Unde notanter dicit, & petit ab occultis mundari, & ab alienis sibi parci: nam peccata occulta, non in effectu consummata, aut in secreto commissa sine læsione proximi, per solam pœnitentiam occultam possunt deleri & mundari. Sed peccata aliena in effectu contra proximum commissa, non remittuntur nisi per restitutionem rei ablatæ, aut remissionem injuriæ. Et ideo subdit:



49. dif. c. Hic enim.

14. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero : & emundabor à delicto maximo.*

SI mundaveris me ab occultis meis, & peperceris mihi ab alienis : tunc non dominabuntur mei iſti tres impugnatores: immò ego ſuperabo , & vincam eos per gratiam , & pœnitentiam. Et ſi iſti tres impugnatores *mei non fuerint dominati* , immò fuerint victi per pœnitentiam *: tunc ego ero immaculatus* , & purgatus , *& mundabor à delicto maximo.* Ad cujus majorem intelligentiam eſt notandum , quòd licèt omne delictum dicatur magnum , in quantum contra Deum committitur: tamen peccatum finalis impœnitentiæ & obſtinationis, dicitur *maximum* : eò quòd poſt mortem non poteſt per pœnitentiam deleri : quia non amplius eſt locus , nec tempus pœnitentiæ , pro quo peccato non eſt orandum, ut ait *Joann. in* 1. *Canonica ſua, c.* 5. Quod quidem peccatum poſtquam *non remittitur in hoc ſæculo* per culpam , *non remittetur in alio* per pœnam , *Matth.* 12. Et ideo tale peccatum non poteſt evitari, niſi per præviam pœnitentiam factam in vita. Iterum eſt advertendum , quod diabolus non dicitur dominator , nec victor, niſi per peccatum finalis impœnitentiæ *:* eò quòd quotidie vincitur per pœnitentiam factam in vita. De hoc ergo *delicto maximo* , per quod diabolus dicitur dominari obſtinatis & impœnitentibus , dicit Propheta: *Si mei non fuerint dominati* iſti tres impugnatores mei , ſcilicet caro , mundus , & diabolus *:* immò victi per pœnitentiam factam in vita : *tunc ero immaculatus : & emundabor* , id eſt , evadam *à delicto maximo* finalis impœnitentiæ. Sed quia poſt factam pœnitentiam omnes orationes , & cætera bona , quæ homo facit in ſtatu gratiæ, ſunt Deo placida & acceptabilia: ideo ſubdit:

Impœnitentia dicitur peccatum maximum.

3. q. 1. c. Nulli.

15. *Et erunt ut complaceant eloquia oris mei : & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.*

ET *erunt ut complaceant* , id eſt , poſtquam fuero mundatus per pœnitentiam *:* tunc *meditatio cordis mei* , id eſt, omnes cogitationes , & eloquia oris mei, & cætera bona quæ fecero , erunt juſta , & in charitate facta , *ut complaceant* , id eſt, ſint chara , & placida , & accepta *in conſpectu tuo ſemper.* Sed quia omnia ſupradicta ſine gratia peragere non potero *:* ideo ſubdit:

16. *Domine adjutor meus , & redemptor meus.*

de Pœn. d. 2. §. Opponitur.

ROGO te *Domine Jeſu* : ut poſtquam dediſti mihi Legem Euangelicam, ſis adjutor meus , gratiam prævenientem conferendo ad ſervandum eam , & ad reſiſtendum tribus impugnatoribus : & ſis Redemptor meus , gratiam ſubvenientem conferendo , & à peccatis *occultis* , & *alienis* mihi parcendo. Et nota , quòd tota conſtructio & ſententia tertiæ partis hujus Pſalmi poteſt incipere ab hoc ultimo verſiculo *:* ut ſit ſenſus : O *Domine* Jeſu-Chriſte , *adjutor meus* , *& redemptor meus* da mihi gratiam , ſupple : quia *delicta quis intelligit* ? id eſt , quis poterit vitare & reſiſtere , propter rationes jam dictas ? Ideo *ab occultis meis munda me &c.*

Ex toto iſto Pſalmo poſſunt recolligi undecim concluſiones.

Prima concluſio : quòd Lex Euangelica fuit per omnes partes mundi audita & publicata.

Secunda concluſio : quòd Chriſtus , Sol juſtitiæ , qui ab æterno ſummo Patre procedit , temporaliter venit in carne *:* & peracto curſu noſtræ redemptionis , regreſſus eſt in Cœlum , unde deſcendit.

Tertia concluſio : quòd Chriſtus non proceſſit ex Maria Virgine tanquam ex thoro maritali corrupto : ſed tanquam *Sponſus de thalamo* virginali , ipſam virginem relinquendo.

Quarta concluſio : Chriſtus Sol juſtitiæ per adventum & curſum ſuum fugavit noctem veteris Legis , & peccati : & cauſavit diem gratiæ in Eccleſia Militanti.

Quinta concluſio: quòd ſicut Lex Euangelica habet ſeptem perfectiones : quia eſt immaculata , & fidelis , & recta , & lucida, & ſancta , & vera , & juſtificata : ita facit ſeptem ſalubres effectus , ſcilicet , *convertit animas , & præſtat ſapientiam parvulis : & lætificat corda , & illuminat oculos mentis , & ſanctificat , & complet promiſſum , & juſtificat hominem.*

Sexta concluſio : quòd Lex Euangelica propter omnia ſupradicta eſt per ſe deſiderabilis magis quàm Lex vetus : eò quòd illa ſolum promittebat & dabat temporalia: iſta autem , vitam & felicitatem æternam.

Septima concluſio: quòd nemo poteſt implere Legem Euangelicam , nec vitare peccata , niſi per gratiam Chriſti fuerit adjutus.

Octava concluſio : quòd nemo poteſt *ab occultis peccatis mundari* , nec *ab alienis liberari* , niſi per gratiam ſubvenientem fuerit ſublevatus.

Nona concluſio : quòd nemo poteſt

mundari & liberari à *delicto maximo* finalis impœnitentiæ, per quod diabolus dominatur, nisi per pœnitentiam factam in A hac vita prævenientem ipsam mortem.

Decima conclusio: quòd orationes, & cætera bona non sunt Deo placida & accepta, nisi post actam pœnitentiam in statu gratiæ.

Undecima conclusio: quòd sola Lex Euangelica perfectè justificat hominem. Probatur: quia mundat, & rectificat, & sanctificat, & gratificat, & fructificat ad gloriam.

Psalmus XIX.

1. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Jacob.*

12. q. 2. Glor. Epi.

Titulus: *In finem, Psalmus David.* Ex B Titulo apparet, quod David fecit hunc Psalmum, dirigens nos in Christum, qui est finis Legis, & victor & triumphator, sicut supradictum est *Psal.* 17. sed perfidus *Rabbi Salomon*, qui semper conatur pervertere Scripturas, & retrahere à vero sensu ad suam perfidiam, dicit, quod David fecit hunc Psalmum in sua senectute, quando *Joab*, & cæteri armigeri dixerunt ipsi David, ne amplius exiret ad bellum cum eis, ne occideretur ab inimicis, & extingueret lucernam in Israel: sed oraret pro suo exercitu; quia magis vinceret orationibus, quàm armis, ut patet 2. *Regum* 21. Et sic litteraliter exponit hunc Psalmum de David, & de illa historia.

Sed talis expositio sic litteraliter præcisa, non solùm est inutilis, sed etiam falsa, faciens injuriam Propheræ, & non explicans verum mysterium, & intelligen- C tiam hujus Psalmi: quia David non fuit minus Propheta, nec minus illustratus de Christo futuro in hoc Psalmo, quàm in cæteris. Unde ipsemet *Rabbi Salomon* dicit *super Zachariam*, *cap.* 9. quòd *omnes Prophetæ non sunt locuti nisi super annos Redemptoris, & in dies Messiæ.* Ex quo patet, quòd in tali litterali expositione videtur sibi ipsi contradicere: ideo rejecta omni Judaica perfidia, exponendus est iste Psalmus de Christo & Ecclesia, ad quem intellectum legit ipsum Ecclesia.

Nota, quæ de Christo in Lege memorabantur.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd sex memorantur in Scriptura veteris Testamenti de Christo Messia in Lege promisso. Primò, quòd debebat esse Deus & D Homo, Rex & Sacerdos. Secundò, quòd debebat esse Legislator, & ferre Legem novam. Tertiò, quòd ipsemet debebat esse hostia & sacrificium. Quartò, quòd debebat esse pastor populi sui. Quintò, quòd regnum ejus debebat esse glorioſum in corpore & anima. Sextò, quòd expoliato in- E ferno, debebat ascendere in Cœlum victor & triumphator, & accipere universalem & judiciariam potestatem. Hæc autem omnia prævidens David in spiritu, confecit plures Psalmos, de quorum numero ponuntur hîc sex per ordinem. Nam Psalmum præcedentem fecit de Christo Legislatore, & publicatione, & perfectione Legis Euangelicæ. Istum autem Psalmum 19. fecit de Sacerdotio & triumpho Christi. Psalmum vero sequentem fecit de ejus Regno glorioso; & Psalmum 21. fecit de hostia & sacrificio Christi. In 22. prædicit Christum futurum Pastorem Ecclesiæ. In 23. prædicit Regnum universale ejusdem.

In hoc ergo Psalmo David prædicit Sacerdotium Christi, vocando Christum, ut acceleret adventum suum, & veniret ad liberandum nos per suum sacrificium. Et ideo dedit ipsum ad cantandum in Templo F ad victoriam vocum, ad denotandum, quòd fideles veteris Testamenti cum magno desiderio & clamore expectabant, & vocabant Christum, ut veniret ad liberandum eos. Duo ergo facit David in hoc Psalmo: nam primò vocat Christum, ut veniat ad Sacerdotium, & offerendum sacrificium, per quod triumphavit de diabolo. Secundò prævidit, qualiter communicavit Apostolis & Ecclesiæ Sacerdotium suum, & potestatem, per quam triumphavit de toto populo Gentili, & subjecit totum mundum: ibi: *Lætabimur in salutari tuo.* Vel ibi: *In potentatibus salus dexteræ ejus.*

Quantum ad primum est notandum, sicut dictum est *in Prologo*: quòd sicut *Adam* per suum peccatum omnes ad pœnam & captivitatem obligavit, & vendidit, & à Deo separavit: ita Deus Pater statuit, ut ab illo peccato non possemus ipsi G reconciliari, nec redimi, nisi per intercessionem & sacrificium unius Justi & innocentis Mediatoris Jesu-Christi: in cujus virtute & meritis nostræ operationes essent Deo gratæ & acceptæ. Et ideo Christus voluit incarnari, & pro nobis jejunare, & labores tolerare, orare, & seipsum in sacrificium pro nobis Patri offerre: quod pertinet ad officium Sacerdotis.

Nam tria pertinent ad officium Sacerdotis. Primò pro populo ad Deum interpellare & orare: ideo dicitur *Mediator* inter populum & Deum. Secundò pertinet ad Sacerdotem sacrificium offerre: & sic dicitur *Sacerdos.* Tertiò, Legem ponere, & constituere: & sic dicitur *Pontifex:* H quasi legens, & positionem faciens, per quam populus justè vivat, & in Deum dirigatur. Et ideo Christus voluit assumere nomen & officium *Sacerdotis* & *Pontificis*, ut pro nobis compleret omnia ista. Hoc ergo prævidens David in spiritu, vocat Jesum

ſum ad Sacerdotium dicens : O Domine Jeſu-Chriſte in Lege promiſſe , accelera adventum tuum , & veni ad exercendum officium veri Sacerdotis , quod eſt pro populo orare , & ſacrificium offerre , & legem ponere: ideo veni , ut Dominus Pater *exaudiat te in die tribulationis*, ſcilicet, Mortis , & Paſſionis , quando pro nobis orabis in menſa , & in horto , & in cruce : ut tunc *nomen Dei Jacob*, quod eſt Jeſus , *protegat te* , & Deus Pater

2. q. 5. c. Teſtes, §. Chriſtus.

2. *Mittat tibi auxilium de ſancto, & de Sion tueatur te.*

MITTAT *tibi auxilium de ſancto* , id eſt, de altiſsimo ſanctuario ſuo , *& de Sion* triumphanti *tueatur* , & defendat *te*. Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd Chriſtus ter oravit pro genere humano , & pro noſtra reſurrectione : in quibus tribus orationibus ſemper Pater *miſit ipſi auxilium de* Cœlo *ſancto* ſuo. Nam primò oravit coram toto populo antequam caperetur, quando dixit : *Pater clarifica nomen tuum* : quia tunc audita eſt vox Patris de Cœlo dicentis : *Clarificavi, & iterum clarificabo* , *Joan.* 12. Item quando oravit in horto *miſit* Pater *auxilium* & tuitionem *de ſancto* , quando miſit ipſi Angelum , qui confortaret eum, annuntians ei fructum ſuæ Paſſionis , & ſuam , & noſtram reſurrectionem. Et etiam audivit ipſum in Cruce, quando Sol , & Luna , & tota terra oſtenderunt ſe compati ipſi. Ex quibus omnibus patet, quòd Chriſtus ſemper *fuit exauditus pro ſua reverentia* , ut magis patebit. Et iterum eſt notandum , quòd nomen Dei *Tetragrammaton* , quo Chriſtus fuit protectus & victor , dicitur *nomen Dei Jacob*: eò quòd nomen *Jeſus* , in quo conſiſtit tota noſtra ſalus & redemptio , fuit promiſſum ipſi *Jacob* , & ſemini ejus : & illud nomen accepit à Patre , per quod fuit victor & triumphator , *ad Epheſ.* 2. *Dedit illi nomen , quod eſt ſuper omne nomen &c.* Deinde ſubdit:

De Conſe. d. 2. Iteratur.

3. *Memor ſit omnis ſacrificii tui: & holocauſtum tuum pingue fiat.*

CUM dicit : *Memor ſit omnis ſacrificii*, vocat Chriſtum , ut offerat ſeipſum in ſacrificium pro nobis in Cruce , & inſtituat Sacramentum *Euchariſtiæ* in memoriam ſuæ Paſſionis. Ideo ſubdit: O Domine *Jeſu-Chriſte* , veni ad Paſſionem , ut Dominus Pater *ſit memor*, & acceptator *totius ſacrificii tui :* accipiens ipſum in pretium noſtræ redemptionis : *& holocauſtum tuum* igne charitatis totum crematum & conſumptum, *fiat pingue* , & ſufficiens , & copioſum ad ſatisfaciendum pro nobis. Nam ſicut holocauſta , quæ fiebant in veteri Lege ex Agno matutino & veſpertino , qui in figura tui offerebantur, quantò magis erant pinguia, tantò altius ſumus eorum aſcendebat in Cœlum : ita ſacrificium tuum , ò Chriſte, tàm erit pingue, & copioſum , & igne charitatis concrematum , quòd totus ſanguis tuus haurietur , & evacuabitur , & effundetur in redemptionem pro nobis : in tantùm , quod ſumus & odor illius charitatis & obedientiæ penetrabit Cœlos , & introibit in aures Patris : & ſic Pater *tribuet tibi ſecundùm cor* & deſiderium *tuum* , relaxando debitum generis humani. Deinde ſubdit:

4. *Tribuat tibi ſecundùm cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet.*

TRibuat tibi. Vocat Chriſtum ad dandam Legem Euangelicam : O Chriſte , veni ad Mortem & Paſſionem , ut Pater *tribuat tibi ſecundùm cor* & deſiderium *tuum* omnia quæ petieris , *& confirmet omne conſilium tuum* , id eſt , totam Legem Euangelicam , in qua traduntur conſilia ad dirigendum hominem in Deum. Et notanter appellat *conſilium* , ad differentiam Legis veteris : eò quòd illa data eſt cum comminatione pœnæ per modum præcepti : iſta autem data eſt cum amore , & benignitate, per modum conſilii , & cum promiſſione gloriæ. Deinde cùm dicit:

24. q. 1. Quæ dignior.

5. *Lætabimur in ſalutari tuo : & in nomine Dei noſtri magnificabimur.*

PRÆDICIT Propheta fructum & effectum Paſſionis Chriſti in hac ſecunda parte. Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd duo fecit Chriſtus per ſuum Sacerdotium, & Mortem , & Paſſionem. Nam primò nos à morte & captivitate liberavit. Secundò Sacerdotium & poteſtatem quam accepit à Patre , Apoſtolis & Eccleſiæ communicavit : per quod Sacerdotium & poteſtatem, de mundo & diabolo triumphavit : & hoc eſt quod dicit in ſecunda parte. Unde dicit primò : O Domine Jeſu-Chriſte , bene Pater *tribuet tibi ſecundùm cor tuum :* quia debitum noſtrum relaxabit per ſacrificium, & Paſſionem tuam , & Reſurrectionem *tibi tribuet , & conſilium tuum confirmabit.* Et ideo tunc à tali debito liberati , & per Legem tuam confirmati , *lætabimur in ſalutari tuo* , id eſt , in ſalvatione & redemptio-

Nota, duo fecit Chriſtus per mortem.

ne facta. Item *lætabimur in salutari tuo*, id est, in hoc nomine *Jesu*, quod est *nomen Dei nostri*. Et ideo in isto *nomine Dei nostri magnificabimur*, & exaltabimur. Et hoc ego dico, quoniam ego David *cognovi*, & in spiritu prophetico prævidi *nunc* per contemplationem, *quoniam Dominus* Pater *fecit salvum Christum suum*, ipsum à mortuis resuscitando, & etiam *fecit ipsum salvum*, id est, Salvatorem constituit: & exaudiet illum pro nobis de Cœlo sancto suo. Et dirigens David verba sua ad Christum, dicit: *Impleat Dominus omnes petitiones tuas.* Ordinatur cum littera superiori, ut sit sensus: O Domine Jesu-Christe, post Passionem & Resurrectionem *lætabimur in salutari tuo, & in nomine Dei nostri magnificabimur.*

12. q. 1. cap. Clericus.

6. *Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.*

LÆtabimur, inquit, *in salutari tuo*, quia *implevit Dominus omnes petitiones tuas:* & ponitur *Optativus* pro *futuro Indicativi*, secundùm consuetudinem Prophetarum: & ideo subdit causam, quare Propheta prædixit omnia supradicta de Christo, & nostra redemptione: quia ego *cognovi*, *quoniam Dominus* Pater *faciet salvum Christum suum*, &

41. d. c. Christus.

7. *Exaudiet illum de Cælo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ ejus.*

EXaudiet, inquit, *illum de Cælo sancto suo*, relaxando debitum generis humani, & ipsum à mortuis resuscitando. *In potentatibus salus dexteræ ejus.* Hìc incipit versiculus & sententia. Nam postquam Propheta vocavit Christum ad Sacerdotium & sacrificium, & ostendit fructum & utilitatem Mortis & Passionis: hìc ostendit, qualiter Christus communicavit Apostolis suis suum Sacerdotium & potestatem, ad mundum & diabolum debellandum.

Ad cujus intelligentiam est advertendum, sicut dictum est *Psal.* 17. quòd Christus in quantum homo, omnia quæ habet, accepit à Patre, & ea communicavit Discipulis suis. Unde quadruplici virtute eos armavit. Primò Ecclesiastica potestate, scilicet, virtute septem Sacramentorum, in quibus consistit Sacerdotium & ejus potestas. Secundò, virtute donorum Spiritus sancti. Tertiò, dedit eis hoc nomen *Jesus* in clypeum & protectionem. Quartò, Legem Euangelicam tanquam lanceam, & sagittam, & gladium, ad ferienda corda hominum: quæ omnia continentur in hoc nomine *Jesu*, quod est nomen omnipotentiæ, & sapientiæ, & salutis, & justitiæ, ut dictum est *Psalm.* 8. Hæc ergo quatuor arma tradidit Christus Discipulis suis, quibus totum mundum debellarunt & subjecerunt. Et hoc est quod dicit David, cùm ait, *in potentatibus.* Dicit ergo: *Ego cognovi* in spiritu, *quoniam salvum faciet Dominus Christum suum*, id est, in Salvatorem constituet: & cognovi in spiritu, quod *salus dexteræ ejus*, quod est hoc nomen *Jesus* continens omnia quatuor supradicta, erit communicatum *in potentatibus*, id est, in Apostolis factis potentibus, & fortibus, & armatis in potestate hujus nominis: & ideo cum hoc nomine vincemus & debellabimus totum orbem & potentiam populi Gentilis.

Christus armavit Apostolos.

8. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.*

23. q. 3. Postea sex 25. d. Qui in aliud. 23. q. 5. Quid ergo & de Pœ. d. 1. Sunt plures, §. Auctoritas.

9. *Ipsi obligati sunt & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus.*

HI *in curribus. Hi*, id est, quædam virtutes & Reges in curribus pugnabunt contra nos. Et *hi*, id est, alii pugnabunt in equis, & in copia equorum & armorum: *nos autem in* solo *nomine Dei nostri*, quod est *Jesus*, *invocabimus:* quia illo nomine fuimus armati. Et ideo ipsi Principes & Imperatores confidentes in suis curribus & equis, *obligati* & victi, *ceciderunt* sub pedibus nostris. *Nos autem*, qui anteà eramus pauperes, & subjecti, & afflicti, *surreximus* à persecutione: *& erecti*, & exaltati sumus, & eos jugo Fidei subjecimus: & diabolum principem hujus mundi, destructis idolis, foras ejecimus: quæ omnia fecimus in virtute hujus nominis ejus. Et sic de diabolo & mundo triumphavimus. Ultimò autem Propheta conversus ad Deum Patrem, dicit:



10. Do-

De Conſe. d. 5. Non mediocriter.

10. *Domine ſalvum fac regem, & exaudi nos in die qua invocaverimus te.* A

O DOMINE, ſi tot & tanta bona debent fieri in adventu hujus Regis: ideo *ſalvum fac Regem* & Salvatorem: *& ſalvum fac eum* per Reſurrectionem, *& exaudi nos in die* gratiæ, in *qua invocaverimus te*: quia tunc invocabimus te in nomine ſuo, quod eſt *Jeſus*, in quo ſperavimus ſalvari.

Ex toto ergo iſto Pſalmo poſſunt recolligi quatuor concluſiones.

Prima concluſio: quòd Chriſtus ſemper fuit exauditus in ſua oratione & ſacrificio pro nobis: quia Pater *tribuit ei ſecundùm deſiderium ſuum.*

Secunda concluſio: quòd Chriſtus fuit B verus Sacerdos, offerens pingue & copioſum ſacrificium pro nobis.

Tertia concluſio: quòd David prævidit in ſpiritu prophetico totum myſterium Sacerdotii Chriſti, & noſtræ redemptionis.

Quarta concluſio: quòd Apoſtoli, ſolo nomine *Jeſu* armati, debellarunt totum orbem, & triumphaverunt de mundo, & de diabolo: quia *principe hujus mundi foras ejecto*, omnes infideles Chriſto ſubjecerunt.

PSALMUS XX.

24. q. 1. c. Zacharias in gl.

1. *Domine in virtute tua lætabitur* C *rex: & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer.*

De Conſe. diſt. 1. ca. Quando.

2. *Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei: & voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum.*

TITULUS: *In finem*, ſive *ad victoriam*, *Pſalm. David.* Ex Titulo apparet, quod David fecit hunc Pſalmum, dirigens ipſum & nos in Chriſtum, qui eſt finis Legis, & victor, & triumphator, ut dictum eſt. Sed de materia hujus Pſalmi dicit *Rabbi Salomon*, quòd antiqui Magiſtri gloſſarunt Pſalmum ſecundum ſimul cum iſto vigeſimo de Rege Meſſia. Sed propter Hæreticos melius & convenientius exponitur de ipſomet David, & de Regno ejus: & appellat *Hæreticos*, converſos ex Judaiſmo ad Fidem Chriſti: & appellat *antiquos Magiſtros*, omnes qui eum præceſſerunt, & maximè Thalmudiſtas. D

Doctores Judæorũ in quadruplici numero.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum, E quòd Doctores, ſive Scriptores Judæorum reperiuntur in quadruplici numero. Nam quidam præceſſerunt adventum Chriſti. Alii autem fuerunt tempore Chriſti uſque ad deſtructionem ſecundi Templi. Alii autem fuerunt poſt deſtructionem ſecundi Templi tempore magni *Conſtantini.* Cæteri autem fuerunt poſt tempora *Heraclii* Imperatoris. Ante verò adventum Chriſti non reperiuntur niſi opera *Jonatham Abenuziel*, qui decem & octo annis ante adventum Chriſti tempore *Octaviani* traduxit totum Teſtamentum vetus ex Hebræo in Chaldæum, transferendo ſenſum ex ſenſu, & exponendo vocabula: quæ quidem Scriptura dicitur *Targum*, & eſt tantæ auctoritatis apud Hebræos, quòd nullus auſus eſt contradicere. Iſte enim exponens, & interpretans Pſalmum ſecundum, dicit: *Ut quid fremuerunt gentes &c? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum & Meſſiam Chriſtum ejus.* Item cùm dicit: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu &c.* ſubdit: *Iſti duo, Pater & Filius, ſunt tres in una tertia perſona*; ſcilicet, *Spiritus ſanctus, procedit ab eis: & hi tres ſunt unum*, ſcilicet, *una ſubſtantia, & una eſſentia, & unus Deus.* Unde dicunt Judæi, quòd tunc facta eſt vox de Cœlo dicens: *Quis eſt hic, qui ſecreta mea vult gentibus revelare?* cui Jonatham reſpondit: *Ego Domine hoc facio propter reverentiam tuam.* Et ſic dicunt Magiſtri Hebræorum, quòd *Jonatham Abenuziel* fuit doctus & inſpiratus à Spiritu ſancto in toto *Targo.* Et ideo tota ſua interpretatio & expoſitio habetur tanquam F G textus apud Hebræos, cui nullus eſt auſus contradicere. Et ſic *Jonatham* exponit & interpretatur totum iſtum Pſalmum 20. de Rege Meſſia, & Regno ejus glorioſo. Et ſic pro majori parte interpretatur omnes alios Pſalmos.

Tempore autem Chriſti paulo poſt floruit *Joſephus*, filius *Mathiæ*, qui multo tempore Athenis philoſophiæ operam dedit. Hic in 18. *libro Antiquitatum*, de Chriſto tale teſtimonium perhibet, dicens: quòd tempore *Tiberii Cæſaris fuit in Judæa Jeſus, vir ſapiens, ſi virum fas eſt nominari: erat enim operum mirabilium effector, & verus doctor Legis, & plurimos, tàm de Judæis, quàm Gentilibus habuit ſectatores. Chriſtus hic erat: hic poſtquam* Nota. H *ex invidia noſtræ gentis Judæorum traditus & crucifixus eſt, apparuit rurſus tertia die vivus, ſicut hæc & multa alia Prophetæ de eo in carminibus dixerunt &c.* In quibus verbis *Joſephus* confitetur: primò, quòd Jeſus erat Chriſtus & Meſſias in Lege promiſſus, & quòd erat pluſquam homo, propter miracula & doctrinam ſupra facultatem humanam. Tertiò: quòd poſt mortem reſurrexit & regnavit ſpiritua-

tualiter. Quartò : quòd David in Pſalmis, & cæteri Prophetæ locuti ſunt de Regno Chriſti , & reſurrectione. Eodem modo A tempore Apoſtolorum fuit *Philo* diſertiſſimus Judæorum : qui in libro *de Vita Contemplativa* dicit miranda de Chriſto , & ejus Diſcipulis , & ſanctiſsimâ vitâ eorum. Et ſic Hebræi moderni bene habent in magna veneratione ſcripta *Joſephi* & *Philonis*. Sed non audent in publicum propalare : eò quòd tales teſtimonium perhibent de Chriſto.

In tertio ordine antiquorum Hebræorum fuerunt *Thalmudiſtæ* poſt tempora *Conſtantini* , de quibus dictum eſt *in Prologo* , *tractatu* 6. Iſti videntes , quod taliter convincebantur à Doctoribus Chriſtianorum per Scripturas Pſalmorum , & Prophetarum , quòd Regnum Meſſiæ hujus mundi non erat temporale , ſed ſpirituale , eò quòd primò debebat mortem pati, B & poſtea reſurgere & regnare : ideo volentes defendere perfidiam , conati ſunt confingere duos Meſſias in Lege promiſſos. Unum vocatum *Benjoſeph*, de tribu Ephraïm, & alium *Bendavid* , id eſt , filium David, de tribu Juda. Et dicunt , quod Meſſias *Benjoſeph* debebat congregare omnes duodecim tribus Iſrael ex omnibus partibus mundi , & ducere in Hieruſalem. Sed poſtea venient *Gog* , & *Magog* , & pugnabunt contra Meſſiam *Benjoſeph* , & vincent , & occident eum ignominiosè cum magno populo ſuo. Et ſic de iſto Meſſia exponunt *Thalmudiſtæ* omnes paſſus Scripturæ , facientes mentionem de Morte & Paſſione Chriſti Meſſiæ , & maximè illud *Zachar.* 12. *Tunc erit planctus magnus in Hieruſalem , & plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum &c.* Et ſubdunt magiſtri C Judæorum : quòd poſt mortem Meſſiæ *Benjoſeph* , ſurget Meſſias *Bendavid* , & regnabit in univerſo mundo : quia ſic ſcriptum eſt *Pſalmo* 2. *Poſtula à me , & dabo tibi gentes hæreditatem tuam , & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: Item dicunt, iſtum Meſſiam nunquam moriturum , ſed in æternum regnaturum. Immò reſuſcitabit Meſſiam *Benjoſeph* cum toto populo, qui cecidit cum eo in bello *Gog* , & *Magog*. Et ſic Meſſias *Bendavid* cum ſuis vivet in æternum : quia tunc dicet Domino Deo : *Domine da mihi vitam :* cui reſpondebit Deus : *Vitam petis à me , cum adhuc non dixiſti hoc , quod etiam prophetavit de te Pater tuus David Pſalmo* 20. *Vitam* D *petiit à te : & dediſti ei longitudinem dierunt in æternum & ultra.*

Ex quibus patet , quòd quicquid dicant de confiſto Meſſia *Benjoſeph* ; tamen in hoc omnes magiſtri antiqui Hebræorum conveniunt , quòd *Pſalmus ſecundus*, & iſte *Pſalmus* 20. ſunt facti ab ipſo Propheta David , prophetando de Chriſto Filio ſuo, vero Meſsia in Lege promiſſo , & Regno ejus glorioſo. Ideo perfidus *Rabbi Salomon* videns ſe convictum à Doctoribus Chriſtia- E norum per dicta iſtorum antiquorum , coactus eſt negare omnes antiquos , & dicere, quòd licèt antiqui expoſuerunt iſtos duos Pſalmos de Rege Meſsia : tamen propter Hæreticos convenientius exponuntur de David Rege Iſrael. Sed iſte penitùs cœcus corpore & anima , manifeſtè cecidit in tria inconvenientia : primò , quia contradicit expoſitioni ipſius *Jonatham* , cui nullus eorum fuit auſus contradicere uſque in hodiernum diem. Item non ſolùm contradicit *Philoni* , & *Joſepho* ; ſed etiam contradicit ſupradictis antiquis magiſtris *Thalmudiſtis*. Et ſic incidit in excommunicationem juxta omnes Hebræos. Secundùm inconveniens eſt , quia ipſemet fatetur, non exponere iſtos Pſalmos ſecundùm veritatem : ſed tanquam convictus à Chriſtia- F nis , ut retrahat eos à vera expoſitione, non ſolùm Chriſtianorum , ſed antiquorum Hebræorum. Tertium inconveniens eſt , quod littera iſtorum duorum Pſalmorum nullo modo poteſt convenire ipſi David. Nam David non eſt æternaliter genitus à Deo : nec poſſedit populum Gentilem uſque ad terminos terræ : *Pſalmo* 2. Nec regnum ejus fuit glorioſum : nec vixit *in ſæculum ſæculi* , ſicut dicitur in hoc *Pſalmo* 20.

Ex quibus patet , quòd relicta perfidia ipſius *Rabbi Salomon* , & ſequendo veritatem in ſe , & doctrinam antiquorum Hebræorum , ſcilicet , *Jonatham* , & *Philonis* , & *Joſephi* : exponendus eſt iſte Pſalmus propheticè ad litteram de Chriſto , & Regno ejus glorioſo : quod prævidens David in ſpiritu , fecit iſtum Pſalmum : in quo G duo facit. Nam primò prædicit , & deſcribit regnum glorioſum. Secundò , punitionem & ultionem ſuorum perſecutorum. Ibi: *Inveniatur manus.*

Quantum ad primum eſt notandum: quòd tota gloria & lætitia regni Chriſti conſiſtit in tribus : primò , quia Pater complevit deſiderium & petitionem ſuam in omnibus : quoniam in omnibus *fuit exauditus pro ſua reverentia* , ut dictum eſt *Pſalmo præcedenti* : ſecundò , conſiſtit in glorificatione ſui corporis : quia tunc anima debet dominari toti corpori poſt Reſurrectionem. Tertiò in gloria animæ , quæ reſultat ex viſione divinæ Eſſentiæ. Tria ergo facit in prima parte. Nam primò prædicit gloriam regni Chriſti , in quantum H Pater complevit totum deſiderium ſuum, remittendo debitum generis humani , & triumphando de diabolo per Mortem & Paſsionem , ut dictum eſt *Pſalmo præcedenti.* Secundò prædicit gloriam corporis Chriſti , quam adeptus eſt per Reſurrectionem. Tertiò prædicit gloriam, quam adeptus eſt in ſua Aſcenſione. Secunda ibi : *quoniam prævenisti.* Tertia ibi: *quoniam dabis eum in benedictionem.* Quan-

Gloria Regni Chriſti in tribus.

Quantum ergo ad primum, dicit David ad Deum Patrem : *O Domine* Pater, ego prævidi in ſpiritu, qualiter *Rex* Meſ- A
ſias Chriſtus Filius tuus poſt Paſsionem & Reſurrectionem *lætabitur in virtute tua*, id eſt, propter virtutem, & bona quæ ipſi tribuiſti : quia omnia bona à te accipiet. Ideo *exultabit vehementer in ſalutari*, & ſalvatione, & redemptione, quam facies per eum. *Et exultabit ſuper ſalutare tuum*, id eſt, ſuper hoc nomen *Jeſus*, quod eſt nomen ſalutis, quod ipſi dabis in hæreditatem : cum quo de omnibus triumphabit, & per quod omnia meruit & potuit. Ideo in duobus exultabit. Primò, quia in omnibus complevit tuam voluntatem. Secundò, quia *deſiderium cordis ejus tribuiſti ei, & non fraudaſti eum in voluntate*, & in omnibus petitionibus *labiorum ejus* : quia omnia quæ deſideravit & petiit, adimpleviſti. Nam tria deſideravit : primò noſtram redemptionem : ſecundò ſuam & noſtram reſurrectionem : tertiò gloriam animæ pro nobis, quæ omnia tria ipſi tribuiſti. Deinde ſubdit:

4. d. c. Illud.

3. *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.*

De Pœ. d. 1. c. Alii ecötra, §. Non potest quis.

4. *Vitam petiit à te : & tribuisti ei longitudinem dierum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.* C

5. *Magna eſt gloria ejus in ſalutari tuo : gloriam & magnum decorem impones ſuper eum.*

CUM dicit : *Quoniam prævenisti*, prædicit gloriam corporis Chriſti, quam adeptus eſt per Reſurrectionem : quæ quidem gloria conſiſtit in quatuor, ſcilicet, in *immortalitate*, & *claritate*, *agilitate*, & *ſubtilitate*, quæ ſunt dotes corporis glorioſi : & dicuntur *quatuor lapides coronæ* corporis glorioſi : qua coronâ *quatuor lapidum pretioſorum*, primò Deus Pater coronavit Filium in Reſurrectione : quâ etiam D
coronâ ipſe Chriſtus ſponſus coronabit ſuos in generali Reſurrectione. De hac ergo corona corporis dicit David : O Pater, bene *tribuiſti* Filio tuo *deſiderium cordis*, & gloriam corporis : *quoniam tu prævenisti eum in* omnibus *benedictionibus* ante Paſſionem. Nam primò in benedictione & gratia creaſti eum : quia non ex opere Adam, ſed ex ſolo opere Spiritus ſancti conceptus, & omnibus donis & benedictionibus Spiritus

Pater coronat Chriſtum quadrupli ci corona.

ſancti, non ad menſuram, fuit repletus &c. Et ſic ipſum talibus *benedictionibus prævenisti* in ſua creatione & conceptione, quòd E
nulli peccato fuit obligatus nec ſubjectus in perſona, nec in natura : ſed ſolus fuit *inter mortuos liber*. Et ſic jam tunc *coronasti eum* coronâ omnium gratiarum, & benedictionum. Sed poſt Paſſionem in ſua Reſurrectione *posuisti in capite ejus*, ſcilicet, humanitate, per quam eſt Caput Eccleſiæ, *posuisti coronam* glorioſam *de lapide pretioso*, ſcilicet, quatuor lapides pretioſos, & pretioſas dotes continentem : quorum lapidum primus eſt *immortalitas*, & *vita æterna*. Hanc *vitam petiit* Chriſtus Filius tuus *à te*, quando dixit : *Clarifica me Pater*, *Joann.* 12. & 17. Sed tu Pater *tribuiſti ei* hanc immortalitatem : quia *tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum ſæculi*, id eſt, vitam in æternum : quia jam F
ultra non morietur, *nec mors ultra ei dominabitur*. Secunda dos fuit *gloria*, & *claritas* : hanc etiam dediſti ei : quia *magna eſt gloria ejus in ſalutari* & Salvatore Chriſto *tuo*. Impones etiam ſuper eum *magnum decorem* : per quem intelligitur *agilitas* & *ſubtilitas*. Et impones etiam *gloriam*, per quam intelliguntur omnes quatuor lapides pretioſi, & dotes hujus coronæ corporis ipſius Chriſti : quapropter *magna eſt* gloria Chriſti *in ſalutari*, id eſt, ſalvatione tua, id eſt, quam in noſtra redemptione *ei tribuiſti* : ex quibus quatuor reſultat *gloria* totius corporis. Deinde ſubdit:

De Conſe. d. 4. c. Placuit, & c. ſeq.

6. *Quoniam dabis eum in benedictionem in ſæculum ſæculi : lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* G

CUM dicit : *Quoniam dabis*, explicat duo dona quæ Chriſtus accepit à Patre ratione totius humanitatis. Nam primò accepit dotes animæ, ſcilicet, viſionem Divinæ Eſſentiæ, & fruitionem, & perpetuam lætitiam, & gaudium, in quibus conſiſtit tota felicitas & beatitudo, ut dictum eſt *Pſalmo* 15. Hanc gloriam accepit Chriſtus à principio ſuæ conceptionis per unionem Verbi, de quo ſemper anima H
Chriſti habuit *viſionem matutinam*, & per conſequens fruitionem & gloriam perfectam eſſentialem. Sed poſt Reſurrectionem accepit Chriſtus à Patre executionem oſtenſam, & poteſtatem communicandi gloriam corporis & animæ ſuis membris, & omnibus fidelibus : quia per Mortem & Paſſionem meruit, ut omnia ſupradicta nobis poſſet communicare. Et hoc eſt, quod ait Propheta in iſto loco. Unde ait : O Pater, tu *tribuiſti* Filio tuo Regi noſtro *de-*

ſi-

siderium cordis ejus : quoniam *dedisti eum in benedictionem*, scilicet *dulcedinis*, id est, *in benedictionem* omnium gentium : ut posset A omnes alios benedicere, & gloriam corporis & animæ cæteris communicare, prout fuit *Abrahæ* promissum, scilicet, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, *Genes.* 22. Deinde exprimit gloriam animæ, & etiam totius corporis, cùm subdit: *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*, id est, in visione vultus tui : ex qua, sive in qua visione resultat, & consistit tota beatitudo. Omnia supradicta, scilicet, gloriam corporis & animæ accepit Christus à Patre in præmium suæ Passionis, ut eam nobis communicaret : & quia in omnibus his Pater complevit desiderium Christi, ut dictum est priùs : ideo concludit Propheta : O Pater, omnia supradicta tu fecisti & complevisti in Filio tuo. Cur hoc?

B

De Pæ. d. 1. c. Serpens, & 93. d. Diaconi.

7. *Quoniam rex sperat in Domino: & in misericordia Altissimi non commovebitur.*

EO quòd *Rex* Messias Christus *sperat*, id est, posuit spem suam in te, nostram salutem desiderando : & posuit spem *in misericordia Altissimi*. Ideo *nunquam* desiderium suum *commovebitur*, nec frustrabitur. Sed semper implebitur, & nunquam deficiet. Et ly *in misericordia*, dupliciter potest ordinari indifferenter, ut sit sensus : *Quoniam Rex* Christus *sperat in Domino, & in misericordia Altissimi* : ideo *nunquam commovebitur*. Aut sic : *Quoniam Rex sperat in Domino* Patre : ideo *non commovebitur*, nec frustrabitur *in misericordia Altissimi* : quia semper *misericordia Altissimi* implevit desiderium ejus, ut C patet.

Sed contra prædicta arguitur, & videtur, quòd Pater non semper implevit desiderium Christi : nam ipse oravit in cruce pro transgressoribus : & tamen non omnes sunt salvati ; quia major pars in sua infidelitate permansit. Secundò arguitur: quòd Christus non adeptus est gloriam corporis & animæ, nec meruit eam per Passionem : quia hanc habuit à principio suæ conceptionis propter unionem Verbi, in quo videbat vultum Patris, & semper fruebatur. Tertiò videtur, quòd lapides pretiosi coronæ Christi non sint, nec dicantur dotes in eo : cum ipse sit sponsus Ecclesiæ, & non sponsa. Quartò videtur, quòd in Christo nunquam fuerit D spes : quia semper faciliter videbat Verbum &c.

Ad primum dicendum : quòd sicut in Deo assignatur duplex voluntas, id est, duplex ordo voluntatis, quarum una dicitur *antecedens*, qua *vult omnes homines salvos fieri*, quam *Magister sententiarum* vocat *voluntatem signi* : & alia dicitur *voluntas* E *consequens*, quam *Magister* appellat *voluntatem beneplaciti*, qua vult justos salvare, & impœnitentes damnare : ita pariter in Christo, qui in omnibus fuit conformis Patri, dabatur duplex desiderium, scilicet, *antecedens*, quod respiciebat divinam misericordiam, & Passionem suam, quo desiderabat Passionem suam omnibus prodesse. Et erat in eo desiderium *consequens*, respiciens divinam prædestinationem, & justitiam, & obstinationem malorum, quo voluit divinæ justitiæ, & prædestinationi conformari. Et hoc desiderium dicebatur *deliberatum*. De primo desiderio dicit Christus, *Matth.* 22. *Hierusalem quotiens volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* & *Luc.* 23. *Pater, ignosce illis : quia nesciunt quid faciunt.* De secundo verò dicit Salvator, *Joann.* 17. *Pater, non pro eis rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt.* Ex quo patet, quòd non rogabat nisi pro fidelibus, & prædestinatis : & hoc desiderium Christi semper fuit impletum. Unde sicut *voluntas* Patris *antecedens* non est necesse quod semper impleatur, sed semper impletur *voluntas consequens* : ita pariter non fuit necesse, impleri *desiderium antecedens* Christi : sed secundum semper fuit impletum. Et de hoc dicit Propheta : *Desiderium cordis ejus tribuisti ei &c.*

F

Christus meruit gloriam corporis & animæ.

Ad secundum respondetur, sicut dictum est *Psalmo* 15. quòd totam gloriam corporis & animæ habuit Christus potestativè, & à principio suæ conceptionis ratione unionis. Nam non solum ostendit gloriam animæ ante Passionem, sed dotes & gloriam corporis. Nam *subtilitatem* G ostendit in sua Nativitate, quia ex clauso utero virginis exiit : & *claritatem* ostendit in sua Transfiguratione : & *agilitatem*, quando super aquas siccis pedibus ambulavit : & *impassibilitatem*, quando miserunt lapides in eum Judæi &c. Ex quo patet, quòd per suam Passionem non meruit pro se, sed pro nobis : & sic gloriam Resurrectionis non acquisivit potestativè pro se, sed pro nobis : & sic non passus est ut mereretur pro se, sed ut satisfaceret pro nobis & mereretur ; eò quòd diabolus non erat superandus per *potentiam*, sed per *justitiam*, ut inquit *Augustinus*. Unde si Christus voluisset, absque Morte & Passione potuisset fieri immortalis.

Dotes in Christo.

H Ad tertium dubium est dicendum: quòd si prædictæ dotes comparentur ad Christum, in quantum est Caput & Sponsus Ecclesiæ : tunc non dicuntur dotes, nisi fortè activè, in quantum ipse tanquam Sponsus Ecclesiæ eas communicat nobis in Baptismo, cùm per fidem ipsi desponsamur. Et

tunc

tunc in nobis dicuntur veræ dotes : quia jam nobis promittuntur pro futura reſurrectione : quia tunc poſſidebimus eas, ut patet *Apocal.*19. & 21. *Gaudeamus, & exultemus, quia venerunt nuptiæ Agni* : & tunc *abſterget omnem lacrymam &c.* Sed ſi iſtæ dotes exiſtentes in Chriſto, comparentur ad Patrem, vel Verbum, à quo anima Chriſti eas habet per unionem perſonalem : tunc non inconvenit, quòd dicantur dotes à Verbo donatæ : quia Verbum ſe habet ut ſponſus, & humanitas Chriſti ut ſponſa, *Canticorum* 3. *Videte filiæ Hieruſalem Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua in die deſponſationis.* Ex quo patet, quòd Incarnatio fuit quædam deſponſatio, in qua Verbum deſponſavit & univit ſibi ſuppoſitaliter illam humanitatem, quam munivit multiplici dote, & *lapide pretioſo.* Et ſic iſto modo iſti lapides pretioſi poſſunt dici dotes in humanitate Chriſti. Sed ſi comparentur ad Eccleſiam, & membra, in quantum Chriſtus eſt ſponſus Eccleſiæ, & communicat iſta ipſi Eccleſiæ ſponſæ ſuæ : tunc in Chriſto non dicuntur dotes, ſed fons gratiarum & principium : ſed in quantum ſunt membris donatæ, & toti Eccleſiæ communicatæ : tunc dicuntur veræ dotes : nam ſicut Verbum communicat eas humanitati Chriſti : ita Chriſtus communicat eas Eccleſiæ ſponſæ ſuæ.

Spes non fuit in Chriſto.

Ad quartum dubium eſt dicendum, quòd ſpes, prout eſt quædam virtus Theologica *de bonis futuris non viſis*, non fuit in Chriſto : quia ab inſtanti ſuæ creationis anima illa ſemper novit in Verbo ſuam reſurrectionem futuram : & ideo firmiter & certiſſimè expectabat eam. Et non ſolùm videbat, & expectabat ſuam reſurrectionem ; ſed etiam noſtram redemptionem. Et ideo talis ſpes in Chriſto non dicebatur ſpes, quæ eſt virtus Theologica, ſed aliquid majus ſupra ſpem, & fidem.

De Pan. d. 1. circa finem.

8. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : dextera tua inveniat omnes qui te oderunt.*

23. q. 4. Quid facit.

9. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : Dominus in ira ſua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.*

Dist. 25. c. Qualis.

10. *Fructum eorum de terra perdes : & ſemen eorum à filiis hominum.*

POSTQUAM ſuperius Propheta explicavit, & prædixit gloriam, quam Chriſtus adeptus eſt pro ſe, & ſuis in ſua Reſurrectione : nunc in ſecunda parte prædicit ultionem, & punitionem perſecutorum Chriſti, & victoriam ejus contra eos. Ideo dicit : O Chriſte Rex noſter, *inveniatur manus tua* ultrix & nocens *omnibus inimicis tuis* crucifixoribus obſtinatis. Et *dextera*, id eſt, poteſtas *tua inveniat* & puniat *omnes qui te oderunt*, tàm in capite, quàm in membris : & duplici pœnâ punies eos : primò in anima ; quia *pones eos ut clibanum* & furnum *ignis in tempore vultus tui*, id eſt, in die judicii, quando præſentialiter venies manifeſtus in *poteſtate magna & majeſtate* : quia tunc *Dominus conturbabit eos*, cùm dicet : *Ite maledicti in ignem æternum.* Et *ignis* infernalis *devorabit eos.* Quantum verò ad corpus, *perdes fructum eorum*, id eſt, filios, *de terra eorum*, & poſteritatem delebis *à filiis hominum* : & hoc facies per *Titum* & Romanos : quia partem eorum conſumes igne, & fame, & gladio ; & partem diſperdes in captivitatem perpetuam : & tali pœna punies eos.

23. q. 4. Qui ſecundum.

11. *Quoniam declinaverunt in te mala : cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.*

IPSI *declinaverunt in te mala*, convicia, & opprobria, & falſa teſtimonia, & flagella &c. Et *cogitaverunt* contra te *conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire*, nec firmare, nec probare : nam ſtatuerunt, te occidere, & annihilare, & abjicere jugum tuum à ſe : ſed oppoſitum accidit eis : quando per Romanos fuerunt deſtructi, & dediſti eos in captivitatem corporis & animæ.

6. q. 1. c. Quieſcite.

12. *Quoniam pones eos dorſum : in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.*

QUONIAM, id eſt, propterea, *pones eos dorſum*, projiciens eos retro à facie tua, & *præparabis vultum eorum in reliquiis tuis*, id eſt, cum diabolis, à te relictis, & rejectis : quaſi dicat, quòd ſicut tu poſuiſti electos tuos *in benedictionibus*, & *lætificabis eos in gaudio cum vultu tuo* : ita per oppoſitum Judæos & omnes obſtinatos pones retrò in maledictionibus, projiciens eos à facie tua, & *præparabis vultum eorum in reliquiis*, id eſt, inter dœmones à te relictos & rejectos ; ut cum magna triſtitia & dolore videant horribiles pœnas eorum. Et nota, quòd Propheta appellat dœmones *reliquias Dei* : eò quòd fuerunt reliquiæ bonorum Angelorum : nam electis iſtis, illi fuerunt relicti & rejecti. Deinde ſubdit :

15. q. 1. c. Revertimini.

13. *Exaltare Domine in virtute tua:* A *cantabimus & psallemus virtutes tuas.*

CUM dicit: *Exaltare Domine*, vocat Regem Christum Messiam, ut acceleret adventum suum, ut compleat omnia supradicta. Ideo dicit: O Rex, veni in carne, & resurge post Mortem & Passionem, & *exaltare in virtute tua* in die Ascensionis: & tunc *cantabimus & psallemus virtutes tuas* in hac Ecclesia, festivitates celebrando: & *exaltare etiam in virtute tua* in die judicii; & factâ vindictâ de obstinatis, *cantabimus & psallemus virtutes tuas* in Ecclesia Triumphante.

Psalmus XXI. B

25. dist. ca. Unum orarium, §. Alius.

1. *Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti: longe à salute mea verba delictorum meorum.*

HUic Psalmo secundùm *Septuaginta* præponitur talis Titulus, scilicet, *In finem, Psalmus David pro susceptione*, vel assumptione *matutina.* Et tunc est sensus, quod David fecit hunc Psalmum dirigens nos in Christum, qui est finis Legis, pro susceptione Mortis & Passionis, & pro Resurrectione, per quam summo mane reassumpsit corpus glorioſum. Secundùm verò *Hieronymum*: *Victori David, Psalmus pro cerva matutina.* Et tunc est sensus, quod David filius *Isai* fecit hunc Psalmum, dirigens ipsum ipsi Messiæ, David in Scriptura nominato: & hoc fecit *pro cerva matutina*: per quam intelligitur humanitas Christi. Nam sicut *cerva* magis tempestivè inter cætera animalia se recludit in latibulo ad dormiendum, sed summo mane præ cæteris surgit & saltat exiens à latibulo: ita pariter Christus depositus de Cruce, horâ ante occasum Solis, repositus & clausus est in sepulchro: sed summo mane ante ortum Solis surrexit, & saltavit ab eo; & orto jam Sole apparuit Magdalenæ, & postea cæteris Apostolis. C

Christus dicitur cerva.

Sed ad majorem evidentiam est advertendum, quòd Christus in hoc Titulo hujus Psalmi dicitur *cerva matutina* ratione similitudinis: nam sicut *cerva* abundat copia lactis præ cæteris animalibus, quod multo labore & periculo acquirit, & præ cæteris est sollicita circa hinnulos alendos & custodiendos, nam summo mane surgit ad lactandos eos: ita pariter Christus, quasi sine mensura, abundavit copia lactis meritorum suæ Mortis & Passionis, & valde fuit solli- D citus circa filios suos fideles liberandos & E alendos: & summo mane post triduum surrexit de sepulchro ad lactandum lacte gloriæ quos eduxerat de Limbo, & lacte gratiæ meritorum suæ Passionis, quos liberaverat, & redemerat à peccato. Unde ratione copiæ hujus lactis doctrinæ & Sacramentorum, non solùm Christus, sed & Ecclesia, & Sacra Scriptura dicuntur *cerva*, *Proverb.*5. ubi ait: *Cerva charissima, & gratissimus hinnulus: ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter &c.* Ex quo patet, quòd Sacra Scriptura, & Christus, & Ecclesia dicuntur *cerva* in Scriptura. Ex quo patet, quòd David non temere appellat Christum *cervam matutinam* in Titulo hujus Psalmi, à quo Ecclesia traxit copiam lactis gratiarum & Sacramentorum. Contemnendi ergo sunt Rabbini Judæorum, qui exposuerunt hunc F Psalmum de populo Judæorum afflicto sub *Assuero* tempore *Esther.* Et etiam *Theodorus* hæreticus condemnatus est in *Concilio Toletano*, qui exposuit ipsum pro David Rege Israel.

Et ideo magis est credendum Euangelistis, qui allegant Scripturam hujus Psalmi pro Christi Passione, *Matth.*27. & *Joan.* 19. allegant, illud: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*, esse dictum de Christo per prophetiam. Item *Matth.*27. dicit, quòd Christus in Cruce dixit principium hujus Psalmi, id est, *Eli, Eli, lammasabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ex quo patet, quòd idem Christus, qui incarnatus, pendens in Cruce, dixit ista verba hujus Psalmi: ille idem per G os David ante Incarnationem, dixit eadem verba. Et sic utrobique loquitur Christus in Psalmo & Euangelio: in Psalmo, prophetizando; & in Euangelio, veritatem completam manifestando. Et ideo David in hoc Psalmo magis videtur texere historiam de Passione Christi, quàm prophetare.

Prævidens ergo David in spiritu totum mysterium Passionis, & Resurrectionis Christi, & exordium, & profectum, & prosperitatem Ecclesiæ; introduxit Christum ad loquendum, & fecit hunc Psalmum: in quo principaliter tria facit. Nam primò explicat totum mysterium suæ Passionis apud Patrem per modum querelæ. Secundò petit liberari per Resurrectionem. H Tertiò promittit agere gratias post beneficia recepta. Secunda ibi: *Tu autem Domine.* Tertia ibi: *Narrabo nomen tuum.* Quantum ad primum tria facit. Nam primò conqueritur, se esse derelictum à Patre. Secundò conqueritur, se esse contemptum & irrisum à Judæis, & Militibus. Tertiò conqueritur, se multipliciter afflictum. Secunda ibi: *Ego autem sum vermis.* Tertia ibi: *Circumdederunt me vituli multi.*

Divisio Psalmi.

Sed

Sed antequam veniamus ad expoſitionem totius Pſalmi, ſunt præadvertenda & præſupponenda quædam principia cum ſuis regulis *in Prologo* prænotata. Nam cùm Chriſtus ſit in omnibus *Mediator Dei & hominum*: ideo in eo reperiuntur duæ mirabiles uniones, ex quibus fiunt mirabiles locutiones, & intellectu difficiles. Nam primò humanitas Chriſti unitur Verbo Divino unitate perſonali. Et ſic in Chriſto ſunt duæ naturæ in una ſola perſona. Et ſic Chriſtus habens duas naturas in una ſola perſona, eſt perfectus Deus, & perfectus homo. Et ideo ratione iſtarum duarum naturarum communicantur idiomata utriuſque naturæ: quia verificantur de eo ea quæ ſunt Dei, & ea quæ ſunt hominis. Et ſic de Chriſto verificantur ineffabiles locutiones, quæ videntur contrariæ ad ſenſum quem faciunt in auribus corporis: & tamen ſunt veræ & catholicæ ad ſenſum in quo fiunt. Unde de Chriſto verificatur, quod eſt creator, & creatura: & creator, & non creator: & quod eſt æternus, & temporalis: & verificatur de eo, quod iſte homo creavit mundum: & iſte Deus eſt mortuus & paſſus &c. quia in quantum *homo* eſt paſſus, & in quantum *Deus* creavit mundum. Sic etiam in illo triduo mortis Chriſti, de eo verificantur ineffabiles locutiones. Primò, quòd anima Chriſti fuit realiter à corpore ſeparata; & ſic fuit verè mortuus: & tamen tàm anima, quàm corpus erant Verbo perſonaliter unita, & per conſequens anima & corpus erant una perſona, quod eſt mirabile dictu, ſcilicet, quod anima & corpus non eſſent in ſe, & inter ſe unus homo, nec realitèr unita: & quod eſſent una perſona in uno tertio, ſcilicet, in Verbo: & propter hoc *Magiſter ſententiarum*, & multi magni viri conceſſerunt, quod Chriſtus fuit homo in triduo: iſto modo; quod non erat homo in ſe, poſtquam anima non informabat corpus: immò realiter erat ſeparata. Et ideo licèt in ſe anima & corpus non eſſent unus homo: tamen in Verbo, in quo perſonaliter uniebantur, erant unus homo. Et ſic ſecundùm iſtos, Verbum erat homo: eò quòd habebat animam rationalem, & corpus ſibi perſonaliter unitum, licèt inter ſe unum ab altero eſſet ſeparatum: ſed iſte homo verè dicebatur mortuus. Quam quidem concluſionem plures magni viri non volunt concedere: eò quòd videtur dicere oppoſitum *in adjecto*, ſcilicet, quod ſit homo, & mortuus. Et ideo hoc relinquatur determinationi Eccleſiæ.

Sed ultra iſtam unionem eſt altera unio facta inter Chriſtum & Eccleſiam: in quantum Chriſtus aſſumpſit Eccleſiam, non in unitate perſonali, ſed unitate myſtica & ſacramentali. De qua unione & deſponſatione dicit Apoſtolus, 1. *ad Corinth.* 6. & *ad Epheſ.* 5. *Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Et ideo propter hanc mirabilem unionem etiam inter Chriſtum verum, & membra ſui corporis myſtici, communicantur idiomata: & de ipſo toto Chriſto, & de capite pro toto corpore myſtico, & quolibet membrorum, cauſantur & verificantur mirabiles concluſiones, quæ videntur falſæ, immò etiam deteſtabiles, & offendere pias aures, ſi intelligantur ad ſenſum quem faciunt in auribus corporis, niſi piè intelligantur ad ſenſum in quo fiunt in auribus mentis fidelium. Unde ſub tali ſenſu ipſe Chriſtus ſe dicit peccatorem, & derelictum à Patre, & peccata ſuorum, dicit eſſe ſua. Unde eſt valde advertendum, ſicut dictum eſt *Pſalmo* 17. quòd ſeptem modis Chriſtus dicit peccata noſtra eſſe ſua, non quoad culpam; quia nec peccavit in Adam, nec in ſe: ſed quoad pœnam, in quantum pro peccatis noſtris voluit pati. Unde primo modo peccata noſtra dicit eſſe ſua, in quantum *Advocatus:* ſecundò in quantum *Procurator*: tertiò in quantum *Fidejuſſor:* eò quòd obligavit ſe, cauſam noſtram advocare & defendere, & debitum pro nobis ſolvere, & ſatisfacere: quartò tanquam *Pater* pro filiis: quintò tanquam *Caput* pro corpore & membris: ſextò tanquam *Sponſus* pro ſponſa: ſeptimò tanquam *Dominus* pro vaſſallis, & ſervis: & octavò tanquam *Paſtor* pro grege: quia unuſquiſque iſtorum obligatur defendere cauſam ſibi aſſumptam, ad quam ſe obligavit: ideo Chriſtus his omnibus appellatur in Scriptura reſpectu noſtri. Et ideo hæc eſt cauſa, quare Chriſtus peccata noſtra dicit eſſe ſua, & loquitur in perſona Eccleſiæ ſponſæ ſuæ.

Chriſtus dicit peccata noſtra eſſe ſua.

His ergo præſuppoſitis, advertat lector, quòd Chriſtus per totum iſtum Pſalmum loquitur in quantum *homo* in forma ſervi: & non ſolùm loquitur in quantum Chriſtus verus, & perſona privata; ſed etiam perſona communis, & in quantum *Caput*, & *Sponſus*, & *Dominus*, & *Paſtor*, & *Advocatus*, & *Procurator*, & *Fidejuſſor* pro ſua Eccleſia & corpore myſtico ſibi unito. Et ideo Chriſtus in hoc Pſalmo procedit per modum orationis & petitionis. Nam primò de ſe prædicit propheticè Paſſionem & futuram Reſurrectionem ſuam: ſed deprecativè petit pro ſuis membris redemptionem, & reſurrectionem: ſive petit omnia membra ſua in ſe redimi & reſuſcitari. Et ſic non ſolùm peccata noſtra, ſed etiam dolores noſtros dicit eſſe ſuos. Et ideo eſt tertiò advertendum, quòd duplex dolor reperitur in nobis: ſcilicet, dolor *paſſionis*, & *compaſſionis*. Ergo dolor *paſſionis* dicitur, quando caput dolet ex propria paſſione cerebri, vel hæmicranei, vel alicujus particulæ capitis: quia tunc caput dicit: *Heu patior.* Alter dicitur dolor *compaſſionis*, ut quando malum eſt in pede,

Dolor duplex in nobis reperitur.

vel in brachio : quia tunc caput compatitur pedi, vel alteri membro : & tunc dicit caput : *Heu patior in pede &c.* & talis dolor dicitur *compassio.* Ita pari modo in Christo *Capite* nostro fuit, & erat duplex dolor in illo triduo, scilicet, *passionis*, prout patiebatur in corpore suo, & in illa carne assumpta, & apta ad patiendum. Alter fuit dolor *compassionis ;* quia pro nobis patiebatur : & sic non solùm patiebatur, & tristabatur in propria carne ex verberibus & flagellis, sed multò magis compatiebatur nobis, & miseriæ, & captivitati nostræ propter peccatum. Et magis compatiebatur in membris vulneratis, & afflictis à diabolo. Et sicut quandoque accidit, quòd homo patitur in capite, & in aliquo membro ; sed caput magis condolet membro, quàm sibi ipsi, si in membro est fortior ægritudo : ita pariter Christus in triduo magis condolebat & compatiebatur membris suis, quàm sibi : eò quòd erat major infirmitas membrorum, quàm sua. Nam sua erat corporalis ; nostra autem spiritualis : & ille patiebatur in corpore, nos vero in anima. Et sic magis condolebat, & compatiebatur nobis, quàm sibi. Et ideo Christus in hoc Psalmo magis loquitur ut caput & persona communis, quàm ut persona privata : & sic verba hujus Psalmi magis intelligenda sunt ad *sensum in quo* fiunt, quàm ad sensum *quem faciunt* : quia sicut in Passione non solùm patiebatur in se, sed compatiebatur magis nobis : ideo non solùm conqueritur apud Patrem de Passione sua, sed de compassione & miseria nostra.

Christus ergo non solùm in quantum *homo* pro se, sed etiam in quantum *Caput* Ecclesiæ pro suis membris conqueritur, se esse à Patre derelictum, & non exauditum. Unde ait : O *Deus* per universalem creationem, & *Deus meus* per specialem favorem, & conservationem, *respice in me, quare me dereliquisti, longè à salute* & vita *mea* ? quia permisisti me à Judæis affligi & occidi. Et sic non fuisti propitius saluti & vitæ meæ : immò *longè* factus es *à salute mea :* quia totaliter in potestate Judæorum *me dereliquisti*, & morti & passioni me obtulisti.

2. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies : & nocte, & non ad insipientiam mihi.*

38. d. 1. c. Sedulò, & deCons d. 5. cap. Non mediocriter.

Clamabo per diem in Cruce, & *verba delictorum meorum* in persona membrorum meorum peccatorum. Et clamabo clamore magno dicens verba supradicta, scilicet, *Eli, Eli, lammasabacthani*, id est : *Deus Deus meus, quare me dereliquisti* ? Et etiam clamabo in Cruce *per diem*, id est, in die Passionis, dicens : *Pater, ignosce illis : quia nesciunt quid faciunt* ? Et desiderans salutem omnium, dico in Cruce : *Sitio.* Item non solùm *in die*, sed etiam in nocte præcedente *clamabo* : *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste :* & tamen in omnibus his *non exaudies* me, nec exaudisti. Nam me à Judæis affligi, & flagellari, & irrideri, & crucifigi, & occidi permisisti : & pauci de Judæis & crucifixoribus meis, pro quibus oravi, sunt salvati : nec etiam omnes Gentiles sunt illicò conversi : quia per centum annos pro majori parte, permanserunt in sua superstitione, Ecclesiam persequendo & affligendo. Ergo sequitur, quòd *non* in omnibus *me exaudisti* : & per consequens *me* aliquando *dereliquisti. Quare* ergo *me dereliquisti*, & *me non exaudisti* ?

3. *Tu autem in sancto habitas, Laus Israel.* 28. d. 2. Sed.

LAUS & Deus *Israel*, qui tanquam justus Judex *habitas in sancto* Cœlo, & solio tuo judiciali, scis, supple, quòd hoc non contingit, nec accidit, nec debet imputari mihi *ad insipientiam*, & culpam, & delictum, scilicet, quòd patiar hanc afflictionem & mortem, quod sim derelictus, & non exauditus à te : quia tu, qui *habitas in sancto*, scis, quod ego *nunquam peccavi, nec inventus est dolus in ore meo* : ergo non mereor pati hanc afflictionem, nec mereor contemni, nec derelinqui à te.

Et nota, quòd isti tres versus non solùm sunt difficiles in sententia ad intelligendum, sed etiam sunt difficiles in contextura litteræ ad ordinandum particulas ad invicem, nec nisi vix reperi convenientiam inter Doctores in ordinatione particularum istorum trium versuum. Nam quidam ordinant ly *longè à salute mea*, cum ly *verba delictorum meorum* ; ut sit sensus : O Deus, ut quid dereliquisti me ? quia *verba delictorum meorum*, scilicet Patriarcharum, & Prophetarum, & omnium fidelium peccatorum *sunt longè à salute mea* : quia omnes clamant, quòd debeo mori, & expectant meam Passionem : nam peccata membrorum meorum exigunt quod moriar.

Item littera *Hieronymi* habet : *Longè à salute mea verba rugitus, sive clamoris mei* : quasi dicat, quòd *verba rugitus & clamoris*, quæ feci, tàm in Cruce, quàm in Horto, sunt *longè à salute mea :* quia non sunt audita : immò *clamabo per diem, & non exaudies, & non est silentium mihi.* Quasi dicat, quòd non fuit mihi silentium in tota illa die & nocte Passionis : sed semper clamavi, & tamen non exaudisti, ò

Pa-

Pater: quaſi dicat, quòd in vanum laboro & clamo. Quæ quidem littera *Hieronymi*, licèt magis clara ; tamen plura & altiora A ſacramenta continet Translatio ipſorum Septuaginta, ut patet in prima Expoſitione. Item ly *reſpice in me*, quod eſt in noſtra Translatione, non reperitur in Hebræo: ſed forſitan Septuaginta voluerunt ſupplere, ad denotandum, quòd Chriſtus in brevi debebat liberari de illa afflictione. Conqueritur ergo dicens: O *Deus Deus meus, reſpice in me*, citò liberando. Nam qua de cauſa *dereliquiſti me*, & receſsiſti *longè à ſalute mea*? Probo, quod dereliquiſti. Nam non clamabo verba mea, id eſt, peccata mea ; ſed *verba delictorum meorum*, id eſt, membrorum meorum peccatorum : quaſi dicat: in Cruce, & in Horto non deflebo, nec patiar, nec clamabo pro peccatis meis, ſed pro peccatis membrorum meorum : & tamen *non exaudies* me in tali clamore. *Sed* hoc *non* erit *mihi ad inſipientiam*, nec ad culpam: quia tu *Laus Iſrael*, qui *habitas in ſancto* ſolio judiciali, ſcis, quod B nunquam peccavi, nec mereor hanc afflictionem. Deinde ſubdit:

16. d. c. Si quis vult.

4. *In te ſperaverunt patres noſtri : ſperaverunt, & liberaſti eos.*

5. *Ad te clamaverunt, & ſalvi facti ſunt: in te ſperaverunt, & non ſunt confuſi.*

CUM dicit: *In te ſperaverunt patres noſtri*, reddit cauſam ſuæ juſtæ querelæ, arguens à majori. Nam ſi Pater exaudivit patres veteris Teſtamenti, & exaudi- C vit & liberavit eos de tribulationibus ſuis: ergo multo magis debebat liberare Filium, & exaudire in tali tribulatione, eò quòd erat Filius naturalis, & juſtus, & innocens. Sed oppoſitum fecit Pater: quia non exaudivit eum : immò dereliquit eum in poteſtate Judæorum, & permiſit ipſum irrideri, & multipliciter affligi. Et ideo primò probat, & oſtendit, qualiter Deus exaudivit, & liberavit patres antiquos. Secundò, qualiter permiſit ipſum contemni, & irrideri. Tertiò probat, qualiter ipſe eſt Filius naturalis, & juſtus, & innocens. Quartò, qualiter permiſit ipſum multipliciter affligi: & in hoc conſiſtit tota ſententia, & intelligentia hujus primæ partis principalis. Secunda ibi: *Ego autem ſum ver-* D *mis, & non homo.* Tertia ibi: *Quoniam tu es qui extraxiſti.* Quarta ibi: *Circumdederunt me vituli.*

Quantum ad primum ergo dicit: O Pater, qui *habitas in ſancto*, benè habeo jus querelæ: nam omnes *patres noſtri ſperaverunt in te, & clamaverunt*, & tu ex- E audiſti, *& liberaſti* eos de afflictione Ægypti, & de Mari Rubro. Unde *clamaverunt ad te* multotiens in deſerto, & de terra promiſsionis, cum tribularentur. Et ſic *clamaverunt*, & *ſperaverunt in te*, & tamen *non ſunt confuſi*, nec fruſtrati in ſua petitione : quia ſemper liberaſti eos, aut per *Moyſen*, aut per *Joſue*, aut per *Judices*, aut per *Reges*, aut per *Zorobabel*, de *Babylonia*, aut per *Machabæos*, de *Antiocho*: ego autem non fui exauditus, ſed fui reputatus tanquam *vermis*, & *non homo*, & tanquam *opprobrium hominum*, & *abjectio plebis*: quia fui multipliciter contemptus & irriſus. Nam *omnes videntes me* ſic à te derelictum & abjectum multipliciter *deriſerunt me* : primò in domo *Caiphæ* & *Annæ*, dando mihi alapas. Deinde in domo *Pilati*, me arundine percutiendo, & dicendo : *Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſsit* ? Item videntes me in F Cruce derelictum & abjectum, *locuti ſunt labiis*, dicendo: *Alios ſalvos fecit, & non poteſt ſeipſum ſalvum facere. Si Filius Dei eſt, deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei.* Item moverunt caput dicendo : *Ave Rex Judæorum*: &, *Vah, qui deſtruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas &c.* Et ſic dixerunt : ſi Jeſus Nazarenus *ſperavit in eum*, ſcilicet, in Deum : ergo *ſalvum faciat eum*, liberando de Cruce, *quoniam vult eum*, id eſt, ſi illum diligit Deus Pater, tanquam Filium naturalem, ſicut ipſe dixit. Ex his verbis patet, qualiter Chriſtus dicit, & conqueritur, ſe eſſe derelictum à Patre in poteſtate Judæorum, & confuſum, & non exauditum : & inde moti ſunt Judæi ad irridendum & illudendum ei, poſtquam viderunt ipſum non exauditum: & ſic putarunt totaliter ipſum à G Deo abjectum & derelictum : ideo hoc ei improperabant in Cruce, ut dictum eſt. Nam ideo Judæi irridebant eum : quia putabant ipſum à Deo derelictum ; & de hoc conqueritur hîc Chriſtus. Ex quo patet, quòd David hîc magis videtur texere hiſtoriam Euangelicam, quàm propheticam.

Et nota, quòd licèt Chriſtus fuerit verus *homo* quoad naturam, tamen quoad generationem fuit ut *vermis*. Nam ſicut *vermis* generatur ex terra ex ſola influentia cœleſti : ita Chriſtus fuit genitus in utero virginali ſine Patre carnali, ex puris ſanguinibus, ſolo opere Spiritus ſancti: ideo dicit Chriſtus:



6. Ego

Argu. de Pœ. d. 2. §. 1. c. 2. 15. q. 5. c. 1. & de Pœ. di. 2. §. Opponitur.

6. *Ego autem sum vermis, & non* A *homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.*

7. *Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & moverunt caput.*

8. *Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.*

EGO *autem sum vermis, & non homo*, id est, genitus ad modum vermis, & non per coitum ad modum hominis: & ideo sicut Christus non habuit patrem carnalem in terris: ita non habuit defensorem. Deinde cùm dicit: *Quoniam* B *tu es*, ostendit, se esse unicum *Filium naturalem*, & justum sine peccato. Nam sicut supradictum est, Christus nullum habuit alium patrem in terris, nisi solum Deum, qui opere Spiritus sancti formavit ipsum in utero virginali. Ex quo patet, quòd est *Filius Dei naturalis* ratione personæ, & ratione formationis. Secundò sequitur, quòd Christus est justus sine peccato naturæ, & personæ: quia non ex opere Adam natus est, sed ex opere & virtute Spiritus sancti. Et ideo, sicut nulli peccato erat obnoxius: ita nullius pœnæ erat reus. Ex quo patet, quòd non erat derelinquendus à patre: sed in omnibus exaudiendus. Et hoc est quod dicit hîc: O Pater, tu non debes me derelinquere, nec orationem, & personam meam contemnere; quia sum Filius tuus naturalis, & justus sine peccato. C

Vide d. c. Nasci.

9. *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ.*

TU *es* ille, *qui extraxisti me de ventre, & uberibus matris meæ*: & nullus alius pater carnalis *extraxit me*, quia non habeo patrem carnalem in terris. Et ideo *ex utero matris meæ projectus sum in te* solùm, id est, tibi soli, & nulli alteri datus sum Filius.

Et ideo subdit:

D 10. *In te projectus sum ex utero: De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me.* De Conf. d. 3. cap. ultimo.

TU solus *es Deus meus* à principio conceptionis *de ventre matris meæ*: quia in eodem instanti in quo fui creatus, fui Verbo personaliter unitus, & sic simul fui creatus, & assumptus: & per consequens nulli peccato obnoxius: ergo postquam tu es pater meus naturalis, & ego Filius justus sine peccato; *ne discesseris à me*, & ne derelinquas me:

11. *Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adjuvet.* 3. q. 1. c. Nulli: & 16. q. 2. Visis.

E QUoniam *tribulatio proxima est* mihi: & quoniam nullus alius est qui adjuvet, nisi tu qui es pater meus: ergo *ne discesseris à me*, & ne derelinquas me in agone Passionis; sed exaudi me. Ex supradictis patet, quòd de duobus conqueritur Christus. Primò, quia pater dereliquit eum. Secundò, quia non exaudivit eum. Tertiò, quia cum esset Filius naturalis, & justus sine peccato, permisit eum derideri & affligi.

Sed contra prædicta arguitur: & videtur, quòd Christus nunquam fuit à Patre derelictus, sicut ipse conqueritur: nam ipsemet dixit: *Non sum solus, quia Pater mecum est*, *Joann.* 16. Item contra illud quod dicit, quod non fuit exauditus in sua oratione, arguitur. Nam Apostolus dicit *ad Hebr.* 5. quòd Christus *in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui* F *posit illum salvum facere à morte cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Et sic videtur, quod quando dixit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*: & quando cum clamore valido dixit: *Eli, Eli, &c.* id est, *Deus Deus meus, quare dereliquisti me?* tunc fuit exauditus. Ad quod facit, quod dictum est *Psalmo præcedenti*, scilicet, *desiderium animæ ejus tribuisti ei &c.* Tertiò videtur, quòd injustè & frustra conqueratur Christus apud Patrem in toto isto Psalmo: quia *ab initio sciebat omnia quæ ventura erant in eum: & oblatus est, quia ipse voluit*, *Isai.* 53. Nota, si Christus fuerit à Patre derelictus.

Ad ista tria dubia respondetur, sicut dictum est in præambulis expositionis hu- Responsio
G jus Psalmi, quod propter duas uniones quæ reperiuntur in Christo, scilicet humanitatis ad Verbum, & Capitis ad membra, communicantur idiomata. Ideo in Scriptura fiunt mirabiles & ineffabiles locutiones, quæ videntur non solùm falsæ, sed etiam con-

contrariæ ad ſenſum quem faciunt, niſi intelligantur ad ſenſum in quo fiunt.

Chriſtum à Patre derelictũ ſtat dupliciter.

Ad primum eſt ergo dicendum: quòd A Chriſtum à Patre eſſe derelictum, ſtat dupliciter: uno modo in membris: & ſic manifeſtum eſt, quod totum ſuum corpus myſticum, & totum genus humanum fuit derelictum & abjectum in poteſtatem diaboli in Adam: quæ derelictio duravit uſque ad Chriſtum. Et iſto modo Chriſtus dicit ſe derelictum propter delicta ſuorum membrorum; & loquitur hîc tanquam *caput*, & *ſponſus*, & *paſtor*, & *advocatus*, & *procurator*, & *fidejuſſor*: ideo peccata noſtra dicit eſſe ſua, non quoad culpam, ſed quoad pœnam: quia pro nobis debitum ſolvit, & ſatisfecit. Secundo modo talis derelictio poteſt intelligi de derelictione perſonali, ſcilicet, quòd fuerit derelictus in perſona. Sed hoc poteſt etiam dupliciter intelligi: uno modo, quod fuerit derelictus in Verbo, quantum ad unionem B perſonalem, & quantum ad gratiam: & talis locutio eſt falſa, quia Verbum nunquam reliquit animam in inferno, nec corpus in ſepulchro: quoniam utrique fuit ſemper unitum; quia quod *ſemel aſſumpſit, nunquam reliquit*, ut dictum eſt *Pſalmo* 15. & per conſequens nunquam reliquit humanitatem quoad gratiam: quia ſemper Chriſtus fuit plenus gratiâ. De tali ergo inderelictione dicit Chriſtus: *Non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt*, *Joann.* 16. Secundò, perſonalis derelictio poteſt intelligi, quantum ad pœnam & paſsionem: & ſic eſt dicendum, quod Pater dereliquit eum in poteſtate Judæorum in illo triduo, ad Mortem & Paſsionem perſerendam. Et ideo dixit Chriſtus Judæis: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*, *Matth.* C 26. Item Filius fuit derelictus in triduo, in quantum *omnes potentiæ relictæ ſunt unaquæque in ſua operatione, ne aliam impediret*, ut ait *Damaſcenus lib.* 4. Nam ſicut pars intellectiva ſummè fruebatur: ita pars ſenſitiva ſummè dolebat, & affligebatur. Ergo Chriſtus dicit ſe eſſe derelictum in membris quantum ad culpam, & in perſona, non quantum ad perſonalem unionem & gratiam, ſed quantum ad pœnam pro nobis ſolvendam.

Nota de Chriſti oratione.

Ad ſecundum dubium eſt dicendum, quòd myſterium illius orationis Chriſti, quando dixit: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, eſt ita grande & ineffabile, quod licèt multi Doctores conati fuerint ipſum declarare: tamen ſemper remanet aliqua difficultas. Et ideo videtur D mihi ſemper recurrendum ad ſupradictam regulam de ſenſu verborum in *quo fiunt*, & non *quem faciunt* quandoque in Sacra Scriptura. Nam ſi talis locutio intelligatur ad ſenſum *quem facit* in auribus corporis, eſſet manifeſtè falſa. Nam ſonat, quod Chriſtus priùs timendo mortem, rogavit Patrem, ut tranſiret calix paſsionis à ſe, & non pateretur mortem tam horribilem. E Sed poſtea videns voluntatem Patris, voluit ipſi conformari & obedire; & dixit: *Fiat voluntas tua &c.* Sed ſi ſic cum tali diſcurſu temporis intelligatur, eſſet locutio falſa. Primò, quia Chriſtus ab initio ſcivit, quòd Deus ſic determinaverat: & hoc ipſe Apoſtolis revelaverat, quando ad paſsionem venerat; cum ſecretò dixit Diſcipulis: *Ecce aſcendimus Hieroſolimam, & Filius hominis tradetur &c.* Et ſic oratio ſua fuiſſet fruſtranea & indiſcreta, orando contra voluntatem & determinationem Patris, & contra id quod retractari non poterat. Item ſequeretur, quod pro tunc Chriſtus perdidiſſet charitatem erga genus humanum, quia ſciebat, quòd aliter non poterat redimi, niſi per ſuam Paſsionem. Eſt ergo intelligenda illa oratio & petitio Chriſti ad ſenſum in *quo fuit* facta.

De Chriſti voluntate.

F Ad cujus intelligentiam eſt advertendum, quòd voluntas Chriſti duobus erat unita. Nam primò erat unita Verbo perſonaliter, & Paternæ voluntati per charitatem & gratiam: & ſic per talem unionem, ſemper fuit conformis divinæ voluntati. Secundò, erat unita appetitui ſenſitivo, in quantum radicaliter ambæ iſtæ duæ potentiæ fundabantur in eſſentia & ſubſtantia animæ: & ideo voluntas per talem unionem, ſemper compatiebatur appetitui & carni in omnibus tormentis, & afflictionibus. Et ſic in tota Paſſione Chriſtus ſimul fruebatur, & patiebatur: nam reſpectu divinæ unionis, fruebatur voluntas, & reſpectu carnis, patiebatur. Ita pariter in quantum erat Verbo unita perſonaliter & per gratiam, ſemper fuit conformis divi- G næ voluntati, & obediens in omnibus: nec fuit aliquod inſtans, in quo voluntas Chriſti non conformaretur divinæ voluntati. Unde quia caro Chriſti, & appetitus ſenſitivus, qui dicitur quædam voluntas naturalis, vehementer dolebat, & patiebatur in tormentis: ideo naturaliter exhorrebat & timebat mortem: quia omne animal naturaliter appetit permanere, & mortem perniciemque devitare nititur. Ideo caro, ſive appetitus ſenſitivus perſuadebat voluntati, ut ſe retraheret à tali Paſſione & Morte: quia ut dictum eſt, *omnes potentiæ derelictæ ſunt in ſuis propriis & naturalibus operationibus.* Sed voluntas Chriſti licèt compateretur carni in tali dolore: tamen nolebat ſequi ejus appetitum & ſuaſionem: ſed totaliter decernebat, & deliberabat H implere, & ſequi voluntatem Patris, ſcilicet, pati pro nobis cum magna obedientia & charitate: & hoc eſt quod dicitur *Luc.* 22. quòd *cœpit tædère & pavère*, quantum ad carnem: & *factus eſt in agonia*, quantum ad utrumque: quia caro ſuadebat, & voluntas compatiendo carni, non conſentiebat: ſed voluntatem Patris adimple-

plere firmiter statuebat. Et tunc dixit: *Pater, si possibile est, transeat à me &c.* Quæ quidem oratio & locutio non A fuit mortis excusativa, sed naturalis timoris, & vehementis doloris expressiva; volens ostendere, se veram carnem habuisse, & pro nobis vehementem dolorem sustulisse, & se ostendere Patri paratum obedire. Et ad talem sensum prolata fuit illa oratio. Cujus sensus est iste: O Pater, licèt caro infirma naturaliter exhorreat & timeat mortem, & si possibile esset, vellet hunc calicem Passionis transire & excusare: tamen ego nolo condescendere & parcere carni, nec conformare voluntatem meam cum appetitu sensitivo, sed cum tua voluntate. Nam licèt *caro sit infirma*, tamen *spiritus promptus est* ad obediendum tibi, & patiendum pro genere humano: & ideo non fiat sicut ego volo, id est, sicut caro suadet; sed sicut tu vis, & præcipis, & ab æterno præordinasti, & per B ora prophetarum prædixisti. Ex quo patet, quòd voluntas Christi simul compatiendo carni & sensualitati, obediebat, & conformabatur Paternæ voluntati, cui erat unita per charitatem & gratiam. Et sic illa locutio, sive oratio Christi non fuit mortis excusativa, sed compassionis ad carnem, & conformitatis ad Paternam voluntatem expressiva: & hic est principalis sensus hujus orationis.

Sed præter supradictum sensum, adhuc illa oratio continet tria alia mysteria: quia explicat duplex desiderium in Christo, scilicet desiderium *antecedens*, quo desideravit, & voluisset Calicem suæ Passionis ad omnes homines transisse, & omnes salvasse: sed ex consequenti ostendit C desiderium, & voluntatem *deliberatam*, qua voluit tantum salvare prædestinatos, & pœnitentes. Tertiò, per illam orationem dedit nobis doctrinam, ut discamus carni non condescendere, sed divinæ voluntati obedire. Quartò, dedit doctrinam omnibus Martyribus, & omnibus fidelibus, ut ex propriis viribus non præsumant aggredi mortem absque divino auxilio invocato. Ex supradictis patet, quid sit dicendum ad argumentum: nam Christus in illa oratione non postulavit Mortem & Passionem fugere: sed ostendit, se infirmitati carnis non condescendisse, sed Patri obedisse, & redemptionem pro omnibus postulasse: & sic *exauditus fuit pro sua reverentia*, & sua petitio deliberata semper fuit impleta.

Ad tertium dubium & argumentum, D est dicendum per eandem regulam & rationem: quòd querela, quam Christus videtur facere in isto Psalmo, non est indignativa, nec injuriæ deputativa, sed Patris, & Filii charitatis expressiva, & admirativa: quia vult ostendere, quòd tanta fuit charitas Patris erga genus humanum, quod *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis ipsum morti tradidit*: & E tanta fuit obedientia Filii, quod maluit Patri, quàm propriæ vitæ complacere: & hoc nobis manifestat, ut nos sibi magis reddat obligatos.

Ex dictis in primo dubio patet: quòd Patrem Filium derelinquere, nihil aliud fuit, nisi ipsum morti tradere, & Judæis potestatem, ut ipsum affligerent, concedere. Item ex secundo dubio patet: quòd Christum, ut Calix ab eo transiret, Patrem rogare, nihil aliud fuit, nisi compatiendo carni, simul Patri obedire. Item ex tertio patet: quòd Christum per modum querelæ suam afflictionem apud Patrem exponere, nihil aliud fuit, quàm charitatem Patris erga genus humanum admirari & explicare.

F 12. *Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.*

16.q.2.c. *Visis*, ibidem.

13. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.*

De Pœ.d. 2. *Si enim*

14. *Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea.*

15. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.*

G CHRISTUS in hac parte explicat suam afflictionem, & quasi historice texit discursum suæ Passionis, incipiens à captione usque ad mortem inclusivè. Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd Christus quatuor nominibus appellat Judæos persecutores: appellat enim *vitulos*, *tauros*, *canes*, & *leones*, unde per *vitulos* intelligit Ministros, qui eum cum petulantia ceperunt: & appellat *tauros*, ipsos Principes & Pharisæos, à pinguedine & potentia: *leones* autem appellat eosdem, propter iracundiam & furiam cum qua in ipsum irruerunt: *canes* verò eos appellat, à mordacitate & latratu: quia semper contra ipsum latrarunt, & momorderunt. Dicit ergo Christus: O Pater, *quare me dereliquisti* in potestate Judæorum? quoniam H *multi vituli circumdederunt me* in horto, & ligaverunt me, & trahentes per terram, ad Annam & Caipham me duxerunt: & ibi *tauri pingues*, id est, Principes Sacerdotum, Scribæ, & Pharisæi, qui dicuntur *tauri* propter potentiam & sacerdotium, & dicuntur *pingues* à pinguedine divitiarum, & munerum, & oblationum: isti *tauri pingues*, isti *vituli*, scilicet, eorum ministri, ob-

Judæi sunt persecutores Christi.

obſederunt me in domo Annæ & Caiphæ, & ibi *aperuerunt ſuper me os ſuum* ſuperbi & iracundi, *ſicut leo rugiens*, convitia A & opprobria inſerendo, & falſa crimina imponendo, & blaſphemum appellando. Unde, *ſicut leo rugiens & rapiens* trahit prædam per terram, & lacerat & laniat: ita me trahebant per terram cædendo, ſpuendo, collaphizando, & capillos evellendo, in tantùm quod *ſicut aqua effuſus ſum, & omnia oſſa mea diſperſa*, id eſt, tracta *ſunt* ſuper terram: quia ex nimio labore, & afflictione perfuſus ſum ſudore, *ſicut aquâ*: quia in tantùm abundavit in me ſudor, quod videbar perfuſus in toto corpore, *ſicut aquâ* madidus. Item, *ſicut aqua* immunda effunditur, & projicitur extra domum: ita ego *fui effuſus*, & projectus ſuper terram, tanquam inutilis & deſpectus. Item, non ſolùm oſſa mea materialia & perſonalia fuerunt diſperſa, ſed B etiam omnia oſſa mea myſtica, id eſt, omnes Apoſtoli fuerunt diſperſi: quia me relicto, omnes fugerunt. Et ſic in tali afflictione *factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris*, id eſt corporis, *mei*. Nam ſicut *cera liqueſcens* à calore ignis non poteſt reſiſtere: ita ego ex nimio labore debilitatus, non poteram ei reſiſtere, nec ſuper pedes meos ſtare. Nam

De Pœn. d. 3. cap. Interhæc.

16. *Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis: & in pulverem mortis deduxiſti me.*

C EXHAUSTIS omnibus viribus cordis, tota *virtus mea aruit*, & exſiccata fuit *tanquam teſta*. Nam ſicut *teſta* nucis, vel cujuslibet fructus aret & ſiccatur exhauſto humore; ita totum corpus meum *aruit*, & factum eſt macilentum, naturalibus viribus exhauſtis. Et ſic frequenter cadebam in terram: eò quòd ſpiritus vitales deficiebant in corde, & motus animales deficiebant per totum corpus: & ſic non ſolùm non poteram me ſuſtentare ex defectu virtutis, ſed nec etiam poteram loqui. Et ideo *adhæſit lingua mea faucibus meis*. Et ulterius non ſuiſti contentus de tanta afflictione; ſed etiam *in pulverem mortis deduxiſti me*, con- D cedens Judæis poteſtatem, ut me crucifigerent. Nam mane facto,

* *
*

* * *
* *
*

* * *
* *
*

* * *
* *
*

E 17. *Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me.* *14. q. 2. Viſit.*

CIrcumdederunt *me canes multi*, id eſt, Judæi mordaces, & contra me latrantes tanquam *canes*, & *concilium malignantium* Scribarum & Phariſæorum *obſedit me*. De quo *concilio malignantium* dixit Jacob, *Geneſ.* 49. *Simeon & Levi fratres: vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea &c.* eò quòd Scribæ & Phariſæi erant futuri de tribu *Simeon*, & Sacerdotes de *Levi*, ut patuit *Pſal.* 2. Ideo ait Chriſtus per os David: *Circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me*: & facto F concilio tradiderunt me *Pontio Pilato Præſidi*; & tanquam canes latrantes & rabidi dixerunt: *Crucifige, crucifige eum; quia ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Unde Pilatus timens accuſationem populi, me flagellatum ad crucem & mortem deſtinavit: in qua cruce

18. *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia oſſa mea.* *Matt. 27. e. Joan. 19. 16. q. 7. cap. Sicut Domini veſtimentum.*

19. *Ipſi vero conſideraverunt & inſpexerunt me: diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.*

G FOderunt, & clavis perforarunt & penetrarunt *manus & pedes meos*: & extendentes, & trahentes brachia mea, & pedes meos ſupra crucem ad loca clavorum, *dinumeraverunt* & delocaverunt & disjunxerunt *omnia oſſa mea*. Ipſi vero Judæi *inſpexerunt me, & conſideraverunt me* mortuum: & ſic deſpexerunt. Item ipſi Gentiles, & miniſtri circumdantes crucem, viderunt me nudum in cruce pendentem, & *conſideraverunt* & putaverunt, me eſſe à Deo deſpectum & abjec- H tum: & ſic deſpexerunt me: & tunc milites & miniſtri Pilati *diviſerunt ſibi veſtimenta mea*, unuſquiſque partem ſuam diripiendo: *& ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.*

Ad cujus intelligentiam eſt advertendum, quòd Chriſtus habebat duas veſtes, ſcilicet, exteriorem, quam pallium vocabant, quæ totum corpus ſuperius tegebat; & habebat *tunicam inconſutilem*, qua juxta carnem interius tegebatur. Milites ergo *Chriſtus habebat duas veſtes.*

diviserunt sibi in partes vestimenta exteriora, scilicet pallium, ut ait *Joannes Evangelista*. Sed non diviserunt tunicam interiorem, eò quòd erat *inconsutilis desuper contexta per totum*; sed miserunt sortem super eam: & sic unus militum accepit eam tantum in sortem. Quod totum factum est in maximum mysterium & sacramentum: quia per illa vestimenta significabatur totum mysterium Sacræ Scripturæ veteris Testamenti; nam per illa vestimenta superiora significabatur littera veteris Testamenti: & per *tunicam inconsutilem* significabatur veritas Euangelica, clausa & contecta sub littera superficiali. Nam sicut pallium tegebat tunicam inconsutilem tangentem carnem Christi: ita littera superficialis veteris Testamenti tegebat Legem Euangelicam, & omnia mysteria Passionis Christi, & Ecclesiastica Sacramenta, in quibus realiter & virtualiter Christus continetur. Et sic Lex Euangelica dicitur *tunica inconsutilis Christi desuper contexta per totum*, continens realiter Christum in Sacramentis: & ideo vestimenta superiora fuerunt divisa & lacerata; ad denotandum, quòd Lex Moysi, quantum ad litteram, fuit per partes rupta, & lacerata, & divisa per Hæreticos & Infideles: quia unusquisque eorum habet suam partem. Unde *Saraceni* habent circuncisiones, & quasdam lotiones: & quidam alii Hæretici adhuc servant Sabbatum, & quædam alia cærimonialia. Et etiam *Judæi* moderni & *Thalmudistæ* lacerarunt illam vestem veteris Testamenti, trahentes in partes suas, putà, *Abenazara Cordubensis*, & *Rabbi Salomon*, & *Rabbi Moyses de Ægypto*, qui glossant illam Legem ad sensus contrarios: & sic magnum schisma est inter eos. Sed tunicam inconsutilem, scilicet, Legem Euangelicam nullus unquam potuit lacerare, nec *portæ inferi adversus eam potuerunt prævalere*; quia veritas Euangelica semper manet inconcussa, *fundata supra firmam petram*.

Sed etiam est advertendum, quòd illa *tunica inconsutilis* non cecidit in sortem alicui Judæo; sed uni militum, qui erat de populo Gentili: ad denotandum, quòd sors Euangelica & fructus Passionis non cecidit in populo Judæorum, sed in populo Gentili ad Fidem conversо. Et etiam, quia sortes prædestinationis non *ceciderunt* nisi *in præclaris* Christianis, ut dictum est *Psalmo decimoquinto*.

20. *Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice.* 2. q. 7. Testes.

21. *Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis unicam meam.* 24. q. 1. cap. Quæ dignior.

22. *Salva me ex ore leonis: & à cornibus unicornium humilitatem meam.* Argum. de Conf. d. 2. Iteratur.

HÆC est secunda pars principalis hujus Psalmi, in qua Christus petit liberari per Resurrectionem, quæ fuit finis omnium afflictionum. Unde dicit: *Tu autem Domine* Pater *ne elongaveris*: id est, ne differas auxilium tuum à me: sed citò *conspice ad defensionem meam*, tertia die me suscitando. Et tu *Deus erue animam meam à framea* & gladio mortis; scilicet, ab illa sententia data in *Adam*, in qua dictum est: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Et *erue unicam animam meam de manu canis* infernalis: ne detineat eam in inferno, sicut detinuit alios propter peccatum ipsius *Adam*. Et ideo *canis* infernalis non potest animam meam jure detinere: eò quòd est *unica* & sola, nulli peccato obnoxia, non solùm in persona, sed nec etiam in natura: eò quòd ex opere Adam natus non sum: & ideo *sum solus inter mortuos liber* à morsu canis infernalis. Et libera me etiam *de ore leonis* tartarei, ne devoret & absorbeat me; & libera etiam *humilitatem meam à cornibus unicornium*.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd Christus tribus nominibus appellat infernum, sive diabolum: appellat enim ipsum *canem*, & *leonem*, & *unicornem*: & hoc ratione proprietatum istorum trium animalium. Est enim diabolus, & infernus immundus & obscœnus per luxuriam: & mordax & latrans per avaritiam, sicut *canis*. Item est diabolus iracundus, & invidus, sicut *leo*: & est superbus, & elatus, sicut *unicornis*, qui non patitur priorem, nec æqualem in itinere: sed vult, quòd omnia animalia ipsum post tergum sequantur: nec patitur etiam consortem secum in latibulo. Cum ergo diabolus omnia supradicta vitia hominibus suadeat, non debet de jure cruciare, nec in inferno tenere, nisi solos immundos, & luxuriosos, & avaros, & invidos, & iracundos, & superbos. Ex quibus patet, quòd infernus de jure non poterat Christum detinere, cum ab omnibus supradictis vitiis esset liber & immunis: immò erat mundus, & mitis, & humi-

Infernus, seu diabolus tribus nominibus dicitur.

milis. Hoc eſt ergo quod allegat Chriſtus apud Patrem, dicens: *Erue unicam animam meam* ſine peccato *de manu canis*: A eò quòd eſt *unica* ſine peccato: & libera *me de ore leonis: & à cornibus unicornium: quia mitis ſum & humilis corde.* Eſt ulterius advertendum, quòd Chriſtus in hac parte non ſolùm petit ſupradicta propheticè in perſona ſui: ſed etiam deprecativè orat Patrem in perſona membrorum, ut liberet Fideles ſuos à ſupradictis vitiis, & de pœnis inferni per Paſſionem ſuam, & Eccleſiaſtica ſacramenta.

Heb. 2. c. 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te.*

HÆC eſt tertia pars principalis, in qua Chriſtus promittit ſe agere gratias B poſt beneficia recepta. Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd quatuor fecit Chriſtus in ſuo adventu, & poſt reſurrectionem ſuam. Primò, quia ipſe manifeſtavit *nomen Dei* in ſua prædicatione, & *aperuit Apoſtolis ſenſum & Scripturas*, ut patet *Lucæ* 24. & miſit eos ad prædicandum per univerſum orbem, *Matth. ult.* Secundò, quia una Eccleſia fuit adunata ex Judæis, & Gentilibus: immò totus populus Gentilis venit ad Fidem. Tertiò, quia nomen Dei fuit laudatum à Solis ortu uſque ad occaſum. Quartò, quia ſolum & verum ſacrificium, ſcilicet, *Euchariſtia*, fuit oblatum in univerſali Eccleſia à Solis ortu uſque ad occaſum, ceſſantibus cærimonialibus, & idololatria.

C Dicit ergo Chriſtus: O Pater, poſtquam incarnatus ero, narrabo nomen tuum fratribus meis Apoſtolis: primò in menſa antequam patiar; unde *Joann.* 17. *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus.* Item *Joan.* 16. *Vos autem dixi amicos: quia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Sed magis *narrabo nomen tuum fratribus meis*, quando aperiam eis ſenſum & Scripturas poſt meam reſurrectionem: & mittam eos ad prædicandum Euangelium omni creaturæ. Et ſic *laudabo te*, ò Pater, annuntiando mirabilia & ſecreta tua *in medio Eccleſiæ;* primò Apoſtolorum & Diſcipulorum: ſecundò *in medio* totius *Eccleſiæ* ex Gentilibus congregatæ: & ideo *omne ſemen Iſrael* non ſolùm ſecundùm carnem, ſed etiam ſecundùm ſpiritum & D promiſſionem, *timeat*, id eſt, tunc timebit *eum*, ſcilicet, Deum Patrem: *quoniam non ſprevit, neque deſpexit orationem* mei *pauperis*: immò exaudivit me, quia me reſuſcitavit: & Paſſionem meam in ſalutem membrorum meorum acceptavit, & Regnum Cœlorum & poſſeſſionem mihi donavit. Et ideo

E 24. *Qui timetis Dominum laudate eum: univerſum ſemen Jacob glorificate eum.* *23. q. 6. cap. Schiſmatici, §. ult. in fin.*

25. *Timeat eum omne ſemen Iſrael: quoniam non ſprevit, neque deſpexit deprecationem pauperis.*

26. *Nec avertit faciem ſuam à me: & cum clamarem ad eum, exaudivit me.*

F OMNES converſi, *qui timetis Dominum, laudate eum*, & *univerſum ſemen Jacob* ſecundùm ſpiritum & promiſſionem, *glorificate eum* manifeſtè, longe lateque confitedo: & *timeat eum omne ſemen Iſrael*, id eſt, omnes Deum per fidem videntes &c. Et nota, quòd notanter dicit *narrabo*, id eſt, manifeſtabo *nomen tuum:* quia omnes Patres veteris Teſtamenti expectabant Chriſtum, ut eis litteris manifeſtaret nomen Dei, quod eſt *Jeſus*, ut patuit *Pſalmo* 18.

27. *Apud te laus mea in Eccleſia magna: vota mea reddam in conſpectu timentium eum.* *De Conſe. d. 2. Licèt in gl.*

G HIC promittit ſe vota Sacramentorum oblaturum, & maximè Sacramentum Euchariſtiæ, quod dicitur *Votum & ſacrificium laudis*: eò quòd de ſe eſt bonum, & laudabile, & acceptabile *de opere operato* apud Patrem. Ideo ait: O Pater, tunc *apud te* erit *laus mea in Eccleſia magna* à Solis ortu uſque ad occaſum: quia *vota mea reddam*, id eſt, Eccleſiaſtica ſacramenta, *in conſpectu* omnium fidelium *timentium eum.* Sed inter cætera vota offeram *Sacramentum Euchariſtiæ* ſub ſpecie panis & vini. Unde hoc ſacrificium non offeretur *in Eccleſia parva*, qualis erat Hieruſalem terrena, in qua ſola offerebantur ſacrificia veteris Legis; ſed hoc H ſacrificium offeretur *in Eccleſia magna* à Solis ortu uſque ad occaſum, in memoriam Paſſionis.



De Conse. d. 2. cap. Christus.

28. *Edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi.* A

PAuperes Christiani, qui terrena contemnunt: & Gentiles, qui ante fuerant *pauperes* sine vera Lege & sacrificio: tunc *edent* hoc Sacramentum, in quo offeretur vera caro & sanguis Christi Mediatoris. *Et* sic *saturabuntur* saturitate spirituali: quia reficietur eorum anima & conscientia. *Et* sic *laudabunt Dominum* omnes fideles *qui requirunt eum*: & *corda eorum vivent in sæculum sæculi.* Nam ille cibus non dat vitam temporalem, sed spiritualem & æternam. Nam *sicut ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me, Joann. 6.* Nam licèt corpus B moriatur temporaliter: tamen anima vivet in æternum.

De Pœn. d. 1. & 5. c. Nullus expectet.

29. *Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ.*

ET tunc *universi fines terræ*, id est, Gentiles, qui habitant per *omnes fines terræ, reminiscentur*, & cognoscent Deum, *& convertentur ad Dominum* prædicatione Apostolorum, & Martyrum, & Doctorum.

De Conse. d. 3. Prælatum. De Summa Trin. & Fide Cat. c. 1.

30. *Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium.*

31. *Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur Gentium.* C

UNiversæ familiæ Gentium *adorabunt in conspectu ejus*; quia in hoc Sacramento adorabunt verum Deum, execratâ & abjectâ idololatriâ: quoniam totus populus Gentilis est, & erit *Regnum Domini*, qui ante fuerat regnum diaboli: quia *princeps hujus mundi ejicietur foras* per hoc sacrificium *Eucharistiæ*: & ipse Deus *dominabitur Gentium* omnium. Et sic post conversionem Magni Constantini

De Pœ. d. 3. §. Quamquam, ca. Quid ergo.

32. *Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ: in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.* D

OMnes *pingues terræ*, id est, omnes divites, & reges, & principes conversi ad Deum, *manducaverunt & adoraverunt* hoc Sacramentum: & *omnes qui descendunt in terram*, id est, omnes mortales, qui sepeliendi sunt *in terra*, *cadent*, & E procident in facies, & curvabunt genua *in conspectu ejus* Sacramenti, quando videbunt in manibus Sacerdotum: & sic *adorabunt* illud.

Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd notanter dicit, *manducaverunt & adoraverunt*, ad exprimendum excellentiam hujus Sacrificii super sacrificia & sacramenta veteris Legis: nam in hoc Sacramento continetur realiter totus Christus Deus & Homo, & tota Trinitas: in illis autem nonnisi figuraliter. Unde modus, & ordo quo existit Deus in hoc Sacramento, est iste. Nam primò, ibi existit verum corpus Christi, scilicet, caro cum nervis & ossibus; & hoc per se ex vi Sacramenti, & consecrationis: nam in hoc solùm transubstantiatur substantia panis, sicut sonant verba. Secundò, est ibi immediatè sanguis F Christi per immediatam concomitantiam. Tertiò, est ibi anima Christi informans & actuans corpus per concomitantiam ad totum. Quartò, est ibi Verbum Dei incarnatum, toti humanitati Christi personaliter unitum. Ex consequenti est ibi tota Deitas, quæ plenè est in Verbo: & ex inde est ibi persona Patris, communicans Verbo totam deitatem, à quo originaliter Filius habet quicquid habet: & ex consequenti est ibi Spiritus sanctus ab utroque procedens. Ex quo patet, quòd Filius non est ibi sine Patre, nec Spiritu sancto, propter inseparabilem consubstantialitatem: quia aliter esset censendus Arianus, & non Catholicus, oppositum concedens: & hæc est causa, quare adoratur hoc Sacramentum, & non sacrificia veteris Legis: quia G Deus habet specialem modum existendi in hoc Sacramento. Et ideo dicit David: *Adoraverunt &c.* velùt in quo adoratur Deus in Trinitate.

Nota, de corpore Christi.

De Pœ. d. 1. §. Inter est versi resuscitatus.

33. *Et anima mea illi vivet: & semen meum serviet ipsi.*

HIC finaliter Propheta David in spiritu, sub fide & spe Christi futuri, jam lætatur in hoc Sacramento dicens: *Anima mea* tunc, id est, in Lege gratiæ, *vivet illi*, scilicet Christo per hoc Sacramentum. Nam sicut nos vivimus in re per hoc Sacramentum, ita David, & omnes patres H vivebant in spe: quia eadem est fides. Et ideo sequitur: *Semen meum*, scilicet Maria, & Joseph, & Apostoli, qui erunt de semine meo secundùm carnem, & etiam secundùm spiritum, *serviet ipsi* Christo.

* * *

34. *An-*

34. *Annuntiabitur Domino generatio ventura : & annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.*

15. q. 1. Revertimini.

GENERATIO *ventura*, quæ convertetur, *annuntiabitur*, id est, confitebitur Domino : *& Cœli*, id est, Apostoli, *annuntiabunt justitiam ejus*, id est, Legem Euangelicam justificantem, ipsi *populo qui nascetur* per Baptismum : quem populum *Dominus fecit*, & regeneravit sibi. Et nota, quòd etiam isti duo ultimi versus possunt esse verba ipsius Christi, continuando ad præcedentia, ut patet. Et sic iste Psalmus magis videtur historia Euangelica, quàm prophetia. Sed cæci Judæi non merentur percipere, nec gustare : ideo nos agamus gratias Deo. Et nota, quòd Christus, sive David, maximè post Christi Passionem, memorat sacrificium *Eucharistiæ* : eò quòd fit *in memoriam Passionis* : & quia maximè in eo repræsentatur Passio Christi. Et ideò Christus promittit, quòd si Pater resuscitat ipsum relinquet hoc *Memoriale*, & quotidianum Sacramentum in memoriam Passionis.

Ex isto Psalmo, possunt recolligi quatuordecim conclusiones : quarum *prima* est, quòd Christus dupliciter conqueritur, se à Patre derelictum. Primò in membris : quia ab Adam usque ad Christum, totum genus humanum erat à Deo abjectum & relegatum. Secundò, in persona, in quantum Pater permisit ipsum à Judæis affligi & crucifigi.

Secunda conclusio : quòd Christus in hoc Psalmo, & quando dixit, *Pater si possibile est &c.* non intendebat Mortem & Passionem pro nobis excusare : sed suam obedientiam explicare, in quantum maluit Patri obedire, quàm infirmitati carnis, & propriæ vitæ parcere & condescendere.

Tertia conclusio : quòd Pater in tantum dicitur Filium exaudisse, in quantum ejus afflictioni non pepercit.

Quarta conclusio : quòd licet desiderium *antecedens* in Christo non semper fuerit impletum : tamen ejus voluntas *consequens* & petitio deliberata semper fuit exaudita & completa.

Christus in horto, & in cruce pro peccatoribus oravit.

Quinta conclusio : quòd Christus in horto, & in cruce non oravit, nec clamavit pro se : sed pro delictis membrorum suorum, pro quibus passus est mortem : ideo dicit : *Non ad insipientiam* & culpam *mihi.*

Sexta conclusio : quòd Christus in tota prima parte hujus Psalmi, non intendit propriam injuriam exigere & disputare : sed charitatem Patris admirari : qui ut servum liberaret, Filium naturalem, & justum, & innocentem Judæis tradidit occidendum.

Septima conclusio : quòd Sacerdotes & Pharisæi tanquam *tauri pingues*, & *leones rugientes*, & *canes mordaces obsederunt* Christum, id est, ex invidia, & avaritia, & malitia.

Octava conclusio : quòd Christus in sua Passione ostendit veram carnem & humanitatem : quia multipliciter fuit afflictus : & finaliter *foderunt manus & pedes ejus* & latus, unde exivit verus sanguis : quare Judæi *consideraverunt, & inspexerunt*, & cognoverunt Christum esse verum hominem.

Nona conclusio : quòd vestimenta Christi exteriora fuerunt in partes scisa & divisa : sed *tunica inconsutilis* interior non fuit scisa : sed cecidit in sortem uni militum de populo Gentili : ad denotandum, quòd tunc fuit lacerata vestis, & superficialis littera veteris Testamenti, sed tunica interior, scilicet, veritas Euangelica sub littera clausa, tunc fuit manifestata, manens integra & inconcussa : quæ non cecidit in sortem Synagogæ, sed populo Christiano, ex populo Gentili pro majori parte converso.

Decima conclusio : quòd sicut Christus fuit liber ab omni peccato, tàm originali, quàm personali, quia anima sua fuit unita carni sine peccato, & sine culpa, & fuit humilis, & mitis : ita fuit liber à *framea*, & sententia mortis data in Adam, & à morsu *canis*, & ab *ore leonis*, & *à cornibus unicornium* infernalium : quia sicut fuit liber ab omni culpa, ita etiam ab omni pœna infernali.

Christus fuit liber ab omni peccato.

Undecima conclusio : quòd Christus loquitur in hoc Psalmo, non solùm ut persona privata, sed tanquam *caput*, & *sponsus*, & *advocatus* : ideo etiam orat pro membris, ut liberentur à culpâ & pœnâ *canis*, & *leonis*, & *unicornium* infernalium : & hoc per suam Passionem, & Ecclesiastica Sacramenta.

Duodecima conclusio : quòd quatuor fecit Christus in suo advéntu. Nam primò, nomen Dei Patris *Tetragrammaton*, scilicet, *Omnipotentiam*, & *Sapientiam*, & *Misericordiam*, & *Justitiam* Dei Patris, in seipso fratribus suis Apostolis, & Christianis manifestavit, & narravit, & declaravit. Secundò, nomen Dei Patris in magna Ecclesia toto orbe diffusa, fecit laudari, & de beneficiis *Nativitatis*, & *Incarnationis*, & *Resurrectionis* festa celebrari. Tertiò, instituit Sacramentum *Eucharistiæ* ad spiritualem refectionem *pauperum* Christianorum. Quartò, congregavit totum populum Gentilem ad adorandum Deum in hoc Sacramento.

Decimatertia conclusio : quòd anima Fidelis Christiani vivit spiritualiter in refectione hujus Sacramenti.

Quar-

Quartadecima conclusio : quòd *Cœli*, id est, Apostoli, & Discipuli annuntiaverunt justitiam Christi, & hujus Sacramenti, & totam Legem Euangelicam populo Gentili de novo regenerato. Et etiam *Cœli*, id est, Prælati Ecclesiæ, & Doctores, & Sacerdotes annuntiabunt justitiam Legis Euangelicæ toti populo regenerando per Baptismum, & Ecclesiastica Sacramenta usque ad diem judicii.

Psalmus XXII.

De consec. d. 2. c. In calice.

1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit.*

Titulus : *Psalmus David.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum. Sed de causa movente David ad faciendum hunc Psalmum, & de materia ejus discordant Magistri Hebræorum inter se. Nam quidam dicunt, quòd David fecit hunc Psalmum in persona populi *Israel* redeuntis de captivitate *Babyloniæ* in terram *Juda*, quæ est fertilior & abundantior, quàm *Babylonia*. Et ideo agit gratias, quia venit in terram fertilem & amœnam. Alii dicunt, quòd David fecit hunc Psalmum pro seipso, agens gratias, quòd Deus reduxerat ipsum in Judæam, quando fugerat à facie *Saul* in speluncam *Odollam*, 1. *Reg.* 22. & ideo dicit : Gratias ago Domino, quia *Dominus regit*, & direxit *me*, & *collocavit me in loco pascuæ*, & fertilitatis, scilicet, in *Judæa &c.*

Sed manifestè utrique istorum mentiuntur : primò, quia *Babylonia* sine proportione est fertilior, & magis aquosa, quàm tota terra *promissionis*. Ideo in reditu captivitatis Judæi passi sunt famem & penuriam, ut patet *primo Esdræ*. Item, quia in tota terra promissionis, & maximè in terra *Juda*, non est tanta ubertas, quanta hic memoratur : cùm sit terra lapidosa & inaquosa, præter ripam *Jordanis* in *Galilæa*. Item, iste Psalmus computatur inter Sacras Scripturas, sicut cæteri : Ergo continet Sacramentum de Christo & Ecclesia, sicut frequenter & sæpius dictum est. Ideo ad ejus intelligentiam est advertendum : quod licet tota terra *Juda* à Hierusalem usque ad *Cades*, & *Bersabee* versus Meridiem, sit pro majori parte inaquosa, & sterilis : tamen inter cæteras Civitates & Villas, *Bethlehem* est magis fertilis, eò quòd est magis irrigua, & abundans aquis fontalibus : maximè quia habet unum magnum fontem manantem ex montanis *Judææ*, prope domum *Zachariæ*. Qui quidem fons irrigat majorem partem territorii : & inde est, quod abundat pascuis, & vino, & frumento, & oleo plùs cæteris terris *Judææ*. Et ideo ante vocata fuit *Ephrata*, id est, *fertilis*. Sed tempore *Ruth* dicta est *Bethlehem*, id est, *domus panis*, eò quòd post longam famem abundavit pane plùs cæteris urbibus *Juda*, & hoc propter majorem copiam aquarum.

Bethlehem gerit figuram Christi & Ecclesiæ.

Et ideo *Bethlehem* maximè gerit typum & figuram Christi & Ecclesiæ. Primò, quia in ea nasciturus erat Christus, qui est *panis vivus qui de Cœlo descendit*. Secundò, quia significabat ubertatem Sacramentorum Ecclesiæ, quæ conficiuntur ex aqua, & pane, & vino, & oleo, ut patebit. Secundò est notandum : quòd sicut *Bethlehem* gessit typum Ecclesiæ propter dictam fertilitatem, & eò quòd Christus erat in ea nasciturus : ita *David* gerebat figuram Christi. Primò, quia fuit natus in eadem *Bethlehem*, ubi Christus erat nasciturus. Secundò, quia pro majori parte habuit omnes proprietates Christi : quia primò, pauper, & pastor, & passus persecutiones injustè, & ultimò sublimatus in regem &c. Et ideo est advertendum : quod antequam David ungeretur primò in regem, custodiens oves Patris sui, erat ignarus omnium istorum, & vir simplex : sed postquam unctus est per *Samuelem*, illicò directus est spiritus Domini in David, & adeptus est spiritum corporalis fortitudinis, & adeptus est spiritum prophetiæ, ut ait *Josephus*, & illicò fecit aliquos Psalmos, dum pasceret oves : quod probatur. Nam cum spiritus nequam vexaret & agitaret *Saulem*, dixit quidam de pueris : *Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, & Dominus est cum eo.* Et sic venit David ad Regem, qui cùm psalleret in cithara, *discedebat spiritus nequam*, ut patet 1. *Reg.* 16. Ex quo patet, quòd David psallebat aliquos Psalmos, quos condiderat. Nam diabolus non fugiebat sonum citharæ, sed virtutem Psalmorum, quos David cantabat cum cithara. Et sic est credendum, quòd David fecit aliquos Psalmos, dum pasceret oves, antequam esset gener Regis. Inter quos unus fuit iste.

David figura Christi.

Unde postquam David adeptus est spiritum prophetiæ post primam unctionem, jam spiritus & animus suus totaliter fuit directus & elevatus in Deum. Videns ergo se pastorem gregis, & unctum in regem, & natum in *Bethlehem* : & contemplans terram *Bethlehem* irriguam & fertilem : & considerans oves quas pascebat, & baculum quem gerebat, quo sustentabatur, & regebat oves : tunc prævidit in spiritu, qualiter Christus, qui est *panis vivus*, erat in *Bethlehem* nasciturus, & quomodo Christus in Lege promissus, erat futurus verus pastor ovium fidelium, & Rex universalis, & Dominus, qui oves suas debebat in loco pascuæ collocare, & ibi

ibi eas per ſuos Prælatos regere & paſcere. Prævidit etiam ex fertilitate ipſius *Bethlehem*, totam fertilitatem futuram Eccleſiæ, A & omnium Sacramentorum, quibus oves Chriſti reficiuntur & paſcuntur : & per illum fontem irrigantem totam terram *Bethlehem*, prævidit fontem aquæ baptiſmalis Eccleſiæ. Item etiam per illum fontem irrigantem totam terram *Bethlehem*, prævidit in ſpiritu, qualiter ex *latere* Chriſti debebat *exire ſanguis & aqua:* ex quo fonte erat tota Eccleſia irriganda per ſeptem rivulos Eccleſiaſticorum Sacramentorum. Et per abundantiam & copiam paſcuorum prævidit cætera ſacramenta : putà, per copiam panis & vini, prævidit Sacramentum *Euchariſtiæ* : & per copiam olei prævidit *oleum chriſmatis*, & *Catechumenorum*, & *infirmorum* ad ſananda vulnera peccatorum : & per *baculum* & *virgam paſtoralem* prævidit *Legem Euangelicam*, quæ eſt *virga* ad dirigendum nos per ſemitas vitæ, & eſt *baculus* ad ſuſtentandum, ne cadamus in umbrás mortis. Et ſic David B prævidens omnia iſta in ſpiritu, commotus eſt à Spiritu ſancto ad faciendum iſtum Pſalmum.

Sed quia *Eſdras* prævidit in ſpiritu, quòd omnia Eccleſiaſtica Sacramenta debebant trahere & ſumere virtutem ex paſſione & latere Chriſti : ideo collocavit hunc Pſalmum immediatè poſt præcedentem : eò quòd ibi prædixerat David totum myſterium Paſſionis Chriſti, à quâ Paſſione habent virtutem omnia Sacramenta : de quibus agitur in hoc Pſalmo, in quo David duo facit. Nam primò, gaudet jam in ſpe, qualiter Chriſtus verus Paſtor repoſuit ſuum gregem fidelium in pinguiſſimo agro Eccleſiæ, in quo paſcitur paſcuis uberrimis Eccleſiaſticorum Sacramentorum. Secundò prævidit effectum & fructum, quem fideles conſecuturi erant ex refectione iſtorum C Sacramentorum. Qui quidem fructus eſt gratia & miſericordia in præſenti, & vita æterna in futuro ; ibi : *Et miſericordia tua ſubſequetur me.*

Quantum ergo ad primum dicit David in perſona corporis myſtici : Gratias ago, & lætor in ſpe Chriſti futuri : quoniam Dominus meus Jeſus Chriſtus *regit*, id eſt, reget, & paſcet me : & erit mihi paſtor, & rector : quia *ibi in loco paſcuæ collocavit me*, id eſt, deduxit, & introduxit me in Eccleſiam, in qua eſt copia paſcuæ, & bonorum ſpiritualium, quibus anima reficitur. Nam nec *Synagoga*, nec *Lex Moyſi* me potuit reficere, nec juſtificare : cum eſſet ſterilis. Sed Chriſtus in Lege promiſſus, qui eſt *panis vivus*, & D verus rector, & paſtor, *collocavit me* in Eccleſia ſua, quæ eſt locus veræ paſcuæ, ſicut ego prævidi in ſpiritu, per officium regni, & paſtoratus mihi commiſſi, & per fertilitatem terræ *Bethlehem*, ubi ego paſco oves meas : per quam ego prævidi in ſpiritu ubertatem & copiam bonorum ſpiE ritualium Eccleſiæ Chriſti, ſicut dictum eſt. Littera *Hieronymi* habet : *Dominus paſcet me in paſcuis herbarum :* & tunc littera eſt plana.

2. *Super aquam refectionis educavit me : animam meam convertit.* *Diſt. 50. c. Is vero.*

HIC incipit enarrare bona ſpiritualia, ſive paſcua hujus Eccleſiæ. Unde eſt advertendum, quòd paſcua, ſive bona Eccleſiæ, quædam ſunt *doctrinalia*, ſicut ſunt præcepta, & conſilia Euangelica : & quædam *medicinalia*, ſicut ſunt Eccleſiaſtica Sacramenta, quæ ſimul reficiunt & ſanant. Nam primò, *Baptiſmus* ſanat à peccato, & vivificat à morte. Secundò, *Confirmatio* roborat animum contra tentatioF nes. Tertiò, *Pœnitentia* reſuſcitat à morte & pœnâ æternâ. Quartò, *Euchariſtia* nutrit, & dat ſpiritualem vitam. Quintò, *Extrema-Unctio* ſanat omnia venialia vulnera, quæ remanent poſt *Pœnitentiam* : & ideo hæc bona principaliter enumerat. Dicit ergo David : Bene dico, quòd Dominus meus Jeſus Chriſtus *collocavit me in loco paſcuæ* bonorum ſpiritualium. Nam primò ipſe *educavit* & nutrivit *me*, & vivificavit ſuper aquam baptiſmalem *refectionis* : quia cum eſſem mortuus peccato originali, ipſe regeneravit & refecit me per *aquam* baptiſmalem. Secundò, cum eſſem longe à Deo per peccatum mortale, ipſe *animam meam convertit* per Sacramentum Pœnitentiæ. Tertiò, cum eſſem extra viam juſtitiæ in regione umbræ mortis & ignorantiæ, *Efficacia Sacramentorum.*

G

3. *Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ, propter nomen ſuum.* *2. q. 7. Teſtes.*

D*Eduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ*, dando, ſcilicet, mihi præcepta Euangelica moralia, & conſilia : & hoc fecit non meis meritis, ſed *propter nomen ſuum*, quod eſt *Jeſus*, id eſt, *Salvator:* quia ad hoc venit in mundum.

4. *Nam etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* *5. q. 5. Non omnis.*

H

SI *ambulavero in medio umbræ mortis*, id eſt, inter peccatores, & diabolos tentatores, *non timebo mala*, id eſt, tentationes & perſecutiones eorum : *Quoniam*

tu

tu mecum es, auxilium gratiæ largiendo: quod probo. Nam quartò: A

Dist. 45. cap. Disciplina, & de Conse. cap. 2. In calice.

5. *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

DEDIT mihi *virgam*, id est, disciplinam Euangelicam, ad dirigendum in hac vita, ut incedam rectâ viâ ad vitam æternam: & dedit mihi baculum fortitudinis, & aliorum donorum Spiritus sancti, per Sacramentum Confirmationis: quo baculo sustentor, ne cadam, & resistam tentationibus. Et *virga tua* Euangelica, & *baculus tuus* fortitudinis, *ipsa* duo, scilicet *virga*, & *baculus*, *me consolata sunt*, dirigendo & roborando. Quintò: B

De Conse. d. 2. Christus.

6. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.*

PARASTI *mensam* Eucharistiæ *in conspectu meo adversus* omnes inimicos, tàm visibiles, quàm invisibiles, *qui tribulant me.* Nam per hunc cibum primò ego reficior: & deperdita gratia in me restituitur, & capiti meo Christo rejungor, & simul cum eo spirituali vita vivo, & contra inimicos fortior efficior. Et etiam *parasti in conspectu meo mensam* Sacræ Scripturæ *adversus* tentationes. Nam per documenta Sacræ Scripturæ possum tentationes cavere: sicut Christus, cùm dictis Scripturæ respondebat tentatori diabolo, ut patet *Matthæi* 4. Sextò: C

De Conse. ibid.

7. *Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est!*

Triplex unctio corporis, & animæ.

IMPINGUASTI *in oleo caput meum*, scilicet, animam & conscientiam, quæ est caput totius corporis. Nam tibi fui impinguatus, & unctus oleo sacramentali. Primò, oleo Catechumenorum in Baptismo ad sanandum originale. Secundò, chrismate salutis ad robur & peritiam in Confirmatione. Tertiò, oleo infirmorum in Extrema-Unctione ad sanandum vulnera, quæ per D sensus corporeos perpetraveram: sed per istas tres sacramentales & visibiles unctiones fui intus in anima impinguatus, & dilatatus oleo lætitiæ, & gratiæ invisibilis Spiritus sancti. Septimò finaliter loquendo: *quàm præclarus est* & fructifer *calix meus inebrians* in amore tuo! quem dedisti mihi in Sacramento Altaris: quem calicem dimisisti mihi in memoriam tuæ Passionis. E Quasi dicat: Tàm *præclarus* & memorabilis est iste *calix* tuæ Passionis, & *Eucharistiæ*, quàm nullum Sacramentum est ipsi comparabile in dignitate. Nam in hoc sacro convivio Corpus Christi sumitur, & recolitur memoria totius Passionis; cùm in eo sit realiter Christus cum tota virtute suæ Passionis; & in eo futuræ gloriæ nobis pignus datur. O ergo, *quàm præclarus*, & memorabilis, & dignus est *calix* iste, *inebrians* animam, relevans eam à mundanis, & totaliter eam jungens Deo, & per amorem in Deum convertens! quia *anima magis est ubi amat, quam ubi informat*: nam amor transformat amantem in amatum. Quem quidem effectum facit iste *præclarus calix* & contemplatio ejus: quia tantùm inebriat animam, quòd transF formet eam in Deum: à quo quidem *calice Passionis* habent virtutem omnia alia Sacramenta Ecclesiastica. Quasi dicat: O *quàm præclarus est calix* iste Passionis Christi! quia ab eo fluxerunt omnia Ecclesiastica Sacramenta. Nam primò rigavit Ecclesiam aquâ baptismalis refectionis. Secundò ditavit eam cæteris pascuis, & bonis sacramentalibus, & spiritualibus. Ex quibus patet, quantum est uber & fertilis in pascuis spiritualibus iste ager Ecclesiæ, in quo Christus nos collocavit, quòd in eo tot, & tantis, & tam præclaris bonis & cibis & fructibus spiritualibus fruamur & pascamur.

Dist. 34. c. Diaconi.

8. *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.*

G

POSTQUAM superius enumeravit Ecclesiastica Sacramenta nobis data in spiritualem refectionem: hìc prædicit fructum & effectum omnium Sacramentorum, quem ex eis consequimur: qui est *misericordia* & gratia in præsenti, & vita æterna in futuro. Dicit ergo, quòd tantæ virtutis est refectio istorum Sacramentorum, quòd ex eis *misericordia tua subsequetur me*, dans gratiam in præsenti *omnibus diebus vitæ meæ.*

De Conse. dist. 2. c. Christus, & tribus, cap. se.

9. *Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.*

H

UT post hanc vitam *habitem in domo Domini*, in Regno Cœlorum, *in longitudinem dierum*; id est, in æternum, & consequar vitam æternam. Quasi dicat: quòd sicut cibus corporalis dat vitam corporalem, ita cibus Sacramentorum dat vitam spiritualem, scilicet, gratiam in præsenti, & vitam in futuro æternam. Et nota, quòd Ecclesia dicit hunc Psalmum in

Agen-

Agenda Defunctorum in perſona cujuslibet defuncti exiſtentis in Purgatorio, in quantum poſtquam receſſit ab hac vita cum refectione Sacramentorum *Pœnitentiæ* & *Euchariſtiæ*, deſiderat exire à pœnis, & *habitare in domo Domini*, & paſci, & frui pabulo gloriæ in æternum.

PSALMUS XXIII.

1. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo.*

1.Cor.10 f.d.18.c. 1. & 13. q. 2. In Eccleſiaſtico, & extra de deci. cap. Tua nobis

TITULUS: *Pſalmus David* in *prima Sabbati*. Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Pſalmum, & tradidit eum Cantoribus, ut cantaretur *in prima Sabbati*, ſcilicet, prima die poſt Sabbatum, quæ eſt dies *Dominica*. Et ratio eſt: Nam in hoc Pſalmo memoratur univerſale Regnum, & poteſtas, quam adeptus eſt Chriſtus in die Reſurrectionis. Nam ſicut in die *Dominica* Deus creavit mundum, & omnia quæ ſunt in eo, ſecundùm mentem *Auguſtini*: ita Chriſtus in die *Dominica* reſurrexit, & in ſe renovavit omnia, & adeptus eſt univerſale dominium, & poteſtatem, ut ipſe ait, *Matth.* 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra &c.* Quòd prævidens David in ſpiritu, fecit hunc Pſalmum: in quo tria facit. Nam primò oſtendit, & prædicit, totum regnum mundi de jure deberi ipſi Chriſto. Secundò apoſtrophat ad principes inferni, ut recipiant ipſum tanquam Dominum, & adaperiant ei portas inferni. Tertiò apoſtrophat ad Principes Cœli, ut recipiant eum tanquam Dominum & triumphatorem in die Aſcenſionis. Secunda ibi: *Attollite portas.* Tertia ibi: *Attollite portas.*

Qualiter omnia ſubjiciuntur Deo.

Quantum ergo ad primum dicit: Tota *terra* habitabilis, *& plenitudo ejus*, id eſt, omnia quæ in ea continentur, ſcilicet, animalia, & plantæ, & mineralia, eſt poſſeſſio Domini noſtri Jeſu-Chriſti, eò quòd eſt Deus & Homo; & non ſolùm terra, ſed etiam totus *orbis terrarum*, *& univerſi qui habitant in eo*, ſcilicet, Cœli, & Aſtra, & Elementa, & univerſi Angeli qui habitant in Cœlo, & homines qui habitant in terra, & dœmones qui habitant in inferno ſub terra. Omnia hæc ſunt ſub poteſtate & ditione Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Deinde cum dicit:

*** *** *** *** ***

2. *Quia ipſe ſuper maria fundavit eum: & ſuper flumina præparavit eum.*

35.d. cā. Ab exor. dio.

PROBAT dupliciter quod dixit, ſcilicet, quòd Chriſtus ſit univerſalis Dominus totius *orbis terrarum*. Primò in quantum Deus. Secundò etiam in quantum homo; ibi: *Quis aſcendet?* Probat ergo primò, quòd Chriſtus ſit Dominus orbis in quantum Deus: eò *quia ipſe fundavit eum ſuper maria*, & *præparavit* & diſpoſuit *eum ſuper flumina.*

Nota, quo modo terra eſt gravior.

Ad cujus intelligentiam eſt advertendum, quòd ſecundùm naturam & ordinem elementorum, *terra eſt inferior, quia gravior*, ut patet 4. *Cœli.* & 1. *Metheor.* Et per conſequens aqua, quæ eſt ſuper terram, deberet naturaliter circuire undique totam ſuperficiem terræ: eò quòd eſt levior quam terra, & gravior aëre. Sed Divina Providentia in primordio creationis *diviſit aquas ab aquis, & apparuit arida*, ut præberet habitationem hominibus & beſtiis. Quæ quidem diviſio aquarum nil aliud fuit, niſi quod taliter diſpoſuit terram, quod elevavit multos montes in ea: inter quos montes manſerunt valles, per quas currunt aquæ manantes à fontibus ex radicibus & lateribus montium: quæ congregantur in *flumina* per valles decurrentia uſque ad inferiores partes terræ: ex qua congregatione fiunt maria: & ſic facta ſunt maria in depreſſioribus partibus terræ, ex congregatione fluminum: & ſic manſerunt montes elevati altiores *ſuper maria* & *flumina*, quæ ſunt in vallibus, & locis inferioribus: & ſic dicimus, quòd *Barchinona*, & *Genua*, & *Cajeta*, & *Neapolis* ſunt Civitates ſitæ ſupra mare: eò quòd terra & montes, in quibus fundantur, ſunt altiores quàm mare: & eadem ratione dicimus, quòd *Roma* eſt ſita ſupra *Tiberim*, & *Florentia* ſupra *Arnum*, & *Valentia* ſupra *Turium* fluvium. Sed de hac diſpoſitione terræ latius dicetur *Pſalmo* 103. Propter ergo ſupradicta dicit David, quòd ideo Chriſtus eſt univerſalis Dominus orbis terrarum: eò quòd *ipſe fundavit eum ſuper maria*, elevando montes & colles, manentibus aquis in depreſſioribus partibus terræ: & *præparavit* & diſpoſuit *ſuper flumina* eodem modo: quia ripæ ſunt altiores currentibus fluminibus per valles depreſſiores uſque ad maria. Quaſi dicat: quòd ſicut aqua deberet continere terram: tamen terra continet aquas, & omnia maria, & paludes, & flumina in vallibus, & partibus depreſſioribus & declivioribus, ſicut vas continet aquam; ut latius patebit dicto *Pſalmo* 103. & in hoc manifeſtatur Divina Providentia & Sapientia.

De Pœ.d. 1. c. Omnis.

3. *Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto ejus?*

HIC probat, quòd Christus in quantum homo, est Dominus totius orbis, & non solum terræ, sed etiam Cœli. Unde movet quamdam quæstionem, dicens : Ego bene credo, quòd Christus in quantum Deus, est Dominus totius orbis: sed est dubium, si in quantum homo, possit esse Dominus Cœli ? nam *quis* unquam hominum *ascendit in montem Domini* ? id est, in Cœlum Empyreum, quod communiter in Scriptura dicitur *mons Domini* : aut *quis* homo *stabit in loco sancto Domini* ? cum Cœlum sit purum & incorruptibile, & homo immundus & corruptibilis. Ad hoc respondet David : *Innocens manibus & mundo corde* ascendet, & erit dignus ascendere Cœlum supremum.

Corpus humanum potest in Cœlo collocari.

Ad cujus intelligentiam est primo notandum, secundùm *Augustinum*, quòd hæc quæstio, scilicet, *An corpus humanum possit in Cœlo collocari* ? jam fuit agitata & versata inter Philosophos ; ideo 22. *de Civitate*, à *cap.* 10. *usque ad finem libri*, probat contra Platonicos & Porphyrium, qualiter corpus humanum, licet sit elementatum, tamen virtute divina potest reduci ad talem dispositionem, quòd non mutata substantiâ, efficiatur quasi spirituale : in tantum, quod totaliter sequatur animam, & subjiciatur ei : & sic *ubi volet spiritus, ibi protinus erit & corpus.* Et hoc idem dicit *in lib. de Spiritu & Anima*, *cap.* 9. quam gratiam & dignitatem adeptus est nobis Christus in sua Resurrectione. Sed causam quare hoc Christus meruit, & universale dominium ? assignat *Apostolus*, primò, per suam humilitatem, *ad Philip.* 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum &c.* Secundam causam assignat : quia fuit innocens & mundus sine peccato per naturam : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Et sic Christus quia secundùm naturam fuit mundus & innocens sine peccato : ideo meruit ascendere Cœlum ; sicut ascendisset *Adam* mutatus in vitam meliorem, si non peccasset. Et dico, quòd Christus fuit mundus & sine peccato secundùm naturam : quia licet sponte susceperit infirmitates nostras, & naturam mortalem aptam ad patiendum : tamen non traxit naturam corruptam fomite peccati, sicut nos; ideo dicitur solus innocens & *inter mortuos liber* secundùm naturam : sed ratione humilitatis & obedientiæ ad Patrem, non solum meruit habere mansionem in Cœlo, sed etiam universale dominium, & potestatem in Cœlo, & in terra, & in inferno. Et ideo David respondens ad illam quæstionem factam per Philosophos, scilicet : *Quis ascendet in montem Domini &c.* dixit:

De Pœ.d. c. Omnis qui nõ diligit.

4. *Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.*

Supra 9.

5. *Hic accipiet benedictionem à Domino : & misericordiam à Deo salutari suo.*

CHRISTUS *innocens manibus, & mundo corde* meretur *ascendere in Cœlum*, & habere universale dominium : eò quòd *non accepit in vanum animam suam*, nec fœdavit eam peccato, faciendo eam vanam, & frustratam suo fine, sicut peccatores; qui *accipiunt animam in vanum*, cum eam applicant ad ista temporalia, vana, & frivola : & sic frustrant & privant eam suo debito fine. Et sic Christus *non accepit in vanum animam suam, nec juravit in dolo proximo suo* : immò *perhibuit testimonium veritati.* Et sic fuit *innocens, & mundo corde*, & verax : & ideo propter ista tria meruit regnare universaliter in Cœlo, & in terra : *Psalmo* 44. *Intende, prospere procede, & regna : propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam &c.* Et ideo sequitur : *Hic*, scilicet, Christus *innocens, & mundus corde, & verax, accipiet benedictionem* cœlestem *à Domino, & misericordiam à Deo* Patre *salutari suo* : nam Christus à Patre habuit, ut sit Salvator: *quia hæc*, id est, talis *generatio est quærentium eum*, & *quærentium faciem Dei Jacob*, id est, quærentium hîc Deum per gratiam, & in futuro per facialem visionem, & per gloriam. Sed est advertendum, quòd in his supradictis quatuor versibus latet magnum sacramentum. Primò per hoc quod ait : *Quis ascendet in montem* ? Secundò per hoc quod subdit : *Hic accipiet.* Tertiò per hoc quod additur : *Hæc est generatio quærentium faciem Dei Jacob.*

Ideo est notandum, quòd quando *Jacob* vidit in somnis scalam stantem in terra, cujus summitas attingebat Cœlum, & vidit Angelos ascendentes & descendentes per eam : vidit Dominum innixum scalæ dicentem sibi : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac &c. & tibi dabo terram hanc, & semini tuo, & dilataberis ad Occidentem & Orientem &c. & benedicentur in te omnes*

nes tribus terræ : ut patet *Genes.* 28. Et per illam scalam cognovit Deum incarnandum. Nam sicut eadem scala ex una parte tangebat Cœlum, & ex altera terram, prævidit, quòd Christus futurus de genere suo, erat futurus *Deus*, & *homo* : ideo vidit Deum innixum scalæ. Et per promissionem sibi factam, & per Angelos ascendentes per scalam, prævidit, quòd non solus Christus Deus & homo erat in Cœlum ascensurus, & erat Dominus Cœli : sed etiam omnes filii Jacob secundùm spiritum & promissionem, qui debebant implere mundum à solis ortu usque ad occasum, & ab aquilone ad austrum, erant ascensuri in Cœlum per illam scalam, qui est Christus, & habere mansionem in Cœlo per Christum. Et prævidens, quod nemo poterat effici membrum Christi, nec ascendere in Cœlum cum Christo, nisi mundaretur per aquam baptismalem, & ungeretur oleo Spiritus sancti, ut efficeretur *innocens manibus, & mundo corde* : ideo postquam B surrexit à somno, *effudit oleum super lapidem* : ostendens, quod omnes eramus baptizandi & ungendi in *lapide Christo Jesu*. Et ideo dicit : *Verè Dominus est in loco isto : & non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta Cœli &c.* Legens ergo David istam visionem Jacob, & prævidens per eam, ea quæ supradicta sunt de Christo & Ecclesia : ideo ait : *Quis ascendet in montem Domini ?* id est, quis est ille figuratus per *scalam Jacob* ascendens usque ad Cœlum ? Et respondet : iste est Christus Deus & homo, supple, *innocens manibus*, id est, justus in operibus, *& mundo corde*, qui non accepit in vano animam suam, applicando eam ad vana temporalia : *nec juravit in dolo proximo suo* : immò *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Iste ascendet in montem Domini tan- C quam Dominus, quia Deus & homo per scalam figuratus. Et quis ascendet per illam scalam ? Et qui sunt ascendentes per illam scalam cum Christo in Cœlum ? Respondet : *Innocens manibus*, id est, omnis innocens per pœnitentiam, *& mundo corde &c.* Quasi dicat, quod omnes regenerati per Baptismum, & purgati per pœnitentiam, ut dictum est, *ascendent* cum Christo *in montem Domini.*

Christus dicitur scala Jacob.

Item est ulterius notandum, ut legitur *Genes.* 27. quòd *Jacob* subripuit benedictionem, dum *Esau* iret ad venandum : quia *Jacob* indutus & coopertus pellibus caprinis & simulatus, fuit benedictus à Patre : & Pater in spiritu prævidit mysterium Incarnationis, & prævidit Verbum incar- D nandum, & mortali carne induendum. Et ideo dixit : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus &c.* Item legitur *Genes.* 32. qualiter *Jacob* luctatus est cum Angelo, & noluit ipsum dimittere, usquequò fuit benedictus ab eo : ideo

Qualiter Jacob est luctatus cum Angelo.

dixit ipsi Dominus : *Nequaquam vocaberis* E *Jacob, sed Israel*, id est, *Videns Deum*, aut *Fortis cum Deo, & directus & benedictus à Deo.* In utraque visione prævidit David, qualiter reprobata Synagogâ, solus populus Christianus debebat subripere primogenituram, & benedictionem per Christum, & videre Deum, & vocari *Israel* : quia solus populus Christianus est directus à Deo per Legem Euangelicam, & videt Deum per fidem ; & est à Deo benedictus per Baptismum, & videt faciem Dei Jacob, qui *vidit Deum facie ad faciem & salva facta est anima ejus.* Hoc ergo prævidens David, dicit : quòd non solum Christus per naturam, sed corpus suum mysticum, qui est populus Christianus, *innocens manibus & mundo corde* per sacramentalem sanctificationem, *ascendet in monte Domini* cum Christo Capite suo, *& stabit in loco sancto ejus.* Et *hic* talis *accipiet benedictionem* spiritualem *à Domi-* F *no*, figuratam per benedictionem Jacob factam à Patre, & ab Angelo. Nam

6. *Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.*

12. q. 1. Cui portio.

HÆC talis *est* illa *generatio quærentium Dominum*, id est, isti sunt figurati per *Jacob*, qui tenuit Angelum, donec fuit ab eo benedictus, & vidit faciem Dei Jacob : quia *vidit Deum facie ad faciem* : & ita omnes isti videbunt hîc Deum per fidem, & in futuro facialitèr per gloriam. Ex quibus patet, quòd solus Christus meretur de jure ascendere in Cœlum : sed omnes Fideles merentur ascendere per G gratiam, in quantum efficiuntur membra Christi, & purificantur per sanctificationem Baptismalem, & Pœnitentialem. Unde quod convenit capiti Christi per naturam, hoc idem convenit membris per gratiam : unde membra Christi quasi violenter *rapiunt Cœlum*, ut ait Christus *Matth.* 11. *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Unde *Hieronymus*, & *Chrysostomus : Grandis quippe violentia est, rapere per gratiam & pœnitentiam, quod quis nequit attingere per naturam.*

Sed est advertendum : quòd licèt in his tribus, scilicet, in innocentia operis, & munditia cordis, & cogitationis, & veritate oris, consistat tota justitia hominis, ut latius dictum est *Psalmo* 14. tamen nul- H lus homo inventus est usque ad præsentem diem, quin peccaverit in aliquo prædictorum, nisi solus Christus per naturam, & *Virgo Maria per gratiam* : ut ait *Augustinus, in libro de Natura & Gratia*, & *de Natura Parvulorum*, & *de Perfectione Justitiæ hominis.* Hoc idem approbat *Hie-*

ronymus in altercatione *contra Pelagianos*. Et sic solus Christus reperitur *innocens manibus*, *& mundo corde*, *& verax* per naturam, & *Virgo Maria* per gratiam. Et A sic isto modo solus Christus meretur ascendere in Cœlum, & habere universale dominium in orbe: cæteri autem omnes peccaverunt in aliquo prædictorum, & electi fuerunt per sanctificationem Baptismalem, & pœnitentiam liberati: & ideo unusquisque eorum potest dici *innocens manibus & mundo corde*. Nam peccata deleta per Pœnitentiam, & Baptismum, reputantur apud Deum tanquam non facta: quia *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*; & sic unusquisque eorum potest dici innocens &c. Ex quibus patet, quòd solus Christus est vere Dominus orbis terrarum, & universalem habet potestatem in Cœlo, & in terra, non solùm ut *Deus*, quia ut sic creavit omnia; sed etiam ut *homo innocens*.

B

23. q. 1. Summa.

7. *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.*

POSTQUAM David ostendit Christum de jure esse Dominum universalem totius orbis, tàm in Cœlo, quàm in terra, & per consequens in inferno: ideò hìc apostrophat ad principes inferni, ut aperiant portas Christo, quando venerit ad repetendam prædam: & cognoscant ipsum tanquam Dominum: quia prævidit in spiritu, qualiter Christus erat in infernum descensurus, & debebat rumpere portas æreas, C & vectes ferreos confringere, & Limbum, & Purgatorium spoliare, & captivitatem Sanctorum Patrum liberare, & cum eis in Cœlum ascendere, & ad dexteram Patris sedere, & in æternum conregnare. Ideo David apostrophat ad diabolos principes inferni, dicens: *O principes* inferni *atollite vestras portas* infernales, id est, aperite eas: &, *ò portæ æternales*, id est, æternarum pœnarum, *elevamini*, & date locum, *& introibit* Christus *Rex gloriæ*, cum venerit ad expoliandum infernum, & repetendam prædam. Quibus respondent diaboli:

Apoc. 19. Matth. 2. Joann. 1.

8. *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio.* D

QUIS *est iste Rex gloriæ*, qui ausus est venire ad domum nostram, & loca pœnarum, ad quæ nulli justo fas est accedere? Ad quos rursum Angeli, ministri & comites Christi, dicunt: *Iste rex gloriæ* est Christus, *Dominus fortis & potens* opere & sermone coram Deo, & omni populo, in potentia miraculorum; & E *Dominus potens in prælio*: qui vicit vos in Ara Crucis, & proprio sanguine mercatus est genus humanum, & satisfecit pro peccato primorum parentum, & suorum posterorum: & placavit Patrem per suam humilitatem, & dejecit vestram superbiam. Et ideo tanquam victor & triumphator venit ad repetendam hæreditatem sibi debitam, quam tyrannicè diu tenuistis. Ideo *attollite portas vestras*: & quia *data est* ipsi *universalis potestas in Cœlo, & in terra*, & in inferno: ideo non venit tanquam reus, sicut cæteri; sed tanquam Judex justus & triumphator.

Angeli dicuntur Ministri Christi.

23. q. 1. Summa.

9. *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.* F

HIC prædicit ingressum Christi in Cœlum ad suscipiendam jurisditionem cœlestis patriæ tanquam Dominus Cœli: ideo David apostrophat ad naturam Angelicam, ut aperiat Cœlum, & recipiat Christum tanquam universalem Dominum: & dicit in persona Angelorum Christum comitantium in die Ascensionis cum tota captivitate: O *principes* cœlestis exercitûs, *attollite*, id est, aperite vestras cœlestes portas: &, *ò portæ æternales* Cœli, *elevamini*, & date locum, *& intrabit* Christus *rex gloriæ*. Quos principes cœlestes interrogant:

G

Apoc. 19. Joann. 1. Matth. 2.

10. *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.*

QUIS *est iste*, ajunt, *rex gloriæ*, qui ausus est ingredi Cœlum? cum sit clausum omnibus hominibus, propter peccatum primorum parentum, & qui ausus est incedere istâ viâ, nullius hominis adhuc trita vestigio? Quibus respondet comitatus Christi: *Iste est* Christus, *Dominus* omnium *virtutum* cœlestium, quem propter suas virtutes, scilicet, quia est *innocens manibus*, *& mundo corde*, & verax; & quia *humiliavit semetipsum* H Patri *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*: Pater *exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*. Et quia jam expoliavit infernum victor & triumphator, & venit cum præda: ideo *ipse* de jure *est rex gloriæ*. Quapropter *attollite portas &c.* Ex quibus patet,

tet, quòd totum dominium orbis terrarum est ipsius Christi. Primò, quia ipse creavit orbem, & hoc in quantum Deus. Secundò, A quia *innocens & mundus, verax & humilis*; & hoc in quantum homo. Sed nota, quòd non solùm recreavit & *fundavit* Ecclesiam *super maria*, & aquas baptismales; sed etiam *super flumina* aquarum sapientiæ, quæ sunt doctrina & præcepta Euangelica, *præparavit* & dispositit eam: quia ab Ecclesia *fluunt flumina aquæ vivæ salientis in vitam æternam*, *Joan. 7.*

Membra Christi per gratiam ascendunt in Cœlum.

Ex toto isto Psalmo possunt recolligi quatuor conclusiones.

Prima conclusio: quòd Christus triplici ratione de jure est Dominus totius orbis terrarum: primò, quia creavit totum orbem; & hoc in quantum *Deus*. Secundò, quia regeneravit & recreavit Ecclesiam; & hoc in quantum *Sponsus* & *Caput*. Tertiò in quantum *justus* & *innocens*.

Secunda conclusio: quòd nullus potest ascendere in Cœlum cum Christo, nisi efficiatur justus, & innocens, & membrum B Christi per gratiam.

Tertia conclusio: quòd Christus tanquam Dominus & triumphator, confregit infernum, & expoliavit Limbum & Purgatorium.

Quarta conclusio: quòd Christus tanquam Rex & Dominus Angelorum, & omnium creaturarum, cum triumpho intravit in Cœlum, reportans captivitatem antiquam.

Psalmus XXIV.

Aleph.

De Pœn. d. 10. c. In domo.

1. *Ad te Domine levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.* C

Titulus in Hebræo: *Ipsi David*: secundùm vero Septuaginta: *In finem Psalmus David.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum, dirigens nos in Christum, qui est *finis Legis.* Ad cujus intelligentiam est notandum secundùm *Augustinum, libro Cur Deus homo*: quòd quando *Adam* fuit expulsus à paradiso terrestri, & perdidit non solùm illam præsentem felicitatem, sed etiam futuram beatitudinem, quæ fuerat in Cœlo sibi promissa: tunc, ne de se & sua posteritate videretur desperare, fuit ipsi Christus de sua carne promissus, qui ipsum cum posteritate de captivitate diaboli liberaret, & viam in Cœlum demonstraret: & finaliter ad cœlestem beaD titudinem introduceret: & sic Deus dedit Legem sacrificiorum & oblationum ipsi *Adam* & filiis suis, per quam eos in Christum dirigeret. Quæ quidem *Lex* semper crevit per ætates, suscipiendo incremen-

Lex vetus via in Christum dirigens.

tum in *Noe*, & *Abraham*, & *Moyse* usque ad Christum, ubi complevit cursum suum. E Ex quo patet, quòd Lex vetus nihil aliud fuit, nisi quædam via dirigens in Christum tanquam in finem immediatum: & ideo nusquam petit Regnum Cœlorum, sed semper Christum Messiam futurum, qui doceat viam in Regnum Cœlorum. Et ideo sicut Lex vetus dicitur via in Christum: ita Lex Euangelica dicitur via in Regnum Cœlorum: & ideo Christus dicitur *ostium*, *Joan.* 10. & dicitur *via*, *veritas*, *& vita*, *Joan.* 14. Nam sicut Patres veteris Testamenti semper rogabant, ut Deus dirigeret eos usque ad Christum per illam Legem: ita nos rogamus, ut dirigat nos per Legem Euangelicam usque ad eundem Christum, ut in eo glorificemur corpore & anima in secundo adventu.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum, in quo introducit *Adam mysticum* loquentem, & cum tota sua posteritate fidelium peregrinantem per F istam viam Divinæ Legis, qui in veteri Testamento semper orabat, & vocabat Christum, ut ipsum in hac via dirigeret usque ad eum, & daret sibi Legem Euangelicam in Cœlum dirigentem. Et ideo David fecit istum Psalmum per ordinem *Alphabeti*, ad denotandum, quòd Lex successivè processit ab imperfecto ad perfectum. Nam sicut puer incipiendo primam litteram *Alphabeti*, & discurrendo usque ad ultimam, semper crescit, & proficit in doctrina usque ad ultimam litteram: ita *homo mysticus* peregrinando per Legem, semper profecit usque ad Christum, in quo accepit ultimam perfectionem illius Legis: quæ fuit universalis redemptio, & veritas Euangelica. Nunc autem peregrinatur per Legem Euangelicam usque ad secundum adventum Christi, in quo recipiet ultimam G perfectionem, & vitam æternam. Et hoc est quod intendit David in hoc Psalmo, in quo quatuor facit.

Nota.

Nam primò iste *homo mysticus* petit dirigi in Lege veteri usque ad Christum. Secundò petit liberari à veteri peccato per Christum in suo adventu. Tertiò petit Legem Euangelicam, per quam justificetur. Quartò petit fructum Legis Euangelicæ, scilicet, fruitionem vitæ æternæ. Secunda ibi: *Reminiscere.* Tertia ibi: *Dulcis & rectus.* Quarta ibi: *Quis est homo qui timet Dominum*? Quantum ad primum dicit iste Peregrinus: O *Domine* Jesu-Christe Messia future, postquam fui ejectus à paradiso, semper *ad te levavi animam*, & spem *meam*, semper orando, ut venias ad libeH randum me cum tota mea posteritate: O ergo *Deus meus*, fac ut *non erubescam*, nec confundar, frustra expectando adventum tuum:

* *
*

Beth. 2. *Neque irrideant me inimici mei:* A *etenim universi qui sustinent te, non confundentur.*

HOC est, *neque* diaboli *inimici mei*, & Infideles, *irrideant me*, dicentes, quòd frustra confido in te: & in vanum te expecto Salvatorem & Liberatorem. *Etenim* pro *certè*, quia ego scio, quod *non confundentur universi qui expectant te:* immò tu liberabis eos in adventu tuo. Sed

Gimel. 3. *Confundantur omnes iniqua agentes supervacuè.*

ID est, *confundantur omnes* Infideles B *agentes supervacuè* & frustra *iniqua*, & perpetrantes mala contra me: quia omnes Idololatræ & Infideles *agentes iniqua* contra me, volentes me delere de mundo, frustrabuntur desiderio suo: quia veniet Christus, & expoliabit Limbum inferni, & exterminata Idololatria, ejiciet foras principem hujus mundi, & subjiciet populum Gentilem, qui me conabatur destruere: ergo tu Domine Jesu-Christe,

Daleth. 4. *Vias tuas Domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me.*

D*Emonstra mihi vias tuas* & præcepta, *& doce semitas*, id est, consilia C Legis tuæ: & *dirige me in veritate tua*, ne declinem ad dexteram, neque ad sinistram: quia tu es Deus Jesus Salvator meus, ideo *sustinui* & speravi in te *tota die*, id est, à principio mundi usque ad adventum tuum, id est, expecto te videre veritatem Legis. Et ideo notanter dicit:

He. Vau. 5. *Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus Salvator meus, & te sustinui tota die.*

D*Irige me in veritate tua*: quia duo considerare debemus in Lege veteri, scilicet, litteram superficialem, & *veritatem* clausam in littera. Hanc ergo *veritatem* petit intelligere, & in ea dirigi per adventum Christi: quia jam habebat litteram tunc de præsenti. D

* ** ** ** ** **

E 6. *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum quæ à sæculo sunt.* Heth.

30. q. 1. c. de His, & de Pœ. d. 1. c. Si peccatum.

7. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.*

HIC petit liberari à peccato, & salvari per Christum in adventu suo; & dicit: *Domine ne memineris delicta juventutis meæ*, id est, peccata, quæ ego commisi in mea juventute, & à principio in paradiso terrestri, propter quæ fui expulsus; & *ne memineris ignorantias meas*, id est, peccata, quæ per ignorantiam crassam commisi: sed *reminiscere* & recordare *miserationum*, & misericordiarum tuarum, *quæ à sæculo*, F & à principio per decursum temporis *sunt*: quia fecisti misericordiam cum *Noe*, liberando de diluvio, & cum *Abraham* & *Isaac* & *Jacob*, liberando de *Laban* & *Esau*, & cum filiis Israel liberando de Ægypto, & per totum desertum & terram promissionis tempore *Josue* & *Judicum*.

Quid sint delicta juventutis.

Et nota, quòd David per *delicta juventutis* intelligit peccata primorum parentum, quæ fuerunt causa nostræ miseriæ: & dicit *delicta* in plurali, eò quòd illi peccato multa peccata fuerunt annexa; putà, furtum, superbia, homicidium, sacrilegium, ut inquit *Augustinus*, *lib. Enchiridii*. Item vocat etiam *delicta juventutis* peccatum originale uniuscujusque; eò quòd à conceptione, & nativitate, & *juventute* con- G trahitur. Item per *ignorantias* intelligit corruptiones naturæ, & fomitem concupiscentiæ: nam taliter fuit natura corrupta, & vulnerata in *Adam*, & omnes potentiæ vulneratæ, quòd est prona ad malum, & infirma, & difficilis ad bonum, & judicat bonum malum, & malum bonum: & talis *ignorantia* dicitur pœna peccati & peccatum simul: & per talem *ignorantiam* committuntur omnia peccata: quia omnis malus est ignorans isto modo; & ideo ait: *Ignorantias meas ne memineris.* Sed

Dist. 39. cap. Diaconi. 8. *Secundùm misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.* H

QUASI dicat: Non velis respicere peccata mea: sed *misericordiam* & *bonitatem tuam.*

* ** ** ** ** **

9. Dul-

Teth. 9. *Dulcis & rectus Dominus : propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*

HIC petit Legem Euangelicam, & enumerat perfectiones ejus. Unde dicit : Dominus *Jeſus* Chriſtus in adventu ſuo veniet *dulcis*, & *rectus*, & manſuetus. Ideo *propter hoc*, quia *dulcis*, & *rectus*, dabit Legem Euangelicam in hac via delinquentibus : & quia *dulcis*, & *manſuetus*, ideo

Jod. 10. *Diriget manſuetos in judicio: docebit mites vias ſuas.*

16. q. 1. Vos autem

DIriget *manſuetos*, & docebit Apoſtolos & Diſcipulos *mites* vias ſuas: quia non congregabit ſuperbos, & elatos, ſed *mites* & *manſuetos* : & non *docebit* ſuperbiam, ſed humilitatem, & manſuetudinem : quia *mitis eſt & humilis corde*. Et dicit : *Diriget manſuetos in judicio*, non *examinationis*, ſed *diſcretionis* : quia in primo adventu Chriſtus neminem judicavit ; ſed diſcrevit veritatem à littera, & Euangelium à cærimonialibus, & virtutes à vitiis &c. Et bene dicitur, quòd in Lege Euangelica *diriget manſuetos*. Nam

Caph. 11. *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, requirentibus teſtamentum ejus, & teſtimonia ejus.*

22. q. 2. Sane.

UNiverſæ *viæ*, & præcepta, & conſilia *Domini* Euangelica, nihil aliud ſunt, niſi *miſericordia & veritas* : nam nihil aliud docetur niſi *miſericordia*. Nam primò Chriſtus propter nimiam charitatem & miſericordiam incarnatus eſt, & pro omnibus paſſus & mortuus eſt. Et ſic prædicavit *miſericordiam* & charitatem erga proximum : & hanc *miſericordiam* operatus eſt, cœcos illuminando, infirmos ſanando, & mortuos ſuſcitando : & tandem finis totius Legis Euangelicæ eſt *miſericordia* & charitas : de qua *miſericordia* & ejus operibus petet Chriſtus in die judicii. Item *univerſæ viæ Domini* ſunt *veritas*, quia docent omnem veritatem, & etiam dicitur Lex Euangelica *veritas Legis veteris*, ut dictum eſt. Et ſic in adventu Chriſti *miſericordia & veritas obviaverunt ſibi: & juſtitia & pax oſculatæ ſunt*. Et ideo dicit, quòd omnes *viæ & præcepta Domini* ſunt *miſericordia & veritas requirentibus*, & contemplantibus, & ſervantibus *teſtamentum ejus* : quia non præcipitur, nec legitur in Euangelio, niſi *miſericordia & veritas requirentibus teſtamentum ejus, & teſtimonia ejus*. Et ideo ſubdit David:

Lamed. 12. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.*

Extra de Reſcr. c. Sedes.

O DOMINE *Jeſu*, tu *propitiaberis*, & miſereberis *peccato meo*, *propter nomen tuum*, quod eſt *Jeſus*. Nam *Jeſus* idem eſt, quod *Salvator* : ergo ſi tibi eſt proprium ſalvare & miſereri : ergo ſecundùm officium & virtutes nominis tui *propitiaberis peccato meo*, quia *multum* & magnum *eſt* peccatum meum. Ideo indiget magno Medico & Salvatore, & multa miſericordia. Et ſic tibi ſoli convenit ſecundùm proprietatem nominis : quia *non eſt aliud nomen ſub Cœlo, in quo nos ſalvari oporteat*. Item, *multum eſt enim*, poteſt referri ad nomen Chriſti : quia *multum eſt*, potens & magnum.

Mem. 13. *Quis eſt homo qui timet Dominum ? Legem ſtatuit ei in via quam elegit.*

HIC enumerat fructus Legis Euangelicæ in futuro : nam ſicut per Legem Euangelicam conſequimur miſericordiam, & veritatem, & indulgentiam peccatorum : ita in patria conſequemur fruitionem. Unde dicit, quòd ſi quis eſt qui timeat Dominum, Dominus ſtatuit & firmavit ei talem *Legem in* hac *via quam elegit*, id eſt, Chriſtus ſtatuit omni homini timenti Deum, quòd ſi ſervaverit eam, non fruſtrabitur, nec decipietur : immò

Nun. 14. *Anima ejus in bonis demorabitur: & ſemen ejus hæreditabit terram.*

ANima *ejus demorabitur in bonis* Patriæ poſt hanc vitam, & illis bonis fruetur ; *& ſemen ejus*, ſcilicet, *ſemen Chriſti*, id eſt, omnes fideles per Baptiſmum regenerati, hæreditabunt *terram viventium*.

15. *Fir-*

Samech. 15. *Firmamentum est Dominus timentibus eum : & testamentum ipsius, ut manifestetur illis.* A

TALE *firmamentum* promissum est omnibus *timentibus eum* ; *& testamentum ipsius* Christi & memoriale est, *ut manifestetur illis*, id est, omnibus fidelibus. Quasi dicat, tale *Testamentum firmavit* Christus, & dimisit, ut manifestaretur omnibus Christianis per Apostolos & Doctores, quòd omnes timentes Deum, & servantes Legem Domini habebunt præmium in Cœlo : quod erit, quia anima uniuscujusque justi timentis Deum, & servantis Legem Euangelicam, *demorabitur* æternaliter *in bonis* cœlestibus, & illis fruetur: & *semen ejus*, scilicet Christi, *hæreditabit terram* viventium. Et ly *semen*, potest referri ad quemlibet timentem Deum : nam *semen justi* dicuntur omnes sequaces & imitatores ejus. Et sic nos sumus *semen* Apostolorum, & omnium justorum, & sequimur eorum justitiam, & doctrinam : & ideo dicit David, quòd anima timentis Deum, & servantis Legem, *demorabitur in bonis* cœlestibus, & *semen ejus*, scilicet, omnes imitatores, *hæreditabunt terram* viventium &c. quia tale *testamentum* firmavit Christus & statuit, cùm dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* B

Ain. 16. *Oculi mei semper ad Dominum : quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.*

POSTQUAM superius oravit Christum *Adam*, ut dirigeretur in Lege Domini. & liberaretur à peccato : nunc orat Christum, ut in adventu suo liberet eum à fomite, & causis, & pœnalitatibus peccati. Unde est advertendum, quòd *Adam* peccando, non solùm incurrit peccatum in anima, sed etiam multa incommoda in corpore, quæ causant peccatum in anima. Nam illicò fuit subjectus multiplici miseriæ. Quia ante casum tanta erat facultas in voluntate, quod poterat stare in gratia, & non cadere in aliquod peccatum, si voluisset : quia in nulla parte erat læsum liberum arbitrium : immò erat æquale ad utrumlibet, quippè nullum erat intrinsecum impedimentum, sed tota sensualitas erat subjecta rationi. Secundò, poterat non mori, si voluisset, & non infirmari, comedendo de *ligno vitæ*, quod ad libitum possidebat. Tertiò, tàm favorabilia ei erant elementa propter aspectum Cœli, quòd non sentiebat frigus, neque calorem intensum. Quartò, omnes bestiæ erant ipsi subjectæ, & nulla C D poterat ei nocère, neque aliquis humanus inimicus adversari : esset enim perpetua pax & concordia inter homines, & conformitas voluntatum, postquam homo erat conformis divinæ voluntati : hæc autem omnia in præmium erant originalis justitiæ. Sed peccante *Adam*, quædam eorum perdidit, & in aliis valdè vulneratus mansit. Nam si anteà habuit plenam facultatem standi, & non peccandi, si voluisset ; nunc ea facultate læsa, habet velut moralem quamdam necessitatem peccandi : quia usque adeò fuit corrupta natura & sensualitas in *Adam*, & percussa fomite concupiscentiæ, quod illicò facta fuit rebellis rationi, & prona ad omne malum : & liberum arbitrium velùt claudum mansit, & non levitèr læsum. Et sic semper *caro pugnat adversùs spiritum* : in tantum, quod si liberum arbitrium non confortaretur & juvaretur gratiâ Dei : de necessitate traheretur ad libitum carnis & sensualitatis. Et sic quæ erat libera à diaboli potestate, est nunc ipsi subjecta : hoc est, quòd potestatem, quam ratio habebat antè supra sensualitatem & carnem, habet nunc diabolus : nisi ratio & voluntas, sive liberum arbitrium juvetur per gratiam ad resistendum diabolo, & trahendam sensualitatem ad se, & defendendam à diabolo, ne vincatur tentatione. Et ita pariter totum corpus incurrit necessitatem moriendi, & patiendi miserias & tribulationes ab inimicis visibilibus, & invisibilibus: & fuit subjectum elementis, & motibus Cœlorum. Et sic prior illa plena facultas versa est in quamdam quasi necessitatem. *Necessitas* enim dicitur à *Necto, nectis*, quod idem est, quod *Ligo, ligas*: quia homo manet ligatus ad omnes prædictas miserias. Et ideo orat *Christum*, ut veniat ad liberandum ipsum à præfatis miE F G seriis, tàm interioribus, quàm exterioribus per suam Passionem. Dicit ergo *Adam mysticus* : *Oculi mei semper ad Dominum* Jesum Christum Messiam futurum, erunt elevati, ut ipse *evellat pedes meos*, hoc est, sensualitatem, de *laqueo* diaboli, & fomite concupiscentiæ. Nam sicut caro illaqueatur consentiendo tentationi diaboli : ita voluntas illaqueatur, si consentit concupiscentiæ carnis. A tali ergo *laqueo* non potest homo liberari, nisi per gratiam Christi, ut ait Apostolus *ad Romanos* 7. Ergo Christe



16. *Res-*

Phe. 17. *Reſpice in me & miſerere mei: quia unicus & pauper ſum ego.*

A

RESPICE *in me*, id eſt, *reſpice* infirmitates iſtas, & multiplices laqueos, *& miſerere mei*, dando gratiam per Baptiſmum & alia Sacramenta, & dando gratiam prævenientem & operantem & cooperantem: *quoniam ego ſum* inops, id eſt, ſine opere & auxilio: & factus ſum *pauper*, & expoliatus omnibus bonis gratuitis, quando deſcendens ab *Hieruſalem* in *Jericho* incidi in latrones, qui non ſolùm expoliaverunt me, ſed etiam percuſſerunt, & plagis affecerunt, & ſemivivum reliquerunt. Et ſic

B

Sade. 18. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.*

TRIBULATIONES *cordis mei multiplicatæ ſunt*: quia multiplici plaga ſui ſauciatus. Nam velut expoliatus omni libertate, incidi in ſupradictas calamitates & neceſſitates: ergo *de* iſtis *neceſſitatibus erue me* per gratiam & Eccleſiaſtica ſacramenta in tuo adventu: & tandem

Res. 19. *Vide humilitatem meam & laborem meum: & dimitte univerſa delicta mea.*

C

VIDE *humilitatem*, id eſt, dejectionem meam, & laborem meum, id eſt, infirmitates meas. Et etiam, *vide humilitatem & laborem*, id eſt, pœnitentiam & contritionem meam: *& dimitte univerſa delicta mea*, per ſupradictas neceſſitates commiſſa. Nam ideo dicuntur *delicta*, quia ex tali infirmitate & neceſſitate commiſſa. Unde concupiſcentia, & prædictæ infirmitates dicuntur neceſſitates: uno modo, quia libertate læſâ, obligati ſumus ad eas, ſive ab eis: alio modo, quia ſunt quidam laquei ad nectendam, & ligandam, & trahendam voluntatem & rationem. Et ideo à talibus neceſſitatibus interioribus orat liberari.

Nota.



D 20. *Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt: & odio iniquo oderunt me.*

Infra 85.

21. *Cuſtodi animam meam, & erue me: non erubeſcam, quoniam ſperavi in te.*

Sin.

HIC petit liberari ab inimicis & neceſſitatibus exterioribus; ideo ait: *Reſpice inimicos meos*, tàm viſibiles, quàm inviſibiles, *quoniam multiplicati ſunt*: nam multifarie tentat diabolus, & multipliciter tribulat & perſequitur hominem. Etiam amplius fuit afflictus populus Dei ab Adam uſque ad Chriſtum, & exinde uſque ad judicium: nam Eccleſia ſæpe & ſemper fuit impugnata à juventute ſua, & exoſa pravis & infidelibus: & ideo ſubdit: *Odio iniquo oderunt me*: nam ſemper iniqui oderunt juſtos, & infideles fideles. Et quare oderunt me odio iniquo? Quia

E

22. *Innocentes & recti adhæſerunt mihi: quia ſuſtinui te.*

Tau.

QUIA, inquit, *innocentes & recti adhæſerunt mihi*: & *quia ſuſtinui te*, id eſt, ideo *oderunt me*, quia defendebam innocentiam, & rectitudinem juſtitiæ, & quia poſui totam ſpem meam in te, relictâ ſpe mundana.

F

23. *Libera Deus Iſrael ex omnibus tribulationibus ſuis.*

12. q. 2. cap. Glor. Epi.

O DEUS, *libera Iſrael*, id eſt, populum fidelem, *ex omnibus tribulationibus ſuis*, tàm interioribus, quàm exterioribus, de quibus ſupradictum eſt. Ex quibus patet, quòd David non orat in hoc Pſalmo pro ſe tantum, & pro ſuis tribulationibus, de quibus jam fuerat liberatus; ſed orat Chriſtum propheticè pro toto Iſrael, id eſt, pro toto *Adam* & corpore myſtico. Et ſic tota Eccleſia orat pro iſto ſtatu, ut liberet filios ſuos à prædictis tribulationibus, & neceſſitatibus in Adam contracteis. Et quilibet peccator orat *moraliter* Chriſtum caput ſuum in hoc Pſalmo, ut liberet eum à prædictis neceſſitatibus, & peccatis perſonaliter commiſsis, & dirigatur in Lege Evangelica. Et ſic poteſt exponi primò propheticè. Secundò moraliter. Et ſic etiam Eccleſia dicit hunc Pſalmum *in Agenda Defunctorum*, orans, ut liberet eos ab illis tribulationibus & pœnis Purgatorii.

G

Psalmus XXV.

De Pœ. d. 2. c. Ut cognoverunt, & cap. Si etiam.

1. *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in Domino sperans non infirmabor.*

In Hebræo nullus alius Titulus præponitur, nisi *Ipsi David*; ad denotandum, quòd David fecit hunc Psalmum, dirigens ipsum *David mystico*, scilicet, Christo futuro, David frequenter in Scriptura nominato: ut sæpius dictum est, eò quòd in solo Christo fuerunt repertæ perfectiones & virtutes in hoc Psalmo memoratæ.

Christus principiū gratiæ.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd cùm Christus sit *Caput*, & *Sponsus Ecclesiæ*, & *Rex*, & *Sacerdos*; oportuit ut acciperet à Patre plenitudinem gratiarum & virtutum, ut de ejus plenitudine omnes acciperemus gratiam pro gratia. Et sic fuit principium & origo omnium gratiarum, ut eas suis membris communicaret, & in omnibus luceret, & in eo tanquam in speculo & exemplari omnes aspicerent. Et ideo in quantum *Rex*, fuit exemplar & regula omnium Regum: & in quantum *Sacerdos*, fuit norma & exemplar omnium Sacerdotum: & in quantum *Caput Ecclesiæ*, fuit norma & regula omnium membrorum fidelium. Et ideo Christus accepit à Patre, & habuit in se decem perfectiones & virtutes, quas suis membris communicaret. Nam primò, fuit Christus innocens & mansuetus in conversando. Secundò, in omnibus habuit Deum præ oculis. Tertiò, castus & mundus corde, & carne. Quartò, misericors erga delinquentes, propter infirmitatem & fragilitatem eorum. Quintò, nunquam consensit concilio vanitatis, nec habitavit cum iniquis. Sextò, non dilexit pravos, immò eos exprobravit, dicens, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi*, *Matth.* 23. Septimò, erga Deum fuit mundus, & justus. Octavò, in audiendo, & loquendo de rebus divinis, & de Lege Divina assiduus. Nonò, circa cultum divinum, & in visitando Templum Dei fuit sollicitus. Decimò, in omnibus actibus suis divinum auxilium imploravit.

Rex hæc habeat.

Hæ sunt decem conditiones quas quilibet Rex debet habere, ut bene regat regnum suum; & quilibet Prælatus & Sacerdos, ut bene regat Ecclesiam suam, & gregem sibi commissum; & quilibet Fidelis, ut bene regat seipsum erga Deum & proximum, & semper sit Deo gratus & acceptus, & cum cæteris justè & cum charitate possit convenire & conversari: has ergo debet petere à Christo unusquisque Rex, & Sacerdos, & Fidelis; eò quòd Christus habet eas formaliter & per excellentiam à Patre.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum, in quo introducit Christum loquentem, & petentem istas decem perfectiones à Patre, ut posset eas suis membris communicare. Unde ait tanquam *Rex*, & *Sacerdos*, & *Caput Ecclesiæ*: O Domine Pater, *judica me* judicio discretionis, & elige me, à pravis segregando: quasi dicat: gratias tibi ago, quoniam elegisti, & segregasti me ab omni pravitate: quoniam primò *ingressus sum* in hunc mundum *in innocentia* & sanctitate *mea*, & non cum pravitate & malitia. Secundò, ideo *sperans in Domino*, *nunquam infirmabor*: immò semper ero stabilis in omni bono: & sic semper habeo Deum præ oculis, sperando in eo. Tertiò,

2. *Proba me Domine & tenta me: ure renes meos, & cor meum.*

22. q. 2. Propheta-vit.

Id est, da mihi munditiam carnis & cordis. Quartò,

De Pœ. d. 1. Quia divinitatis natura.

3. *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: & complacui in veritate tua.*

Misericordia *tua ante oculos meos est*: quia semper fui misericors omnibus qui ad me venerunt, compatiens eorum infirmitatibus & fragilitatibus, ut patet de *Chananæa* & *Adultera*, & per totum discursum Euangelicum. Et sic semper *complacui tibi in* misericordia & *veritate*. Quintò,

24. q. 3. Cum quibus.

4. *Non sedi cum concilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo.*

Nunquam *sedi cum concilio vanitatis*, id est, nunquam volui societatem malorum superborum: *nec introibo cum gerentibus iniqua* negotia, immò fugi eorum societatem: quasi dicat, avaros & iniquos nolui in societate mea, sed humiles & justos elegi Apostolos, & Discipulos. Sextò,

* *
*

5. Odi-

85. dist. Odio, & 23. q. 4. Duo.

5. *Odivi ecclesiam malignantium:* A *& cum impiis non sedebo.*

ODIVI, & abjeci *ecclesiam* & congregationem Judæorum, & omnium aliorum *malignantium*, & invidorum: *& non sedebo cum impiis*, id est, Hæreticis, & Infidelibus, sed Catholicis & Fidelibus. Nec sedebo cum crudelibus, sed cum mansuetis & mitibus. Septimò,

1. 72. 15 q. 1. Revertimini

6. *Lavabo inter innocentes manus meas: & circumdabo altare tuum Domine:*

7. *Ut audiam vocem laudis,* B *& enarrem universa mirabilia tua.*

LAVABO *manus meas* & operationes meas *inter innocentes* & mundos, *& circumdabo altare tuum Domine:* quasi dicat: Ego custodiam corpus & cor meum ab omni sorde & spurcitia, ut mundus & innocens possim introire *altare tuum*, & dignè offerre orationes, & oblationes, & sacrificium tibi acceptabile; & *ut* dignè, & devotè *audiam vocem laudis* tuæ; quia *non est speciosa laus in ore peccatoris*; & dignè *enarrem*, & enumerare possim *mirabilia tua*: quia cujus vita despicitur, necesse est, ut ejus prædicatio & correctio contemnatur: ergo necesse est, ut sim mundus & innocens, ut possim alios docere & C corrigere. Octavò,

24. q. 1. c. Omnibus.

8. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

QUIA semper fui sollicitus ad cultum divinum, & ad templum ædificandum, & visitandum, & venerandum. Nonò,

1. q. 1. Sunt nonnulli.

9. *Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam:* D

10. *In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.*

NE *perdas cum impiis Deus animam &c. Ne perdas*, id est, ne permittas cum crudelibus, & homicidis, & iracundis sociari, nec cum eis condemnari; sed fac quod sim mitis, & humilis corde. E Decimò: non permittas me sociari cum avaris, & falsis judicibus, *in quorum manibus sunt iniquitates*, id est, quia iniquè & injustè judicant; *& dextera eorum* plena *est muneribus*, id est, quia acceperunt munera pro judicio: & sic pecuniâ corrupti sunt, acceptatores personarum, & iniquè judicant, condemnando innocentem, & absolvendo reum & nocentem, amore, vel odio, vel pecuniâ. Et ideo concludit Christus: licèt isti falsi judices, & omnes maligni, & impii velint falsò judicare, & iniquè agere,

11. q. 3. Quæ recte.

11. *Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, & miserere mei.* F

ENIM pro *sed Ego ingressus sum* In hunc mundum *in innocentia* & puritate mea sine peccato: ut possim innocentiam, & perfectiones, & omnes virtutes membris meis communicare, & docere; ut ad me omnes aspiciant, & discant ex me. Et ideo *redime me*, *& miserere mei*, in membris meis, id est, ut mea membra participent supradictas perfectiones. Deinde sequitur:

Extra de Simo. c. Et si quæstiones.

12. *Pes meus stetit in directo: in Ecclesiis benedicam te Domine.*

G QUIA *pes meus*, id est, intentio mea semper *stetit* firma *in directo*, id est, in via recta Divinorum præceptorum. Et ideo *benedicam te in Ecclesiis* & congregationibus fidelium. Ex supradictis patet, quòd solus Christus sine defectu habuit supradictas decem perfectiones, & conditiones, tanquam verus *Rex*, & *Sacerdos*, & *Caput*, & *Sponsus Ecclesiæ*. Et ideo omnes reges terræ debent has virtutes à Christo petere, ut benè & rectè regant regnum suum; & omnes Prælati & Sacerdotes, ut bene regant Ecclesiam, & gregem sibi commissum; & unusquisque fidelis, ut bene regat seipsum: & sic unusquisque istorum debet dicere hunc Psalmum. H Hoc ergo prævidens David, jam petebat omnia ista, forsan à Christo, ut justè, & benè posset regere regnum suum.

***

*** *** ***
*** *** ***

Psalmus XXVI.

1. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?*

2. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?*

2. q. 7. c. Testes.

Huic Psalmo præponitur talis Titulus in Hebræo, scilicet, *Ipsi David*, sine aliquo additamento. In Bibliis autem nostris reperitur sic: *In finem. Psalmus David, priùsquam liniretur.* Sed forsan hoc additum est ab aliquo Scriptore Latino: eò quòd dicit *Hieronymus*, *in Prologo hujus Libri*, quòd David fecit hunc Psalmum post mortem *Saulis*, antequam ungeretur in regem; & sic potest indifferentèr intelligi de secunda, vel tertia unctione. Et sic dicunt quidam Hebræi, & etiam Catholici, quod David fecit hunc Psalmum, postquam adeptus est regnum. Unde dicunt, quod quando Deus promovet aliquem ad aliquam dignitatem, communiter dat ipsi gratiam, ut possit exequi & regere illam, & ministerium sibi commissum. Et ideo devotè se præparavit ad recipiendum illam gratiam, & hac occasione fecit hunc Psalmum: in quo tria facit.

Nota.

Nam primò, petit constantiam contra impedientes. Secundò, petit gratiam, ut diligenter ampliet cultum divinum. Tertiò, petit perseverantiam, ut dictum finem consequatur. Et sic tam Hebræi, quàm quidam Catholici litteraliter exponunt istum Psalmum pro ipso David, juxta sententiam supradictam. Sed licet littera hujus Psalmi posset aliquo modo sententiæ supradictæ applicari: tamen talis præcisè litteralis expositio non evacuaret intentum Prophetæ: quia David non fuit minus Propheta in hoc Psalmo, quàm in cæteris. Et ideo est advertendum, quòd quando David fluctuabat in persecutione *Saulis*, multotiens vovit Deo, & promisit in corde suo: quòd si Deus liberaret eum ab illa persecutione, & sublimaret ipsum in regnum, quòd ipse ædificaret Templum Domino, & reponeret *Arcam* in eo, & ordinaret, & ampliaret divinum cultum. Et ideo postquam adeptus est regnum post mortem *Saulis*, illicò decrevit adimplere votum de templo ædificando: sed quia fuit ipsi prohibitum, & fuit eidem facta promissio de templo & Ecclesia ædificanda per Christum: ideo in contemplatione illius promissionis fuerunt ei factæ multæ revelationes de discursu & profectu Ecclesiæ Christi. Inter quas revelationes prævidit in spiritu, qualiter post redemptionem & liberationem generis humani, Ecclesia Christi erat passura multas afflictiones & persecutiones per Imperatores & Tyrannos: sed finaliter per conversionem *Constantini* liberata, debebat sublimari super omnia regna mundi, & habere libertatem ædificandi Ecclesias per omnes partes mundi, quas Reges & Imperatores debebant multis divitiis ornare, & ditare, & divinum cultum ampliare.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, in persona totius Ecclesiæ fecit hunc Psalmum; in quo tria facit: nam primò, *homo mysticus* agit Deo gratias, se per Christum esse liberatum, non solùm de potestate diaboli, sed etiam de persecutione Tyrannorum, & Infidelium. Secundò, cupit implere desiderium suum de Ecclesia per Christum ædificanda, & de cultu divino ampliando, & de Ecclesiis construendis, & reparandis tempore *Constantini*. Tertiò, petit in tali divino cultu & prosperitate per divinum auxilium perseverare & conservari. Secunda ibi: *Unam petii.* Tertia ibi: *Exaudi Domine.*

Dicit ergo Ecclesia: Multa mala passa sum ab Infidelibus tempore Legis & Prophetarum, & etiam à diabolo, expectando Christum Redemptorem. Sed nunc postquam Redemptor meus venit in carne, & dedit mihi lumen ad intelligendam Scripturam, & dedit mihi Ecclesiastica Sacramenta ad delenda peccata: & postquam *Dominus* meus Jesus Christus est *illuminatio mea*, tollendo omnem ignorantiam, & cœcitatem, & est *salus mea*, tollendo omne peccatum: ergo *quem* amplius *timebo*? Quasi dicat: nullum. Item, postquam *Dominus* Jesus Christus est *protector vitæ meæ*, in persecutione Tyrannorum ad repellendos eorum incursus, *à quo trepidabo*? Quasi dicat: à nullo: quia talibus armis donorum Spiritus sancti & Sacramentorum munivit me, quòd nullum amplius timebo: immò dum ipsi inimici mei Tyranni *nocentes*, id est, volentes me dissipare, *appropiant super me, ut edant carnes meas, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt* victi. Unde hoc dicit Propheta propter *Diocletianum* & *Maximianum*, & alios Tyrannos, qui volebant cogere Christianos & Martyres ad idola. Sed dum hoc Christiani recusabant, tunc Tyranni adhibebant eis tormenta intolerabilia, & etiam dabant ipsos Martyres leonibus, & cæteris feris devorandos. Sed finaliter omnes illi Tyranni mala morte perierunt, & Ecclesia prævaluit: & tota Gentilitas conversa est ad fidem post conversionem *Constantini*: ut patet per totum discursum Ecclesiasticæ historiæ. Dicit ergo iste *homo mysticus*,

Nota.

*** *** *** *** ***

3. *Dum*

6. q. 1. c. Summa. Et de Pœ. d. 1. Homicidiorum.

3. *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.* A

4. *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.*

QUOD cum isti *inimici mei* nocentes *appropiant*, & adhibent bestias feras, *ut edant carnes meas*, eò quòd nolebam Christum abnegare: tunc *ipsi infirmati*, & per Christum superati, *ceciderunt* à dignitate, & superbia sua, & dominio. Nam *Nero*, & *Domitianus* seipsos interfecerunt, & *Maxentius*, & *Diocletianus*, & *Dacianus*, & *Maximianus* victi *ceciderunt*, & miserabili morte perierunt. Et omnes alii Principes populi Gentilis à sua superbia *ceciderunt*, & colla jugo fidei B subjecerunt. Item Judæi Christi crucifixores, & Apostolorum persecutores, à Regno & Sacerdotio *ceciderunt*, & Civitas eorum fuit destructa, & per Romanos Templum fuit incensum: & sic ipsi qui anteà erant superbi, & mundanis divitiis repleti, fuerunt infirmati & diminuti, & in contemptum & abominationem traditi, & in subjectionem & captivitatem per totum mundum dispersi. Dicit ergo iste *homo mysticus*: Si Dominus meus Jesus Christus fuit *illuminatio mea*, mihi dando Legem Euangelicam, quæ tollit omnem ignorantiam, & delet omne peccatum, & fuit *Protector* meus, me à captivitate diaboli liberando: & fuit *Adjutor* meus contra potentiam Tyrannorum, & Regum, & Imperatorum, & eos vici & superavi: ergo deinceps C

13. q. 3. Maximianus; & 1. q. 1. per totum.

5. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum:*

6. *Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.*

SI *consistant adversum me castra* dœmoniorum, & omnium inimicorum Ecclesiæ, jam *non timebit cor meum*. Et *si exurgat adversum me* totum *prælium* Hæreticorum, & Saracenorum, Anti-Christi, & cæterorum pravorum, non timebo eos: quia *in hoc* Redemptore meo *ego sperabo*, D & confidam: nam sicut liberavit me de potestate diaboli, & dirâ persecutione Tyrannorum, & Imperatorum, qui toti mundo dominabantur, & eos fidei subjecit: ita à fortiori cum suo auxilio, & gratiâ, & fortitudine liberabit me de quacumque futura persecutione: & sic nullum timebo.

E 7. *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

De Conse. d. 5. Non mediocriter.

IN hac secunda parte iste *homo mysticus* petit proficere in cultu Divino, postquam liberatus est de potestate diaboli per Passionem Christi, & liberatus est de persecutione Tyrannorum per ejus gratiam & auxilium. Unde dicit: Postquam ego fui illuminatus & liberatus per Passionem Domini mei Jesu-Christi; & fui liberatus à persecutione Tyrannorum; & subjeci, & superavi eos cum auxilio Divino: jam intendo & desidero quiescere, & vacare Divino cultui & contemplationi, & augère Divinum cultum, & ædificare Ecclesias. Et ideo *unam* gratiam, & unam petitionem F *petii à Domino* Jesu-Christo, & *hanc requiram* semper, & in hac petitione perseverabo, scilicet, *ut inhabitem in domo Domini*, scilicet, in Ecclesia, *omnibus diebus vitæ meæ*: quam Ecclesiam Christus instituit, in qua sola solus Deus adoratur, & per fidem videtur. Et ideo desidero habitare in ea.

8. *Ut videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus.*

QUIA in ista sola Ecclesia declaratur voluntas Domini per Legem Euangelicam. Et in sola Ecclesia salvantur fideles per Ecclesiastica Sacramen- G ta. Nam extra ipsam Ecclesiam Christi nulla est salus, nec medicina, nec præmium, nec meritum: quoniam Dominus meus Jesus Christus, quando me ad fidem vocavit, & gratia baptismali regeneravit,

9. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.*

93. d. Legimus; & 1. q. 1. Multo.

TUNC *abscondit me*, & vallavit me *in tabernaculo suo*, intra muros Ecclesiæ, qui sunt spes, fides, & charitas. Et H *protexit me in abscondito tabernaculi sui, in die malorum*, id est, in tempore persecutionum.

Unde *in triplici die malorum* protexit Christus fideles suos *in abscondito* & gremio *tabernaculi sui*. Primò, *in die malorum* peccati originalis, quando per Baptismum introduxit eos in Ecclesiam, liberando de potestate diaboli. Secundò, *in die ma-*

malorum peccatorum mortalium actualium, quando per pœnitentiam eos reconciliavit: & etiam quando per Confirmationem armis donorum Spiritus sancti contra dœmonum incursus eos armat, & armatos protegit. Item, proteget etiam eos *in die malorum*, scilicet in die judicii: quia omnes, & soli justi, qui reperientur in gremio Ecclesiæ, salvabuntur: cæteri autem extra gremium Ecclesiæ reperti, in ignem æternum destinabuntur. Item Christus *protexit* Ecclesiam *in die malorum*, & tempore Tyrannorum. Et ideo iste homo mysticus agit gratias Christo, quia *protegit* ipsum *in tabernaculo Ecclesiæ* in isto triplici *die malorum*, id est, in triplici periculo, putà, ingressu hujus mundi, & progressu, & egressu. Et ideo subdit:

10. *In petra exaltavit me: & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.*

24. q. 1. Loquitur.

EGO teneor, supple, gratias agere Deo: quoniam *in petra*, qui est Christus, *exaltavit me*, & fundavit me, & dignificavit me, membrum Christi faciendo, & mihi nomen Christiani largiendo; quod est nomen dignius super omne nomen. Et sic *exaltavit caput meum*, & nomen, & dignitatem, & honorem *super omnes inimicos meos*: quia non solùm me fecit digniorem eis, sed etiam omnes mihi subjecit. Et ideo gratias agendo,

11. *Circuivi & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo & psalmum dicam Domino.*

Circuibo Ecclesiam toto orbe diffusam, & *immolabo* Christo meo *hostiam vociferationis*, id est, offeram Deo Patri hostiam & sacrificium *Eucharistiæ* cum *vociferatione* & confessione laudis, & *dicam Domino & cantabo psalmum* in laudem & honorem sui, pro universis beneficiis receptis. Nam constituam & celebrabo dies festos in Ecclesia in memoriam Incarnationis, & Nativitatis, & Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis Domini mei Jesu-Christi, & singulis festivitatibus dedicabo, & cantabo propria officia, in quibus explicabuntur mysteria supradicta, & beneficia mihi collata, & offeram sacrificium *Eucharistiæ*, quod in Lege veteri fuerat figuratum: quæ omnia supradicta fuerunt impleta post conversionem *Constantini*, ut dictum est pluries, qui ædificavit & ampliavit Ecclesiam, & Divinum cultum per totum orbem.

12. *Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: miserere mei, & exaudi me.*

38. d. Sedulo.

13. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.*

IN hac tertia parte petit, Ecclesiam conservari, & perseverare in Divino cultu per auxilium gratiæ. Unde ait: *Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te, & miserere mei* in collata prosperitate conservanda, *& exaudi me*: quia semper peto in orationibus meis, ut peccatores convertas, ut proficiant, & proficientes conserves, ut perficiant; & totam Ecclesiam liberes ab inimicis, ut tibi in pace & quiete deserviat. Unde hoc *tibi* semper *dixit* & oravit *cor meum*: & *facies*, id est, conscientia semper *exquisivit te*: & sic *requiram* semper *faciem tuam*: ut ostendas mihi auxilium misericordiæ tuæ. Et ideo rogo:

14. *Ne avertas faciem tuam à me: ne declines in ira à servo tuo.*

1. q. 1. c. 1.

NE *avertas faciem tuam*, id est, gratiam & auxilium tuum *à me*: & *ne declines in ira à servo tuo*: id est, ne velis me repellere propter aliquod peccatum commissum; sed da mihi gratiam, ut revertar ad te per gratiam prævenientem, & maneam in te per gratiam cooperantem, & perficientem.

15. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.*

12. q. 2. Gloria.

ESTO *adjutor meus*: & *ne derelinquas me*: quia si tu dereliqueris me, gratiam subtrahendo, aut negando: tunc ruam, & præcipitabor in omne malum: ergo tu, qui es Deus salutaris, & Redemptor *meus*, *ne derelinquas me*: quoniam nullum alium habeo Redemptorem, & Adjutorem.

* *
*

** ** ** ** ** **
* * * * * *

16. Quo-

15.q.1.c. *Illud per æque.*

16. *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus* A *autem assumpsit me.*

PRIMUS *pater meus* Adam, *& mater mea* Eva, & etiam parentes qui me genuerunt, *dereliquerunt me* nudum, & bonis gratuitis expoliatum, & plagis impositis sauciatum, & vulneratum: *Quoniam in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: & sic in potestate diaboli derelictus, & captivus, & venumdatus: sed *Dominus* meus Jesus Christus liberavit me, & redemit me. & *assumpsit me* in adoptionem filiorum, & membrum suum me fecit per Passionem suam, & per Baptismum regeneravit. Item *pater meus*, populus Gentilis, *& mater mea* Synagoga, *dereliquerunt me*: quia relictis idolis Gentilitatis, & relictis cærimoniis veteris Legis, ex duobus populis in unam Ecclesiam congregavit me: & sic ipse Christus factus est caput meum, & ego membra ejus. Et ideo iste *homo mysticus* conversus ad Christum dicit: O Domine, postquam jam liberasti me, & assumpsisti me de potestate diaboli, & de persecutione Tyrannorum, B

De Conse. d. 4. Nec Quemquã

17. *Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.*

PONE *mihi Legem in via tua*, id est, da C gratiam, ut valeam Legem tuam observare. Quia sine gratia tua nemo potest malum vitare, nec bonum operari: & ideo *dirige me in semita recta* tuæ Euangelicæ doctrinæ, ne deviem à Lege tua, & ne recedam à voluntate tua: & fac hoc propter inimicos meos, tàm visibiles, quàm invisibiles, qui me à tua Lege conantur avertere: & ideo da mihi gratiam, ut eorum possim incursus pellere. Et

De Conse. d. 4. Sicut in Sacramentis.

18. *Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* D

19. *Credo videre bona Domini in terra viventium.*

NE *tradideris me*, id est, ne tradi permittas, *in animas*, id est, in desideria istorum inimicorum *tribulantium me: quoniam testes iniqui insurrexerunt in me.* Primò, *testes iniqui* contra Caput meum Christum, falsa crimina imponendo. Se- E cundò, contra ejus membra, dicendo, quod erant *Magi*, & *Nicromantici*, ut patet in Ecclesiastica historia, & historiis Sanctorum Martyrum, & Virginum: & tamen *mentita est iniquitas* istorum inimicorum Ecclesiæ: quia prævaluit veritas, & evanuit iniquitas. Et ideo dicit iste *homo mysticus*: Licèt isti inimici insurgerent in me, falsa crimina imponendo, tamen ego opprobria patienter tolerabam, recordatus illius promissionis & doctrinæ Magistri mei Christi, qui dixit: *Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis*: propter hanc ergo promis- F sionem, quia *credo videre bona Domini*, mihi promissa *in terra viventium* per Redemptorem meum Christum: ideo patienter passus sum opprobria, & supradicta tormenta mihi illata, & crimina falsò imposita.

6.q.1.c. *Sunt plurimi.*

20. *Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.*

IN hoc ultimo versiculo Propheta David exhortatur, & concludendo confortat seipsum, & omnes fideles ad perferendas omnes persecutiones propter Christum & veritatem, ut ponant spem & fiduciam in G eo, in omnibus tribulationibus. Unde dicit: O tu Fidelis, *expecta Dominum* Jesum Christum, & confide, & pone fiduciam, & spem in eo, in omnibus tribulationibus, sicut ego feci; & *age viriliter*, sustinendo, & defendendo Fidem Christi & veritatem, *& confortetur cor tuum* contra Tyrannos & inimicos, & ne deficias, *& sustine Dominum*, id est, pone spem in eo: quoniam ipse liberabit te, sicut liberavit me. Nam licèt ad tempus permittat justos affligi; tamen finaliter liberat eos de manibus inimicorum. Item, non confidas, nec præsumas de tuis viribus, & tua justitiâ; sed pete gratiam.

Totus etiam iste Psalmus potest exponi moraliter de quolibet pœnitente, qui H agit gratias, se per pœnitentiam esse illuminatum, & à peccato liberatum: & petit gratiam, ut intra gremium Ecclesiæ salvetur, & conservetur per auxilium gratiæ. Item, potest etiam exponi pro quocumque in tribulationibus afflicto, qui petit illuminari & liberari. Item, potest etiam exponi pro quocumque fideli existenti in Purgatorio, qui agit gratias, se ab hoc sæculo cum pœnitentia discessisse, & à culpa liberatum fuis-

fuisse: & petit liberari per suffragia Ecclesiæ; & petit *videre bona Domini in terra viventium*, scilicet in gloria cœlesti, liberatus ab omnibus pœnis. Et ideo Ecclesia cantat hunc Psalmum *in Agenda defunctorum*. Item, unusquisque fidelis potest dicere etiam quotidie hunc Psalmum, ut Deus conservet ipsum in gratia, quam in Baptismo, aut per Pœnitentiam semel accepit.

Psalmus XXVII.

6. q. 1. c. Si omnia. 40. d Qui libet.

1. *Ad te Domine clamabo, Deus meus ne sileas à me: nequando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum.*

Titulus: *Ipsi David.* Ex Titulo appareret, quod David fecit hunc Psalmum: sed de materia ejus est varius modus dicendi apud Hebræos, & quosdam Catholicos. Nam quidam dicunt, quod David fecit hunc Psalmum, petens liberari de persecutione *Saulis*. Alii dicunt, quòd fecit ipsum, quando fugit à facie *Absalom*, & ascendens in montem olivarum, & convertens faciem suam versus *Hierusalem*, extollebat manus suas versus locum, ubi erat tabernaculum, & orabat Deum, ne traderetur in manus inimicorum. Et ideo dicit: *Exaudi vocem meam, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* Et sic exponunt istum Psalmum litteraliter præcisè de illa persecutione. Sed licèt illa potuerit esse causa, unde David cepit occasionem ad faciendum istum Psalmum; tamen non est sistendum in tali præcisa litterali Expositione, sed est transeundum ad propheticam intelligentiam. Et ideo est dicendum, quòd David in tali persecutione prævidit totum mysterium Passionis & Resurrectionis Christi. Et ea causa fecit istum Psalmum, in quo tria facit. Nam primò, in persona Christi petit liberari ab inferno, & sepulchro per gloriosam Resurrectionem. Secundò, petit ultionem de crucifixoribus Judæis, prædicendo eorum damnationem, & suæ Civitatis destructionem. Tertiò, agit gratias de beneficio Resurrectionis adepto. Secunda ibi: *Da illis.* Tertia ibi: *Benedictus Dominus.*

Nota, de Christi Resurrectione.

Dicit ergo Christus ad Patrem: O Domine Pater, ego *clamabo ad te* pro me, & toto genere humano in mensa, quando rogabo pro omnibus membris meis, *Joan.* 14. & etiam *clamabo* in horto per trinam orationem, rogando pro omnibus fidelibus. Rogo ergo, *ne sileas*, & *ne taceas à me*, immò annue & concede, quod me resuscites à mortuis, *ne assimiler descendentibus in lacum.* Unde nota, quòd sicut respondere & annuere petenti, est facere, vel promittere: ita tacere, & non respondere petenti, est quasi negare. Et ideo Christus petens Resurrectionem à Patre, dicit, *ne sileas*: & *nequando taceas*, id est, non renuas, nec neges; sed fac quod peto, id est, resuscita me à mortuis, & libera me, & per Passionem & Resurrectionem meam, libera fideles à peccato. Et nota, quòd illud adverbium *ne*, iteratur & præponitur illi verbo *assimilabor*, & ponitur futurum indicativi pro optativo; quasi dicat, *nequando taceas, & ne assimiliter descendentibus in lacum.* Nam si tu non resuscitaveris me, ero *similis descendentibus in lacum*: quæ pœna mihi non debetur; quia ego sum *solus inter mortuos liber.* Et sic non sum debitor mortis, sed immunis, quia non peccavi in *Adam.* At volo sponte mori pro omnibus meis membris, ut faciant voluntatem tuam. Sed non debeo in inferno manere, nec corpus meum incinerari: resuscita ergo me ad vitam gloriosam, & non ero similis aliis peccatoribus descendentibus in lacum inferni. Nam licèt descenderim in infernum: tamen non ex debito: nec ut ibi maneam, sed ut Limbum, & Purgatorium expoliem, & cæteros liberem.

De Consec. d. 4. Gratia.

2. *Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.*

23. q. 4. Quid faciet?

3. *Ne simul tradas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.*

Hier. 9. c.

4. *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.*

Exaudi ergo Domine *vocem deprecationis meæ, dum oro ad te* in mensa & in horto: & *dum extollo manus meas* extensas in cruce *ad templum sanctum tuum*, id est, Majestatem Divinitatis tuæ, orando, *ne simul tradas me*, id est, membra mea, *cum peccatoribus, & ne perdas me cum operantibus iniquitatem*, ad damnationem perpetuam destinando: qui quidem peccatores operantes iniquitatem, sunt Scribæ & Pharisæi, *qui loquuntur pacem cum proximo suo*, scilicet, mihi, qui eram proximus eorum de tribu sua, & loquebantur mihi cum pace simulata & dolosa, dicentes: *Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces &c.* Et tamen

mala

mala erant *in cordibus eorum*, qui hoc dicebant, ut me caperent in sermone, & me possent accusare. Et sic imposuerunt mihi A crimen læsæ majestatis, putà, quod eram rebellis *Cæsari*, & seminabam seditionem in populo.

23. q. 4. cap. Quid faciet? & cap. seq.

5. *Da illis secundùm opera eorum, & secundùm nequitiam adinventionum ipsorum.*

6. *Secundùm opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.*

7. *Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus, destrues illos, & non ædificabis eos.* B

HIC petit ultionem de crucifixoribus, prædicendo eorum destructionem, dicens: O Domine Pater, postquam supradicti Judæi ita dolosè & iniquè processerunt contra me, & volunt manere obstinati in sua iniquitate & cœcitate: ergo *da illis* debitam & meritam pœnam *secundùm opera eorum*; quia fuerunt homicidæ: *& secundùm nequitiam adinventionum ipsorum*; quia cum iniquitate, & dolo, & mendacio, & falso crimine procurarunt mihi mortem: *& tribue illis* pœnam *secundùm opera manuum eorum*: & *redde retributionem eorum ipsis*. Nam pœna debita eorum est, ut sicut ipsi voluerunt, me de terra delere: ita *deleantur de terra viventium*, quantum ad animam; & expulsi à C sedibus suis, vadant dispersi & captivi per mundum, quantum ad corpus. Item, *redde retributionem eorum ipsis*, id est, *redde* eis omnes maledictiones, quæ scribuntur in Lege & Prophetis contra eos, qui non erant recepturi Christum in Lege promissum: *quoniam* isti Judæi *non intellexerunt opera* & miracula, quæ ego feci, per quæ poterant cognoscere, me esse Messiam in Lege promissum, sicut scriptum erat in Lege & Prophetis. Quam scripturam *non intellexerunt*, eò quòd excœcavit eos malitia eorum, ne intelligerent sacramenta Dei. Et ideo, *in opera manuum ejus*, id est, secundùm opera ipsius populi, *destrues illos: & nunquam reædificabis eos*. Nam licèt antè multotiens fuerunt destructi, putà, D per *Chaldæos* & *Antiochum*; tamen reædificasti eos per *Nehemiam*, & *Machabæos*. Sed in ista tertia destructione facta per *Romanos* in vindictam mortis Christi, *nunquam reædificabis eos*: sed *usque ad consummationem* & finem sæculi *perseverabit statuta desolatio*, *Dan.* 9. & sic nunquam erit tertium Templum. E

56. dist. ca. Dominus.

8. *Benedictus Dominus: quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.*

12. q. 2. c. Gloria.

9. *Dominus adjutor meus, & protector meus: in ipso speravit cor meum, & adjutus sum.*

24. q. 1. Odi.

10. *Et refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei.*

2. q. 7. §. Christus.

11. *Dominus fortitudo plebis suæ: & protector salvationum Christi sui est.* F

IN hac tertia parte Christus agit gratias Patri, quia fuit *exauditus pro sua reverentia*: quia recuperavit vitam gloriosam pro se, & suis membris per resurrectionem. Unde dicit: *Benedictus Dominus* Deus Pater meus: *quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ*, & fuit *adjutor & protector meus*. Et ideo *cor meum speravit in ipso*, *& adjutus sum*, sicut petebam: nam caro mea, quæ erat mortua in sepulchro, *refloruit* per resurrectionem ad vitam floridam & gloriosam. Et ideo *ex* tota *voluntate mea* & toto corde & affectu *confitebor ei*, confessione laudis, memorando, & referendo omnia beneficia recepta, tàm redemptionis, quàm resurrectionis: quoniam ipse *est fortitudo plebis suæ*, G *& protector salvationum Christi sui*, id est, omnium membrorum filii sui: quia per Passionem ejus, omnes liberavit à maledicto peccati, & debito pœnæ æternæ. Deinde cùm dicit:

De Consec. d. 2. Iteratur.

12. *Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos usque in æternum.*

CHRISTUS rogat Patrem, ut recipiat ejus mortem, & passionem, & sanguinem in pretium & redemptionem po- H puli sui, & recipiat eos in hac Ecclesia per gratiam, & in futuro per gloriam. Unde ait: O Domine Pater, *salvum fac populum tuum*, meam Passionem pro ejus redemptione acceptando: *& benedic hæreditati tuæ*, quam toto labore acquisivi, & recuperavi à maledicto peccati, & à sententia

data in *Adam* absolvendo : & postquam iste populus est *hæreditas tua* : *rege eos* in hac Ecclesia per Legem Euangelicam, & A Ecclesiastica Sacramenta, in gratia conservando. Et post hanc mortalem vitam *extolle* & exalta eos *usque in æternum*, vitam & felicitatem æternam in Cœlo eis conferendo.

Psalmus XXVIII.

[1.q. 1. c. *Sunt non-pulli.*

1. *Afferte Domino Filii Dei : afferte Domino filios arietum.*

Titulus : *Psalmus David in consummatione tabernaculi.* Ex quo Titulo apparet, quòd David fecit istum Psalmum in consummatione tabernaculi, vel templi, quod præcepit ædificari per Salomonem. B *Hieronymus* autem dicit, quòd David fecit istum Psalmum in consummatione Tabernaculi lignei, quod propè domum suam construxit, & in eo Arcam recondidit : & quòd invitat omnes fideles ad cultum divinum, qui fiebat in illo Tabernaculo. Sed *Rabbi Salomon*, & communiter omnes Hebræi dicunt, quòd David in hoc Psalmo invitat etiam totum populum ad offerendum oblationes, & omnes Sacerdotes ad offerendum sacrificia, & omnes Levitas ad cantandum Psalmos & Laudes in templo per Salomonem ædificando, post ejus consummationem. *Rabbi* autem *Camhi Barchinonensis* dicit *in Glossa* hujus Psalmi, quòd David prævidens in spiritu mirabilia, quæ facturus erat Rex Messias in suo adventu, fecit hunc Psalmum, in quo invitat omnes Judæos, ut sequantur eum in suo adventu, & offerant sacrificia in templo, quod de- C bebat ædificari in *Hierusalem*. Et addit, quod ille Messias debebat facere cum voce sua mirabilia, quæ scribuntur in hoc Psalmo. Et sic glossat ipsum de Messia, quem falsò & frustra expectant moderni Judæi. Ex quibus patet manifestè, quod iste obstinatus partim dicit verum, in quantum dicit, quod David prævidens mirabilia, quæ facturus erat Messias, fecit hunc Psalmum, & quod David invitat omnes fideles, ut recipiant Messiam in suo adventu. Sed mentitur & blasphemat, in quantum expectat futurum, quod jam est impletum & præteritum : quia *Jesus* Messias in Lege promissus, jam venit, & fecit omnia quæ in isto Psalmo memorantur.

Relicto ergo mendacio, recipiamus D veritatem, exponendo istum Psalmum de Jesu Christo Redemptore nostro in Lege promisso : qui in suo adventu omnia mirabilia quæ in isto Psalmo continentur, fuit operatus. Ad cujus intelligentiam est notandum : quòd duo inter cætera prævidit David in spiritu, in illo exemplari & descriptione templi sibi tradita, 1. *Paralip.* *Nota de descriptione templi.*
E 28. Nam primò, prævidit in spiritu, & intellexit, qualiter Christus in suo adventu debebat ædificare Ecclesiam toto orbe diffusam, figuratam per illud templum materiale, quod ipse præcipiebat ædificare. Secundò, prævidit, quòd in sola Ecclesia verum sacrificium *Eucharistiæ* erat offerendum, figuratum per *Agnum*, qui in Lege manè & vesperè immolabatur: in quo sacrificio Christus Deus & homo erat colendus, & adorandus. Tertiò, prævidit per miracula facta in Lege veteri per *Moysen*, qualiter Christus in Lege promissus, debebat operari multo majora miracula in virtute nominis Dei, in Ecclesia per ipsum ædificanda. Tria ergo facit David in hoc Psalmo quem fecit, prævidens in spiritu tria supradicta. Nam primò, invitat om-
F nes fideles, ut recipiant Christum in suo adventu, tanquam verum Deum & hominem, & exhibeant ipsi honorem *Latriæ*. Secundò, assignat rationes, quare Christo debetur *Latria*, probans ipsum fore Deum, per septem mirabilia, quæ erat operaturus in suo adventu in virtute nominis sui, majora quàm unquam fuerint facta in veteri Testamento. Tertiò, resumit exhortationem primò factam, exhortando omnes fideles ; ut exhibeant Deo honorem *Latriæ* pro beneficiis receptis. Secunda ibi : *Vox Domini super aquas.* Tertia ibi: *In templo ejus dicent omnes gloriam.*

Quantum ad primum est advertendum, quod *Latria* est cultus soli Deo debitus, ratione summæ omnipotentiæ, & majestatis, sapientiæ, & bonitatis, & in munere & confessione laudis & adoratione consistens. Et sic de jure propter seipsum debetur Deo ipsa *Latria* : sed adhuc etiam *Quid sit Latria.*
G Christo, & Deo Patri, quantum est ex parte nostri debemus, & tenemur exhibere *Latriam* propter tria principalia beneficia recepta. Nam primò, tenemur exhibere adorationem pro beneficio creationis, in quo recepimus esse simpliciter. Secundò, tenemur offerre oblationes & sacrificium pro beneficio redemptionis. Tertiò, gloriam & honorem & laudes pro beneficio nostræ glorificationis, & ratione victoriæ & triumphi, quem Christus obtinuit de mundo & diabolo. Et ideo David primò, invitat fideles, ut tribuant Christo, & Deo Patri, primam speciem *Latriæ*, quæ est oblatio & sacrificium pro beneficio, & memoria nostræ redemptionis, & ut fumus parcipes suæ Passionis.

H Unde dicit : *O Filii Dei*, per Fidem & Baptismum regenerati, *afferte Domino* Jesu-Christo honorem *Latriæ*, quæ consistit in tribus : scilicet, in oblatione, & laudibus, sive confessione, & adoratione. Et primò offerte, & *afferte Domino* Jesu-Christo *filios arietum*, id est, agnos ad sa-

sacrificium, id est, afferte sacrificium *Eucharistiæ*, in quo offertur Christus Filius Dei, per agnos, qui in Lege manè & A vespere immolabantur, figuratus: hoc ergo Sacramentum & agnum offerte in *Eucharistia.*

Quid offertur in Sacramẽto altaris.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd in Sacramento altaris propriè offertur humanitas Christi Verbo unita pro peccato totius populi, ut ipse Christus sit Mediator inter nos, & Patrem. Et sic tale sacrificium non dicitur propriè offerri Christo, sed Patri. Sed totus populus offert seipsum Christo, & Patri: quia ibi offerimus totam animam & cor contritum & humiliatum: & in tali casu unusquisque fidelis dicitur *agnus oblatus.* Et de talibus agnis dicit etiam Propheta, *Afferte Domino filios arietum.* Quasi dicat: O vos Sacerdotes, qui estis *Filii Dei* dedicati ad ministerium sacerdotale, non solum offeratis in templo Christum, qui est *Agnus immaculatus*; sed etiam *afferte Domino filios arietum*, id est, omnes fideles, tan- B quam agnos: quia sicut pro toto populo offertis Patri sacrificium *Eucharistiæ*: ita etiam offertis Deo omnes fideles, & unusquisque fidelis offerat seipsum.

Item, etiam per illos agnos *filios arietum*, intelliguntur omnes *Martyres*, qui in Ecclesia pro Christo fuerunt immolati. Nam sicut in cruce seipsum pro nobis obtulit immolatum: ita pariter omnes *Martyres* Christo, & Patri seipsos obtulerunt immolandos: qui quidem Martyres fuerunt figurati per illos *agnos*, & *arietes*, & *vitulos*, qui in Lege immolabantur, ut magis patebit *Psalmo* 50. De talibus ergo *agnis* dicit etiam Propheta: *Afferte Domino filios arietum.* Et hæc est una species *Latriæ*, soli Deo debita, quæ dicitur *oblatio* & *sacrificium.* Secunda pars *Latriæ* est confessio laudis, & oratio, & glorificatio pro beneficiis receptis: & hanc, dicit Pro- C pheta, quòd fideles exhibent Christo in suo adventu. Unde dicit,

1. 95. b. 8. q. 1. in Scripturis

2. *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.*

AFFERTE *Domino* Jesu-Christo *gloriam & honorem*, ipsum laudando & glorificando: & *afferte gloriam nomini* sancto *ejus*, quod est *Jesus*: eò quòd nos salvavit, & liberavit: & quia est nomen omnipotentiæ & sapientiæ &c. Et ideo tenemini ipsum laudare & glorificare: quæ est secunda species *Latriæ.* Tertia species est *Adoratio*, quæ non solum fit cum genuflexione, sed etiam cum procidentia & prostratione, quæ soli Deo debetur propter beneficium creationis. Et hanc, dicit E Propheta, ut fideles exhibeant Christo, & Patri: eò quòd est verus Deus. Et ideo subdit: *Adorate Dominum* Jesum Christum *in atrio sancto ejus*, id est, in sua humanitate, quæ est tabernaculum, & *atrium*, & templum divinitatis, in quo Verbum habitat per unionem personalem. Item, *adorate Dominum in atrio sancto ejus*, id est, in Ecclesia toto orbe diffusa, quam ipse ædificavit, & sanctificavit. Ex quibus patet, quòd Propheta in his duobus versiculis explicat omnes tres species *Latriæ* soli Deo debitas: quæ sunt *oblatio*, & *glorificatio*, & *adoratio.*

Nota de adorare, revereri &c.

Ad cujus declarationem est notandum, quòd ista quinque se habent per ordinem, scilicet *Revereri*, *Honorare*, *Laudare*, *Glorificare*, & *Adorare.* *Revereri* est, reputare aliquod bonum majus in altero, quàm in seipso. *Honorare* est, exhibere reverentiam in testimonium virtutis, quam in alte- F ro reputamus. *Laudare* est, honoratum aliis commendare. *Glorificare* autem est, laudes honorati large lateque præconizare. *Adorare* verò est, reverendum, honorandum, laudandum, glorificandum colere propter eminentiam omnipotentiæ & sanctitatis, & omni alia spe & fiducia postposita, se totum illi subjicere. Ideo *Adoratio* dicitur, divinus cultus, omnia quatuor supradicta comprehendens. Et sic tale obsequium exhibetur cum oblatione, & confessione laudis, & prostratione.

Ulterius est advertendum, quòd notanter dictum est in textu: *Afferte Domino gloriam nomini ejus.* Nam per ly *nomini ejus*, intelligitur *Jesus*, quòd est Nomen Dei Patris quatuor litterarum; ad denotandum, quod unicâ adoratione *adoratur* Christus cum Patre: eò quòd est No- G men ejus simul cum Spiritu sancto, quippè qui est *Amor* utriusque. Et sic unicâ adoratione & *Latria* coluntur tres Personæ: eò quòd unica Divinitas, & Omnipotentia, & æqualis Majestas reperitur in tribus, ratione cujus debetur eis *Latria.* Et ideo adorando Jesum Christum, adoramus Patrem, cujus Jesus est Nomen. Nam sicut Jesus est Verbum Dei, ita est Nomen Dei: quia Nomen Dei addit humanitatem supra Verbum: quia Nomen Dei nil aliud est, nisi Verbum Incarnatum, sive humanatum, ut dictum est *in Prologo*: & *Psalmo* 8. Et ideo ubicunque ponitur Nomen Dei quatuor litterarum in veteri Testamento, semper intelligitur *Jesus Christus*, qui est *Nomen Dei Patris*, explicans sensibi- H liter ejus Omnipotentiam, & Voluntatem, & Sapientiam, & Misericordiam, & Justitiam. Et ideo novemdecim vicibus memoratur Nomen Dei quatuor litteris scriptum in hoc Psalmo, per quod semper intelligitur *Jesus Christus.* Ideo dicunt Judæi, quòd

quòd vigetiès reperitur scriptum *Nomen Domini* in hoc Psalmo, computando cum cæteris ly *nomini ejus*: quia idem est, quòd *Dominus*, sive *Adonai*, quod est Nomen Dei. A

De Conse. d. 4. Nec quamquà

3. *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas.*

POSTQUAM superiùs Propheta invitavit omnes fideles ad recipiendum Christum in suo adventu, & ad exhibendum ipsi honorem *Latriæ*, eò quòd est Deus, & Nomen Dei: nunc autem in hac secunda parte probat per rationes, & effectus, qualiter Christus est Deus, & illud Nomen Dei, quod expectatur in Lege.

Ad cujus intelligentiam est primò notandum, quòd sicut totus Jesus, Deus & homo, dicitur *Nomen Dei*, ut dictum est *Psalmo* 8. ita sola humanitas prout est unita Verbo, dicitur *Vox Domini*. Et ratio est: nam sicut *Nomen* nihil aliud est nisi *Verbum cum voce*: ita Jesus Christus nihil aliud est, nisi Verbum Incarnatum, seu Verbum habens humanitatem. Item sicut vox nostra nihil aliud est, nisi vehiculum verbi, per quod verbum mentale secretum, fit notum aliis, & sensibiliter manifestum, ut ait *Avicenna*: ita pariter dicit *Augustinus*, quòd *humanitas Christi fuit vehiculum & instrumentum, per quam Verbum Divinum instrumentaliter & sensibiliter notificavit mundo voluntatem Patris, Legem Euangelicam proferendo; & per quam instrumentaliter & sensibiliter ostendit, & notificavit Omnipotentiam Dei Patris, miracula faciendo: & notificavit misericordiam, pro nobis patiendo.* Et ideo B C dicit *Leo*, quòd *humanitas Christi erat instrumentum, per quod Verbum Divinum miracula faciebat.*

Ex quo patet, quòd sicut totus Christus verè dicitur *Nomen Dei*: ita humanitas Verbo unita, dicitur *Vox Dei*, ad cujus vocem & præceptum miracula fiebant. Et ideo in hoc Psalmo vigeties nominatur *Nomen Dei* scriptum quatuor litteris in Hebræo, per quod semper intelligitur *Jesus Christus*, qui est Nomen Domini: & septies nominatur *Vox Domini*, per quam intelligitur humanitas Christi, per cujus vocem Verbum operabatur, & fecit septem mirabilia in hoc Psalmo memorata. Nam sicut ante Incarnationem Deus clamabat, & loquebatur per ora prophetarum, ut inquit D *Augustinus*, ita in novo Testamento locutus est nobis per os proprium, & humanitatem Verbo unitam, ut inquit *Apostolus*, *ad Hebr.* 1. Et sic per *Vocem Dei* intelligitur etiam *Verbum incarnatum*, sive *humanitas Verbo unita*: de qua voce dicetur *Psalmo* 94. *Hodie si vocem ejus audieritis.*

Per vocem intelligitur humanitas Christi.

Secundò est notandum, quòd tota E Scriptura veteris Testamenti pro majori parte nil aliud clamat, nisi quòd Christus in Lege promissus debebat notificare & manifestare mundo *Nomen Dei*, & virtutes ejus: quod quidem *Nomen* nunquam fuit manifestatum alicui Patriarcharum, aut Prophetarum: cum quo nomine, & in virtute cujus, ipse Christus Rex Messias debebat facere majora miracula, quam unquam fuerunt facta in sæculo priori: & ita hodie Judæi moderni asserunt, quod solus Messias, quem ipsi expectant, debet facere majora miracula cum Nomine Dei *Tetragrammaton*, quod *Semiforas* appellant, quàm quæ fuerunt scripta in Lege & Prophetis. Ex quorum dictis manifestè confitentur Messiam fore Deum: nam nullus potest possidere illud nomen, nisi solus F Deus, cùm sit nomen Omnipotentiæ.

Nota.

Sed rejecta cœcitate istorum, in quantum expectant futurum, quod jam est impletum per Jesum Christum: ideo est dicendum, quod prævidens David mirabilia, quæ Christus ad solam vocem & præceptum erat facturus, appellat ipsum *Nomen Domini*, & *Vocem Domini*, propter septem mirabilia quæ fecit in mundo, in hoc Psalmo memorata, in quibus ostendit suam Omnipotentiam, & Deitatem, propter quod debetur ipsi adoratio *Latriæ*: quæ quidem mirabilia fuerunt figurata in veteri Lege, facta per Moysen in ductu illus populi. Quorum primum mirabile Christi fuit institutio Baptismi, qui accepit virtutem regenerativam ad solam vocem Dei Patris, & contactum carnis Christi, & influentiam virtutis Spiritus sancti. Quod quidem mirabile & Sacramentum fuit figura- G tum per transitum Israel per aquas Maris Rubri, ut ait *Apostolus*, 1. *ad Corint.* 10. Sed istud mirabile fuit majus illo. Nam in illo tantum sunt liberati filii Israel à morte corporali. Sed per Baptismum liberatur totus mundus à morte & captivitate spirituali. Et hoc est quod dicit Propheta. Unde ait: *Adorate Dominum* Jesum Christum *in atrio sancto ejus*: quoniam ipse erit *Vox Domini super aquas* baptismales. Et sic erit *Vox Domini & Nomen Domini Tetragrammaton.* Quod probo. Nam Dominus *Deus majestatis intonuit* vocem suam super ipsum, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Item, Filius ibidem *super aquas* Jordanis *intonuit* vocem suam, quando dixit Joanni: H Baptiza me *sic enim decet nos implere omnem justitiam.*

Nota, hæc mirabilia

Baptismus.

Item ibi *intonuit* Spiritus sanctus, quando apparuit in signo columbæ, non quod sit alia vox Patris, & alia Filii. Sed una est *vox*, virtus, & potentia omnium trium personarum. Quia Pater loquitur per Filium

lium in Spiritu sancto: quia potentia & virtus omnium trium Personarum manifestatur per humanitatem Filii tanquam per *vocem*, ut dictum est: & sic ista *vox* cecidit super aquas Jordanis, & contulit vim regenerativam omnibus aquis elementaribus. Et ideo dicit, quòd Dominus *Deus majestatis intonuit super aquas multas:* ad denotandum, quòd non solùm collata est virtus regenerativa ipsis aquis Jordanis ad purgandum peccatum; sed omnibus aquis mundi: eò quòd omnes sunt unum elementum. Ex supradictis patet, quòd non per solam aquam perficitur Baptismus, sed per invocationem totius Trinitatis: cujus forma est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ideo enim ibi apparuit Pater in voce, Filius in carne, Spiritus sanctus in signo columbæ.

Item sequitur secundò, quòd Baptismus non potest perfici sine aquâ: eò quòd ibi tota Trinitas fuit *super aquas.* Tertiò sequitur, quòd majus & mirabilius mysterium fuit institutio Baptismi, & majoris virtutis fuit illa *vox Domini*, quæ cecidit *super aquas* Baptismales in Jordane, quam illa quæ cecidit super Mare Rubrum. Nam illa liberavit totum genus humanum à morte & captivitate æterna: ista autem solùm liberavit filios Israel à morte & captivitate temporali: quæ multitudo fuit parva respectu multitudinis omnium fidelium per Baptismum Christi regeneratorum. Deinde cùm dicit:

De Pœn. d. 7. Nullus.

4. *Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.*

ADducit secundum exemplum, & mirabilem operationem, quam fecit Christus super omnem humanam facultatem, ad solam vocem & præceptum in operatione miraculorum, in quibus ostendit suam Divinitatem, & se esse *nomen*, & *vocem Domini*, & verum Messiam in Lege promissum: per quam vocem *in virtute* comprehendit omnia miracula quæ fecit Christus. Nam ad solam vocem & præceptum Christi cessaverunt venti, & quievit mare. Unde dixerunt circunstantes: *Quis est hic, quia mare & venti obediunt ei?* Item ad solam vocem & præceptum suscitavit *Lazarum*, dicens: *Lazare, veni foras*, *Joann.* 11. Item ad solam vocem & imperium suscitavit filium viduæ, & filiam Archisynagogi, & sanavit ægrotos, & mundavit leprosos &c. Ex quibus patet, quòd ista vox Christi facta super mortuos, & ægrotos, & in omnibus miraculis, fuit majoris virtutis quantum ad effectum, quàm illa vox facta super Ægyptum, quæ induxit illas decem plagas. Nam ista occidebat, & illa suscitabat mortuos. Item ista inducebat morbos & tempestates: & alia mitigabat ventos, & sanabat omnes infirmitates. Et ideo dicit Propheta: quòd Jesus Christus fuit *vox Domini in virtute*, id est, in cujus virtute debebant fieri, & fuerunt facta multa miracula, in quibus Christus ostendit suam Divinitatem, & omnipotentiam.

Deinde cùm dicit: *Vox Domini in magnificentia*, adducit tertium exemplum, & opus mirabile, quod fecit Christus per suam Mortem & Passionem & Resurrectionem, quando triumphavit de diabolo, & expoliavit infernum, & deduxit totam prædam, & liberavit totum genus humanum, quando dixit: *Redemisti me Domine Deus veritatis:* quæ quidem vox fuit majoris virtutis, & majoris triumphi, quàm vox facta in Ægypto, quando Moyses & Israel expoliaverunt Ægyptios. Nam illa vox solùm expoliavit Ægyptum bonis temporalibus, & liberavit solùm populum à captivitate temporali: sed vox Christi facta in Passione, & Resurrectione, expoliavit infernum, & liberavit omnes fideles, qui ibi detenti fuerunt ab Adam usque ad Christum: & etiam liberavit omnes fideles futuros in majori numero sine proportione. Ex quo patet, quòd illa *vox* Christi fuit facta cum majori *magnificentia* & triumpho. Quod prævidens David in spiritu, dicit, quòd Christus fuit *vox Domini in magnificentia* & triumpho, supple, in nostra redemptione, & inferni expoliatione. Deinde cùm dicit:

De Confes. d. 4. Proprie.

5. *Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.*

HIC adducit quartum exemplum, & opus mirabile, quod fecit Christus ad solam vocem & præceptum, quando descendit ad inferos, dicens: *Attollite portas principes vestras &c.* quia tunc *portas æreas & vectes ferreos confregit;* & confregit omnes principes inferni, & alligavit Satanam, & abstulit ab eo prædam, & arma, in quibus confidebat &c. Et ideo Christus fuit *vox Domini confringentis cedros*, id est, superbos principes inferni. Item Christus fuit *vox Domini confringentis cedros*, quando ad solam prædicationem Apostolorum comminuit & confregit omnia idola mundi, & confregit & subjecit omnes Reges, & Imperatores, & principes mundi. Ex quibus patet, quòd ista *vox* sine proportione fuit majoris virtutis quantum ad effectum, quàm illa *vox*, quam intonuit Dominus super *Pharaonem* & exercitum ejus in Mari Rubro. Nam ista solùm confregit & dissipavit *Pharaonem* cum exercitu suo: illa autem *vox* Christi confregit & dis-

Nota, de Christi miraculis.

dissipavit totum infernum, & dissipavit omnia idola mundi, & omnes ritus detestabiles, & nefandas superstitiones populi Gentilis. Et ideo dicit Propheta, quòd Jesus Christus fuit nomen, & *vox Domini confringentis cedros*, id est, principes inferni: & etiam *vox Domini* facta per prædicationem Apostolorum *confregit*, & *confringet cedros Libani*, id est, principes mundi superbos, per cedros Libani figuratos.

8. q. 1. c. Olim. Et 83. d. §. ult.

6. *Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius unicornium.*

ET comminuet eas sicut vitulum Libani; quasi dicat, quòd sicut altissimæ cedri Libani prosternuntur & confringuntur cum securi ferrea: ita pariter omnes Reges & Principes terræ fuerunt prostrati & confracti cum securi Euangelica & prædicatione Apostolorum. Item, sicut armenta vitulorum, qui pascebantur in monte Libano successivè diminuebantur, & jugulabantur pro sacrificiis, & pro cibo ad comedendum usque ad consummationem: ita Christus *comminuit*, & prostravit omnia idola, & omnes Principes mundi; sed *dilectus* populus Christianus fuit liberatus & salvatus *sicut filius unicornium.*

Natura unicornis ad Christum applicanda.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd *unicornis* habet talem naturam & virtutem in cornu suo, quod fugat omne venenum ad tactum suum. Et ideo omnia animalia sequuntur ipsum, nec audent bibere aquas in Æthiopia, nisi *unicornis* prius intingat cornu in aquis: eò quòd in Æthiopia sunt multæ aquæ venenosæ. Sed *unicornis* tangendo aquas cum cornu suo, mundat eas à veneno, & sic securè bibunt animalia: aliter multa alia animalia pereunt, nisi bibant in societate *unicornis*, & bibant aquas, quas unicornis mundavit. Et ideo Propheta David in hac particula comparat Jesum Christum Filium Dei cum populo suo ipsi *unicorni*. Nam sicut *unicornis* ex tactu suo mundat aquas à veneno, & præbet aquis vim purgativam veneni, & sanativam: ita Christus per suum contactum in Baptismo præbuit vim purgativam & sanativam peccati, & regenerativam, & renovativam ad vitam spiritualem, intingendo *cornu suum*, id est, humanitatem, in ipsis aquis Baptismalibus. In quo *cornu* & carne erat unita virtus Divina unione personali. Quæ quidem aqua Baptismalis ex contactu, & illa virtute Christi receptâ, sanat omnem languorem animæ, & fugat omne venenum peccati. Et sic est dicendum de omnibus Sacramentis, quæ receperunt virtutem ex *cornu* virtutis Christi. Et etiam Christus intinxit cornu suæ crucis in omnibus Sacramentis. Et sic habuerunt Sacramenta virtutem purgativam & sanativam omnis peccati. Et ideo sicut omnia animalia sequuntur *unicornem*, ut securè bibant aquas sine veneno: ita totus populus Christianus sequitur Christum, ut operetur secundùm Legem suam sine peccato. Unde sicut animalia, quæ bibunt aquas venenosas extra societatem *unicornis*, omnia pereunt, & moriuntur ex illo veneno: ita omnes infideles, qui sunt extra Ecclesiam, & societatem Christi, pereunt & moriuntur ex veneno peccati: quia aliter homines non possunt liberari, nisi virtute Passionis Christi fuerint sanati à peccati veneno, quod biberunt in Adam, & in seipsis, nisi ex contactu *cornu* Christi, & virtute Passionis ejus. Solus ergo Christus potest dici isto modo *unicornis*, quia solus nunquam bibit venenum peccati. Et per suum contactum liberavit alios. Sed solus populus Christianus dicitur *filius unicornis*, eò quòd est liberatus à Christo, qui est *verus unicornis*, & ab eo regeneratus, & sanatus.

Et hoc est quod dicit David, quòd cum Christus ad vocem suam & præceptum *confregit omnes cedros*, & omnia idola, & omnes infideles superbos, solus populus Christianus sibi *dilectus* evasit illæsus, & salvatus, *quemadmodum filius unicornis*, id est, sicut illa societas animalium manet illæsa, & sanata à veneno per contactum & ductum *unicornis*: ita populus Christi manet salvatus & liber. Et etiam hoc dicit, quia *unicornis* etiam liberat filios suos parvulos ab illa aqua venenosa. Nam ipse primò intingit *cornu* in aquis: & postea facit bibere filios suos sine periculo. Et ita Christus intingendo humanitatem suam in aquis, liberavit omnes filios adoptivos. Et ideo totus populus Christianus Deo *dilectus* dicitur liberatus à Patre, & Capite suo Christo *sicut filius unicornis*. Ex quibus patet, quòd majoris virtutis fuit ista vox Christi facta contra diabolum & idola, quàm vox facta contra *Pharaonem*, & exercitum ejus. Et hoc est intelligendum quoad effectum respectu nostri: quia respectu Dei æqualis virtus fuit. Unde sicut *unicornis* in suo ductu liberat & salvat filios, & omnia animalia ipsum sequentia: ita Christus per Baptismum salvat omnes sequentes se. Item, sicut ille populus Israel Deo *dilectus* tunc transivit mare illæsus, *sicut filius unicornium*, pereuntibus Ægyptiis: ita populus Christianus Christo *dilectus* transit illæsus & mundus per aquas Baptismales, pereuntibus Judæis, & cæteris infidelibus.

De Confe. d. 5. cap. de Spiritu sancto.

7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis : vox Domini concutientis desertum : & commovebit Dominus desertum Cades.*

HIC adducit quintam operationem & beneficium Christi, quæ fuit missio Spiritus sancti in Discipulos. Nam sicut ante Incarnationem dedit Legem Moysi inter *flammam ignis*, inducendo tonitrua & fulgura, tremente toto monte, ut patet *Exo.* 19. ita pariter Christus post suam Ascensionem, quando misit Spiritum sanctum in Discipulos, *factus est repente sonus de Cælo tanquam advenientis spiritus vehementis, & apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum*, ut patet *Act.* 2. & sic Spiritus sanctus dedit septem dona gratiarum, cum quibus intellexerunt Apostoli omnia mysteria clausa in Lege & Prophetis. Unde sicut in monte *Sinaï* Deus dedit Legem Moysi, quasi clausam, & nubibus velatam : ita in monte Sion dedit Apostolis intelligentiam, & aperuit eis sensum totius Legis & Prophetarum. Ex quo patet, quòd vox Christi facta in monte Sion per missionem Spiritus sancti fuit majoris virtutis, quàm vox facta in monte Sinaï. Nam ibi data fuit lex clausa & velata sub illis cærimoniis, & mysteriis : sed hîc fuit nobis revelata, & aperta ejus intelligentia & veritas : quia majoris virtutis est, aperire intelligentiam & veritatem Legis. Et hoc est quòd dicit hîc David : quòd *vox Domini* Jesu-Christi *intercidentis flammam ignis* fuit in monte Sion, quando misit Spiritum sanctum in Apostolos linguis igneis intercisis, & dispertitis. Nam Christus, sive *vox*, tunc *intercidit* & divisit *flammam ignis* intelligentiæ Sacræ Scripturæ, & *flammam ignis* charitatis omnibus Discipulis, singulis, prout voluit, dividendo dona gratiarum. Et hoc est visum in signo, quia *supra singulos eorum apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Et in hoc ostendit Christus suam omnipotentiam & divinitatem. Et sic fuit Christus *vox Domini intercidentis*, & dividentis *flammam ignis* in missione Spiritus sancti.

Nota, de missione Spiritus sancti.

Prædicatio Apostolorum.

Deinde subdit : *Vox Domini concutientis desertum.* Hîc adducit Propheta sextum mirabile opus Christi, quod fecit per prædicationem Apostolorum : quâ voce totum mundum commovit. Nam sicut ante Incarnationem ad suam vocem & præceptum fuit commotum totum *desertum Cades*, & terra aperta est, & *deglutivit Datam, & Abiron, & Core* cum omnibus sequacibus, & solum fuerunt salvati, qui noluerunt sequi conjurationem eorum : ita *vox* Christi in prædicatione Apostolorum intonuit, & *commovit totum desertum* hujus mundi, & concussit totam terram, & comminuit omnia idola, & prostravit omnes principes mundi : inter quos infernus deglutivit totum populum Judaicum, qui conjuravit contra Christum : primò Scribas, & Pharisæos, & Principes Sacerdotum, qui fecerunt illam conjurationem. Secundò deglutiet infernus totum populum Judæorum, qui vult sequi conjurationem & obstinationem & perfidiam illorum. Item deglutivit infernus *Neronem*, & *Domitianum*, & *Severum*, & *Decium*, & *Diocletianum*, & *Maximianum*, & omnes alios Tyrannos, qui fecerunt conjurationem & decretum contra Ecclesiam, ad delendum nomen Christi de terra. Et solum salvati sunt illi, qui noluerunt sequi eorum obstinationem, & infidelitatem, immò relictis idolis, conversi sunt ad fidem. Et ideo Propheta totam Gentilitatem vocat *desertum Cades*; eò quòd tota fuit immutata, & translata de infidelitate ad fidem. Unde *Cades*, mutata & translata interpretatur : quia Gentilitas ad vocem Christi per prædicationem Apostolorum, fuit mutata & translata ab illis nefandis ritibus ad veram fidem, & religionem Christi. Et sic obstinatis pereuntibus, ipsa fuit salvata. Et hoc est quod dicit hîc David. Unde ait : *Vox Domini* Jesu-Christi *concutientis desertum*, fuit in hoc mundo in prædicatione Apostolorum, id est, Christus percussit *desertum* hujus mundi : sive concutiet in prædicatione Apostolorum. Et declarando seipsum, subdit : Nam *vox Domini* Euangelica *commovebit desertum Cades*, id est, totam Gentilitatem, quæ dicebatur *deserta à Deo* : eò quòd nunquam habuerat Legem & Prophetas. Sed dicta est *Cades*, eò quòd ad vocem Euangelicam fuit ad fidem mutata, & translata, cæteris obstinatis pereuntibus, maximè Judæis. Et fuit figuratum in concusione deserti, & præcipitio *Core*, *Datam*, & *Abiron* &c. Unde sicut illa *vox Domini concutientis desertum Cades*, punivit *Core*, & sequaces ejus, & convertit alios ad sequendum Moysen : ita pariter prædicatio Apostolorum punivit multos obstinatos, & convertit majorem partem populi Gentilis ad sequendum Christum.



8. *Vox*

93. d. c. Legum, & 1. q. 1. Multę.

8. *Vox Domini præparantis cervos,* A *& revelabit condensa : & in templo ejus omnes dicent gloriam.*

HIC adducit septimum beneficium, sive opus mirabile, quod fecit Christus in suo adventu. Nam sicut tempore *Josue* Deus interfecit omnes Principes terræ *Chanaam*, & comminuit omnia idola, & constituit duodecim Principes de populo Israel super totam terram Chanaam, & Palæstinæ, & fecit habitare duodecim Tribus in illa terra, & sic crevit ille populus in magnam multitudinem, ut dictum est: ita pariter Christus, prostratis omnibus principibus hujus mundi, & diabolo ejecto foras, B constituit duodecim Principes super omnem terram, scilicet, duodecim Apostolos, qui destructa idololatriâ, infinitam multitudinem in Christo regeneraverunt, & totum mundum impleverunt. Et sic postea successerunt Episcopi, & Prælati, & Sacerdotes, qui dicuntur *Principes terræ*, & Patriarchæ, qui infinitos filios per Baptismum in Ecclesia Christi regeneraverunt.

Et ideo David in hoc versu per *cervos* intelligit Principes Ecclesiæ, scilicet, Episcopos, & Prælatos, & Sacerdotes, ut patet *in Canticis Salomonis:* ideo dicit: *Vox Domini* Jesu-Christi *præparantis cervos,* id est, Episcopos, Prælatos, & Sacerdotes constituit in Ecclesia. Quasi dicat, quòd Christus per suam virtutem & vocem ordinavit Episcopos, & Sacerdotes in Ecclesia, eis C suam potestatem communicando : *&* per eos *revelavit condensa*, id est, per eorum prædicationem revelavit secreta, quæ erant velata & occulta in Lege veteri. Unde littera *Hieronymi* habet: *Vox Domini emundans silvas.* Quasi dicat, quòd prædicatio Apostolorum primò mundavit filios, Sacræ Scripturæ eis secreta revelando, & cærimonias abscindendo. Item, *vox* Euangelica fuit emundans silvas, id est, populos Gentiles, eos à spurcitia dœmoniorum, & ritibus nefandis abstergendo & mundando. Et sic *revelavit condensa*, id est, multitudinem eorum sanando, & eis lumen præbendo. Et sic omnes qui fuerunt mundati ab ignorantia peccati, & fœditate, *dicent gloriam in templo ejus*, scilicet, in Ecclesia per Christum toto orbe diffusâ, & ædificaD tâ in prædicatione Apostolorum. Est enim advertendum, quòd per septem supradictas voces Christi, possunt intelligi septem voces, & septem formæ verborum, quibus Christus instituit septem Ecclesiastica Sacramenta: quæ quidem Sacramenta sine forma verborum perfici non possunt. Nam *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, ut inquit *Augustin.* Et ideo quodlibet Sacramentum habet propriam E formam verborum, per quam conficitur, sicut forma Baptismi est: *Ego te baptizo &c.* & forma Eucharistiæ: *Hoc est corpus, &c.*

Dicit ergo Propheta, quòd Christus fuit *vox Domini super aquas*, per quam vocem constituit *Baptismum.* Secundò, fuit *vox Domini in virtute*, per quam constituit *Confirmationem*, in qua datur virtus & robur ad resistendum, & pugnandum contra diabolum. Tertiò, Christus fuit *vox Domini in magnificentia*, constituendo *Eucharistiam:* quod est Sacramentum magis magnificum, & nobilius cæteris. Quartò, fuit *vox Domini confringentis cedros*, constituendo Sacramentum *Pœnitentiæ*, per quam confregit dœmones, & septem vitia capitalia. Quintò, fuit *vox Domini intercidentis flammam ignis*, F constituendo *Matrimonium*, per quod extinguitur, & excutitur flamma libidinis. Sextò, fuit *vox Domini concutientis & commoventis desertum Cades*, constituendo *Extremam-Unctionem*, per quam submerguntur peccata, & transmutantur fideles ab hac vita mortali in vitam æternam. Septimò, *fuit vox Domini præparantis cervos*, constituendo Prælatos, & Sacerdotes in Ecclesia per *Sacramentum Ordinis*: qui quidem Sacerdotes & Prælati figurantur per *cervos in Canticis Salomonis.* Et sic patet, qualiter Christus per septem voces instituit septem Ecclesiastica Sacramenta.

Nota, Christus fuit vox Domini.

Deinde subdit: *Et in templo ejus omnes dicent gloriam.* Hæc est tertia pars, in qua ex supradictis concludit & resumit, quod in principio dixit, scilicet, *afferte Domino* G *gloriam & honorem.* Nam licèt Christo debeatur tota Latria; tamen præcipuè & specialiter tenemur & debemus ipsi cantare laudes & gloriam pro supradictis beneficiis receptis, in quibus ostendit suam omnipotentiam, & misericordiam, & bonitatem, & deitatem. Unde arguit sic. Si Christus ad suam vocem & præceptum instituit Baptismum, in quo ostendit suam majestatem: & ad suam vocem fecit miracula, in quibus ostendit Divinam virtutem: Item si ad solam vocem & præceptum fecit omnia supradicta septem miracula, & instituit septem Sacramenta, per quæ ædificavit Templum & Ecclesiam, & ex quibus venerunt nobis tot & tanta beneficia: ergo in isto Templo, & Ecclesia omnes Fideles dicant H laudem & gloriam ipsi Christo tanquam vero Deo, & Redemptori. Item sequitur, quòd si Christus contulit nobis supradicta septem beneficia & Sacramenta, similiter debemus septies in die, & septem horis Canonicis ipsum Christum magnificare & laudare *in Templo suo.* Et hoc est quod intendit dicere Propheta, cùm ait: *In Templo ejus omnes dicent gloriam*, scilicet, septies in die. Deinde cùm dicit: 9. *Do-*

24. q. 2. c. Loquitur.

9. *Dominus diluvium inhabitare fa-* A
cit : & sedebit Dominus Rex in æternum.

Beneficia hæc à Christo recepit Ecclesia.

EXPLICAT tria beneficia, quæ recepit Ecclesia à Christo per illa septem miracula, & septem Ecclesiastica Sacramenta. Nam primò, reparavit & reædificavit totam Ecclesiam, quæ erat per peccatum desolata. Secundò, communicavit Ecclesiæ, & Prælatis, & Sacerdotibus potestatem ministrandi Sacramenta, quæ ipse instituit. Tertiò, dedit Ecclesiæ & Fidelibus suis fructum & effectum horum Sacramentorum, scilicet, benedictionem, & gratiam in præsenti, & pacem & gloriam in futuro. Et ideo dicit: quòd sicut *diluvium* aquarum destruxit & desolavit totum mundum tempore *Noe*, & tamen Deus reparavit ipsum ex tribus filiis *Noe* per generationem B carnalem, quando dixit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, *Genes.* 9. ita pariter *diluvium* peccati ipsius *Adam* destruxit, & desolavit totum genus humanum, & exterminavit à gratia Dei: & peccatum homicidii, & obstinationis, & cœcitatis populi Judaici desolavit totam Synagogam, quæ tunc erat Civitas Dei, paucis, ut Apostolis, & Discipulis, in Christi Fide remanentibus: & tamen Christus ex illis paucis Apostolis per Ecclesiastica Sacramenta regeneravit & reparavit totum genus humanum per *diluvium* peccati ipsius Adam desolatum & dissipatum: & reparavit & reædificavit etiam Synagogam, *diluvio* peccati obstinationis & cœcitatis desolatam. Et sic ex duobus populis dissipatis reparavit & reædificavit unam Ecclesiam, in qua facit Fideles habitare. Et etiam C reparavit ruinam Angelorum per *diluvium* peccati *Luciferi* desolatorum.

Triplex diluvium.

Ex quibus patet, quòd triplex *diluvium*, sive ruinam reparavit Christus per Ecclesiastica Sacramenta, scilicet, ruinam generis humani, & ruinam Synagogæ, & ruinam Angelorum: quia sedes eorum obtinent Fideles per Baptismum regenerati. Et hoc est quod dicit Propheta: *Dominus diluvium inhabitare facit*, id est, fecit Fideles *inhabitare* Ecclesiam per *diluvium* peccatorum desolatam. Et hoc est primum beneficium. Secundum, quia communicavit Ecclesiæ virtutem & potestatem conficiendi & ministrandi Sacramenta. Et ideo subdit:

* *
*

*** *** ***
*** *** ***

D 10. *Dominus virtutem populo suo* 8. dist. c. Quæ contra.
dabit : Dominus benedicet populo suo in pace.

Dominus virtutem populo suo dabit, id est, potestatem ministrandi supradicta Sacramenta Ecclesiæ suæ communicavit. Tertium beneficium fuit, quia fructum istorum Sacramentorum, scilicet, gratiam in præsenti, & gloriam in futuro nobis dedit. Ideo subdit: *Dominus benedicet populo suo in pace*, id est, benedictionem & gratiam dabit in præsenti per ista Ecclesiastica Sacramenta, & pacem in futuro. Quasi dicat: Omnes Fideles agant Deo gratias, & dicant laudes in Templo suo. Quoniam per supradictas septem voces reparavit genus humanum *diluvio* peccatorum dissipatum: & *contulit virtutem popu-* Nota.
E *lo suo*, & *benedixit ipsum*, & *pacificavit* per gratiam & gloriam.

Ex toto isto Psalmo possunt recolligi septem conclusiones. Quarum *prima est*: quòd Christo debetur adoratio *Latriæ*, scilicet, oblatio, & laus, & adoratio: eò quòd est Creator, & Redemptor, & Glorificator.

Secunda conclusio: quòd Jesus est nomen Domini, in quantum est Verbum Incarnatum; & est *vox Domini* ratione humanitatis, in quantum per eam sensibiliter notificavit voluntatem Patris, & instrumentaliter, & sensibiliter per eam fecit miracula.

Tertia conclusio: quòd Propheta duo principaliter intendit. Primò, qualiter Christo debetur *Latria*. Secundò, explicat virtutem nominis ejus, & suam Divi-
F nitatem. Et ideo vicies ponitur *nomen Domini* quatuor litteris scriptum in Hebræo, per quod intelligitur hoc nomen *Jesus* in hoc Psalmo.

Quarta conclusio: quòd septem opera mirabilia supra humanam facultatem ad solam vocem & præceptum in virtute hujus nominis *Jesus* sunt facta: quod intelligitur per septem voces in hoc Psalmo memoratas: in quibus ostendit, quod *Jesus* est nomen, & *vox Domini*. Quod probatur: Nam *Jesus* primò fuit *vox Domini super aquas*. Secundò fuit *vox Domini in virtute* miraculorum. Tertiò fuit *vox Domini in magnificentia* & triumpho, infernum expoliando. Quartò fuit *vox Domini confringentis cedros*, idola comminuendo, & principes
G hujus mundi subjiciendo. Quintò fuit *vox Domini intercidentis flammam ignis*, dona Spiritus sancti Apostolis dividendo. Sextò fuit *vox Domini concutientis desertum Cades*, populum Gentilem ad Fidem transmutando, & commutando. Septimò fuit *vox Domini præparantis cervos*, id est,

Prælatos & Sacerdotes in Eccleſia conſtituendo.

Quinta concluſio : quòd Chriſtus per A ſupradictas ſeptem voces conſtituit Eccleſiaſtica Sacramenta diſcurrendo per ſingula, ut dictum eſt.

Sexta concluſio : quòd licet Chriſto debeatur tota *Latria*, in quantum eſt Deus, & nomen & vox Dei: tamen ſpiritualiter Eccleſia debet ipſi cantare gloriam, & honorem, & laudes propter tria beneficia, quæ Chriſtus operatus eſt in Eccleſia per ſupradicta ſeptem mirabilia, & ſeptem Sacramenta. Nam primò reparavit Eccleſiam, diluvio peccatorum deſolatam. Secundò, communicavit Sacerdotibus & Prælatis Eccleſiæ poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta. Tertiò contulit omnibus fidelibus ſuis & filiis Eccleſiæ fructum & benedictionem ſupradictorum Sacramentorum, ſcilicet, gratiam in præſenti, & pacem & gloriam in futuro.

Septima concluſio: quòd ſepties in die in ſeptem Horis Canonicis debemus & te- B nemur cantare laudes & gloriam, & reddere Chriſto gratias : eò quòd per ſeptem voces & ſeptem Sacramenta contulit Eccleſiæ iſta tria ſupradicta beneficia.

Psalmus XXIX.

5. q. 1. Nō eſt.

1. *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me : nec delectaſti inimicos meos ſuper me.*

Titulus : *Pſalmus cantici in dedicatione domus David.* Ex Titulo patet, quòd David fecit hunc Pſalmum : ſed pro cujus domus dedicatione fecerit ipſum, eſt altercatio inter Hebræos. Nam *Aben Ezra* dicit, quòd David fecit hunc Pſalmum pro C dedicatione & conſummatione domus, quam ad ſuum uſum ædificavit in *Monte Sion.* Sed hoc videtur eſſe manifeſte falſum. Nam illa domus fuit ædificata ad uſum prophanum, in quam habitabant uxores & concubinæ : ergo David non debuit celebrare ejus dedicationem, nec facere Pſalmum de ipſa. Ideo *Rabbi Salomon*, & *Cambi* dicunt, quod David fecit hunc Pſalmum pro dedicatione templi Salomonis, quod dicitur *domus David*: eò quòd David præcepit ipſum ædificari, & præparavit omnia neceſſaria ad ejus ædificium, ut patet 1. *Paralip.* 28. Sed quia materia hujus Pſalmi non correſpondet tali dedicationi: ideo Hebræi conſinxerunt ſibi talem fabu- D lam, ſcilicet, quod quando *Salomon* cum proceſſione Sacerdotum & Levitarum reponebat Arcam Domini in templo, poſt cujus conſummationem in die dedicationis ejuſdem; cum fuerunt in tertiodecimo gradu templi cum Arca ; tunc portæ templi miraculosè clauſæ ſunt : & tunc cogno- E verunt Sacerdotes, quod hoc factum fuerat propter peccatum ipſius David commiſſum contra *Uriam*: & quod illud peccatum nondum erat expiatum. Et dicunt Judæi, quod tunc Sacerdotes cantarunt *Pſalmum* 131. ſed cum fuerunt in illo verſu, ſcilicet, *propter David ſervum tuum non avertas faciem Chriſti tui* : tunc illicò portæ fuerunt apertæ, & introducta fuit Arca. Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, fecit hunc Pſalmum pro illa dedicatione, in qua patuit, qualiter peccatum David fuerat ipſi remiſſum per apertionem portarum.

Sed quam ſit mendax & irriſoria iſta fabula, de ſe eſt manifeſtum. Nam illud peccatum David jam fuerat ipſi remiſſum in vita ſua, ut magis patebit *Pſalmo* 31. Item ſi tam grande miraculum tunc factum fuiſſet in tali dedicatione : non tacuiſſet Sacra Scriptura in 3. *Reg.* nec 2. *Paralip.* ſicut non tacuit miraculum de nube & glo- F ria Domini, quæ obumbravit totum templum, ut memoratur ibidem. Et ideo relictis eorum ineptiis & mendaciis, eſt dicendum, quòd David in illa deſcriptione templi ſibi tradita, prævidit in ſimplici ſpiritu, qualiter illud templum materiale erat deſtruendum per *Chaldæos* : ſed poſtea reædificandum per *Zorobabel*, & *Jeſum* Filium *Joſedech* Sacerdotem magnum. Et per iſtam deſtructionem & reædificationem templi materialis, prævidit in dupli ſpiritu diſſolutionem templi corporis Chriſti per Mortem & Paſſionem ; & prævidit etiam Reſurrectionem : eò quòd prævidit, qualiter illud templum materiale erat figura corporis Chriſti quaſi per omnia. Nam ipſa humanitas Chriſti veriſimè & propriiſsimè dicitur *templum Dei* : eò quòd Verbum Divinum habitat in ea per unio- G nem perſonalem, ut ſæpius dictum eſt: de quo templo dixit Chriſtus, *Joann.* 2. *Solvite templum hoc* : *& in triduo reædificabo illud.* Et ſubdit Euangeliſta : *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Prævidens ergo David iſtam dedicationem, & Reſurrectionem corporis Chriſti poſt ſui diſſolutionem : quod quidem corpus Chriſti verè dicitur *templum Dei*, per illud materiale figuratum, & quæ Reſurrectio verè dicta eſt *dedicatio*, per illam dedicationem templi Salomonis figurata : ideo fecit hunc Pſalmum pro dedicatione domus David ſpiritualis, & ut cantaretur in illa dedicatione templi materialis, in figura hujus dedicationis ſpiritualis & æternæ. Unde templum, ſive Eccleſia non dedicatur H nec conſecratur, uſquequò ſit perfecta & conſummata, & ut amplius non ſerviat uſibus profanis : & hoc in æternum. Et ideo dedicatio templi Salomonis non fuit propria, nec vera, ac æterna; quia poſtea fuit deſtructum & profanatum. Sed dedicatio cor-

Chriſti humanitas dicitur Dei templum.

corporis Christi facta in Resurrectione, fuit vera, & æterna : quia post consummationem totius nostræ redemptionis fuit A facta : & *Christus* amplius *jam non moritur, nec ultra mors illi dominabitur.*

Not. de dedicatione. Et sic est dicendum, quòd pro hac dedicatione David principaliter fecit hunc Psalmum, introducens Christum loquentem. In quo duo facit. Nam primò Christus agit gratias Deo Patri de sua Resurrectione, & glorioſa dedicatione sui corporis post consummationem nostræ Redemptionis. Secundò, explicat modum suæ Resurrectionis. Ibi : *Ego autem dixi.* Quantum ad primum, dicit Christus : O *Domine* Pater, ego semper *exaltabo te*, & magnificabo, & miris laudibus efferam te in Ecclesia mea : eò *quoniam suscepisti me*, de inferno & sepulchro me resuscitando: *nec delectasti*, id est, non delectari permisisti Judæos *inimicos meos super me.* Nam ipsi putabant, me totaliter de terra dele- B visse per mortem : sed tu non implesti desiderium eorum ; immò me ab inferis resuscitasti : ideo manent confusi & illusi.

De Conse. d. 1. cap. Quando autem stamus.

2. *Domine Deus meus clamavi ad te: & sanasti me.*

DOMINE Pater, ego *clamavi ad te* in oratione facta in horto, & in cruce pro mea Resurrectione, & salute membrorum meorum : sed tu *sanasti me* resuscitando, & membra mea salvando: quod patet. Nam tu

De Conse. d. 2. c. Iteratur.

3. *Domine eduxisti ab inferno animam meam : salvasti me à descendentibus in lacum.* C

SCILICET inferni : quia licet descenderim ad inferos ; tamen non tanquam reus, sed tanquam Judex, & victor, & triumphator. Et ideo recuperavi, & liberavi prædam Sanctorum Patrum, & Fidelium, de longa captivitate. Et sic tu per me *salvasti animam meam*, id est, membrorum meorum *à descendentibus in lacum*: immò introduxi eos in Regnum Cœlorum in mea ascensione. Et ideo Christus conversus ad societatem Sanctorum Patrum, quos de Limbo ducebat in Cœlum in die Ascensionis, dicit:



15. q. 1. c. Revertimini.

E 4. *Psallite Domino sancti ejus : & confitemini memoriæ sanctitatis ejus.*

O Vos *sancti* Patres *Adam*, & *Abel*, & *Abraham*, & cæteri qui in Limbo diu me expectastis, *psallite* & cantate Domino laudes, *& confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, qui hodie vos eduxit de ergastulo inferni, & ad patriam paradisi cum tanta gloria introduxit. Et vos sancti fideles novi Testamenti, celebrate festivitates Resurrectionis & Ascensionis &c. *Et confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, prædicantes beneficia recepta : & celebrate dies festos in memoriam beneficiorum ejus.

De Pœ. d. 3. c. Productior, §. 1.

F 5. *Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus.*

IRA fuit magna *in indignatione ejus*, quando peccavit Adam : quia tunc fuit iratus Deus contra totum genus humanum, & omnes erant *filii iræ* : & Deus omnes ad damnationem & perpetuam captivitatem condemnavit, & à se illos abjecit : & sic fuit nobis ira & mors in illa *indignatione.* Sed postea, nunc est *vita* nostra *in voluntate ejus*, id est, benignitate ; quia per meam Mortem & Passionem omnes salvare voluit ; & per meam Resurrectionem omnes suscitavit, & omnibus vitam restituit. Quasi dicat, quòd per me fuit miti- G gata ejus *ira*, *& vita* vobis restituta. Quod patet. Nam

De Pœ. d. 5. §. de Fleat. Et de Pœ. d. 1. §. Dolendum.

6. *Ad vesperum demorabitur fletus; & ad matutinum lætitia.*

IN die veneris, & in die sabbati *ad vesperum demorabitur fletus* : quia Mater mea, & Apostoli omnes flebant mortem meam : sed *ad matutinum*, id est, die dominica, fuit eis magna *lætitia*, cum viderunt me resurrexisse. Item, *ad vesperum*, id est, ab Adam usque ad Christum semper demorabatur *fletus* in mundo propter peccatum : sed *ad matutinum* post Resurrectionem, orta est mundo magna *lætitia:* quia tunc fuit fractus infernus & expolia- H tus, & Cœlum fuit omnibus apertum; & Sacramenta Ecclesiastica data ad sananda peccata.



De Conse. d.10.cap. Placuit.

7. *Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum.* A

HIC declarat modum suæ Resurrectionis, & dedicationis sui corporis. Unde dicit : O Pater, bene debeo psallere, & lætari cum membris meis : immò dixi, & dico *in abundantia* tantæ gloriæ & felicitatis, quia *non movebor* jam *in æternum*: postquam surrexi, jam non moriar, nec mors ultra mihi dominabitur : quia corpus meum jam est ad gloriam dedicatum, immortale, & impassibile. Ideo hæc est vera dedicatio, & æterna, multò perfectior, quam dedicatio templi Salomonis, quod postea bis fuit destructum. Quia tu

1.q.1.c.17.q.1.ca. Imitare.

8. *Domine in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem.* B

9. *Avertisti faciem tuam à me : & factus sum conturbatus.*

DOMINE, inquam, *præstitisti virtutem decori*, & gloriæ corporis mei, cum omnibus dotibus gloriosis. Nam primò *avertisti faciem* & auxilium tuum *à me*, quando me dereliquisti in potestate Judæorum in illo triduo, & sic *factus sum conturbatus* ex timore mortis, ut dictum est *Psalmo* 21. Et sic

De Conse. d.1.Quãdo autem.

10. *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.* C

AD te clamabo, id est, clamavi per trinam orationem in horto, ut ille calix transiret &c. & sic rogavi pro mea resurrectione & membrorum meorum. Nam

16.q.7.c. Hoc dicimus, & c. sequenti.

11. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?*

12. *Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam?* D

QUÆ utilitas fuisset mihi & membris meis *in sanguine meo*, si descendissem in corruptionem, & fuissem incineratus & non resurrexissem? Quasi nulla fuisset utilitas, nec fructus meæ passionis. Nam *pulvis* & *corruptio*, id est, si fuissem incineratus, & corruptus in sepulchro, non potuissem *annunciare veritatem* missionis meæ : nec fuissem creditus Redemptor, nec Messias. Ipsa ergo resurrectio verificavit omnia opera redemptionis, & me ostendit verum Messiam, & verum Redemptorem, & verum Deum. Ergo E

38.d.c.Sedulo.

13. *Audivit Dominus, & misertus est mei : Dominus factus est adjutor meus.*

DOMINUS Pater *audivit me*, & *misertus est mei* : & *factus est adjutor meus*, cum me ad gloriam resuscitavit, ut possent mea membra Resurrectionem meam participare, & ut essem primitiæ Resurrectionis omnium. Unde Christus conversus ad Patrem dicit : O Pater, F

5.q.5.ca. Non omnis.

14. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.*

7.q.1.ca. Adversitas.

15. *Ut cantet tibi gloria mea & non compungar : Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.*

TU *convertisti planctum meum*, & omnium membrorum *in gaudium mihi* per meam Resurrectionem. Nam primò *conscidisti*, id est, *concidi* & vulnerari permisisti *saccum*, id est, corpus meum per Passionem. Sed postea *circumdedisti me lætitiâ*: quia corpus glorioſum mihi reddidisti & immortale per Resurrectionem : quia *non* amplius *compungar*, nec vulnerabor, nec patiar. Ideo ratio est, *ut cantet tibi gloria mea*, & *confitear tibi in æternum*, ò *Domine Deus meus*, in Ecclesia mea pro tantis beneficiis receptis. G

Corpus Christi dicitur saccus.

Et appellat Christus corpus suum, *saccum* : eò quòd in eo portavit pretium nostræ redemptionis. Unde *Augustinus*, super *Psalmum* 21. *Ecce Christus passus est : ecce mercator ostendit merces : ecce pretium, quod dedit : ecce sanguis qui effusus est : in sacco ferebatur pretium : percussus est lanceâ, scisus est saccus, & manavit pretium orbis terrarum.* Ex prædictis patet, hunc Psalmum esse factum pro dedicatione, & H Resurrectione corporis Christi propheticè. Sed moraliter unusquisque peccator per misericordiam suscitatus & renovatus, potest dicere hunc Psalmum post actam pœnitentiam.

Ex toto isto Psalmo possunt recolligi septem conclusiones. Quarum *prima est*: quòd

quòd Resurrectio Christi, quæ propheticè prædicitur in hoc Psalmo, fuit vera dedicatio corporis ejus glorioſi, figurata per dedicationem domus David, ſcilicet, templi Salomonis: prout annotatur in Titulo hujus Psalmi. A

Secunda concluſio: quòd per Christi Resurrectionem fuerunt ſanati omnes languores, & infirmitates corporales ipſius corporis myſtici: quia inde expectamus futuram Resurrectionem.

Tertia concluſio: quòd per Resurrectionem Christi fuit mitigata ira Dei & placata ejus voluntas.

Quarta concluſio: quòd Resurrectio Christi fuit lætitia & gaudium, maximè *Virginis Mariæ*, & omnium fidelium, tàm vivorum, quàm mortuorum. Quia fideles liberati ſunt de Limbo, & Virgo Maria, B & Apoſtoli, & Diſcipuli cum mulieribus, qui per totum triduum fleverunt, lætati ſunt in matutino diei Dominicæ, audita & viſa Christi Resurrectione. Et ſicut fuit *ad veſperum fletus*, ita fuit *ad matutinum lætitia*.

Quinta concluſio: quòd Resurrectio Christi fuit perfectio & conſummatio totius noſtræ redemptionis: per quam omnes recuperavimus immortalitatem. Et fuit etiam Resurrectio Christi, perfectio & verificatio omnium Scripturarum Legis & Prophetarum. Quia ſi Christus non ſurrexiſſet, effuſio ſanguinis, & paſſio ejus fuiſſet inutilis, & Scriptura ſimul cum fide fuiſſet inanis & falſa.

Sexta concluſio: quòd Christus per ſuam Mortem & Paſſionem meruit ſibi & nobis Resurrectionem, & claritatem, & C gloriam corporis, & animæ impaſſibilitatem & felicitatem.

Septima concluſio: quòd corpus & humanitas Christi fuit *ſaccus* theſaurorum ſpiritualium & meritorum, ferens pretium totius noſtræ redemptionis: ex quo afflicto & flagellato, & clavis perforato, & lancea percuſſo emanavit & fluxit pretium orbis terrarum & virtus Sacramentorum: quo pretio non ſolum fuimus à morte æterna liberati, ſed etiam fuimus beatas manſiones in Cœlo adepti.

Sed contra aliqua prædicta in hac expoſitione arguitur. Et primo contra expoſitionem Tituli hujus Pſalmi, & contra primam concluſionem, in qua dicitur: quòd Resurrectio Christi fuit dedicatio corporis ejus, figurata per dedicationem templi Sa- D lomonis ſive domus David. Nam talis dedicatio corporis Christi potius videtur impleta, & verificata in Christi Incarnatione, quàm in ejus Resurrectione: quia tunc, ſcilicet, in Incarnatione, illa humanitas Christi fuit dedicata tanquam verum templum Verbi Dei perpetuum: quia quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit. Ex quo patet, quod dedicatio corporis Christi & ejus conſtructio, magis fuit facta in Incar- E natione, quam in ejus Resurrectione. Et illa dedicatio templi *Salomonis* magis figurabat Myſterium Incarnationis, quam Resurrectionis Christi: & per conſequens Titulus & expoſitio hujus Pſalmi non eſt ad propoſitum dedicationis domus David, & templi *Salomonis*.

Objectio.

Reſponſio Tria in templo Salomonis.

Ad hoc reſpondetur: quòd tria conſiderabantur in illo *templo Salomonis*. Primo ejus conſtructio, & dedicatio præcepta per David & facta per Salomonem. Secundò, conſideratur ejus deſtructio facta per *Nabuchodonoſor* & *Chaldæos*. Tertiò, ejus reædificatio & renovatio, facta per *Nehemiam*, & *Jeſum* Sacerdotem magnum, & *Aggeum*, & *Zachariam*, ut patet in eorum ſcriptis. Prima ergo conſtructio & de- F dicatio templi facta per *Salomonem*, fuit directa figura Myſterii Incarnationis & formationis corporis Christi in utero virginali: quia tunc tota illa humanitas fuit facta, & dedicata tanquam verum & æternum templum Dei, in quo habitat perſonaliter Verbum Divinum. Sed deſtructio templi Salomonis facta per *Chaldæos*, fuit figura Mortis, & Paſſionis Christi, & diſſolutionis corporis ejus ab anima. Et ideo Eccleſia in toto triduo Paſſionis Christi cantat *lamentationes Hieremiæ Prophetæ* factas de deſtructione templi & Civitatis, in quantum illa deſtructio, & diruptio templi fuerunt figura diſſolutionis corporis Christi, & ſeparationis ejus ab anima. Reædificatio autem templi, & reſtauratio facta per *Nehemiam*, & *Eſdram*, & *Jeſum Sacerdotem*; & dedicatio ſecundæ domus fuit vera figura Reſurrectionis Chriſ- G ti, & glorificationis ejuſdem: de qua diſſolutione corporis, & Reſurrectione dixit Christus Judæis, *Joann. 2. Solvite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud.* Ex quibus patet, quòd David non indebitè, immò decenter & accommodatè, propheticè prædixit in hoc Pſalmo Reſurrectionem Christi per figuram dedicationis, & reſtaurationis domus David. Et per hoc patet veritas Tituli hujus Pſalmi & ejus expoſitionis.

Quæſtio.

Sed ſecundo dubitatur circa ſextam concluſionem, ubi dicitur: quòd Christus per ſuam Mortem & Paſſionem meruit ſuam, & noſtram Reſurrectionem. Nam cum Christus ſit Deus & homo, & Caput Eccleſiæ: jam à principio habuit plenitu- H dinem meritorum, ſicut dictum eſt *Pſalmo* 15. ergo ante Paſſionem jam merebatur ſuam Reſurrectionem. Item, Christus quia ſolus *inter mortuos liber*, & non obligatus in Adam; non ſolum non merebatur mori, ſed etiam merebatur non mori: immò vivere in æternum. Ergo non oportebat ipſum mori, ut reſurgeret, & mereretur Reſurrectionem pro ſe. Item, ſicut Christus habebat poteſtatem dimittendi animam

mam suam per mortem, & iterum sumendi eam per resurrectionem, ut patet *Joan.*10. ita habebat potestatem retinendi eam in A æternum absque morte: & sic habebat potestatem vivendi in æternum. Et per consequens non oportebat ipsum mori, ut mereretur resurgere, saltem pro se. In oppositum autem est *Apostolus*, *ad Philip.* 2. dicens, quòd quia *Christus seipsum exinanivit factus obediens* Patri *usque ad mortem Crucis, propter quod exaltavit illum &c.*

Persona Christi tripliciter consideratur, & in ea triplex gratia.

Pro hujus dubii declaratione,& propter ea,quæ dicta sunt *Psalmo* 15. & 17. & 21. est valdè advertendum, quòd persona Christi quantum ad præsens spectat, potest tripliciter considerari. Uno modo,in quantum suppositatur, & personatur in Verbo. Secundò,in quantum est persona humanata, perfectissima in summo, & est Filius Virginis. Tertiò, in quantum est Caput Ecclesiæ. Et sic consideratur in illa humanitate, B sive in illo homine personato in Verbo, triplex gratia, scilicet, primò *gratia unionis.* Secundò *gratia habitualis.* Tertiò *gratia capitis.* Per primam Christus homo meretur dici Deus & Creator: & quòd sibi communicentur idiomata eorum, quæ sunt Dei. Et sic Christus, tanquam suppositum divinum & humanatum, habebat potestatem deponendi, & resumendi animam, & retinendi eam, & non moriendi: & sic non oportebat ipsum mori, ut resurgeret. Secundò autem modo, & per secundam gratiam,Christus non merebatur mori, quia erat *solus inter mortuos liber:* quia non ex opere Adam conceptus, nec natus, sed plenitudine omnium gratiarum totaliter perfectus. Et sic nullo modo merebatur mori: sed si injustè occideretur, merebatur resurgere. Tertiò verò modo, in quan- C tum Caput, non merebatur mori, propter supradicta: sed debuit mori postquam desponsaverat sibi Ecclesiam, & factus fuerat ejus Advocatus, & Procurator, & Pater, & Dominus, & Pastor: quia his modis causam nostram fecerat suam, & sic obligaverat se ad solvendum pro nobis, ut dictum est *Psalmo* 17. & 21. Et ideo, quia Christus non assumpsit causam nostram ex necessitate, sed ex charitate; inde est, quòd licèt de se non merebatur mori; tamen meruit formaliter suam gloriosam Resurrectionem, ut effectivè posset eam suis membris communicare. Et ideo dicit *Magister*, 3. *Sententiarum*, *dist.*18. quòd *Christus per suam Passionem meruit sibi, & nobis resurrectionem, & claritatem.* Et hoc probat ex D auctoritatibus *Augustini*, & *Ambrosii.*

Nota.

Utrum autem *gratia unionis*, & *gratia habitualis*, & *gratia capitis*, sint una gratia realiter, an plures? non est ad præsens disputandum: sed sufficit, quòd sint tres modi distincti.

Sed hoc est certum, quòd Christus per hunc triplicem modum gratiæ, à primo instanti suæ conceptionis fuit factus Caput Ecclesiæ, & habuit plenitudinem meritoE rum, ut mereretur pro se, & pro nobis, scilicet, ut sua merita omnibus posset communicare. Et illicò habuit firmum propositum patiendi pro nobis, & incepit opera nostræ redemptionis, & operari tanquam Caput Ecclesiæ. Nam statim movit Virginem Matrem, ut ascenderet in Judæam ad salutandum Elisabeth, & ibi sanctificavit Joannem Baptistam, & elegit eum in præcursorem. Et sic etiam Christus in utero Virginis jam continuè orabat ad Patrem pro Ecclesia sua absque intermissione: quia semper erat in actu & in officio nostræ redemptionis. Et sic totum opus nostræ redemptionis fuit unicus actus, & continuus, & non interpolatus respectu Christi, ratione firmi propositi, & continuæ operationis: scilicet, opera redemp- F tionis dicuntur distincta effectivè, sive subjectivè respectu nostri, in quantum non statim fuit crucifixus in effectu, nec eduxit Patres de Limbo, nec ascendit in Cœlum, nec misit Spiritum sanctum in Discipulos &c. unde talis successio dicitur facta respectu nostri, sed in effectu unicus fuit actus respectu Christi, sicut positum fuit exemplum de Sole *Psalmo* 15. Nam Sol totam plenitudinem sui luminis, & virtutis habet in Aurora, & in ortu suo in se simul: sed totum hemisphærium non simul recipit totum lumen, & virtutem, & calorem Solis; sed successivè terra recipit incrementum luminis, & virtutis Solis per ejus accessum. Et illa illuminatio unicus actus est respectu Solis: sed variatur respectu nostri. Ita ergo pariter est dicendum de Christo: quia à principio suæ conceptionis G habuit totam suam plenitudinem scientiæ, & sapientiæ, & gratiæ, & meritorum, & fuit factus Caput Ecclesiæ, & principium, & meritum, & mensura omnium gratificandorum, & fons omnium gratiarum, & donorum, & meritorum. Et illicò incepit opera nostræ redemptionis; & cum firmo proposito,& affectu sine interpolatione continuavit suum officium.

Et sic patet, qualiter Christus semper fuit, non solùm in actu primo, sed etiam in actu secundo operandi nostram redemptionem. Et patet etiam, quòd Christus non profecit in gratia, nec scientiâ quoad se, sed quoad nos; id est, quòd gratia,& scientia, & sapientia, & plenitudo meritorum non crevit quoad se, sed quoad nos. Et H isto modo dicitur *Lucæ* 2. quòd Christus *proficiebat* & crescebat *sapientiâ & gratiâ* simul cum ætate *apud Deum, & homines*; scilicet, apud homines, eos docendo, & illuminando,& justificando; & apud Deum, peccatores ipsi reconciliando. Et tale incrementum, & profectus sapientiæ,& gratiæ,erat tantùm respectu nostri: quia plenitudo hujusmodi à principio fuit in Christo.

Christus crescebat sapientia.

Et

Et sic ergo concluditur, quòd Christus ratione puritatis, & innocentiæ, & ratione plenitudinis gratiæ, & meritorum, à principio ante Passionem, meruit suam claritatem & resurrectionem, ut videntur innuere *Augustinus*, & *Ambrosius*. Item ratione firmi propositi patiendi, & ratione unici actus continui nostræ redemptionis, jam Christus affectivè meruit suam, & nostram resurrectionem: sed effectivè, & quoad nos dicitur, quòd Christus per suam Passionem meruit suam, & nostram resurrectionem. Et isto modo Christus post suam resurrectionem dixit, *Matth. ultimo*: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra &c.* non quòd non esset tradita talis potestas à principio; sed quia per mortem & resurrectionem tota nostra redemptio fuit in nobis consummata, & post resurrectionem, in cœlo, & in terra, & in inferno potestas Christi fuit manifestata. Item Christus ratione supradicti unici & continui actus, & firmi propositi patiendi, non solùm meruit nostram salutem ante Passionem, & in morte, sed etiam post mortem, quoniam fuit lanceâ in latere percussus, *unde exivit sanguis & aqua* in remissionem peccatorum, & unde emanavit virtus omnium Sacramentorum: quia aliàs illud vulnus non fuisset meritorium sibi, & nobis. Item etiam dicitur, quòd ratione talis firmi propositi & affectus, Martyres non solùm merebantur in vita, & in tormentis; sed etiam merebantur in omnibus, quæ fiebant post mortem erga eorum corpora in vituperium eorum, putà, quando corpora eorum cremabantur, ac tradebantur bestiis devoranda, & projiciebantur ad loca immunda &c. & per hæc patet responsio ad dubium supradictum.

Nota.

Nota de vulnere Christi post mortem: fuisse meritoriũ per anteriorem acceptationem. Et idem dicendũ de Martyribus, in ludibriis, & immanitatibus Tyrannorum cum eorũ corporibus

Psalmus XXX.

Inf. 70. a. 7. q. 1. ca. Suggestũ.

1. *In te Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me.*

Titulus: *In finem, sive ad victoriam Psalmus David.* Ex Titulo apparet, quod David fecit hunc Psalmum dirigens nos in Christum, qui est finis Legis: sed de materia hujus Psalmi est disceptatio apud Expositores Hebræorum. Nam quidam dicunt, quod David prævidens in spiritu captivitatem Babylonicam, & liberationem, fecit hunc Psalmum in persona totius populi liberati. Alii autem dicunt, quod David fecit hunc Psalmum in persona totius Israel, liberati de servitute Philistinorum per David. *Rabbi* autem *Salomon* dicit, quod David existens in persecutione *Saulis*, fecit hunc Psalmum, gratias agendo, eò quòd liberaverat ipsum de multis periculis in illa longa persecutione. Sed sæpius dictum est, quòd nulla fides est adhibenda isti cœco obstinato: quia semper conatus est pervertere Sacram Scripturam, & retrahere à vero sensu spirituali. Nam David non fuit minus Propheta in hoc Psalmo, nec minus inspiratus, quàm in cæteris: maximè cum ipsemet *Rabbi Salomon* dicat *super Zachariam*, quòd Prophetæ non sunt locuti nisi ad tempora Messiæ. Et ideo est dicendum, sicut sæpius dictum est, quòd David in suis persecutionibus prævidit in spiritu totum discursum Ecclesiæ ab Adam usque ad Christum, & exinde usque ad judicium: quæ quidem Ecclesia dicitur una, & unum corpus mysticum, propter unam fidem & spem unius Christi mediatoris. Nam eadem fides & spes essentialis Christi, quæ salvavit antiquos, salvat & nos: solùm est differentia accidentalis, ut dictum est in Prologo. Nam illi expectabant Christum Redemptorem: sed nos jam redempti expectamus ipsum Glorificatorem. Et fides nostra includit fidem & spem antiquorum: quia quod illi credebant futurum, nos credimus præteritum: & quem ipsi expectabant Redemptorem, nos expectamus Glorificatorem.

Ex quo patet, quòd spes est habitus infusus, quo bona spiritualia Christi expectantur, scilicet, redemptio, sive salvatio, & glorificatio: quæ quidem definitio convenit spei in communi. Nam per eamdem spem, quâ nos speramus Christum Glorificatorem, expectabant ipsi Redemptorem, in cujus virtute ipsi pervenerunt ad Christum, & dirigebantur ad ipsum, & in ea salvati sunt.

Quid est spes?

Hoc ergo prævidens David in spiritu per suas persecutiones fecit hunc Psalmum, hanc spem commendans: in quo introducit *Adam* loquentem cum tota sua posteritate Fidelium, & expectantium Christum: qui quidem Adam, ut sic, dicitur corpus mysticum Christi, & una Ecclesia, quæ per veram fidem & spem dirigebatur in Christum. Et ideo in Titulo præponitur: *In finem Psalmus David.* Sed quia David in hoc Psalmo ostendit, quòd ipse *Adam mysticus*, sive populus Dei, propter spem & fidem passus est multas persecutiones cum magna patientia; & tamen nunquam amisit spem, immò fuit liberatus à Christo finaliter per talem spem: & spes consistit in quadam extasi, eò quòd spes retrahit hominem à terrenis, & constituit eum in desiderio cœlestium, & in tali extasi constitutus, tolerat omnia mala propter Deum: ideo in aliquibus Bibliis apponitur huic Titulo: *Pro extasi*, scilicet, *in finem Psalmus David pro extasi*, scilicet, spei. Quinque ergo facit in hoc Psalmo. Nam primò iste *homo mysticus* petit redimi de captivitate peccati, & à pœnalitatibus intrinsecis ejus-

ejusdem, per adventum Christi. Secundò, petit liberari à persecutionibus infidelium Tyrannorum, & Hæreticorum. Tertiò, A prædicit punitionem persecutorum Ecclesiæ. Quartò, prædicit præmium bonorum in Christum sperantium. Quintò, exhortatur Fideles ad fidem & spem Christi, & patientiam in adversis propter Christum. Secundum, ibi: *Miserere mei Domine.* Tertium, ibi: *Erubescant impii.* Quartum, ibi: *Quam magna multitudo.* Quintum, ibi: *Diligite Dominum.*

Quantum ergo ad primum, *Adam* cum tota sua posteritate Fidelium lassus, & confractus longa captivitate sub diabolo, infectus peccato in anima, & fomite concupiscentiæ in carne, desiderans accelerari adventum Christi, per quem sperat, & intendit salvari & liberari; apostrophat ad Christum, dicens: O Domine Jesu-Christe, *in te speravi*, postquam fui ejectus à paradiso, peregrinando per hunc mundum: fac ergo ut venias, & *non confundar in æternum*: & ne spes mea sit frustra, ideo *in justitia tua libera me* à culpa animæ, & à fomite & concupiscentia carnis, & à lege peccati. Et *libera me in tua justitia*, & non in mea; quia in me nulla est justitia, sed solum peccatum. Et ideo non possum liberari nisi per tuam justitiam, & mortem, & passionem, per quam spero justificari. Ideo

2. *Inclina ad me aurem tuam: accelera, ut eruas me.*

22. q. 4. cap. Qui peccat.

INclina *ad me aurem tuam*: quia per C magna tempora clamavi ad te. Ideo accelera adventum tuum, ut eruas me de manu diaboli, & à spirituali captivitate & miseria. Et nota, quòd ista vox *corporis mystici*, non solùm dirigitur ad Filium, sed etiam ad Patrem. Nam sicut Filius Incarnatus dicitur *facies Patris*, per quam nobis notificatus est: & *lingua Patris*, per quam nobis locutus est: ita etiam dicitur *auris Patris*, per quam Pater nos audit, & nostras petitiones & preces acceptat. Ideo ait: *Inclina ad me aurem tuam*, id est, mitte Filium Incarnatum, & *accelera, ut eruas me* à peccato per Passionem ejus. Item *lingua Christi & auris*, est humanitas, per quam Verbum nobis loquebatur, & nos D audit. Et sic ista vox indifferenter potest dirigi ad Patrem, vel ad Filium. Nam Pater liberavit nos per Filium Incarnatum: & Filius liberavit nos per carnem, in qua passus est. Unde subdit:

* * * * * * * * * * * *

E 3. *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii: ut salvum me facias.*

23. q. 4. cap. ult. in fine.

ESTO *mihi in Deum protectorem*, id est, cum veneris, non te recipiam ut purum hominem: sed eris mihi *in Deum protectorem*; & sic confitebor te Deum & hominem. Et *esto mihi* cum veneris, *in domum refugii*: quia in te ponam totam spem meam, *ut salvum me facias* per mortem & Passionem.

4. *Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.*

Alius dux mihi eris.

F TU solus es *fortitudo mea, & refugium meum es tu:* quia non est alius sufficiens ad salvandum, nisi tu: quia Deus & homo liber solus à peccato: quoniam tu vocaris *Jesus*, quod est nomen salutis. Et ideo, *propter nomen tuum deduces me* à peccato per Passionem; *& enutries me* per Ecclesiastica sacramenta. Quia non est aliud nomen sub Cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri. Et ideo per tuam Passionem *educes me de laqueo* dæmonum venantium, quem paraverunt mihi in paradiso, quando comedi de ligno vetito: qui quidem laqueus illaqueavit omnes filios meos. Et G ideo

5. *Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.*

Alius mus cipula ista.

TU *educes me de laqueo* venantium, quod est peccatum originale, & ex consequenti actuale: *quem* laqueum *absconderunt mihi.* Unde fomes concupiscentiæ dicitur laqueus absconsus in carne, sive latens in membris. Et hoc facies, *quoniam tu* solus *es protector meus*: ideoque

H 6. *In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me, Domine Deus veritatis.*

Luc. 23. f.

IN *manus tuas commendo spiritum meum*, & animam meam: quia tu non eris Salvator temporalis tantùm, sicut sperant Judæi obstinati, sed Salvator animæ à peccato:

to : ideo *in manus tuas commendo spiritum meum :* quia *tu Deus veritatis redemisti me*, id est, redimes me à peccato per Pas- A sionem. Nam ideo poteris me redimere, quia es verus Deus & homo ; ideoque tanquam *Deus veritatis*, id est, tanquam verus Deus, redimes me. Unde est advertendum, quòd hæc eadem verba, quæ dicit corpus mysticum ad Christum per os David, eadem verba dixit Christus ad Patrem in Cruce, in persona totius corporis mystici, pro quo patiebatur. Nam sicut Christus patiebatur pro omnibus Fidelibus: ita in Cruce commendavit Patri animas omnium Fidelium membrorum suorum: sicut pro eis oraverat ante in mensa, & in horto : & hoc declaravit Christus cùm dixit: *Redemisti me Domine Deus veritatis.* Manifestum est enim, quòd Christus non fuit redemptus in persona sui: quia non indigebat redemptione, quia omninò fuit sine peccato; sed ipse ut *Caput*, & *Mediator* commendat nostras animas Patri : & in persona sui corporis mystici, sive membro- B rum, dicit : *Redemisti me*, & membra mea in me, ò *Deus veritatis.* Unde Pater dicitur nos redemisse per Filium suum, in quantum Passionem Christi acceptavit in pretium, ut dictum est *Psalmo* 17. Unde subdit:

24. q. 1. cap. Odi.

7. *Odisti observantes vanitates supervacuè.*

ODisti infideles *observantes vanitates*, id est, vana auguria, & *observantes supervacuè*, id est, frustra, menses, & annos: quia *supervacuè* & frustra observant.

De Pœn. d. 1. cap. Sciens.

8. *Ego autem in Domino speravi:* C *exultabo, & lætabor in misericordia tua.*

QUASI dicat: Ego non pono spem meam in rebus mundanis, nec recurro ad signa, & constellationes, nec ad sortilegia, nec superstitiones : quia scio, quod *odisti observantes* illas *vanitates supervacuè* & frustra: sed *ego commendo spiritum meum in manus tuas*: quia tu *me redemisti* tanquam verus Deus: & ideo *in te* tanquam Domino *speravi*, & spem meam posui: & ideo *exultabo, & lætabor in misericordia tua*, per quam liberabis D me à captivitate : & sic spes mea non erit vana, nec supervacua, sicut spes Gentilium observantium constellationes, & sortilegia vana &c. Et quare *lætabor in misericordia tua?*

* * *
* *

E 9. *Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.*

12. q. 2. Gloria Ep.

RESpexisti *humilitatem meam* : quia cum humilitate ad te confugi. Et ideo *salvasti de necessitatibus animam meam*, scilicet, à pœna, quæ necessariò sequitur culpam : & à culpa, quæ velut necessariò sequitur ex fomite & concupiscentia, quæ dicitur *lex membrorum*, quæ quasi necessitat & cogit, alliciendo hominem ad peccandum. Illa enim dicuntur *necessaria*, quæ sunt connexa & alligata. Nam ex peccato primorum parentum, inest nobis fomes & corruptio naturæ in carne, ex cujus contactu anima maculatur peccato originali : & ex ejus consensu causatur peccatum actuale & mortale in voluntate: ex quo sequitur reatus, & pœna sensus. F Et ideo istæ dicuntur *necessitates quædam* in nobis : à quibus nos Christus liberavit per suam Passionem, & Sacramenta Ecclesiastica. Nam liberat nos à peccato, ut non sit, nec imputetur: & liberat nos à fomite, non ut non sit : sed ut non imputetur, ut inquit *August.* & ideo sequitur:

23. q. 1. c. Paratus in fine.

10. *Nec conclusisti me in manibus inimici : statuisti in loco spatioso pedes meos.*

NON *conclusisti me in manibus inimicorum*, in quibus inclusus & captivus eram: immò me abstraxisti in virtute Passionis & Sacramentorum. Et *statuisti pedes meos in loco spatioso*, id est, in Ecclesia me collocasti, quæ dicitur *locus spatio-* G *sus*: primò, propter libertatem, quia liberata est ab importabili jugo Legis veteris. Secundò, quia habet multa remedia & facilia ad delendum peccatum ; ad quæ quilibet potest faciliter recurrere, & sanari. Ideo nullus habet excusationem, quia Deus non solùm damnat hominem, quia peccavit ; sed quia currere ad medicum recusavit. Tertiò, dicitur Ecclesia *locus spatiosus*: quia non in sola *Hierusalem* terræ Palæstinæ arctatur & astringitur: sed à Solis ortu usque ad occasum dilatatur. Exultat ergo iste bonus homo : quia peramplius & perfectius, & abundantius, & multiplicius est liberatus, non solùm ab infirmitatibus car- H nis, sed etiam animæ; & non temporaliter, sed æternaliter : & non solùm à visibilibus, sed etiam invisibilibus. Totus iste textus potest esse etiam vox Christi conquerentis apud Patrem de sua persecutione, & supplicantis pro sua liberatione & resurrectione : & in persona membrorum, ut sæpius dictum est.

Ecclesia dicitur locus spatiosus.

7.q.1.ca. Cum percussio.

11. *Miserere mei Domine, quoniam* A *tribulor, conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.*

Adæ multiplex pœna propter peccatum.

IN hac secunda parte petit liberari à passionibus & afflictionibus extrinsecis. Unde est advertendum, quòd *Adam* multiplicem pœnam incurrit propter primum peccatum & inobedientiam. Nam primò, incidit in pœnas intrinsecas, & infirmitates, tàm corporis, quàm animæ: de quibus dictum est supra. Secundò, in pœnas exteriores, & miserias, cujusmodi sunt paupertas bonorum temporalium, & odium, & ira inimicorum. Nam sicut miseriæ, & necessitates interiores infestant hominem ad intra: ita paupertas, & inimici, & iniqui B infestant & affligunt hominem ad extra. Et ideo postquam in prima parte petiit *Adam mysticus* liberari à malis, & necessitatibus intrinsecis per decem versus: ita in hac secunda parte petit liberari ab extrinsecis per alios decem versus: nam Ecclesia & *homo mysticus* semper passus est ab *Adam* usque ad Christum persecutiones; & majores passa est post Christum à Judæis, & Tyrannis, & Hæreticis, & patietur usque ad judicium; licèt aliquantulum quievit post *Constantinum*: à qua persecutione fuit liberata Ecclesia per Christum, qui *Constantinum*, & Reges terræ illuminavit. Hoc ergo prævidens David, dicit in persona Ecclesiæ: O Sponse Christe, *quoniam* non solùm *tribulor* interius à carne, & pec- C cato; sed etiam exterius ab Infidelibus, & Hæreticis: nam *in ira* & sententia data primis parentibus, *oculus meus*, scilicet, ratio, *conturbata est* per ignorantiam; & anima, scilicet, sensualitas, *turbata est* & vulnerata fomite concupiscentiæ, & cæteris passionibus, & *venter meus*, id est, caro, *conturbata est* multis infirmitatibus, & doloribus, & ægritudinibus, quæ omnia eveniunt mihi ex illius primi justissima condemnatione peccati.

7.q.1.§. Hoc tunc, vers. Cum vero.

12. *Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.*

7.q.1. Cú percussio.

13. *Infirmata est in paupertate vir-* D *tus mea: & ossa mea conturbata sunt.*

EX istis infirmitatibus corporalibus *vita mea defecit in dolore*, & destruitur, & vincitur in me natura: & sic sequitur mors corporalis: & sic *anni mei*, & totum spatium vitæ, semper est *in gemitibus* præ dolore: & non solùm patior infir- E mitates corporales, sed etiam paupertatem & inopiam bonorum temporalium, quibus vita humana sustentatur; ex qua paupertate causatur in me duplex defectus: nam primò, deficit virtus naturalis: nam si homo non comedit, moritur fame; & si non operitur vestibus, moritur frigore: & etiam deficit virtus moralis, quia non potest uti liberalitate, nec subvenire indigenti, nec dare *ubi*, & *quando*, & *quantum* oportet. Item ex paupertate & indigentia quis furatur bona alterius, & sic efficitur injustus. Item non potest solvere creditori: nec implere promissum, & sic efficitur mendax. Unde omnia ista mala evenerunt mihi ex illo peccato: nam si ego paruissem imperio, & præcepto Dei, fuissem liber ab omnibus his miseriis: & sic fui punitus interius, & exterius, & continuè deficit *in* F *paupertate virtus mea.* Item totum hoc potest Ecclesia referre ad tribulationes exteriores, & ad persecutionem Tyrannorum. Unde dicit Ecclesia: O Sponse Christe, *miserere mei*, & libera me à persecutionibus Infidelium & Tyrannorum: *quoniam* infestor & *tribulor* ab inimicis: nam *oculi mei*, qui sunt Doctores, *conturbati sunt* ab Hæreticis; & *anima mea*, quæ sunt Apostoli, *conturbati*, & afflicti sunt à Tyrannis: & *venter meus*, qui sunt omnes Martyres, & totus cœtus Fidelium, turbati sunt ab Infidelibus & Paganis: & sic tota *vita mea*, & discursus annorum, *est in gemitibus*: quia *sæpe expugnaverunt me à juventute mea &c.* Et sic potentia mea temporalis & virtus fuit infirmata, & mi- G norata: quia Tyranni occuparunt bona Christianorum: & Christiani fugientes ferocitatem Tyrannorum, discurrebant per montes & latibula, patientes famem & inediam: & sic *ossa mea*, quæ sunt Prælati, quibus Ecclesia, & cæteri Fideles sustentantur, *conturbati sunt*: in tantum, quod *Marcellinus Papa* ex timore adolevit incensum idolis in persecutione *Diocletiani*. Et ideo subdit:

Ex paupertate sequitur duplex defectus.

12.q.2. cap. Fraternitas.

14. *Super inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valde, & timor notis meis.*

H FACTUS *sum opprobrium vicinis meis super inimicos*: quia inimici mei me odio & *opprobrio* habebant, & *factus sum timor notis* & amicis: nam quando cæteri Fideles videbant Ecclesiam conculcari, ex timore deficiebant, & idola adorabant. Et ideo sequitur:

15. *Qui*

14. q. 4. Quid dicam.

15. *Qui videbant me, foras fugerunt à me : oblivioni datus sum,* A *tanquam mortuus à corde.*

QUI *videbant me, foras fugerunt à me*, & sic ego *datus sum oblivioni* (id est, decidi à memoria & corde eorum) sicut *mortuus* in paucis diebus est in oblivione. Et

Hie. 21. C.

16. *Factus sum tanquam vas perditum : quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.*

FActus *sum tanquam vas perditum*, & fractum : nam sicut *vas* fractum non B appretiatur, immò projicitur foras : ita ego fui projectus ab eis, & traditus oblivioni *tanquam mortuus :* nam sicut homo mortuus non habet amicum, ita homo positus in persecutione, non habet auxiliantem : quia deletur à memoria amicorum. Et in hoc cognovi, me esse abjectum & oblitum; *quoniam audivi vituperationem multorum commorantium* & existentium *in circuitu* meo : quia omnes vituperabant, & condemnabant me; quia omnes Nationes habebant odio Christianos : in tantum, quod nullus se audebat Christianum nominare : immò Infideles imponebant Christianis multa mala & nefanda, dicentes eos Magos &c. Unde *Justinus Philosophus* con- C versus ad Fidem, fecit *Apologiam* pro Religione Christiana, defendens eos à tali labe : & ideo Infideles faciebant concilia, & conventicula contra Christianos. Ideo ait :

De Pœ. d. 2. §. E contrario.

17. *In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.*

DUM *convenirent simul adversum me, consiliati sunt accipere animam meam*, & vitam meam perdere :

2. q. 7. c. Testes, §. Christus.

18. *Ego autem in te speravi Domine : dixi : Deus meus es tu : in* D *manibus tuis sortes meæ.*

EGO semper in omnibus his persecutionibus *speravi in te* : & *dixi : Deus meus es tu*, & non alius : & non confugi ad Magos, nec Sortilegos, sed ad te. Et dixi : O Domine *sortes meæ*, id est, spes mea, & vota sunt in te, & non in alio. Ideo

Ibidem. Alias illus mina.

E 19. *Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.*

20. *Illustra faciem tuam super servum tuum : salvum me fac in misericordia tua : Domine non confundar, quoniam invocavi te.*

ILlustra ergo *faciem tuam* & intelligentiam *super servum tuum : & salvum me fac in misericordia tua*, me liberando : & *non confundar*, postquam *invocavi te*, & non alium. Est autem advertendum, quòd tàm prima pars, quàm ista secunda, potest esse vox Christi, qui orat pro sua liberatione, tàm in capite, quàm in membris. Nam F Christus priùs passus est in se omnia ista à Judæis : posteà passus est in suis membris à Tyrannis, & Hæreticis, & Infidelibus.

23. q. 4. c. Si non, §. Breviter.

21. *Erubescant impii, & deducantur in infernum : muta fiant labia dolosa.*

HIC Christus Caput, sive Ecclesia, petit ultionem de crucifixoribus, & persecutoribus suis, prophetando eorum punitionem : & prædicit triplicem pœnam persecutorum Christi & Ecclesiæ. Prima G pœna fuit, confusio in terra : nam quando Judæi viderunt Christum resurrexisse, & quando Gentiles persecutores viderunt veritatem Euangelicam per miracula; & viderunt *Constantinum* conversum ad Fidem; & viderunt Ecclesiam prosperari : utrique fuerunt confusi, & frustrati à desiderio suo. Secunda pœna, fuit perpetua cruciatio in inferno. Tertia, obduratio loquelæ, quæ est confusio exterior. Nam tàm Judæi, quàm Gentiles, cùm viderunt manifestè per Scripturas Christum esse verum Messiam; tandem convicti, facti sunt muti. Unde de prima pœna dicit : *Erubescant impii* & Infideles. De secunda dicit : *Deducantur in infernum*, in perpetuum cruciandi. De tertia dicit : *Muta fiant labia* eorum *dolosa*, & mendosa, & fraudulenta, falsificantia Sacras Scripturas, & imponentia falsa crimina Christo, & membris suis.

* *
*

** ** ** ** **
* * * * *

22. *Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem ; in superbia , & in abusione.* A

QUÆ quidem *labia dolosa loquuntur iniquitatem* & falsa crimina *adversus justum* , scilicet, contra Christum, & populum suum blasphemando, & *in abusione* loquendo &c. Et ideo tota ista particula potest esse vox Christi Capitis petentis ultionem de Judæis persecutoribus suis : & de persecutoribus Ecclesiæ, qui omnes erubuerunt , & confusi sunt, cognitâ Euangelicâ veritate , & præterita eorum cœcitate.

De Conf. d. 4. cap. Ecclesia.

23. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine , quam abscondisti timentibus te!* B

24. *Perfeciſti eis , qui sperant in te , in conspectu filiorum hominum.*

IN hac parte prædicit præmium , & retributionem bonorum , qui passi sunt pro Christo. Dicit igitur: *O Domine , quam magna est multitudo* , & sufficientia *dulcedinis* beatitudinis & fruitionis *tuæ , quam abscondisti* , id est , absconditam servasti ab æterno *timentibus te !* Nam ita sunt nobis abscondita & incomprehensibilia , quod *nec oculus vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis ascendit , quæ præparasti diligentibus te.* Unde hanc beatitudinem & præ- C mium *perfeciſti* , & præparasti *eis qui sperant in te , in conspectu hominum* : quia in hac vita lucrati sunt & meruerunt ipsum præmium per bona opera , quæ fecerunt, per persecutiones , quas passi sunt in conspectu filiorum hominum , & ante reges & præsides propter justitiam. Et ideo

De Conf. d. 5. c. Jejunium.

25. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.*

ABscondes eos , & collocabis *in abscondito faciei tuæ* : quia semper videbunt faciem tuam , quæ ab impiis est abs- D condita , & separabis eos *à conturbatione* & persecutione hominum : quia *non erit amplius luctus , neque clamor:* sed

** ** ** ** **
* * * * *

E 26. *Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.*

De Pœn. d. 1. Omnis qui nõ diligit.

PRoteges *eos in tabernaculo tuo* cœlesti *à contradictione linguarum* malorum hominum. Et ideo de tanta felicitate agit gratias , dicens:

27. *Benedictus Dominus : quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.*

D. 39. c. Diaconi.

BEnedictus sit *Dominus , quoniam mirificavit* , id est , mirificam ostendit misericordiam suam *mihi in civitate munita* : quia nemo salvatur , nisi per miseri- F cordiam Dei , quia *cujus vult miseretur*: quia *non est currentis nec volentis , sed Dei miserentis.* Et vocat istam Ecclesiam *civitatem munitam* propter gratiam , & abundantiam Sacramentorum , & *munitam* armis donorum , quibus nos defendimur undique ab omnibus malis contra diabolum, & membra ejus.

Unde nota , quòd ista *Civitas militans*, triplici munitione est *munita* , scilicet , munitione doctrinæ , & Sacramentorum , & donorum Spiritus sancti. Et triplici muro est septa , scilicet , fide , spe , & charitate : & sic nihil est nobis timendum. *Civitas* verò *cœlestis* est *munita* , & copiosa, & abundans omnibus bonis fruibilibus: quia est *status omnium bonorum aggregatione perfectus*: & sic est perfecta beatitudo in ea. Et subdit,

G 28. *Ego autem dixi in excessu mentis meæ : Projectus sum à facie oculorum tuorum.*

7. q. 1. Adversitas, & 40. q. 3. ca. In cunctis.

29. *Ideo exaudisti vocem orationis meæ , dum clamarem ad te.*

BENE Domine *mirificasti misericordiam tuam mihi* : nam dum essem *in excessu mentis* ; & in profundo persecutionum , *ego dixi* in corde meo ; *projectus sum* , id est , putabam esse *projectum à facie oculorum tuorum* , & quod dimisisses H me : & *ideo* multotiens clamavi : sed tu *exaudisti vocem orationis meæ , dum clamarem ad te.* Quia non deseris clamantes ad te : nam licet ad tempus exponas hominem persecutionibus & adversitatibus, ut probes eum , & probatum ostendas : tamen in fine non deseris eum , sed relevas

per

per gratiam & miſericordiam ; & ſic miſertus liberaſti me à malo culpæ, & pœnæ, & conſtituiſti me in bonis gratiæ, & gloriæ. A

Supra 26 23. q. 4. Quid faciet.

30. *Diligite Dominum omnes ſancti ejus : quoniam veritatem requiret Dominus , & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.*

HIC Propheta exhortatur omnes fideles , ut non deſperent in perſecutionibus : ſed firmiter ponant Spem ſuam in Deo , ſcilicet , in Chriſto Capite noſtro , ſine quo nemo poteſt ſalvari : quia nunquam deſeret ſperantes in ſe. Ideo ait: B *O vos ſancti* & fideles , *diligite Dominum:* & ponite ſpem veſtram in eo : tolerate patienter perſecutiones : *quoniam* in finali judicio , & etiam in hoc tempore , *Dominus requiret veritatem* , id eſt , ſecundùm veritatem & juſtitiam judicabit : *&* ideo *retribuet abundanter* pœnam *facientibus ſuperbiam* , ſcilicet , Tyrannis , & pravis, qui cum ſuperbia perſequuntur juſtos. Igitur

49. d. ca. Hinc enim.

31. *Viriliter agite , & confortetur cor veſtrum , omnes qui ſperatis in Domino.*

AGITE , & pugnate *viriliter* contra diabolum , & membra ejus , patienter ſuſtinendo perſecutiones : & *omnes qui* C *ſperatis in Domino* , *confortetur cor veſtrum* in malis tolerandis : *quoniam Dominus retribuet vobis* , hîc per gratiam , & in futuro per gloriam. In hoc etiam Pſalmo David exhortatur quemlibet peccatorem , ut recurrat ad Deum , qui liberet eum ab intrinſecis , & exterioribus neceſſitatibus , & pœnalitatibus peccatorum. Et ſic moraliter poteſt exponi totus Pſalmus pro quolibet peccatore , & pro quolibet patiente perſecutiones ab improbis & malignis hominibus. Et ſic eſt quædam oratio deprecativa.

PSALMUS XXXI.

D

Rom. 4. a. & de Pœ. d. 1. c. Ille rex, & de Pœ. d. 1. c. Voluiſſent

1. *Beati , quorum remiſſæ ſunt iniquitates : & quorum tecta ſunt peccata.*

TITULUS : *Eruditio David.* Ex Titulo apparet , quòd David fecit iſtum Pſalmum eruditus à Spiritu ſancto. Vel in quo erudit nos ad aliquam virtutem. Unde dicit *Cambi* , quòd quandocunque in E aliquo Titulo ponitur *eruditio* , ſignum eſt, quòd David eruditus à Spiritu ſancto, intendit aliquod magnum myſterium & profundum futurum. De materia hujus Pſalmi communiter dicunt Doctores , quod poſtquam David commiſit adulterium cum *Bethſabee*, & machinatus eſt mortem *Uriæ*, per totum quaſi annum , ſive per novem menſes , tenuit peccatum celatum uſque ad nativitatem pueri : licet populus de tali facinore jam murmurabat. Sed poſt novem menſes , in nativitate pueri miſſus eſt *Nathan* ad David , qui expoſuit ipſi parabolam de ove rapta &c. Sed David , qui nondum fecerat pœnitentiam , tunc cognovit reatum ſuum , dicens : *Peccavi.* Cui *Nathan* dixit : *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*: quaſi diceret , culpa eſt F tibi remiſſa propter confeſſionem & pœnitentiam ; ſed remanet pœna temporalis. Ideo *Dominus tranſtulit* , id eſt , commutavit tibi culpam , & pœnam æternam in temporalem : quia filius de domo tua inſurget contra te &c. ut patet 2. *Reg.* 13. Unde tunc David jacuit ſuper terram , non manducans , neque bibens uſque ad mortem pueri. Et tunc in tali pœnitentia inſiſtens , fecit Pſalmum quinquageſimum, ſcilicet , *Miſerere mei Deus* : in quo petit veniam de peccato ſuo : ſecundò , petit triplicem ſpiritum , quem perdiderat, ſcilicet , primò ſpiritum gratiæ *prævenientis* : cum dicit : *Spiritum rectum in nova in viſceribus meis.* Secundò , petit ſpiritum gratiæ *gratificantis* , cum dicit: *Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Tertiò, petit ſpiritum prophetiæ ipſum erudientem, G quem propter peccatum perdiderat , cum dicit : *Spiritu principali confirma me* , id eſt, ſpiritu prophetiæ , & eruditionis , & doctrinæ , quo ante me docebas , & erudiebas de myſteriis profundis & futuris. Ideo ſequitur : *Docebo iniquos vias tuas &c.* Sed peracta iſta pœnitentiâ , David recuperavit hunc triplicem ſpiritum , ſcilicet , gratiæ duplicis , & prophetiæ , & tunc Spiritus ſanctus erudivit eum , & certum fecit , qualiter Dominus remiſerat ei culpam propter pœnitentiam & confeſſionem factam ipſi *Nathan* , quando dixit , *peccavi.* Et inde fuit eruditus à Spiritu ſancto , qualiter pœnitentia eſt illa , quæ ſola delet peccatum. Et quomodo pœnitentia non eſt valida nec fructuoſa , niſi fiat in hac vita. H Et quomodo talis pœnitentia cum confeſſione erat ſervanda in Eccleſia poſt adventum Chriſti : quæ quidem pœnitentia non habet virtutem , niſi ex Paſſione Chriſti. His ergo eruditus David à Spiritu ſancto, fecit hunc Pſalmum , in quo erudit omnes fideles , & exhortatur ad pœnitentiam exemplo ſui , ſicut promiſerat *Pſalmo* 50. cum dicit : *Docebo iniquos vias tuas , & impii ad te convertentur &c.*

Nota de peccato adulterii David.

In

Psalmi divisio

In quo Psalmo quatuor facit. Nam primò, ostendit, pœnitentiam esse necessariam cum suis conditionibus. Secundò, quòd A pœnitentia non habet virtutem, nisi à Christo per suam Passionem. Tertiò, exhortatur omnes peccatores ad pœnitentiam in hac vita. Quartò, denunciat pœnam impœnitentium & obstinatorum, & beatitudinem pœnitentium. Secunda ibi : *Tu es refugium.* Tertia ibi : *Intellectum tibi dabo.* Quarta ibi : *Multa flagella peccatoris.* Quantum ad primum, primò proponit unam conclusionem principaliter intentam, scilicet, quod pœnitentia est necessaria peccatoribus ad consequendam beatitudinem. Secundò, exprimit modum pœnitentiæ cum omnibus suis partibus & conditionibus : ibi, *Nec est in spiritu &c.* Conclusio ergo principaliter intenta, est ista : quod pœnitentia est necessaria peccatoribus ad beatitudinem consequendam. Quasi dicat, quod beatus est qui agit pœnitentiam, & sine pœnitentia nullus peccator potest esse beatus. Unde dicit : *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates.* B

Pœnitentia est necessaria.

Peccatum impedit tripliciter beatitudinem.

Ad cujus probationem & intellectum est notandum, quòd cuilibet fideli debetur beatitudo, nisi impediatur per peccatum. Nam peccatum tripliciter impedit peccatorem ad beatitudinem. Primò, quia est in odio Dei propter culpam, & sic est extra gratiam. Secundò, quia propter reatum & culpam est obligatus ad pœnam æternam. Tertiò, quia dum est in culpa, quasi jure hæreditario est sub captivitate & potestate diaboli. Nam dum homo manet in illa injustitia, & culpa, & reatu, semper diabolus habet justam causam accusandi eum, & retinendi, & possidendi in inferno. Et sic istæ tres causæ impediunt peccatorem ad beatitudinem. Ad hoc ergo quod peccator expediatur, oportet, quòd C removeantur ab eo ista tria : scilicet, quod remittatur ei injustitia, sive reatus, & pœna. Secundò, quòd deleatur culpa, ne Deus imputet ipsi peccatum ad pœnam æternam ; sed sit Deo gratus. Tertiò, quòd peccator justificetur, ne diabolus habeat jus possidendi, nec cruciandi, nec accusandi eum : sed ista tria non possunt removeri, nisi per pœnitentiam. Nam pœnitentia est illa, quæ justificat & reconciliat hominem Deo, & reducit in gratiam, & etiam remittit, & abolet pœnam. Ergo necessaria est pœnitentia omnibus peccatoribus ad consequendam beatitudinem, & ad hoc quod sint beati. Et hoc dicit David, cùm ait : *Beati* sunt illi homines, *quorum remissæ sunt iniquitates*, per pœnitentiam, D supple, quia aliter remitti non possunt : & ponuntur *iniquitates* pro injustitia facta, & pro reatu, sive noxa. Item, *Beati* sunt *quorum peccata sunt tecta*, & absconsa apud diabolum : quia jam non habet aliquid, unde jure possit eos accusare, nec possidere, postquam sunt justificati per pœnitentiam. Item E

2. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.*

25. dist. ca. Qualis hinc, & c. seq.

BEatus sanè *vir*, *cui Dominus non imputavit peccatum* ad culpam, nec pœnam æternam, postquam est justificatus per gratiam, & pœnitentiam : quia illi deleta est culpa, & est jam in gratia Dei. Nam Deum culpam delere, nil aliud est, nisi peccatum ad pœnam æternam, & odium non imputare, ut inquit *Augustinus*. Ex quibus patet, quòd peccator non potest consequi beatitudinem, nisi per pœnitentiam. Et sic est necessaria peccatoribus pœnitentia ad beatitudinem : quæ est conclusio principaliter intenta. Deinde cùm dicit : *Nec est in spiritu ejus dolus*, exprimit F modum & discursum pœnitentiæ faciendæ exemplo sui.

Quid sit peccatum

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd peccatum secundùm *Ambrosium* est, *inobedientia & prævaricatio Divinorum præceptorum* : & sic nil aliud est, nisi quædam rebellio, & voluntaria deviatio à Divinis præceptis, & per consequens à Divina voluntate, quæ lucet in præceptis. Et ideo omnis peccator dicitur *injustus*, in quantum deviat à regula veritatis, & à Divina voluntate, quæ est regula & mensura omnium actuum humanorum, sicut dictum est *Psalmo* 14. Et per eamdem rationem dicitur omnis peccator *mendax* : quia deviat, & mentitur à prima veritate, & à prima mensura, quæ est voluntas Divina. Tertiò, omnis peccator dicitur *dolosus*, eò quòd est violator promissi. Nam *Peccator dicitur dolosus.* G omnis fidelis promisit in Baptismo servare Divinam Legem, & præcepta. Quandocumque ergo quis voluntariè violat, & prævaricatus est Divina præcepta, dicitur *dolosus* : & sic omne peccatum dicitur *dolus*. Et talis *dolus* potest esse duplex : uno modo in lingua : ut quando quis habet aliud in lingua, & aliud in spiritu. Alio modo potest esse in solo spiritu : ut quando quis habet peccatum absconsum in conscientia, non agens pœnitentiam, nec vult peccatum suum confiteri. Et de hoc dicit David, quòd *Beatus* est *vir*, *in cujus spiritu non est dolus*, id est, qui non habet peccatum absconsum in conscientia ; sed ejecit ipsum per pœnitentiam.

In anima post peccatum tria remanent.

H Sed de modo evellendi & ejiciendi *dolum*, sive peccatum à conscientia, est secundò notandum, quòd ex peccato commisso, sive ex prævaricatione præceptorum, tria remanent in anima, sicut dictum est. Primò, reatus, quo obligatur ad rem restituendam, & etiam ad pœnam. Secundò,

dò, deformitas quædam per abſentiam gratiæ, quâ eſt peccator in odio Dei, & imputat ipſi Deus illud peccatum ad culpam, & pœnam. Tertiò, remanet in anima culpa, per quam dicitur *injuſtus*, & dignus accuſari, & poſſideri à diabolo. Et non ſolùm per iſtam culpam accuſatur à diabolo; ſed etiam continuè accuſatur à ſeipſo. Nam culpa dicitur de *culpo, culpis, culpſi*, ſive de *culpo, culpas*, ſive de *cudo, cudis*: quod idem eſt, quod *terebrare*, & *figere*, & *compungere*: quia cudit, & pungit conſcientiam peccatoris. Unde licèt quodlibet iſtorum trium dicatur peccatum: tamen iſta culpa communiter dicitur *peccatum*, & *dolus* in anima, ſive in ſpiritu, & dicitur *telum* fixum in anima; & dicitur etiam *ſpina* jugiter mordens, & pungens conſcientiam. Quæ quidem *ſpina*, ſive *dolus* non poteſt ejici, nec evelli ab anima, & conſcientia, niſi per pœnitentiam. Nam dupliciter poteſt mordere, ſive pungere conſcientiam peccatoris. Uno modo ex ſolo timore pœnæ, & cognitione mali: ut Judæi poſtquam crucifixerunt Chriſtum, bene noverunt, ſe male egiſſe contra juſtitiam. Et ideo quando viderunt Solem obſcuratum, & terræmotum &c. reverſi ſunt in Civitatem plangentes & *percutientes pectora ſua*: ſed talis compunctio & remorſus conſcientiæ non fuit pœnitentialis & fructuoſus: quia fuit ex ſola confuſione, & formidine pœnæ futuræ propter peccatum; & ita in multis peccatoribus.

Culpa.

Alio modo illa *ſpina* culpæ poteſt pungere peccatorem cum dolore: eò quòd offendit Deum ſummè bonum, & perdidit gratiam & amorem Dei: & iſta eſt bona compunctio: ſed nondum eſt perfecta, & pœnitentialis. Sed ad hoc ut ſit perfecta, oportet habere quatuor conditiones. Primò, quòd ſit dolorosa cum ſupradicto reſpectu. Secundò, quòd ſit cum propoſito nunquam amplius committendi peccatum. Tertiò, cum firmo propoſito confitendi. Quartò, cum propoſito ſatisfaciendi. Et tunc talis remorſus & compunctio dicitur *Contritio* pœnitentialis, & fructuoſa. Et ſic patet, quòd illa *ſpina* culpæ, licèt pungat continuè, & accuſet conſcientiam; tamen non poteſt ejici, niſi per Contritionem, & Confeſſionem, & cum propoſito ſatisfaciendi. Et tunc dicitur vera pœnitentia: quia tunc verè *remiſſæ ſunt iniquitates*, & *peccata ſunt tecta* diabolo; & amplius non imputat Deus peccatori. Et tunc homo poteſt dici *Beatus* in ſpe: quia jam eſt reductus in gratiam Dei, & eſt dignus vitâ æternâ.

Contritio perfecta.

Et totum iſtum diſcurſum probat David exemplo ſui. Nam primò commiſit peccatum, ſcilicet, adulterium, & furtum, & homicidium; & hoc celavit per novem menſes: ſed in toto illo tempore *ſpina* culpæ mordebat & pungebat conſcientiam ejus ex timore pœnæ, & Divini Judicii, & propter infamiam & confuſionem: ſed quia talis compunctio non fuit cum intentione confitendi, ideo non erat pœnitentialis, nec fructuoſa: ſed quando ex tali remorſu & compunctione confeſſus fuit peccatum, dicens: *Peccavi*; tunc fuit expulſa & ejecta *ſpina* culpæ ab ejus anima, & translatum peccatum: quia talis compunctio fuit pœnitentialis, & fuit perfecta pœnitentia: quia amplius *non fuit dolus in ejus ſpiritu.* Et hoc eſt quod dicit hîc: ait enim: *Beatus vir, in cujus ſpiritu non eſt dolus* culpæ: immò ejecit *dolum*, & culpam per pœnitentiam: ideo *remiſſæ ſunt ei iniquitates*, & *tecta ſunt ejus peccata* apud diabolum, & non imputata apud Deum, poſtquam *non eſt in ſpiritu ejus dolus*, nec culpa, factâ pœnitentiâ. Et hoc probo exemplo mei. Nam

De Pœn. d. 1. §. Deniq.

3. *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die.*

QUoniam *tacui* peccatum commiſſum, non confitendo Sacerdoti: licèt dolerem in corde ex confuſione, tamen non fuit mihi remiſſum peccatum; quia erat, & manebat dolus in ſpiritu: immò, quod pejus eſt, ex taciturnitate *inveterata ſunt* omnia *oſſa*, id eſt, viſcera, hoc eſt, debilitatæ ſunt vires animæ ad reſiſtendum peccato, & tentationibus; & facta eſt caro prona magis ad peccandum: quia *peccatum quod per pœnitentiam non deletur, mox per ſui pondus in aliud trahit*, ut inquit *Gregorius.* Et licèt *clamarem tota die*, me interiùs accuſando: tamen *inveterata ſunt oſſa*, id eſt, vires animæ: quia retinebam dolum in ſpiritu: & non prodebam ad extra, confitendo culpam meam: ideo talis clamor, & talis compunctio erat infructuoſa: quia non ſanabat, quoniam tacebam peccatum Sacerdoti. Unde clamabam, & gemebam in conſcientia, ſed tacebam peccatum in ore. Sed *dum* ſic *clamarem* in meipſo die ac nocte, erat, conſiderando ſcelus & crimen commiſſum, & deteſtando vitam meam infamem apud populum.



4. Quo-

Di. 50. c. Ut constitueretur, & 33. d. His igitur

4. *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* A

QUoniam, inquit, *die ac nocte gravata est manus tua super me* per remorsum conscientiæ: & talis *spina* culpæ figebatur in conscientia, & mordebat, & pungebat me: tunc *conversus sum in ærumna*, & miseria peccati mei, cum maximo dolore & contritione respectu Divinæ offensæ: & cognoscens me peccatorem, & reum, proposui confiteri, & detegere peccatum, & dolum absconsum, & diu celatum in conscientia. Et sic

De Pœ. d. 1. c. fina.

5. *Delictum meum cognitum tibi feci: & injustitiam meam non abscondi.* B

DElictum *meum cognitum* & manifestum *tibi feci* per confessionem: & *injustitias*, quas commiseram, *non abscondi*, immò confessus sum, & manifestavi Prophetæ *Natham* Sacerdoti, dicens: *Peccavi &c.* cui largo modo totum modum & discursum cum lacrymis, & dolore, & contritione, & proposito satisfaciendi manifestavi. Et tunc ille ex Divina revelatione absolvit me, dicens: *Transtulit Dominus peccatum tuum.* Unde ò Domine, magna est misericordia, & liberalitas tua, & grandem virtutem tribuisti Sacramento Pœnitentiæ. C Nam solummodo

7. q. 1. §. Si ergo. De Pœ. d. 1. c. Dixi. & d. 4. c. Illud.

6. *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.*

DIXI, & deliberavi, & proposui confiteri, dicendo: Ego *confitebor Domino* injustitiam, & peccatum meum *adversum me* ipsum: *& tu* illicò *remisisti impietatem*, & injustitiam, & culpam *peccati mei* commissi contra *Uriam.* Quasi dicat: Quando cum contritione & lacrymis proposui confiteri, illicò cum confiterer, & D etiam ante vocalem confessionem, jam remisisti impietatem peccati mei. Unde nota, quòd littera istorum quatuor versuum est sic ordinanda, scilicet: *Quoniam* ego David *tacui* peccatum per totum illud tempus, non confitendo Sacerdoti; ideo *inveterata sunt ossa mea, quoniam tacui* peccatum in ore, *dum clamarem*, id est, licèt *clamarem tota die*, & gemerem in conscientia. E Et causa quare clamabam, & gemebam *tota die*, fuit: *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua*, id est, judicium manus tuæ, quod timebam. Et sic *dum* talis *spina configebatur* in conscientia mea, *conversus sum in ærumna*, & miseria *mea* cogitando: & sic clamabam in conscientia; sed tacebam peccatum in ore. Sed quando *delictum meum feci tibi cognitum, & injustitias meas non abscondi*, sed manifestavi, & dixi: *Confitebor*, id est, proposui confiteri: tunc illicò *remisisti impietatem peccati mei.* Et ex omnibus his probat David, & ponit pro conclusione, quòd ad veram pœnitentiam est necessaria Confessio, sive firmum propositum confitendi, quàm citiùs peccator habuerit locum & copiam Sacerdotis: seu in tempore per Ecclesiam determinato. Et ostendit, F quòd sine Confessione, aut firmo proposito confitendi, non est valida, nec fructuosa pœnitentia. Nam ille dolus, sive illa *spina*, non potest ejici, nec evelli à spiritu & conscientia, sine Contritione & Confessione. Unde *Salomon* ab hoc loco ex doctrina patris sui David accepit illud, quod ait *Proverb.* 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Ex quo patet, quòd ad hoc ut peccator consequatur misericordiam & veniam, oportet, quòd cum Contritione confiteatur peccata, & *relinquat ea*, id est, proponat amplius non committere. Et sic fuit David eruditus à Spiritu sancto, & docuit filium suum, & omnes nos, agere pœ- G nitentiam.

Confessio necessaria

Et sic patet, quòd tres sunt partes veræ & perfectæ Pœnitentiæ, scilicet, *cordis contritio, oris confessio*, & *operis satisfactio.* Et istæ delent peccatum. Ista quinque sunt per ordinem servanda in Pœnitentia. Nam primò, peccator detestatur peccatum. Secundò, conversus ad Deum dolet, & conteritur propter offensam Deo & proximo factam. Tertiò, proponit ejicere dolum à conscientia, & confiteri peccatum. Et proponit satisfacere, & hoc amplius non committere. Et nota, quòd *spina* culpæ dupliciter pungit conscientiam. Primo modo, inferendo confusionem, & detestando peccatum. Secundo modo, inferendo dolorem & contritionem; ex qua contritione insurgit propositum confitendi, & satisfaciendi, & amplius non committendi.

Tres partes pœnitentiæ.

Et iste est ordo & discursus veræ Pœnitentiæ, ut jam dictum est *Psalmo 6.*

*** *** ***

Dist. 50. cap. Quid est. De Pœ. d 3. cap. 5 Apostolis.

7. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* A

HIC ponit tertiam Conclusionem, scilicet: quòd pœnitentia non solùm est necessaria peccatoribus, sed etiam omnibus hominibus, quantumcumque sint justi & sancti. Quæ quidem Conclusio, sive littera, dupliciter potest intelligi. Uno modo absolutè: quasi dicat, quòd omnes homines sunt peccatores, vel fuerunt peccatores: & sic omnes indigent, vel indiguerunt pœnitentiâ. Hanc Conclusionem probat *Augustinus*, *de Baptismo parvulorum*, & *de Natura & Gratia*: quia omnes, præter Christum, & *Virginem Mariam*, fuerunt peccatores. Immò Hieronymus *contra Pelagianos* probat: quòd usque ad præsentem diem nullus inventus est sine peccato, propter naturam corruptam, inclinatam ad malum: & ideo absque Gratiâ præveniente nemo potest vitare peccatum, etiam si velit: & quilibet habet necesse dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Ideo ait hîc David, quòd *pro hac* remissione & venia *orabit ad te omnis Sanctus*: quasi dicat, omnes peccarunt mortaliter, vel saltem venialiter, præter *Virginem Mariam*, quæ fuit præventa per Gratiam, ut inquit *Augustinus*, libro *de Natura & Gratia*: Ergo omnibus Sanctis est necessaria pœnitentia; & *pro hac* remissione orabunt futuri, & oraverunt præteriti. Secundò potest intelligi hæc littera pro residuo. Nam licèt aliquis sit sanctus, & justificatus per Pœnitentiam: tamen adhuc debet orare, ne iterum reincidat in peccatum: quia *septies in die cadit justus.* Unde nota, quòd peccatores debent orare, ut Deus remittat C eis culpam, quam perpetraverunt. Justificati autem per Pœnitentiam, debent orare, ut Deus remittat eis pœnam debitam: & ne amplius reincidant in peccata præterita. Sed justi, qui nunquam actualiter peccaverunt, debent orare, ne perdant gratiam, & ne cadant in peccata, quæ possent facere: & ne intrent in tentationem.

Quomodo justi egent pœnitentia.

Deinde cùm dicit: *In tempore opportuno*, hîc potest esse alia Conclusio: quòd Pœnitentia non est valida & fructuosa, nisi in hac vitâ. Probatur. Quia hæc vita est *tempus opportunum*, & determinatum, & assignatum ad Pœnitentiam faciendam. Hanc Conclusionem probat *Augustinus* in *Enchiridio*, ubi dicit: quòd *tempus acquirendi vitam æternam, in hac vitâ tantùm* D *Deus hominibus dedit, ubi voluit pœnitentiam esse fructuosam.* Et dat rationem: *Ideo enim hîc pœnitentia fructuosa est: quia potest hîc homo mutata voluntate, simul & opera mutare.* Et ideo, si quis decesserit ab hac vitâ sine Pœnitentia, habebit dolo-

Pœnitentia non est fructuosa, nisi in hac vita.

rem & pœnam sine venia: quia mors tollit E locum & spatium pœnitendi, quia jam homo desinit esse viator. Et ideo David dicit: *Pro hac* pœnitentiâ & remissione *orabit ad te omnis Sanctus*, & omnis justificatus, *in* hoc *tempore opportuno*, & dedicato ad Pœnitentiam. Quasi dicat, quòd omnes homines, qui hodie sunt sancti in gloria, egerunt Pœnitentiam in hac vita, & non distulerunt Pœnitentiam post mortem: quia post mortem non est locus Pœnitentiæ, nec veniæ, nec misericordiæ: immò est tempus pœnarum, & tormentorum, & punitionis perpetuæ: quia non est nisi *fletus, & stridor dentium.* Et talia tormenta infernalia & tales fletus non inclinabunt Deum ad misericordiam, nec ad veniam. Ideo sequitur:

8. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* F

1. quæst. 1 Non sana

QUASI dicat, quòd peccatores, qui decesserunt sine Pœnitentia, & patiuntur tormenta in Inferno, & sunt in continuo fletu, nunquam *in diluvio* & abundantia *aquarum*, id est, lacrymarum *multarum*, *approximabunt ad* Deum: & voces damnatorum factæ *in diluvio* & abundantia lacrymarum, *nunquam approximabunt*, nec pervenient *ad Deum*, nec Deus exaudiet damnatos, nec miserebitur eis. Item, per ly *diluvium aquarum multarum*, potest intelligi Pœnitentia facta in vita; & tunc est sensus: *Pro hac* remissione *orabit omnis Sanctus in tempore opportuno. Verumtamen*, id est, quia *in diluvio* & copia *aquarum*, id est, lacrymarum *multa-* G *rum*, id est, in Pœnitentiâ factâ *in tempore opportuno*, pœnæ Inferni & peccata *non approximabunt ad eum*, scilicet, ad virum sanctum & pœnitentem. Item, *diluvium aquarum multarum*, dicitur Infernus: quia ibi est abundantia lacrymarum & tormentorum, quæ dicuntur *aquæ multæ* in Scriptura. Item, *diluvium* & furia *aquarum multarum*, dicitur dies Judicii, quando dicetur damnatis: *Ite in ignem æternum*, sine misericordia & remissione: ubi damnati gementes, & frustrà pœnitentiam agentes, dicent: *Nos insensati &c. Sapient.* 5. Sed talis pœnitentia, & tales lacrymæ *non approximabunt* ad aures Judicis, licèt sit magnum *diluvium* & abundantia lacrymarum, ut patet de *Divite Epulone*, qui cu- H piebat guttam aquæ &c.

Pœnitentia est diluvium.

Alii dicunt, quòd per *diluvium aquarum multarum* intelligitur abundantia & copia bonorum temporalium: & sic existentes in copia bonorum temporalium, non curant agere pœnitentiam, propter amorem temporalium: & ideo *nunquam ap-*

proximant ad Deum per pœnitentiam; sed sancti viri contemnentes bona temporalia propter cœlestia, agunt pœnitentiam in A hac vita, & currunt ad Deum. Et ideo sequitur, & dicit David: O Domine, ego nolo ponere spem meam *in diluvio* bonorum temporalium; sed ad te recurro: quia *tu es refugium meum, & exultatio mea*: ideo *erue me &c.* Sed licèt ista moralis expositio sit bona, tamen non est præcisa: quia tollit magnum sacramentum latens in hac littera. Ideo est sequenda prima expositio, & quærendum aliud sacramentum in versu sequenti.

2. quæst. 7. Testes, §. Christus, & 24. q. 1. Quæ dignior videtur.

9. *Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.* B

Pœnitentia à Passione Christi habet virtutem.

IN hac parte David ostendit, quòd Pœnitentia habet virtutem à sola Passione Christi: & quòd non est valida, nisi fiat cum Fide, & spe misericordiæ Christi. Nam Fides Christi, & spes veniæ deducit peccatorem ad pœnitentiam. Et ideo unusquisque peccator debet recurrere ad Passionem Christi, per quam solvitur omne debitum: & illam Passionem debemus applicare cum nostra Pœnitentiâ; aliter Pœnitentia esset invalida. Hoc ergo prævidens David in spiritu, quòd nemo poterat salvari, nec à peccato absolvi, nisi per Fidem, & Passionem Christi Mediatoris, dicit: O Christe C Mediator, & Messia future, si ita est quòd nemo potest consequi beatitudinem, nisi sibi remittatur culpa, & pœna, & *tegantur ejus peccata*, ne *imputentur* apud Deum; & hoc non possit fieri nisi per Confessionem, & perfectam Pœnitentiam factam in hac vita; & quòd omnes Sancti egerunt pœnitentiam; & quòd post hanc vitam non est locus pœnitentiæ, nec veniæ, nec misericordiæ, quæ venia non potest haberi nisi per te, & in virtute tuæ Passionis: ideo in hac vitâ antequam moriar, volo agere pœnitentiam: & ideo ad te recurro *in* hoc *tempore opportuno*, & dedicato ad pœnitentiam: quoniam *tu es refugium meum à* quacumque *tribulatione* mea, D id est, *à* quacumque tribulatione, *quæ circumdedit me*: & à quocumque peccato fugio ad te. Ergo, ò *exultatio mea, erue me* ab omnibus peccatis *circumdantibus me:* & non solùm à peccatis, sed à necessitatibus, & pœnalitatibus peccati, quæ est concupiscentia, & fomes, & lex membrorum, quæ circumdant, & tenent me ligatum: *erue me* per virtutem tuæ Passionis: quoniam tu Christe es *exultatio mea*, & omnium Patriarcharum, & omnium Fidelium veteris Legis: quia in te speramus, ut libe-

res nos, sicut nobis est revelatum. Ex his patet, quòd David in hoc Psalmo & in cæ- E teris, Christum Messiam futurum invocat: quia ipse, & omnes Patres antiqui sciebant, quòd non poterant liberari ab inferno, & à peccato, nisi per Christum Mediatorem, in cujus fide salvabantur. Petit ergo David gratiam, ut faciat pœnitentiam in hac vita, & dimittatur sibi culpa in virtute Christi: nec veniat ad diluvium aquarum multarum inferni: nec reservetur sibi pœnitentia post mortem, nec ad diem judicii: quia tunc non erit fructuosa.

24. q. 1. Non turbatur.

10. *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gra-* F *dieris: firmabo super te oculos meos.*

QUIA iste Psalmus intitulatur *Eruditio David*; ideo sicut iste fuit eruditus à Spiritu sancto, quo modo ageret pœnitentiam: ita ipse erudit, & docet, & exhortatur nos ad agendam pœnitentiam in hac vita cum omnibus conditiodibus supradictis. Ideo dicit David: O peccator, quicumque sis, Ego *dabo tibi intellectum*, id est, consilium: *& instruam te*, & eruditm te *in hac via, quâ gradieris* & peregrinaberis: & *firmabo oculos meos super te*, monendo, & exhortando. Nam sicut magister dicitur habere, & firmare oculos super discipulum, quando frequenter do- G cet eum: ita ego firmabo super te oculos meos, te exhortando: scilicet, ut facias pœnitentiam in hac vita, sicut supradictum est: eò quòd ista vita dicitur *via*, quâ gradimur & peregrinamur, ut perveniamus ad aliam vitam, scilicet, æternam: ideo dicimur viatores & peregrini usque ad mortem.

Nota.

Ideo in hac vita & peregrinatione habemus lucrari, & adipisci mercedem, & recompensare peccata per pœnitentiam: quia *oportet operari, dum dies est: venit nox*, id est, mors, *quando nemo potest operari*, nec mereri, nec pœnitentiam agere, *Joan. 9.* Et ideo vos peccatores nolite fieri insensati, & bestiales, & imprudentes, *sicut* H *equus, & mulus, quibus non est intellectus*, nec ratio, nec consilium, nec prudentia: quia non curant nisi de præsenti, & non provident de futuro. Sed non est mirum, quia non habent intellectum & rationem; ideo non possunt consultare de rebus futuris. Sed vos, quibus Deus dedit intellectum, & rationem, & legem, in qua prohibetur omne malum, & jubetur omne bonum, & promittitur justis felicitas, & im pœnitentibus pœna perpetua, & scitis, quòd nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum: ideo debetis con-

conſultare, & providere in hac vita, pro vita futura, vitando malum, & agendo bonum, & agendo veram pœnitentiam de malis commiſſis in hac vita; & non reſervetis A pœnitentiam, nec differatis poſt mortem: quia tunc erit infructuoſa. Ergo *nolite fieri* inſipientes & ſtolidi, *ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*: ſed accipite conſilium, & inſtructionem, & eruditionem meam &c.

Tob. 6. d. 38. c. Ignorantia, & c. Quia ea.

11. *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.*

12. *In camo & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.* B

HIC explicat Propheta ſuum conſilium, & inſtructionem, & ſalubrem doctrinam. Ad cujus intellectum eſt bene notandum, quòd per *equum* Propheta intelligit mundum: & per *mulum* intelligit carnem. In quibus duabus beſtiis equitat, & ſedet diabolus ad pugnandum contra animam hominis: per quas beſtias inducit omnia ſeptem vitia & peccata mortalia in hominem. Nam Mundus inducit quatuor peccata, ſcilicet, ſuperbiam, invidiam, iram, & avaritiam; eò quòd ſuperbus non patitur priorem, nec æqualem: & ſic prorumpit in invidiam, nec patitur injuriam, nec parvipenſionem: & ſic prorumpit in C iram, quæ eſt *appetitus vindictæ propter parvipenſionem*. Item, ſuperbus non patitur indigentiam: ideo prorumpit in avaritiam, ut poſſit ſuſtentare ſtatum & honorem mundanum: & ſic committit furtum, uſuram, rapinam, & ſimoniam &c. Ex quo patet, quòd iſta tria vitia, ſcilicet, ira, invidia, & avaritia ſequuntur ſuperbiam, & ſunt ejus filiæ. Sed omnes quatuor inducit ille magnus *equus*, & illa magna beſtia ferox, & petulans, qui dicitur *Mundus*, in quo ſedet diabolus ad pugnandum. Item *Caro*, intellecta per *mulum* voluptuoſum, inducit & importat tria vitia voluptuoſa, ſcilicet, luxuriam, & gulam, & acidiam. Quæ quidem tria vitia carnalia, ſunt quaſi relativa: nam unum inducit aliud; nam luD xuria requirit gulam, & acidiam; & acidia inducit gulam; & gula luxuriam. Et ideo *Caro* eſt intellecta per *mulum* voluptuoſum. Has ergo duas beſtias, ſcilicet *mundum*, & *carnem*, cum diabolo ſeſſore ſuo, conſulit, & exhortatur, & admonet Propheta, à nobis eſſe fugandas, & compeſcendas, eò quòd inducunt in nobis illa ſeptem capitalia vitia, & ſeptem venena. Et ideo dicit: O Fideles de populo Dei, *nolite fieri* ſuperbi, & invidi, & iracundi,

Mundus inducit quatuor peccata.

& avari, *ſicut equus*, per quem intelligitur Mundus: id eſt, *nolite* ſequi mundum & concupiſcentiam ejus: eò quòd inducit ho- E minem in ſuperbiam, & invidiam, & iracundiam, & avaritiam. Item, *nolite fieri* carnales & voluptuoſi, *ſicut mulus*, per quem intelligitur *caro*, & concupiſcentia ejus: eò quòd inducit in luxuriam, gulam, & acidiam, quæ ſunt beſtiales affectiones & voluptates. Quaſi dicat: *Nolite fieri* ſenſuales & beſtiales, ſicut iſtæ duæ beſtiæ; nec permittatis, quòd vobis dominentur: ſed tu Fidelis Chriſtiane, *conſtringe* & compeſce iſtas duas beſtias cum ſuis affectionibus *in camo & fræno: qui non approximant ad te*: id eſt, ut non approximent ad te, prout habet littera *Hieronymi*.

Ad cujus intelligentiam eſt adverten- F dum, quòd ſicut diabolus equitat ſuper illas duas beſtias, ad pugnandum contra hominem: ita Chriſtus contulit nobis frænum ad compeſcendum *equum*, ſcilicet *mundum*; & *camum* ad ligandum *mulum*, ſcilicet *carnem*. Unde frænum compeſcens mundum, eſt humilitas & manſuetudo contra ſuperbiam & iracundiam: & charitas contra iram & odium, & etiam contra avaritiam. Sed *camus* ad ligandum carnem, eſt caſtitas & ſobrietas. Et finaliter ad compeſcendas, & ligandas omnes iſtas beſtias, dedit nobis Chriſtus omnes virtutes Cardinales & Theologales, & omnia ſeptem dona Spiritus ſancti. Et ad ſanandos morſus & vulnera iſtarum beſtiarum, contulit nobis ſeptem Eccleſiaſtica Sacramenta, quæ omnia continentur in Lege Euangelica, quæ G prohibet omne vitium, & conſulit & mandat omnem virtutem: & ideo dicit Propheta: O Fideles de populo Dei, *nolite fieri* ſenſuales & beſtiales, *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*; id eſt, *nolite* ſequi mundum, qui inducit ad ſuperbiam &c. nec carnem, quæ inducit ad luxuriam & cæteras voluptates beſtiales: ſed tu Fidelis, cui Deus dedit intellectum ad cognoſcendum, & diſcernendum bonum & malum: & dedit liberum arbitrium ad eligendum bonum, & fugiendum malum: & dedit tibi memoriam, ut per præterita provideas de futuris: & dedit tibi rationem, ut ſequaris, & facias iſta: & dedit tibi in Baptiſmo Fdem, Spem, & Charitatem; & in Confirmatione ſeptem dona Spiritus H ſancti: & per alia Sacramenta providit tibi de omni remedio contra iſtas duas beſtias, & ſeptem vitia, ut eſſent in camum, & frænum ad compeſcendum, & deſtruendum, & ligandum prædictas beſtias & vitia: ergo in iſto *camo* & *fræno* virtutum, & Sacramentorum, *conſtringe maxillas* iſtorum vitiorum, ut non approximent ad te, & ne devorent te. Quaſi dicat: quòd ſi non compeſcueris & conſtrinxeris iſtas duas beſtias cum ſupradictis *frænis & camis*, tunc accedent & approximabunt ad te, & domi-

Chriſtus dat frenū compeſcēs mundum.

nabuntur tibi. Nam ista bestia carnis & mundi nisi *paret*, *imperat*, & dominatur, ut inquit *Horatius*, & tunc istæ bestiæ deducent te in profundum Inferni, ubi sunt *multa flagella peccatoris*, & tormenta. Ideo cave, quia A

7. q. 1. c. *Cum percussio.*

13. *Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.*

HÆC est quarta pars hujus Psalmi, in qua Propheta comminatur pœnam peccatoribus obstinatis & impœnitentibus, & promittit veniam pœnitentibus, & lætitiam & gloriam justis. Unde dicit: O vos peccatores, cavete, nec permittatis, quòd B istæ supradictæ bestiæ approximent ad vos, & comprehendant & devorent vos, & sine pœnitentia ducant vos ad Infernum, & locum pœnarum Infernalium cum dœmonibus & damnatis in perpetuum cruciandos: *quia multa flagella peccatoris*, id est, *multa flagella* & tormenta patientur peccatores obstinati: non solùm propter peccata commissa, sed quia noluerunt agere pœnitentiam, sed voluerunt sequi bestias supradictas: quæ quidem *flagella* & tormenta erunt multa in quantitate intensivè, & extensivè in duratione: quia in æternum durabunt. Per oppositum erit de ipsis pœnitentibus: nam *sperantes in Domino misericordia circumdabit*, id est, misericordia Dei circumdabit, & liberabit eos, qui recurrerunt ad pœnitentiam, & Sacramenta Ecclesiastica, & cum pœnitentia constrinxerunt & fugarunt bestias supradictas: quia C consecuti sunt misericordiam & veniam. Ideo Propheta conversus ad pœnitentes & justos, dicit:

2. q. 4. c. *Mennam.* & 3. q. 9. *Dignum.*

14. *Lætamini in Domino, & exultate justi: & gloriamini omnes recti corde.*

LÆtamini *in Domino.* Quasi dicat: O justi, *lætamini*, & *exultate in Domino*: eò quòd egistis pœnitentiam, & consecuti estis misericordiam: & vos *recti corde*, qui operati estis justitiam & bona opera, *gloriamini* in Domino, qui dedit vobis gratiam ad declinandum à malo & fa- D ciendum bonum. Item, vos justi & justificati per pœnitentiam: & vos *recti corde*, qui peccata & iniquitates non abscondistis in corde, immò sine dolo confessi estis: rectificati fuistis ab injustitia ad justitiam: & remissæ sunt iniquitates apud Deum: & *quorum tecta sunt peccata* apud diabolum per pœnitentiam integram, scilicet, per Contritionem, & Confessionem, & Satisfactionem; *gloriamini*, & *lætamini* pro E tanto beneficio hîc recepto per gratiam, & in futuro per gloriam: quasi dicat: agite gratias &c. Ex omnibus supradictis potest recolligi diffinitio pœnitentiæ. Nam Pœnitentia est: *cordis contritio cum proposito confitendi, & satisfaciendi, & amplius non peccandi.* Vel potest dici, quòd Pœnitentia est: *dolorosa Confessio peccatorum commissorum cum cordis contritione, facta in hac vita cum proposito satisfaciendi, & amplius peccata non committendi.*

Quid sit pœnitentia.

Ex isto etiam Psalmo possunt recolligi tredecim Conclusiones & doctrinæ. Quarum *prima* est: quòd per Pœnitentiam remittitur pœna & culpa debita peccatorum.

Secunda conclusio est: per Pœnitentiam sunt tecta & absconsa peccata ipsi diaF bolo: ne amplius valeat hominem accusare.

Tertia conclusio: quòd per Pœnitentiam Deus amplius non imputat peccatum ad culpam, nec ad pœnam æternam.

Quarta conclusio: quòd peccator sine Pœnitentia non potest consequi beatitudinem propter impedimentum culpæ.

Quinta conclusio: quòd Pœnitentia non potest esse perfecta & fructuosa, sine Confessione facta Ecclesiæ. Probatur: nam licèt David clamaret die ac nocte, & gemeret ex remorsu conscientiæ; sed tamen quoniam tacebat peccatum Sacerdoti: ideo non fuit sibi remissum, usquequò proposuit confiteri, & confessus est peccatum Nathan, dicens, *Peccavi*: per quod ostendit, vocalem Confessionem esse necessariam in effectu, aut in affectu.

Sexta conclusio: quòd omnes sancti G indigent Pœnitentia ad delenda peccata, vel ad conservandas virtutes.

Septima conclusio: quòd Pœnitentia debet esse accelerata in hoc tempore opportuno: quia solum in hac vita est valida & fructuosa: quia post hanc vitam est infructuosa.

Octava conclusio: quòd Pœnitentia non est valida nisi in virtute Passionis Christi: ideo est ad Christum recurrendum.

Nona conclusio: quòd peccator, qui in hac vita non agit Pœnitentiam, est imprudens, *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*: si non providet pro futuro judicio.

Decima conclusio: quòd *diabolus*, & *mundus*, & *caro*, & *septem vitia capitaH lia*, sunt bestiæ indomitæ, semper pugnantes ad devorandum hominem, ut demergant eum in Infernum.

Undecima conclusio: quòd istæ bestiæ sunt constringendæ & compescendæ per *camum* Ecclesiasticorum Sacramentorum, & per frænum virtutum, & observantiam Legis Euangelicæ, & per assiduam orationem, & pœnitentiam &c.

Duodecima conclusio: quòd peccator, qui

qui in hac vita non agit pœnitentiam, ſicut eſt beſtialis, *ſicut equus & mulus*, ita tractabitur *ſicut equus & mulus*: quia conſtringetur & ligabitur *in camo & fræno*, & infernali carcere, & torquebitur & flagellabitur in æternum. A

Tredecima concluſio, & doctrina: quòd ſicut pœna obſtinatorum erit multitudo flagellorum & tormentorum: ita præmium pœnitentium & juſtificatorum, erit lætitia & gaudium in hac vita per gratiam, & in futuro per gloriam.

Objectio. Sed contra totum fundamentum & diſcurſum & intelligentiam hujus Pſalmi arguunt *Græci*, & *Jacobitæ*, negantes & contemnentes vocalem Confeſsionem peccatorum: & dicentes, non eſſe neceſſariam Confeſsionem peccatorum ad ſalutem, & pœnitentiam. Unde arguunt ſic. Illud non eſt neceſſarium ad ſalutem, quod Chriſtus non docuit, nec inſtituit in Lege Euangelica: ſed Chriſtus non docuit, nec præcepit, fieri Confeſsionem peccatorum: Ergo non eſt neceſſaria. Major eſt nota. B Minor probatur. Quia Chriſtus ſufficienter docuit & inſtituit omnia neceſſaria ad ſalutem. Unde bene dixit: *Pœnitentiam agite &c.* & *Vade, amplius noli peccare*: ſed nulli dixit, ut confiteatur peccata &c.

Item, noſtris temporibus ſurrexit quidam *Hiſpanus* Magiſter Scholarum apud *Salmanticam*, qui concedebat eſſe faciendam Confeſſionem de peccatis actualiter commiſsis, dictis, aut factis: ſed non de peccatis in ſolo propoſito & voluntate commiſsis, poſtquam non devenerunt ad actum. Unde arguebat ſic. Ordo Pœnitentiæ debet fieri ſecundùm ordinem & diſcurſum peccati, ſecundùm *Chryſoſtomum*. Nam ſi tripliciter peccavimus, ſcilicet corde, & locutione, & opere: ita tripliciter debemus pœnitere: ſcilicet, Contritione, & Confeſsione, & Satisfactione: Igitur ſi quis peccavit ſolùm corde, & non locutione, C nec opere, non tenetur de neceſsitate confiteri, niſi pœnitere tantùm in corde per Contritionem: quia pœnitentia debet correſpondere peccato. Et ſic non de quolibet peccato eſt neceſſaria vocalis Confeſſio. Item confirmabat ſuam poſitionem tali ratione, ut ſuis verbis utamur. Nam regula Juris eſt, quod *per quaſcunque cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*: ſed iſta peccata ſolo conſenſu contrahuntur: Ergo ſolo diſſenſu diſſolvuntur: quia per *quæ quis peccat, per hæc & torquetur*, *Sapient.* 11. Non ergo eſt neceſſaria vocalis Confeſsio in peccatis ſola cogitatione commiſsis; ſed ſufficit ſola contritio ſine ordine ad claves Eccleſiæ: & Confeſ- D ſio generalis, & cærimoniæ Eccleſiæ, ſicut in venialibus.

Sed in oppoſitum eſt David Propheta in hoc Pſalmo, ubi dicit: *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea*: ſed quando dixit, *Confitebor &c: tunc remiſiſti impietatem peccati mei.*

E Reſpondeo, quòd dupliciter probatur, Confeſsionem peccatorum eſſe neceſſariam peccatoribus ad perfectam pœnitentiam. Et hoc probatur primò, auctoritatibus Sacræ Scripturæ utriuſque Teſtamenti. Secundò probatur rationibus multis. Unde probatur primò, quòd vocalis confeſsio de peccatis perpetratis, ſit de lege naturæ: & quòd hanc Confeſsionem exigit Deus à peccatore. Nam Deus vocavit *Adam* ad Confeſſionem, cum dixit: *Adam ubi es? &c.* Et Adam confeſſus eſt peccatum, dicens: *Mulier quam dediſti mihi &c.* Item vocavit *Cain* ad Confeſsionem, quando dixit: *Ubi eſt Abel frater tuus? &c.* ſed quia ille negavit; ideo taciturnitas peccati fuit ipſi damnabilis, ut patet ibidem *Geneſ.* 4. Item ſecundò, confeſsio peccatorum eſt de Lege Moſaica, tàm in actu, quàm in figura: ut patet *de capro emiſſario*, *Levitici* 16. Item *de leproſo*, *Levit.* 13. Item F *Numer.* 5. ubi dicitur: *Quod vir, ſive mulier confitebuntur peccatum ſuum &c.* Tertiò, confeſsio peccatorum eſt de traditione prophetica, ut patet 2. *Regum* 12. in caſu prædicto, & in toto iſto Pſalmo. Quartò, eſt de doctrina ſapientiali. *Proverb.* 28. ubi dicit Salomon: *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Ex quo patet, quòd neceſſaria eſt abſtinentia à peccato poſt factam confeſſionem. Quintò, confeſsio peccatorum eſt de Lege Euangelica. Nam Chriſtus non ſolùm nos admonuit & docuit dictis, ſed factis: cum *omnis Chriſti actio fuerit noſtra inſtructio*, ſecundùm *Gregorium*. Sed Chriſtus neminem ſanavit, niſi priùs confiteretur, & manifeſtaret morbum ſuum, ut patet per ſingula miracu- G la: Ergo &c. Item, hoc idem patet de *Filio prodigo*, qui non fuit ſuſceptus à Patre, nec remiſſus, uſquequò confeſſus eſt, & dixit: *Pater, peccavi in Cœlum, & coram te &c.* & ſic poſt confeſsionem recepit eum, & tradidit ipſi ſtolam primam gratiæ. *Luc.* 15. Item decem leproſos Chriſtus remiſit ad Sacerdotes, dicens: *Ite &c.* Item, *Latro* confeſſus eſt peccatum ſuum, cum dixit: *Nos digna factis recipimus &c.* & converſus ad Chriſtum dixit: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*, *Luc.* 23. Item, confeſsionem præcepit Chriſtus, quando tradidit clavem Eccleſiaſticæ poteſtatis Apoſtolis ad diſcernendum peccata, *Matth.* 15. & 18. Nam Sacerdos non poteſt diſcernere, nec judi- H care de peccatis, niſi audierit ab ipſo peccatore. Sextò, confeſsio peccatorum eſt de Traditione Apoſtolica, ut patet *Actor.* 19. ubi dicitur, quòd *Paulo prædicante veniebant confitentes peccata ſua.* Et ideo *Jacobus* Patriarcha & Epiſcopus Hieroſolymi-

Neceſſaria Confeſſio peccatorum dupliciter.

ta-

tanus *in sua Canonica*, *Capitulo ultimo*, fecit constitutum de *Confessione*, dicens: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Similiter fecit constitutum de *Extrema-Unctione*, ibidem. Septimò, confessio peccatorum est de constitutione & præcepto Ecclesiæ, & sententiâ omnium sacrorum Doctorum, ut patet *de Pœnitentia*, *distinctione prima* per totum. Item per *Decretalem*, *Omnis utriusque sexus*, *de pœnitentiis & remis.* Ex quo patet, quòd Confessio peccatorum est de auctoritate Sacræ Scripturæ utriusque Testamenti, & præcepto Ecclesiæ, & doctrinâ sacrorum Doctorum.

Rationes. Sed secundò hoc probatur multis rationibus. Nam primò, est necessaria Confessio peccatorum in quantum *Pœnitentia* est quoddam judicium in foro pœnitentiali & spirituali. Quia Sacerdos, qui est judex loco Dei, non poterit judicare, nec discernere inter lepram & lepram absconsam, & latentem in anima, nisi didicerit per Confessionem, ut ait *Augustinus*, libro *de Pœnitentia.* Item, nullus debet puniri secundùm Leges, nisi Confessus fuerit reatum per os proprium. Item, hoc idem patet, in quantum Pœnitentia est quædam medicina. Unde Sacerdotalis Medicus animæ non poterit adhibere remedium, nec imponere pœnitentiam secundùm qualitatem, & quantitatem, & meritum peccatorum, nisi hoc sciat per Confessionem, ut ait *Boëtius*, *primo de Consolatione*, dicens: *Si operam medicantis expectas*, *oportet ut vulnus detegas.* Item, hoc idem tertiò patet ratione rectitudinis judicii: quia nemo potest esse judex in causa propria, nec judicare seipsum. Item, nemo potest esse *accusator*, & *judex*, *Quarta q. 4. Nullus.* Ex quo patet, quòd debet alteri confiteri. Item, quartò, hoc probatur ratione auctoritatis Ecclesiæ. Quia si quis faceret pœnitentiam absque Confessione peccatorum; tunc non essent datæ claves ipsi Ecclesiæ, ut inquit *Augustinus*: quia frustrare videtur claves Ecclesiæ, qui sine Ecclesia sibi pœnitentiam imponit, *Quarto Sententiarum*, *distinct.* 18. Item quintò, Confessio peccatorum facta Sacerdoti, est necessaria ratione virtutis, & valoris. Quia nulla pœnitentia, nec aliquod opus est validum, nisi concurrat Ecclesia per Ecclesiastica Sacramenta: cui data est talis potestas & virtus à suo Sponso Christo. Unde talis pœnitentia sine Confessione, non esset sacramentalis: quia aliter non concurreret, nec cooperaretur Ecclesia: & per consequens esset invalida. Sextò, Confessio peccatorum facta Ecclesiæ, est necessaria ratione securitatis ipsius pœnitentis: quia nemo scit, an sit dignus odio, aut amore; nisi audiat à Sacerdote, se esse absolutum. Item, hoc idem est necessarium ad securitatem proprii Sacerdotis, & Curati, ut sit securus de sua ove, de qua tenetur reddere Deo rationem; ut ad minus semel in anno cognoscat eam. Septimò, hoc est necessarium ad vitandum scandalum populi, ne talis reputetur malus Christianus, si semel ad minus in anno non venerit ad Ecclesiam, & videatur confiteri, & facere pœnitentiam. Et etiam est necessaria ratione supplementi, & perfectionis, & virtutis Sacramenti. Quia quandoque Pœnitentia, & vocalis Confessio, ex attrito facit contritum; & quod deficit pœnitenti, supplet Sacramentum. Tria ergo facit Sacerdos in tali Sacramento. Nam primò, imponit pœnitentiam tanquam Judex. Secundò, reddit pœnitentem securum, & absolutum ab obligatione, quâ tenebatur semel in anno ostendere se Sacerdoti &c. Tertiò, ex vi Sacramenti confert gratiam, & supplet contritionem pro attritione, in quantum invocat divinam misericordiam, dicens: per effusionem sanguinis Christi *Ego te absolvo &c.* Deus autem dat gratiam per se, & remittit culpam; & quandoque totam pœnam secundùm fervorem & contritionem pœnitentis.

Sacerdos tria facit in Sacramento Pœnitentiæ.

Responsio Nunc autem restat respondere ad argumenta in contrarium. Unde per auctoritates novi ac veteris Testamenti in prima parte inductas, patet responsio ad *Græcos* & *Jacobitas*, qui negant Confessionem. Nam manifestum est, quòd Confessio peccatorum est de præcepto Christi, dictis & factis. Item per rationes adductas in secunda parte, patet, quòd Confessio peccatorum est necessariò facienda de omni peccato, etiam in solo proposito commisso. Quia aliter sequeretur, quòd talis pœnitentia non esset sacramentalis, postquam ad eam non concurrit Ecclesia, & per consequens nullius valoris nec remissionis: & sic sequerentur omnia supradicta inconvenientia. Ad confirmationem & rationem illius *Hispani*, in quantum dicebat, quòd *per easdem causas res generantur & dissolvuntur &c.* dicendum, quòd illa est simpliciter falsa: ideò tota propositio procedit ex falso fundamento. Nam illa propositio non solùm est contra Sacram Scripturam, quæ vult, quòd solus Deus delet iniquitates & peccata, & justificat hominem per Ecclesiastica Sacramenta, dum fuerit opportunitas: sed hoc etiam est contra *Aristotelem* 3. *Ethic.* qui dicit, *quod vitia & peccata sunt in nostra potestate quoad generationem*, *sed non quoad corruptionem & dissolutionem*: nam vitia & peccata sunt morbi animi: & ideo sicut morbus corporis est in nostra potestate, sed non sanitas ejus: ita pariter est dicendum de ægritudine animi. Nam in nostra potestate est infirmari per inordinatum cibum aut potum, aut aliquid hujusmodi: sed non est in nostra potestate sanari, nisi Medicus adhibeat medicinam. Ita pariter

ter homo per liberum arbitrium de ſe poteſt peccare in ſolo propoſito, aut in actu: ſed non poteſt ſanari, nec liberari, niſi per medicinalia Sacramenta; quæ ad hoc ſunt inſtituta. A

Item, iſte non conſiderabat, quomodo *omne peccatum eſt concupitum, vel factum contra Legem, & voluntatem Dei*; & per conſequens per tale peccatum ſemper Deus offenditur: & ſic tale peccatum non poteſt deleri, nec diſſolvi, niſi Deus remittat culpam, juſtificando per gratiam, & non imputando ad pœnam æternam: ſed talis juſtificatio & remiſſio non fit, niſi concurrente Eccleſia, ex Euangelica Chriſti inſtitutione, ut dictum eſt. Ergo. Item, *Contritio* pœnitentialis *eſt dolor cordis de peccatis commiſsis, cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi*: & ſic in ſui diffinitione includit confeſſionem in propoſito: quia aliter non eſſet Contritio ſacramentalis, & per conſequens non deleret culpam. Nam B Contritio non delet culpam, niſi in virtute Sacramenti propoſiti & deſiderati, ſcilicet, in virtute deſideratæ Confeſſionis, & Satisfactionis: quia aliter non juſtificaretur peccator. Et ideo poſitio & opinio illius *Hiſpani* fuit condemnata apud *Complutum* Oppidum Hiſpaniæ per Archiepiſcopum Toletanum, cum conſilio & determinatione multorum Sacræ Theologiæ Profeſſorum: cui Archiepiſcopo facta fuit ſpecialis commiſſio per Summum Romanum Pontificem ſuper hac cauſa. Item eadem poſitio fuit condemnata *Cæſaraugustæ* in Conventu, & Concilio Magiſtrorum, & Doctorum. Unde licèt iſta quæſtio alibi ſubtilius diſputetur: tamen iſta ſufficiant ad ſanam intelligentiam & expoſitionem hujus C Pſalmi. Quare licèt David per totum illud tempus clamaret ad Dominum in conſcientia: tamen tacebat peccatum confiteri Sacerdoti: ideo nunquam meruit veniam, uſquequò propoſuit confiteri.

Nota.

PSALMUS XXXII.

De Conſe. d. 1. Quando autem ſtamus.

1. *Exultate juſti in Domino: rectos decet collaudatio.*

LICET apud Hebræos iſte Pſalmus ſit ſine Titulo; tamen multi eorum dicunt, quòd David fecit hunc Pſalmum. D Item *Hieronymus* in magno *ſermone de Aſſumptione Virginis Mariæ*, attribuit hunc Pſalmum ipſi David, dicens: *Unde per David dicitur: Verbo Domini Cœli firmati ſunt &c.* Item, in Latinis Bibliis proponitur Titulus huic Pſalmo: *In finem, Pſalmus David.* Ex quo patet, quòd David fecit hunc Pſalmum, dirigens nos in Chriſtum, qui eſt finis Legis. Et ſic exponit ipſum *Auguſtinus*, & omnes Sacri Doctores. E Unde licèt Doctores Hebræorum exponant hunc Pſalmum litteraliter tantùm, in quantum David invitat omnes juſtos de populo Iſrael ad laudandum Deum, in quantum eſt Creator & Bonus: tamen nos Chriſtiani, *quibus datum eſt noſſe myſterium Regni Dei*, non debemus tacere, nec occultare theſaurum abſconſum in hoc agro, & ſacramenta in eo latentia; ſed invocatâ gratiâ Spiritus ſancti, ſemper debemus pulſare, ut nobis aperiat divitias regni & theſauri ſui, repoſitas in gazophylatio, & ſcrinio Sacræ Scripturæ, & quantum nobis deſuper datum fuerit, quodam pio affectu haurire.

Ideo eſt advertendum, ſicut *in Prologo* dictum eſt: quòd David triplici principio ſumpſit occaſionem & cauſam componendi Pſalmos. F Primò, à ſuis geſtis, in quantum per ſuas perſecutiones & proſperitates prævidit perſecutionem Chriſti, & exaltationem Regni ejus. Secundò, ex deſcriptione *Templi*, ſibi tradita à Spiritu ſancto. Tertiò, ex myſteriis ſcriptis in libris *Moyſi*, & aliorum: & ſic dicendum, quòd David contemplando myſterium creationis mundi, prævidit totum myſterium recreationis & regenerationis humanæ, & inſtitutionis Eccleſiæ per Chriſtum faciendæ. Et ideo fecit hunc Pſalmum, in quo propheticè invitat omnes juſtos & rectos veteris Teſtamenti, ut cùm exultatione & lætitia recipiant Chriſtum, cùm venerit ad regenerandum genus humanum, & conſtruendam Eccleſiam. Nam ſicut per Chriſtum, qui eſt Verbum Patris, fuit creatus mundus: G ita per ipſum Incarnatum erat regenerandus mundus, & Eccleſia conſtrueñda. Et ſic etiam invitat omnes Fideles novi Teſtamenti, ut exultent, in Chriſto ſe eſſe regeneratos: & ipſi Latriæ honorem impendant, & ejus confiteantur, & memorent magnifica beneficia. Et ideo voluit, quòd cantaretur iſte Pſalmus in Templo cum *pſalterio*, & *cithara*, & toto conatu vocum uſque ad ultimum punctum; ut patet in eodem Pſalmo.

Occaſio David ad incipiendum Pſalmum.

Duo ergo facit in hoc Pſalmo. Nam primò, invitat omnes Fideles novi, ac veteris Teſtamenti, ad laudandum Chriſtum. Secundò, reddit cauſam *quare*. Ibi: *Quia rectum eſt*. Quantum ad primum duo facit. Nam primò, invitat omnes ad laudes Chriſti. Secundò, tradit modum laudandi: ibi: H *Confitemini Domino in cithara*. Vel poſſumus dicere, quòd primò dicit, quales debent eſſe laudatores Chriſti. Secundò, quomodo debent ipſum laudare. Ad primum ergo dicit, quòd laudatores Chriſti debent eſſe *juſti*, id eſt, juſtificati per Fidem Chriſti, & *recti* in operibus: quia *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.*

Diviſio Pſalmi.

Laudatores Chriſti ſunt juſti.

Sed eſt advertendum, quòd eadem

Fi-

Fidem, quâ justificati sunt antiqui, justificati sumus & nos: sed erat differentia: nam illi justificabantur in Fide, & Spe Christi A futuri, & futurorum Sacramentorum; nos verò in Fide Christi, qui jam nos redemit, & in Fide præsentium Sacramentorum. Et ideo utrosque invitat David ad laudem Christi: scilicet, illos, ut expectarent & laudarent Christum eos redempturum; & nos, ut jam laudemus ipsum Redemptorem. Dicit ergo David: O vos Fideles veteris Testamenti *justi*, id est, justificati in Fide Christi futuri: & vos Christiani jam redempti, & justificati: *exultate*, non in vobis, quia non propriis meritis estis justificati; sed *in Domino*, qui vos justificavit: & cùm intraveritis Templum ad laudandum Dominum, facite, ut sitis puri & justi per pœnitentiam: *nam rectos decet collaudatio*, id est, decens est, ut recti laudent Deum, id est, quòd laudatores Dei sint *recti*, & puri, & mundi, & *justi*: nam *non* B *est speciosa laus in ore peccatoris.* Item, *rectos decet collaudatio*, id est, decens & justum est, ut illi qui sunt justificati & redempti per Christum, laudent eum: aliter, essent ingrati.

15. q. 1. *Revertimini.*

2. *Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi.*

3. *Cantate ei canticum novum: bene psallite ei in vociferatione.*

HIC tradit modum, quomodo debemus C Christum laudare: & quot, & quibus conditionibus debemus Christum laudare. Unde quatuor dicit. Primò, quòd debemus Christo cantare *canticum novum.* Secundò, quòd debemus cantare istud canticum cum *cithara.* Tertiò, cum *psalterio decem chordarum.* Quartò, cum *vociferatione & conatu vocum.* Et ita præcepit David cantari hunc Psalmum in Tabernaculo, & in Templo per Levitas, quæ omnia significabant magnum mysterium. Nam per *canticum novum* intelligitur Lex Euangelica, sive Testamentum novum: ad differentiam cantici veteris ipsius Moysi, ut patet *Apocal.* 15. Et sic in toto libro Psalmorum per *canticum novum* intelligitur Testamentum novum: & per *psalterium decem* D *chordarum* intelligitur lex decem præceptorum in Lege Euangelica confirmatorum. Et etiam intelligitur Lex Euangelica, continens in se decem chordas, id est, decem Articulos pertinentes ad Christum. Nam *prima chorda* hujus Psalterii, est Verbi Incarnatio, id est, quòd Christus est Deus incarnatus. *Secunda chorda*, est Christi Nativitas de Maria Virgine. *Tertia chorda*, est Baptismus Christi. *Quarta*, ejus præ- E dicatio. *Quinta*, miraculorum operatio. *Sexta*, mors & passio. *Septima*, resurrectio. *Octava*, in Cœlum ascensio. *Nona*, Spiritus sancti in Apostolos missio. *Decima*, per prædicationem Apostolorum Ecclesiæ congregatio. Per *citharam* intelligitur Fides, Spes, & Charitas. Nam *cithara* est unum instrumentum triangulare: ita pariter unus est Christus: sed est colendus triplici virtute, scilicet, Fide, Spe, & Charitate. Per *vociferationem* intelligitur, quòd debemus Christum confiteri publicè coram hominibus, & ejus laudes & beneficia jugiter memorare, & exaltare, & magnificare.

Dicit ergo David: O Justi, *confitemini Domino*, ejus laudes manifestando: & *cantate ei canticum novum*, scilicet, prædicate Legem novam Euangelicam; & hoc F *cum psalterio decem chordarum*, id est, *confitemini* & prædicate in isto *novo cantico* decem Articulos Christi: scilicet, *Incarnationem*, *Nativitatem*, *Baptismum*, *Prædicationem*, *Miracula*, *Passionem*, *Resurrectionem*, *Ascensionem*, *Spiritus sancti missionem*, & *Ecclesiæ congregationem:* quia hæc sunt decem chordæ hujus psalterii Euangelici. Et hoc est *psalterium decem chordarum*, & *canticum novum*, quod cantavit & pulsavit *Virgo Maria* tympanistria nostra, cum magna exultatione spiritus, cùm dixit: *Magnificat anima mea Dominum &c.* Nam hoc *Canticum*, sive psalterium *Virginis*, continet decem versus, qui sunt *decem chordæ*; in quibus decem chordis continetur totum Testamentum, & *canticum novum*, & etiam totum Testamen- G tum vetus. Nam ibi annuntiatur, omnia promissa in veteri Testamento, esse completa in novo, cùm dixit: *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ: sicut locutus est ad patres nostros &c.* Vos ergo justi *cantate canticum novum* Legis Euangelicæ per totum circuitum anni, & in omnibus Horis diurnis, pariterque nocturnis: sed *cantate* specialiter in Vesperis quotidianis *canticum novum*, sive *psalterium decem chordarum* Virginis, in quo implicitè continetur utrumque Testamentum. Item, *cantate* hoc *canticum novum* cum *cithara*, id est, cum Fide ipsius Christi, & Spe, & Charitate: quia aliter non esset meritoria laus, nec confessio. Item, *bene psallite ei in vociferatione*, cum pu- H blica prædicatione, & manifesta confessione coram hominibus, sicut ipse confessus est omnes in Cruce, & pro omnibus membris suis passus est publicè. Item, *psallite ei cum vociferatione* in Officiis Canonicis Ecclesiæ. Et nota, quòd antiqui cantabant hunc Psalmum cum vociferatione, vocando Christum ad redimendum. Nos autem cantamus istum Psalmum, & omnes alios,

Lex Euangelica est Canticum novum.

agen-

agendo gratias pro redemptione facta : & ut Christus veniat ad remittendum peccata nostra, & nos glorificandum. A

Iterum est advertendum, quòd *triplex canticum* memoratur in Sacra Scriptura. Primò, *Canticum vetus*, quod dicitur *Canticum Moysi*, *Apocal.* 15. Secundò, *Canticum novum* Gratiæ, quod dicitur *Canticum Euangelicum*, sive Lex Euangelica. Tertiò, *Canticum Gloriæ*, & æternum. Primum Canticum cantaverunt omnes Patres veteris Testamenti. Secundum cantamus nos in hac Ecclesia Militanti. Tertium cantant Beati in Ecclesia Triumphanti. Primum cantabatur sub protestatione, & fide, & spe Christi futuri, quem prænunciabat per vaticinia Prophetarum, & præfigurabat per mysteria Patriarcharum, & omnia præcepta cærimonialia & legalia: & ideo antiqui cantabant cum cithara, & psalterio materiali, & legali. Secundum B Canticum cantant Fideles novi Testamenti cum cithara spirituali, scilicet, *fide*, *spe*, & *charitate*; & cum psalterio spirituali decem chordarum, scilicet, cum confessione supradictorum Articulorum. Et cantant ipsum *cum vociferatione*: quia publicè confitentur Christum, & hos decem Articulos, coram hominibus. Tertium Canticum cantant Sancti in Cœlo cum clara visione, & fruitione, & felicitate, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c. Apocal.* 4. Et hoc Canticum dirigitur toti Trinitati : sed secundum Canticum, scilicet, *Canticum novum*, dirigitur ipsi Christo: de quo cantant psalterium decem chordarum, id est, decem Articulorum, ut patet *Apocal.* 5. ubi dicitur, quòd Sancti *cantabant Canticum novum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus &c.* C Unde hoc est *Canticum novum*, ad quod cantandum nos exhortatur Propheta in hoc Psalmo, cùm dicit : *Cantate ei canticum novum &c.*

Triplex canticum in Scriptura.

4. *Quia rectum est Verbum Domini: & omnia opera ejus in fide.*

22. q. 5. Humane.

IN secunda parte reddit & assignat causam, quare, & de quibus tenemur ipsum laudare : & assignat tres causas. Prima: quia Christus est Deus Omnipotens, cum sit Verbum Patris, *per quod facta sunt* D *omnia.* Secunda, quia *justus Judex.* Tertia, quia *Misericors* : & sic est laudandus ratione summæ potentiæ, & justitiæ, & misericordiæ : & ideo sicut est rectus & justus, ita debet à rectis & justis laudari. Dicit ergo: Bene dico, quòd *justos & rectos decet laudare Christum:* nam ipse Christus *est rectum Verbum Domini*, per quem omnia fecit; ideo omnia opera ejus sunt facta *in fide*, id est, sunt naturaliter recta & perfecta : quia *cuncta quæ fecerat, erant valde bona.* Secundò est laudandus, E quia est *justus & misericors.* Nam

5. *Diligit misericordiam & judicium: misericordia Domini plena est terra.*

39. d. cap. Diaconi.

DIligit, inquit, *misericordiam & judicium* : & ideo *misericordia* ejus *plena est terra*: nam omnibus miseretur, & plenè & abundanter redemit genus humanum ; quia pro omnibus effudit totum sanguinem. Et notanter dicitur: *Quia rectum est Verbum Domini*: nam Filius dicitur *Ars Patris*; sed ars est recta ratio factibilium : & ideo *Verbum*, in quo ab æterno sunt ideæ, sive exemplaria omnium F creaturarum, dicitur *rectum.* Nam sicut quodlibet artificiatum dicitur rectum, in quantum assimilatur arti existenti in intellectu practico artificis : ita omnis creatura dicitur recta & perfecta secundùm naturam & speciem, in quantum assimilatur ideæ & rationi existenti in Verbo Divino, quod dicitur *Ars Patris.* Et notanter dicit etiam: *Misericordia Domini plena est terra*: quia ante adventum Christi, misericordia Dei solùm erat in Judæa.

6. *Verbo Domini Cœli firmati sunt: & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

1. q. 1. c. Inter Catholicam.

G HIC probat per singula, quæ dixit. Nam primò probat, quòd Christus *sit rectum Verbum Domini:* Secundò, quòd est *justus Judex.* Tertiò, quòd est summè *Misericors.* Secunda ibi : *Dominus dissipat consilia.* Tertia ibi : *Beata gens.* Dicit ergo primò : Probo, quod Christus sit Verbum rectum Dei Patris, & per consequens sit Deus consubstantialis Patri. Nam *Cœli firmati sunt Verbo Domini*, quando Deus dixit: *Fiat firmamentum &c.* Nam si Deus dixit ; ergo per aliquod Verbum sibi coæternum locutus est & dixit : quòd quidem Verbum non potest esse nisi sibi consubstantiale : cùm in eo non sit aliquod accidens temporale. Item, sicut Cœli sunt H firmati & creati *Verbo Domini* : ita *omnis virtus eorum*, scilicet Cœlorum, est eis data, & emanat à *Spiritu oris* Dei Patris, scilicet, à Spiritu sancto : & sic omnia sunt creata *Verbo Domini*, & habent *virtutem* à *Spiritu oris ejus*, scilicet, à Spiritu sancto: & sic tota Trinitas concurrit ad creationem rerum; quia opera Trinitatis sunt indivisa ad extra.

Christus est Verbum Patris.

Ad cujus intelligentiam est notandum secundùm *Augustinum* : quòd licèt tota

Nota. Trinitas sit Creatrix ut Deus, & opera Trinitatis sint indivisa in creatione rerum: tamen modus est distinctus. Nam in hac A creatione aliquo modo attribuitur authoritas Patri: nam Pater, qui ab æterno dixit suum Verbum; & diligendo Filium, & è converso ambo spirant Spiritum sanctum; ille idem Pater ex tempore per suum Verbum æternum dixit omnes creaturas ad extra, quando dixit, *Fiat lux: & fiat firmamentum &c.* & sic per suum Verbum fecit omnia, *Joan.* 1. Item, Pater, & Verbum, qui ab æterno spirant Spiritum sanctum ad intra: ita postea ex tempore, tanquam unum principium, per Spiritum sanctum spirant ad extra esse, existere, & virtutem omnibus creaturis ad operandum: quod quidem *esse*, sive *virtus*, dicitur *vita* in rebus, sive *vivere*; quia vivere viventibus est esse: & ideo subditur: *Spiritus Domini ferebatur* B *super aquas*; id est, super omnia fluxibilia & mobilia creata. Itaque res omnes creatæ, ut assimilantur ideis & exemplaribus existentibus in Verbo; & ut dicuntur per Verbum, dicuntur habere essentiam & speciem: sed ut aspiratur eis esse & virtus per Spiritum sanctum, dicuntur habere existere, & habere virtutem, & habere operationem. Et sic omnia creata habent in se *vestigium Trinitatis*: scilicet, substantiam, virtutem, & operationem: sive numerum, pondus, & mensuram: sive speciem, modum, & ordinem. Nec per hoc est dicendum, quòd opera Trinitatis sunt divisa: C quia tota Trinitas concurrit tanquam unum principium, & unus Deus, & unus omnipotens. Et hoc est de intellectu *Augustini* 11. *de Civitate Dei*, & 12. *Confes.* Et hoc est quod dicit hîc David: *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Nec per hoc intendit David excludere, quin Spiritus sanctus sit Spiritus Filii: quia non negat ipsum à Filio procedere: sed in tantum dicit ipsum *spiritum oris* Patris, in quantum talis authoritas est in Patre: nam Pater habet de se, & à se, ut Spiritus sanctus procedat ab eo, cum sit principium non de principio: sed Filius hoc habet à Patre, ut spiret Spiritum sanctum, scilicet, simul cum Patre. Sed ne quis putaret, quod solùm Cœli sunt à Deo D creati, sicut blasphemabant *Manichæi*: ideo sequitur, quòd ipsemet Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui creavit Cœlos, ipsemet creavit terram, & aquas, & elementa; & tunc sequitur:



E 7. *Congregans sicut in utre aquas maris: ponens in thesauris abyssos.* 1. q. 1. c. Inter Catholicam.

CONgregans omnes *aquas maris* in vallibus, & locis depressioribus, & infimis terræ, quando *divisit aquas ab aquis, & apparuit arida: & congregationes aquarum appellavit maria*, ut patet *Genes.* 1. Nam terra continet maria inter montes, sicut vas continet aquas, ut patet de *Mari Caspio & Indico*, ut magis patebit *Psalmo* 103. & ipsemet fuit *ponens abyssos*, id est, aquas abyssales *in thesauris* suis, id est, in locis secretis terræ, & sic congregavit *aquas maris* in Oceano F inter valles, quasi *in utre*, sive in vase; & posuit aquas abyssales, & aquas fontales, & fluviales *in thesauris* & locis secretis. Nam fontes & flumina oriuntur & emanant à locis secretis. Et dicit, *in thesauris* suis: quia de emanatione fontium & fluviorum insurgunt tot mirabiles quæstiones & opiniones, quòd quasi nullus, vel pauci potuerunt pervenire ad ipsam veritatem. Nam *Plato* dicit, quòd emanant à *Tartaro*. *Aristoteles* dicit, quòd continuè generatur aqua ex aëre infrigidato in cavernis terræ. Aliqui dicunt, quòd fiunt magnæ submersiones aquarum in profundo maris, G & serpunt per viscera & venas terræ, & dulcoratæ ebulliunt, & emergunt per impulsum, aut æquilibrium ad alias partes terræ; & sic fontes emanant in planis & montibus. Et sic disceptant Philosophi secundùm diversas opiniones: sed ista manent secreta & reposita *in thesauris* & secretis scientiæ Dei: ideo ait, *Ponens in thesauris abyssos.*

Sed dubitatur, quare non facit mentionem in hac creatione, de duobus elementis, scilicet, de igne, & aëre? Dicendum: quòd ignem, & aërem connumerat inter Cœlos. Nam communiter in Scriptura *aër* dicitur Cœlum, ut dictum est *Psalmo* 8. *Volucres cœli &c.* Sed est advertendum, quòd cùm creatio rerum fuerit figura recreationis & regenerationis nostræ: H per illud idem Verbum, per quod facta fuit creatio, per illud idem facta est nostra redemptio & recreatio; & per illud Verbum constructa est Ecclesia, per quod facta fuit machina mundi, & eodem ordine. Nam sicut Pater in creatione per Verbum Filium suum dicendo produxit res ad extra quoad species & essentias suas, & Pater cum Filio per Spiritum sanctum spiravit vitam & esse, & virtutem in rebus: ita pari ratione in nostra regeneratione Pater per Filium suum incarnatum locutus est nobis, & dedit Legem Euangelicam, ut patet *ad Heb.* 1. & sic construxit Ecclesiam ex vivis lapi-

Quæstio.

Nota de creatio. & recreatione mundi.

pidibus, id est, *fidelibus*: sed quia non suffecisset dedisse Legem, & creasse Apostolos, nisi spirasset in eis vitam & virtutem spiritualem: ideò Pater cum Filio misit Spiritum sanctum in Discipulos, & per ipsum spiravit vitam, & virtutem gratiarum, & donorum in Discipulos: & sic vivificavit eos ad intelligendas Scripturas, & ad robur & fortitudinem: & dando eis Ecclesiasticam potestatem, fecit eos Principes Ecclesiæ. A

Item sicut creavit duodecim Cœlos, scilicet, decem Cœlos superiores, & ignem, & aërem, quos connumerat inter Cœlos, ut dictum est: ita creavit duodecim Apostolos in Ecclesia, qui dicuntur *Cœli Ecclesiæ*, ut dictum est *Psalmo* 18. & illos ornavit sideribus & astris gratiarum, & donorum Spiritus sancti: & sic intelligit *Gregorius* illud *Job* 26. *Spiritus Domini ornavit Cœlos.* Unde dicit: *Verbum, qui est Filius Patris, ornavit Cœlos, id est, Apostolos: sed virtus Apostolorum de Spiritu sancto sumpta est*: unde alibi: *Spiritu oris ejus &c. Ornamenta enim Cœlorum sunt virtutes prædicantium &c.* Ex quo patet, quòd Pater per Verbum firmavit, & elegit Apostolos: sed per Spiritum sanctum dedit eis virtutem, & dona gratiarum in die Pentecostes: & sic constructa & confirmata est Ecclesia. Et hoc est, quod dicit hîc David, quòd non solum in creatione mundi, *Cœli* materiales *Verbo*, qui est Christus, *firmati sunt*, *& spiritu oris ejus omnis virtus eorum*; sed etiam in nostra recreatione eodem *Verbo Domini*, scilicet, Christo, *Cœli*, id est, Apostoli, *firmati* & electi sunt, *& omnis virtus eorum* B C suit sumpta à *Spiritu oris ejus*: quia per Spiritum sanctum spiravit in eos, & in totam Ecclesiam, virtutem, & vitam spiritualem, Ecclesiasticam potestatem eis largiendo. Et sic tota Trinitas concurrit ad nostram regenerationem: & ideo nos Christiani per Fidem regenerati, portamus imaginem & vestigium Passionis Christi in fronte, & tótius Trinitatis. Nam licèt Deus luceat in omnibus hominibus per creationem; tamen in solis Fidelibus lucet per recreationem & gratiam, quem characterem accepimus in Baptismo, & etiam in Confirmatione.

Sed ne putaret aliquis, quòd Christus solùm creavit duodecim Apostolos, & in eis solis gratiam spiravit: ideo subdit: D *Congregans sicut in utre aquas maris*, id est, postquam firmavit Cœlos, id est, Apostolos, postea per eos *congregavit aquas maris*, id est, multitudinem populi Gentilis, *sicut in utre*, id est, in vase & gremio Ecclesiæ: & reposuit *abyssos*, id est, aquas abyssales, id est, septem Sacramenta Ecclesiastica *in thesauris* & secretis suis. Nam Ecclesiastica Sacramenta dicuntur aquæ abyssales, quia virtus eorum nunquam evacuabitur: eò quòd sunt plena

Ecclesiastica Sacramenta dicuntur aquæ abyssales.

meritorum Passionis Christi; & sic habent virtutem infinitam & abyssalem ad justificandum peccatores successivè in infinitum. E Item, Christus *posuit abyssos in thesauris* suis, scilicet, in Sacra Scriptura, in qua continentur infinita secreta, & abyssus divitiarum scientiæ Dei. Ideo sequitur: Si ergo Christus est illud Verbum Patris, quo non solùm Cœli materiales in principio, sed etiam in nostra regeneratione *Cœli firmati sunt*, scilicet, Apostoli: ergo

8. *Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.* 23. q. 6. *Schismatici*, §. *ult.*

F TImeat eum *omnis terra* in suo adventu: & *omnes* Gentiles *inhabitantes orbem commoveantur*, & vincantur, & convertantur *ab eo*: & cognoscant ipsum Deum, & Creatorem, & Recreatorem.

9. *Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.* 1. 148. *Judith* 16. e.

IPse Pater *dixit*, *& facta sunt* omnia: & *ipse mandavit*, *& creata sunt*, in creatione, *materialiter*, & in regeneratione, *spiritualiter*. Item, sicut in principio, mandando & dicendo fecit omnia: ita Verbum Patris in suo adventu, mandando & præcipiendo G faciebat miracula, & resuscitabat mortuos, & dimittebat peccata, & justificabat peccatores, tanquam potestatem habens; quod plus fuit quàm creare Cœlum & terram: quæ miracula nullus poterat facere, nisi solus Deus: ergo Christus est Deus Verbum Patris, per quem sumus creati & recreati. Ergo ipsi debetur honor Latriæ, & laus &c. Ergo *cantate ei canticum novum cum psalterio decem chordarum, & cithara, & voci feratione &c.*

10. *Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum.* 12. q. 2. c. *Cum devotissimâ*

H HIC assignat secundam rationem, quare debetur Christo Latria, & debemus ipsi cantare sic *canticum novum*, scilicet, quia est justus *Judex*, sive propter summam justitiam. Nota, quòd Christus in suo adventu tres potentias *dissipavit*, & punivit; in quibus ostendit potentiam & justitiam suam. Primò, destruxit falsam sapientiam & superstitionem

Christus dissipavit hęc in suo adventu.

Gentilium, & Philosophorum, & falsos ritus deorum. Secundò, dissipavit *cogitationes populorum*, scilicet, malitiam Judæorum insurgentium contra eum, quia A cogitarunt Christum delere per mortem: sed ipse resurrexit, & *dissipavit* eos, auferendo eis regnum & locum &c. Tertiò, *dissipavit consilia* & conventicula *principum* mundi, & Tyrannorum, qui proposuerant penitùs destruere Ecclesiam, & delere nomen Christi: sed ipsi dissipati sunt, ut *Nero*, & *Domitianus*, & *Maximianus*: immò tota Gentilitas fuit subjecta jugo Christi. Et hoc est quod ait David, scilicet, *Dominus* Jesus Christus bene est justus: quoniam ipse *dissipat*, & dissipavit in suo adventu *consilia* & sapientiam Gentium, scilicet, falsas opiniones Philosophorum de æternitate mundi &c. Et *dissipavit* ritus & superstitiones falsorum deorum, & vanitates Poëtarum. Et ostendit, qualiter mundus est à Deo creatus ex tempore: quomodo est unus solus Deus, Trinus in Personis: & quòd unus solus Deus B est colendus. Secundò *dissipavit* & confudit *cogitationes*, & pessima proposita *populorum*, scilicet, Judæorum, qui dixerunt: *Si hunc dimittimus, venient Romani &c.* sed contrarium accidit eis, ut dictum est *Psalmo* 2. Nam postquam Christus resurrexit, fuerunt ejecti à sedibus suis, & trucidati, & dispersi per mundum in captivitatem &c. Tertiò, *dissipavit consilia Principum* & Tyrannorum machinantium & conantium destruere Legem Euangelicam, & totam Christianam Religionem; sed ipsi dissipati sunt, & eorum superstitio & idololatria fuit destructa, & Ecclesia multiplicata per *Constantinum*, & Lex C Euangelica exaltata & ampliata. Ideo subdit:

25. q. 1. *Ideo*, §. *His itaq.*

11. *Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis ejus in generatione & generationem.*

CONsilium, id est, Lex *Domini*, *in æternum manet*, & *cogitationes cordis ejus*, id est, ea quæ Deus ab æterno proposuit futura, manent *in generatione & generationem*: quia omnia facta sunt & D completa, quæ Deus præordinavit, aut prævidit ab æterno: cujus scientia falli non potest. Et ideo

* * * \

tellexit omnia opera eorum, & cogitationes ipsas; factus est homo mortalis, ut eos redimeret. Unde nota, quòd per hoc quod A ait: *Qui finxit singillatim*, excludit falsam opinionem *Pythagoræ*, & etiam *Thalmudistarum*, qui dicunt, omnes animas esse ab initio creatas, & transmigrare de corpore ad corpus, & sic unaquæque anima præcedit suum corpus: sed hic dixit, quòd Deus *finxit*, id est creavit, animas *singillatim* in unoquoque. Item, excludit falsam opinionem *Commentatoris*, qui dixit, unum intellectum esse in omnibus hominibus: hic autem dicit, quòd unusquisque *singillatim* habet suam animam. Item, per hoc quod ait: *Intelligit omnia opera eorum*, excludit falsam opinionem *Manichæorum*, & aliorum Hæreticorum, qui dicunt, Deum non curare, nec etiam intelligere ista inferiora. Deinde sequitur: B

40. d. ca. Illud.

16. *Non salvatur Rex per multam virtutem: & gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.*

HIC reddit causam, quare Deus motus misericordiâ, voluit incarnari: & dicit, quòd voluit humiliari, & exinaniri, & fieri homo: eò quòd nulla creatura erat sufficiens ad salvandum seipsam, nec alios: sed solus Filius Dei erat sufficiens ad salvandum. Ideo dicit: *Non salvatur Rex per multam virtutem*, id est, nullus Rex mundanus habuit tantam virtutem & potentiam, ut seipsum posset salvare aliquo modo: *nec* aliquis *gigas* magnus & fortis *salvabitur*, nec poterit salvari *in multitudine virtutis suæ*. C

23. q. 1. Noli.

17. *Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.*

EQUUS, id est, multitudo equorum, *fallax* erat ad salutem Regum & Principum. Et ideo nullus salvabatur, nec poterat salvari *in abundantia virtutis suæ*. Et hoc propter duo. Primò, quia omnes erant peccatores & immundi: ideo oportebat, ut nostra redemptio fieret per hominem justum & innocentem. Secundò, quia peccatum primorum parentum fuerat tàm D grave, quàm non poterat deleri nisi per Deum & hominem. Tertiò, quia potentia diaboli erat tàm magna, quàm non poterat nisi per Deum superari. Ideo sequitur:

* * *
* *

E 18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum: & in eis, qui sperant super misericordia ejus.*

14. q. 2. cap. Glor. Episc.

19. *Ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.*

OCULI *Domini super metuentes* & sperantes in *eum*, id est, super Fideles: & in eos, *qui sperant super misericordia ejus*, *ut eruat animas eorum à morte* æterna per mortem & passionem, *& alat*, & nutriat *eos in fame*, scilicet, pabulo Sacramentorum, & sapientiæ. Quasi dicat: F Christus non salvavit superbos, neque confidentes in superbia, & viribus suis, & bonis mundanis; nec salvavit Infideles, sed Fideles, & humiles, & illos pavit pabulo sapientiæ: & sic *esurientes implevit bonis*, *& divites dimisit inanes*. Ex omnibus his patet, qualiter Deus ostendit nobis suam misericordiam: quare ipsum obligamur laudare & magnificare. Per hoc etiam excluditur falsa opinio *Pelagianorum* dicentium, unumquemque absque gratia ex propriis viribus posse salvari.

6. quæs. 1. Quiescite; & 23. q. 8. Convenior.

20. *Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adjutor & protector noster est.*

G 21. *Quia in eo lætabitur cor nostrum: & in nomine sancto ejus speravimus.*

HIC Propheta petit adventum Christi accelerari, ut posset ipsi cantare *Canticum novum &c.* Et etiam exhortatur Fideles ad fidem, & spem, & charitatem Christi Salvatoris, dicens: Si ita est quòd solus Christus potest omnes salvare, & non salvat nisi solos Fideles humiles sperantes in se: ergo *anima nostra sustinet*, id est, sustineat, & expectet cum patientia adventum Christi: *quoniam* ipse solus est *adjutor & protector noster*: quia *in eo lætabi-* H *tur cor nostrum*, cum venerit, & solos nos Fideles salvabit; eò quòd *speravimus in nomine sancto ejus*, quod est *Jesus* Salvator, quia non salvabuntur, nisi habentes Fidem Christi. Et ideo David apostrophat ad Christum, ut acceleret adventum suum, dicens:

22. *Fiat*

39.d.cap. Diaboni.

22. *Fiat misericordia tua Domine* A *super nos: quemadmodum speravimus in te.*

O *Domine* Jesu, veni, & *fiat misericordia tua super nos*, redimendo & salvando, *quemadmodum*, & sicut *speravimus in te*, & non sit vana & frustranea spes nostra, ut salves nos, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam &c. Ex supradictis patet, quòd David in toto isto Psalmo exhortatur Fideles novi Testamenti, ut recipiant Christum in adventu suo: & cantent illi *Canticum novum*, & prædicent Legem Euangelicam cum fide, & spe, & B charitate. Sed in ultima parte petit accelerari adventum Christi, in quo *Canticum novum*, id est Euangelicum, erat cantandum in Ecclesia. Ex quo Psalmo colliguntur octo conclusiones.

Prima conclusio: quòd justi obligantur præ cæteris Deum laudare, & in eo exultare pro beneficiis acceptis.

Secunda conclusio: quòd laus justorum est decora & Deo grata.

Tertia conclusio: quòd *Canticum novum* debet cantari, & confessio laudis justorum debet fieri tripliciter: scilicet, cum *psalterio decem chordarum*, id est, cum confessione supradictorum decem articulorum, quod dicitur Psalterium Euangelicum. Secundò, debet cantari cum *cithara*; scilicet, cum Fide Trinitatis, Spe, & Charitate. Tertiò, cum magna *vociferatione:* quia talis confessio Fidei debet fieri publicè, & non solùm in occulto. C

Quarta conclusio: quòd propter tria est Deus laudandus. Primò, quia rectus & verax in promissis. Secundò, quia justus in judiciis. Tertiò, quia misericors: quoniam justificavit nos in novo Testamento per misericordiam, quam promiserat in veteri Testamento.

Quinta conclusio: quòd sicut indivisibiliter tota Trinitas concurrit in mundi creationem; quia Pater per Verbum suum creavit omnia, & per Spiritum sanctum spiravit esse, & operari, & vitam in omnibus rebus: ita pariter in nostra regeneratione, Pater per Verbum Filium suum regeneravit nos, & per Spiritum sanctum vivificavit nos, dona gratiarum infundendo &c. & D per consequens est dare Trinitatem Personarum in Divinis.

Sexta conclusio: quòd sicut Deus fuit misericors, nos justificando; ita fuit justus Judex *cogitationes populorum*, & *consilia Principum* Infidelium dissipando & reprobando.

Septima conclusio: quòd populus Christianus solus est beatus, eò quòd dissipatis Judæis, & Infidelibus, solus ipse est electus in hæreditatem Dei.

Octava conclusio: quòd in hoc Psal- *Nota quinque falsas opiniones.*
E mo excluduntur & improbantur quinque falsæ opiniones. Nam primò, improbatur opinio *Aristotelis*, dicentis, mundum esse ab æterno: cùm hic dicat Propheta: *Quoniam ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt &c.* Secundò, improbat falsam opinionem *Thalmudistarum*, & *Origenianorum*, dicentium, omnes animas esse simul creatas à principio: cùm hic dicat Propheta: *Qui finxit singillatim animas eorum &c.* Tertiò, improbat per idem opinionem *Commentatoris*, dicentis, unicum esse intellectum in omnibus hominibus. Quartò, improbatur falsa impietas *Manichæorum*, dicentium, Deum non creas-
F se ista visibilia inferiora, nec habere curam de ipsis: cùm hic dicat Propheta: *Qui intelligit omnia opera eorum &c.* Quintò, improbatur impietas *Pelagianorum*, dicentium, unumquemque sine gratia posse salvari, & ex propriis viribus posse vitare omne malum, & agere bonum: cùm hic dicat: *Non salvatur Rex per multam virtutem &c.*

Psalmus XXXIII.

Aleph.

1. *Benedicam Dominum in omni* 15. q. 1. Reverti-- *tempore, semper laus ejus in ore* mini. *meo.*

G HIC est secundus Psalmus alphabeticus habens viginti duos versus, juxta numerum viginti duarum litterarum Hebræorum. Est verum, quòd deficit sexta littera, id est, *Vau*, loco cujus geminatur *He*: cujus Titulus talis est: *Davidi, cùm immutavit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abiit.* Hunc Titulum præposuit *Esdras* huic Psalmo. Nam dictum est, quòd David solum fecit illos Titulos, in quibus exprimitur cantor, aut instrumentum, aut modus cantandi, aut tempus, aut locus, in quo cantabatur Psalmus. Et ratio est: Nam David ordinavit Psalmos, & dabat eos cantandos determinatis cantoribus, cum instrumentis, & mo-
H dis determinatis, & in determinato tempore: & ideo explicabat in Titulo omnia supradicta, ut patet in quibusdam Psalmis. Sed quando exprimitur materia, aut auctor Psalmi, non est credendum, quod David fecit illum Titulum, sed *Esdras*, aut aliquis sanctus homo, prout fuit sibi revelatum. In hoc ergo Titulo patet, quòd David fecit hunc Psalmum, quando fugiens à facie *Saul* declinavit ad *Achis* Regem *Geth*: quo cognito dixerunt servi *Achis*: *Nonne*

Nonne hic eſt David Rex terræ? id eſt, quem Judæi dicunt eſſe unctum in Regem, & qui expectatur Rex poſt *Saulem*, eò A quòd occidit *Goliath Gethæum*? Unde
Nota. David videns imminere periculum vitæ ſuæ, ſimulavit ſe inſanum, & mutavit os ſuum, torquendo & variando oculos & labia, & ſpumando, velut furioſus epilepticus. Et tunc Rex *Achis* fugavit ipſum à domo ſua, jubens, ne amplius permitteretur ingredi: & tunc David receſſit inde in ſpeluncam *Odollam*; & ſic evaſit manus ſervorum *Achis*, ut patet 1. *Regum* 21. Et tunc agens gratias, fecit hunc Pſalmum.

Sed hæc hiſtoria non videtur concordare cum Titulo. Nam in Titulo dicitur, quòd David *immutavit faciem ſuam coram Abimelech:* & Rex *Geth* appellatur *Achis* in ſupradicta hiſtoria. Ad hoc dicit *Rabbi Salomon*, quòd *Abimelech* eſt nomen dignitatis regalis. Nam omnes Reges *Geraræ* B appellabantur *Abimelech*, ut patet *Geneſ.* 20. & 26. ſed quia Civitas *Geth* eſt *Gerara* memorata *in Geneſi*: ideo idem eſt *Achis*, & *Abimelech*. Nam *Achis* eſt nomen proprium, & *Abimelech* nomen dignitatis

Sed mentitur iſte cœcus obſtinatus. Nam licèt dicat verum, quòd omnes Reges *Geraræ* dicti ſunt *Abimelech*: tamen Civitas *Geth* non eſt eadem cum *Gerara*. Nam Civitas *Geth*, cujus *Achis* erat Rex, eſt ſita in parte Aquilonari juxta *Bethlehem*, & tribum *Benjamin*, & eſt prima de Civitatibus Philiſthinorum in parte Aquilonari: & *Gerara* eſt in finibus *Palæſtinæ* ad partem Auſtralem in finibus Ægypti juxta *Berſabee*, ut patet *Geneſ.* 26. Et ideo eſt melius quod dicatur: quòd *Achis* erat binominis, qui alio nomine dictus eſt *Abime-* C *lech*. Vel eſt dicendum, & melius: quòd *Abimelech* in lingua Palæſtina idem eſt, quod Rex terræ: nam *Abimelech* interpretatur, *Rex patris mei:* & ſic quem nos appellamus Regem, ipſi vocant *Abimelech*. Nota, quòd *Abimelech* idem eſt, quod Rex *paternalis*, ſive *Rex naturalis*. Ideo quilibet *Rex naturalis* cujuſcumque Regni ſic dicebatur *Abimelech* apud *Palæſtinos:* & ſic non ſolùm Rex *Geraræ* dicebatur *Abimelech*, ſed etiam Rex *Geth*, & Rex *Accaron*, & cæteri, quaſi regnum paternum jure paterno poſſidentes. Unde *Melech* Arabicè, Rex interpretatur Latinè. Secundùm ergo hunc intellectum dicunt Hebræi, quòd David fecit hunc Pſalmum; & exponunt ipſum litteraliter præcisè de David, prout agit gratias pro liberatione D ſua. Et ſecundum hoc tria facit David. Nam primò ipſe agit gratias. Secundò, inducit alios ad magnificandum Deum. Tertiò, ad timendum Deum per obſervantiam Legis. Secunda ibi: *Magnificate Dominum.* Tertia ibi: *Timete Dominum.* Dicit ergo David: *Benedicam Dominum* Deum Iſrael *in omni tempore*, ſcilicet, tàm in adverſitate, quàm in proſperitate: & *ſemper*, ſcili- E cet, die ac nocte, *laus ejus* erit *in ore meo:* agendo gratias, eò quòd liberavit me de manu ſervorum Regis *Achis*.

BETH.

2. *In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti, & lætentur.*

ANima *mea laudabitur in Domino*, id eſt, gloriabitur *in Domino*, & non in ſe: quia nolo laudes hominum, nec laudari de ſuperbia, ſed de humilitate, & manſuetudine: ideo dico, ut *manſueti audiant* humilitatem meam, *& lætentur.* Poſtea invitat omnes alios ad laudes Dei exemplo ſui, dicens:

F

GHIMEL.

3. *Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen ejus in idipſum.*

DALETH.

4. *Exquiſivi Dominum, & exaudivit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.*

OVos humiles & manſueti, *magnificate Dominum mecum*, & *in idipſum*, id eſt, inſimul, exaltemus eum ſimiliter. Et reddit cauſam: quia ſemper *in tribulationibus exquiſivi Dominum*, omni G alia ſpe relictâ, *& exaudivit me*, *& ex omnibus tribulationibus meis eripuit me*; ſicut de manu *Goliæ*, & de manu *Saul*, cùm traxit lanceam contra me, & cum miſit clientes, ut circuirent me in domo: & nunc eripuit me de Rege *Achis*: & ideo

VAU.

5. *Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur.*

ACcedite *ad eum*, & non quæratis alium liberatorem; *& illuminamini*, id eſt, illuminabimini: quia dabit vobis gratiam & modum evadendi; & ſic *facies veſtræ non confundentur:* quia nunquam H dicetis vos eſſe deluſos, nec repulſos, nec fruſtratos.

*** *** ***

He.

6. *Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum : & de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.*

Zain.

7. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum : & eripiet eos.*

Heth.

8. *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus : beatus vir, qui sperat in eo.*

3. q. 9. c. Testes.

Theth.

9. *Timete Dominum omnes sancti ejus : quoniam non est inopia timentibus eum.*

Jod.

10. *Divites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

ISTE *pauper*, quem videtis, scilicet, ego, *clamavit*, & *Dominus exaudivit eum*, & *de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum*, ut dictum est. Nam *Angelus* bonus *Domini immittet* virtutem suam *in circuitu* humilium *timentium eum*; & sic *eripiet eos*. Ergo relinquite humana auxilia; & *gustate & videte, quoniam Dominus suavis est*, & non crudelis: immò facilis ad dandam gratiam & petitionem. Ideo *beatus vir qui sperat in eo:* & sic non sitis crudeles & malivoli, sicut *Saul*, & sequaces ejus: sed *timete Dominum*, ò vos *omnes sancti* & justi *ejus*, *quoniam non est inopia* bonorum temporalium & spiritualium *timentibus eum*; immò copia & abundantia gratiæ. Nam nos videmus, quòd multi *divites* hujus mundi confidentes in bonis mundanis, facti sunt pauperes, & *eguerunt*, & *esurierunt* mendicando: quia bona transitoria sunt, & non potuerunt ea retinere : sed timentes *Dominum non minuentur omni bono:* immò abundabunt bonis spiritualibus, & etiam bona temporalia eis non deficient.

*** *** ***
*** *** ***

Caph.

11. *Venite filii audite me : timorem Domini docebo vos.* 1. Pet. 3. b.

Lamed.

12. *Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos?*

VENITE ergo *filii audite me*, & *docebo vos timorem Domini*, id est, Legem Divinam, quæ consistit in *timore Domini* : & si quis homo timet Dominum, & *cupit videre dies bonos* in hac vita, & etiam gloriam in alia, faciat quod sequitur.

Mem.

13. *Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum.*

Nun.

14. *Diverte à malo, & fac bonum : inquire pacem, & persequere eam.*

OVir juste, *Prohibe linguam tuam à malo &c.* Et sic exponunt Judæi moraliter hunc Psalmum faciliter : quia ut sic littera est satis plana, applicando ad ipsum David. Sed si sic præcisè litteraliter exponatur, videretur hunc Psalmum nullum continere Sacramentum : & Titulum esse, non à Spiritu sancto, sed inutiliter positum, quod est falsum. Nam David non fuit minus Propheta in hoc Psalmo, quàm in cæteris ; nec latent minora sacramenta in hoc Titulo & Psalmo, quàm in cæteris ; quia idem est spiritus. Et ideo est dicendum, quòd David per illam fugam, & descensum in *Geth*, & per illam mutationem, & simulationem, & derisum, prævidit in spiritu totum mysterium Incarnationis, & Passionis, & Sepulturæ, & Resurrectionis Christi, & persecutionem, & liberationem, & prosperitatem Ecclesiæ. Nam prævidit, qualiter Dei Filius erat in mundum descensurus, & debebat mutare faciem, & os suum, *accipiendo formam servi inventus ut homo*, & pati multas persecutiones : & quomodo *Herodes* Rex *Galileæ* debebat ipsum fatuum reputare, & contemnere, & à se fugare, & ad *Pilatum* remittere : & quomodo ab omnibus debebat tanquam insanus, & arreptitius, & dæmoniacus reputari : & quomodo erat deludendus, & irridendus à principibus Sacerdotum, & Ministris, & crucifigendus, & à morte per Resurrectionem liberandus : & etiam novit, quòd omnes persecutiones easdem erat passurus in membris, & in sua Ecclesia.

Ex

David figura Christi.

Ex omnibus his patet, quòd David fuit magis figura Christi, quam aliquis alius; & magis fuit figura in sua humilitate, & mansuetudine, & patientiâ in adversis, quam in alia virtute ac perfectione. Et ideo hoc prævidens David, fecit hunc Psalmum in persona Christi, & Ecclesiæ: in quo introducit Christum, non solum in persona Capitis, sed etiam in persona membrorum, & Ecclesiæ. Nam quicquid passus est Christus in Capite, passa est Ecclesia postea à Tyrannis; immò ut verius dicatur, passus est Christus in membris: & sic Christus loquitur pro membris: & sic tria facit. Nam primò laudat Deum Patrem, agendo gratias de sua liberatione & Resurrectione. Secundò, invitat omnia membra sua, & congregationem justorum ad laudem Dei, ut agant gratias simul cum eo. Tertiò, prædicit præmium justorum, & punitionem malorum. Secunda ibi: *Magnificate Dominum.* Tertia ibi: *Oculi Domini super &c.* A B

Quantum ad primum, dicit Christus: Ego *benedicam Dominum* Deum Patrem *in omni tempore*, agendo gratias pro beneficiis receptis; & *laus ejus* erit *semper* & continuè *in ore meo.* Et nota, quòd differentia est inter *benedicere*, & *laudare:* nam *benedicere* est, agere gratias pro beneficiis receptis: sed *laudare* est, virtutes, & bonitatem alicujus commemorare. Item est advertendum, quòd licet quælibet creatura teneatur Deum jugiter & sine intermissione laudare, & benedicere, eò quòd totaliter à Deo pendet secundùm esse & essentiam: ideo tenetur Deum amare ex toto corde, & ex tota mente, & ex omnibus viribus, sine aliqua intermissione temporis & operis. Nam sicut Deus non cessat influere suam virtutem in creaturam in essendo, & conservando: ita homo non debet cessare ferri tota mente & animâ, & contemplari illud summum bonum, à quo habet omne bonum, ut Deo satisfaciat, & reddat vices. Hoc autem non potest implere viator in hac vita, propter pondus corporis, & miserias mundanas, & impedimenta intrinseca & exteriora: sed hoc implent Beati comprehensores in patria: de quibus ait Christus, *Matth. 7. Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Item *Psalmo 73. Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.* Sed quia Christus non solum erat viator, sed etiam comprehensor, cujus anima, tàm dormiendo, quàm vigilando semper contemplabatur faciem Patris: ideo solus Christus potuit dicere, *Benedicam Dominum in omni tempore* hujus vitæ: &, *Semper laus ejus in ore meo.* C D

Differtia inter benedicere & laudare.

Sed quod Christus implevit in Capite, facit tota Ecclesia simul in membris: nam non est aliqua hora, nec particula temporis, nec aliquod instans, in quo non laudetur Deus in aliqua parte mundi. Nam cùm in nostro hemisphærio est nox, in alio est dies sub horizonte nostro: & sic quando in una parte mundi dicitur officium diurnum, in alia dicitur officium nocturnum: nec est aliqua hora diei, quin dicatur aut Prima, aut Tertia, aut Sexta, aut Nona, aut Vesperæ, aut Completorium, aut Officium Nocturnum, aut Laudes Matutinæ, aut Orationes devotorum Christianorum. Et sic quod unus solus homo non potest implere, nec satisfacere, facit tota Ecclesia in communi. Ex quo patet, quòd primus versiculus hujus Psalmi non potest verificari de ipso David, sed de Christo in se, & in sua Ecclesia: & ideo dicit Christus: Ego simul cum Ecclesia & membris meis *benedicam Dominum*, celebrando divina officia, agendo gratias in omni tempore hujus vitæ; quia in alia vita non est tempus, sed æternitas: & *laus ejus erit semper in ore meo*, in alia vita, scilicet in patria, ubi beati in sæcula sæculorum sine intermissione laudant Deum. Et subdit Christus: Sicut ego jugiter laudabo Patrem, ita anima mea *laudabitur* ab omnibus membris meis *in Domino* Patre: quia in omnibus orationibus quæ diriguntur ad Patrem, concluditur, *Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.* Ideo Christus, etiam ut homo, semper laudatur in Patre. Item unica adoratione adoratur cum Verbo per unionem hypostaticam. Et sequitur: *Audiant mansueti, & lætentur:* quasi dicat Christus; ut homo ego adeptus sum hanc dignitatem, propter humilitatem, & mansuetudinem: quia humiliavi meipsum, *factus obediens usque ad mortem crucis*: ideo Pater exaltavit me, & *dedit mihi nomen super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur*: & sic sum in gloria Patris, id est, simul habeo gloriam cum Patre, sedendo à dextris ejus: & sic in Patre semper *laudabitur anima mea* ab omnibus fidelibus. Ergo *audiant* hoc *mansueti, & lætentur*, se esse humiles & mansuetos: quia propter humilitatem hanc gloriam adeptus sum pro me, & membris meis. E F G

Magnificate Dominum mecum. In hac secunda parte quatuor facit Christus. Nam primò excitat & exhortatur omnia membra sua ad magnificandum Deum. Secundò, ad ponendam spem in eo. Tertiò, ad timendum eum. Quartò, ad servandum Legem & voluntatem Dei. Secunda ibi: *Accedite ad eum.* Tertia ibi: *Timete Dominum.* Quarta ibi: *Venite Filii.* Quoad primum, quando dicit, *Audiant mansueti, & lætentur*, dicit: O *mansueti*, supple, *audite me* benedicentem & laudantem Deum Patrem: *& magnificate Dominum* simul *mecum*: quia vos estis membra mea; & ideo cum Capite debetis simul magnificare Deum: quia non est divi- H

Nota.

ſio inter caput & membra : omnes enim magnificamus Patrem : nam ego non ſolum per me, ſed etiam per vos continuè magnifico eum in Eccleſia : & ſic *in idipſum*, id eſt, ſimul vos & ego *exaltemus* eum. Nota quod iſte terminus circumlocutorius: *in idipſum*, idem ſignificat, quod *ſimul*, vel *ſimiliter*, vel *pariter*, ut ait *Apoſtolus* : *Cupio vos idipſum ſapere*, id eſt, ſimul & mecum : & ideo ubicunque in hac Translatione ponitur *in idipſum*, *Hieronymus* poſuit *ſimul*, id eſt, pariter, ut *Pſalmo* 4. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam* : *Hieronymus* poſuit, *In pace ſimul dormiam & requieſcam.* Hîc autem poſuit, *Dominum mecum*, & *exaltemus nomen ejus pariter*, id eſt, ſimul magnificemus, & exaltemus, & eodem modo.

Et reddit cauſam quare debemus *magnificare* ſimul & *exaltare* : quia, inquit, *exquiſivi* & exoravi *Dominum* Patrem in menſa, & in horto, & in cruce : *& exaudivit me*, largiendo quod petebam pro me, & membris meis : *& eripuit me ex omnibus tribulationibus* per Reſurrectionem: quia jam amplius non moriar, & mors mihi ultra non dominabitur. Ergo ſi ita eſt, quod ego fui exauditus pro me, & pro vobis ; quia *ego oravi pro te Petre*, & pro tota Eccleſia, *ne deficiat fides tua* : Ergo ô vos Martyres nolite timere, nec deficere, ſed cum firma ſpe *accedite ad eum*, ſcilicet, Patrem : *& illuminamini*, & corroboramini luce, & fortitudine, & virtute Spiritus ſancti contra Tyrannos, & Infideles, & tortores ; *& facies veſtræ non confundentur* ; immò vincetis eos : quia licet *occidant corpus ; animam tamen non poterunt occidere* : quia *cum ſteteritis ante reges & præſides, non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis* : ideo ipſi Tyranni manebunt confuſi, & vos victores : & ideo vos membra mea, nolite timere in perſecutionibus Tyrannorum : quia Pater non deficiet vobis, ſicut mihi non defecit. Nam *iſte pauper*, quem videtis, *clamavit*, & oravit in menſa, & in horto, & in cruce, & ſemper *Dominus exaudivit eum, & ex omnibus tribulationibus ſalvavit eum.* Ergo ſicut ſalvavit caput & reſuſcitavit : ita ſalvabit membra : nam ſicut in horto apparuit mihi Angelus Domini confortans me : quæ quidem confortatio potius fuit pro membris : ita pariter in perſecutionibus veſtris *Angelus immittet* virtutem & influxum ſuum *in circuitu* Martyrum, & Fidelium, & *timentium eum* : quia circumdabit eos ſua virtute & protectione, & ſic *eripiet eos* de manu Tyrannorum, ne perdant fidem & fortitudinem : immò audacter morientur pro fide & veritate, & in fine eripiet totam Eccleſiam temporaliter de manu Tyrannorum per converſionem *Conſtantini*: in tantum quòd relictis idolis, omnes Gentiles convertentur ad fidem, & ſic fideles manebunt omnino victores. Littera *Hieronymi* habet : *Caſtrametatur Angelus in circuitu timentium eum* : & ſic littera eſt magis plana : quaſi dicat, quòd *Angelus Michael*, qui eſt cuſtos Eccleſiæ, ponet caſtra & exercitus Angelorum in circuitu fidelium, ad cuſtodiendum eos de manu Tyrannorum, ſicut frequenter viſum fuit, quòd Angeli apparebant in circuitu Martyrum confortantes eos, ſicut legitur in hiſtoriis *Beati Laurentii*, & *Beati Sebaſtiani* : & etiam in hiſtoria *Beatæ Catharinæ* legitur, quòd Angeli de Cœlo deſcenderunt, & fregerunt rotas &c. ſicut Angelus Domini deſcendit cum *Azaria*, & extinxit flammam ignis, *Danielis* 3.

Et ſubdit : *Guſtate, & videte* guſtu, & viſu fidei, *quoniam Dominus ſuavis* & propitius *eſt* omnibus invocantibus eum: quia eis non deficiet in perſecutionibus. Ideo *beatus vir qui ſperat in eo.* Totum etiam hoc poteſt referri ad Legem Euangelicam, ut dicat Chriſtus : *Guſtate* operando, *& videte*, contemplando Legem Euangelicam, quam fero, & prædico vobis ex parte Patris mei : *quoniam ſuavis eſt Dominus* in Lege Euangelica, & non ſeverus, ſicut fuit in Lege veteri. Nam Lex Euangelica non fert onera importabilia, nec multiplicationem cærimonialium præceptorum, ſicut Lex Moyſi : quia *jugum meum ſuave, & onus meum leve* : & præmium promiſſum in Lege Euangelica, eſt maximum & ſufficiens : quia promittit felicitatem & beatitudinem æternam : ideo *beatus vir qui ſperat in eo.* Ideo vos *omnes ſancti timete Dominum* timore filiali : qui quidem timor inſurgit ex ſumma charitate, & ſic ſuſtinebitis perſecutiones pro eo : ut acquiratis præmium & beatitudinem promiſſam: quod eſt bonum per ſe ſufficiens, & ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus: & ſic *non eſt*, nec erit *inopia* nec defectus boni, Chriſtianis & fidelibus diligentibus & *timentibus Deum.* Nam beatus, qui bonum vult, habet quicquid vult, & nihil mali vult. Item quia illud gaudium & bonum beatorum nemo tollet ab eis, nec eſt amiſſibile, nec hauribile, ſicut bonum mundanum. Nam multi *divites*, & Principes hujus mundi, amiſſis bonis temporalibus, *eguerunt & eſurierunt*, ſicut filii *Priami* Regis *Trojæ* : & ſicut filii, & nepotes, & familia Regis *Saulis* : & ſicut *Darius*, & *Porus* capti ab *Alexandro* : & ſicut filii *Dionyſii Tyranni*, qui poſt mortem patris, oſtiatim mendicabant : ſed non ſic erit de fidelibus ſperantibus in Deum. Nam licèt ſint pauperes in hac vita, & non habeant copiam bonorum temporalium: tamen *non minuentur omni bono* in alia vita : immò abundabunt ſpiritualibus inamiſſibilibus : quia beatitudinem nemo tollet ab eis. Duo ergo habebunt Beati obſervatores Legis Euange-

gelicæ. Primò, quia satiabuntur bonis cœlestibus. Secundò, quia erunt securi de sua beatitudine: quod in hac vita nullus unquam potuit adipisci. A

Observantium Legem merces.

Venite filii. Quia superiùs dixit: *Accedite ad eum, & illuminamini:* &, *gustate, & videte, & timete Dominum omnes sancti &c.* posset aliquis quærere, & dicere: Quomodo gustabo, & in quibus consistit iste timor Domini? Et quid agendo potero assequi illud summum bonum indeficiens? Et in quo consistit ista Lex Euangelica, in cujus observatione tantum bonum acquiritur? Ad hoc respondet & satisfacit Christus, dicens: *O filii* regenerati per Baptismum, *venite* ad fidem, & *audite me* cum affectu, & *docebo vos timorem Domini* Patris mei, scilicet, docebo vos, non legem timoris servilis, sed filialis: nam *initium sapientiæ timor Domini*: & *docebo vos*, in quibus consistit timor Domini castus & filialis. Et quid debet agere *homo*, qui timet Dominum, & cupit *videre dies bonos* in B illa gloria æterna. Unde si *quis est homo qui* timet Dominum, & *diligit*, & cupit *videre dies bonos* in Patria cœlesti, & non malos in inferno, faciat quod sequitur: & tu Christiane, fac quod sequitur, scilicet, *prohibe linguam tuam à malo*, non blasphemando, nec in prosperis, nec in adversis, nec murmurando de aliquo; *& labia tua non loquantur dolum*, nec fraudem contra proximum: sed sis verax in verbis, & promissis servandis: *diverte à malo*, id est, vita, & fuge omne malum, servando præcepta negativa: *& fac bonum*, servando præcepta affirmativa: & *inquire pacem* cum proximo, & *persequere*, & conserva *eam*. C

Lex Dei dicit suavissima.

Nota, quòd Lex Christi dicitur levis & suavis respectu Legis Moysi: nam illa præcipiebat onera importabilia, & multitudinem præceptorum, scilicet, sexcenta & tredecim præcepta inter Cærimonialia, & Judicialia, & Moralia; eò quòd ille populus erat duræ cervicis, & inclinatus ad rebellionem: & tota illa Lex erat figura Christi futuri. Et ideo Christus, sublatis omnibus cærimoniis & judiciis, reduxit totam Legem ad duo præcepta, scilicet, ad dilectionem Dei, & Proximi, *Matth.*22. Et declaravit præceptum de dilectione proximi, *Matth.*7. cùm dixit: *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim Lex & Prophetæ:* D quia in isto *affirmativo* intelligitur *negativum:* id est, quod non vultis, ut faciant vobis homines, non faciatis illis, id est, *quod tibi non vis, alteri ne facias.* Et totum hoc nihil aliud est, nisi declinare à malo, & facere bonum. Sed quia homo non solùm justificatur ex operibus, sed etiam corde, & lingua: & ex malis cogitationibus, & locutionibus judicabitur: ideo Christus non solùm prohibet manus, sed etiam cor, *Matth.*5. *Qui iratscitur fratri suo, reus erit judicio &c.* Item *Matth.* 12. *Ex ore tuo judicaberis*: quia *ex abun-* E *dantia cordis os loquitur.* Et ideo David hîc propheticè in persona Christi prohibet cor, & linguam à malo, cùm dicit: *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Item, prohibet omne opus malum fieri, cùm dicit: *Declina à malo:* & mandat omne bonum fieri per mandata affirmativa, cùm dicit: *Et fac bonum:* & mandat charitatem Dei & proximi, cùm subdit: *Inquire pacem*, cum Deo, & proximo, supple, *& persequere eam:* nam *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, & sic manet & quiescit in pace Dei, & proximi. Unde *declinare à malo*, est bonam vitam inchoare: & *facere bonum*, est bonam vitam perficere, & in ea proficere. Per primum evadimus pœnam: per secundum consequimur præmium: quia *nemo potest inchoare bonam* F *vitam, nisi desinat malefacere, & pœniteat vitæ præteritæ*, ut inquit *Augustinus.* Et in iis consistit tota Lex Euangelica, & tota justificatio hominis ad vitam æternam consequendam: de qua justitia dictum est *Psal.*13.

SAMECH.

15. *Oculi Domini super justos: & aures ejus in preces eorum.* *Infra 394*

HIC ponit præmium justorum Legem Christi observantium, & punitio- G nem transgressorum. Unde dicit: Si quæris, quem fructum consequentur justi ex observantia Legis Euangelicæ? dico tibi, quòd duos fructus: primum, quia *oculi Domini super justos*: quoniam erunt grati & accepti ad vitam æternam: secundum, quia *aures ejus*, scilicet, aures Dei, erunt propitiæ & suaves *in preces eorum:* quippè orationes & petitiones eorum erunt auditæ, & acceptæ apud Deum. Sed oppositum est de transgressoribus Legis. Ideo sequitur:

PHE.

16. *Vultus autem Domini super fa-* H *cientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum.* *Heb.4. d.*

VULTUS *Domini* iratus ad vindictam erit *super facientes mala, ut perdat memoriam eorum de* hac *terra* per mortem corporalem, & de terra viventium per mortem spiritualem: quia delebuntur de libro & numero viventium, & cum justis

non scribentur ; nec memorabuntur, nec habitabunt cum eis. Sed quod *oculi Domini super justos, & aures ejus in præces eorum*, probatur, cùm subditur:

A

AIN.

17. *Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos : & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

De Pœ. d. 4. Hæretici.

JUSTI *clamaverunt, & Dominus exaudivit eos*, ut patet de omnibus Martyribus : & *de omnibus tribulationibus liberavit eos :* nam Martyres per mortem B liberati sunt, & absoluti à vinculis corporis, & à miseriis hujus mundi, & consecuti sunt felicitatem æternam : & etiam multi liberati sunt à pœnis corporalibus, ut patet de Beato *Vincentio*. Item tota Ecclesia post longas persecutiones liberata & prosperata est etiam temporaliter post conversionem *Constantini*, qui redditâ pace Ecclesiæ, eam bonis temporalibus ditavit. Quia

SADE.

18. *Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde : & humiles spiritu salvabit.*

C

COPH.

19. *Multæ tribulationes justorum : & de omnibus his liberabit eos Dominus.*

JUXTA *est Dominus his, qui tribulato sunt corde* propter veritatem & justitiam : & ideo *salvabit* omnes mites & *humiles spiritu*. Nam licèt sint *multæ tribulationes justorum*, & Deus permittat, eos pati persecutiones in hac vita : tamen *Dominus liberabit eos de omnibus his* malis ; & liberabit eos per gloriam & resurrectionem futuram.

RES.

D 20. *Custodit Dominus omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur.*

DOminus *custodit*, id est, integrè resuscitabit in finali judicio *omnia ossa eorum* : in tantùm quòd *unum ex his* ossibus *non conteretur*, nec deficiet, nec minuetur, nec capillus de capite peribit : quoniam integrè cum tota sua perfectione immortales ad gloriam resurgent, liberati, & absoluti ab omni tribulatione & miseria : quia *tunc absterget Deus omnem lacrymam*, & *jam non erit amplius dolor, nec* E *clamor, nec luctus : quoniam priora* mala *transierunt*, *Apocal.* 21.

SIN.

21. *Mors peccatorum pessima : & qui oderunt justum delinquent.*

MORS *peccatorum* erit *pessima* : quia non resurgent in resurrectionem vitæ, sed in resurrectionem judicii, ad perpetuas pœnas perferendas. Et manifestè patet, quòd Tyranni & obstinati, *qui oderunt*, & persecuti sunt quemlibet Martyrem, & *justum* simplicem, *delinquent*, id est, errabunt : & reperientur, malam partem elegisse, & peccasse contrà Legem, F quæ præcipit declinare à malo, & facere bonum, & inquirere pacem & charitatem erga proximum, & servare eam : quia in fine

THAU.

22. *Redimet Dominus animas servorum suorum, & non delinquent omnes qui sperant in eo.*

De Conse. d. 2. cap. Iteratur.

DOminus *redimet*, & liberabit ab his malis *animas servorum suorum*. Ex quibus patet, quòd *qui sperant* & confidunt *in eo*, & ponunt totam suam spem in G eo, perferentes persecutiones & tormenta, *non delinquent*, id est, non errabunt, nec confundentur, nec frustrabuntur desiderio suo : sed delinquent, & errabunt, & fraudabuntur omnes Tyranni, & superbi ponentes spem suam in hoc mundo.

Totus etiam iste Psalmus potest esse vox ipsius David invitantis omnes Fideles veteris Testamenti ad suscipiendam Legem Christi : & omnes Martyres, & justos novi Testamenti, ut cum humilitate & patientia tolerent persecutionem & tormenta propter Christum : quoniam magnam felicitatem,

tem, & præmium consequentur in illa vita. Et sic etiam potest moraliter exponi totus Psalmus: quomodo ipse David exemplo sui exhortatur omnes Fideles utriusque Testamenti ad patientiam & humilitatem in tolerandis persecutionibus à quocumque injusto: & ne desperent de misericordia Dei: quia hîc, vel in futuro liberabuntur: & injusti hîc, aut in futuro punientur. Sed si volumus attendere figuram & sacramentum contentum in Titulo hujus Psalmi, melius est quòd dicatur, quòd est vox *Christi hominis* agentis gratias Patri, & invitantis omnia membra sua, ad perferendas persecutiones & tormenta Tyrannorum propter eum: & exhortantis eos, ut cum humilitate & patientia perferant persecutiones, & orent etiam pro persecutoribus. Ideo iste Psalmus, & præcedens, legitur in festivitatibus Martyrum. Et ideo dicit *Augustinus* in *sermone plurimorum Martyrum*, quòd in quantum possumus, *debemus Martyres, & ipsum Christum imitari*, scilicèt, quòd simus mites & humiles corde in persecutionibus: & debemus pro persecutoribus exorare. Et tota supradicta Expositio est conformis ipsi Titulo Psalmi, in quo continetur figura Passionis Christi, & Martyrum.

Psalmus XXXIV.

1. *Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.*

23. q. 3. Sex differentiæ.

Titulus: *In finem, ipsi David.* Ex Titulo habetur, quòd Rex David fecit hunc Psalmum, & dirigit nos in finem Legis, qui est Christus, & attribuit ipsum ipsi David *Messiæ*. Et ideo apud Hebræos Titulus est, *Ipsi David*, tantùm sine alio addito. Et ideo dicunt Hebræi: quòd cum David laboraret in vehementi persecutione, rogavit Dominum, ut Deus mitigaret iram *Saulis*: & fuit sibi revelatum, qualiter *Saul* cum suis debebat interire in montibus *Gelboe*: & sic erat peritura tota domus *Saulis*, & domus David erat exaltanda: quod prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum. Et sic exponunt hunc Psalmum ad litteram de David, prout petit propheticè liberationem sui, & prædicit ruinam *Saulis*, & suorum. Sed *Augustinus*, & *Cassiodorus*, & *Origenes* exponunt hunc Psalmum de persecutione & Passione Christi, & excidio Regni Judæorum: quam prævidit David in spiritu per persecutiones suas. Ideo dicit *Cassiodorus*, quòd iste est secundus Psalmus eorum, qui manifestiùs explicant mysterium Passionis Christi. Et ideo sequendo sententiam Sacrorum Doctorum, iste Psalmus exponendus est de persecutione, & Passione Christi.

Est tamen advertendum, quòd iste Psalmus non potest sufficienter & distinctè dividi, eò quòd narrando afflictiones, interponit petitiones, & gratiarum actiones: sed generaliter possumus dicere, quòd David tripliciter fuit afflictus. Primò per insidias. Secundò per falsa testimonia sibi imposita. Tertiò per irrisiones: quia gaudebant æmuli sui in adversitatibus ejus. Ita pariter Judæi tripliciter persecuti sunt Christum. Primò per insidias: ut quando quærebant, an liceret dari censum Cæsari? & quando interrogabant eum de magno mandato. Secundò per falsos testes imponentes, quòd dixerat: *Possum destruere Templum Dei.* Tertiò per injurias, & irrisiones. Et ideo David prævidens in spiritu prædictas tres oppressiones Christi futuras, fecit hunc Psalmum: in quo introducit Christum loquentem, & conquerentem apud Patrem de Judæis affligentibus eum. In quo tria facit. Nam primò, conqueritur de insidiis sibi paratis, petendo liberari. Secundò, de falsis testimoniis sibi impositis. Tertiò, de conjurationibus contra eum factis, & injuriis, & opprobriis illatis. Et in qualibet particula petit liberari, & agit gratias, & querit ultionem. Secunda ibi: *Surgentes testes iniqui.* Tertia ibi: *Et adversum me locuti sunt.*

David tripliciter fuit afflictus.

Quoad primum dicit Christus: O *Domine* Pater *judica* Judæos *nocentes*, id est, lædentes *me: judica*, dico, judicio examinationis & condemnationis, & *expugna impugnantes*, id est, volentes impugnare *me*, tàm in membris, quàm in capite. Et nota, quòd *noceo*, *noces* quandoque apud antiquos reperitur ordinari cum accusativo: & ratio est; nam nocere uno modo est contrarium ad *proficere*, sive *prodesse*: & tunc est acquisitivum, & sic exigit dativum: quia idem est, quod *obesse*. Alio modo idem est, quod *lædere*; & sic ordinatur cum accusativo casu; & sic ponitur in primo versu. Et ideo dicit: *Judica Domine nocentes*, id est, lædentes, & persequentes *me*: & sequitur: *Expugna impugnantes me. Expugna*, dico, Civitates eorum devastando, & dissipando eos, & dispergendo per *Titum*, & Romanos. Et ideo sequitur:



2. *Appre-*

23. q. 6. Si res, & c. Hi qui.

2. *Apprehende arma & scutum : & exurge in adjutorium mihi.* A

3. *Effunde frameam , & conclude adversus eos qui persequuntur me: dic animæ meæ : Salus tua ego sum.*

APprehende *arma & scutum* contra eos, Romanos concitando : *& exurge in adjutorium mihi : & effunde frameam* & gladium tuæ potentiæ & sententiæ adversus Judæos, & Tyrannos, *qui persequuntur me* in capite & membris : & *dic animæ meæ : Salus tua ego sum*, id est, ostende te salutem vitæ meæ : quia si præcipis, id est, dicis, factum erit, & liberabis me ab eis , me resuscitando , & eos puniendo. Ergo B

Infr. cap. 34. & 69 2.

4. *Confundantur & revereantur, quærentes animam meam.*

5. *Avertantur retrorsum , & confundantur cogitantes mihi mala.*

JUDÆI *quærentes animam meam* , & vitam meam delere & tollere ab hoc mundo , *confundantur* , *& revereantur* , & verecundentur, & timeant, cùm viderint me resuscitatum : & *avertantur* ab honoribus *retrorsum* , perdentes dignitatem , & regnum , & sacerdotium : & *confundantur* Scribæ , & Pharisæi , & Principes *cogitantes mihi mala*, & machinantes, & conspirantes in necem meam : quoniam frustrati sunt à desiderio suo , postquam resurrexi. C

23. q. 5. §. ult.

6. *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti : & Angelus Domini coarctans eos.*

FIant *tanquam pulvis ante faciem venti* , dispersi per universum mundum, *& Angelus Domini* sit *persequens eos.* Quoniam , ut ait *Josephus*, *de Bello Judaico*, Angeli visi sunt recedere à Templo: & gladius igneus visus est supra Hierusalem per aliquot dies ante excidium. Et sic patet, quòd Angeli jam comminabantur stragem futuram. D

* * *
* *

E 7. *Fiat via illorum tenebræ & lubricum : & Angelus Domini persequens eos.*

23. q. 4. Nabuchodonosor, § Item Angelus.

FIAT *via illorum lubricum*, id est, scandalum , & lapsus ad cadendum : *& Angelus Domini* sit *persequens eos.* Nota, quòd *via* hominis est cogitatio & operatio : & sic est dicendum , quòd omnes cogitationes , & actus , & operationes Judæorum post Passionem Christi , fuerunt eis *lubricum* & scandalum. Nam ut ait *Josephus* , propter injurias , & ignominiam, quæ Judæi patiebantur à Præsidibus Romanorum : multotiens statuerunt rebellare , & fi- F naliter rebellarunt , & lapsi sunt in conjurationes & manipolia : quæ omnia fuerunt *via* ad destructionem eorum : & sic *viæ*, & consilia eorum *fuerunt lubricum*, sive scandalum , ad labendum & cadendum: & etiam *viæ illorum* fuerunt *lubricum*, id est , obscuritas ; quia fuerunt obcœcati per malitiam & peccatum , ut rebellarent contra Romanos : & sic ceciderunt , & *Angelus Domini* bonus fuit *persequens eos*, non dando adjutorium : & *Angelus* malus , malè consulendo , & ad rebellionem impellendo & instigando. Item *via illorum*, scilicet, Lex Moysi fuit eis *lubricum*, & lapsus, & petra scandali , in qua ceciderunt falsò interpretando , & malè intelligendo : & fuit eis *lubricum* , & obscuritas : quia Deus abstulit eis spiritum intelligentiæ ; quia ob- G cœcavit eos malitia eorum , ne intelligerent sacramenta Dei : & sic lubricantur, & labuntur, & scandalizantur in Lege, & *via Domini*, & obcœcantur.

3. q. 1. c. Nulli. 49. dist. Hincenim

8. *Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui : supervacuè exprobraverunt animam meam.*

HIC reddit causam , quare Judæi patientur supradictas confusiones , & incurrent cœcitatem , scandalum , & ruinam , tàm temporalem , quàm spiritualem, H & corporis , & mentis ; & subdit : *Quoniam gratis* , & sine causa *absconderunt*, & incluserunt me in interitu *laquei sui:* quia sine culpa paraverunt mihi laqueum mortis per insidias , & tentationes iniquas, & falsa testimonia ; & *supervacuè* & sine causa *exprobraverunt* , & vituperaverunt *animam* & vitam *meam.* Et etiam in vanum *exprobraverunt* : quoniam resurrexi, & manserunt confusi : ideo , sicut iniquo modo paraverunt mihi laqueum mortis; ita

9. Ve-

19. d. ca. Anastas.

9. *Veniat illi laqueus, quem ignorat: & captio, quam abscondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipsum.*

A

VEniat *illi* populo *laqueus* captionis, & excidii per Romanos; *quem laqueum ignorant*: nam ignorantibus ipsis, *Titus* duxit unam legionem militum ex Ægypto: & venerunt ex parte orientali per terram Moabitarum, & transierunt *Jordanem* propè *Jericho*, quam transivit *Josue* cum filiis Israel, & obsedit inopinatè Civitatem *Hierusalem*: & sic fuit *laqueus*, *quem* ipsi *ignorabant*: nam sicut per illam partem fuit transitus ad capiendam terram promissionis tempore *Josue*, ad expellendos & destruendos *Chananæos*, *Amorrhæos*, & *Jebusæos*: ita per eamdem partem fuit ingressus ad capiendam & destruendam *Hierusalem*. Item sequitur: *Et captio quam abscondit, apprehendat eum.* Ad cujus intellectum est notandum, quòd Judæi ex invidia & timore Christum tradiderunt: timebant enim perdere, primò sacerdotium, & oblationes: secundò, perdere locum & gentem: & ideo pararunt Christo insidias, & occultè cum cautela in festo Paschæ ceperunt, & tradiderunt Christum. Sed eodem modo fuerunt capti sub eodem laqueo: & illud quod timebant, evenit eis, & *ceciderunt in laqueum*, quem vitare putabant. Nam in festo Paschæ, dum ex omnibus partibus erant in *Hierusalem* congregati, fuerunt obsessi, & Civitas capta, & dirupta, & incensa. Et sic perdiderunt locum, & sacerdotium, & dispersi sunt per mundum captivi. Ideo dicit: *Veniat illi* populo *laqueus*, & obsessio Romanorum, *quem ignorat*: *& captio quam abscondit*, id est, in abscondito paravit, id est, talis *captio*, qualem ipse Christo paravit, apprehendat eum, id est, *cadat in ipsum laqueum*, quem vitare cupiebat, id est, in laqueum mortis, & ruinæ, & dispersionis. Vel, *cadat in ipsum laqueum*, id est, in talem, qualem ipse præparavit mihi in die Paschæ. Nam *laqueum* mortis mihi paraverunt: & in *laqueum* obsidionis mortis ceciderunt.

B

C

Judæi ex invidia Christum tradiderunt.

*** *** ***
*** *** ***

D 10. *Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur super salutari suo.*

56. d. 6. Nasci.

HIC prædicit Christus gaudium suum, & Ecclesiæ, de resurrectione sua, & excidio Judæorum, dicens: *Anima mea*, id est, ego simul cum membris meis, & tota Ecclesia, *exultabit in Domino*, reddens gratias de beneficio redemptionis, & de vindicta Judæorum, & excidio eorum: *& delectabitur super salutari suo*, id est, de salvatione sua. Nam licèt Passio Christi fuerit amara; tamen effectus ejus fuit nobis salubris & delectabilis, & ejus resurrectio memorabilis: quia diem *Dominicam* cum delectatione & lætitia colimus in memoriam resurrectionis: sed Judæis fuit in magnam confusionem: ideo subdit:

E

11. *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?*

6. q. 1. c. Si omnia.

12. *Eripiens inopem de manu fortiorum ejus: egenum & pauperem à diripientibus eum.*

OMnia *ossa mea dicent*, id est, omnes Apostoli, qui sunt *ossa mea*, & fundamenta Ecclesiæ, in quibus apparuit robur & fortitudo, & omnes Martyres, & cæteri Fideles, attribuendo tibi potestatem liberandi genus humanum, & mihi attribuendo meritum Passionis, dicent, & prædicabunt per mundum: *Domine, quis similis tibi*? Quasi dicat: Nullus. Nam tu es *eripiens pauperem* hominem *de manu* dæmonum *fortiorum ejus*: & ponitur genitivus *ejus*, pro ablativo, ad modum Græcorum, qui carent ablativo, id est, *de manu fortiorum se*: & es *eripiens egenum & pauperem*, expoliatum & sauciatum *à* latronibus *diripientibus eum.* Nam tu eripuisti illum hominem, qui *descendens ab Hierusalem in Jericho, incidit in latrones*: quem expoliaverunt bonis gratuitis, & plagis affecerunt, & semivivum reliquerunt, *Luc.* 10. Justum ergo *egenum & pauperem* sauciatum, tu Christe sanasti sanguine tuo, & super humerum tuum portasti, & stabulario Ecclesiæ commisisti, & à dæmonibus *fortioribus, & diripientibus*, & deprædantibus, & expoliantibus eum eripuisti; quod nullus alius potuit facere: Ergo *quis similis tibi*? Quasi dicat: Nullus. Eodem modo *eripuisti egenum & pauperem* populum Christianum de manu Tyrannorum *fortiorum, & à diripientibus eum.* Nam sicut primò liberasti illum populum de diabolo spi-

F

G

spiritualiter : ita postea liberasti eum de membris diaboli temporaliter, facta vindictâ de Judæis, & Tyrannis persequentibus Ecclesiam.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd sicut diabolus per se in principio expoliavit, & eripuit, & sauciavit *Adam* cum tota sua posteritate : qui quidem *Adam* dicitur ut sic *homo mysticus*, sive corpus mysticum, & Ecclesia : ita postea diabolus conatus est per membra sua, scilicet, per Infideles, & Tyrannos persequi istum hominem *egenum & pauperem*, & maximè in novo Testamento. Et ideo Christus non solùm loquitur & conqueritur hîc in persona sui de Judæis persequentibus & crucifigentibus eum: sed etiam conqueritur in persona istius hominis mystici, cujus naturam assumpsit. Et conqueritur primò de diabolo, qui hunc hominem sauciavit, & ex consequenti conqueritur de membris diaboli, scilicet, de Tyrannis, & Infidelibus, qui ipsum à juventute sæpè expugnaverunt, à quibus Christus istum hominem, tàm temporaliter, quàm spiritualiter liberavit, ut dictum est. Ad hunc ergo intellectum potest etiam tota supradicta pars prima exponi.

Nota de persecutione diaboli.

Dicit ergo homo sauciatus, scilicet Ecclesia : *O Domine* Deus, *judica* dœmones *nocentes*, & lædentes *me :* quia sauciaverunt me in corpore & anima vulnere peccati, & fomite ejusdem ; & *expugna* Tyrannos, & Infideles *impugnantes me* à juventute mea usque ad Judicium. Et ideo tu Deus *apprehende arma & scutum* humilitatis, *& exurge*, & veni in carne *in adjutorium mihi.* Nam anima Christi & caro dicuntur *arma* contra diabolum, ad offendendum & defendendum. Nam in anima erant dona Spiritus sancti, & omnes virtutes, scilicet humilitas, & charitas, quibus Christus vicit diabolum. Item, caro Christi fuit *scutum* ad defendendum, in quo Christus recepit ictus tormentorum, & afflictionum, & passionum pro nobis. Et sic Christus in sua Incarnatione *apprehendit arma & scutum in adjutorium nostrum* contra diabolum. Et sequitur : *Effunde frameam*, id est, extende gladium tuæ Passionis, & Ecclesiasticæ potestatis, & virtutis Sacramentorum, *adversus* dœmones, *qui persequuntur me.* Nam sicut gladius dividit, & radit, & interficit : ita tua Passio, & Ecclesiastica Sacramenta delent, & necant, & extinguunt peccatum, & interficiunt diabolum. Et ideo, *dic animæ meæ : Salus tua ego sum*, & præcipe diabolo, ut recedat : quia tuum præcipere, est facere. Item, *dic animæ meæ : Salus tua ego sum*, id est, da mihi salutem redemptionis, & sana me à peccato per tuam Passionem : & *confundantur & revereantur* dœmones *quærentes animam meam*, videntes me redemptum : & ipsi dœmones *cogitantes* & machinantes *mihi malas* tentationes, *confundantur & convertantur retrorsum*, cùm viderint me sanatum, & lotum à sorde peccati, & tuo caractere munitum, & *fiant*, id est, fugiant à me *sicut pulvis* fugit & pellitur *ante faciem venti : & Angelus Domini* bonus sit *coarctans*, & cogens *eos* fugere : & *viæ illorum* sint & *fiant tenebræ*, ne possint me videre ad nocendum, & *fiant lubricum*, ut victi cadant, ne possint prævalere contra me: *& Angelus Domini* sit *persequens eos*: nam Angeli boni prohibent dœmones, ne noceant, nec prævaleant contra justos & fideles. Et sic reddit causam, dicens: *Quoniam* dœmones *gratis*, id est, cum grandi desiderio, *absconderunt mihi laqueum* tentationis *in interitum* mortis in paradiso terrestri, cùm dixit serpens: *Nequaquam moriemini : sed* si comederitis, *eritis sicut Dii scientes bonum & malum* : & sic incidi in duplicem mortem, scilicet, corporis, & animæ. Et isto modo *exprobraverunt*, & tentaverunt *animam meam*, & defraudaverunt, & deceperunt eam *supervacuè*, & sine ratione. Fac ergo Domine, ut *laqueus* tuæ Passionis, *quem ignorat*, *veniat illi:* & sicut ipse cepit me *laqueo* tentationis, ita tu cape, & liga eum *laqueo* tuæ Passionis. Et sicut ille fructus vetitus fuit muscipula ad capiendum hominem : ita Sacramentum Incarnationis & Passionis tuæ sit muscipula ad capiendum diabolum. Quem *laqueum* & muscipulam Incarnationis, & Crucis *ignoravit* diabolus usque ad resurrectionem : nam tunc cognovit, se esse victum, & expoliatum per triumphum Crucis, quando Christus *fortis & potens in prælio* cum triumpho descendit ad inferos, & fregit portas æreas, & vectes ferreos, & expoliavit infernum. Et ideo sequitur: *Captio, quam abscondit, apprehendat eum:* quia sicut per fructum illius arboris decepit hominem : ita per fructum arboris Christi, deceptus est. Et sequitur : *Cadat in ipsum* laqueum. Quia sicut per lignum vicit : ita per lignum victus est. De quo beneficio redemptionis iste homo promittit se gratias acturum, cùm subdit: *Anima mea exultabit.* Exponatur, ut supradictum est. Sicut exposita est ista prima pars de diabolo : ita potest exponi de membris ejus persequentibus Ecclesiam : & sic etiam totum residuum potest exponi in persona totius corporis mystici. Sed primò & principaliter debet exponi in persona Christi, qui primò in capite passus est : sed ex consequenti potest exponi in persona Ecclesiæ : nam quod Christus primò passus est in capite, postea passus est in membris.

Nota.



4.q.3.Testes,& 36. q.6.c.1.

13. *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.* A

IN hac secunda parte prædicit secundum genus persecutionis,& afflictionis Christi, quod fuit per falsa testimonia. Dicit ergo Christus: *Surgentes testes iniqui* Judæi, *interrogabant me* de his *quæ ignorabam*, id est, quæ nunquam feci, nec commisi, quando me dixerunt blasphemum, & inimicum *Cæsaris*: & commovisse totam terram à *Galilæa* usque *Hierusalem*: & tamen omnia ista ignorabam: quia nunquam feci, nec alicujus horum conscius eram: quia quod non est, non contingit sciri. Et sic *retribuebant mihi mala pro bonis*: nam ego sanaveram filios suos, & B resuscitaveram mortuos eorum; & ipsi procurabant mortem meam, & *retribuebant mihi malum pro bono*, *& sterilitatem* pro fertilitate.

Judæi dicuntur steriles.

Et nota, quòd Christus usurpat hoc vocabulum translativè: nam sicut ager dicitur *sterilis*, cum in ipso seminatur bonum frumentum & triticum; & ipse pro frumento reddit carduos, & spinas, & lollium: ita Judæi dicuntur *steriles*: nam Christus seminavit in eis Legem Euangelicam, & virtutes, & bonam doctrinam, & ipsi reddiderunt mala opera, & vitia, & peccata. Item, ipse seminavit in eis multa beneficia C sanitatum, & dedit vitam filiis eorum, resuscitando; & ipsi retribuerunt sibi mortem pro vita, & *odium pro dilectione*: ex quo patet, quòd fuerunt steriles. Unde quæsivit bonos fructus ex bono semine, quod in eis seminaverat: & ipsi retribuerunt sibi fructus malos. In cujus figura maledixit *ficulneam*, in qua non reperit fructum. Tripliciter ergo Judæi fuerunt *steriles* Christo. Primò, quia non retribuerunt Christo fructus Legis & doctrinæ. Secundò, quia non retribuerunt præmium pro beneficiis collatis: immò fuerunt ingrati. Tertiò, quia tribuerunt, & procurarunt ipsi mortem, quæ dicitur *sterilitas*, & privatio vitæ: nam homo mortuus dicitur *sterilis*, quia non potest exercere fructus & opera vitæ. Ideo ait Christus:



D 14. *Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.* 3.q.9.c. Testes.

15. *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.*

16. *Humiliabam in jejunio animam meam: & oratio mea in sinu meo convertetur.* 23.q.4.Sicut est in gloria.

RETribuebant *mihi mala pro bonis*, & *sterilitatem*, id est, privationem *animæ*, id est, vitæ *meæ*. Et probo, quòd *retribuebant mihi mala pro bonis*: nam cùm E essem Deus ab æterno immortalis, & impassibilis in sinu Patris; propter eos *meipsum exinanivi*, *formam servi accipiens*, induens me *cilicio* humanitatis, in quo cilicio *dum* ipsi *molesti essent mihi*, *ego humiliabam animam meam in jejunio* & afflictione, & orabam pro eis. Quasi dicat: ego pro illis *induebar cilicio* humanitatis, & affligebar, & jejunabam & orabam pro eis: & ipsi erant *mihi molesti*, retribuendo mala pro bonis: quia vocabant me voracem, & potatorem vini, & blasphemum, & dæmoniacum, & inimicum *Cæsaris*: & tamen ego pro eis oravi in horto, & in cruF ce, cum dixi: *Pater ignosce illis*, *quia nesciunt quid faciunt*: & tamen quia voluerunt resistere gratiæ Dei, & sponte voluerunt obstinari, & non converti; ideo *oratio mea* fuit eis sterilis, & inutilis. Sed non fuit *oratio mea* simpliciter inanis & vacua: nam *in sinu meo convertetur*, id est, conversa est illa oratio in membris meis, quæ sunt *in sinu meo*, & in Ecclesia mea: quia illis profuit oratio, & Passio mea: licet obstinatis fuerit sterilis. Sed hoc non fuit ex defectu meo, sed ex defectu eorum. Nam

17. *Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam: quasi lugens & contristatus sic humiliabar.* 15.q.3.ei ult.

G

EGO *quasi proximum*, *& quasi fratrem* meum *sic complacebam*, id est, tolerabam & sustinebam eos, dum me affligerent, & persequerentur. Et ego *quasi lugens* eorum perditionem, *contristatus sic humiliabar*, non maledicendo, nec murmurando; sed patienter tolerando eorum convitia & opprobria. Et nota, quòd quando aliquod verbum neutrum acquisitivum usurpat significationem activi transitivi, similiter usurpat regimen, & mutat or-

dinem constructionis. Unde *noceo*, *noces* est verbum neutrum acquisitivum: & tamen quandoque ponitur pro lædere; & sic usurpat significationem verbi activi: ideo tunc ordinatur cum accusativo, ut dictum est supra: *Judica Domine nocentes me.* Pari modo *placeo*, *es*, in hoc loco ponitur pro *tolerare*, & patienter sustinere: ideo ordinatur cum accusativo. Nam quando quis alium tolerat, & patienter ejus morem gerit, dicitur *ipsum complacere*, id est, complacendo ipsum tolerare & sustinere: ideo ait hîc Christus: *Quasi proximum & fratrem nostrum sic complacebam*, id est, complacendo tolerabam, & patienter sustinebam. Vel subintelligitur hæc præpositio, *super: Complacebam quasi* super *proximum & fratrem.* In Hebræo autem habetur: *Sicut ad proximum & fratrem ambulabam*: ideo sequitur: *Et quasi lugens & contristatus sic humiliabar*, id est, humiliter & patienter tolerabam, sicut quis tolerat fratrem suum.

Item est advertendum secundùm *Augustinum*, quòd Christus in superiori versiculo etiam usurpat & trasfert illud vocabulum *cilicium.* Nam caro humana dicitur cilicium translativè. Quia sicut cilicium contextum ex pilis caprinis & setis bestiarum, est asperum, in tantum quòd pungit, & affligit carnem hominis pœnitentis: ita pariter caro nostra dicitur cilicium respectu animæ: in quantum stimulat eam, & spinis concupiscentiæ, & pœnalitatum pungit animam, in pœnam peccati originalis. Sed est advertendum, quòd in carne quam traximus ab *Adam*, sunt seminata duo genera spinarum. Primò sunt infictæ spinæ concupiscentiæ & libidinis: & ista dicitur corruptio naturæ, & lex membrorum, quæ per contactum infligit culpam originalem in anima, & per consensum culpam actualem, sive peccatum mortale. Secundò sunt infictæ & seminatæ spinæ pœnalitatum, sicut sunt dolor, labor, fames, sitis. Et hæc duo genera spinarum traximus ab *Adam* & genitoribus nostris per generationem naturalem, & libidinosam. Sed Christus, qui sponte assumpsit nostram carnem, non per generationem naturalem, sed opere Spiritus sancti, noluit assumere primum genus spinarum in *cilicio* carnis, sed assumpsit secundum, scilicet, spinas pœnalitatum. Ideo ait *Augustinus*, *primo de Baptismo parvulorum*: quòd *assumpsit pœnas peccati sine peccato.* In hoc loco etiam dicit *Augustinus*, quòd *similitudo & vestigium peccati, sed non peccatum erat in Domino.* Hoc ergo *cilicio* induit se Dominus, scilicet, carne sine peccato, sed cum spinis pœnalitatum hoc *cilicium* pungebat, & affligebat Christum pro nobis: quia talem carnem assumpsit, ut esset instrumentum ad patiendum & merendum pro nobis. Hoc ergo *cilicio* se induit Christus ad agendam pœnitentiam pro nobis.

18. *Et adversum me lætati sunt, & convenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoravi.* 4. q. 3. c. Testes, §. seq.

HIC conqueritur de conjurationibus, & insidiis factis contra eum: de quibus petit liberari, petendo ultionem. Unde nota, quòd in illa persecutione, & Passione Christi, fuit conjuratio, captio, falsa testimonia, flagellatio, irrisio, & crucifixio: ideo hæc omnia explicat hîc Christus. Unde ait: *Et* Judæi *lætati sunt* malignando *contra me: & convenerunt*, & congregati sunt contra me in atrio Principis Sacerdotum, inferendo, & procurando mihi *flagella: & ignoravi* falsa crimina, quæ mihi imponebant: quia nunquam talia commisi. Unde communi locutione, ea quæ non fecimus, dicimus communiter, ignorare. Sed postea visis miraculis factis in mea Passione,

19. *Dissipati sunt, nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis.* 2. q. 7. Testes, & ca. Nō potest.

Dissipati, id est, discordes, & confusi: *nec* tamen *compuncti* sunt, nec moti ad pœnitentiam præ iniquitate & cœcitate: immò adhuc *tentaverunt me*, & *subsannaverunt me*, nasum rugando *subsannatione* iniquitatis, dicendo: *Alios salvos fecit, & seipsum non potest salvum facere: si Filius Dei est, descendat de cruce, & credimus ei*: & ita ex iniquitate *frenduerunt super me dentibus suis*, mihi convitia iniqua inferendo: deinde cùm dicit:

20. *Domine quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus unicam meam.* 22. q. 5. Si quis.

PETIT liberari: unde ait: O *Domine* Pater *quando respicies*, in me? supple: ergo postquam injustè patior, *restitue animam meam* corpori, me suscitando, & liberando eam *à malignitate* & nequitia *eorum*: & libera *unicam* animam *meam à leonibus* Judæis superbis: quia *unica* est sine peccato, & sic injustè patitur; & per consequens justè me debes, & potes liberare. Deinde cùm subdit:

21. *Con-*

11. q. 3. *Injustum.*

21. *Confitebor tibi in ecclesia magna : in populo gravi laudabo te.*

PROMITTIT agere gratias pro tali liberatione : ideo ait : Si tu resuscitaveris me, ego *confitebor tibi in ecclesia magna* toto orbe diffusâ, festum Resurrectionis, & diem *Dominicam* celebrando, in memoriam ejus : & celebrando cæteras festivitates pro beneficiis receptis : & *laudabo te in populo gravi* & potenti : quasi dicat, quòd postquam Judæa & Synagoga noluit me recipere : ideo, ipsâ reprobatâ, convertam me ad populum Gentilem, qui est populus magnus, & validus, & potens, & in illo populo dilatabo Ecclesiam meam à solis ortu usque ad occasum : in qua *ecclesia magna*, & *populo gravi*, & potenti *laudabo te :* quia in eo celebrabuntur divina officia, & festivitates.

1. q. 3. *Pauper.*

22. *Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi iniquè : qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.*

HIC petit ultionem de Judæis. Ad cujus intellectum est notandum, quòd duplici pœna affliguntur, & uruntur, & friguntur Judæi, & frigebantur pro tunc. Primò pœnâ interiori, quia non potuerunt adimplere desiderium, & intentum suum de Christo ; immò evenit eis oppositum. Nam ipsi putabant Christum annihilasse, postquam viderunt ipsum in cruce mortuum : & putabant evasisse pœnas, quas Christus eis comminatus fuerat : sed oppositum eis accidit. Nam resurrexit à mortuis, & fuerunt frustrati in desiderio suo ; quod pejus fuit pro eis : quia propter peccatum mortis Christi, fuit civitas eorum destructa. Secunda pœna fuit exterior : quia quando Judæi vident, quòd aliæ nationes receperunt Christum, ipsis reprobatis & captivis ; tunc patiuntur confusionem majorem, maximè cùm improperatur eis mors Christi. Et sic duplici pœna & confusione uruntur & friguntur, scilicet, in corde, & in oculis, & in aspectu hominum. Et hanc duplicem pœnam & confusionem petit, & prædicit Christus pro Judæis obstinatis. Ideo primò petendo, prædicit primam confusionem Judæorum interiorem. Secundò, secundam in oculis : ibi : *Erubescant.* Dicit ergo : O Pater resuscita me, supple : ut *non supergaudeant mihi* Judæi, *qui adversantur mihi iniquè :* & *qui oderunt me gratis*, & sine causa, & *qui annuunt oculis*, me irridendo & subsannando : nam rugando nasum me subsannabant, & annuendo & signando oculis, me irridebant. Ideo Pater fac, ut non videant intentum, nec compleant desiderium suum :

Nota.

1. Joann. 3. d.

23. *Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur : & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.*

MIHI *quidem pacificè loquebantur*, dicendo : *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces :* sed *in ira terræ*, id est, in ira terrena, & malivola *loquentes, dolos cogitabant*, cùm dicebant : *si licebat censum dari Cæsari, an non* ? quia illud dicebant, ut me caperent in sermone, & me inducerent in iram, & indignationem terreni populi, si dicerem, quod sic : aut in indignationem *Cæsaris*, si dixissem, quòd non erat licitum, dari ipsi censum. Et sic loquebantur *in iracundia terræ* : ut incurrerem *iracundiam* & indignationem terrenam & temporalem, scilicet, populi Judæorum, aut Imperatoris. Et ideo cum me tenuerunt captum & ligatum ante *Pilatum*, dixerunt, quod eram inimicus *Cæsari* : & cùm *Pilatus* me flagellavit, & me viderunt in cruce, tunc fuerunt gaudentes,

6. q. 1. *Summa.*

24. *Et dilataverunt super me os suum : dixerunt : Euge, euge, viderunt oculi nostri.*

ID est, lætemur : quia *oculi nostri viderunt* quæ desiderabamus. Nota, quòd communiter tenent magistri Judæorum ex hoc textu, scilicet, *Adversantur mihi iniquè : & qui oderunt me gratis*, & similibus in Sacra Scriptura : quòd ista longa captivitas, & punitio, quam patiuntur Judæi dispersi per mundum, non provenit eis, nisi ex odio, sine causa, & gratis concepto. Et sic cœci & obstinati murmurant contra Deum, querentes de hoc peccato, propter quod patiuntur : de quo tractabitur *Psalmo* 108. & 68.

Tu ergo

90. dist. Oblation. Et de Pœ. dist. 1. c. Omnis.

25. *Vidisti Domine, ne sileas: Domine, ne discedas à me.* A

26. *Exurge & intende judicio meo, Deus meus, & Dominus meus, in causam meam.*

27. *Judica me secundùm justitiam tuam Domine Deus meus, & non supergaudeant mihi.*

28. *Non dicant in cordibus suis: Euge, euge, animæ nostræ: nec dicant, Devoravimus eum.* B

Vidisti iniquitatem istorum Judæorum: ideo *ne sileas*, peccata eorum tegendo, & desideria eorum implendo: & *ne discedas à me*, auxilium denegando. Sed *exurge, & intende in judicium meum*: & *in causam meam*, examinando & defendendo: quia tu es *Deus meus & Dominus meus* per specialem gubernationem. Et *judica me secundùm justitiam tuam*: quia tu es justus Judex: & scio, quòd non permittes mihi injuriam fieri: nec denegabis auxilium secundùm consuetudinem justitiæ tuæ, quæ tribuit unicuique secundùm opera sua: & ideo cum fiducia audeo dicere, ut me judices *secundùm justitiam tuam*: quia tu es *Deus meus*. Et ideo fac, ut *non supergaudeant mihi*, lætantes de morte mea: & *non dicant in cordibus suis, Euge,* C *euge animæ nostræ*, id est, lætemur, & gaudeamus in *anima nostra*: & *ne dicant: Devoravimus eum*, id est, lætemur, quia devoravimus eum. Sed

96. d. c. Eorum.

29. *Erubescant & revereantur simul, qui gratulantur malis meis.*

Erubescant, dico, *simul & revereantur*, id est, verecundentur in facie & corde, *qui gratulantur malis meis*: quasi dicat, quòd non solùm in corde urantur, D quia non impleverunt desiderium: sed etiam confundantur in facie, in conspectu hominum, quando viderint me resurrexisse, & videant populum Gentilem me in Messiam suscepisse:

*** *** ***

E 30. *Induantur confusione & reverentia, qui magna loquuntur super me.* 90. dist. c. Oblation.

Induantur confusione & reverentia, id est, verecundia & timore, omnes Judæi, *qui magna loquuntur super me*: quasi dicat, reperiantur mendaces & convincantur in omnibus criminibus, quæ mihi imposuerunt. Et per oppositum

31. *Exultent & lætentur, qui volunt justitiam meam: & dicant semper: Magnificetur Dominus,* 11. q. 3. cap. Æstimant. F *qui volunt pacem servi ejus.*

32. *Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.*

Exultent gestu, & *lætentur* in facie omnes christiani populi, *qui volunt justitiam meam*, id est, qui receperunt Legem Euangelicam justificantem: *& dicant semper: Magnificetur*, id est, magnificent Dominum in Ecclesia omnes *qui volunt pacem* Christi *servi ejus*, scilicet, omnes, qui adhærent Christo Filio ejus. *Et lingua mea meditabitur justitiam tuam*, id est, lingua mea pronunciabit & prædicabit per totum orbem *justitiam tuam*, quam credit, & meditatur in corde & mente. Et G *tota die*, & omni tempore annuntiabit & prædicabit Christum salutare tuum, id est, prædicabit & confitebitur Jesum Christum Filium tuum, quem misisti Salvatorem in mundum.

Ex supradictis patet, quòd iste Psalmus non potest verificari litteraliter de ipso David, nec de aliquo alio, nisi de solo Christo. Nam Passio Christi magis videtur memorari historialiter in hoc Psalmo, quàm propheticè: & sic magis videtur David Euangelista, quàm Propheta in hoc Psalmo, ut potest patere intuenti.

Sed contra totam expositionem arguitur: & videtur, quòd Christus non loqua- Objectio. H tur in hoc Psalmo. Primò sic: nam Christus oravit semper pro inimicis, & persequentibus eum: sed iste qui loquitur in hoc Psalmo petit ultionem de inimicis & persecutoribus: Igitur Christus non loquitur in hoc Psalmo. Secundò sic: nam Christus semper ab instanti suæ conceptionis, fuit certus de sua resurrectione, ut dictum est *Psalmo* 15. ergo non oportuit ipsum rogare pro sua resurrectione. Sed iste continuè orat in hoc Psalmo pro sua liberatione:

ne: Ergo iſte non eſt Chriſtus.

Reſponſio. Ad primum reſpondetur: quòd verba hujus Pſalmi, & omnium aliorum, potiùs A ſunt intelligenda ad ſenſum, in *quo* fiunt, quàm ad ſenſum, *quem* litteraliter & moraliter faciunt. Unde dictum eſt in Prologo, quòd multiplici ratione Pſalmi procedunt per modum orationis ex parte Chriſti. Uno modo, ad exprimendam authoritatem Patris, ad quem pertinet tribuere unicuique quod ipſi debetur: & ideo debet judicare inter Chriſtum hominem, & Judæos perſecutores ipſius Chriſti. Ideo Chriſtus per modum orationis explicat juſtitiam Patris, & iniquitatem, & finalem obſtinationem Judæorum: & ſic prædicit eorum punitionem, & damnationem. Secundo modo, hoc dicitur ad firmitatem & certitudinem prophetiæ: eò quòd Chriſtus ſemper fuit *exauditus pro ſua reverentia:* & ideo Chriſtus non dicit hoc, ut petat ultionem; ſed ut prædicat certiſſimam punitionem & damnationem Judæorum propter ſuam obſtinationem. Tertiò, ut oſtendat ſe *Mediatorem.*

Oratio Chriſti duplicè ſenſum importat. Ad ſecundum eſt dicendum: quòd omnis oratio Chriſti facta in Pſalmis duplicem ſenſum importat. Nam primò, prædicit ſuam liberationem, & reſurrectionem, & exaltationem. Secundò, petit à Patre liberationem, & redemptionem, & reſurrectionem, & exaltationem membrorum ſuorum, propter merita ſuæ Paſſionis: & ſic potiùs orat pro nobis, quàm pro ſe. Nam Chriſtum ad Patrem orare, nil aliud eſt, niſi ſuam Paſſionem Patri pro nobis in ſatisfactionem offerre; & miſericordiam C Patris, & Chriſti charitatem explicare, & ſe *Mediatorem* inter nos & Patrem oſtendere. Et hæc eſt cauſa, quare Chriſtus in Pſalmis procedit per modum petitionis & orationis.

Psalmus XXXV.

9. q. 3. c. Pauper. De Pœ. d. 1. Omnis.

1. *Dixit injuſtus ut delinquat in ſemetipſo: non eſt timor Dei ante oculos ejus.*

Titulus: *In finem*, ſive *ad victoriam ſervo Domini David.* Ex Titulo apD paret, quòd David ſervus Domini fecit hunc Pſalmum dirigens nos in Chriſtum, qui eſt finis Legis. Qui quidem Pſalmus variè exponitur apud Hebræos. Nam quidam dicunt, quòd David fecit hunc Pſalmum in perſona populi cupientis exire de captivitate Babylonica, & redire in terram fertilem promiſſionis, ſcilicet, in Judæam: unde dixit. *Injuſtus* & iniquus *Nabuchodonoſor* cum populo Babylonico *dixit*, id eſt, deliberavit *delinquere*, & opprimere populum Dei: eò quòd *non eſt timor Dei ante oculos ejus*, ſed ſuperbia & infidelitas. Sed E tu Domine Deus Iſrael liberabis ſervos tuos, & *inebriabis*, & ſatiabis *eos ab ubertate* & abundantia *domus tuæ*, ſcilicet, terræ promiſſionis, quæ eſt domus tua. Sed iſta expoſitio eſt falſa. Primò, quia major ubertas & abundantia bonorum naturalium, & artificialium erat in *Babylonia*, quam in *Judæa.* Secundò, quia in hoc Pſalmo non memoratur, nec promittitur ubertas temporalis, ſed ſpiritualis & cœleſtis, propter id quod ſequitur: *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

Ideo alii dicunt, quòd David fecit hunc Pſalmum in perſecutione *Saulis:* videns quòd *Saul* deliberaverat abſque cauſa F ipſum interficere: ideo petit hîc liberari per divinam largitionem, quæ omnibus providet, & abſolvit innocentes. Sed nec talis expoſitio ſufficienter explicat intentum Prophetæ, nec intelligentiam hujus Pſalmi. Nam majora bona petuntur, & promittuntur in hoc Pſalmo, quàm ſint bona temporalia: & etiam quia bona ſpiritualia ſub alio ordine promittuntur.

Ideo præſuppoſitis principiis ſuperiùs ſæpe memoratis: ſcilicet, quòd David eſt verè Propheta, & habuit duplicem ſpiritum: & quòd per perſecutiones ſuas prævidit in ſpiritu perſecutionem Chriſti, & myſterium noſtræ redemptionis: & quòd David & cæteri antiqui in ſola fide, & ſpe Chriſti fuerunt ſalvati: eſt ergo dicendum, quòd David per totum diſcurſum ſuæ perG ſecutionis & exaltationis, prævidit totum diſcurſum malitiæ & invidiæ *Synagogæ* contra Chriſtum, & diſcurſum noſtræ redemptionis; & prævidit præmium bonorum, & punitionem malorum, & ideo fecit hunc Pſalmum.

Nota de obſtinatione Judæorum. Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd David per obſtinationem *Saulis* prævidit obſtinationem & malitiam Judæorum contra Chriſtum. Sed eſt advertendum, quòd obſtinatio *Saulis* provenit ex ſuperbia primò & principaliter: nam ſuperbia non patitur ſuperiorem, nec æqualem: ideo *Saul* ſuperbus, ſive ex ſuperbia, prorupit in invidiam, non volens ſuſtinere proſperitatem & honorem David: quia poH pulus canebat: *Saul occidit mille, & David decem millia*: & hæc invidia obcœcavit mentem ejus, ne poſſet audire bonum aliquod de David: ut patet quando *Jonathas* & *Achimelech* excuſabant David: quia eos nolebat audire. Item, *Saul* ex invidia & malitia obcœcatus, non cognoſcebat, ſe agere contra conſcientiam, & contra Legem Dei: ideo cum quis volebat allegare Legem Dei, nolebat audire: & ſic inveteratus in malitia, factus eſt ignorans in Lege Domini: quæ ignorantia dicitur *craſſa* & *affectata*, quando provenit ex paſſione

&

& consuetudine peccandi : quia ut sic *omnis malus est ignorans*, 3. *Ethicor.* Et sic ex tali ignorantia & malitia ipse *Saul* venit in contemptum Dei, & falsam opinionem de Divina providentia : non credens Deum regere actus humanos. Quod patet: nam relicta spe divinâ, abiit & recurrit ad *Pythonissam* : & sic obstinatus interiit in monte Gelboe, ut patet 1. *Reg. ult.* A

Per istam ergo obstinationem *Saulis* prævidit David in spiritu obstinationem Judæorum contra Christum. Nam idem ordo servatus est in obstinatione eorum: nam primò, Sacerdotes & Pharisæi ex superbia elati, omnes studebant avaritiæ ad sustinendum fastigium & statum suum : & ideo videntes Christum prædicantem contra superbiam & avaritiam eorum, & videntes populum sequentem Christum, sauciati zelo invidiæ & obcœcati; nec poterant intelligere, nec audire doctrinam Christi Legem declarantis: immò tunc perverterunt totam intelligentiam Legis Divinæ, quæ promittebat *Messiam*, ut redimeret eos à captivitate diaboli, & daret eis vitam sempiternam, & bona spiritualia & cœlestia: sed ipsi malitiâ & avaritiâ obcœcati, noluerunt intelligere sacramenta Dei ad sensum spiritualem, nec voluerunt recipere *Messiam* bona spiritualia largientem; sed temporalem *Messiam* expectare statuerunt. Et ex tali malitia & ignorantia crassâ, Divinam providentiam negaverunt, agentes contra Legem & conscientiam. Et sic quando viderunt Christum cum tanto honore in *Hierusalem* ingredientem, & pueros clamantes : *Benedictus qui venit in nomine Domini*, tunc Deum & Legem contemnentes, ipsum Christum interficere statuerunt. B C

Ex quo patet, quòd ex superbia proruperunt in avaritiam & invidiam, & ex invidia in falsam intelligentiam Dei, & ignorantiam; & ex ignorantia in contemptum Dei, & obstinationem. Hoc ergo prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum, in quo tria facit. Nam primò, prædicit obstinationem Judæorum cum suis causis. Secundò, confutat prædictam obstinationem, & falsam opinionem Judæorum, describendo Divinam providentiam per beneficium nostræ redemptionis factæ per Christum. Tertiò, orat Propheta in persona Ecclesiæ, præservari per gratiam Christi à tali pestifera opinione & obstinatione. Secunda ibi : *Domine in cœlo misericordia tua.* Tertia ibi: *Prætende misericordiam tuam scientibus te.* D

Divisio Psalmi.

Quantum ad primum, ponit unam conclusionem, scilicet, quòd contemptus Dei, qui provenit ex superbia, & ignorantia Legis, fuit causa obstinationis Judæorum. Probatur : nam sicut humilitas est causa pœnitentiæ & timoris Dei : ita superbia causa contemptus. Nam ex humilitate sequitur fides : quia humilis subjicit intellectum Legi Divinæ, & credit his, quæ in Lege continentur; & per consequens credit in Deum, & credendo diligit, & sperat in eum : & ex tali charitate sequitur timor Dei filialis, quia timet Christum perdere: & etiam sequitur timor servilis, quia timet futurum judicium; & sic movetur ad pœnitentiam, si erat in peccato : & quando est in gratia, timet Dominum offendere, ne perdat gratiam, & ne puniatur in judicio. Ex quo patet, quòd sicut ex humilitate sequitur fides, spes, & charitas, & timor Dei, & per consequens conservatio in gratia: ita per oppositum ex superbia sequitur omne malum. Nam primò sequitur infidelitas; quia superbus non vult subjicere intellectum Legi : & sic non credit, nec vult operari secundùm Legem; & sic contemnit Deum : ex quo contemptu sequitur obstinatio per longam consuetudinem peccandi, sicut accidit Judæis crucifixoribus Christi. E F

Nota de contemptu Dei.

Ait ergo David : Populus *injustus* Judæorum, sive cœtus Sacerdotum & Pharisæorum *dixit*, id est, deliberavit in semetipso, *ut delinquat*: quia, supple, *non est timor Dei ante oculos ejus :* quasi dicat, quòd ideo illa *Synagoga* deliberavit peccare, & interficere Christum, quia *non erat timor Dei*, immò contemptus, *in conspectu ejus.* Nam quia contempsit Deum, non credendo futurum judicium, nec Deum habere providentiam de actibus humanis: ideo statuit *delinquere*, Christum interficiendo: nam qui non timet futurum judicium, non credit Divinam providentiam; & sic negat primum principium in actibus humanis, & in moralibus. Nam sicut in scientiis speculativis est dare unum principium, & unam propositionem maximam, quam necesse est quemlibet docendum habere, quâ negatâ, nil convenit scire, ut patet 1. *Posteriorum*, & 4. *Metaphysicorum*: ita in moralibus, & in scientia divina, de actibus humanis est dare unum primum principium, scilicet, quòd *nullum bonum irremuneratum* : & *nullum malum impunitum*: & quòd *Deus est justus Judex præmiator omnis boni, & punitor omnis mali, hic, vel in futuro*: quo principio negato, nil convenit benè operari. Unde negatio hujus principii provenit ex superbia, & infidelitate; ex qua sequitur contemptus Dei, & consuetudo peccandi, & exinde obstinatio. G H

Nota.

Et ideo subdit : *Quoniam*, id est, quapropter, iste *injustus* & iniquus non timens Deum, dolosè egit in conspectu ejus: quia cum dolo per insidias insidiatus est Christo, & persecutus est eum, imponendo falsa testimonia : in tantùm, *ut iniquitas istius* populi *inveniatur ad odium*, id est, conversa in odium & obstinationem contra Christum. *Dicere* enim *in corde*, idem est quod deliberare: unde cogitatio præcedit de-

Nota de dicere in corde.

deliberationem: quare qui solum cogitat, nondum dicit: sed cùm deliberat facere, tunc jam dicit in corde. Et sic iste *injustus dixit*; id est, deliberavit *in semetipso*, A *ut delinquat*; id est, deliberavit *delinquere*, & opprimere justum: & hoc accidit, quia *non est timor Dei ante oculos ejus*: quia *principium* omnis *sapientiæ*, & omnium actuum bonorum humanorum, est *timor Domini*: quo negato & contempto, est impossibile aliquod bonum operari: sed est necesse, omnia scelera perpetrari, ut dictum est *Psal.* 13.

Nota, quòd *dicere* prius convenit intellectui, & ex consequenti convenit voluntati: secundò, convenit linguæ: unde intellectus, quando intelligit, vel cogitat, *dicit*: item voluntas, quando deliberat & proponit; tunc *dicit* quod intellectus cogitavit: item lingua *dicit*, quod voluntas primò dixit & deliberavit. Et sic in Divinis Pater dicit Verbum suum ab æterno per intellectum: sed ex tempore *dixit* creaturas per voluntatem, quando dixit: *Fiat lux, & facta est lux*: sed postea locutus est Dominus *multifariè* per linguas Prophetarum, sed finaliter *locutus est nobis* per *linguam Filii*: & tunc locutus est per linguam propriam sibi unitam personaliter. Quando ergo dicitur in hoc Psalmo: *Dixit injustus*, idem est, quod deliberavit & proposuit, id est, *injustus* populus Judæorum deliberavit *in semetipso delinquere*, Christum occidendo, eò quòd *non est timor Dei* in conspectu ejus: quia non habuit Deum præ oculis; immò contemnendo Deum, deliberavit Christum occidere. Et quia malum propositum mandavit executioni fraudulenter per insidias & falsa C testimonia, ideo subdit:

37. d. cap. *Ideo*, & 11. q. 3. *Excellentissimus.*

2. *Quoniam dolosè egit in conspectu ejus: ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.*

QUoniam, id est, propterea, id est, negato illo principio: & quia non habuit timorem ante oculos, *dolosè egit in conspectu ejus*; scilicet, in conspectu Dei, non timendo ejus judicium: in tantum, *ut iniquitas ejus inveniatur ad odium* Dei & proximi: quia sua iniquitas conversa est in odium, & obstinationem. Et ideo sequitur:

*** *** ***
*** *** ***

3. *Verba oris ejus iniquitas, & dolus: noluit intelligere, ut bene ageret.* 11. q. 4. *Nemo peritorum.*

D

VErba oris ejus iniquitas & dolus. Nam Judæi primò, loquebantur cum Christo cum dolo & fraude, *ut caperent eum in sermone*, dicentes: *Magister scimus, quia verax es.* Secundò, loquebantur iniquitatem contra eum, quando vocabant eum dœmoniacum & blasphemum. Et hoc accidebat à superbia & invidia, eò quòd improperabat eis peccata Legis. Ideo obcœcatus ille populus malitiâ, *noluit intelligere* Legem Dei ad bonum sensum spiritualem, sicut Christus prædicabat; sed carnaliter & temporaliter voluit intelligere, ne *bene ageret* & operaretur: & sic obcœcavit eos malitia eorum, ne intelligerent sacramenta Dei in Lege scripta & per E Christum prædicata. Sequitur:

4. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ: malitiam autem non odivit.* 5. q. 4. c. *In loco.*

SAUciatus ille populus invidiâ & malitiâ, *meditatus*, & machinatus *est iniquitatem in cubili suo*, quomodo Christum occideret: & sicut cogitavit, ita executioni mandavit: quia *astitit viæ non bonæ*, F immò pessimæ, quando Christum tradidit *Pilato* crucifigendum: & sic factus est obstinatus: quia *malitiam non odivit*; immò malitiam & iniquitatem dilexit. Et in illa obstinatione manet usque ad hodiernum diem. Ex quo patet, quòd consuetudo peccandi, & superbia, & invidia fuit causa obcœcationis, & obstinationis Judæorum: eò quòd Christus prædicabat veritatem Legis contra eorum mala opera: nam *qui malè agit, odit lucem, ne videantur ejus opera mala.* Ex quo patet, quòd ignorantia Judæorum est damnabilis, quia crassa & affectata. Verumtamen licèt David prædicat hîc propheticè obstinationem & cœcitatem Judæorum ex contemptu Dei: tamen tota ista particula supradicta potest exponi de quolibet obstinato, & hæretico. Nam obstinatio provenit ex contemptu Dei: & contemptus venit ex superbia, & infidelitate, & consuetudine peccati: quæ omnia proveniunt ex contemptu Dei: nam negato illo principio, unusquisque prorumpit in omnia scelera, sicut dictum est *Psal.* 13.

**
*

5. Do-

39.d. ca. Diaconi.

5. *Domine in cœlo miſericordia tua:* A *& veritas tua uſque ad nubes.*

9.q.3.ca. Aliorum.

6. *Juſtitia tua ſicut montes Dei: judicia tua abyſſus multa.*

IN hac ſecunda parte David improbando falſam opinionem Judæorum Hæreticorum de divina providentia, & deteſtando obſtinationem eorum, conſitetur divinam providentiam circa omnia, & ſpecialiter circa actus humanos per beneficium redemptionis. Nam ſicut dictum eſt, Judæi zelo invidiæ & malitiæ obcœcati propter B eorum ſuperbiam, & avaritiam, non ſolùm Chriſtum negarunt eſſe *Meſsiam* & Deum; ſed etiam noluerunt doctrinam ejus audire: & ſic Legem negaverunt, verum ſenſum repellendo, & falſum ſenſum tribuendo: & ſic Chriſtum & Legem oderunt, & ipſum interfecerunt: & negando Chriſtum & Legem, etiam negarunt divinam providentiam; immò negando Chriſtum eſſe Deum, negarunt totam Legem, & prophetias: quia fecerunt mendacem Legem, & prophetias, ut dictum eſt *Pſalmo* 13. Nam divina providentia maximè fuit oſtenſa in Incarnatione Filii Dei, & noſtra redemptione: nam *nihil valuiſſet hominem creari, niſi redimi profuiſſet*, ut ait *Gregorius*, & *Auguſtinus*. Dicit ergo David: O Domine, licet Judæi obſtinati contempſerint, & negaverint te eſſe *Meſſiam*, & negaverint divinam providentiam, C & Deum eſſe juſtum Judicem; tamen ego deteſtando eorum malitiam & obſtinationem, confiteor divinam providentiam ſe extendere circa omnia, & Deum eſſe miſericordem, & veracem, & juſtum Judicem, præmiatorem bonorum, & malorum punitorem, & quòd non relinquit bonum irremuneratum, nec aliquod malum impunitum: & confiteor, quòd *in cœlo* eſt *miſericordia tua*, *& veritas tua* deſcendit *uſque ad nubes*: & *juſtitia tua* eſt *ſicut montes Dei*: *& judicia tua multa* ſicut *abyſſus*: in tantum quòd tu *Domine ſalvabis*, non ſolum *homines*, ſed *jumenta*, quoad vitam temporalem. Ex quo patet, quòd providentia tua eſt in cœlo, & in nubibus, & in terra, & in mari, & in abyſſis infer- D ni, & provides hominibus, & beſtiis de vita temporali: quia creaſti herbam pro beſtiis, & fructus terræ pro hominibus.

Nota, de Dei providentia.

Unde eſt notandum, quòd ad oſtendendam divinam providentiam, David hîc ponit quatuor terminos ex parte Dei. Ponuntur enim *miſericordia*, *veritas*, *juſtitia*, & *judicium*: quæ dicunt & explicant divinam providentiam. Secundò, memorantur quatuor partes, ſcilicet, *cœlum*, *nubes*, *montes*, *abyſſus*, ſcilicet, *Oceanus*, ſive *Infernus*: qui comprehendunt totum mun- E dum: & memorantur duo genera animalium, ſcilicet, *homines*, & *jumenta*: queis quaſi includuntur omnia animantia. Et ſic apparet, univerſalem providentiam Dei ſe extendere per omnia, & circa omnia. Sed iſta providentia dicitur *generalis* circa omnia, quam Deus à principio creationis habet. Sed aliam *ſpecialem* providentiam habet, & oſtendit Deus, circa genus humanum in noſtra recreatione. Unde ſicut creatio mundi fuit figura recreationis Eccleſiæ: ita providentia *generalis*, quam habet Deus de univerſitate creaturarum, eſt figura *ſpecialis* providentiæ circa actus humanos, quam Chriſtus monſtravit in noſtra redemp- F tione, & recreatione. Unde licet prædicta littera teneat verum de *univerſali* providentia Dei circa omnia creata: tamen termini poſiti in littera, oſtendunt, quòd loquitur de providentia *ſpeciali* circa actus humanos. Unde Chriſtus, qui eſt ipſa miſericordia, & veritas, & juſtitia, maximè oſtendit ſuam miſericordiam hominibus, & Angelis in cœlo, ubi eos beatificavit: quia *non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos: ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit*, *ad Titum* 3. Item etiam per *cœlum* intelligitur Chriſtus, in quo ſolo oſtenditur miſericordia. Per *nubes* intelliguntur *Apoſtoli*, per quos veritas Euangelica prædicata eſt. Per *montes Dei* intelliguntur *Martyres*, & tota Eccleſia fundata in montibus ſanctis, in qua eſt firmitas juſtitiæ Euangelicæ. Per *abyſſum* intelligitur *Infernus*, in quo manifeſtantur divina judicia, & judicati puniuntur. Item per *ho-* G *mines* intelligitur populus Dei, cui Deus dederat Legem, & ſic tanquam homines vivebant. Et per *jumenta* intelligitur populus Gentilis, qui tanquam beſtiæ ſine Lege vivebant in beſtialibus voluptatibus.

Dicit ergo David: O *Domine*, tanta eſt providentia tua circa actus humanos, quòd *in cœlo* eſt *miſericordia tua*, id eſt, per miſericordiam tuam hominibus juſtis beatificationem in cœlo præparaſti: *& veritas tua uſque ad nubes*, id eſt, *Apoſtolos* deſcendit, quibus pluviam tuæ veritatis communicaſti: qui ut nubes volantes per totum orbem, pluviam Euangelicæ veritatis ſparſerunt. Et *juſtitia tua* fuit firma *ſicut* H *montes* in Eccleſia, id eſt, *tua juſtitia*, id eſt, tua Lex Euangelica, quæ dicitur *juſtitia*, in quantum homines juſtificat, fuit in montibus firma, id eſt, in hominibus fidelibus: & *judicia tua*, quæ feciſti de bonis, & malis, ſunt *multa*, id eſt, profundiſsima, ſicut *abyſſus*, id eſt, ſicut *Oceanus*. Unde ly *multa* poteſt eſſe adjectum de ly *judicia*, & tunc eſt ſenſus: ſunt multa in numero, & profunda, ſicut aquæ abyſſales ſunt multæ & profundæ: vel poteſt eſſe adjectivum de ly *abyſ-*

Judicia Dei abyſſus.

abyssus, cùm sit fœminini generis, & tunc est sensus: sunt tanquam *abyssus* profundissima, & magna. Nam *judicia* Dei, quare quosdam prædestinavit, & alios non? & quare elegit hos, & non illos? & similia judicia, sunt profundissima, & incomprehensibilia, sicut *abyssus Oceani*. Potest etiam per *abyssum* intelligi *Infernus*, ubi est multitudo damnatorum, in quibus apparent judicia Dei. Et sequitur: *Homines & jumenta salvabis Domine*, id est, sicut salvasti in vita temporali homines & jumenta indifferenter; quia omnibus providisti de cibis temporalibus: ita indifferenter salvasti salute spirituali de hominibus, id est, *Judæis*: & de jumentis, id est, de *Gentilibus*: nam ex utrisque unam Ecclesiam congregabis. Sed quare quosdam salvasti, & eis gratiam tribuisti? & quosdam non? hoc quidem incomprehensibile est: quia *judicia tua abyssus multa*: nam eos quos salvasti, ab æterno prædestinasti, cum nondum fuissent, nec aliquid boni fecissent. Ergo non ex propriis meritis salvasti: sed quemadmodum voluisti, & sicut in eis misericordiam tuam multiplicasti, magis in eis, quam in aliis: quia *non est currentis, nec volentis, sed Dei miserentis, ad Rom.* 9. Ex quo patet, quòd ista particula potest exponi de divina providentia, prout naturaliter & temporaliter se extendit ad omnia creata indifferenter: & per figuram etiam potest exponi, prout specialiter se extendit ad actus humanos: & magis specialiter & spiritualiter, prout Deus providit lapsui nostro, per Incarnationem & Redemptionem.

32. q. 1. *Quis ignorat, in gl. 11. q. 3 Custodi.*

7. *Homines, & jumenta salvabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.*

8. *Filii autem hominum, in tegmine alarum tuarum sperabunt.*

HOMINES *& jumenta salvabis.* Hìc incipit forsan sententia probationis hujus quæstionis, scilicet, quòd Deus habet specialem curam de hominibus. Unde dicit David: O Domine, licèt tu indifferenter salvabis, & salves *homines & jumenta*, sive bestias, temporaliter & corporaliter, quia omnibus das vitam temporaliter per cibum corporalem, *autem* pro *sed*, *filii hominum*, id est, homines, specialiter *sperabunt* sub *tegmine alarum tuarum*, ut des eis aliam vitam spiritualem, & salves eos à peccato: *quemadmodum multiplicasti* in eis *misericordiam tuam* magis, quam in jumentis: ideo ultra vitam corporalem, sperant à te aliam vitam, & salutem spiritualem: ut protegas eos *in tegmine alarum tuarum* in *Cruce*, hìc in Ecclesia per gratiam, & in futuro per gloriam.

9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

15. q. 1. *Per firmissimum*

QUANDO amplexus fueris eos sub *tegmine alarum* gratiæ tuæ, *inebriabuntur*, & satiabuntur *ubertate*, & abundantiâ sacramentorum *domus*, scilicet, Ecclesiæ, *tuæ*, hìc per gratiam: & *potabis eos de torrente voluptatis*, & fruitionis, & felicitatis *tuæ* in cœlo per gloriam. Item, satiabis eos de *torrente* doctrinæ tuæ in hac Ecclesia; & de *torrente* visionis claræ & facialis in alia. Item, *inebriabuntur ab ubertate* pretiosi sanguinis *domus*, id est, lateris tui, unde procedunt Ecclesiastica Sacramenta: nam sicut Ecclesiastica Sacramenta sunt cibus animæ: ita Euangelica doctrina est potus ejusdem, quibus correspondent visio, & fruitio in patria. Ideo subdit:

10. *Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.*

De Consec. d. 5. Jejunium.

O Domine Jesu, tu satiabis, & salvabis, & inebriabis, & *potabis eos, quoniam fons vitæ*, gratiæ, & gloriæ *est apud te*: quia *gratiam & gloriam dabit Dominus. Et in lumine tuo videbimus lumen*, hìc per gratiam, & in futuro per gloriam. Unde nota, quòd Christus, qui est Verbum Patris, specialiter dicitur *vita*, & *lux*. Nam in quantum Deus, *omnia per ipsum facta sunt*, & ab eo emanant omnia creata, sicut radii solares à Sole. Ideo omnia habent ab eo, & in eo vitam, & esse, & conservantur in esse. Ideo ait *Joannes* 1. *Quod factum est, in ipso vita erat*: nam in tantum res sunt, in quantum Verbum influit eis vitam & esse, & in quantum lucet in eis per essentiam. Sed specialiter Verbum, quod est scientia Patris; lucet in Angelis, & hominibus per intellectum: & sic causat in eis intelligentiam & *lumen* scientiæ naturalis. Et ideo subdit *Joannes*: & Christus, qui est *vita* omnium, *erat lux hominum*. Sed ultra istam generalem lucem, sive generale & naturale *lumen*, Christus incarnatus influxit aliud *lumen* supernaturale doctrinæ hominibus in sua prædicatione, & Lege Euangelica. De quo *Joannes* subdit: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. Nam Christus *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Christus dicitur lux & vita.

Et iſtud dicitur *lumen* fidei, & gratiæ. De quo *Iſaiæ* 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo.* Sed loco hujus *luminis*, in patria erit *lumen* gloriæ, qui eſt Chriſtus. Sed ut poſſimus videre, & apprehendere illud incomprehenſibile *lumen*, Deus creavit in nobis, & in intellectu noſtro illud *lumen*: nam per *lumen naturale* intellectus agentis non poſſemus intueri illud incomprehenſibile *lumen* objectale. A

Ex quibus patet, quòd duplex *lumen* influxit Chriſtus in nobis, ſcilicet, *lumen fidei*, ut ipſum Deum hîc cognoſcamus, & intueamur per gratiam; & in patria *lumen gloriæ*, ut Deum contemplemur per gloriam. Ideo David de utroque lumine dicit hîc: *In lumine tuo*, ſcilicet, infuſo, & creato, *videbimus lumen* increatum, hîc per fidem, & in futuro per gloriam: quod quidem *lumen* non potuiſſemus ſine Chriſto percipere. Ex quibus patet, Divinam Providentiam ſe extendere, non ſolùm univerſaliter & corporaliter circa omnia creata; ſed etiam ſpiritualiter, & æternaliter circa actus humanos. Nam Deus præparavit gratiam, & gloriam pro juſtis, & æternam pœnam pro malis & obſtinatis. Ex quibus patet, quòd David non fecit hunc Pſalmum pro redactâ captivitate Babylonica; nec pro ſola perſecutione *Saulis*; nec pro ſola providentia generali: quia per talem providentiam non datur talis fructus, & vita. B

De Pœ. d. 1. Taciturnitat.

11. *Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & juſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde.* C

IN hac tertia parte petit præſervari per gratiam à peccato, & obſtinatione, & à tali peſtifera opinione. Unde advertendum, quòd cum natura noſtra ſit corrupta in *Adam*, nemo de per ſe, ſine gratia poteſt vitare malum, nec facere bonum, ut frequenter dictum eſt. Et ſic ſine gratia nemo poſſet pervenire ad viſionem illius æterni luminis. Sed quia gratia non datur ex meritis, niſi ex ſola Dei miſericordia: ideo ait David in perſona totius Eccleſiæ: O Domine, *prætende miſericordiam tuam ſcientibus te*, id eſt, omnibus fidelibus, qui te voluerunt audire, ut bene agerent, & bene operarentur, dando eis gratiam. Et *prætende juſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde*, id eſt, juſtifica eos, Filium tuum mittendo. D

*** *** ***

E 12. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ: & manus peccatoris non moveat me.*

De Conſe. d. 2. Iteratur, & 11. q. 3. Si quis.

ET tu Chriſte juſtifica nos, & gratifica per tuam mortem & paſſionem, & continuè da nobis gratiam ad bonum agendum, & malum vitandum: & fac ut per talem gratiam *non veniat mihi pes ſuperbiæ*, quæ eſt *pes*, & fundamentum, & initium omnium aliorum peccatorum. Nota, quòd ſuperbia dicitur *pes*, & fundamentum omnium peccatorum, & vitiorum. Patet: nam peccator per ſuperbiam contemnit Deum, ut dictum eſt, & ſic incidit in omnia alia peccata. Item, per ſuperbiam incidit in avaritiam, & rapinam, & uſuram, & ſimoniam, ut ſuſtineat ſuperbum ſtatum ſuum: & exinde incidit in invidiam & odium fraternum: quia non ſuffert priorem, nec parem. Et ſic venit uſque ad contemptum Dei, & obſtinationem, non timens ejus juſtum judicium. Et ſic contemnit etiam Legem, & negat Divinam Providentiam. Et ſic patet, quòd ſuperbia eſt *pes* & initium peccatoris, & cætera vitia ſunt *manus* ejus. Nam per ſuperbiam incedit peccator, & per alia vitia operatur, ſcilicet, per avaritiam, & invidiam, ad ſuſtinendam ſuperbiam. Et ideo ſuperbia dicitur hîc *pes* peccatoris, & vitia cætera dicuntur *manus*. Ideo David cupiens vitare hanc peſtiferam beſtiam, dicit: O Domine, *prætende miſericordiam* & gratiam, ut *pes ſuperbiæ non veniat mihi*: & *manus peccatoris*, quæ ſunt cætera vitia, *non moveant me* à tuo timore & amore, & ſtatu gratiæ. Et eadem etiam ſuperbia dicitur *pes* & *manus peccatoris*: quia in ea fundatur, & per ſuperbiam male operatur. Item, ſuperbia eſt *pes* & *manus* diaboli, quibus luctatur contra homines, & dejicit eos ad terram, & removet eos ab amore & timore Dei. Ideo ait David: Domine, *prætende miſericordiam tuam* per gratiam prævenientem, *ne pes ſuperbiæ & manus* diaboli luctatoris & deceptoris *moveat me* à tuo timore & amore; & ne efficiar in peccato obſtinatus, ſicut dejecit alios peccatores à ſtatu gratiæ, & ſicut ejecit *Adam* de paradiſo. F G

Superbia eſt fundamentum peccatorū.



59. d. Sed officia.

13. *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.*

NAM *ibi*, in ipſa ſuperbia, *ceciderunt* omnes, *qui operantur iniquitatem*: nam omnes per ſuperbiam *ceciderunt*, & *expulſi ſunt* à gratia; *nec potuerunt ſtare* in ea. Nam primò, dœmones *expulſi* per ſuperbiam, *ceciderunt* de cœlo. Secundò, *Adam* & *Eua* per ſuperbiam & inobedientiam *ceciderunt*, & *expulſi ſunt* de paradiſo terreſtri, & à ſtatu felicitatis, *nec potuerunt* in eo permanere. Item, per ſuperbiam cecidit *Pharao* cum ſuis in Mari Rubro. Item, per ſuperbiam *cecidit Sennacherib*, & *Nabuchodonoſor*, & *Holofernes*. Et finaliter, per ſuperbiam, & invidiam, & contemptum Dei, & Legis, *ceciderunt* Judæi, & expulſi ſunt à regno, & ſacerdotio, & à ſedibus ſuis, nec potuerunt in eis ſtare; immò vagantur captivi & diſperſi per mundum, & patiuntur hîc pœnam temporalem, & in futuro æternam. Ex quibus patet, quòd Deus eſt juſtus Judex: & providens actibus humanis, tribuens præmium & felicitatem juſtis, & pœnam æternam malis, & obſtinatis, non timentibus Deum, & bonos perſequentibus.

Nota.

Ex hoc Pſalmo colliguntur octo concluſiones, ſive doctrinæ.

Prima concluſio eſt: quòd ſicut timor Domini eſt principium & cauſa omnium bonarum operationum: ita per oppoſitum defectus timoris Dei, & contemptus Dei, eſt cauſa, & principium infidelitatis, & omnis peccati. Probatur: quia iſte *injuſtus* non timuit Deum. Ideo ſtatuit in ſemetipſo *delinquere* & peccare contra Deum, & proximum.

Secunda concluſio: quòd ex contemptu Dei devenit *injuſtus* ad odium Dei, & proximi, & in contemptum & odium Legis: in tantum, quòd *non vult intelligere*, nec audire Legem Dei, ne bene agat, nec operetur.

Tertia concluſio: quòd ex defectu timoris Dei *injuſtus* negat Divinam Providentiam circa actus humanos: & exinde præcipitatur in omne nefas, & omnia ſcelera.

Quarta concluſio: quòd providentia Dei, quæ provenit ex miſericordia & bonitate, incipiens à cœlo, deſcendit uſque ad nubes, & exinde ad montes uſque ad abyſſos. Nam ex ſua bonitate & largitate movet cœlos, & facit eos influere ſuper omnes creaturas: & facit nubes pluere ſuper montes, & campos ad germinandas plantas: & exinde aquæ deſcendunt uſque ad abyſſos maris.

Quinta concluſio: quòd ſicut providentia Dei naturaliter ſe extendit ſuper omnes creaturas: ita pariter ſe extendit ſuper totam Eccleſiam. Nam *miſericordia Dei* eſt in cœlo juſtorum, ſcilicet, in Chriſto, & *veritas* doctrinæ deſcendit de Chriſto *uſque ad nubes*, id eſt, Apoſtolos: & ex Apoſtolis *uſque ad montes*, id eſt, Martyres, & Doctores: & ex Doctoribus *uſque ad abyſſos*, ſcilicet, ſimplices fideles. Item, *miſericordia* eſt *in cœlo*, id eſt, in Chriſto, & *veritas* in nubibus, id eſt, Apoſtolis: & *juſtitia* in *montibus*, id eſt, Prælatis, in quibus eſt Eccleſiaſtica poteſtas, & *judicia in abyſſo* inferni.

Sexta concluſio: quòd licèt providentia Dei ſe extendat generaliter ad ſalutem, & conſervationem temporalem omnium animalium: quia Deus providet tàm *jumentis*, quàm *hominibus* de vita temporali, & ſalvat eos temporaliter, providendo de cibo temporali: tamen ſpecialiter providet hominibus de cibo & vita ſpirituali: quia dat gratiam hominibus ad merendum, & fidem ad credendum in præſenti, & lumen ad videndum in futuro. Quia *in lumine ejus videbimus lumen*, & *potabit nos de torrente ſuæ ubertatis*, gloriæ & fruitionis.

Septima concluſio: quòd neceſſaria eſt *miſericordia*, & *gratia* Dei ad vitandam infidelitatem, & omne peccatum.

Octava concluſio: quòd *ſuperbia* eſt *pes* & fundamentum omnium vitiorum, & peccatorum: & ſic *ſuperbia* eſt *pes*, & pedes peccatoris, quibus peccator ambulat, & cætera vitia ſunt *manus*, quibus operatur. Probatur: quia *ibi* per ſuperbiam, *ceciderunt* omnes peccatores à gratia in omnia ſcelera: nec aliquis ſuperbus poteſt ſtare, quin cadat in alia peccata.

PSALMUS XXXVI.

ALEPH.

1. *Noli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem.*

26. q. 1. cap. His ergo.

2. *Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent: & quemadmodum olera herbarum citò decident.*

TITULUS: *Ipſi David*, ſine aliqua additione. Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Pſalmum. Unde eſt advertendum, quòd multi amici David videntes *Abner* & *Doëg*, & multos malignos proſperari in domo *Saul*, & videntes bonos à malignis deprimi: deſperando de Divina pro-

providentia, transibant ad partes *Saulis*, derelinquentes ipsum David; & sic laudabant quod ante vituperaverant, & è converso; & quasi negantes Divinam providentiam, imitabantur malos, & eorum opera: & ideo David fecit hunc Psalmum, in quo solvitur eorum mala opinio. Et ideo dixerunt aliqui, quòd iste Psalmus continuatur cum præcedente. Sed hoc non videtur verum: quia *Hieronymus*, & omnes antiqui enumerant hunc Psalmum 36. velut distinctum à præcedenti. Item, quia David complures Psalmos fecit de Divina providentia, ut patebit. Et ideo est dicendum, quòd David bene sumpsit occasionem condendi hunc Psalmum ex causa supradicta. Sed adhuc iste Psalmus non caret mysterio & prophetia de Christo & Ecclesia: quia aliter non computaretur inter Sacras Scripturas. A B

Sed dicunt Hebræi moderni, quòd etiam iste Psalmus est propheticus: quia prædicit interitum ipsius *Saulis*, per hoc quod dicit: *Vidi impium superexaltatum.* Sed in hoc ipsimet contradicunt sibi ipsis: nam David erat senex, quando fecit hunc Psalmum, & pro tunc jam *Saul* perierat, & erat quasi in oblivione; quod patet per hoc quod dicit: *Junior fui, etenim senui.* Et ideo est dicendum, quòd David considerans totum discursum *Saul*, & suorum sequacium, & *Absalonis* & *Achitophel*, & omnium persecutorum, quomodo mala morte vitam finierunt cum satellitibus suis, propter eorum malitiam & superbiam; & quomodo ipse David fuit sublimatus & exaltatus propter patientiam in adversis: in illo mysterio prævidit in duplici spiritu prophetico persecutionem Christi, & excidium Judæorum: & prævidit etiam in spiritu persecutionem Ecclesiæ, & exitium, & exterminium omnium Tyrannorum, & exaltationem Ecclesiæ, & omnium Sanctorum. Et ideo fecit hunc Psalmum, in quo exhortatur omnes justos ad patientiam in adversis, ne diffidant de Divina providentia, & misericordia. Et sic iste Psalmus est simul propheticus & moralis: nam David per exempla & præcepta moralia, intendit prædicere propheticè futura mysteria de Christo & Ecclesia, prout dictum est in *Prologo*, *tract.* 3. *regul.* 5. *doctrinâ tertiâ.* Et ideo primò exponetur moraliter ad utilitatem afflictorum. Secundò breviter exponetur propheticè de punitione Judæorum, & persecutione Christi, & Ecclesiæ, ne taceatur sacramentum in hoc Psalmo contentum. C D

Exhortantur justi ad patientiam.

Quantum ergo ad primam Expositionem, dividitur iste Psalmus in septem partes, scilicet, septem doctrinas in eo contentas. Nam primò, David exhortatur justos afflictos ad patienter perferendas persecutiones malignorum. Secundò, ad perferendas eorum prosperitates. Tertiò, ad perferendam patienter paupertatem. Quartò, exhortatur justos ad eleemosynas faciendas. Quintò, ad observantiam Divinæ Legis. Sextò, ad studium & contemplationem Legis Divinæ. Septimò, ad servandam innocentiam, & mansuetudinem, & justitiam. Secunda ibi: *Noli æmulari in eos.* Tertia ibi: *Melius est modicum justo.* Quarta ibi: *Mutuabitur peccator.* Quinta ibi: *Declina à malo.* Sexta ibi: *Os justi meditabitur.* Septima ibi: *Custodi innocentiam.* E

Quantum ad primam doctrinam est advertendum, quòd licèt *Aristot. in fin. 4. Ethicor.* ponat inter morales virtutes *indignationem de malo*, *& prosperitate malorum*: tamen hoc intendit semper cum moderatione, & medio, scilicet, quantum, & quando, & ubi oportet: quòd non excedatur modus, & medium virtutis. Ideo David non intendit in hoc Psalmo, agere contra morales virtutes; immò confirmat eas. Nam multi tempore suo videntes malos prosperari, & bonos deprimi: diffidebant de Divina providentia & justitia, & imitabantur malos, & deficiebant ab omni morali virtute, & Lege Divina. Hos ergo reprehendit, & exhortatur ad fortitudinem, & veritatem. Dicit ergo David: O tu vir afflicte, quamcumque pateris injustè persecutionem à malignis, *noli æmulari in malignantibus.* Nota, quòd *æmulari* est æquivocum: nam idem est quod indignari, invidere, sequi, imitari, aut amare. Hîc autem ponitur pro *indignari*, id est, noli indignari ultra modum perdendo fidem, & desperando de Divina providentia, & justitia, videns malignantes contra te prævalere, & contra alios justos: *neque zelaveris*, id est, ne defendas facientes iniquitatem, sequendo eos. *Zelare* idem est quod amare, invidere, defendere, consortem in amato non pati. Est nihilominus *bonus* quidam *zelus*, quo quis sic intensè aliquem amat, quòd ab omnibus illum cupiat amari & revereri: & est *malus zelus*, quo quis adeò fervidè alicui invidet, & eum odit, ut optet ab omnibus odiri, & contemni: & idem est de æmulatione. Dicit igitur: Ne ames, nec defendas *facientes iniquitatem:* quoniam licèt ad tempus regnent & dominentur: tamen finaliter cadent, *& tanquam fœnum* & herba *velociter arescent*, & marcescent, & siccabuntur à viriditate prosperitatis & potestatis: & *arescent*, *& decident*, & deorsum cadent *tanquam olera*, scilicet, sicut caules, & lactucæ, & cætera *olera* & legumina, quæ licèt in Vere sint veridia, tamen in Autumno siccantur, & decidunt. Ideo tu non desperes, nec diffidas de Divina providentia & justitia: sed dicas: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem:* mala videlicet æmulatione, seu zelo malo, sicut nec fecit *Moyses*, qui quamquam pro F G H

ido-

idololatria aurei vituli æmulatione & zelo succensus, multos interfecerit: pro eisdem tamen prius devotè rogaverat, dicendo: *Domine obsecro, ignosce eis, aut dele me de libro*, in quo me scripsisti. Et huic sensui multum alludit littera sequens, nam sequitur:

BETH.

14. q. 5. cap. Immolans.

3. *Spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & pasceris in divitiis ejus.*

4. *Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.*

GHIMEL.

De Pœn. d. 2. c. Quis aliquando §. Non tibi dico.

5. *Revela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet.*

6. *Et educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem: subditus esto Domino, & ora eum.*

SPera in Domino, & fac bonitatem cum proximo, non offendendo Deum; & *inhabita terram* inter malos, eos patiendo, & tolerando: & *inhabitabis terram* viventium in patria: *& pasceris*, & satiaberis *in divitiis* gloriæ *ejus*, in præmium patientiæ: *& dabit tibi Dominus* ibi *petitiones* & desiderium *cordis tui. Revela* ergo *Domino viam tuam* in hac vita, non temporalia, sed cœlestia appetendo: sed *spera in eo*, ponendo tuam spem in cœlestibus; *& ipse faciet* quod desideras: *& educet* claram *quasi lumen justitiam tuam*: id est, pro omnibus operibus tuis justis gloriam dabit: *& judicium tuum* non erit tenebrosum, sicut damnatorum, qui judicantur ad infernum propter mala opera; immò erit clarum: *& educet* Deus ipsum *tanquam meridiem*, dando præmium in cœlo: & Deus approbabit opera bona, quæ sicut lucent coram hominibus, ita lucebunt coram Deo ad præmium: quia in luce sunt facta, & in gratia: Ergo *subditus* & obediens esto semper *Domino*, & Legi suæ, *& ora eum*; quia non tibi deficiet: quia licèt patiaris in hac terra mortalium; tamen ibi in terra viventium regnabis.

** ** ** ** **
* * * * *

DALETH.

De Pœn. d. 3. Quamquam.

7. *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua; in homine faciente injustitias.*

IN hac secunda doctrina exhortatur justos, ne indignentur contra Deum de prosperitate malorum: quia in fine Deus deprimit injustum, & exaltat justum, hîc, aut in futuro. Dicit ergo: O vir juste *noli æmulari* & indignari *in eo qui prosperatur*, tàm in dignitatibus, quàm in temporalibus: nec *in homine faciente injustitias*: sed dimitte Deo injuriam. Vel exponatur ut suprà, de mala æmulatione, quâ in nullo æmulantur, etiam occidendo. Nec enim *Phinees* peremit fornicatorem cum *Madianite* zelo malo in proximum, sed Dei zelo, qui bonus & sanctus est: & propterea sequitur:

8. *Desine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari, ut malignèris.*

HE.

De Pœn. d. 3. Quid ergo.

9. *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.*

QUoniam *qui malignantur*, *exterminabuntur* finaliter ab hoc sæculo, vitam malè finiendo, & à regno cœlorum, ad pœnam destinati: *sustinentes autem Dominum*, id est, patientes, *ipsi hæreditabunt terram* viventium. Per oppositum peccator *malignus*: nam in brevi morietur in corpore, & anima; & perdet ista temporalia, & futuram gloriam. Ideo subdit:

10. *Et adhuc pusillum, & non erit peccator: & quæres locum ejus, & non invenies.*

VAU.

23. q. 1. Paratus.

11. *Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*

ET *adhuc pusillum* & breve tempus est, id est, vivet brevi tempore *peccator*: *& quæres locum*, id est, prosperitatem *ejus, & non invenies*: quia breviter præter-

teribit: *mansueti autem hæreditabunt terram* viventium; quia *Beati mites*: quoniam *ipsi hæreditabunt terram* viventium, *Matth.5. & delectabuntur in multitudine* & abundantia *pacis* & quietis perpetuæ: quoniam quiescent justi ab omni labore: *& absterget Deus ab eis omnem lacrymam, & jam non erit amplius, neque luctus, neque dolor: quoniam prima abierunt, Apocal.21.*

12. *Observabit peccator justum: & stridebit super eum dentibus suis.*

ZAIN.

1. q. 4. c. Homini. 13. *Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit quòd veniet dies ejus.*

OBservabit *peccator*, id est, licèt *peccator* & malignus observet, & temporaliter vexet, & affligat *justum*, *& strideat dentibus suis*, id est, cum malitia, & potestate, & favore suo sæviat in eum; tamen Deus licèt permittat peccatorem ad tempus affligere *justum:* tamen non favet peccatori; immò *irridet eum*, & decipit eum: *quia expectat Deus, *ut veniat dies* interitûs *ejus*, ut puniat eum: quia in hoc decipiuntur peccatores: nam videntes, quòd faciendo malum, magis prosperantur in hoc mundo: ideo putant, Deum non curare de istis inferioribus, nec esse aliam vitam post istam; & non cognoscunt, qualiter Deus expectet eos ad pœnitentiam, & thesaurizant peccata usque ad diem ultionis. Et sic patet, quòd fortuna prospera decipit eos. Ideo ait David, quòd Deus *irridet* peccatorem malignum, expectando ut *veniat* dies interitus, & ultionis *ejus*, ut puniat eum. Unde Deus neminem irridet, nec decipit, quia ipse peccator seipsum decipit: sed Deus ostendet, eum esse deceptum & irrisum in die interitus & ultionis ejus.

* Nota paulò infrà, quomodo intelligenda irrisio & deceptio de qua hic.

14. *Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum suum,*

HETH.

9. q. 4. c. Qui resistit. 15. *Ut dejiciant pauperem & inopem: ut trucident rectos corde.*

16. *Gladius eorum intret in corda ipsorum: & arcus eorum confringatur.*

GLadium *evaginaverunt*, id est, licèt *peccatores* maligni aliquando evaginaverint *gladium*, id est, potestatem suam, & intendant arcum suæ malitiæ, ut *dejiciant* pauperem in bonis temporalibus, & inopem in amicis, & desertum in favoribus, & simplicem sine malitia, & *trucident* simplices & justos *rectos corde*: tamen *gladius ipsorum* malignorum *intret:* id est, intrabit *in corda eorum*; quasi dicat: Sicut crudeliter vexarunt & afflixerunt justos: ita crudeliter punientur, & *eâdem mensurâ, qua mensi fuerint* justis, *eâdem remetietur eis*: & eodem gladio crudelitatis, & tormentorum, quo percusserunt justos, eodem gladio peribunt, *Matth.7.* Et sic *arcus*, & fortitudo, & potentia *eorum confringetur*, & peribit, & finietur, & auferetur ab eis: ut patet de *Pharaone*, & *Domitiano*, & *Nerone*, *Atila*, & *Totila*, cujus arcum vidit frangi *Beatus Benedictus.* Et sic patet, quòd finis malorum est infelicitas.

THETH.

12. q. 1. Clericus. 17. *Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas.*

IN hac tertia doctrina exhortatur justum, ne desperet in paupertate, nec appetat superfluitatem pecuniarum & bonorum temporalium, quia natura paucis contenta est: sed perferat patienter paupertatem. Nam ut plurimum abundantia bonorum temporalium est occasio mali in pravis hominibus, ut magis possint exercere malitiam suam, ut patet in superbis & luxuriosis: & licèt bona temporalia sint bona bonis, & mala malis; tamen ut plurimum nocent propter malum usum, & pervertunt hominem. Et sic quibusdam est meliùs ipsa non habere, nisi solum ad victum necessarium: & sic paupertas est ad salutem justorum, & divitiæ sunt ad damnationem pravorum. Et sic pauper licèt in hac vita patiatur penuriam, tamen in patria satiabitur. Per oppositum autem dives malus, qui hîc abundat; in alia vita esuriet, ut patet de *Lazaro* paupere, & divite *Epulone*, *Lucæ* 16. Dicit ergo: Nemo desperet propter paupertatem, licèt videat pravos bonis temporalibus abundare. Nam *meliùs*, & tutiùs, & salubriùs *est modicum justo, super multas divitias peccatorum*, id est, magis prodest *justo* paupertas, quam peccatori multitudo divitiarum.

***
**

*** *** ***
*** *** ***

18. Quo-

1. q. 4. c. Homini.

18. *Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem justos Dominus.*

QUoniam *brachia*, id est, divitiæ & favores temporales, quæ sunt *brachia* & vires, in quibus peccatores confidebant, *conterentur*; & peribunt per mortem temporalem, aut quovis alio infortunio, ut patet de *Cræso* Rege *Lydorum*, & de *Sardanapalo*, & *Dario* Regibus *Assyriorum* & *Persarum*, quibus in vita fuit ablata, & contrita potestas. Sed *Dominus confirmat justos* in illa felicitate, quorum potestas & felicitas non auferetur, & *gaudium nemo tollet ab eis*. Nam paupertas vertetur in æternas divitias, *& tristitia eorum vertetur in gaudium, & gaudium eorum nemo tollet ab eis*, *Joann.* 16. Ex quo patet, quòd divitiæ hujus mundi sunt transitoriæ: divitiæ autem spirituales sunt firmæ, & securæ, & æternæ, & sufficientes; quia satiant habentem, *Psalm.* 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et in illis divitiis confirmabit *Dominus justos*, in præmium, & meritum laborum, & persecutionum, quas passi sunt à *peccatoribus*, & malignis cum patientia, & mansuetudine, & mundicia cordis.

JOD.

De Consec. d. 5. c. Jejunium. 1. q. 2. c. Sacerdos.

19. *Novit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit.*

20. *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur: quia peccatores peribunt.*

NOvit *Dominus dies*, & vitam immaculatam justorum: & ideo *hæreditas* felix *eorum erit in æternum*: quia contempserunt transitoria & terrena, & elegerunt cœlestia & æterna. Ideo bene merito in modico stabunt justi in magna constantia contra eos qui se angustiaverunt. *Et in die famis*, id est, in tempore quo peccatores esurient in inferno, justi *saturabuntur* in gloria: quia tunc *peccatores peribunt* ex fame, & defectu refrigerii gloriæ. Unde patet, quòd prosperitas malorum est deceptoria, & brevis.

** ** ** ** ** **
* * * * * *

CAPH.

1. q. 4. c. Homini.

21. *Inimici verò Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati: deficientes, quemadmodum fumus deficient.*

INimici *Domini*, illicò *ut fuerint honorificati & exaltati* ad dignitates & potestates, *deficientes* deficient & cadent: ut patet de *Alexandro*, cujus regnum vix duravit annis duodecim, & de *Cæsare*, qui vix imperavit sex annis: & de *Phalare*, & *Dionysio tyranno*. Ergo *est melius modicum justo, super divitias peccatorum multas.*

1. q. 1. c. Non est; & 14. q. 5. per tot.

22. *Mutuabitur peccator & non solvet: justus autem miseretur, & tribuet.*

IN hac quarta doctrina exhortatur justos ad eleemosynas faciendas: ut pro bonis temporalibus & transitoriis recipiant bona cœlestia. Nam eleemosyna non est nisi quædam mutuatio, & cambium: quia damus terrena parvi pretii, & recipimus beatitudinem cœlestem, quæ est pretii infiniti: & sic justus dando terrena, recipit cœlestia. Per oppositum, peccator retinendo, & amando terrena, temporalia non dando pauperibus, recipit pœnam æternam propter ingratitudinem. Nam nos omnes ista temporalia à Deo mutuò accepimus, ut pauperibus reddamus. Unde bona temporalia sunt tertium talentum, quod Deus hominibus ad negotiandum mutuò reliquit ad usuram, id est, ut vivant de bonis temporalibus; sed solvant Deo usuram, id est, quòd subveniant pauperibus Christi, *Matth.* 25. Et ideo avarus abscondit talentum in terra, cùm non vult dare eleemosynam pauperibus: quia non solvit usuram de bonis, quæ mutuò à Deo accepit: & ideo auferetur ab eo præmium illius talenti, & dabitur justis, ut patet *Matth.* 25. Ex quo patet, quòd cum facimus eleemosynam, nihil damus de nostro; sed solvimus usuram, & retribuimus quod mutuò accepimus. Et avarus *non solvit*; immò furto retinet quod mutuò accepit, cùm negat subvenire pauperibus, qui sunt hæredes Christi ad usuras, id est, eleemosynas exigendas. Unde Christus in die Judicii dicet: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare.* Nam *quòd uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis*, *Matth.* 25. Ideo dicit David: *Mutuabitur peccator*, id est, mutuò à Deo accipiet bona temporalia; *& non solvet* usuram pauperibus, eleemosynas negan-

gando, pro quibus Deus diviti bona temporalia mutuavit. *Juſtus autem miſeretur* pauperibus, *& retribuit quæ mutuò accepit*, largiendo eleemoſynam. Et ſic ſatisfacit debitum: quia eleemoſynam pauperibus dare, nihil aliud eſt, niſi debitum ſolvere: & cum *juſtus* dat eleemoſynam, *miſeretur*, dando pauperi: ſed retribuit Deo quod mutuò accepit. Ideo ſequitur: A

LAMED.

23. *Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei diſperibunt.*

23. q. 4. ca. Nemo.

24. *Apud Dominum greſſus hominis dirigetur: & viam ejus volet.* B

MEM.

25. *Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam.*

86. d. Fratrem noſtrum.

BEnedicentes *Deo*, id eſt, gratias agentes, id eſt, juſti: quia ſunt Deo grati in dandis eleemoſynis, *hæreditabunt terram: maledicentes autem*, ſcilicet, peccatores ingrati, *diſperibunt*, id eſt, ubicumque peribunt, ſcilicet, hîc, & in inferno. Juſti autem per oppoſitum: nam hîc, & in futuro præmiabuntur. Unde *greſſus hominis* juſti, & via, & operatio *dirigetur* in bonum finem per gratiam; *& Deus volet* C *viam ejus*, id eſt, acceptabit eleemoſynas & operationes ejus ad vitam æternam. Et etiam tutabitur viam ejus, ne cadat per impatientiam in blaſphemiam & peccatum, dum affligitur à malignis. Et ſi forſan *ciderit* juſtus in aliquod peccatum, tamen *non collidetur*, id eſt, non obſtinabitur in illo: *quia* ex merito eleemoſynarum *Dominus ſupponit manum*, & illuminat eum, ut ſurgat à peccato: quia eleemoſynæ relevant hominem ut plurimum à peccato. Item, licèt juſtus *ciderit* ictus & afflictus à malignis, tamen Deus non permittit etiam temporaliter perire: immò *manum ſupponit* ſui auxilii, & relevat eum, eruendo de D manu impiorum, ſicut pluries relevavit *Athanaſium*, & *Ambroſium* de perſecutione *Arianorum*. Et etiam ſi juſtus *ciderit* per mortem temporalem, tamen *Dominus ſupponit manum*, relevando eum per gloriam in cœlo. Et etiam ſi juſtus *ciderit* per paupertatem; tamen Dominus relevat eum, providendo ipſi de victu: quia *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur*, hîc, & in futuro. Quia eleemoſynæ non ſolùm valent ad augmentum gloriæ: ſed quandoque etiam ad augmen- E tum cibi neceſſarii. Ideo ſequitur:

26. *Junior fui, etenim ſenui: & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.*

1. q. 2. c. Sacerdos.

EGO David fui puer, & poſtea *ſenui*: & *nunquam vidi juſtum* & miſericordem totaliter derelictum, *nec ſemen ejus quærens panem* mendicando: & licèt hîc patiantur penuriam bonorum temporalium, tamen in futuro ſaturabuntur: & ſic hîc, vel ibi, habent præmium. Ex hoc patet, quòd David fecit hunc Pſalmum in ſenectute. Et ſequitur: F

NUN.

27. *Tota die miſeretur & commodat: & ſemen illius in benedictione erit.*

JUSTUS *tota die* vitæ ſuæ dando eleemoſynas, *miſeretur* pauperibus, *& commodat*: quia dando temporalia, recipit ſpiritualia & æterna. Et ideo ſemen & proles ejus erit in benedictione & abundantia bonorum, etiam temporalium; quia quandoque Dominus non ſolùm retribuit ſpiritualia pro eleemoſynis, ſed etiam temporalia. Et etiam per ly *ſemen ejus* intelliguntur opera bona, quæ dicuntur *ſemina noſtra*, 1. *ad Corinth.* 3. Quia ſeminamus G ſpiritualia, ut colligamus temporalia: & è converſo: quia dare eleemoſynam, nihil aliud eſt, niſi ſeminare temporalia, & colligere & metere ſpiritualia.

Ex quo patet, quòd divitiæ avarorum, & peccatorum, ſunt inutiles, & ſine fructu: divitiæ verò juſtorum, ſunt fructuoſæ, ut patet in littera hac. Nam ſex fructus facit eleemoſyna. Primò, quia dat hæreditatem in cœlo. Secundò, dirigit vitam hominis in bonum, ne cadat. Tertiò, ſi *ciderit*, reducit in gratiam. Quartò, quia non deſerit hominem in tribulationibus temporalibus, immò liberat. Quintò, quia auget bona temporalia, & liberat à H paupertate, ut plurimum. Sextò, quia etiam proſunt filiis temporaliter eleemoſynæ patris. Nam ſeptuplum augentur bona temporalia propter ſpiritualia: & non ſolùm hîc, ſed in futuro: nam *qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet* fructum in vitam æternam, 2. *ad Corinth.* 9.

* * *
* *

28. *De-*

De Pœn. d. 1. Quis aliquando

28. *Declina à malo, & fac bonum:* A *& inhabita in sæculum sæculi.*

IN hac quinta doctrina exhortatur omnes ad observandum Legem Divinam & præcepta, tàm affirmativa, quàm negativa: quæ quidem Lex nil aliud docet, nisi declinare à malo, & facere omne bonum: quia prohibet omne vitium, & jubet omnem virtutem. Dicit ergo: *Declina à malo*, implendo omnia præcepta negativa: *& fac bonum*, implendo affirmativa; *& inhabita*, id est, inhabitabis *in sæculum sæculi*, in terra viventium, supple.

SAMECH.

6. q. 1. Si omnia.

29. *Quia Dominus amat judicium,* B *& non derelinquet sanctos suos: in æternum conservabuntur.*

DOminus *amat judicium*, scilicet, justum, quia nullum bonum irremuneratum: & amat *sanctos suos*, qui justè vixerunt. Ideo *in æternum conservabuntur* ipsi sancti, non derelicti sine præmio.

Sup. 33. c.

30. *Injusti punientur: & semen impiorum peribit.*

AIN.

31. *Justi autem hæreditabunt terram: & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.* C

INjusti *punientur*, *& semen*, id est, generatio *impiorum peribit*: punientur equidem, si sunt imitatores parentum: *justi autem hæreditabunt terram* istam per gratiam, & futuram per gloriam: *& inhabitabunt in sæculum sæculi super eam*, fruentes illo bono æterno.

1. q. 1. Sacerdos.

32. *Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.*

IN hac sexta doctrina exhortatur omnes ad juge studium & contemplationem Legis Divinæ. Nam qui occupantur circa D studium Sacræ Scripturæ, primò, declinant à malo, dum sunt in illa meditatione: quia anima satiata in illo cibo spirituali, contemnit ista temporalia. Secundò, abhorret peccatum, propter pœnas, quæ leguntur in lege, & punitiones malorum: & sic justus vitat omne peccatum. Tertiò, cupit agere omne bonum, cùm legit beneficia E collata sanctis viris, & universaliter odit peccatum, & amat virtutes, in quantum legendo, magis cognoscit. Ideo dicit: *Os justi meditabitur sapientiam*; id est, intellectus & memoria hominis, quæ dicitur *os* animæ, *meditabitur*, & contemplabitur *sapientiam* Dei: quæ maximè in Lege Domini memoratur. Item, *os justi meditabitur*, id est, loquetur sapientiam Legis, quam meditatur intus. Et est figura. Ideo sequitur: *& lingua ejus loquetur judicium*, id est, quod justum est; & sic non peccabit per linguam. Et similiter *Lex Dei* erit semper *in corde* & voluntate *ipsius* justi cum proposito adimplendi: *& sic gressus*, id est, opera ejus, *non supplantabuntur* de bono ad malum: nec deprehendetur, id est, via, & propositum ejus non frustrabitur, F nec dejicietur. Item, sicut *os* meditatur justitiam: ita *lingua* loquitur judicium: quia *lingua* loquitur ad extra, quod intellectus concipit intùs, intelligentiâ spirituali, & loquitur quod judicat & sentit de Lege. Ideo sequitur:

PHE.

33. *Lex Dei ejus in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus ejus.*

LEX *Dei in corde*, & proposito, & voce *ipsius* ad observandum: *&* sic *non supplantabuntur gressus ejus*, id est, ut transgrediatur præcepta Legis, operando. Nam iste est fructus Sacræ Scripturæ: ut diligamus Deum & proximum, & declinemus à malo, & faciamus bonum: & sic *gres-* G *sus justi nunquam supplantabuntur* ad male agendum: nec movebuntur à via justitiæ.

24. q. 3. Non in perpetuũ, & de Reg. Jur. c. 3. lib. 6.

34. *Considerat peccator justum: & quærit mortificare eum.*

SADE.

35. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus: nec damnabit eum, cùm judicabitur illi.*

OPPOSITUM hujus est studium peccatoris, qui non dat operam Legi. Nam semper cogitat & *considerat mortificare* & H extinguere *justum*. Sed tamen *Dominus non relinquet eum in manibus ejus*, nec permittet, ut totaliter extinguat eum, licèt ad tempus affligat; *nec* peccator *damnabit eum, cùm judicabitur illi*, id est, ab illo. Nota, quòd ly *judicabitur* potest esse impersonale: & sic potest esse duplex sensus.

Primo modo sic: Peccator *non damnabit*, nec poterit damnare *justum* in die Judicii, cùm judicabitur, id est, fiet illi judicium in novissimo die. Secundò sic: licèt peccator cogitet, & conetur *mortificare justum*, tamen Deus non damnabit eum in novissimo die, *cùm judicabitur*, & fiet judicium illi peccatori: quasi dicat, quòd Deus *non damnabit justum*, sed peccatorem, in judicio: quod patet de Tyrannis, qui licèt vexaverunt Martyres quoad corpus; tamen non potuerunt animam extinguere, nec damnare; attamen ipsi damnabuntur in judicio.

23. q. 1. circ. med. §. 1.

36. *Expecta Dominum, & custodi viam ejus: & exaltabit te, ut hæreditate capias terram: cum perierint peccatores, videbis.*

HIC exhortatur justos ad patientiam in adversis; & dicit: *Expecta Dominum*, quia impii non abibunt sine pœna: *& custodi viam Domini*, sicut Dominus præcepit in Lege, *ut capias terram* viventium *hæreditate*: id est, pro hæreditate, sive ad hæreditatem, quam impii consequi non poterunt. Nam tu *videbis*, *cum perierint peccatores*, id est, videbis eos perire, & ad pœnam æternam destinari in die Judicii. Etiam *videbis* eos, quandoque temporaliter perire. Nam

COPH.

De Pœn. d. 3. c. Quàquam, & cap. Quid ergo. turbamur.

37. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani.*

38. *Et transivi, & ecce non erat: & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.*

EGO *vidi impium* Saul cum suis sequacibus malignis *superexaltatum*, & in dignitate regali constitutum, *& elevatum* in superbia & prosperitate, *sicut cedros Libani*, quæ sunt arbores altissimæ, & in monte altissimo: *& transivi* per domum suam, & non inveni, nec erat ibi: *& quæsivi* locum ejus, & dignitatem, & non inveni, *nec est inventus locus*, & dignitas *ejus* regalis: quia perierat cum suis in monte *Gelboe*, ut patet 2. *Reg.* 1. Et ita est dicendum de *Pharaone*, & *Nabuchodonosor*, & *Sennacherib*, & de omnibus, qui vexarunt populum Dei.

* * * * * *

RES.

23. q. 1. Paratus.

39. *Custodi innocentiam, & vide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.*

IN hac septima, vel octava doctrina exhortatur justos ad *innocentiam*, ne velint reddere malum pro malo, sed orare pro persequentibus, nec nocere alicui, sed omnibus prodesse: quia Deus est ultor impiorum. Dicit ergo: Tu juste *custodi innocentiam*, nemini nocendo, *& vide*, & sequere *æquitatem* & justitiam: quia innocentia & justitia *sunt reliquiæ* debitæ *homini pacifico*, & simplici corde, ut mereatur præmium in cœlo.

23. q. 5. §. ult.

40. *Injusti autem disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt.*

Injusti disperibunt, id est, undique, & ubique peribunt, hîc, & in futuro: *& reliquiæ*, id est, corpora *impiorum simul interibunt* cum anima: & sic peribunt in corpore, & anima. Et etiam *reliquiæ*, id est, filii impiorum, *simul* peribunt temporaliter cum patribus; ut patet de *Sodomitis*, & *Judæis*: & etiam filii peribunt quoad animam, si fuerint sceleris parentum imitatores.

SIN.

24. q. 6. Si res, & c. Hi qui.

41. *Salus autem justorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis.*


THAU.

42. *Et adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos: & eruet eos à peccatoribus, & salvabit eos: quia speraverunt in eo.*

SAlus *autem justorum*, & liberatio, & redemptio erit *à Domino*: quia erit *protector eorum in tempore tribulationis*: *& adjuvabit eos* per gratiam, ut patienter tolerent persecutiones; *& eruet eos à peccatoribus*, ne totaliter extinguant eos: *&* finaliter *salvabit eos*, felicitatem æternam conferendo; eò quòd *speraverunt in eo*, omni spe & felicitate mundanâ postpositâ.

Sed licèt totus iste Psalmus fuerit mora-

raliter expositus de David, & pro quocumque justo, afflictoque per malignos; tamen David non fuit minus Propheta in hoc Psalmo, quàm in aliis. Nam per suam persecutionem prævidit persecutionem Christi, & Ecclesiæ, ut dictum est. Nam sicut *Saul* persecutus est *David* injustè, retribuendo mala pro bonis, ex invidia: ita populus Judæorum, qui tot bona receperat à Christo, ex invidia & malitia persequebatur Christum usque ad mortem cum falsis testibus. Et sic Tyranni persecuti sunt Ecclesiam. Et sic justo Dei judicio *Saul* cum omnibus suis interiit in monte *Gelboe*, quia seipsum interfecit: ita pariter illa Civitas fuit eversa, & incensa, & major pars populi trucidata: & perdiderunt regnum, & sacerdotium, sicut *Saul*, & domus sua perdidit regnum. Eodem modo accidit *Neroni*, & *Domitiano*, qui seipsos interfecerunt. Et ideo David fecit hunc Psalmum prædicendo propheticè excidium Judæorum, & Tyrannorum persequentium Ecclesiam: & potest exponi propheticè de eis totus iste Psalmus. Unde dicit David, & cœtus Apostolorum: O Ecclesia Christi, *noli æmulari*, nec indignari *in malignantibus* Judæis, & Tyrannis, *neque zelaveris facientes iniquitatem*: nam licèt Judæi interfecerint Christum, & Tyranni persequantur Ecclesiam; tamen utrique *tanquam fœnum velociter* & in brevi *arescent*, *& citò decident* à dignitatibus & sedibus. Spera ergo in Domino. Nam *adhuc pusillum*, *& non erit*: quia post quadraginta annos subvertetur *Hierusalem*, & postea peribunt etiam Tyranni persecutores Ecclesiæ. Et per singulos versus poterit recognoscere fidelis lector, præsuppositis principiis Sacræ Scripturæ, & exponere totum Psalmum de liberatione Christi, & Ecclesiæ, & exaltatione ejusdem, propter innocentiam & patientiam: & de excidio & exterminio Judæorum, propter mortem Christi: & de misero exitu Tyrannorum Ecclesiam persequentium: & de exaltatione etiam Ecclesiæ: & de salvatione justorum, hic per gratiam, & in futuro per gloriam. Nam ad istum sensum cantat Ecclesia istum Psalmum: quia omnia contenta in hoc Psalmo, impleta sunt litteraliter in Christo, & Ecclesia, & Synagoga, & cœtu Tyrannorum.



PSALMUS XXXVII.

1. *Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.* 1.q.4. & Homini. Supr. 111 a.

TITULUS: *Psalmus David ad recordandum.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum. Sed de materia disceptant Hebræi. Nam quidam dicunt, quod David fecit hunc Psalmum, recordatus adulterium, quod commiserat cum *Bethsabee*. *Cambi* autem dicit, quòd David in hoc Psalmo introducit *Adam Harisón*; id est, primum hominem, qui enumerat omnes miserias suas, quæ ipsi ex illo peccato provenerunt. Sed utrique istorum dicunt verum in parte: sed quia deficiebat eis lumen fidei, ideo non potuerunt pervenire ad totam perfectionem veritatis. Ideo est advertendum, quòd David in persecutione filii sui *Absalom*, recordatus fuit, quòd illam persecutionem patiebatur propter adulterium cum *Bethsabee*, sicut prædixerat ipsi *Nathan*, scilicet, quòd filius surgeret de domo sua contra eum, & dormiret cum uxoribus suis; ut patet 2. *Reg.* 12. Et ideo tunc recognoscens hæc sibi evenisse ex peccato carnis, & ex corruptione concupiscentiæ, quam omnes traximus ex *Adam*: tunc incepit detestari vitium & corruptionem carnis, & fomitem concupiscentiæ in seipso, retorquendo peccatum in ipsum *Adam*, qui transtulit hoc vitium in posteros per libidinosam generationem. Sed postquam fuit David liberatus à persecutione filii *Absalom*, eò quòd patienter tulerat persecutionem, & frequenter meditaretur in supradicto vitio carnis contracto ex *Adam*, fuit ei revelatum à Spiritu sancto, qualiter Christus nos debebat liberare à culpa prædicti peccati per Passionem suam, & Ecclesiastica sacramenta: sicut impletum fuit in Baptismo, in quo deletur nobis originale peccatum, & etiam mortale, si inest. Et licèt non tollat concupiscentiam carnis, ut non sit; tamen tollit eam, ut non imputetur, ut ait *Augustinus*, *libro de Nuptiis*: & tandem totaliter tolletur concupiscentia, & omnis corruptio cum pœnalitatibus, in generali resurrectione. Hoc ergo prævidens David in spiritu, introducit *Adam* loquentem in hoc Psalmo, qui deflet casum & culpam suam, & miserias, & pœnalitates, in quas incidit propter peccatum inobedientiæ: à quibus omnibus petit per Christum liberari in suo adventu.

Sed ad majorem intelligentiam, est ulterius notandum secundùm Apostolum, 1. *ad Corinth.* 15. quòd *Adam* idem est,

Adam, id est, homo, & est duplex.

quòd *homo*. Nam quem nos *hominem* vocamus, Hebræi appellant *Adam*. Et sic reperitur duplex *Adam*. Unus dicitur *primus Adam*, qui est principium carnis, & A omnis peccati, in quo omnes peccavimus: quia transtulit peccatum suum, & omnes pœnalitates per generationem libidinosam in omnes posteros: & iste fuit figura futuri, & *secundi Adam*, scilicet, Christi. Secundus *Adam* fuit Christus, qui fuit figuratus per oppositum in illo primo. Nam sicut ille per inobedientiam fuit expulsus à paradiso, & incidit in omnem miseriam, & fuit principium omnis peccati, illud transferendo in omnes posteros per libidinosam generationem: ita Christus per oppositum, scilicet per obedientiam, fuit principium omnis gratiæ, quam gratiam transtulit in omnes fideles & membra sua per generationem spiritualem, scilicet, per *Baptismum*, & liberavit à prædicta captivitate & miseria, & reduxit nos in felicitatem amissam in *Adam*. Primus ergo *Adam* dicitur B *homo vetus*: quia omnes in peccato inveteravit. Secundus dicitur *Adam novus*: quia omnes nos renovavit. *Primus* dicitur *Adam de terra terrenus*. *Secundus* dicitur *de cœlo cœlestis*. Omnes ergo fideles, qui fuerunt inter primum *Adam* & secundum, habent duplicem respectum: quia participant utrumque *Adam*. Nam à primo *Adam* trahimus peccatum, & fomitem, cum omnibus pœnalitatibus. A secundo vero, scilicet à Christo, trahimus omnem gratiam, per quam absolvimur ab omni culpa contracta in *Adam*, & perpetrata occasione illius. Nam ut dictum est sæpius, concupiscentia & fomes carnis per contactum, causat culpam originalem in anima, & per C consensum, causat peccatum mortale in voluntate. A quibus non absolvimur, nec liberamur, nisi per gratiam Christi. Et sic omnes portamus duplicem imaginem in carne, scilicet, imaginem *primi Adam*, quæ est concupiscentia & fomes cum pœnalitatibus, & in anima culpam: sed remotâ culpâ animæ, portamus imaginem Christi, & characterem *Baptismi*, & *Confirmationis*. Et ideo per carnem omnes dicimur filii *Adam*, & facimus unum corpus cum eo, & sumus ejus membra.

Primus ergo *Adam* cum omnibus suis posteris, prout habent Fidem Christi, dicuntur unus *Adam mysticus*, & unum corpus Christi, in suo capite *Adam secun-* D *do* liberatum & redemptum. Et iste *Adam* peregrinatur exul per hunc mundum usque ad Judicium. Nam primò peregrinatus est usque ad Christum, in quo fuit salvatus: nunc autem adhuc peregrinatur usque ad secundum adventum, in quo sperat glorificari. Nam primò expectabat Christum, ut redimeret: sed nunc jam redemptus expectat secundum adventum, ut totaliter liberetur à pœnalitatibus corporalibus: sed continuè orat, & petit gratiam, ut præservetur, ne incidat in peccatum, & surgat à peccatis, quæ commisit. Et E iste homo sortitur multa nomina secundùm diversos respectus: nam ut est congregatio fidelium, dicitur *Ecclesia* Christi, sive Civitas Dei: sed ut videt Deum per fidem, dicitur *Israel*; & ut surripuit benedictionem à Synagoga, dicitur *Jacob*: sed ut fuit vulneratus in *Adam*, & peccavit in eo, dicitur *Adam sauciatus*. Et est ille homo, qui descendens ab *Hierusalem* in *Jericho* incidit in latrones, *Luc.* 10. Iste ergo *Adam vulneratus & sauciatus* introducitur in hoc Psalmo deflens casum suum, & miserias, & corruptionem carnis, quam incurrit in *Adam*, & petit liberari per Christum. Et sic patet, quòd David fecit hunc Psalmum in persona totius corporis mystici, prout traxit corruptionem & miseriam ab *Adam*: quas miserias David expertus est in se ipso. Et sic cantat Ecclesia hunc Psalmum in persona corporis mysti- F ci, sive membrorum Christi. Ideo proponitur in Titulo: *Psalmus David ad recordandum*: quia in hoc Psalmo iste *Adam mysticus recordatur*, & memorat omnes miserias, quas contraxit ex illo peccato.

Miseriæ defendæ.

Duo ergo facit: nam primò, recordatur & memorat, & deflet miserias & pœnalitates intrinsecas corporis, & animæ, in quas incidit. Secundò, pœnas extrinsecas, scilicet, persecutiones & afflictiones ab extraneis inimicis. Ibi: *Amici mei & proximi*. Quantum ad primum, dictum est *Psalmo 6.* quòd per *iram* intelligitur dies mortis, & per *furorem* dies Judicii. Et G ideo iste *Adam mysticus* petit liberari à peccato per Christum, antequam veniat dies obitus sui; ne moriatur impœnitens, & in ira Dei: & petit liberari ante diem Judicii; ne in furore ad æternam pœnam condemnetur. Dicit ergo: O Domine Jesu-Christe veni ad liberandum me per mortem & passionem, & per gratiam, ne moriar sine gratia & pœnitentia: & *ne arguas me in furore tuo* in die Judicii; & *ne corripias me in ira tua* in die obitus mei: nam qui moritur in peccato, moritur *in ira* Dei. Et sic veni ad liberandum me, antequam peream.

* *
*



De Pœ.d. 5.§.1. circa principium.

2. *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt* A *mihi : & confirmasti super me manum tuam.*

QUoniam *sagittæ tuæ* sententiæ, scilicet, corruptio carnis & somitis, & pœnalitates *infixæ sunt mihi* postquam peccavi : *&* tu *confirmasti manum* sententiæ tuæ *super me*, quando fui expoliatus & sauciatus, & dixisti : *Maledicta terra in opere tuo.* Et ideo

15. q. 1. Si concupiscentia.

3. *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ : non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* B

NON *est*, nec mansit *sanitas in carne mea* : quoniam ex quo me projecisti *à facie iræ*, & sententiæ *tuæ*, *non est*, nec remansit *pax* in *ossibus* & visceribus *meis à facie*, & culpa *peccatorum meorum:* per *faciem* enim notitia designatur, id est, à notitia publica *peccatorum meorum*: quia in corpore & anima fui vulneratus & sauciatus. Unde ante casum, cùm eram in statu innocentiæ, eram in summa libertate ; quia caro obediebat, & conformabatur rationi absque contradictione : sed illicò post peccatum taliter fuit caro & sensualitas corrupta : quòd illicò insurrexit adversus animam & spiritum vehementi rebellione. Et sic *non est sanitas in carne mea,* C *nec pax* in *ossibus meis*, sed continua & gravis pugna carnis adversus spiritum & rationem : & hanc pœnam incurrimus propter sententiam *iræ tuæ.* Et nota, quòd illa sententia dicitur facta cum ira, aut furore: non quòd in Deo sit formaliter ira, aut furor, sed effectivè recipitur in nobis talis sententia ad modum *iræ*, & furoris, ut dictum est *Psalmo 6.* Nam quælibet humana sententia capitalis exercetur quasi cum ira, & in tantum dicitur fieri cum ira, in quantum reus judicatur ad mortem, tanquam inimicus Regis, sive Reipublicæ. Sed executio sententiæ dicitur fieri cum furore ; quia sine misericordia corripitur, sive rapitur reus per carnificem, & punitur, & interficitur. Ita propriè factum est in *Adam* : nam primò, Deus judicavit ipsum ad duplicem mortem, & ad exilium. D Secundò, præcepit Angelis, ut cum furore exequerentur sententiam datam, cùm dixit : Ejicite eum foras, *ne forte comedat de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Sic raptus & correptus fuit *Adam* cum *furore*, & ejectus de paradiso in exilium, scilicet, in hanc vallem lacrymarum : & ex tunc jam corporaliter incepit mori, ut ait *Augustinus*, id est, tendere ad mortem E per successionem dierum : *quicquid* enim *retrò est*, *mors tenet*, ut ait *Seneca* ad *Lucillum.* Nam *licèt mors sit segnis, tamen ad ipsam properamus ipsi*, ut ait idem *Seneca in Hercule furente.* Ideo dicit *Adam* : O *Domine*, *ne arguas me in furore tuo. Ne arguas me*, id est, non velis me punire in æternum secundùm sententiam datam *in furore tuo* ; sed reduc me in gratiam tuam. *Neque corripias me in ira tua*, id est, non in æternum maneas in illa sententia, & executione, quâ cum ira & furore me à facie tua ejecisti, & ad mortem corporis, & animæ destinasti : sed veni in carne, & libera me, & redde mihi felicitatem & hæreditatem amissam.

8. d. cap. Apostolus. De Pœ.d. 3. cap. Totam; & d. 4. §. fin.

4. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* F

5. *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.*

NON *est sanitas in carne mea*, *nec pax* in *ossibus meis*, postquam ejectus sum à facie tua : *quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, id est, animam & rationem meam obscurarunt, & G perverterunt. Nam ratio, quæ dicitur caput totius hominis, superatur, & trahitur à carne : & hæc perversa in judicando, dicit malum bonum, & bonum malum. Et istæ *iniquitates gravatæ sunt super me sicut onus grave.* Nam sicut jumentum gravatum magno onere, vel pondere excedente, non potest liberè ambulare : ita homo oneratus onere somitis & concupiscentiæ, & corruptionis carnis, & pœnalitatum, non potest, nisi difficultèr, moveri ad bonum agendum, nec potest vitare casum ; * sed frequenter cadit, & læditur, & parvis lapidibus peccati scandalizatur, & labitur. Et totum hoc traximus à primo *Adam* ex illo peccato ; & illud onus traximus à conceptione libidinosa, & nativitate. Et licèt anima sanetur per gratiam Christi à vulneribus *sagittarum infixarum*, per Baptis- H mum, & Pœnitentiam, aut Circuncisionem, & sacrificia ante Christi adventum : tamen quia manet vitium in carne ; ideo ex tali vitio, & corruptione, & fragilitate, frequenter cado in peccatum : & sic *corruptæ sunt cicatrices meæ*, & putrefactæ sunt *à facie insipientiæ meæ* : quia omne peccatum provenit ex insipientia, in quantum ra-

**Not. Attenta corruptione naturæ, & sine adjutorio gratiæ.*

ratio judicat malum, bonum; & è contra, & non resistit sensualitati, & carni: & sic omnis peccator dicitur *insipiens* & *ignorans*. Et ita

49.d.c.1. §. Gibbosus.

6. *Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.*

Miser factus sum: quia servus, & captivus peccati; quia non est major miseria, quam peccato servire. Ideo sequitur: *& curvatus*, & *contristatus tota die ingrediebar*: nam sicut bestia, vel homo excessivè oneratus pondere corporali, ex nimio excessu incedit tristis, & *curvatus*, non libere valens ambulare: ità peccator oneratus peccatis, est *curvatus*, & obliquus in anima, & ratione, & conscientia, non valens resistere futuris peccatis; nec surgere, nisi per gratiam Christi relevetur, & erigatur, & rectificetur à curvitate rationis, & conscientiæ: & in tali statu nec potest lætari, nec gaudere, sed tristis, & curvus incedere, timendo futuras pœnas propter peccata. Et conqueritur specialiter de corruptione, & vitio carnis, dicens:

6.q.2.ca. Si.

7. *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.*

Lumbi mei impleti sunt illusionibus, id est, tentationibus carnalibus: luxuria quippe in lumbis præsertim est, prout Dominus de diabolo ad *Job* alloquens, dixit: *Virtus ejus in lumbis ejus, & fortitudo illius in umbilico ventris ejus.* Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd licèt Deus creaverit corpus & animam hominis plenè liberam: tamen post peccatum, aliqua pars corporis mansit aliquo modo diabolo subjecta, in quantum ipsi aliquandò à Deo permittitur: ut patet *Job* 1. ubi diabolus numquam potuit supra corpus *Job*, usquequò fuit ei à Deo permissum. Deo itaque sic permittente, habet diabolus ex peccato originis, velut quamdam specialem potestatem supra aliquam partem corporalem hominis, scilicet, supra *Pudenda* viri, & fœminæ: non quòd diabolus possit eos cogere ad coitum; sed quia valet fortiùs allicere, & tentare: & partes illæ magis sunt pronæ ad obediendum diabolo suggerenti, & fragiles ad resistendum tentationibus, quàm reliquæ partes corporis: & hoc provenit ex peccato, & inobedientia primorum *Parentum*. Et ideo diabolus, id non ignorans, sæpiùs & multifariè objicit homini objecta ad luxuriandum: non solùm in præsentia mulierum, sed etiam in absentia: & ne dum in vigilia, sed insuper in somniis. Et sic continuè immittit illusiones hominibus: & hac de causa peccatum luxuriæ generalius est cæteris peccatis: nisi quis per specialem gratiam præservetur. Ideo ait: *Lumbi mei*, in quibus est principium & radix luxuriæ, *impleti sunt illusionibus*, & tentationibus carnalibus: & sic *non est sanitas in carne mea*. Hoc forsan dicit, quia tota natura in tantum fuit corrupta, quòd nullus inventus est sine hoc vitio, nisi sola Virgo *Maria*, quæ per gratiam fuit præservata & prævenita, ut ait *Augustinus*, eò quòd in ea fomes totaliter fuit extinctus. Sed cæteri puri homines non fuerunt immunes à fomite: licèt quidam fuerunt liberati ab actu peccandi, at non à fomite & tentatione. Nam *Apostolus*, qui jam erat perfectus, & in gratia confirmatus: tamen conqueritur de stimulo carnis ipsum colaphizante: sed gaudet, quia data est ei gratia Christi ad resistendum. Ideo dicit *Adam*: *Lumbi mei*, id est, filii lumborum meorum, *sunt impleti illusionibus* luxuriæ, ex fomite concupiscentiæ; *& non est sanitas* in tota *carne mea*, id est, in omnibus filiis meis naturaliter generatis, nisi quis præventus fuerit gratia Christi: ut patet de Virgine *Maria*. Et ideo subdit:

De Pœn. d. 2. §. Opponitur.

8. *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.*

Afflictus sum à tali pœna & corruptione: & *humiliatus*, id est, dejectus & prostratus *sum nimis* à libertate priori in præsentem miseriam. Et ideo considerans felicem statum, à quo cecidi, & miserum statum, in quem incidi, semper *rugiebam* tanquam leo, sive tanquam leæna, quando rugitu vult suscitare filios suos, quos mortuos peperit: ita ego *Adam* continuè *rugiebam*, dico, *à gemitu cordis mei*, cum magno dolore & contritione, propter peccatum in se, & propter damnum, reminiscendo felicem statum, quem perdidi; & miserum, in quem cum tota mea posteritate incidi.

De Pœ. d. 1. cap. In actione.

9. *Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.*

HIC *Adam* petit liberari per Christum, cui ante dixerat : *Domine ne in furore tuo.* Ad cujus intellectum est advertendum secundùm *Augustinum*, quòd iste homo mysticus, languidus, & vulneratus, fuit figuratus per illum *Languidum*, quem Christus sanavit in probatica piscina, *Joan.* 5. Nam sicut ille languidus *jacebat juxta illam piscinam habentem quinque porticus, in quibus jacebat multitudo magna languentium* : ita anima cujuslibet filiorum *Adam* jacet languida & ægrota in piscina hujus corporis mortalis & corrupti, habentis quinque porticus, id est, quinque sensus exteriores, & quinque interiores, in quibus jacet multitudo passionum, & infirmitatum, tàm spiritualium, quàm corporalium, quas traxit ex *Adam:* & sic corpus nostrum corruptum & sauciatum, nihil aliud est, nisi *piscina*, & *porticus* infirmitatum & vitiorum. Et per hoc quod ille languidus non potuit sanari, usquequò venit Christus ad piscinam ; fuit figuratum, quòd totum genus humanum non poterat sanari à languore peccati, nisi per Christum venientem ad piscinam hujus mundi. Hoc ergo prævidens David in spiritu, in persona totius *hominis mystici* sauciati & languidi, vocat Christum, ut veniat in carne, ad sanandos languores, quos supra memoravit. Unde dicit: O *Domine* Jesu, licèt cum ira & furore projeceris me à facie tua in tantam miseriam ; tamen non diffido, nec despero de tua misericordia: quia semper spero, quod tu venies in carne ad liberandum me : ideo *omne desiderium* & spes mea est *ante te* ; & *gemitus meus à te non est absconditus :* quia continuè ago pœnitentiam de peccatis, & spero adventum tuum, quia sub hac Fide Christi venturi intendo salvari cum tota mea posteritate. Unde pœnitentia ipsius *Adam* legitur *Sapientiæ* 10. ubi dicitur: *Hæc illum qui primus creatus est homo, pater orbis terrarum, eduxit à peccato suo.* Ex hoc patet, quòd David dirigit hunc Psalmum in Christum, qui est finis Legis, & Salvator. Nam David sciebat, quòd *Adam*, & ipse, & cæteri non poterant salvari, nec à peccato liberari, nisi per Christum, in cujus fide omnes salvati sunt. Ideo dicit:

Domine ante te est *omne desiderium meum*; quia

* * *
* *

*** *** ***

Nota de languido in probatica piscina.

10. *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea : & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.*

2. q. 1. cap. Nulli.

COR *meum*, & ratio, & tota anima *conturbata est*, & appetitus perversus ex peccato : & *dereliquit me virtus mea*, quia sauciatus non possum peccato resistere, nec bonum agere, nisi à Deo relever. Et hoc non solùm quoad voluntatem ; sed etiam *lumen oculorum meorum*, scilicet, intellectûs, & rationis, *dereliquit me*, & *ipsum* lumen *non est mecum* ; quia perdidi ipsum propter peccatum.

Unde notandum, quòd inter cætera, quatuor bona habuit *Adam* ante peccatum: primò, obedientiam facilem carnis ad animam, & sensualitatis ad rationem. Secundò, immunitatem ab omni pœna & miseria corporali : quia erat immortalis & impassibilis ex dono Dei. Tertiò, scientiam inditam omnium rerum naturalium. Quartò, obedientiam omnium animalium, & usum liberum omnium rerum creatarum, & amicitiam parem aliorum hominum. Sed omnia ista valdè immutata sunt ex peccato. Nam primò, caro rebellavit adversus animam. Secundò, incidit in omnes miserias & pœnas corporales, scilicet, famen, sitim, laborem, dolorem, & mortem. Tertiò, incidit in ignorantiam: quia quando nascimur, *anima nostra est tanquam tabula rasa, in qua nihil depictum est*, 3. *de Anima.* Quartò, incidit in miserias exteriores, scilicet, in persecutiones, ut in invidiam, & iram aliorum hominum. De tribus primis conqueritur in tota ista prima parte, & breviter in hoc versiculo, cùm dicitur : *Cor meum conturbatum est*, id est, appetitus perversus est in me, & *virtus mea* naturalis, & libertas sanitatis membrorum, & fortitudo *dereliquit me*, & *lumen*, & *virtus* intellectus agentis, & scientia mihi indita *dereliquit me: & ipsum lumen*, & scientia *non est mecum* : immò anima mea in sui principio est tanquam tabula rasa, in qua nihil depictum est : & sic non possum adipisci scientiam naturalem, nisi per magnum & longum studium: nec scientiam de rebus divinis, nisi ex spirituali revelatione, & instinctu.

* * *
* *

*** *** ***
*** *** ***

8. q. 1. c. Oves, §. Ipsa.

11. *Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt.* A

IN hac secunda parte conquerendo, recordatur, & memorat quartum beneficium, quod amisit per peccatum, & miserias exteriores, in quas incidit: quia incidit in iram, & odium, & persecutionem, & invidiam malorum. Nam si *Adam* non peccasset, omnes homines fuissent unanimes sine invidia & ira, & sine odio; & non esset persecutio, nec rixa. Ideo dicit: Non solùm perdidi bona interiora, sed etiam exteriora, & incidi in multitudinem miseriarum exteriorum. Nam *amici mei, &* B *proximi mei adversum me appropinquaverunt*, ut mihi nocerent, & læderent, linguâ & manu; *& steterunt adversum me*, ut deprædarentur, & occiderent. Nam *Cain* motus zelo invidiæ, insurrexit, & occidit *Abel* fratrem suum. Et ante diluvium insurrexerunt *filii hominum* contra *filios Dei*, id est, mundani contra bonos & fideles, & civitas diaboli contra civitatem Dei. Quia illicò divisus est mundus in duas civitates, Dei, scilicet, & diaboli: & sic successivè semper civitas diaboli persecuta est civitatem Dei. Et illicò post diluvium *Cham* persecutus est patrem suum *Noe*, & fratrem suum *Sem*; & divisi sunt tres fratres per tres partes mundi. Item, filii *Nembroth* persecuti sunt *Abraham*; & *Ismael* persecutus est *Isaac*; & *Esau*, *Jacob:* C & universaliter filii carnis persecuti sunt filios promissionis. Et *Pharao* cum *Ægyptiis* persecuti sunt, & oppresserunt filios Israel: & universaliter populus Gentilis populum Dei, & Ecclesiam Christi. Et sic usque ad consummationem sæculi, semper civitas diaboli terrena persequitur civitatem Dei, & Ecclesiam: quod totum provenit ex peccato primorum *Parentum*. Et hoc est quod dicit, & conqueritur hîc *Adam*. Nam *omnes amici mei, & proximi*, & fratres, quia omnes sumus filii unius Dei per creationem, & unius primi hominis per generationem naturalem; & sic deberemus esse concordes, & unanimes: sed omnes qui divisi sunt à civitate Dei, & sunt in civitate terrena, *appropinquaverunt ad-* D *versum me, & steterunt* contra me, ut me læderent, & deprædarentur, & opprimerent, & occiderent, ut patet de *Cain*, & *Cham*, de *Chaldæis*, de *Ismael*, & de *Esau*, & *Pharaone*, & *Moabitis*, & de *Ammonitis*, & tyrannis contra Ecclesiam. Ideo subdit:

* * *
* *

** ** ** ** **
* * * * *

E 12. *Et qui juxta me erant, de longè steterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.* 23. q. 4. Qui secundum.

QUI *juxta me erant* per conjunctionem, & consanguinitatem carnis, *de longè steterunt* à religione fidei: quia relicto Deo creatore, declinaverunt ad idola, quæ non sunt Dii, sed creaturæ, & lapides, & ligna. Et sic insurrexerunt contra me, *& vim faciebant*, & violenter *quærebant animam meam*, & vitam meam delere ab hoc mundo.

F 13. *Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.* 6. quæ. 1. Quiescite.

QUærebant *mala mihi*, scilicet, Pagani & Infideles *locuti sunt vanitates, & meditabantur dolos* contra me *tota die*. Quia semper Infideles machinabantur contra populum Dei, tàm ante adventum Christi, quàm post.

14. *Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.* 23. q. 1. §. 1.

G EGO *autem*, dicit Ecclesia, *non audiebam tanquam surdus*: id est, semper patienter ferens persecutiones Tyrannorum, non respondebam ad maledicta eorum, & eram *sicut mutus non aperiens os suum*, ut cantat Ecclesia de Martyribus.

Cæduntur gladiis more bidentium:
Non murmur resonat, non querimonia;
Sed corde tacito mens bene conscia
Conservat patientiam.

Et ideo sequitur:

15. *Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo* H *redargutiones.* 23. q. 3. cap. Sex differentiæ.

16. *Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.*

QUIA non expectabam auxilium hominum, sed tuum tantùm, *quoniam in te speravi*. Et sic potest tota ista secunda pars exponi in persona Ecclesiæ, quæ

quæ conqueritur de suis persecutoribus. Sed forsan melius est, quòd in toto isto Psalmo loquatur Christus, qui est *secundus Adam*. Nam dictum est sæpius, quòd Christus tantùm traxit, & sponte assumpsit pœnalitates, & culpam quoad pœnam, à *primo Adam*; eò quòd Christus erat passurus pœnam pro culpa ipsius *primi Adam*, & suorum. Sed postea Christus univit sibi *primum Adam* cum suis, in unitate mystica per fidem. Sed quia tanta est ista unitas inter caput, & suum corpus mysticum, quòd communicantur idiomata, ut dictum est; ideo Christus caput sæpe loquitur in persona membrorum; & peccata eorum dicit esse sua, postquam pro eis passus est, & solvit. Et ideo Christus duo facit in hoc Psalmo: nam primò, loquitur in persona *primi Adam*, & suorum, quod dicitur *corpus mysticum* Christi: & deflet peccata, & pœnalitates, quas traxit ex peccato. Secundò, Christus in persona sui ipsius deflet, & memorat pœnas, & afflictiones, quas passus est pro peccato *primi Adam*, & totius corporis mystici: ibi: *Amici mei & proximi.*

Quantum ad primum dicit Christus ad Patrem: O *Domine* Pater, *ne arguas me*, id est, membra mea, *in tuo furore*, id est, secundùm sententiam datam *in tuo furore*, quando ejecisti *Adam* de paradiso terrestri. *Neque corripias me* in æternum pro illo peccato, membra mea puniendo: *quoniam sagittæ* sententiæ *tuæ infixæ sunt mihi.* Et sic exponatur prima pars, quòd Christus loquitur in persona *primi Adam* cum tota sua posteritate fideli, quod dicitur *corpus mysticum*, sicut supra expositum est: nihil mutando, nisi personam Christi, in quantum loquitur pro suo corpore.

Amici mei. In hac secunda parte, postquam Christus deflevit, & memoravit peccatum, & corruptionem, & fomitem quem incurrit *Adam* ex inobedientia: nunc loquitur in persona sui, & deflet, & memorat pœnas, & persecutiones, quas passus est pro peccatis membrorum, & *primi Adam.* Unde duo facit: nam primò, facit quod dictum est. Secundò, [illegible]iberari: ibi: *Ne derelinquas me.* Dicit ergo Christus: *Amici mei* Judæi, quibus tot bona operatus sum & feci, filios eorum sanando, & suscitando à mortuis, *& proximi mei* de tribu Juda, *adversum me appropinquaverunt*, necem meam perpetrando, *& steterunt*, id est, instanter adversati sunt: *& qui erant juxta me*, amicitiam simulando, postea tempore passionis *à longè steterunt*, quia auxilium negaverunt: immò se inimicos ostenderunt. *Et* ipsi *qui quærebant animam meam, faciebant vim*: id est, ad posse laborabant, *animam*, id est, vitam meam auferre. Et etiam *Apostoli, qui erant juxta me*, & in societate mea, tunc tempore captionis *steterunt longè à me*; quia *me relicto, omnes fugerunt*: & sic Judæi, & ministri, *qui quærebant animam meam* & vitam meam perdere, *faciebant vim*; quia ligarunt me, & violenter me trahebant. Et ipsi inquirentes *mala mihi, locuti sunt vanitates*, & falsa testimonia contra me in domo *Annæ* & *Caiphæ* & *Pilati*: & sic *tota die meditabantur dolos* & fraudes contra me, accusando coram *Pilato. Ego autem*, dum mihi convitia & falsa testimonia improperarunt, *tanquam surdus non audiebam*, id est, ac si essem *surdus*, non respondebam: & eram *sicut mutus non aperiens os meum*, & factus sum tacens, *sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*, nec responsiones, ad satisfaciendum injuriis, & falsis accusationibus, in tantum, ut *vehementer miraretur Præses.*

Quoniam in te Domine speravi. Hìc reddit Christus causam, quare ita patienter sustinuit illa convitia: & dicit, quòd non pro se, sed pro membris patiebatur. Ideo triplici ex causa patienter passus est. Primò, ut pro peccato superbiæ, & inobedientiæ ipsius *Adam* satisfaceret. Secundò, ut esset exemplum Martyribus, & Fidelibus in futurum, ut patienter tolerarent persecutiones. Tertiò, quia propter patientiam & humilitatem, sperabat se resurrecturum in capite, & membris. Ideo dicit: *Quoniam in te Domine speravi* in tota illa persecutione, ideo *tu exaudies me Domine Deus meus*, me resuscitando, & membra mea tibi reconciliando. Et hæc est prima, & secunda causa, quare tacui, & patienter tuli. Tertia est:

Christus deflet pœnas peccatorum.

17. *Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.*

23. q. 1. §. 1. circa medium.

QUIA *dixi*, hæc volo pati, *nequando inimici mei gaudeant*, immò tristentur de mea resurrectione: & *dum pedes mei*, id est, Apostoli, & Martyres, & universaliter omnia membra mea, *commoventur* & affliguntur: & *magna locuti sunt super me*, id est, *locuti* fuerunt Tyranni *super me*: tunc ipsa membra mea ferant patienter exemplo mei.



24. q. 4. cap. Quod Christus.

18. *Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.* A

QUoniam, id est, propter causas supradictas, *ego sum paratus* tota die *in flagella* toleranda pro membris meis: *& dolor meus* est *semper paratus in conspectu meo* pro eis; id est, semper propono pro eis pati. Et ideo in persona membrorum subdit:

De Pœ. d. 1. quasi per totum

19. *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.*

B

QUoniam *iniquitatem meam*, scilicet, membrorum meorum, *annuntiabo*, & confitebor in Cruce, *& cogitabo* pati *pro peccato meo*, scilicet, membrorum.

6. q. 1. ca. Quiescite.

20. *Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè.*

6. q. 1. Sunt plurimi.

21. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.*

C

HIC reddit causam, quare moti sunt Judæi ad persequendum Christum: & dicit, quòd tota causa fuit, quia prædicabat, & sequebatur justitiam, & virtutes, opere, & doctrinâ. Dicit ergo, *autem* pro *sed*, *inimici mei* Judæi *vivunt*, & prosperabuntur, *& confirmati*, id est, roborati, & fortificati sunt *super me*: *& multiplicati sunt iniquè qui oderunt me*, *retribuentes mihi mala pro bonis*, scilicet, illi, quibus impenderam multa beneficia, filios eorum sanando &c. Et isti tanquam ingrati *detrahebant mihi*, & accusabant coram *Pilato*. Et totum hoc fecerunt, *quoniam sequebar bonitatem*: primò, faciendo; secundò, docendo: quia in prædicationibus meis improperabam eis peccata Legis, & prædicabam contra eorum avaritiam, & superbiam, & simoniam, & cætera vitia: & quia eram dissimilis operibus eorum. D

*** *** ***

E 22. *Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.*

23. q. 1. Paratus.

NE *derelinquas*. Hìc petit liberari per resurrectionem in capite, & membris. Dicit ergo Christus: *O Domine Deus* Pater, *ne derelinquas me* diu in posse Judæorum: *& ne discesseris à me*, sed

9. q. 3. ca. Ira, & 24. q. 1. Paratus.

23. *Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.*

O *Domine Deus salutis meæ*, *intende in adjutorium meum*, me tertia die resuscitando, ut possim mea membra tibi F reconciliare, & per meam resurrectionem eos ab utraque morte resuscitare. Item, ista ultima particula potest esse vox Prophetæ ad Christum, dicentis: O Christe *Domine Deus* & Salvator, accelera adventum tuum: & *ne me derelinquas* in potestate diaboli, & in hac miseria. Sed tu, qui es *Deus salutis meæ*, quia es verè Salvator, ideo vocaris *Jesus*: *intende* ergo *in adjutorium meum*, & redemptionem meam per passionem.

Iste Psalmus est tertius in ordine *Psalmorum Pœnitentialium*. Ideo ultra sensum mysticum potest exponi moraliter in persona cujuslibet pœnitentis. Et sic recitat ipsum Ecclesia in diebus ferialibus, in persona cœtus pœnitentium. Unde conqueritur Ecclesia de diabolo, & membris ejus: eò quòd vexat fideles variis tentationibus: G & consequenter de incommodis, quæ accidunt peccatoribus ex peccato. Dicit ergo: *O Domine* Jesu-Christe, *ne arguas me in furore tuo*, id est, da mihi veniam, & ne reserves vindictam, & pœnam in diem furoris tui, id est, usque ad obitum meum: vel usque ad diem Judicii, sicut dictum est *Psalmo* 6. *quoniam sagittæ* sententiæ *tuæ infixæ sunt mihi*. Et sic deflet incommoda intrinseca, & extrinseca, quæ eveniunt peccatoribus ex peccato.

PSALMUS XXXVIII.

15. q. 1. Vos autem.

H 1. *Dixi: Custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.*

TITULUS: *Ad victoriam*, sive *In finem*, *ipsi Idithun Psalmus David*. Hieronymus verò, *Victori Idithun*, *Canticum David*. Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum, & tradidit ipsum cantandum choro *Idithun* cum toto conatu

vo-

vocum. Ex hoc Titulo apparet etiam, quòd quando in Titulis ponitur: *Filiis Core*, vel *Aſaph*, aut *Ethan*, non memorantur tanquam factores Pſalmorum, ſed tanquam *Cantores*: ſicut per hoc quod dicitur: *Ipſi Idithun Pſalmus David.* Et hoc idem dicit *Ambroſius* in principio libri *de Officiis*, qui adducit hunc Pſalmum tanquam proœmium; & dicit, quòd *David fecit hunc Pſalmum, & dedit ipſum cantandum ſancto Idithun.*

Sed de materia hujus Pſalmi eſt varius modus loquendi apud Hebræos, & apud Latinos. Nam *Rabbi Salomon* dicit, quòd David fecit hunc Pſalmum prævidens preſſuram populi Dei in captivitate Babylonica. Unde in perſona populi oppreſſi ait: Ego populus Dei vexatus in illa captivitate *dixi*, id eſt, propoſui, *cuſtodire vias meas, ut non delinquerem, nec peccarem, murmurando in lingua mea, ſed patienter ferrem opprobria & vexationem: poſt punivit me Dominus propter peccata mea*: & ſic expoſuit totum Pſalmum de illo populo deſideranti cum patientia exire ab illa captivitate. Sed in veritate licèt aliqua pars litteræ poſſit applicari illi intentioni: tamen multa ſunt in hoc Pſalmo, quæ videntur deviare, & extortè applicari. Ideo quidam *Latinorum* exponunt litteraliter de David, cùm fugeret à facie *Abſalom* per jugum montis olivarum, & *Semei* projiceret contra eum terram & lapides, dicens: *Egredere, egredere vir ſanguinum.* Sed cum *Abiſai* vellet deſcendere, ut interficeret *Semei*, prohibuit David, dicens: *Dimitte eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit, ut maledicat David*, 2. *Reg.* 16. Ex quibus patet, quòd David patienter tulit hanc perſecutionem, nec peccavit peccato linguæ murmurando: immò omnia imputavit peccato ſuo. Et ſic fecit hunc Pſalmum, memorans, qualiter patienter tulit hanc perſecutionem abſque peccato linguæ, ſeu murmurationis.

David fugit à facie Abſalom.

Sed licèt in veritate magis & convenientius poſſet hæc littera applicari præfatæ hiſtoriæ; & forſan illud myſterium fuit cauſa movens, quare David fecit hunc Pſalmum: tamen non fuit cauſa præciſa & finalis: nec eſt ſiſtendum in littera, cùm in hoc Pſalmo non fuerit minus Propheta, & inſpiratus, quàm in cæteris: maximè, quia aliqua ponuntur in hoc Pſalmo, quæ videntur extranea ab illa hiſtoria, ſicut eſt illud: *Verumtamen univerſa vanitas omnis homo vivens.* Et ideo eſt dicendum, quòd David per ejectionem à regno, & per rebellionem filii, & populi, propter peccatum commiſſum, vidit in ſpiritu totum myſterium peccati *primorum Parentum*, qui propter inobedientiam, & ingratitudinem, fuerunt ejecti à paradiſo, & perdiderunt felicitatem; immò omnia fuerunt eis rebellia: nam pars ſenſitiva & caro inſurrexit contra ſpiritum, & elementa, & beſtiæ inſurrexerunt contra eos. Et ſic *Adam*, qui erat Rex & Dominus in illa civitate, ejectus eſt, & factus eſt peregrinus cum ſua poſteritate in hac valle lacrymarum. Item, ſicut populus regni David fuit diviſus in duas partes; nam quidam adhæſerunt ipſi David, & peregrinati ſunt cum eo; alia pars adhæſit *Abſalom*, & perſequebatur ipſum David; ſed finaliter David patienter ferendo illam perſecutionem, prævaluit contra *Abſalom*, & ſuos, & ſic David per ſuam humilitatem & patientiam, meruit reduci, & recuperare regnum, extincto *Abſalone*, & confuſo cum ſuis ſequacibus: ita pariter, ut ait *Auguſtinus* 15. *de Civitate Dei*, filii Adam poſtquam ejecti ſunt à paradiſo, diviſi ſunt in duas civitates, ſcilicet, *terrenam*, & *cœleſtem*, ſive ſpiritualem: ſive in duos populos: quorum unus dicitur *terrenus*, ponens ſuam ſpem in hoc ſæculo; & alter dicitur *ſpiritualis*, ponens ſuam ſpem in Chriſto, expectans per ipſum liberari, & ad civitatem, de qua ejectus eſt, revocari. Ille populus incepit à *Cain*: iſte vero ab *Abel* juſto. Ille populus pertinet ad hanc terrenam civitatem, in qua ponit ſuam ſpem: iſte vero pertinet ad civitatem ſupernam, ad quam tendit. Ideo dicitur *peregrinus*, & non civis, in hac terrena civitate. Unde dicit *Auguſtinus*, quòd *duo amores diviſerunt has duas civitates*, ſcilicet, *terrenam, amor ſui uſque ad contemptum Dei: cœleſtem autem amor Dei uſque ad contemptum ſui.* Et ideo *illa in ſe, iſta in Domino gloriatur.* Et ideo illa quærit ab hominibus gloriari & exaltari; iſta autem dicit Domino ſuo: *Tu es gloria mea, tu & exaltans caput meum.* Et ideo ſemper illa civitas terrena quæſivit proſperitatem in hac vita: iſta autem noluit habere hîc manentem civitatem, ſed futuram expectavit. Et ſic legitur, quòd *Cain* ædificavit civitatem, quaſi intendens in hoc mundo permanere. Sed *Abel* non legitur ædificaſſe civitatem: quia non intendebat in hoc ſæculo permanere, ſed ad civitatem cœleſtem peregrinari. Et ſic omnes carnales & terreni dicuntur ſucceſſores *Cain*, & pertinent ad civitatem terrenam: ſed omnes ſpirituales dicuntur ſucceſſores *Abel*, & peregrini, eò quòd poſuerunt ſpem in Chriſto futuro. Et ſic uſque ad Chriſtum per fidem, ſpem, & charitatem, peregrinati ſunt, patiendo perſecutiones & vexationes à civibus civitatis terrenæ: ſed finaliter ſunt per Chriſtum liberati, & ad civitatem cœleſtem revocati. Filii autem terrenæ civitatis, licèt partim perierint in primo adventu Chriſti: tandèm in finali Judicio totaliter peribunt cum diabolo capite ſuo, ſicut periit *Abſalom* cum ſuis. Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, fecit hunc Pſalmum.

Nota de duabus civitatibus, & earum filiis.

Conſiderat ergo David totum populum

lum Dei, tanquam unum corpus mysticum Christi, & unum peregrinum, qui ab *Adam* & *Abel* peregrinatur per fidem & spem usque ad Christum, & exinde usque A ad Judicium, ut recuperet per fidem, & humilitatem, civitatem, quam perdiderat per superbiam: & tendit primò in Christum, ut dirigat ipsum in illam civitatem. Sed in peregrinatione semper patitur, & passus est, & impugnatur à diabolo, & membris ejus, quorum persecutionem cum silentio & patientia passus est, per quam patientiam efficitur membrum Christi, & sic meretur veniam. Et istum peregrinum introducit David loquentem in hoc Psalmo. Et ideo in Titulo dicitur, *Ad victoriam*, sive *In finem ipsi Idithun, Psalmus David*: quia *Idithun* interpretatur *transiliens eos*. Nam peregrinus transit alios, & relinquit post se, & ipse assequitur terminum. Ita populus fidelis, quia non mansit in hac terrena civitate, nec ponit spem in ea, relinquit homines terrenos, & saltat B in patriam, præteriens eos in miseria mundana, & ipse transilit ad felicitatem æternam: & sic dicitur *transiliens eos*. Et ideo in Titulo additur, *Ad victoriam*: quia transiliens alios, vincit & consequitur bravium, vel dicitur *In finem*, quia dirigitur in Christum.

Iste ergo *transiliens*, & peregrinus introductus ad loquendum, quinque facit. Nam primò, deflet persecutiones, & pœnas sibi inflictas ex peccato, quas cum patientia, & sine murmuratione, se dicit pati. Secundò, petit adventum Christi accelerari, ut imponat finem suæ peregrinationi. Tertiò, gaudet, se vicisse terrenos, & posuisse spem, & finem in Christo. Quartò, C confitetur, se juste pœnas patî ex peccato suo. Quintò, petit agere pœnitentiam, & sibi remitti culpam in hac vita. Secunda ibi: *Locutus sum in lingua mea.* Tertia ibi: *Verumtamen universa vanitas.* Quarta ibi: *Obmutui, & non aperui.* Quinta ibi: *Exaudi Domine.* Vel potest dici, quòd duo iste peregrinus generaliter facit: nam primò, narrat suam patientiam cum silentio in persecutionibus. Secundò, invocat & petit adventum Christi accelerari, ut liberet eum; ibi: *Locutus sum in lingua.*

Not. quomodo hic peregrinus quinque facit.

Quantum ad primum est notandum, quòd inter cæteras conditiones hominum, duæ sunt maximè necessariæ peregrino, sci- D licet, humilitas, & patientia. Et ratio est: nam quando peregrinus peregrinatur inter gentes habentes extraneos & pravos mores, semper vexatur, & sæpè patitur opprobria & injurias, quibus si vellet satisfacere per linguam, aut per opera, deficeret in via, & non perficeret suam peregrinationem: ergo oportet, quòd patienter ferat cum humilitate. Ita pariter, populus fidelium, qui peregrinatus est à principio mundi inter terrenos, & infideles dispares in cultu & moribus, semper fuit, & erit impugnatus, & vexatus ab eis: E & hoc propter cultum unius Dei in utroque Testamento contentum, & propter diversitatem morum & modi vivendi. Nam primò, *Abel* occisus est à *Cain* ex invidia, & *Noe* irrisus à filio suo *Cham*, & *Abraham* vexatus à *Chaldæis*, & *Isaac* ab *Ismael*, & *Jacob* ab *Esau*, & *Israel* ab *Ægyptiis*. Et ideo oportuit istum peregrinum cum humilitate transiisse: aliter non meruisset. Sed quia posuerat spem suam in Christo, ideo meruit ad ipsum pervenire cum humilitate & patientia. Dicit ergo iste *transiliens*, sive peregrinus: Ego *dixi* cum deliberatione, & humilitate, & patientia: *Custodiam vias meas*, id est, ego deliberavi taliter custodire *vias meas* in omnibus meis peregrinationibus inter amatores hujus mundi, & cives hujus terrenæ civitatis, *ut non delinquam in lingua mea* contra F Deum murmurando, nec contra persecutores maledicendo: immò statui tacere in omnibus persecutionibus.

Peregrino duo necessaria.

2. *Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversum me.* 5.q.4.ca. In loco.

POsui *custodiam ori meo*, & linguam compescui, & obstruxi ora, *cum peccator*, scilicet, diabolus cum membris suis, & totus populus infidelis *consisteret*, id est, simul staret *adversum me* vexando & affligendo. Nam ego tacui, & *posui ori* G *meo custodiam* in occisione *Abel*, sive quando fui occisus in *Abel*, & irrisus in *Noe*, & vexatus in *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob*. Item

3. *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis: & dolor meus renovatus est.* 43.d.c.1. §.1.

OBmutui, *& silui à bonis* in omnibus istis persecutionibus. Unde nota, quòd istud *silere à bonis*, potest dupliciter intelligi: uno modo, quòd dicat iste peregrinus: non solùm *silui* & tacui à malis, H persecutores non maledicendo, & cum superbia eis respondendo; sed etiam *silui à bonis*, per bona verba Legis eos exhortando; quasi dicat, non respondebam eis bonum, nec malum: sed patienter & cum silentio tolerabam injurias: *&* sic *dolor meus renovatus est*, id est, crescebat in me. Secundò,

1. q. 1. ca. Multæ sunt.

4. *Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardescet ignis.*

Concaluit cor meum intra me, iram comprimendo: *&* in tali *meditatione* exardescebat ignis doloris, sive charitatis, quia cum charitate ferebam. Aliter potest intelligi, & forsan melius. Nam ut ait *Augustinus*, 1. *de Civitate Dei*, *cap.* 8. *Persecutiones & flagella temporalia sunt bonis bona, & malis mala. Nam una & eadem infirmitas & adversitas operatur diversa in bonis & malis: nam malus blasphemat contra Deum & homines in adversitatibus: & justus laudat Deum, & fert cum patientia: & talia flagella sunt bonis ad meritum, & malis ad mortem & damnationem.* Et ideo persecutiones fuerunt bonæ & utiles sanctis Patribus, & toti populo Dei, quia in eis laudabant Deum, & filebant, non referendo malum pro malo suis persecutoribus. Ideo ait iste peregrinus: *Obmutui* in omnibus persecutionibus, & adversitatibus; *& silui à bonis*, id est, à talibus flagellis: quia mihi bona & salubria reputavi, & per talia putabam mereri: immò quia sciebam, quòd talia flagella data sunt mihi in pœnam propter peccatum primorum parentum, aut ad purgationem peccatorum meorum: quia *nemo sine crimine vivit:* aut putabam mihi esse data illa flagella ad custodiam virtutum, *ne magnitudo revelationum extolleret me*, sicut *Paulo* contigit: aut ad augmentum meritorum, sicut *Job*, & *Tobiæ*: quia *virtus in infirmitate perficitur.* Et sic *silui* in talibus *bonis*; immò *dolor meus renovatus est*, considerans, quòd mihi eveniebant ex peccato primorum parentum, vel ex propriis commissis. Et tunc *concaluit cor meum intra me* ex dolore & contritione, retorquendo talia flagella ad peccatum meum: *& in* tali *meditatione* exardescebat *ignis* doloris respectu peccati. Etiam *exardescebat ignis* amoris & charitatis erga Deum, pro cujus amore patiebar humiliter, & etiam erga persecutores, pro quibus rogabam, ut converterentur. In tali bus ergo persecutionibus decrevi, custodire *vias*, & peregrinationes, & operationes *meas*, *ut non delinquerem in lingua mea*: & sic *posui custodiam ori meo*, ne murmurarem contra Deum, nec maledicerem, *cum peccator*, scilicet, diabolus cum membris suis infidelibus, *consisteret*, & pugnaret *adversum me*: scilicet, *obmutui* tanquam mutus, *& silui* à talibus *bonis* mihi reputatis, *& dolor* contritionis *renovatus est* in me. Et sic *cor meum concaluit intra me* ex contritione peccatorum, & charitate Dei, & proximi; & *in* tali *meditatione* talis *ignis exarsit*, & ardescet.

Aliter etiam potest intelligi: nam antiqui Patres patienter tolerabant persecutiones: eò quòd liberari sperabant per Christum. Ideo ait: *Obmutui* in talibus flagellis, *& silui à bonis* mihi promissis, & expectatis in Christo futuro: & sic *dolor meus fuit renovatus*, id est, rememoratus: & sic *concaluit cor meum intra me*, id est, quasi lætum ex spe Christi futuri: *& in* tali *meditatione* & spe *exardescet ignis* fidei & charitatis Christi.

13. q. ult. Propositorum.

5. *Locutus sum in lingua mea: Notum fac mihi Domine finem meum.*

POSTQUAM superiùs dixit iste peregrinus, quòd in omnibus persecutionibus non peccavit lingua: nec respondit maledictis, nec factis, immò concaluit cor ejus propter spem Christi futuri: hîc in hac secunda parte petit adventum Christi accelerari, ut ponat finem suæ peregrinationi, & liberet eum. Unde quatuor facit. Nam primò facit quod dictum est. Secundò, irridet & reprehendit amores hujus mundi. Tertiò, petit liberari à pœnis & tribulationibus corporalibus hujus mundi per adventum Christi. Quartò, petit liberari à culpa animæ. Secunda ibi: *Verumtamen universa vanitas.* Tertia ibi: *Ab omnibus iniquitatibus.* Quarta ibi: *Exaudi.*

Quantum ad primum, & ad totam istam secundam partem est advertendum, quòd iste *Psal.* 38. & 39. & 101. sunt similes in materia. Nam in omnibus tribus defletur brevitas & miseria vitæ humanæ propter peccatum *Adæ*, & petitur Christus, ut veniat ad liberandum hominem ab hujusmodi miseriâ & culpâ. Qui quidem Christus in Lege promissus & expectatus multis nominibus nuncupatur, ut dictum est in *Prologo*, *tractatu quarto.* Unde inter cætera vocatur *finis Legis veteris* in primo adventu per redemptionem: & *finis Legis nostræ* per glorificationem in secundo adventu. Ipse idem dicitur *dextera Patris;* eò quòd per ipsum operatus est nostram redemptionem. Item dicitur *Dominus.* Ideo in hoc Psalmo dicitur *finis*, cùm dicitur, *Notum fac mihi Domine finem meum.* Et in *Psalmo* 39. dicitur *dextera Dei*, cùm dicitur, *Dexteram tuam sic notam fac.* Et in 101. dicitur *Dominus*, cùm dicitur, *Tu exurgens Domine misereberis Sion.* Dicit ergo iste peregrinus: O Domine, ego jam dixi, quòd cum humilitate patienter tuli omnes tribulationes & miserias in mea peregrinatione, & nunquam deliqui *in lingua mea*, nec volui satisfacere injuriis mihi illatis: sed solum ad te habui

Nota.

bui refugium, in quo sperabam: & *locutus sum in lingua mea*, dicens: O *Domine fac mihi notum finem meum*, scilicet Christum, qui est *finis Legis*, per quem omnes speramus A liberari: & quòd acceleret adventum suum, ut omnes eum cognoscamus à maximo usque ad minimum. Et fac mihi notum *numerum dierum meorum* usque ad adventum ejus, *ut sciam quid*, & quantum tempus *desit mihi* usque ad adventum suum, in quo erit finis miseriæ meæ.

13. q. 2. in Ecclesiastico.

6. *Et numerum dierum meorum quis est: ut sciam quid desit mihi.*

Ibidem.

7. *Ecce mensurabiles posuisti dies* B *meos: & substantia mea tanquam nihilum ante te.*

NOTUM etiam fac *numerum dierum meorum*, *quis* numerus, id est, quotus sit: *ut sciam quis est* numerus *dierum meorum*: & *sciam* etiam *quid*, & quantum *desit mihi*. *Ecce*, pro *quia*, tu non *posuisti dies meos* immensurabiles, & infinitos; immò *mensurabiles* & finitos: quia vita nostra non est æterna in hoc mundo, sicut tua: immò *substantia*, id est, tota vita mea, est *tanquam nihilum ante te*, id est, brevissima, & quasi nil respectu tuæ æternitatis. Quasi dicat, adventus tuus non potest differri in æternum: quia vita mea bre- C vis est.

12. q. 1. ca. Omnis ætas.

8. *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.*

2. q. 3. ca. Proclivis.

9. *Verumtamen in imagine pertransit homo: sed & frustrà conturbatur.*

HIC respondet & irridet amatores hujus mundi & terrenos, qui ponunt spem suam in hoc mundo, & in rebus temporalibus, cùm sint breves & transitoriæ, & contemnunt finem verum, qui est D Christus. Dicit ergo: Si ita est, quòd *substantia*, id est, vita mea, est *mensurabilis*, & non infinita: quia omne mensurabile est finitum, immò est *tanquam nihilum ante te*: *verumtamen*, id est, ideo certè *omnis homo vivens est universa vanitas*, id est, universa vita hominis terreni est vanitas, ut patet in libro *Ecclesiasticæ*. Probatur: quia omnis *homo pertransit* hunc mundum *in imagine*, id est, quadam umbrâ. Quasi dicat, quòd vita hominis in hoc mundo ita est brevis, quòd non meretur dici vita, sed *imago* & umbra vitæ: & felicitas ejus non est felicitas, sed *imago* & umbra felicitatis, & quoddam somnium. Ergo *frustrà conturbatur* & laborat in congregandis pecuniis, postquam vita ejus est ita brevis. Nam E

37. d. ca. Nonne.

10. *Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.*

11. *Et nunc quæ est expectatio mea? Nonne Dominus? Et substantia mea apud te est.*

F THesaurizat congregando bona temporalia; & *ignorat cui*, & pro quibus *congregabit ea*: quia ipse est breviter moriturus, & nescit quis possidebit ea. Nam filii ejus erunt prodigi, vel fatui, nescientes custodire quod ipse grandi labore & sollicitudine acquisivit: & bona sua transibunt ad alienos. Ideo iste peregrinus irridens istos amatores mundi, subdit: *Et nunc quæ est expectatio mea? Nonne Dominus?* Quasi dicat: non fuit talis spes mea sicut istorum; quia non posui spem meam, nec constitui finem meum in hoc mundo, sicut isti, sed in solo Domino meo Jesu-Christo, quem spero Salvatorem: quia nolui esse civis in hoc mundo, sed peregrinus tendens in finem meum, qui est Christus. Et ideo subdit: Nonne *substantia mea*, id est, subs- G tantia divitiarum mearum, & tota vita mea *apud te est*? ô Domine Jesu. Quasi dicat: *immò certè*. Ex hoc patet, quòd iste se ostendit verum peregrinum & *transilientem* amatores hujus mundi. Nam sicut quando in stadio duo currunt, ille qui citiùs currit dicitur *transiliens* alterum, & accipit bravium: ita in hoc mundo fideles & justi transiliunt amatores mundi, & relinquentes eos retrò in bonis mundanis transitoriis, ipsi consequuntur bravium felicitatis in Christo. Item fideles dicuntur *peregrini*; quia relinquentes amatores hujus mundi in hac civitate terrena, ipsi peregrinando pervenerunt usque ad Christum, qui est finis utriusque Legis. Et sic Patres antiqui pervenerunt usque ad Christum in primo ad- H ventu, in quo receperunt gratiam: nos vero peregrinando, tendimus ad eumdem Christum, ut recipiamus gloriam in secundo adventu. Iterum ex supradictis patet, quòd verba hujus Psalmi sunt sumpta ex libro *Job*: ibi enim dicitur: *Breves dies hominis sunt, & numerus mensium ejus apud te est.* Hîc autem dicitur: *Mensurabiles posuisti dies meos.* Item ibi dicitur: *Dies mei sicut umbra*: hîc verò: *In imagine pertransit homo.*

Nota de Peregrino

24. q. 2. Legatur.

12. *Ab omnibus iniquitatibus meis* A *erue me: opprobrium insipienti dedisti me.*

HIC petit liberari ab omnibus pœnalitatibus & infirmitatibus, tàm temporalibus, quàm spiritualibus inflictis sibi in *Adam*. Unde dictum est, quòd duo genera malorum traxit *Adam* cum tota sua posteritate ex illius primi condemnatione peccati. Quædam enim sunt corporalia, & quædam spiritualia. Corporalia sunt in duplici genere, scilicet, corruptio, & fomes peccati in sensualitate: secundò infirmitates in corpore, scilicet, fames, sitis, ægritudo: in anima autem traximus peccatum primò originale in nobis: secundò actuale ex consensu concupiscentiæ. Ideo iste peregrinus primò petit liberari à pœnis cor- B po alibus: secundò à spiritualibus, scilicet, à peccato. Ibi: *Exaudi orationem.* Dicit ergo: O Domine *erue me ab omnibus iniquitatibus*, quas contraxi & commisi ex consensu peccati: sive *ab iniquitatibus*, quas traxi ex *Adam*, propter quas *dedisti me opprobrium* cuicumque *insipienti*, & infideli, & maligno.

Unde nota, quòd propter quatuor causas potest Deus hominem affligere. Primò, ex peccato primi parentis, propter quod omnes incurrimus sententiam mortis, & omnium pœnalitatum corporalium, scilicet, infirmitatum, & persecutionum: & in hoc omnes convenimus, tàm justi, quàm peccatores. Secundò, patimur flagella quandoque propter peccata propria, sicut C passus est populus Judæorum in captivitate Babylonica. Tertiò, ne justus extollatur in superbia, ut patet de *Paulo*. Quartò, ad augmentum meritorum: *quia virtus in infirmitate perficitur:* ut patet de eodem *Paulo*, & *Athanasio*, & *Job*, & *Tobia*. Quocumque ergo modo eveniat homini flagellum, semper Deus dicitur Auctor, aut efficienter, aut permissivè. Sed primo & secundo modo, licèt Deus dicatur auctor; tamen causa est in nobis: & sic Deus dicitur nos justè flagellare: & ideo in talibus flagellis & persecutionibus non debemus imputare Deo, sed nobis: quia commisimus peccatum, ex quo justè flagellamur: vel D quia descendimus ex propagine illius, qui contra Deum peccavit. Ideo peregrinus petens liberari, retorquet flagella ad peccatum suum, dicens:

*** *** *** *** ***

E 13. *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti: amove à me plagas tuas.* De Pœ. d. 1. in princip.

14. *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem.* De Pœ. d. 1. Mensuram.

15. *Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus: verumtamen vanè conturbatur omnis homo.*

F O Domine, in omnibus tribulationibus & persecutionibus ideo *obmutui, & non aperui os meum*, nec deliqui in lingua mea: quia non imputavi tibi, sed peccato meo: *quoniam tu fecisti* justè, dando mihi ista flagella in pœnam peccati mei, & parentum meorum: sed rogo te *amove à me plagas tuas*, id est, *plagas*, quas mihi ex meo peccato inflixisti: quoniam *ego defeci*, id est, jam deficio *à fortitudine manus*, scilicet, sententiæ tuæ. Quia jam non valeo sustinere flagella mihi inflicta *à fortitudine* sententiæ tuæ. Nam per illam sententiam tuam, quando dixisti: *Maledicta terra in opere tuo, corripuisti*, & punisti *hominem*, id est, *Adam* cum tota sua posteritate: & taliter corripuisti & punivisti eum *in increpationibus* & correptionibus G tuis, quòd *tabescere*, & languescere, & debilitari *fecisti animam* & vitam *ejus sicut araneam*, id est, sicut telam araneæ, quæ est fragilis, & debilis ad resistendum. Quasi dicat: quòd tu per sententiam tuam tabefecisti & attenuasti vitam ipsius hominis. Nam qui erat immortalis, & impassibilis, & liber ab omni miseria: nunc autem factus est miser, & corruptus, & passibilis, & mortalis, & brevis vitæ; non valens resistere miseriis corporalibus, nec spiritualibus tentationibus, nec peccato, sicut tela araneæ non valet resistere frangenti. Ex quibus patet, quòd si tu inflixisti homini hujusmodi miserias propter peccatum suum: ergo *vanè* & inaniter *contur-* H *batur* & conqueritur *omnis homo*: quia justè patitur pœnas & flagella propter peccata sua: & sic non habet jus querelæ contra te, sed incusat seipsum. Et ideo ego agnoscens me justè pati, *dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Et ideo *posui ori meo custodiam;* & ideo *obmutui.*

*** ***

Nota: de homine destituto auxilio gratiæ.

16. Ex-

De Pœ.d. 1.c.Si cui §.Porrò.

16. *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.* A

HIC petit liberari à culpa : & agere pœnitentiam in hac vita, ne decedat cum peccato, dicens: *Exaudi* Domine *orationem meam*, dando mihi gratiam: & veni ad liberandum me per mortem & passionem: & exaudi *deprecationem meam*, remittendo peccatum in hac vita. Et *auribus* misericordiæ *percipe lacrymas meas.* Unde quidam:

Interdum lacrymæ pondera vocis habent.

B

13.q. 2. ca.In Ecclesiastico

17. *Ne fileas, quoniam advena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei.*

NE *fileas*, mihi negando petitionem: *Quoniam ego* non sum civis terrenæ civitatis; nec amator ejus, nec volo in ea manere, sicut terreni: sed *sum* in ea tanquam *advena & peregrinus, sicut omnes patres mei*, scilicet, *Abel*, & *Noe*, *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob*, qui *non habuerunt civitatem manentem*, expectantes hæreditatem æternam in cœlo: ita ego tanquam *peregrinus*, in te posui spem meam, ad te confugio, in te tendo tanquam in finem Legis. Ideo C

De Pœ.d. 3.Quam vis cautè.

18. *Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.*

REmitte *mihi* peccata mea in hac vita, & non differas; sed parce mihi antequam recedam, & *amplius non ero*, id est, antequam amplius non sim, & non subsistam. Et ponitur futurum indicativi pro præsenti conjunctivi, sive optativi, quo carent Hebræi. Vel potest aliter intelligi, scilicet, *remitte mihi* culpam antequam moriar, quia *amplius* post mortem *non ero* capax veniæ: quia tunc pœnitentia non erit fructuosa, nec tempus veniæ, sed judicii, & pœnæ. Ex supradictis patet, quòd totus iste Psalmus est abstractus ex libro ipsius *Job*. Et est similis *Psalmo* 89. & 101. quia utrobique defletur miseria & brevitas vitæ humanæ propter peccatum *Adæ*. D

Nota de afflicto.

Moraliter autem iste Psalmus potest exponi de quolibet in afflictione posito, cui datur doctrina, ut cum patientia ferat persecutiones & flagella, ne murmuret contra Deum, nec contra persecutores; sed imputet sibi, & confiteatur se pati justè propter peccata sua propria, retorquendo sibi omnem culpam: & petat gratiam ut agat pœnitentiam ante mortem, ut decedat cum gratia de hac mortali vita, & transiliat in cœlum: & consequatur finem promissum tanquam verus & bonus *transiliens* & *peregrinus*, saltando ultra ista temporalia. Item iste qui loquitur in hoc Psalmo potest esse Christus, qui in persona capitis dicit: *Dixi, custodiam: & obmutui.* Sed in persona membrorum dicit: *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: & remitte mihi priusquam abeam ab hoc sæculo.* Ex omnibus supradictis patet, qualiter intentio David in hoc Psalmo est exhortari fideles ad contemptum hujus mundi, & ad perferendas patienter injurias & persecutiones, eò quòd non sunt cives, sed peregrini in hoc mundo; nec iste mundus est nobis civitas, sed via quâ tendimus in supernam civitatem nobis promissam, ad quam non possumus pervenire, nisi per multas tribulationes, & cum humilitate & patientia. Et ideo spes nostra non est ponenda in hoc mundo, sed in termino ad quem tendimus. E F

Et ideo ex isto Psalmo possumus recolligere octo doctrinas, sive conclusiones. Nota.

Prima doctrina est: quòd unusquisque fidelis debet custodire & compescere linguam suam à murmuratione in persecutionibus & adversitatibus, ne perdat meritum: sed cum humilitate & zelo charitatis debet tacere, & tolerare injurias & adversitates propter Christum, & regnum cœlorum. G

Secunda doctrina: quòd unusquisque fidelis continuè debet meditari in morte, quæ est finis vitæ suæ: & considerare residuum vitæ, in quo habet locum pœnitendi.

Tertia doctrina: quòd nullus debet ponere spem suam in hac vita; eò quia est mensurabilis & finita.

Quarta doctrina: quòd vana est spes & sollicitudo hominum terrenorum: quia thesaurizant cum magno labore, & violentia, & rapina; & nesciunt futurum hæredem, nec cui congregant divitias, nec quis possidebit eas. H

Quinta doctrina: quòd tota nostra spes est in Deo ponenda, eò quòd est æternus.

Sexta doctrina: quòd persecutiones & mala quæ patimur, non debemus imputare, nisi nobismetipsis: quia omnes in *Adam* & in nobismetipsis peccavimus contra Deum & Legem.

Septima doctrina: quòd omnes sumus *peregrini* & viatores in hoc mundo: & sic omnes sumus mortales, *sicut omnes patres nostri Abraham, Isaac, & Jacob*, & omnes

Apos-

Apostoli & Martyres: & ideo debemus eos imitari, non ponendo spem nostram in hoc mundo: sed in bonis cœlestibus. A

Pœnitentia agenda in hac vita.

Octava doctrina: quòd dum sumus in hac vita, debemus agere pœnitentiam, & petere remissionem peccatorum à Deo, antequam moriamur, & *abeamus* ab hoc sæculo: quia post mortem non est locus nec tempus pœnitentiæ, sed pœnæ, vel gloriæ. Ex quibus concluditur: quòd illi sunt veri *peregrini* & *transilientes*, qui contemnentes mundum cum pompis suis, ponunt spem suam in bonis cœlestibus, & patienter tolerant persecutiones & adversitates, & agunt pœnitentiam antequam discedant ab hac vita. Quia tales, licet peccaverint aliquando in via; tamen non in termino, sicut obstinati & impœnitentes; immò factâ pœnitentiâ decedunt cum charitate, pervenientes in cœlestem civitatem, in qua spem suam constituerunt & finem. Et in his consistit tota sententia hujus Psalmi. Sed omnia ista primò implevit Christus tanquam B Caput totius Ecclesiæ, quem imitantur fideles: quia ipse fuit solus verus & purus *peregrinus transiliens* omnes mundanos. Ideo ipsi primò & per se convenit iste Psalmus.

Psalmus XXXIX.

33. 9. 4. Quid faciat.

1. *Expectans expectavi Dominum: & intendit mihi.*

Titulus: *Ad victoriam*, sive *In finem Psalmus David.* Ex Titulo patet, quòd David fecit hunc Psalmum, dirigens nos in Christum, qui est finis Legis. Sed de materia hujus Psalmi altercatio est, non C solum apud Catholicos, sed etiam apud Hebræos modernos. Nam *Rabbi Salomon* dicit, quòd David fecit hunc Psalmum in persona populi Israel, gratias agentis, eò quòd Dominus *eduxit eum de lacu miseriæ* captivitatis Ægypti, & *de luto fæcis*: quia ibi mundabat cloacas, & faciebat lateres de luto, ut patet *Exodi* 3. Et ideo post transitum Maris Rubri cantavit *canticum novum*, & *carmen Deo nostro*, cum dixit: *Cantemus Domino gloriosè*, ut patet *Exodi* 15. Et sic *Rabbi Salomon* glossat hunc Psalmum ad litteram de illa liberatione captivitatis. Sed iste obstinatus sicut erat cœcus corpore, ita & in hoc mysterio. Nam cœcus habet aliquo modo notitiam de rebus in confuso, sed non in distincto: quia D solùm tangit res per tactum; sed non potest eas videre: ideo sua cognitio est confusa, & secundum quid, & imperfecta. Ita facit iste cœcus hîc & in plerisque locis. Nam verum dicit, quòd iste Psalmus fundatur super illud mysterium liberationis captivitatis: nam David contemplans illud E mysterium, & promissiones factas ipsi Moysi, fecit hunc Psalmum: sed non ad præcisum intellectum, sicut intelligit iste cœcus, sed in quantum David prævidit in spiritu in illa liberatione temporali, totum mysterium nostræ redemptionis faciendæ per Christum. Et ideo est magis credendum *Apostolo Paulo*, qui *ad Hebræos* 10. asserit hunc Psalmum esse factum de Christo & Ecclesia, allegans Scripturam hujus Psalmi, scilicet, *sacrificium & oblationem noluisti: corpus autem adaptasti mihi.*

Figurata fuit nostra redẽptio.

Ad cujus intelligentiam est advertendum: quòd adventus Christi, & mysterium nostræ redemptionis multipliciter fuit figuratum per liberationem populi Israel de Ægyptiaca captivitate, per quam vidit David in spiritu totum mysterium nostræ redemptionis: putà, quomodò Christus debebat educere omnes fideles veteris Testamenti de carcere *& lacu miseriæ* inferni F post Passionem suam: & quomodo totum genus humanum debebat liberare *de luto fæcis* peccati, & miseriæ. Item, adventus Christi fuit multipliciter promissus ipsi Moysi. Primò *Exodi* 33. quando Deus dixit *Moysi: Facies mea præcedet te: & ostendam tibi omne bonum: &, Cognoscam te ex nomine: &, Ponam te in foramine petræ: &, Proteget te dextera mea.* Quam promissionem contemplando David, prævidit in spiritu, quòd Deus Pater debebat mittere Filium in carne, qui Filius dicitur *facies* & *dextera Dei*, & *nomen Dei*, prout declaratum est in *Prologo*, *tractatu* 4. Et prævidit David ibidem, qualiter Christus debebat fundare Ecclesiam *supra petram* fidei: & nos debebat ponere in *foramine petræ* sui lateris, unde fluxit pretium nostræ redemptionis. Item, adventus Christi G fuit promissus ipsi Moysi, *Deuteron.* 18. cum dixit Deus: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: ponamque verba mea in ore ejus, loquenturque ad eos omnia quæ præcepero illi.* Ubi prævidit David in spiritu, qualiter Verbum Divinum debebat assumere carnem nostram, & declarare nobis omnia mysteria Legis *Moysi*, in qua figuraliter continentur omnia mysteria de Christo & Ecclesia, & omnia mysteria Euangelica. Item, per hoc quòd Deus præcepit Moysi in eodem Capitulo, scilicet, quòd nullus imitetur magos nec ariolos, nec maleficos, nec pythones, nec ritus Gentilium: prævidit David, qualiter Christus in suo adventu debebat delere de mundo artes magicas, & H omnes maleficos, & totam superstitionem Gentilium.

Omnia ergo supradicta prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum: in quo introducit Christum loquentem, quandoque in persona sui corporis mystici: quandoque in persona capitis. In quo Psalmo

tria principaliter agit. Nam primò agit gratias Patri, quia per ipſum implevit omnia, quæ erant figurata, & promiſſa de noſtra ſalute & redemptione. Secundò, orat Patrem, & petit noſtram liberationem, poſtquam ipſe ſolvit pretium noſtræ redemptionis: & implevit voluntatem Patris, & fecit omnia quæ de eo ſcripta erant. Tertiò, petit ultionem de perſecutoribus ſuis & Eccleſiæ: & petit præmium pro iſtis & fidelibus ſequentibus ipſum. Secunda ibi: *Tu autem Domine ne.* Tertia ibi: *Confundantur & revereantur.* Quantum ad primum duo facit. Nam primò Chriſtus agit gratias in perſona corporis myſtici, & totius Eccleſiæ, pro beneficiis quæ recepit in adventu ſuo. Secundò agit gratias Patri in perſona ſui, in quantum Pater voluit operari per ipſum totam noſtram ſalutem & redemptionem. Ibi: *Multa feciſti tu Domine Deus.*

Patres veteres Chriſti deſiderabant adventū.

Quantum ad primum eſt advertendum, quòd cum ſpes ſit de promiſſis: ideo multiplex promiſſio facta de Chriſto, fuit cauſa quare Patres veteris Teſtamenti cum tanta vehementia & affectu expectabant Chriſtum in carne venturum. Sed quia quanto major eſt ſpes & affectus ſperandi: tanto majus eſt gaudium ſperantibus, quando venit res expectata: ideo *Zacharias*, & *Simeon*, & *Maria*, & *Joſeph*, & *Apoſtoli*, quando viderunt Chriſtum in carne, & viderunt myſterium noſtræ redemptionis, ineffabiliter gaviſi ſunt, & egerunt gratias Deo Patri & Chriſto pro tantis receptis beneficiis, quæ fuerant in Lege figurata & promiſſa, ut ſupra dictum eſt.

Septem beneficia in Chriſti adventu.

Unde ſeptem beneficia operatus eſt Chriſtus in ſuo adventu, prout fuerant in Lege figurata & promiſſa. Nam primò liberavit omnes fideles veteris Teſtamenti de lacu miſeriæ inferni. Secundò, liberavit totum genus humanum de luto fæcis peccatorum. Tertiò, ædificavit Eccleſiam ſuper ſeipſum, qui eſt vera & firmiſsima petra. Quartò, dedit Legem Euangelicam, per quam direxit greſſus & operationes noſtras. Quintò, abolevit & annihilavit omnia cærimonialia & legalia, inſtituens novum ſacrificium, & novum ritum colendi Deum. Sextò, convertit multos de populo Judaico & Gentili in unam Eccleſiam. Septimò, ejecit diabolum de mundo, & omnia nomina idolorum, & omnes ariolos, & maleficos, & vanas artes, & inſanias, & falſas ſuperſtitiones Gentilium.

Dicit ergo David, ſive Chriſtus in perſona illorum, & totius Eccleſiæ, quæ recepit iſta ſeptem beneficia: Gratias ago Deo Patri, ſupple: quoniam ego *expectans expectavi*, id eſt, cum ineffabili ſpe & affectu per totum vetus Teſtamentum per Patriarchas & Prophetas *expectavi Dominum* Patrem, ut mitteret Filium finaliter: & tandem *intendit mihi*, complendo promiſſiones & figuras veteris Teſtamenti. Nam primò Chriſtus in ſuo adventu *eduxit me de lacu miſeriæ* & captivitate inferni: ſicut fuit figuratum per liberationem captivitatis Ægypti. Secundò,

2. *Et exaudivit preces meas: & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.*

De Conſe. d. 2. Iteratur.

Duxit me, ſcilicet, totum genus humanum, *de luto fæcis* peccatorum. Nam ſicut per mortem & paſſionem eduxit Sanctos Patres de lacu inferni: ita per Eccleſiaſtica Sacramenta eduxit totum genus humanum de luto, & cœno, & fæce peccatorum: quia per Baptiſmum nos eduxit de originali, & per Pœnitentiam de mortali. Item tertiò,

3. *Et ſtatuit ſuper petram pedes meos: & direxit greſſus meos.*

16. q. 1. Vos autē.

Statuit & firmavit *pedes meos*, id eſt, fidem meam, *ſuper petram*, qui eſt Chriſtus. Quartò, *direxit greſſus* & operationes meas per charitatem & Legem Euangelicam, quæ præcipit omnem virtutem, & prohibet omne vitium: & omnia ſupradicta fecit Chriſtus, ſicut Deus promiſit Moyſi. *Exodi* 30. Item quintò,

4. *Et immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro.*

15. q. 1. c. Reverti-mini.

Misit in os meum canticum novum: cùm repudiatis cærimonialibus Legis veteris, dedit mihi Legem novam, & novum ſacrificium Euchariſtiæ, & novum ritum colendi Deum, & novum modum cantandi. Nam quod illi cantabant, & prædicabant futurum, nos cantamus jam completum & perfectum. Nam ſicut Pater poſuit verba ſua in ore Chriſti: ita Chriſtus poſuit, & prædicavit verba ſua in ore noſtro: & cantamus *canticum novum*, & *carmen Deo noſtro*, cùm Fidem Euangelicam dictis & factis confitemur. Unde nota, quòd hoc fuit impletum in principio in *Zacharia*, & *Simeone*: & *Beata Maria*. Nam *Zacharias* pater *Joannis Baptiſtæ*, cantavit canticum novum, quando dixit: *Benedictus Dominus Deus Iſrael.* Item *Simeon*, quando tenuit Chriſtum in manibus, dixit: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine.* Et *Beata Maria*, dixit: *Magnificat anima mea Dominum.* Ex quo patet, quòd unuſquiſque iſtorum cantavit *canticum novum.* Quæ quidem tria Cantica cantat

tat quotidiè Ecclesia, agendo gratias de Christi adventu, & pro omnibus beneficiis, quæ à Christo recepimus. Et hoc est quod hîc dicitur, scilicet, *Immisit in os meum Canticum novum*: & *carmen Deo nostro:* quia hoc *carmen*, sive ista tria carmina, cantamus quotidiè Deo nostro. Sextò ago gratias, quia

23. q. 4. *Hoc autem.*

5. *Videbunt multi & timebunt: & sperabunt in Domino.*

MULTI ex Judæis *videbunt*, & viderunt Christum in carne prædicantem, & miracula facientem, & morientem, & resurgentem: & multi ex populo Gentili *videbunt* miracula, quæ faciet Christus per suos Apostolos: & oculo fidei *videbunt* doctrinam Euangelicam: & omnes isti conversi *timebunt* Christum, *& sperabunt in Domino.* Nam Judæi relictis legalibus, & Gentiles relictis idolis & superstitionibus, ponent totam suam fidem & spem in Domino Jesu-Christo, & illi adhærebunt ferventi charitate. Et ex Judæis & Gentilibus credentibus fiet una Ecclesia. Item septimò *princeps hujus mundi* diabolus *ejicietur foras* cum suis erroribus: & delebuntur omnes Magi, & Arioli, & Malefici, & Incantatores; & regnabit in mundo nomen Domini Jesu, scilicet, nomen Domini *Tetragrammaton*, quod est *Jesus:* quod quidem nomen omnes suscipient: eò quòd in eo manifestatur omnipotentia Patris per miracula, & omnis sapientia, & veritas Legis veteris, per ejus doctrinam & prædicationem. Tertiò, manifestata fuit ejus misericordia per mortem & passionem, & ejus justitia per Legem Euangelicam: per quod nomen omnes sumus justificati, & salvati, & beatificati. Ideo dicit:

De consec. d. 4. Gratia.

6. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus: & non respexit in vanitates, & insanias falsas.*

BEatus vir, cujus nomen Domini spes ejus, id est, qui posuit totam spem in *nomine* Jesu: *& non respexit in vanitates*, id est, in vanas artes magicas & maleficas, nec *insanias falsas*, scilicet, superstitiones, & ritus nefandos Gentilium: nec in vanis, & evacuatis legalibus jam mortuis & mortiferis, nec in falsis glossis Judæorum posuit spem suam; sed in solo nomine Jesu: quia *non est aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat salvos & beatos fieri. Actuum 4.*

6. q. 1. cap. *Si omnia.*

7. *Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.*

HIC Christus in persona propria agit gratias Patri explicando suos labores, & mysterium nostræ redemptionis. Potest etiam dici, quòd quia supra dixit, quod *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit vanitates & insanias* & superstitiones *falsas* Gentilium: ideo hic enarrat mirabilia mysteria, quæ facta sunt in mundo per hoc nomen *Jesus*, quod est *nomen Domini*, & Filius Patris. Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd tria fecit Christus per ordinem in nostra redemptione, & in suo adventu. Nam primò, prædicavit Judæis, & miracula fecit in vita, in quibus ostendit omnipotentiam & voluntatem Patris. Secundò, mortuus & passus est ad satisfaciendum pro nobis: in quibus ostendit suam humilitatem, & charitatem, & Patris misericordiam. Tertiò, per Apostolos suos publicavit Euangelium, & vocavit Gentiles, & ex utroque populo congregavit unam Ecclesiam.

Tria fecit Christus in nostra redemptione.

Tria ergo facit Christus. Nam primò, agit gratias Patri, eò quòd multa mirabilia fecit per ipsum in hac vita. Secundò, agit gratias, quia Pater voluit acceptare suam passionem in pretium pro toto mundo. Tertiò ostendit, qualiter prædicavit Euangelium toti mundo per Apostolos suos. Secunda ibi: *Sacrificium & oblationem.* Tertia ibi: *Annuntiavi justitiam.* Vel possumus dicere, quòd Christus primò ostendit obedientiam suam erga Patrem in prædicando, & miracula faciendo: secundò in patiendo: tertiò in publicando Euangelium. Secunda ibi: *Sacrificium.* Tertia ibi: *Annuntiavi.*

Quantum ad primum est valdè advertendum, quòd tria genera mirabilium fecit Pater in Christo, sive per Christum, sive in virtute hujus nominis Jesu. Primò, mysteria *mirabilia* humanæ redemptionis, scilicet, mysterium Incarnationis, & Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis. Secundò, mysterium miraculorum & operationis; quia suscitavit mortuos, & imperavit ventis, & mari, & dœmonibus, & sanavit leprosos & infirmos. Tertiò, mysterium electionis: quia quos voluit Pater & prædestinavit, hos Filius vocavit, & Judæos reprobavit. Quæ quidem omnia mysteria sunt ita *mirabilia* & incomprehensibilia, quòd nullus potest comprehendere, nisi solus Pater, non excluso Filio, nec Spiritu sancto. Et hæc mysteria Christus mun-

do manifestavit opere & doctrina: quorum profunditatem nemo poterit attingere, nec comprehendere. Et hoc est quod Christus A dicit in hac parte.

Unde ait: *O Domine Deus* Pater, *multa fecisti mirabilia tua* mysteria, & opera in me, & per me in nomine meo, quæ ita sunt profunda & incomprehensibilia, quòd in *cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi*: id est, *non est similis tibi* ad cogitandum & comprehendendum ea, quæ solus tu cogitare & comprehendere potes: & nullus alius. Nam nullus alius potest cogitare, & investigare, & comprehendere mysterium Incarnationis, & Resurrectionis, nisi tu solus, nec miracula, quæ ego feci per te: nec potest comprehendere causam electionis justorum, nisi solus tu. Hæc ergo miracula tua ineffabilia ego *annuntiavi, & locutus sum* mundo, *& multiplicati sunt super numerum.* Unde nota, quòd ly *multiplicati sunt super numerum*, multipliciter potest intelligi, secundùm quod potest referri. Nam primò potest referri, & comparari ad *mirabilia* facta in veteri Testamento: & tunc est sensus: O Pater, *multa mirabilia fecisti* in veteri Testamento per *Noe*, & *Moysen*, & Prophetas: sed multo majora & plura *mirabilia fecisti* per me: nam actus & effectus, quos fecisti per me, *multiplicati sunt super numerum*: quia multo plures in numero, & majores sunt in effectu & virtute. Vel hoc potest referri ad numerum mirabilium, quæ fecit Deus per Christum: & tunc est sensus: O Pater, *multa* ego *annuntiavi, & locutus sum* multos actus, & effectus mirabiles, quos per me, & in me *fecisti*: sed plures sunt *super numerum*, quam narrari queant, & quàm sint scripti in Euangelio. Unde cum hoc concordat littera *Hieronymi*, quæ sic habet: *Multa fecisti tu Domine Deus mirabilia tua, & cogitationes tuas pro nobis; si enarrare voluero, plura sunt, quam narrari queant*; & tunc est littera plana. Item *Joann.* 20. *Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Vel hoc potest referri ad profunditatem & altitudinem mirabilium horum mysteriorum. Nam subditur:

Nota, quomodo intelligitur multiplicati sunt super numerum.

C

D

8. Annuntiavi & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.

13. q. 1. in Scripturis.

UT sit sensus: O Pater, *annuntiavi* mirabilia tua mundo: sed ita sunt profunda & incomprehensibilia ad cogitandum, quòd *multiplicati sunt super numerum* sermones, & libri ad cogitandum, & explicandum tam alta & profunda mysteria. Quasi dicat, quòd infiniti sermones, Doctores, & libri non sufficerent ad explicandum ea. Nam *pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Danielis* 12. E Item *Joann. ult. Nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.* Et sic patet, quòd mirabilia mysteria, quæ Pater fecit in Filio, & per Filium, sunt incomprehensibilia in numero, & profunditate, & virtute, & in effectu: & *sunt multiplicata super numerum*, id est, infinita. Quasi dicat, quòd effectus & fructus hujus nominis Jesus, quos Christus fecit, sunt innumerabiles & incomprehensibiles apud homines, quia soli Deo sunt noti. Deinde cùm dicit:

9. Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi. F

Hebr. 10. b.

CHRISTUS agit gratias, quia repudiatis sacrificiis veteris Legis, voluit acceptare ipsum in sacrificium & pretium pro peccato totius mundi. Unde dicit Christus: O Pater, tu *noluisti*, nec acceptasti *sacrificium & oblationem* veteris Legis, sed *perfecisti mihi aures* tuas ut me audires pro populo. Vel, *perfecisti mihi aures* meas, ut obedirem tibi in omnibus. Apostolus *ad Hebræos* 10. dicit: *Corpus autem adaptasti mihi*: & tunc est sensus: Tu *noluisti sacrificium & oblationem* veteris Legis, eò quòd illa sacrificia erant immunda; sed *adaptasti mihi corpus*, id est, fecisti *corpus* meum purum sine peccato, ut esset aptum ad patiendum, & sufficiens ad satisfaciendum. Et ideo subdit:

G

10. Holocaustum, & pro peccato non postulasti: tunc dixi: Ecce venio.

7. q. 1. c. Suggestũ.

HOlocaustum veteris Legis *pro peccato non postulasti*, nec accepisti pro peccato totius generis humani: & *tunc* ego ut obedirem tibi, & compatiens generi humano, *dixi*: *Ecce venio* sponte ad patiendum, & in sacrificium me offerendum. In quibus verbis duo asserit Christus. Primò, quòd Deus Pater non acceptavit pro peccato mundi sacrificia, & holocausta veteris Legis; quia nec erant apta, nec sufH ficientia ad tollendum peccatum. Secundò, quòd ipse solus fuit aptus: & ideo venit ad tollendum peccatum.

Possunt etiam supradicti duo versus referri ad sacrificium *Abel*, & holocaustum quod voluit offerre *Abraham* de filio suo *Isaac*. Nam David non solùm prævidit mysterium nostræ redemptionis per exitum Israel de Ægypto, & per transitum Maris Rubri; sed etiam per sacrificium *Abel* & *Abrahæ*: eò quòd illa duo

Nota de Christi Passione.

sa-

sacrificia fuerunt figura Christi. Nam sicut *Abel* justus sine peccato fuit occisus à fratre suo ex invidia : ita pariter Christus à A populo Judaico fratre suo. Item sicut *Abraham* voluntariè voluit offerre filium *suum Isaac* in holocaustum : ita pariter Deus obtulit Christum Filium suum. Item sicut *Isaac* venit sedendo super asinum, usque ad locum ubi postea fuit ædificata *Hierusalem* ; & postea descendit de asino, & assumpsit ligna super humeros procedens usque ad locum sacrificii : ita Christus ingressus est *Hierusalem* sedens super asinam ; & postea in die veneris bajulans crucem humeris, venit ad locum, ubi fuit crucifixus & immolatus. Sed fuit differentia : nam licèt Deus acceptaverit sacrificium *Abel*, & *Isaac* in voto pro seipsis; tamen non pro toto genere humano : quia nullus eorum erat sufficiens pretium ad redimendum totum genus humanum. Et ideo B venit Christus tanquam sufficiens pretium, & sacrificium, & obtulit seipsum pro omnibus nobis. Et hoc est quod dicit Christus in hoc loco ad Patrem.

Unde ait : O Pater *Deus*, *multa mirabilia* mysteria *fecisti* in veteri Testamento : quæ omnia fecisti in figura humanæ redemptionis futuræ, quæ erant tàm profunda, quàm nullus poterat cogitare & scire, nisi tu solus : & ideo *non est similis* tibi in tali scientia & *cogitatione :* quæ quidem mysteria ego solus *annuntiavi*, *& locutus sum* dictis & factis : quia omnia illa mysteria in me complevi & declaravi : quorum sermones & effectus *multiplicati sunt super numerum* ; eò quòd erant hominibus incomprehensibilia, & soli mihi reservata: quia ad hoc veni in mundum, ut complerem voluntatem tuam, & scripturas Legis, & Prophetarum. Unde tu *noluisti* accep- C tare *sacrificium* Abel in pretium & redemptionem pro toto genere humano : nec voluisti *oblationes* Noe ; & Moysi, eò quòd illa non erant sufficientia : ideo *adaptasti mihi corpus* sufficiens ad offerendum, & *perfecisti mihi aures meas*, ut obedirem tibi : & *perfecisti*, & inclinasti etiam *aures* tuas *mihi*, meum sacrificium acceptando. Item ; *non postulasti holocaustum* Abrahæ, sive Isaac pro peccato generis humani; quia prohibuisti, ne Isaac immolaretur ; sed immolatus est aries pro *Isaac* in figura mei. Et ideo postquam *nullum* sacrificium veteris Legis, nec *holocaustum postulasti*, nec acceptasti *pro peccato : tunc dixi*, *Ecce venio* ad offerendum meipsum in sacrificium D & holocaustum pro toto genere humano : quia

***
**

*** *** ***
*** *** ***

E **11.** *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam : Deus meus volui, & Legem tuam in medio cordis mei.*

8. dist. cà: Quę contra. Et 11. q. 3. Si is.

IN *capite libri* prædestinationis *scriptum est de me*, *ut facerem voluntatem tuam &c.* Et nota, quòd ly *pro peccato*, potest esse una dictiò materialiter sumpta loco cujusdam accusativi : hoc est *sacrificium* ; quòd aliquando in Sacra Scriptura dicitur *peccatum* ; ut 2. *Cor.* 5. *Eum qui non noverat peccatum*, *pro nobis peccatum fecit*, id est, *sacrificium* ; ut exponit *Augustinus.* Et ità accipitur hoc *pro peccato*, F id est, *sacrificium.* Nam *holocaustum*, quod fiebat ex adipe & pinguedine animalium, & totum cremabatur super altare holocaustorum, non offerebatur *pro peccato* populi, vel alicujus singularis personæ : sed tantùm ad honorem Dei. Similiter victima, sivè pacifica, quæ hic dicitur *oblatio*, offerebatur tantùm ad petitionem, vel gratiarum actionem pro lucro captando, vel damno vitando, & comedebatur à populo coram Deo. Solum autem sacrificium offerebatur *pro peccato* publico ; vel privato, & cedebat in usum Sacerdotum ; qui dicebantur *comedere peccata populi.* Et ideo solum sacrificium dicitur *peccatum*, vel *pro peccato.* Et ponitur bis : primo ibi : *Sacrificium*, *& oblationem.* Secundo ibi : *Holocaustum*, *& pro peccato :* ad denotandum, quòd tàm in victima pacifica, quàm in *holocausto* semper offerebatur aliquid *pro pec-* G *cato*, ad hoc ut offerens esset dignus coram Deo. Christus autem omnia tria genera sacrificiorum obtulit Patri. Ipse enim fuit Sacerdos & hostia ; tàm *holocaustum* pingue, quàm victima pacifica, quam etiam *sacrificium*, ut potest patere intuenti in hoc Psalmo, & in aliis.

Sed contra hæc arguunt Judæi : & primò contra hoc quod dicit, quòd *sacrificia* & holocausta Deus non acceptabat pro peccato. Nam Deus ordinavit ista ad tollenda peccata populi ; ut patet per totum *Leviticum.* Ergo. Secundò arguunt contra illud quod dicitur : *Corpus adaptasti mihi*, & *Ecce venio.* Quia Deus ordinavit & instituit Circumcisionem ; ad tollendum originale. Et hoc asserit *Augusti-* H *nus*, & *Magister Sententiarum*, *in quarto libro.* Ergo.

In oppositum est *Apostolus* per totam *Epistolam ad Rom.* & *ad Galat.* & *Hebr.* ubi probat, quòd legalia non poterant justificare.

Responsio. Ad cujus intelligentiam sunt aliquæ propositiones ; sive conclusiones

nes præponendæ & notandæ. Quarum *prima* est, quòd *sacrificia* & holocausta veteris Legis non erant acceptabilia ad remittendum peccatum. Probatur: nam illa sacrificia offerebantur in pretium pro hominibus peccatoribus: ergo debebant esse majoris pretii, quam homines, pro quibus offerebantur: sed nullum animal brutum est majoris pretii, quam homo; immò minoris sine comparatione: Ergo nullum illorum sacrificiorum poterat esse sufficiens pretium, & acceptabile ad remissionem peccati. Quia nunquam Dominus remittit servum & captivum, nisi sibi reddatur pretium sufficiens pro eo. Item, *sacrificium* offerebatur pro toto populo: Ergo debebat tenere medium inter Deum & populum, ad hoc quod Deus remitteret peccata populi, scilicet, quòd illud sacrificium esset minus Deo, & majus toto populo. Sed nullum animal brutum poterat esse tale: quia sicut erat minus in dignitate, ita & in pretio. Igitur.

Not. Quod Deus non accepat pro peccato.

Secunda conclusio: quòd Circuncisio in propria virtute non poterat tollere peccatum originale. Probatur: nam per Circuncisionem totus homo redimebatur ex captivitate, & servitute, & morte æterna. Sed nulla pars potest redimere totum: & illa pellicula, & ille modicus sanguis, qui effundebatur in Circuncisione, erat pars totius hominis: ergo non poterat redimere totum hominem. Tenet consequentia: quia nunquam Dominus remittet captivum, pro sola manu, vel pede abscisо, nisi detur sibi pretium majoris valoris, quàm sit ipse servus. Præterea illa pellicula, & ille sanguis, qui effundebatur in circuncisione, ita erat subjectus peccato, & immundus, sicut totus homo. Ergo non poterat tollere peccatum, nec acceptari pro redemptione & remissione peccati. Tenet consequentia: nam si homo tenebatur in illa captivitate propter peccatum, & erat Deo exosus & in ira Dei propter peccatum: Ergo Deus non acceptabat talem carnem & sanguinem immundum & obnoxium, pro peccato: sed oportebat quòd esset sanguis purus & immunis ab omni peccato, ad hoc quod tolleret peccatum.

Nota de Circuncisione.

Tertia conclusio: quòd solus sanguis *& sacrificium* Christi fuit sufficiens, & acceptabile Deo Patri ad remittendum omne peccatum. Probatur primò ratione puritatis: quia Christus solus fuit *inter mortuos liber* ab omni peccato in persona & natura. Secundò ratione humilitatis: quia postquam totum genus humanum erat in captivitate propter superbiam & inobedientiam primorum parentum, quæ quidem superbia & inobedientia est Deo abominabilis: oportet, ut per unius obedientiam homo liberaretur: sed quia Christus *se humiliavit factus obediens usque ad mortem*: ergo meruit acceptari in sacrificium pro omnibus liberandis. Tertiò ratione charitatis & dilectionis, eò quia erat magis charus & dilectus Patri, quam aliqua alia creatura: primò, in quantum Filius naturalis: secundò, in quantum melior omni creatura; & etiam in quantum homo, tùm ratione unionis & gratiæ; tùm ratione puritatis; tùm ratione charitatis, quam Christus habuit erga genus humanum. Et propter omnia supradicta fuit magis charus & acceptabilis Deo, & fuit sufficiens mediator inter Deum & totum genus humanum: quod nullus alius homo, nec animal, nec alia creatura potuit facere.

Nota de sanguine Christi.

Quarta conclusio: quòd *Adam*, & *Abel*, & *Noe*, & *Abraham*, & *Jacob*, & *Moyses*, & omnes cæteri Patriarchæ, & Prophetæ ideo desiderabant Christum, ut veniret ad tollendum peccatum, quia sciebant ex revelatione, quòd sacrificia veteris Legis non poterant hominem justificare, nec tollere per se peccatum. Probatur: nam omnibus his facta est de Christo repromissio, ut patet per totum discursum veteris Testamenti; & ideo omnes expectabant ipsum, ut veniret ad solvendum pretium pro eis. Unde David dicit: *Veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum*, *Psal.*19. Item *Psal.*50. *dicit*: *Asperges me hyssopo.* Item *Zachar.* 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Item *Isai.* 53. *Attritus est propter scelera nostra.* Item 62. *Utinam dirumperes cœlos, & descenderes.* Hoc idem patet *ad Hebr.*11. ubi probat *Apostolus*, quòd omnes isti expectabant Christum, ut in eo reciperent repromissiones. Ex quibus patet, quòd omnes Patres veteris Testamenti ex revelatione sciebant, quòd illa Lex non poterat justificare, nec illa sacrificia: quia aliter non desiderassent, nec expectassent Christum, qui solveret pro eis.

Quinta conclusio: quòd licèt per sacrificia & sacramenta veteris Legis tolleretur peccatum; tamen non in virtute propria, sed prout dabantur in signum fœderis, & non in pretium. Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd sacrificia, & sacramenta veteris Legis non continebant realiter pretium; sed dabantur in signum pretii solvendi per Christum. Exempli gratia. Nam quandoque mercatores faciunt pactum cum venditore de navi plena mercibus, vel de aliquo agro, vel domo: & dant de præsenti unum denarium in signum pretii, promittentes altera die, sive usque ad octo dies, solvere totum pretium; & illicò traditur eis res empta: tunc manifestum est, quòd ille denarius non datur à mercatore, nec acceptatur à venditore in pretium simpliciter, sed in signum pretii solvendi tempore constituto secundùm fœdus & pactum. Ita ergo pariter Deus fecit pactum cum *Abraham*, *Genes.* 17. præcipiens

Not. quomodo sacramenta veteris Legis tollebant peccatum.

piens Circuncisionem fieri in signum fœderis. Unde *Abraham* non dedit Deo illam Circuncisionem in pretium, sed in signum A pretii: nec Deus acceptabat illam Circuncisionem, & pelliculam, & sanguinem effusum in pretium, sed in signum pretii solvendi per Christum, in quantum *Abraham*, & omnes fideles veteris Testamenti promittebant solvere per Christum in suo adventu: pro quibus omnibus Christus solvit in cruce ex proprio sanguine, in quo erat verum, & validum, & acceptabile, & sufficiens pretium: & sub tali protestatione & pacto fiebat circuncisio in Lege veteri. Et hoc est quod dixit Deus *Abrahæ*, *Genes.* 17. *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te:: Circuncidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos.* Quòd signum fœderis nil aliud erat secun- B dùm *Augustinum*, *contra Faustum*, nisi quòd Deus acceptabat illam Circuncisionem in signum pretii futuri per Christum solvendi in cruce.

Nota de Circuncisione.

Sed est advertendum, quòd in quadruplex signum data fuit illa circuncisio. Primò in signum distinctivum, in quantum distinguebat filios *Abraham* & *Israel* à cæteris nationibus. Secundò in signum tributi, & servitutis propter peccatum primorum parentum. Tertiò in signum figurativum, in quantum figurabat circuncisionem animæ. Quartò data est in signum fœderis & pretii futuri per Christum solvendi: & C isto modo tollebat peccatum, non ratione sui, quia non continebat in se realiter pretium; sed ratione pretii futuri, in cujus signum acceptabatur à Deo, & in cujus protestatione & pacto dabatur. Et sicut dictum est de circuncisione, eodem modo est dicendum de sacrificiis, & holocaustis, & oblationibus: quia non offerebantur, nec acceptabantur in pretium, sed in signum fœderis & pretii futuri per Christum solvendi, & sub tali fœdere, & pacto, & protestatione offerebantur; & sic remittebatur peccatum pro eis pro quibus offerebatur. Et pro omnibus talibus Christus obtulit suum sanguinem in cruce: & sic fuit tunc pactum & fœdus impletum & consummatum, & perfectè fuit facta satisfactio. D Et ideo omnes Patres veteris Testamenti, licet jam essent circuncisi, & pro eis offerebantur holocausta mane & vespere, & cætera sacrificia: tamen semper desiderabant, & vocabant Christum, ut veniret ad solvendum pro eis, ut dictum est, & patet per totum Testamentum vetus.

Sacramenta Legis novæ tollunt peccatum.

Sexta conclusio: quòd Sacramenta Legis novæ de per se tollunt peccatum. Probatur. Nam in se realiter continent pretium Passionis Christi. Probatur: primò de *Eucharistia*, in qua Christus Deus & homo realiter continetur, & est sacrificium per se Deo charum, & acceptum, & sufficiens pro toto mundo. Hoc idem patet de *Baptismo*, in quo realiter continetur virtus E Passionis Christi ad tollendum originale, & etiam actuale in adultis. Et sic est dicendum de *Pœnitentia*, & cæteris, eò quòd actualiter derivantur à Passione Christi: & ideo illicò tollunt peccatum. Hæc est ergo differentia inter Sacramenta novæ Legis, & veteris: quia illa non continebant realiter Christum, nec ejus Passionem, sed tantùm signum: ista autem continent realiter Christum, aut virtutem Passionis ejus. Ideo ista dantur realiter in pretium: quia in *Baptismo* illicò solvitur pretium pro baptizato: illa autem dabantur solùm in signum pretii futuri, ut dictum est: ideo adhuc expectabatur pretium: ideo circuncisus semper manebat debitor, & Deus semper manebat creditor, licèt circuncisus esset liberatus à F pœna sensûs.

Ad Baptismũ tenentur Judæi.

Septima conclusio: quòd adveniente Christo, & Baptismo ejus, omnes Judæi tenebantur baptizari, licèt essent circuncisi. Probatur. Nam non acceperunt, nec dederunt circuncisionem in pretium, sed in signum pretii futuri: & sic tenebantur solvere in actu, quando fuit pretium in actu datum in Baptismo. Et ita *Joannes Baptista*, & omnes *Apostoli* fuerunt baptizati: & Christus misit eos ad baptizandum Judæos, qui jam erant circuncisi, ut patet *Matthæi* 10. & *Lucæ* 10.

Legalia sunt mortifera Judæis.

Octava conclusio: quòd post Passio- G nem Christi circuncisio & omnia alia legalia cessaverunt, & perdiderunt suam virtutem, & officium. Probatur. Quia omnia mortua fuerunt simul cum Christo: quorum finis & terminus erat Christus. Hoc idem probatur: nam soluto & adveniente pretio, perdidit vim signum pretii.

Nona conclusio: quòd post publicationem Euangelii *circuncisio* & cætera legalia non solùm sunt mortua & inutilia Judæis, sed etiam mortifera & nociva. Probatur. Nam Judæi ea servantes irritant pactum Dei factum cum *Abraham* & *Moyse*; & sunt prævaricatores & violatores fœderis: & per consequens sunt sacrilegi & privati hæreditate, & alienati, & degeneres ab *Abraham*, & *Israel*, & retrogra- H di à termino libertatis.

Ex supradictis patet quid dicendum ad rationes Judæorum: quia circuncisio & omnia Sacramenta & legalia non fuerunt à Deo instituta simpliciter in pretium pro peccato, sed in signum pretii futuri per Christum solvendi: & ideo fuit necesse Christum venisse, ut solveret pretium debitum pro omnibus, & consummaret pactum & fœdus, & cessarent omnia legalia in ejus adventu. Et sic patet, quòd Deus non postulabat illa holocausta & sacrificia per se: quia non erant per se acceptabilia, nec sufficientia pro peccato, nisi in quantum erant signum futuri pretii, scilicet, Christi, qui

fuit

fuit purum, & sufficiens, & Deo charum, & acceptum sacrificium; tùm ratione puritatis: tùm ratione charitatis: tùm ratione A obedientiæ & humilitatis & unionis. Et hoc modo intendebat *Augustinus*, cum dixit: quòd *ex quo instituta est Circumcisio in illo populo ad purgationem originalis veterisque peccati: valebat sicut modò Baptismus.* Quasi dicat, quòd bene liberabatur circumcisus: sed semper manebat debitor in Christo: & Deus semper manebat creditor usque ad generalem solutionem faciendam per Christum, sicut manet creditor ille qui accepit tantùm signum solutionis.

Hoc est ergo quod dicit David in hac parte, cum ait: *Sacrificium & oblationem noluisti.* Quasi dicat, tu noluisti acceptare *sacrificium* & *oblationem* veteris Legis in pretium solidum pro peccato totius mun- B di, eò quòd talia *sacrificia* erant invalida, & insufficientia, non continentia in se pretium: & erant indigna, & immunda, & de se non acceptabilia. Ideo *perfecisti mihi aures* ad obediendum tibi in omnibus, & *adaptasti mihi corpus*: quia purum sine peccato, & non ex opere *Adam*, sed ex opere Spiritus sancti in utero virginali ex puris sanguinibus formasti; & sic fuit aptum, & sufficiens, & per se acceptabile ad tollendum omne peccatum. Et etiam *adaptasti mihi corpus* mortale ad patiendum: quia ut possem pati, *me ipsum exinanivi, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo.* Item non postulasti *holocaustum* agnorum nec vitulorum pro peccato: quia non erant sufficientia sacrificia: sed quia *adaptasti mihi corpus* cum puritate, & cha- C ritate, & obedientia: ideo volens implere voluntatem tuam, *tunc dixi: Ecce venio* ad patiendum, & offerendum me ad Passionem pro omnibus: & hoc feci ex obedientia; nam *in capite libri* prædestinationis *scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam*, qui prædestinasti me ad faciendam voluntatem tuam postquam *Adam* fuit rebellis & inobediens: & ideo voluisti, quòd ego per obedientiam meam satisfacerem pro ejus peccato & inobedientiâ. Ideo *ò Deus meus* ego *volui* obedire, & tenere *Legem tuam in medio cordis mei.* Deinde cum dicit:



D 12. *Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.* 15. q. 1. *Revertimini.*

ANnuntiavi justitiam, ostendit Christus, qualiter fuit obediens Patri in publicatione Euangelii: eò quòd misit omnes Apostolos suos per universum mundum ad prædicandum Euangelium *omni creaturæ.* Ideo dicit: non solum servavi Legem tuam, & reposui eam in corde meo, & prædicavi eam in *Judæa* & *Hierusalem* ante meam Passionem: sed etiam post Ascensionem per Apostolos meos *annuntiavi justitiam tuam*, id est, Legem Euangelicam, in qua ostenditur *justitia tua*; E eam, inquam, annuntiavi non solùm in terra promissionis & *Hierusalem*, quæ est parva terra; sed *in ecclesia magna* toto orbe diffusa, quando misi Apostolos per universum mundum ad *prædicandum Euangelium omni creaturæ*, ut patet *Matth. ult.* Unde *Domine tu scisti*, quòd *non* prohibui nec *prohibebo labia mea* per me, nec per Apostolos ad prædicandam & annuntiandam *veritatem tuam*: & intelligit per *labia* Apostolos, per quos prædicavit. Quasi dicat, quòd non timui minas Judæorum, nec Gentilium: sed ante reges & præsides dixi veritatem. Ideo subdit:

13. *Justitiam tuam non abscondi in* 24. q. 1. c. *Quia*, & 22. q. 2. *Non ita.*
F *corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi.*

14. *Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam, à concilio multo.*

JUstitiam tuam non abscondi in corde meo: sed *dixi* & manifestavi *veritatem* tuam Euangelicam, & *salutare tuum*, id est, *annuntiavi tuum* Salvatorem Jesum: & publicè confessus sum nomen Jesu coram hominibus, contemnendo minas principum: & ideo non tacui *veritatem* ex timore: *nec* G *abscondi veritatem tuam à multo concilio* Scribarum & Sacerdotum: & ideo moti sunt Principes Sacerdotum ad crucifigendum me, & Tyranni, & Reges ad interficiendum Apostolos & Martyres. Quasi dicat, ò Pater jam *manifestavi nomen tuum hominibus*, & annuntiavi mundo voluntatem tuam, sicut prædixisti & promisisti *Moysi*, *Deuteron.* 18. scilicet, *Loquetur ad eos omnia quæ præcepero illi*, & cætera.

De Pœ.d. 1. Quia divinitatis natura.

15. *Tu autem Domine ne longè facias miserationes tuas à me: misericordia tua, & veritas tua semper susceperunt me.* A

POSTQUAM superius Christus ostendit se in omnibus complacuisse voluntati Patris, & explicavit totum discursum suorum laborum; nunc autem in hac parte secunda principali, tanquam mediator, petit præmium sui laboris, scilicet, liberari in capite & membris; sed quia passus est pro membris liberandis: ideo magis videtur petere liberationem membrorum. Ideo ait: *Tu autem Domine* Pater, *ne facias longè miserationes tuas à me*, scilicet, à membris meis; quia pro eis passus sum. Nam tu scis, quòd *misericordia tua*, & B *veritas tua semper susceperunt me* in Patriarchis, & Prophetis: quia semper liberasti eos in veteri Testamento; quorum liberatio fuit figura redemptionis generis humani: ergo sicut liberasti eos temporaliter, ita pariter libera eos spiritualiter: quia major, & gravior est ista captivitas & afflictio, in qua jacet totum genus humanum, quàm illa. Quod probo.

7. q. 1. c. Adversitas.

16. *Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.* C

QUoniam *Adam* peccante, *circumdederunt me mala quorum non est numerus*: quia tota humana natura fuit corrupta, & ad duplicem mortem condemnata, & infinitis infirmitatibus subjecta, & multipliciter afflicta, & vulnerata in corpore, & anima. Et sic *comprehenderunt me iniquitates meæ*, quas *Adam*, & filii sui commiserunt: atque in tantum fuerunt multiplicatæ, quòd *non potui ut viderem*, id est, non potui eas numerare: quia

Extra de Reliq. ca. unico in clemen.

17. *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.* D

MUltiplicatæ *sunt super capillos capitis mei* iniquitates, & infirmitates membrorum meorum, pro quibus volui pati: in tantùm quòd *cor meum dereliquit me* in Passione: quia vires defecerant in me usque ad mortem inclusivè. Unde nota secundùm *Augustinum*, quòd sicut peccatum *Adæ*, & filiorum suorum fuit multiplex: ita Passio Christi debuit esse multiplex. Nam in illo peccato fuit furtum, & homicidium, & blasphemia, & rebellio, sicut dictum est *Psal.* 13. Ideo Christus voluit pati multiplicem pœnam, ut pro omnibus peccatis satisfaceret. Nam ipse fuit palmis cæsus, & consputus tanquam blasphemus, & flagellatus ut latro, & coronatus spinis, & delusus tanquam usurpator regni; & fuit finaliter crucifixus tanquam homicida. Et ideo dicit Christus, quòd *multiplicatæ sunt iniquitates meæ super capillos capitis mei.* Quasi dicat, quòd plures fuerunt quam capilli capitis: quia non solùm passus est pro iniquitatibus ipsius *Adæ*, sed etiam omnium præteritorum, & futurorum, qui numerari non possent. Et ideo dicit: *Comprehenderunt me iniquitates quorum non est numerus*: quia *Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum*: & *attritus est propter scelera nostra*, *Isai.* 53. Item iniquitates membrorum dicit Christus esse suas, non quoad culpam, sed quoad pœnam: quia pro eis passus est, & solvit pœnas pro eis, ut nos ab æterna morte liberaret. Ideo E F

Passio Christi multiplex.

18. *Complaceat tibi Domine ut eruas me: Domine ad adjuvandum me respice.*

De Consec. d. 3. Nec Quemquã

QUasi dicat: Postquam pro eis passus sum, & solvi pœnas: ideo *erue* eos à pœnâ æternâ. Item nota, quòd G Christus non solùm intendit rogare Patrem, ut liberet suos à captivitate peccati; sed etiam ut liberet totam Ecclesiam de manu Tyrannorum, & Hæreticorum.

19. *Confundantur & revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.*

Supr. 68. & 89. a. 23. q. 1. ulti.

20. *Convertantur retrorsum, & revereantur, qui volunt mihi mala.*

IN hac tertia parte petit ultionem de Judæis, qui noluerunt Christum audire, H nec recipere, immò ipsum crucifixerunt. Unde ait: O Pater, *confundantur* Judæi & *revereantur*, *qui quærunt animam meam*, & vitam meam, *ut auferant ipsam* de mundo. Quasi dicat: *Confundantur* quando viderint me à mortuis resurrexisse, & maneant frustrati in suo desiderio: & *convertantur retrorsum* cadentes ab omni dignitate, & regno, & sacerdotio.

23. q. 5. cap. Virga furoris.

21. *Erant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge.*

A

FErant & patiantur *confestim confusionem* & verecundiam *suam* omnes Judæi, *qui dicunt mihi: Euge, euge;* id est, omnes qui lætabantur in morte mea. Puniantur ergo Judæi, & omnes obstinati, qui noluerunt me audire & sequi: ut impleatur quod dixisti, *Deuter.* 18. *Quicumque verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam*; quasi dicat: Compleatur in eis illa sententia.

23. q. 2. Gloria.

22. *Exultent & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.*

B

HIC petit Christus præmium pro suis membris sequentibus eum. Unde ait: *Exultent* in corde & in anima, *& lætentur* in facie *omnes* Apostoli & fideles, *qui quærunt*, & secuti sunt te, & audierunt doctrinam meam: *& omnes qui diligunt* Jesum *salutare tuum*, & qui dicunt, *magnificetur Dominus*, id est, qui magnificant Patrem in Filio, & è converso. Quasi dicat: omnes justi & fideles habebunt gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, sicut promisisti *Moysi*, *Exodi* 33. quando dixisti: *Ego ostendam tibi omne bonum*, in C adventu Christi, supple. Deinde cùm subdit:

23. q. 4. Duo.

23. *Ego autem mendicus sum, & pauper: Dominus sollicitus est mei.*

EGO *autem mendicus sum*, concludit David in persona totius corporis mystici Christum expectantis, dicens: *Ego autem mendicus sum, & pauper*: ideo *Dominus sollicitus est mei*: id est, quia in D *Adam* sui expoliatus omnibus bonis gratuitis, & sic sui factus *pauper*: & etiam sui percussus & vulneratus in corde & anima, & factus sui *mendicus* & egenus: ideo necesse est, ut *Dominus* sit *sollicitus mei*: quia nullus alius me potest liberare, & pascere, & reficere pabulo sacramentorum, nisi Christus: ideo conversus ad Christum, dicit:

E 24. *Adjutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaveris.*

2. q. 5. Testes.

ODomine Jesu *adjutor*, & redemptor, *& protector meus*, *ne tardaveris* venire, quia nullus alius me potest liberare. Ex supradictis patet, quòd si velimus contemplari dicta in hoc Psalmo, magis videtur David Euangelista quàm Propheta. Nam ex hoc Psalmo possunt recolligi octo Euangelicæ conclusiones.

Quarum *prima* est: quòd Christus quatuor beneficia contulit fidelibus membris suis in suo adventu. Nam primò liberavit eos *de lacu miseriæ* inferni, *& de luto fæcis* peccatorum & pœnalitatum. Secundò, fundavit eos supra firmam petram F fidei, qui est Christus. Tertiò, direxit eos in cœlum per Legem Euangelicam. Quartò, absolvit eos à Cantico veteris Legis cærimoniarum, & posuit *Canticum novum* Euangelicum in ora ipsorum, quod est Canticum libertatis & lætitiæ. Nota.

Secunda conclusio: quòd mysteria *mirabilia*, quæ Pater fecit in Filio, & per Filium, sunt ineffabilia ad dicendum & narrandum, & incomprehensibilia ad cogitandum & comprehendendum.

Tertia conclusio: quòd Deus non accipiebat *sacrificia*, & holocausta, & oblationes veteris Legis in pretium pro peccato: quia non erant sufficientia, sed solùm in signum fœderis futuri pretii per Christum solvendi. Et ideo fuit necesse Christum venisse ad solvendum pro omni- G bus præsentibus & futuris: eò quòd fuit aptum & sufficiens pretium ad satisfaciendum pro omnibus ratione puritatis & obedientiæ.

Quarta conclusio: quòd Christus non solùm *annuntiavit* voluntatem Patris in Hierusalem & Judæa; sed etiam *annuntiavit* Euangelicam *justitiam*, & Legem justificantem *in Ecclesia magna* toto orbe diffusa.

Quinta conclusio: quòd Christus mediator ex debito & jure meruit liberare genus humanum propter laborem Passionis, & virtutem obedientiæ, & charitatis.

H *Sexta conclusio*: quòd ex sententia data per Dominum in Lege veteri, Judæi obstinati, & cæteri infideles, qui noluerunt Christum audire, nec recipere, merentur pœnam & ultionem æternam.

Septima conclusio: quòd ex promissione facta Moysi in Lege veteri, debetur sequentibus Christum gratia in præsenti, & gloria in futuro.

Octava conclusio: quòd omnes fuimus facti *pauperes & mendici in Adam*: de qui-

quibus malis nemo nos poterat liberare, niſi Chriſtus, qui fuit *ſollicitus* in noſtra redemptione & ſalute. A

PSALMUS XL.

1. *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.*

1. q. 1. Non eſt.

2. *Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum ejus.*

14. q. 5. per tot.

3. *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus: univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.* B

Diſt. 5. c. Ponderet.

TITULUS: *Victori*, ſive *In finem Pſalmus David.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Pſalmum dirigens nos in Chriſtum, qui eſt finis Legis. In quo propheticè prædicitur, & memoratur victoria Chriſti. Hoc idem confirmat Chriſtus, *Joan.* 13. allegans pro ſe ſcripturam hujus Pſalmi, cùm dicit: *Ego ſcio quos elegerim: ſed ut adimpleatur ſcriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum ſuum.* Ex his patet, quòd iſte Pſalmus factus eſt à David pro Chriſto propheticè. Item *Auguſtinus in libello de Fide rerum inviſibilium* adducit magnam partem hujus Pſalmi probans, David prophetaſſe in hoc Pſalmo de morte, & paſſione, & reſurrectione Chriſti. Sed eſt videndum, unde David ſumpſit occaſionem faciendi hunc Pſalmum. Ad quod dicitur, quòd Hebræi moderni multa varia & inepta dicunt, volentes aſſignare cauſas, quæ nullo modo poſſunt cum ratione applicari litteræ hujus Pſalmi. C

Et ideo ſalvo meliori judicio, cum Dei adjutorio mihi videtur quod David ſumpſit occaſionem faciendi hunc Pſalmum, quando fugit à facie Abſalom. Legitur enim *Reg.* 2. a. 15. *uſque ad* 19. qualiter Abſalom inſurrexit contra David patrem ſuum, ut auferret illi regnum, cui magna multitudo ex Iſrael adhæſit: inter quos principalis fuit *Achitophel*, qui fuerat conſiliarius familiaris ipſius David. Cum ergo pergeret David per verticem montis olivarum, apparuit *Siba* puer & ſervus *Miphiboſeth* in occurſum ejus cum duobus aſinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis uvæ paſſæ, & centum maſſis polentarum, & duobus utribus vini: & ſic ſubvenit inediæ, & indigentiæ, & refocillavit ipſum David cum toto exercitu fugientem. Item legitur poſtea, quòd cum *Achitophel* videret ſe fruſtratum conſilio ſuo, & contemptum propter conſilium *Chuſi*, *laqueo* ſe ſuſpendit. Item poſtea, quòd cum David tranſiſſet Jordanem, occurrit ipſi *Berzellai Galaadites*, & *Rabbath* filiorum *Ammon*, & multi alii, qui obtulerunt ei ſtratoria, & tapeta, & vaſa fictilia, & frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam: & ſic ſubvenerunt indigentiæ, & paupertati ipſius David. Sed poſtea *Joab* interfecit *Abſalom*, & diſperſi, & victi ſunt omnes inimici David. Et ſic reverſus eſt David in *Hieruſalem* cum magna victoria: & confirmatus eſt in ſuum regnum omnibus diebus vitæ ſuæ. Unde dixit: *An ignoro me hodie factum regem ſuper Iſrael?* D E

Nota de fuga David à facie Abſalom.

In hoc ergo ſupradicto myſterio prævidit David in ſpiritu totum myſterium paſſionis, & reſurrectionis, & regni ipſius Chriſti. De quo myſterio condidit hunc Pſalmum. Unde per hoc quod *Abſalom* conjuravit & inſurrexit contra patrem, prævidit, qualiter populus Judæorum debebat ex invidia inſurgere *adverſus Dominum*, *& adverſus Chriſtum ejus*, ut ipſi regnum & vitam auferret. Et per hoc quod *Achitophel* conſiliarius David adhæſit *Abſaloni* dans conſilium contra Dominum ſuum, David prævidit, qualiter *Judas Iſcariotes*, unus ex diſcipulis & familiaribus Chriſti, debebat inſurgere contra Chriſtum, & adhærere Phariſæis, & vendere Chriſtum, & dare conſilium contra ipſum, & laqueo ſe ſuſpendere, dum eſſet fruſtratus conſilio ſuo: ſicut *Achitophel*. Item per hoc quod *Siba* ſubvenit David in illa fuga & indigentia in monte Olivarum, & *Berzellai* juxta Jordanem; prævidit in ſpiritu, qualiter Chriſtus debebat eſſe pauper, & multi debebant ſubvenire indigentiæ & paupertati ſuæ in vita: ut patet de *Martha*, & *Magdalena*, quæ ſubveniebant Chriſto de facultatibus ſuis, *Luc.* 8. Item *Joſeph* ab *Arimathæa*, & *Nicodemus* ſubvenerunt illi in ſepultura. F G

Omnia ergo ſupradicta prævidens David in ſpiritu, fecit hunc Pſalmum in perſona Chriſti. In quo introducit Chriſtum loquentem. In quo quidem Pſalmo quatuor facit. Nam primò petit à Patre ſeptem præmia pro his qui ſubvenerunt ei in ſua paupertate, & morte, & ſepultura. Secundò per oppoſitum explicat ingratitudinem & crudelitatem ipſius *Judæ* proditoris. Tertiò petit reſurrectionem à Patre, ut poſſit utriſque præmia referre & tribuere ſecundùm opera ſua. Quartò agit gratias Patri de ſua reſurrectione, & aſcenſione. Secunda ibi: *Inimici mei.* Tertia ibi: *Tu autem Domine.* Quarta ibi: *In hoc cognovi.* H

Diviſio Pſalmi.

Adam per peccatum septem dña incurrit.

Quantum ergo ad primum est notandum : quòd *Adam* propter peccatum , & ingratitudinem , & inobedientiam septem A damna , & septem miserias incurrit , scilicet , sitim , nuditatem , & dolores , & infirmitates corporales , carcerem , captivitatem , & mortem. Unde Christus , licet esset *solus inter mortuos liber* : tamen ut nos à prædictis miseriis liberaret , voluit omnes supradictas miserias in se sponte assumere , ut suam misericordiam erga nos maximè demonstraret : & voluit etiam , ut in suis miseriis sibi subveniretur ab aliis. Et ita voluit & præcepit , ut in talibus miseriis unusquisque proximo suo subveniret, ut patet , *Matth.* 25. Et voluit , ut sibi tanquam pauperi subveniretur. Et non solùm se voluit ostendere pauperem , sed Patrem & caput pauperum : & hoc , ut divitias conculcarent , & exemplo sui cæteri paupertatem , & miserias patienter tolerarent. Et sic voluit in paupertate nasci, B & vivere. Unde ait , *Matth.* 8. *Vulpes foveas habent , & volucres nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Et sic voluit sibi in paupertate subveniri & eleemosynas acceptare. Nam *Martha* & *Magdalena* ministrabant ei de facultatibus suis : ut patet *Lucæ* 8. & *Martha* accepit ipsum in hospitio suo : & *Gamaliel* defendit ipsum in concilio : & *Magdalena* ipsum lassum & fessum unxit unguento , *Joann.* 13. & tandem *Joseph* ab *Arimathæa* in suo sepulchro eum sepelivit , ut patet per omnes Euangelistas. Ex quibus patet , quòd omnia septem opera misericordiæ voluit in se acceptare.

Quare Christus se fecit pauperem.

Et hoc fecit Christus propter quatuor. Primò , ut pauperem se ostenderet, & nos à prædictis miseriis liberaret. Secundò , ut unusquisque nostrum exemplo sui non confundatur , sed pauper- C tatem , & cæteras miserias toleraret patienter. Tertiò , ut subvenire pauperibus addiscamus. Quartò , ut subveniendo miseris pauperibus, merita suæ Passionis participemus. Et sicut sunt septem opera misericordiæ : ita Christus petit à Patre septem præmia pro omnibus his , qui ei in sua paupertate subvenerunt ; & pro omnibus, qui pauperibus & afflictis in sua necessitate subveniunt , & septem opera misericordiæ erga proximum exercent. Dicit ergo Christus in hac prima parte : *Beatus* sit & erit omnis *qui intelligit* , & intendit , & curam habet *super* me , & quemcunque alium *egenum & pauperem* , sicut fecit *Martha* , quæ me cibavit , & *Magdalena* , quæ me fessum unxit ; & *Joseph* , qui D me in suo sepulchro sepelivit. Et sic erit *benedictus* quicunque fecerit misericordiam erga proximum suum. Nam sicut exercuit septem opera misericordiæ : ita consequetur septem præmia. Nam primò , *Dominus liberabit eum in die mala* , id est , in die judicii : quia dicet omnibus misericordibus: *Venite benedicti Patris mei , percipite regnum : esurivi enim & dedistis mihi manducare* : & sic liberabit omnes tales à pœna inferni. Secundò , *Dominus conservet,* id est , conservabit eum in gratia , ne cadat in peccatum. Tertiò , *vivificet eum* à peccato ad gratiam , si fortè ceciderit in aliquod peccatum. Quartò , *beatum faciat eum in terra* viventium , id est , in gloria. Quintò , *non tradat eum in animam inimicorum* : immò liberet eum ab inimicis visibilibus , & invisibilibus , & ab omni periculo. Sextò , *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus* , id est , adjuvet eum in omnibus infirmitatibus & doloribus corporalibus. Septimò , *universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* Quasi dicat , tu Pater versabis & mutabis totum lectum ejus in sanitatem & vitam , cùm F fit , & fuerit in aliqua infirmitate : quasi dicat , quòd non solùm *feres opem* & auxilium in suis doloribus , & infirmitatibus: sed etiam liberabis eum à morte corporali : quia *in infirmitate ejus* , id est , dum fuerit infirmus ad mortem , in lecto *versabis* , & mutabis *stratum* & lectum mortis ejus in sanitatem & vitam , & revocabis eum à morte corporali. Sed fortè ly *universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus* , refertur ad vitam gloriosam , quam corpus cujuslibet justi & misericordis recuperabit per resurrectionem in præmium.

Ad cujus intelligentiam est notandum, sicut frequenter dictum est , quòd Christus totaliter redemit & liberavit hominem quantum ad animam & corpus ab omnibus miseriis , quas traxit ex *Adam* propter peccatum. Nam per Mortem & Passionem redemit animam & liberavit à pecca- G to : sed per Resurrectionem liberavit corpus ab omni miseria corporali , scilicet , à septem supradictis miseriis , quas incurrit *Adam* propter peccatum. Nam sicut Christus resurrexit cum corpore glorioso libero ab omni miseria ; quia surrexit immortalis & impassibilis : ita nos resurgemus , & immutabimur ab omni miseria in gloriam & libertatem , ut ait *Apostolus* , 1. *ad Cor.* 15. Et sic Christus in finali judicio , & universali resurrectione corpus nostrum *in infirmitate* corporali positum & miseria *versabit* in immortalitatem , & impassibilitatem , & gloriam.

Miseri-cors consequetur septem præmia.

Corpus est lectus doloris.

Nam corpus nostrum pro isto statu, nihil aliud est , nisi *stratum & lectus doloris & infirmitatum* , & miseriarum , in quo ja- H cet anima nostra infirma : quia *infirmatur anima ad infirmitatem corporis , sequendo ejus concupiscentiam , & affectiones* , ut inquit *Augustinus.* Ideo dicit , quòd hunc *lectum & stratum* voluit tangere Christus, ut sanaret nostras infirmitates. Unde ait idem *Augustinus* , quòd *grandis descendit de*

de cœlo medicus, quia grandis & magnus in terra jacebat ægrotus. Sed tetigit lectulum hujus ægroti, cum carnem nostram infirmam assumpsit, & sanavit ægrotum. Ex quo patet, quòd corpus nostrum mortale pro isto statu, nil aliud est, nisi quidam *lectus* & *stratum* omnium dolorum & infirmitatum, in quo jacet anima ægrota. Sed Christus in finali resurrectione *versabit* & mutabit ipsum, & convertet in vitam immortalem, & impassibilem. Et hoc est septimum præmium, quòd recipient justi in generali resurrectione. Et hoc petit Christus à Patre pro omnibus facientibus opera misericordiæ. Ideo ait: O Pater, non solùm *feres opem super lectum doloris* ipsius hominis facientis misericordiam mihi, & omni proximo: sed etiam *versasti universum stratum ejus in ejus infirmitate*, id est: cum universum corpus ejus sit quidam *lectus* & *stratum* constitutum in multiplici infirmitate & miseria, *versabis*, & mutabis ipsum in gloriam, & immortalitatem, & impassibilitatem.

Ex quibus patet, quòd sicut septem miserias incurrit *Adam* cum tota posteritate, scilicet, famem, sitim, & nuditatem, & carcerem, & captivitatem, & infirmitatem, & mortem: ita sunt septem opera misericordiæ, quæ vult Christus ut faciamus erga proximum, ipsum relevando, scilicet, *Cibare esurientes*, *Potare sitientes*, *Vestire nudos*, *Visitare infirmos*, & *Incarceratos liberare*, & *Captivos redimere*, & *Mortuos sepelire*: quas omnes septem miserias Christus in se voluit sustinere, ut nos ab eis liberaret: & voluit in omnibus subveniri sibi, ut merita suæ Passionis participaremus, ut dictum est. Ideo petit à Patre septem præmia illis septem operibus misericordiæ correspondentia. Primò, ut omnem misericordem *liberet* ab inferno in die Judicii. Secundò, ut *conservet eum* in gratia. Tertiò, ut *vivificet eum* à peccato ad gratiam. Quartò, ut *faciat eum beatum in terra*, & in gloria. Quintò, ut *liberet eum ab omnibus inimicis*. Sextò, ut *liberet eum* ab omni dolore & infirmitate corporali. Septimò, ut resuscitet ipsum ad gloriam & immortalitatem in finali resurrectione: quæ sunt præmia promissa omnibus facientibus misericordiam cum proximo suo. Quomodo autem obligamur subvenire indigentibus, & implere opera misericordiæ sub pœna ignis æterni, patebit *Psalmo* 111. Sed quia solus Christus *mediator Dei & hominum* per Passionem & Resurrectionem nos à supradictis miseriis liberavit, & à Patre supradicta septem præmia impetravit: ideo concludendo orat ad Patrem, dicens:

Septem præmia operibus septem misericordiæ correspondent.

* * *
* *

*** *** ***

E 4. *Ego dixi: Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.*

De Pœn. d. 1. cap. Mensurâ.

EGO *dixi: Domine miserere mei*, id est, ego oravi in horto, & in cruce pro Ecclesia fidelium: *dixi* ad Patrem: ò Domine Pater *miserere mei*, id est, miserere Ecclesiæ meæ, cujus ego sum caput, & pro qua recipio hanc Mortem & Passionem: & *sana animam meam*, scilicet, Ecclesiam fidelium, pro qua patior, quæ est anima & vita mea: quia eam assumpsi, & mihi in sponsam univi unitate mystica. *Sana* ergo istam *animam meam*, *quia tibi peccavi*: non in capite, sed in membris, quando *Adam* peccavit. Quia quando Adam peccavit, incurrit has omnes infirmitates, & miserias supradictas. *Sana* ergo istam *animam*, quæ *tibi*, id est, *contra te* tunc *peccavit*. Littera autem *Hieronymi* habet: *Sana animam meam: quia peccavit tibi*: & tunc est littera magis plana. Sed totum potest dici. Nam quia Christus assumpsit Ecclesiam in unitate mystica: ideo communicantur idiomata, & nostra peccata dicit esse sua: non quoad culpam, sed quoad pœnam; eò quòd nostram causam recepit defendendam, tanquam fideiussor, & procurator, & Dominus, & hæres, & sponsus, & Pater, ut dictum est *Psalmo* 18. & 21. Et sic Christus dicit, quòd peccavit in *Adam*: non ad culpam, sed ad pœnam. Deinde cùm dicit:

5. *Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen ejus?*

6. q. 1. Ex merito.

POSTQUAM superius Christus explicavit misericordiam, quam *Martha*, & *Magdalena*, & *Joseph*, & cæteri fecerunt cum eo in sua vita, & morte, & sepultura, pro quibus petiit supradicta septem præmia à Patre: ideo per oppositum in hac secunda parte explicat ingratitudinem, & crudelitatem quam *Judas* discipulus ejus cum concilio Sacerdotum & Pharisæorum ostendit contra eum in sua morte. Nam cùm *Judas* esset discipulus ejus, debuissetque illum defendere; tamen tradidit eum Judæis: ideo sub silentio prædicit eorum damnationem, & punitionem.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd *Achitophel* fuit unus de principalibus & secretis consiliariis David. Sed ipse fuit pri-

Nota, de figura Judæ.

primus, qui adhæsit *Absaloni*, & detegebat secreta David, & referebat *Absaloni*, A
& consilio ejus: & hoc duravit per aliquot dies, usquequò manifestè detexit suam proditionem: sed postea quia ad preces David, & industriâ *Chusi* infatuatum fuit, & frustratum consilium & proditio ejus: ideo abiit, & laqueo se suspendit. Ita pariter *Judas*, qui fuit unus ex discipulis Christi, ivit ad concilium Pharisæorum, & Principes Sacerdotum, dicens: *Quid vultis mihi dare? & ego eum vobis tradam.* Et cum illi constituissent ei triginta argenteos, quærebat opportunitatem, quomodo traderet eum eis. Et sic quicquid audiebat à Christo & discipulis, eundo & redeundo referebat Judæis. Et ideo dixit illi Christus: *Juda, quod facis, fac citiùs.* Et deduxit
B ministros ad locum ubi Christus orabat, in quo conveniebat Jesus cum discipulis: & sic osculo tradidit eum. Sed postea laqueo se suspendit. Totum ergo hoc mysterium prævidens David in figura per *Achitophel* & consilium *Absalonis*, dicit in persona Christi: *Inimici mei*, Principes & Pharisæi, *dixerunt mala mihi:* id est, falsa crimina imposuerunt, & confinxerunt, & in mortem meam conspiraverunt, dicentes: *Quando morietur* iste seductor, *& peribit nomen ejus?* id est, moriatur, & *eradamus eum de terra viventium*: & *non nominetur ultrà:* quia *expedit ut unus homo moriatur pro populo*, ne veniant *Romani, & tollant nobis locum nostrum & gentem.*

11. q. 3. Non solũ.

6. *Et si ingrediebatur ut videret,* C
vana loquebatur: cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

ET *si* pro *quando*, *Judas*, vel aliquis alius *ingrediebatur* ad Cœnaculum, ubi eram cum discipulis, *ut videret*, & exploraret, & insidiaretur quid faciebam, tunc *vana loquebatur cor* ipsius *Judæ.* Nam dicebat: *Numquid ego sum Domine?* Et dicebat: *Ut quid perditio hæc? poterat enim unguentum istud venundari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus:* sed in hoc *vana*, id est, cum fraude *loquebatur cor ejus*: nam non dicebat hoc, quòd *ad eum pertineret de egenis:* sed quia *fur erat & latro:* ideo unum dicebat ore, & aliud D
versabat in corde. Ideo *Judas* exinde *congregabat iniquitatem sibi*, & machinatus est, quomodo Christum traderet. Et sic

* * *
* *

* * * * * * * * * * * *

E 7. *Egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum.*

6. q. 1. Deteriores. 6. q. 1. ca. Summa.

8. *Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.*

EGrediebatur foras iste proditor, abiens ad Pharisæos, *& loquebatur in idipsum*, id est, simul cum eis tractando de captione Christi, & sic *omnes* Judæi *inimici mei susurrabant*, id est, susurrando, ma-
F la crimina imponebant, & mortem tractabant, & *cogitabant.* Et sic opere compleverunt.

9. *Verbum iniquum constituerunt adversum me: Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?*

Dis. 50. c. Ponderet, & ca. Sacerdotes.

SED adhuc post mortem meam *constituerunt verbum iniquum adversum me.* Nam dum essem in sepulchro, Principes & Pharisæi accesserunt ad *Pilatum*, dicentes: *Domine recordati sumus, quod ille seductor dixit adhuc vivens: Post tres dies à mortuis resurgam. Jube ergo custodiri se-*
G *pulchrum, ne fortè veniant discipuli ejus nocte, & furentur eum; & dicant plebi: Surrexit à mortuis.* Nam *numquid* iste *seductor, qui dormit*, id est, mortuus est, *non adjiciet* suis falsis miraculis *ut resurgat?* id est, dicat, & fingat, se resurrexisse; quasi dicant sic. Et hoc est *verbum iniquum*, quod Principes & Pharisæi *constituerunt adversus* Jesum: nam corruperunt custodes pecuniâ, ut dicerent, discipulos furatos fuisse corpus Jesu: quæ falsa fama fuit apud Judæos per aliqua tempora conficta. Sed quia hoc secretum de futura Christi resur-
H rectione revelaverat *Judas* Judæis, prout dixerat Christus; unde dixerat eis: *Tenete eum, & ducite cautè*, quia ipse dixit, se tertia die resurrecturum. Ideo subdit Christus: Non est mirum, quòd Principes & Pharisæi cogitarent *mala mihi*, & constituerint *verbum iniquum adversum me.*

* * * * * * * * * * * \

De Pœ. d. 1. c. Homicidiorũ

10. *Etenim homo pacis meæ, in quo* A *speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

ETenim pro *quia*, Judas *homo pacis meæ*, id est, discipulus, & familiaris, & fictus amicus, *in quo sperabam* ut me defenderet, ipse me tradidit & *magnificavit* & elevavit *contra me supplantationem*, id est, calcaneum, & calcem, & insultavit calcibus contra me, me tradendo, & secreta revelando, & dicendo: *Ducite cautè*, & custodite, quia dixit se resurrecturum. Ex quibus patet, quòd iste *Judas* proditor fuit in omnibus similis ipsi *Achitophel*: & B sic *in fine laqueo se suspendit*. Et sic patet, quomodo David prædixit in hac secunda parte totum mysterium machinationis, & traditionis, & mortis Christi, sicut prævidit in figura per *Achitophel*. Et ideo Christus allegat hoc dictum in persona sui per David esse dictum & prænuntiatum; ut patet *Joann.* 13. Unde dicit: *Homo pacis meæ*, id est, fictus amicus: *in quo sperabam*, sicut erat decens discipulo: *qui edebat panes meos*, id est, mecum cœnavit in mensa, & comedit agnum & azyma, & etiam recepit Corpus meum in Sacramento illa nocte; posteà levavit calcaneum contra me. Quasi dicat: non solùm inimici publici, sed etiam ficti amici insultarunt contra me. Totum etiam hoc allegat *Augustinus* in libello *de Fide rerum invisibilium*, esse C dictum de Christo, & sua morte, & passione, & resurrectione, & de *Juda* proditore: ubi *Augustinus* adducit magnam partem hujus Psalmi.

13. d. c. Sicut quædam.

11. *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis.*

POSTQUAM Christus in prima parte postulavit à Patre præmia pro his, qui subvenerunt suæ indigentiæ & paupertati; & in secunda explicavit modum suæ traditionis per *Judam*: nunc in hac tertia parte petit à Patre resurrectionem, ut possit retribuere bonis præmia prædicta, & suis D persecutoribus pœnam, sicut prævidit David, cùm restitutus fuit in regnum suum post mortem *Absalom*, & *Achitophel*. Dicit ergo Christus: Sed *tu Domine* Pater *resuscita me* à mortuis, *& retribuam eis*, scilicet, bonis præmia in principio dicta, & malis pœnam. Unde dicit Christus ad Patrem: *Miserere mei* pro corpore mystico. Et loquitur in quantum homo: quia ut sic est Caput Ecclesiæ: & ut homo, est E suscitatus, & exaltatus à Patre; quia ut Deus resurrexit in propria virtute, ut ait *Apostolus*. Unde Christus post resurrectionem suam recuperavit, & adeptus est regnum, & universalem potestatem in cœlo, in terra, & in inferno. Et sic tribuit crucifixoribus pœnam temporalem in præsenti, regnum & sacerdotium auferendo, & eos trucidando per Romanos, & captivando; & in futuro ad pœnam æternam destinando. Misericordibus vero qui ei subvenerunt, & de corpore suo curam gesserunt, & Euangelio obedierunt, tribuit gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, tàm corporis, quàm animæ.

F 12. *In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.* 23. q. 4. c. Nabucodonosor.

HIC agit gratias de sua resurrectione, & ascensione, dicens: O Pater ego *in hoc cognovi*, id est, cognoscere omnes fecisti, & membra mea cognoscere potuerunt, *quoniam voluisti* & dilexisti me: *quoniam inimicus meus*, populus Judæorum & infidelium, *non gaudebit super me*. Nam cum viderunt me surrexisse, & cœlos ascendisse, & Spiritum sanctum in *Apostolos* misisse, & per eos miracula operari: tunc viderunt se suo desiderio frustratos: & sic non potuerunt gaudere super me, immò tristari.

G 13. *Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.* Infr. 92. 21. q. 4. Obtineri.

NON solùm Pater me suscitasti, sed etiam ad majorem confusionem eorum, *me propter innocentiam*, & puritatem, & obedientiam meam in cœlum *suscepisti*, *& confirmasti me in conspectu tuo in æternum*, à dextris collocando, & universalem potestatem & jurisdictionem tradendo. Nam propter humilitatem exaltasti me: & dedisti mihi *nomen quod est super omne nomen*. Ideo gratias agam semper in Ecclesia, dicens:

*** *** ***
*** *** ***

35. d. c. Ab exordio.

14. *Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, & usque in sæculum: fiat, fiat.* A

BEnedictus *Dominus Deus Israel*, id est, fidelium, & credentium, & dicet totus populus Christianus: *Fiat, fiat*, id est, amen, amen. Quasi dicat: Jugiter in Ecclesia laudabitur Deus, & prædicabitur ejus Incarnatio, & Passio, & Resurrectio, & Ascensio, & gloria sempiterna.

Ex supradictis recolliguntur septem conclusiones, quarum prima est ista:

Prima conclusio: quòd *Adam* in peccando septem damna & miserias incurrit, scilicet, famem, sitim, nuditatem, infirmitatem, carceres, captivitatem, & mortem B corporalem: quas omnes Christus in se voluit assumere, & pati, ut nos ab eis liberaret.

Secunda conclusio: quòd Christus non solùm voluit supradictas septem miserias sustinere, sed etiam voluit, ut sibi in talibus subveniretur: ut exemplo sui omnes paupertatem, & cæteras miserias patienter tolerarent, & cæteris miseris succurrere discerent: & de paupertate, & subventione non erubescant, & subveniendo miseris merita Passionis Christi participent.

Tertia conclusio: quòd septem præmia petit à Patre in hoc Psalmo pro his, C qui in sua paupertate, & afflictione, & sepultura subvenerunt, & pro omnibus septem opera misericordiæ cum proximis exercentibus: primò, ut in judicio ab inferno liberentur. Secundò, ut à morte peccati per gratiam vivificentur. Tertiò, ut in gratia conserventur. Quartò, ut in terra viventium, scilicet, in cœlo, beatificentur per gloriam, & in hac terra, in copiâ bonorum temporalium. Quintò, ut liberentur ab omnibus inimicis visibilibus, & invisibilibus. Sextò, ut adjuventur in infirmitatibus suis corporalibus. Septimò, ut corpus eorum mortale & infirmum mutetur in corpus immortale, & impassibile, & glorioſum in finali resurrectione; ita quòd infirmitates vertantur in dotes glorioſas. D Ex quibus patet, quòd *eleemosyna* septem facit. Nam primò, liberat ab inferno. Secundò, liberat à peccato. Tertiò, conservat in gratia. Quartò, facit beatum in cœlo, & in terra dat bona temporalia. Quintò, liberat ab inimicis. Sextò, confert salutem corporis, liberando ab infirmitate. Septimò, suscitabit corpora ad immortalitatem. Et ideo iste Psalmus dicitur in *Agenda defunctorum*, ut precibus Ecclesiæ, & meritis Passionis Christi liberentur à pœna & miseria purgatorii.

Eleemosyna facit septem.

Quarta conclusio: quòd tota conjuratio & persecutio *Absalom* contra *David*, fuit figura conjurationis factæ contra *Christum*, & ipsius persecutionis, & passionis, & E resurrectionis; & *Achitophel* figura *Judæ* proditoris.

Quinta conclusio: quòd Christus post suam resurrectionem retribuit Judæis crucifixoribus suis, pœnam sui reatûs, & auxiliatoribus suis retribuit præmium.

Sexta conclusio: quòd Judæi post resurrectionem Christi manserunt delusi, & confusi in desiderio suo.

Septima conclusio: quòd Christus post suam resurrectionem ascendit in cœlum, & sedet à dextris Patris, & fuit confirmatus in regno, & universali potestate.

Psalmus XLI.

F 1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.* *De Pœ. d. 1. ca. Resuscitatus*

TItulus: *In finem: eruditio*, sive *intellectus filiis Core.* Unde nota, quòd non solùm *Augustinus*, sed etiam *Cambi* Hebræus dicit, quòd ubicumque in Titulis Psalmorum præponitur *Eruditio*, sive *Intellectus*, est signum, quòd in illo Psalmo prædicitur aliquod magnum & profundum mysterium de Messia futuro. De quo G sicut Propheta fuit eruditus à Spiritu sancto, ita erudit nos in hoc Psalmo.

Ex quo patet, quòd David dirigit nos in Christum, qui est finis Legis, erudiens nos de aliquibus mysteriis de Christo, & Ecclesia. Sed dicit *Rabbi Salomon*, & multi alii Hebræorum, quòd David non fecit hunc Psalmum, nec alios decem sic intitulatos, sed *filii Core* fecerunt eos. Dicunt enim, quòd quidam filiorum *Core* non consenserunt in illa conjuratione patris eorum, & *Dathan* & *Abiron* facta contra *Moysen:* & ideo quando terra absorbuit *Core*, & *Dathan*, & *Abiron* cum cæteris sequacibus, isti filii *Core* fuerunt liberati propter eorum innocentiam: quod fuit grande miraculum, *Num.* 26. Et ideo, H ut dicunt isti, Deus contulit illis spiritum prophetiæ in præmium, quia non secuti sunt iniquitatem patris: & sic condiderunt omnes undecim Psalmos sic intitulatos. *Nota.*

Sed ista positio est falsa, & irrationabilis. Primò, quia sequeretur, quòd *filii Core* habuissent altiorem gradum prophetiæ, quam David: eò quòd Psalmi intitulati *Filiis Core*, sunt altiores, & profundiores in sententia, quam cæteri Psalmi, vt patebit. Sed hoc est falsum, ut probatum est in *Prologo*: quia David dicitur *Egregius Psaltes Israel*, 2. *Reg.* 23. Item si isti Psalmi fuissent facti tempore *Moysis*,

non

non tacuiſſet, nec omiſiſſet *Moyſes* ſcribere eos in Lege, ſicut ſcripſit res minoris authoritatis. Ideo dicendum eſt cum *Origene*, & *Auguſtino*, & *Caſsiodoro*, quòd A David fecit hunc Pſalmum, & omnes alios: ſed dedit ipſum cantandum *filiis Core*, qui erant de cantoribus David. Et ſic *filii Core* non memorantur tanquam authores iſtorum Pſalmorum, ſed tanquam cantores: eò quòd erant ſapientiores cæteris cantoribus.

Objectio. Sed contra hoc arguunt quidam, dicentes: quòd *filii Core* nunquam fuerunt cantores, ſed janitores tantùm, 1. *Paralip.* 26. Sed parcat mihi eorum rèverentia: *Reſponſio* quia authoritas Sacræ Scripturæ eſt in oppoſitum. Nam *Heman*, qui erat de principalibus cantoribus, erat de filiis *Core*; ut patet 1. *Paral. cap.*6. Ibi enim deſcribitur B genealogia ipſius *Heman*, aſcendendo uſque ad *Core*, *filii Iſaar*, *filii Caath*, *filii Levi*. Ex quo patet, quòd *Heman* cum ſuo choro erat de filiis *Core*: & per conſequens ex eadem deſcendentia *filiorum Core*, quidam erant cantores, quidam erant janitores. Nec hoc erat inconveniens: quia etiam de filiis *Idithun* quoſdam fecit David *portarios*, ſive janitores, ut patet 1. *Paral.* 16. & tamen *Idithun* fuit de principalibus cantoribus, ut patet in eodem *lib. capit.* 6.

Sed quid dicendum ad beatum *Hieronymum*, virum tantæ authoritatis, & in Lege, & Prophetis tàm exercitatum & peritum? Ad hoc reſpondetur, quòd beatus *Hieronymus* nullâ authoritate movetur, niſi ſola authoritate magiſtri ſui *Barabam*, qui C fuit illius opinionis: & ſic locutus fuit tunc ſecundùm opinionem & doctrinam illius Hebræi magiſtri ſui. Sed poſteà magis illuſtratus, aſſerit, iſtum Pſalmum, & omnes alios ſic intitulatos, fuiſſe factos ab ipſo David, ut patet in multis Epiſtolis, in quibus Palmos ſic intitulatos attribuit ipſi David, ut patebit. Item *Origenes* in *homilia de Tabernaculo*, aſſerit, David feciſſe hunc Pſalmum, cùm dicit: *David eximius omnium Prophetarum quàm magnifice de tabernaculo ſentit, dum dicit per ſingulos dies, ubi eſt Deus tuus?* Item *Gregorius* in *homil.*25. *Hinc David ait: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum &c.* Ex quibus patet, quòd David fecit hunc Pſalmum, & omnes alios ſic intitulatos. D

Sed quare dedit hos Pſalmos ad cantandum *filiis Core*? Fuit in figura; eò quòd Eccleſia congregata ex populo Gentili, & etiam Judaico, eſt figurata per *filios Core*. Nam ſicut *filii Core*, licèt eſſent filii pravi hominis, & conjuratoris, & mali: tamen ipſi fuerunt boni, non ſequentes iniquitatem patris; ideo patre pereunte, ipſi manſerunt immunes. Ita pariter Eccleſia fuit congregata pro majori parte ex converſis de populo Gentili, quorum patres fuerunt idololatræ, & pravi, & damnati: & ſic patribus eorum pereuntibus in illa execrabili E ſuperſtitione; tamen filii fuerunt ſalvati, non ſequendo deteſtabiles ritus patrum ſuorum. Ita pariter Apoſtoli fuerunt in Chriſto ſalvati, non ſequendo conjurationem Scribarum, & Phariſæorum factam *Eccleſiæ figura.* contra Chriſtum. Et ideo Eccleſia, in quantum eſt congregata ex filiis pravorum hominum ad Chriſtum converſis, fuit figurata per filios *Core*. Et ideo David tradidit iſtos undecim Pſalmos *filiis Core* ad cantandum: eò quòd iſte Pſalmus cum cæteris, maximè dirigitur toti Eccleſiæ, ex populo Gentili congregatæ, ut magis patebit *Pſal.*44. & in cæteris. Eſt ergo ſenſus hujus Tituli: quòd David fecit hunc Pſalmum dirigens nos in Chriſtum, & Eccle- F ſiam, ex Gentibus congregatam, prout eruditus à Spiritu ſancto: & dedit ipſum cantandum *filiis Core*, ſcilicet, ipſi *Heman* cum ſodalibus ſuis; eò quòd figurabant Eccleſiam propter rationes ſupradictas.

Declarato Titulo, & Authore; de materia hujus Pſalmi eſt advertendum, quòd David contemplando diſcurſum populi Hebræorum ab exitu Ægypti uſque in finem, præter captivitatem & preſſuram Ægypti, prævidit duas alias preſſuras futuras, ſcilicet, *captivitatem Babyloniæ*, & preſſuram *Machabæorum*. Quæ quidem tres preſſuræ figurabant tres preſſuras in Eccleſia Dei, ſecundùm tres ſtatus ejus. Et ideo David contemplando ſupradictas tres preſſuras, prævidit alias tres, per ſupradictas figuratas in Eccleſia Dei. Nam G per *captivitatem filiorum Iſrael in Ægypto*, prævidit captivitatem totius generis humani in poteſtate diaboli. Et per *captivitatem Babyloniæ* prævidit in ſpiritu perſecutionem Eccleſiæ faciendam per Imperatores, & Tyrannos tempore Martyrum. Et per *preſſuras Machabæorum* prævidit perſecutionem & preſſuram Eccleſiæ tempore Hæreticorum. Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, fecit hunc Pſalmum; in quo tria facit in perſona totius Eccleſiæ, & corporis myſtici. Nam primò, deſiderat, & petit liberari de captivitate peccati, per Baptiſmum Chriſti. Secundò, deſiderat liberari de perſecutione Tyrannorum, & liberè Chriſto ſervire. Tertiò, petit diſcerni à ſocietate, & liberari de perſecu- H tione Hæreticorum. Secunda ibi: *Abyſſus abyſſum invocat.* Tertia ibi: *Judica me Deus.*

Quantum ad primum, duplici exemplo explicat & prædicit deſiderium patrum veteris Teſtamenti, quomodo deſiderabant liberari de captivitate diaboli, & mundari à peccato originali per Baptiſmum, & cætera ſacramenta. Et primò, exemplo *Cervi* vulnerati.

Ad cujus intelligentiam eſt notan- *Cervi natura.* dum, quòd *Cervus* habet talem naturam,

quod quando est vulneratus sagittâ venenosâ, nullum aliud remedium habet, nisi currere *ad fontes aquarum*, quarum potu, A & refrigerio putat sanari. Et etiam lavando vulnera in aquis, putat liberari, maximè *ad fontes aquarum*, ubi *Unicornis* intinxit cornu: eò quòd *Unicornis* per suum contactum præbet aquis virtutem purgativam contra omne venenum, sicut dictum est *Psal.*28. Nam non solùm fugat omne venenum ab aquis, sed etiam præbet eis virtutem salubrem contra omne venenum. Et ideo quando *Cervus* est sauciatus sagittâ venenosâ, magno conatu & desiderio currit ad fontes aquarum, ubi *Unicornis* intinxit cornu; & sic potu & lotione illarum aquarum sanatur & liberatur. Ita ergo pari ratione Christus voluit baptizari in Jordane, intingens cornu humanitatis in aquis: ex cujus contactu præbuit aquis virtutem B regenerativam ad sanandum peccatum originale, & etiam actuale in adultis.

Hoc ergo dicit David in persona totius *corporis mystici* pro illo statu ante adventum Christi. Unde ait: O Domine Jesu Christe *Deus* & *homo*, *quemadmodum cervus* sauciatus sagittâ venenosâ, *desiderat* currere & ire *ad fontes aquarum*, in quibus *Unicornis* intinxit cornu: ita *anima nostra* sauciata telo originalis peccati, *desiderat* ire *ad te*, ut sanes eam ab omni morbo peccati. Ideo

De Pœ.d. 1. Si antequam.

2. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* C

ANima *mea sitivit ad Deum fontem vivum*, à quo emanat *fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam. Quando venies* ergo, ò Christe? & *quando veniam* ad te, *& apparebo ante faciem tuam*, ut sanes me per aquam Baptismi? In littera autem *Hieronymi* habetur: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*, sive *ad Deum fortissimum*, quod idem est. Nam in tantum Deus ostendit suam virtutem & fortitudinem in Baptismo, quòd *fregit capita draconum in aquis*, *Psal.* 18. Unde tanta est virtus Baptismi, quòd fregit, & prostravit omnia idola, & *ejecit foras pricipem hujus mundi.* Ideo subdit: *Quando veniam* D *& apparebo ante faciem Dei*? id est, ante humanitatem tuam: quæ quidem humanitas dicitur *facies Dei*: eò quòd per ipsam humanitatem fuit notificata Dei omnipotentia, & sapientia, & misericordia. Deinde cùm dicit:

** ** ** ** ** **
* * * * * *

E 3. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidiè: Ubi est Deus tuus?*

11. q. 3. Ad mensam.

ADducit secundum exemplum de desiderio, in quo erant filii Israel in *Ægypto.* Unde quando *Moyses* promisit illi populo existenti in illa afflictione, quòd educeret eos de illa captivitate, & introduceret eos in terram promissionis, quam irrigat aqua *Jordanis:* tunc crevit eis desiderium exeundi ab illa captivitate, & perveniendi ad terram promissionis. Pari & tali desiderio desiderabat populus Fidelis F veteris Testamenti, ut Christus veniret in carne, & educeret eos de illa captivitate peccati, & introduceret eos in hanc Ecclesiam per aquas baptismales, & in patriam cœlestem per gloriam. Et hoc est quod dicit in hoc secundo exemplo. Unde ait: Sicut populus Israel flebat in Ægypto, dum Ægyptii dicebant: *Ubi est Deus vester*, qui liberet vos de manibus nostris? Ita pariter dicit *homo mysticus*: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*; id est, *lacrymæ* erant mihi cibus, & potus, dum dicitur mihi, & audio ab infidelibus: *Ubi est Deus tuus*? Tertiò dicit Propheta in persona *Zachariæ*, & *Simeonis*, & cæterorum quorundam virorum, qui magno desiderio expectabant Messiam in Lege promissum, quibus dicebant infideles irri- G dendo: *Ubi est* iste vester Messias? quare non venit ad liberandum vos? & subdit ille afflictus:

4. *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.*

6. d. cap. Testamentum, &c. seq.

5. *In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.*

H REcordatus *sum hæc* verba supradicta, & afflictiones quas patiebar: *&* tunc *effudi in me animam meam:* id est, converti in meipsum cogitationem meam, *& recordatus sum* promissionis mihi factæ de Christo futuro: *quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*, id est, *recordatus sum* in tali afflictione, qualiter mihi fuit promissus Christus, qui in suo adventu me debet educere de ista captivitate peccati, in qua sum, & debet me introducere in Ecclesiam

siam suam; & *introibo in locum tabernaculi*, ubi ipse habitat per gratiam. Et *introibo in domum Dei in voce exultationis & confessionis*, id est, cum hymnis & canticis *introibo* in Ecclesiam, ubi erit *sonus* populi, sive regis *epulantis*. Quasi dicat, quòd major & dulcior sonus erit in ista Ecclesia per gratiam, & in superna per gloriam, quàm in epulis regum, ubi sonant omnia genera musicorum. Quasi dicat, quòd sicut filii Israel transierunt Jordanem *cum voce exultationis & confessionis*, tympanis, & tubis, & hymnis in terram promissionis, & ibidem firmarunt tabernaculum: ita ego *introibo* Ecclesiam Christi per aquam Baptismi *in voce exultationis*, & ibi firmabo habitationem meam *in tabernaculo Dei* in hac Ecclesia per gratiam, & in alia per gloriam. Et sic iste homo consolatus de promissione sibi facta, alloquitur animam suam, dicens: A B

6. *Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?*

11. q. 3. cap. Æstimant, 1. 42. b.

7. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.*

O *Anima mea, quare tristis es? & quare conturbas me?* Non tristeris, sed consolare, & lætare, & *spera in eo, quoniam adhuc* ante multum tempus, ipse *Deus meus*, & *salutaris meus* veniet in carne, & ego *confitebor illi* gratias agendo: quia erit *salutaris meus, & Deus meus*: quasi dicat, quòd in brevi videbo ipsum Christum salvatorem meum, & instituam ei festivitates, in quibus laudabo eum *septies in die*, & confitebor ipsum esse meum Deum, & Salvatorem. Et subdit: C

16. q. 3. cap. ult. §. ulti.

8. *Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim à monte modico.*

AD *meipsum anima mea conturbata est*, id est, licèt *anima mea sit turbata ad meipsum*, id est, contra meipsum; *propterea* & adhuc, ò Deus, ego *ero memor tui de terra Jordanis, & Hermoniim à monte modico.* D

Ad cujus intelligentiam est notandum: quòd tota terra promissionis est irrigata per aquam *Jordanis*, quæ nascitur ex monte *Libano*, & currit per mediam terram promissionis, & submergitur in mari *Mortuo* in fine terræ promissionis, ad partem Australem. Et sic terra promissionis est clausa ab Aquilone monte *Hermon*, & ab Ortu altero monte parvo, dicto etiam *Hermon* juxta *Jordanem*, ubi Christus baptizatus est: & sic est duplex *Hermon*, scilicet, magnus, & parvus. Et terra promissionis dicitur *terra Jordanis, & Hermoniim*. Prævidens ergo David in spiritu, quòd ibi debebat Christus baptizari, & dare virtutem omnibus aquis baptismalibus, per quas eramus liberandi, & salvandi. Ideo dicit: *Memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim*. Unde ly *Hermoniim* est genitivi casus, numeri pluralis, & ponitur ex vi partitionis, ut sit sensus: O Christe, in tuo adventu *ero memor tui de terra Jordanis, & à monte modico* & parvo *Hermoniim*. Et ponitur partitivè: sicut dicitur, una & parva sororum, & modicus & parvus fratrum &c. Quasi dicat: Ego te videbo Dominum meum Jesum Christum in *Jordane*, juxta *montem* parvum *Hermon*, baptizatum à *Joanne*; & baptizantem Apostolos: ubi institues Baptismum ad sanandum peccatum, sicut mihi revelasti: & tunc per talem Baptismum liberabis me de hac captivitate diaboli, & miseria peccati. Et sic *ero memor tui de* illa *terra Jordanis, & à monte modico Hermon*: per cujus radicem transit *Jordanis*, ubi Christus fuit baptizatus. E F

Nota de irrigatione terræ promissionis per Jordanem.

Ad majorem autem evidentiam est etiam notandum, quòd tria mysteria facta sunt in *Jordane*, juxta illum parvum montem *Hermon*, figurantia Baptismum Christi, & Ecclesiæ. Nam primò, per illum locum transivit *Jordanem Arca Domini*, aquis *Jordanis* conversis retrorsum ad præsentiam Domini: quam *Arcam* sequebatur totus populus Israel. Et sic pede sicco per duodecim lapides intravit ille populus in terram promissionis, *Josue* 4. per quod mysterium prævidit David in spiritu, qualiter Christus, Verbum incarnatum in arca humanitatis, debebat baptizari pro omnibus nobis in *Jordane* in eodem loco: & quomodo Christus per aquas baptismales debebat introducere populum Fidelium in Ecclesiam suam, ad quam nemo potest introire, nisi per Baptismum. G

Tria mysteria facta in Jordane.

Secundum mysterium in eodem loco factum, fuit quando *Elias* percussit *Jordanem* cum pallio suo, & divisæ sunt aquæ, & transivit *Elias* cum *Eliseo* à terra promissionis, scilicet, à ripâ occidentali, ad aliam ripam orientalem. Exinde *Elias* raptus est, & *ascendit per turbinem* in paradisum terrestrem, 4. *Reg.* 2. *cap.* per quod mysterium prævidit David in duplici spiritu, qualiter Christus verus *Elias*, scilicet, Dominus Deus ascendens, debebat in eodem loco intingere vestem suæ humanitatis, & præbere virtutem regenerativam aquis baptismalibus, per quas aquas bap- H

tismales primò intramus in istam Ecclesiam per gratiam, & ascendimus ab ista Ecclesia in supernam per gloriam. A

Naaman Syrus. Tertium mysterium factum in *Jordane* juxta illum parvum montem *Hermon*, fuit, quando *Naaman Syrus* ad præceptum *Elisæi* Prophetæ fuit lotus septies in aquis *Jordanis*, unde fuit curatus à lepra, 4. *Reg.* 5. per quod mysterium prævidit David in duplici spiritu, qualiter Christus in eodem loco pro nobis erat baptizandus, præbendo aquis virtutem regenerativam, ut per Baptismum, non solùm nos à lepra originalis, sed etiam à lepra septem peccatorum mortalium, in adultis mundaret. Omnia ergo ista prævidens David in spiritu per supradicta mysteria, dicit in hoc versu, qui incipit in ly *Deus meus* in Translatione *Hieronymi* secundùm Hebræos; dicit ergo: O Christe *salutare vultus mei, & Deus meus, ad me ipsum anima mea* B *conturbata est. Propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim à monte modico*, id est, licèt *anima mea* sit *turbata* & tristis in me, dum existo in hac captivitate peccati: tamen adhuc videbo te baptizatum à *Joanne Baptista* in *Jordane* juxta montem *Hermon* parvum, instituendo nostrum baptismum, per quem lavabis, & liberabis omnes fideles à peccati servitute, & introduces eos in hanc Ecclesiam per gratiam, & in supernam per gloriam, sicut per aquas Jordanis introduxisti populum Israel in terram promissionis: & ab illis aquis ascendit *Elias* in paradisum.

23.q.5.c. 1. circa medium.

9. *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.*

C

IN hac secunda parte iste homo, sive Ecclesia, petit, & desiderat liberari de pressura & persecutione Tyrannorum, quam prævidit David per captivitatem Babylonicam.

Nota, de Ecclesiæ persecutione. Ad cujus intellectum est notandum: quòd postquam Ecclesia fuit liberata per Christum, & Baptismum ejus à peccato, & à captivitate diaboli, illicò post Ascensionem, incidit in persecutionem Judæorum & Tyrannorum, & regum infidelium: quæ quidem persecutio duravit usque ad conversionem *Constantini*, in qua occisa fuit infinita multitudo Martyrum: in tantum quòd pauci manserunt absconsi in speluncis montium. In qua persecutione *Silvester*, & cæteri Episcopi orabant die ac nocte, ut Deus liberaret Ecclesiam, & redderet libertatem, ut liberè possent ei servire. De qua aflictione fuit liberata per conversionem *Constantini*. Et hoc est quod dicit David hîc in persona Ecclesiæ. Unde ait: O Deus, postquàm primò fui liberatus de captivitate & pressura peccati, nunc incidi in aliam pressuram Infidelium. Nam *abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum*. Quasi dicat: sicut tempore magnæ tempestatis una *abyssus* & multitudo aquarum *invocat* & inducit aliam multitudinem, & tempestatem aquarum *in voce*, & ad vocem tonitruum *cataractarum*, id est, nubium, quæ dicuntur *cataractæ cœli*, nam tonitruus nihil aliud est, nisi fractio nubis: ita pariter venerunt diluvia, & *abyssus* persecutionum & afflictionum super me. Nam primò venit persecutio facta *Hierosolymis* illicò post Ascensionem, in qua lapidatus est *Stephanus*, & decollatus *Jacobus*. Postea persecutio *Neronis*, qui interfecit *Petrum* & *Paulum*. Tertia persecutio *Domitiani*. Quarta, *Trajani*. Item persecutio *Antonini*, & *Decii*, & *Valeriani*, & *Maximiani*, & *Diocletiani*, qui per universum orbem publicarunt F edictum contra Ecclesiam, de Ecclesiis diruendis, & interdixerunt divina Officia. Et sic una *abyssus* afflictionis & tormentorum veniebat post aliam in me, cum voce & edicto in fulminibus minarum, & tormentorum. Et sic E

10. *Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt.*

7.q.1.c. Adversitas.

OMNIA *excelsa*, id est, turres tormentorum, & *fluctus* afflictionum *super me transierunt.*

11. *In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus.*

24.q.1.c. Non turbatur.

G

AD cujus intelligentiam est notandum: quòd Ecclesia in illa persecutione orabat sine intermissione pro Apostolis, & Martyribus, & Fidelibus, ut patet *Actuum* 12. Item *Silvester Papa* latens in montibus *Soractinis* continuè orabat, ut Deus mitteret misericordiam suam super Ecclesiam: quia quotidie interficiebantur multa millia Martyrum per diversas partes mundi: & sic Propheta per *noctem* intelligit totum tempus illius persecutionis & adversitatis, in quo fiebat jugis oratio in Ecclesia. Et hoc est quod dicit: *In die mandavit misericordiam*, id est, *Dominus mandavit*, & misit *misericordiam suam*, *in die*, id est, tempore prosperitatis: sed *canti-* D *cum* & oratio *ejus* fuit *in nocte*, id est, in H illa persecutione. Quasi dicat, quòd in tota illa persecutione & *nocte*, in qua afflictus fuit: jugiter factum est *canticum* & oratio in Ecclesia, ut Deus mitteret, & *mandaret misericordiam suam*, & libertatem Ecclesiæ, ut libere posset Deo servire; & cessaret illa persecutio. Et ideo subdit:

12. *Apud*

15.q.ult. c. ult.

12. *Apud me oratio Deo vitæ meæ,* A *dicam Deo: Suſceptor meus es.*

APUD *me oratio Deo vitæ meæ*, id eſt, ſemper *apud me* fiebat *oratio Deo vitæ meæ*: & *dicam*, id eſt, dicebam *Deo*: O Deus, tu *es Suſceptor meus*, & ſpes mea: & in nullo alio confido, nec ſpero. Ergo

24.q.1.c. Si Petrus.

13. *Quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus?*

QUare *oblitus es mei*? quia per ducentos & ſeptuaginta annos me dimiſiſti in hoc diluvio & abyſſo perſecutionum: & *quare incedo contriſtatus* & afflictus? fugiendo per montes, & latendo per antra deſerti: *dum inimicus Diocletianus* cum cæteris Tyrannis *affligit me*? B

24.q.1.c. Ubi.

14. *Dum confringuntur oſſa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.*

DUM *confringuntur oſſa mea*, id eſt, *dum* Martyres decollantur, & flagellantur, & laniantur, & trucidantur: tunc *inimici mei* infideles, *qui tribulant* & torquent me, *exprobraverunt mihi*, & improperaverunt, & irriſerunt. C

15. q. 5. Nec mirũ.

15. *Dum dicunt mihi per ſingulos dies, ubi eſt Deus tuus? quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?*

DUM *dicunt mihi per ſingulos dies*: quia quotidie dicunt: *Ubi eſt* Jeſus Chriſtus *Deus tuus*? *quare* non venit ad liberandum te de manibus noſtris, & de his tormentis? Si Chriſtus tuus eſt Deus, ſicut tu dicis: quare ergo permittit, te totaliter affligi & torqueri? Iſta, & ſimilia D verba *exprobrabant*, & improperabant Tyranni, & tortores ipſis Martyribus, dum torquebant eos. Sed quia Eccleſia nunquam perdidit fidem, nec ſpem in illa perſecutione: ideo converſa in ſe, alloquitur animam ſuam, & conſolatur eam dicens: O *anima mea*, *quare es triſtis* in hac afflictione? *& quare conturbas me?* ne deſperes: ſed

E 16. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.* *Infra 42.*

SPera *in Deo*: quia non deſeret te; immò confido, quòd ipſe liberabit me, & dabit mihi libertatem & facultatem, ut liberè poſſim & publice ei ſervire, & *adhuc* ego *confitebor illi*, & celebrabo feſtivitates & officia *ſepties in die*, & *confitebor* publicè, qualiter Jeſus Chriſtus eſt *Deus meus*, *& ſalutare vultus mei.*

Unde eſt advertendum, quòd omnia iſta fuerunt impleta per Magnum *Conſtantinum*, qui poſt converſionem conceſſit F Chriſtianis publicam licentiam & facultatem per totum orbem ædificandi, & conſtruendi Eccleſias, & celebrandi feſtivitates Chriſti, & divina Officia: & ſic fuit exaudita ſupradicta oratio, & impletum deſiderium Eccleſiæ.

Ex ſupradictis patet, quòd ſicut Chriſtus liberaverat priùs Eccleſiam ſuam de captivitate diaboli, & peccati per Baptiſmum in adventu ſuo: ita poſtea liberavit eam de perſecutione Tyrannorum per ſanguinem, & orationes ſanctorum, & per converſionem *Conſtantini*. Item ſequitur, quòd ſicut liberatio *Ægyptiaca* figurabat liberationem generis humani faciendam per Chriſtum, & aquam baptiſmalem à peccato originali: ita liberatio de captivitate G *Babylonica* figurabat liberationem Eccleſiæ de perſecutione Tyrannorum, & de peccato actuali per pœnitentiam. Et nota, quòd ly *in die mandavit Dominus miſericordiam ſuam*, poteſt etiam referri ad redemptionem generis humani. *Nota, de liberatione Eccleſiæ.*

Ad cujus intelligentiam eſt advertendum: quòd duplex *Canticum* memoratur in Scriptura, ſcilicet, *novum*, & *vetus*. *Canticum* enim *vetus* erat Lex vetus, in qua petebatur & deſiderabatur miſericordia, & redemptio. *Canticum* vero *novum* eſt Lex Euangelica, in qua annuntiatur iſta miſericordia & redemptio. Et ideo ſicut Lex vetus erat *canticum* petitorium hujus redemptionis & miſericordiæ: ita Lex Euangelica eſt *canticum* annuntiatorium ejuſdem miſericordiæ. Ideo in hoc H loco per *diem* intelligit tempus gratiæ: & per *noctem* intelligit tempus Legis veteris, in quo fiebat *canticum* petitorium hujus miſericordiæ. Dicit ergo David: quòd licèt ante adventum Chriſti, una *abyſſus* peccatorum & afflictionum *invocaret* & portaret aliam: tamen *Dominus mandavit miſericordiam ſuam* & redemptionem *in die* gratiæ, & Legis Euangelicæ: ſicut mandavit *canticum* & petitionem ejuſdem gratiæ *in nocte* Legis veteris. Quaſi dicat, quòd ſicut Patres veteris Teſtamenti can- *Duplex canticum.*

ta-

tarunt *canticum* petitorium misericordiæ & redemptionis : ita *Dominus mandavit misericordiam suam in die* & tempore Legis gratiæ. Et sic nos cantamus *canticum* annuntiatorium misericordiæ & gratiæ. In cœlo autem cantatur *canticum* gloriæ.

Psalmus XLII.

De Consec. d. 2. cap. Credere in fine.

1. *Judica me Deus , & discerne causam meam de gente non sancta : ab homine iniquo & doloso erue me.*

ISTE Psalmus apud Hebræos est omnino sine Titulo ; immò reperitur continuatus cum superiori : & sic Judæi dicunt, esse eumdem cum superiori , & esse partem ejus. Sed communiter apud nos dicitur Psalmus per se divisus ab altero , & numeratur quadragesimus secundus. Sed utrumque potest esse verum , scilicet , quòd sit idem cum superiori : quod satis est verisimile , eò quòd eodem modo finitur , sicut duæ partes supradicti Psalmi. Et potest esse divisus , eò quòd est *diapsalma* , id est, pars ejus divisa secundùm consuetudinem antiquam, prout dictum fuit in *Prologo, tractatu* 5. *c. de Diapsalmate.* In quo Psalmo sive parte , ipse David explicat pressuram Ecclesiæ tempore Hæreticorum , de qua desiderat liberari : quam prævidit David per pressuram , & vastationem Machabæorum.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd postquam Ecclesia fuit liberata de persecutione Tyrannorum per conversionem Magni *Constantini* : illicò post mortem ejus tempore *Constantii* , incidit in persecutionem Hæreticorum : eò quòd *Constantius* fuit maculatus pravitate *Ariana* : in cujus favore *Ariani* inflixerunt tam duram persecutionem *Catholicis* , quòd illa persecutio visa est superare persecutionem Tyrannorum , ut ait *Rufinus* 10. *Ecclesiasticæ Historiæ.* In qua persecutione *Athanasius Alexandrinus* fuit afflictus per quadraginta annos , & à sede sua expulsus. Et *Ambrosius* in Ecclesia Mediolanensi , & *Hilarius* , & *Martinus* , & multi alii. Unde tanta fuit persecutio , quòd *Catholici* videbantur deficere , in tantùm quòd *Beatus Ambrosius* composuit Hymnos feriales ad consolandum Catholicos , ut occuparent tempus in hymnis & canticis , & tolerarent patienter persecutionem. Unde *Beatus Athanasius* , & *Ambrosius* , & *Hilarius* , & *Eusebius Vercellensis* , & alii Patres cum sua doctrina liberarunt Ecclesiam de illa persecutione. Hoc ergo prævidens David in spiritu , fecit hunc Psalmum. In quo tria facit : nam primò , petit liberari à consortio & peste Hæreticorum. Secundò , promittit agere gratias. Tertiò , consolatur seipsum de promissione sibi facta. Secunda ibi : *Introibo ad altare.* Tertia : *Quare tristis es anima mea?*

Persecutio Ecclesiæ ab Hæreticis.

Quantum ad primum, est advertendum secundùm *Augustinum* : quòd sicut bellum intestinum est pejus & pernitiosius , quam bellum extraneum : ita persecutio Hæreticorum fuit pejor , quam persecutio Tyrannorum ; eò quòd ista erat intestina & viscералis : quia Hæretici erant Christiani simulati , & habitabant intra Ecclesiam inter Catholicos; & deceperant Imperatores, & Reges *Gothorum* , & *Uvandalorum* : & ideo sub colore Fidei , crudelius persequebantur Catholicos in Ecclesia : immò profanabant , & destruebant Ecclesias Catholicorum , & interficiebant eos intra Ecclesiam, & expoliabant Ecclesiam : immò sæviora & atrociora tormenta inferebant *Uvandali Ariani* Catholicis in *Africa* , quam unquam Tyranni fecerant.

Nota.

Et ideo David in persona Ecclesiæ Catholicorum petit separari & discerni ab Hæreticis , & societate eorum , dicens : *O Deus judica me* judicio discretionis , *& discerne causam meam* , id est , separa me *de gente non sancta* Hæreticorum , eò quòd habent nomen sanctitatis , & non sunt sancti. Hoc dicit , quia ut plurimum omnes Hæretici erant hypocritæ , simulantes sanctam vitam. Nam unus Presbyter *Arianus* sub specie sanctitatis , decepit primo sororem *Constantini* , & postea decepit eum. Ideo subdit: *ab homine iniquo & doloso erue me.* Et appellat Hæreticos *iniquos & dolosos* , quia iniqua simulatione & dolo Imperatores, & Reges decipiebant , & graviori iniquitate & malitia Catholicos persequebantur, & affligebant. Quia *simulata æquitas duplex est iniquitas* , ut inquit *Augustinus.* Et ideo Salvator admonet , *esse cavendum à falsis prophetis , & hypocritis* : quia deterius possunt nocere sub specie virtutis & sanctitatis. Et ideo dicit : *De gente non sancta* , & *ab homine* Hæretico *& doloso erue me.* Vocatur etiam Hæreticus , *dolosus* , eò quòd per falsam doctrinam , falsò glossando Scripturas , alios decipit , & præcipitat in detestabiles sectas , & blasphemias , sicut *Ariani* & *Manichæi.* Sed quia graviùs affligebatur Ecclesia ab Hæreticis *iniquis & dolosis*, ideo subdit:

Erue me ab eis:



2. *Quia*

23. q. 3. cap. Fortitudo.

2. *Quia tu es Deus fortitudo mea:* A *quare me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?*

TU es *Deus fortitudo mea*, & nullus alius potest me liberare. Ergo *quare me repulisti?* & affligi permisisti ab Hæreticis per tot tempora? Et *quare incedo*, & fugio *tristis* per mundum, *dum inimicus* Hæreticus *affligit me*? Hoc dicit, quia *Athanasius* expulsus à sua Sede *Alexandrina*, per quadraginta annos peregrinatus est, fugiens sævam persecutionem eorum. Et *Hilarius*, & *Eusebius*, & *Beatus Martinus* in exilium missi sunt, & *Beatus* B *Ambrosius* multipliciter afflictus est cum tota Ecclesia sua propter immanitatem *Justinæ Imperatricis*. Et ideo dicit: *Quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?* Sed quia de tali detestabili peste non poterat liberari, nisi Deus mitteret Doctores lumine veritatis illustratos, qui Sacras Scripturas declararent, & lumen veritatis ostenderent, & Hæreticos per veras Sacras Scripturas confutarent, & confunderent: ideo hoc lumen petit, dicens: O Deus,

1. q. 1. c. 16. q. 1. Si omnia.

3. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt,* C *& adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.*

EMitte *lucem tuam, & veritatem tuam*, id est, lumen veritatis in Doctores: & mitte tuos sacros Doctores, lumine tuæ veritatis illustratos. *Ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua*; id est, ipsa lumina veritatis, & ipsi Doctores illustrati, *deducant* me de tali ignorantia & afflictione, *& adducant me in montem sanctum tuum*, scilicet in Ecclesiam, per suam doctrinam declarando Scripturam. Unde per *montem sanctum* intelligit Ecclesiam, & apicem veritatis Sacræ Scripturæ, D ad quam *veritatem* nos adduxerunt Doctores illustrati, scilicet, *Athanasius*, & *Origenes*, & *Eusebius*, & *Ambrosius*, & *Hieronymus*, & *Augustinus*, & *Gregorius*. Isti nos introduxerunt *in montem Dei, & in tabernacula* sua: & hanc *lucem* petebat Ecclesia.

* * *
* *
* * * * * * *

E 4. *Et introibo ad altare Dei; ad Deum, qui lætificat juventutem meam.*

9. q. 4. ca. Æstimät.

5. *Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus: quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?*

15. q. 1. c. Revertimini.

HIC promittit agere gratias post recepta beneficia. Ad cujus intellectum est notandum, quòd postquam Ecclesia fuit liberata per Doctores de persecutione F *Ariana*, & hæresi *Manichæorum*, & *Pelagianorum*, illicò fuit valdè prosperata. Nam *Beatus Ambrosius* composuit multa Officia ad cantandum in festivitatibus; & *Augustinus*, & *Gregorius* composuerunt multò plura, quæ cantat hodie Ecclesia: in quibus Officiis Ecclesia agit gratias de beneficio Incarnationis, & Nativitatis, & Resurrectionis, & Ascensionis: & sic celebrat festivitates *Virginis Mariæ* cum propriis Officiis; & etiam de Apostolis, & Martyribus celebrat Missarum solemnia, & septem Horas Canonicas in unaquaque festivitate, agendo gratias de beneficiis receptis. Et hoc est quod dicit: Postquam fuero liberatus de tali persecutione, tunc *introibo* liberè *ad altare Dei*, orando *ad Deum*, G *qui lætificat juventutem meam.* Et hoc dicebat Ecclesia, quando adhuc erat *in juventute*, nam *in sua pueritia* fuit afflicta per Tyrannos; sed *in juventute* per Hæreticos fuit quasi prostrata: sed per Doctores incepit rejuvenescere, & denuò lætari. Et ideò agens gratias, dicit: *Introibo ad altare, & confitebor tibi*, ò Deus, festa celebrando, & hymnos, & orationes cantando pro gratiarum actione: quia Deus meus es tu, qui liberasti me per modum supradictum. Deinde cùm dicit: *Quare tristis es anima mea*? alloquitur animam suam, consolans seipsum propter promissionem sibi factam, & ait:

H 6. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.*

Psal. 42. 11. q. 3. cap. Æstimant, in fine.

O *Anima mea, quare es tristis*? & quare tristaris, & conturbas me? Noli timere, sed *spera in Deo: quoniam* postquam fuero liberatus de persecutione Hæreticorum, & habuero liberam facultatem, *adhuc confitebor illi*, scilicet Christo, qui est *salutare vultus mei, & Deus meus:*

meus: & hoc, celebrando festivitates, & cantando hymnos, & cantica, & prædicando publicè Euangelium, & nomen Christi. A

Totus etiam iste Psalmus potest exponi de desiderio sanctorum Patrum, scilicet, *Zachariæ*, & *Simeonis*, & *Joseph*, qui de propinquo expectabant Christum, & petebant, ut in brevi Deus Pater mitteret *lucem*, & *veritatem* Euangelicam, per quam sumus introducti *in montem sanctum*, & *tabernaculum* Ecclesiæ: in qua nunc *confitemur* Deo cum hymnis, & canticis, & cum *cithara* triangulari, scilicet, fide, spe, & charitate lineata. Et sic ultimò consolatur animam suam de promissione sibi facta. Nam *Simeon acceperat responsum à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini*: & ideo quando tenuit Christum in manibus, cantavit illud Canticum: *Nunc dimittis servum tuum Domine.* Ad idem cantavit *Zacharias*: *Benedictus Dominus Deus Israel.* Sed super omnes fuit impletum desiderium, & spes *Virginis Mariæ*: ideo agens gratias cecinit illud Canticum: *Magnificat anima mea Dominum.* B

Potest etiam totus iste Psalmus exponi cum duabus partibus Psalmi præcedentis *anagogicè*, explicando desiderium cujuslibet Fidelis desiderantis absolvi ab omni mundana miseria, & esse cum Christo in Ecclesia triumphanti. Et etiam unusquisque devotus Sacerdos dicit hunc Psalmum, quando accedit ad altare, petens primò discerni, & absolvi ab omni peccato, & à consortio malorum, & à tentatione peccati: & petit lumen veritatis & gratiæ, ut purus & mundus possit *introire ad altare Dei*, & dignè sacrificium offerre, & Missam celebrare, & laudes Domino decantare. C

Nota. Nota etiam: quòd totus iste Psalmus quoad omnes tres partes suas, potest legi *anagogicè*: quia est quoddam soliloquium Ecclesiæ, & cujuslibet Fidelis peregrinantis in hac vita, loquentis ad seipsum, & ad Deum. In quo *sicut cervus* sauciatus *desiderat* ire *ad fontes aquarum*, ut refrigeretur, & sanetur: *ita anima mea*, & quilibet justus *desiderat* dissolvi, & exonerari ab hac gravitate, & morte corporis hujus, & intrare, & habitare terram promissionis: nam anima nostra desiderat egredi ab hac lacrymarum valle, & frui Deo in terra viventium. Et sicut populus Judaicus desiderabat liberari de *captivitate Babylonica*: ita tota Ecclesia, & quilibet Fidelis, desiderat liberari de pressura peccatorum, & persecutionum. Et sicut societas *Machabæorum* desiderabat discerni tàm à malis, quàm à profanis Gentilibus, & desiderabat renovare Templum: ita modò Ecclesia petit discerni ab Hæreticis, & Paganis, & à malis Christianis, & esse cum Christo. D

E

Psalmus XLIII.

1. *Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis,* 38. d. c. Nullus, & 25. q. 4. cap. Cum in lege.

2. *Opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.*

F Titulus: *Ad victoriam*, sive *In finem*, *filiis Core.* Ex hoc Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum, dirigens nos in Christum *finaliter*, qui est finis Legis: & tradidit ipsum cantandum *Filiis Core* propter mysterium, & signum: eò quòd etiam nos dirigit in Ecclesiam congregatam ex Judæis, & Gentilibus, sicut dictum est in Titulo Psalmi præteriti. Nam in hoc Psalmo David prædicit propheticè totam stragem populi Judaici, factam per *Antiochum* tempore *Machabæorum*: per quam figurata fuit strages & persecutio Ecclesiæ tempore Tyrannorum.

Sed multis videtur mirabile, quòd David, qui fuit per octingentos annos ante tempora *Machabæorum*, potuerit facere istum Psalmum, cùm potiùs videatur narrare historiam, quàm condere prophetiam ita manifestam.

Ad hoc respondetur, quòd septem status veteris Testamenti, & Ecclesiæ computantur ante adventum Christi: & quilibet status habet suum principium, sive principem. Nam primus status incepit ab *Adam*, qui fuit principium totius generis humani. Secundus à *Noe*, qui fuit principium secundi mundi, sive restaurationis mundi perditi. Tertius ab *Abraham*, qui fuit principium circuncisionis. Quartus à *Jacob*, qui fuit principium populi Dei. Quintus à *Moyse*, qui fuit principium Legis. Sextus à *David*, qui fuit principium Templi primi. Septimus fuit à *Daniel*, qui fuit principium Templi secundi, sive principium restaurationis secundi Templi: sicut *Noe* fuit principium restaurationis primi mundi. G *Septem ætates, seu status.*

Quia ergo isti septem homines fuerunt principes istorum septem statuum: ideo eis principaliter facta est revelatio de successione temporis, & suorum populorum, licèt secundùm magis & minus perfectum, ut patet per singulos. Nam primò, cùm Deus *misit soporem in Adam*, prævidit in spiritu mysterium Incarnationis, & Passionis Christi, & mysterium nostræ regenerationis, & desponsationem, & unionem Christi, & Ecclesiæ, ut ait *Augustinus* in *lib. Cur Deus homo*, & *super Joann.* H

ho-

Nota de dormitione Noe.

homilia. Unde excitatus à somno, dixit: *Nunc os ex ossibus meis:* quod magnum sacramentum est *de Christo, & Ecclesia*, ut A ait *Apostolus ad Ephes.* 5. Secundò, *Noe* in illa dormitione & ebrietate prævidit multa futura de successione filiorum suorum: unde surgens à somno, dixit: *Maledictus Chanaan*, ut patet *Genes.*9. De isto dicitur, quòd vidit tres mundos, scilicet, mundum creatum, & destructum, & restauratum. Tertiò, *Abrahæ* fuit revelata successio duorum populorum suorum, scilicet, *Ismaelitarum*, & filiorum *promissionis* per *Isaac*; & de peregrinatione eorum: & hoc prævidit in sopore, ut patet *Genes.*15. Quartò, *Jacob* fuit revelatum in sopore mysterium Christi, & Ecclesiæ, ut patet *Genes.* 28. & 32. Item prævidit totum discursum duodecim Tribuum, & ante mortem prædixit filiis suis in spiritu prophetiæ omnia futura singillatim, ut habe- B tur *Gen.*48. Quintò, *Moysi* revelavit Deus multa futura illius populi, ut patet *Exod.* 33. & in Cantico: *Audite cœli*, *Deuter.*32. Sextò, quia *David* fuit principium prosperitatis illius regni, & ampliavit divinum cultum, & præcepit fieri primum Templum: ideo sæpe rogabat prosperitatem illius regni, & concupivit durationem ejus, cùm sciret, Christum futurum ex sua Tribu. Ideo fuit ipsi revelata tota successio illius regni usque ad destructionem Templi, & Civitatis per *Chaldæos*, propter scelera eorum; & exinde totus discursus usque ad Christum, & exinde totus discursus Ecclesiæ usque ad Judicium; & hoc clarâ visione, & duplici spiritu prophetiæ, ut ipsemet ait 2. *Reg.* 23. Septimò, quia *Daniel* fuit *vir desideriorum*, & princi- C pium secundi Templi: ideo revelatus est ipsi totus discursus secundi Templi per septuaginta hebdomadas usque ad Christum, ut patet *Danielis* 9. & successio quatuor principalium Regnorum, & totum regnum Christi, ut patet *Danielis* 2. & 7. & 10. *usque ad finem.*

Ex his patet, quòd nemo debet dubitare, quod David ita prædicat clarè stragem *Machabæorum.* Nam ipsemet ait 2. *Reg.* 23. quòd sua *prophetia fuit clara sicut lux Auroræ oriente Sole absque nubibus.* Et in hoc Psalmo, & quibusdam sequentibus, magis videtur texere historiam gestorum præteritorum, quàm condere prophetiam futurorum, ut patebit. Sed est ad- D vertendum, quòd sicut nos videntes, & prospicientes à longè per montes propinquiores, venimus in cognitionem montium ulteriorum; & per cognitionem Planetarum inferiorum, videmus stellas superiores: ita *David*, & cæteri Prophetæ, prævidendo propheticè aliqua futura de illo populo, præviderunt, & prædixerunt multa mysteria longiùs futura de Christo, & Ecclesia. Unde ille talis spiritus pro-

phetiæ dicitur *duplex*, ut dictum est *in Prologo*: & sic David prævidendo stragem *Ma-* E *chabæorum* in hoc Psalmo, prævidit ulteriùs, & prædixit stragem & persecutionem Ecclesiæ Christi, per stragem Templi, & Civitatis *Hierusalem.*

Hoc ergo prævidens David, fecit hunc Psalmum: in quo tria facit. Nam primò, ut captet benivolentiam à Deo, narrat omnia beneficia, & victorias illi populo à Deo quondam collatas. Secundò, ille populus explicat, & deflet stragem, & afflictionem suam. Tertiò, petit liberari per *Messiam* futurum. Secunda ibi: *Nunc autem repulisti.* Tertia ibi: *Exurge, quare.* Ad primum ergo dicit ille populus: *O Deus, nos audivimus auribus nostris*, & *patres nostri annuntiaverunt nobis* per scripturam *Moysis*, & *Josue*, & per totum discursum *Judicum*, & *Regum*, totum *opus*, F *quod operatus es* in eis *in diebus eorum*, & *in* omnibus *antiquis*, scilicet, *Abraham*, & *Isaac*; beneficia, & victorias, & signa, & prodigia in exitu Ægypti, & in peregrinatione deserti, & in ingressu terræ promissionis. Nam

Narratio.

3. *Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos.*

7. q. 1. Cū percussio. Dist. 3. c. Quę contra; & 23. q. 1. Quid culpatur.

4. *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos:*

G 5. *Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.*

MANUS & potestas tua *gentes disperdidit*, & projecit de terra promissionis per *Josue*: *& plantasti eos*, scilicet, patres nostros, & collocasti in illa terra: & *afflixisti populos* Chananæorum, & *expulisti eos.* Et hoc non fecerunt patres nostri viribus suis, *nec in gladio* & armis *possederunt* & obtinuerunt *terram* illam, *nec brachium* & fortitudo *eorum salvavit eos: sed dextera tua, & brachium tuum,* H *& illuminatio vultus tui.* Nam per totum desertum *deduxit eos in columna nubis*; & *Moyse* orante, vincebatur *Amalech*, *Exod.* 17. & clangentibus tubis, & vociferante populo, ceciderunt muri *Jericho*, *Josue* 7. Et hoc fecisti, non quòd ille populus meruit; sed quoniam ex misericordia tua *complacuisti in eis*: & hoc amore *Moysis*, & *Josue*, qui tibi grati fuerunt; & etiam quia hoc promiseras *Abrahæ*, & *Isaac*, & *Jacob.*

Dist. 3. c. Quę contra.

6. *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus: qui mandas salutes Jacob.* A

23. q. 1. Quid culpatur in bello.

7. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.*

8. *Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non salvabit me.*

B

96. d. c. Cum ad verum.

9. *Salvasti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudisti.*

10. *In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in sæculum.*

TU ergo *es Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes* & victorias toti *Jacob.* Ideo si volueris, nos *ventilabimus* C & propulsabimus *inimicos nostros in te*, in virtute tua, & *cornu*, & cum magna victoria: *& in nomine tuo spernemus* & contemnemus omnes *insurgentes in nos*: hoc enim faciemus *in nomine tuo*: quia *non sperabo*, nec ponam fiduciam *in arcu meo: nec gladius meus salvabit me*: sed tu es ille, qui *salvasti nos de* inimicis *affligentibus nos: & confudisti odientes nos.* Et ideo *in Deo laudabimur tota die*, & non in nobis: *& confitebimur in sæculum in nomine tuo*, & non in nostro: quia tibi debet attribui potestas & honor omnis nostræ victoriæ. Unde nota, quòd sicut Fideles novi Testamenti sperant salvari, & liberari ab omni periculo, in virtute *nominis Jesu*: ita antiqui invocabant *nomen Domini Tetra-* D *grammaton*, quod est idem, ut sæpe dictum est.

11. *Nunc autem repulisti & confudisti nos: & non egredieris Deus in virtutibus nostris.*

IN hac secunda parte deflet & explicat afflictionem suam, dicens: O Deus, tot & tanta fecisti cum patribus nostris, supple; *nunc autem repulisti, & confudisti nos*, non habens curam de nobis. *Et* nec *egredieris in virtutibus nostris*, pugnando pro nobis, & præbendo auxilium, sicut E quondam præbuisti: immò

12. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui oderunt nos, diripiebant sibi.* 23. q. 5. §. ulti.

AVertisti *nos retrorsum post inimicos nostros*, & fugere nos ad montem fecisti, & in die Sabbati vinci nos permisisti, ut patet 1. *Machabæorum* 2. & gentes *Antiochi*, & armigeri, *qui oderunt nos, diripiebant*, & vendicabant *sibi* nos captivos in prædam, & bona nostra. Et

F 13. *Dedisti nos tanquam oves escarum: & in Gentibus dispersisti nos.* Ibid. cap. Virga.

DEdisti *nos tanquam oves escarum* ad interficiendum, & comedendum. *Et dispersisti nos captivos* & fugitivos *in Gentibus.*

14. *Vendidisti populum tuum sine pretio: & non fuit multitudo in* Ibid. cap. Sunt quędam.
G *commutationibus eorum.*

VEndidisti *populum tuum sine* magno (immò vili) *pretio, & non fuit multitudo* pecuniarum *in commutationibus*; quia pro pecuniis vendebantur, & commutabantur: ita ut pro asino *commutabantur* tres, aut quatuor Judæi, in contemptum. Et sic

15. *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his, qui sunt in circuitu nostro.* 15. q. 1. Non est.

H

16. *Posuisti nos in similitudinem Gentibus: commotionem capitis in populis.* Et 23. q. 5. Sunt quędam.

POsuisti *nos in opprobrium vicinis nostris*, & circunstantibus, & in similitudinem *& derisum* finitimis & inimicis Infidelibus, *qui in circuitu nostro sunt*, & in *commotionem capitis in populis.* Nam quando aliquis comminabatur alteri nutando, & commovendo caput, sicut solet fieri, dicebat: *Ego faciam tibi pejus, quàm Judæis.*

dæis. Et quando loquebatur de infortunio alicujus, ponebat exemplum & *similitudinem* de Judæis, dicendo: *Ita accidit, vel accidat tibi, sicut accidit Judæis.* Et sic A

7. q. 1. c. Cum persecutio.

17. *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me,*

45. d. c. Cum beatus.

18. *A voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & persequentis.*

VErecundia *mea contra me est*, dum ista dicuntur & audio in faciem meam: *& confusio faciei meæ cooperuit me:* & sic oportet, me cooperire faciem, & fugere à facie cujuslibet *obloquentis*, & improperantis, & *persequentis.* B

45. d. Qui emendat.

19. *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te: & iniquè non egimus in testamento tuo.*

HIC populus Dei concitat Deum ad misericordiam & auxilium ratione fidelitatis. Nam illa pars Fidelium nunquam dimisit Fidem Dei inter tot tormenta & persecutiones. Ideo Deus tanto magis habebat causam subveniendi eis. Dicit ergo: licèt *hæc omnia* mala & persecutiones *venerunt super nos*, *non obliti sumus te*: nec dimisimus Legem tuam: *nec iniquè egimus in testamento tuo.* C

23. q. 1. §. 1. circa medium.

20. *Et non recessit retrò cor nostrum: & declinasti semitas nostras à via tua.*

NON *recessit retrò cor nostrum* à tuo cultu, quia semper coluimus te, non violando Legem tuam: & tamen tu *declinasti semitas*, id est, declinari permisisti *semitas nostras à via tua*: quia aliquando non potuimus servare præcepta. Nam in die *Sabbati* coacti fuimus præliari contra inimicos: nec potuimus servare aliqua cærimonialia, propter impotentiam, & necessitatem. Et ratio est, D

* * * \

Arg. 23. q. 3. c. Maximianus

25. *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem.* A

IN hac tertia parte iste populus petit liberari per Christum Messiam, sicut dictum est. Nam in secundo Templo non expectabant liberari, nisi per Messiam in omnibus persecutionibus *Græcorum*, & *Ægyptiorum*, & *Romanorum*, sicut promissum eis fuerat per *Danielem*, *Aggeum*, *Zachariam*, & *Malachiam*: quia Messias venturus erat in secundo Templo, ad liberandum eos: & sic jam non expectabant per alium liberari. O Domine Jesu-Christe, *exurge*, & veni in carne: *quare obdormis*, B & vidêris dormire, permittendo nos vexari, *& obliviscaris inopiæ nostræ?* quia sumus sine ope & auxilio, *& obliviscaris tribulationis nostræ?* ergo *exurge*, *& ne repellas* nos *in finem*, & in æternum.

Ibidem.

26. *Quare faciem tuam avertis, obliviscaris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?*

QUare *avertis faciem*, & præsentiam *tuam*? Et intelligit per *faciem* humanitatem Christi, per quam notificata est ejus divinitas. Quasi dicat: Veni, & videamus te in humanitate & carne: & ne obliviscaris *inopiæ nostræ:* C

22. d. c. de Constantinopolitana.

27. *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster.*

QUoniam *anima nostra humiliata est in pulvere*, id est, jam fecimus pœnitentiam de peccatis: quotidie sumus procidentes & proni in *terra*, & *venter noster est conglutinatus*, adhærens terræ: quasi dicat: procidentes in facies nostras; & prostrati in terra, continuè rogamus, ut venias ad liberandum nos.

D

De Consec. d. 2. Iteratur.

28. *Exurge Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.*

EXurge ergo Christe, *adjuva nos*, *& redime nos* de potestate diaboli *propter nomen tuum*, quod est *Jesus*, id est, *Salvator*, quia *non est aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri.* Ex hoc patet, quòd iste invocatus est *Rex Messias* expectatus in Lege. Sed est advertendum, quòd David in hoc Psalmo E procedit duplici spiritu prophetiæ, sicut dictum est in principio. Nam primò prævidit in spiritu futuram stragem in tempore *Machabæorum*: & per illam prævidit ultra totam persecutionem Ecclesiæ Christi usque ad *Constantinum*. Et ideo ab illo loco: *Nunc autem repulisti & confudisti*, usque ad finem hujus Psalmi, potest exponi de persecutione Ecclesiæ facta per decem Imperatores usque ad *Constantinum*. Nam si bene attendatur tota persecutio Ecclesiæ, maxima facta tempore *Diocletiani*, in qua multi & innumeri fuerunt martyrizati; fuit figurata per persecutionem & stragem *Machabæorum*. Et ideo erant in continua oratione, ut eos liberaret, ut pa- F tet de *Beato Silvestro*, & *Beato Urbano*, qui latebant in montibus prope *Romam* propter sævitiam Tyrannorum: sed Deus liberavit eos, & reddita est pax Ecclesiæ per *Constantinum*.

Et sic totus iste Psalmus est quædam oratio, quam faciebat Ecclesia posita in illa persecutione. Et sic prudens lector potest applicare litteram hujus Psalmi, ut sint verba & oratio Ecclesiæ Christi ut sic. Ut dicat Ecclesia: O Christe sponse mi, Deus & homo, *nos auribus nostris audivimus*, & in veteri Testamento legimus, *& Patres nostri* Patriarchæ, & Prophetæ *narraverunt*, id est, in Scripturis reliquerunt *nobis opus*, *quod operatus es in diebus eorum &c. Nunc autem* in tempore gratiæ, in quo magis nos debes diligere, G & præstare nobis favorem, *repulisti nos & confudisti*, permittendo ut *Nero*, & *Domitianus*, & *Diocletianus* destruant Ecclesiam tuam ita crudeliter. *Exurge* ergo, quia vidêris dormire, *& ne obliviscaris inopiæ nostræ*, & comprime Tyrannos. Totus etiam iste Psalmus potest exponi de persecutione *Saracenorum*, & *Turcarum*, in qua nunc affligitur Ecclesia. Ideo petit liberari auxilio Christi sponsi sui. Etiam potest exponi de persecutione Anti-christi, de qua petit liberari in secundo adventu Christi.

PSALMUS XLIV.

H

De Pœn. d. 2. §. Si sermo meus.

1. *Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.*

TITULUS secundùm *Septuaginta*: *In finem pro iis qui commutabuntur, filiis Core ad intellectum, Canticum pro dilecto.* In Hebræo verò: *Vincenti super rosas, filiis Core, eruditio Cantici dilectionum.* Secundùm *Hieronymum* autem: *Victori*

Nota.

tori prolis filiorum Core, Canticum amantiſsimum. Unde licet iſti Tituli videantur diverſi in verbis: tamen non diſcordant in A ſententia; immò breviter inter omnes explicant ſententiam, & myſteria hujus Pſalmi.

Nam per hoc quod dicit, *In finem*, ſive *Vincenti*, aut *Victori*, denotatur modus cantandi ad victoriam vocum: per quod denotatur, quòd iſte Pſalmus vocabat Chriſtum, & Eccleſiam. Item ſecundò, cùm dicit, *pro iis qui commutabuntur*, aut *ſuper roſas*, aut *prolis*, intelligitur Eccleſiâ tripliciter nominata. Nam uno modo dicitur commutata, eò quòd fuit regenerata & translata ex converſis de Judaiſmo, & populo Gentili, in unam Eccleſiam & ſocietatem. Item dicitur *roſa* ſecundùm litteram Hebræam, eò quòd ſicut roſa pulcherrima naſcitur inter ſpinas: ita Eccleſia Chriſti nata fuit ex ſpinis populi Judaici, & Gentilis. Item dicitur *lilium*, B eò quòd ſicut lilium eſt albiſſimum inter flores; ita Religio Chriſtiana inter alios populos. Dicitur etiam *lilium* à puritate & albedine virtutum & gratiarum. Tertiò, apponitur in Titulo, *filiis Core*, ad denotandum, quòd iſte Pſalmus datus fuit ad cantandum choro *Heman*, qui erat de *filiis Core*, ut dictum eſt *in Prologo*, & *Pſalmo* 41. Cum vero additur quartò in Hebræo, *Eruditio*; denotatur, quòd Propheta fuit eruditus à Spiritu ſancto, & erudit alios in hoc Pſalmo, ut ait *Cambi Barchinonenſis*. Et cum additur hîc: *Canticum dilectionum*, ſive *pro dilecto*, ſive *Canticum amantiſsimum*, denotatur, quòd eſt Canticum factum de amore & dilectione ſponſi & ſponſæ: & ſic dicitur *Epithalamium*, ſive C „ *Canticum & carmen nuptiale.* Nam ſe„ cundùm *Auguſtinum*, & *Originem*, ſi„ cut in nuptiis temporalibus & carnalibus „ ſolent aliqui conficere carmina nuptialia, „ in quibus explicatur laus ſponſi & ſpon„ ſæ: ita *David* compoſuit hoc *Canticum* „ de nuptiis Chriſti & Eccleſiæ, prout fuit „ eruditus à Spiritu ſancto.

Eccleſia tripliciter nominatur.

Nota.

Ex ſupradictis patet, quòd delirant quidam Judæi moderni, dicentes: quòd hoc *Canticum* factum eſt de *Aſſuero* & *Eſther* ſponſa ſua. Sed magis delirant alii, qui dicunt, quod eſt de *Salomone* & *filia Pharaonis* ſponſa ſua. Nam ea, quæ in hoc Pſalmo memorantur, nullo modo poſſunt convenire alicui homini mortali, pu- D tà illud: *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi &c.* Ideo eſt magis credendum *Apoſtolo Paulo*, qui allegat hanc Scripturam eſſe dictam de Chriſto, *ad Hebræos* 1. Unde ait: *Et ad Filium quidem dicit: Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi.* Item *Jonatham Abenuziel* totum hunc Pſalmum exponit de *Rege Meſsia*, dicens: *Ego dico opera mea Regi Meſsiæ.* Item *Rabbi Hiel* dicit: quod *Deus dilexit valde Iſrael*, & *vocavit eum filiam*: ibi, *Audi filia*, *Pſalmo* 44. Item, omnes Hebræi antiqui di- E cunt, quòd *David fecit hunc Pſalmum de deſponſatione Dei cum populo ſuo.* Item, tota Eccleſia firmiter tenet & prædicat, quòd David fecit hunc Pſalmum, in quo explicat magnificentiam & proſperitatem Eccleſiæ & Chriſti ſponſi ſui. Et ideo tota Eccleſia in Conſecratione Chriſmatis, cum David propheticâ voce canit: *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.*

Sed nunc reſtat ſciendum, quæ eſt illa perſona quæ loquitur in hoc Pſalmo, & proſert hoc Canticum nuptiale? Ad hoc dicunt aliqui, quòd *David* loquitur in toto Pſalmo. Et ſic duo principaliter facit. Nam primò præmittit procœmium. Secundò, exequitur tractatum de Cantico. Ibi: *ſpecioſus.* Unde quantum ad primum breviter præmittit dicenda, captando benivo- F lentiam, & invocando auxilium Spiritus ſancti, cùm dicit: *Eructavit cor meum verbum bonum*, id eſt, cor meum deſiderat in hoc Pſalmo eructare *verbum*, & *Carmen amantiſsimum*: quia ego *dico* & dirigo *opera mea*, id eſt, omnia verba mea, ipſi *Regi* Chriſto. Quaſi dicat: Ego intendo loqui in hoc Pſalmo de Chriſto principaliter, & Eccleſia. Et ideo invocat divinum auxilium, dicens: ſit *lingua mea* mota à Spiritu ſancto, tanquam *calamus ſcribæ ſcribentis velociter.* Quaſi dicat: quòd ſicut ſcriba velox movet digitis ſuis *velociter calamum* in ſcribendo: ita Spiritus ſanctus moveat *linguam meam*, & dirigat & aperiat mihi materiam ad loquendum in hoc Cantico. Deinde, cùm dicit: G *Speciosus forma præ filiis hominum*, proſequitur laudes ſponſi, & ſponſæ.

Diviſio Pſalmi.

Beatus vero *Hieronymus* dicit, quòd Propheta loquitur à principio Pſalmi uſque ad illum locum, *Audi filia* excluſivè; & quòd exinde loquitur Deus. Sed alii ſacri Doctores tenent, quòd Deus Pater loquitur in toto Pſalmo, & ipſemet Deus Pater cantat totum Canticum de Filio ſuo Chriſto, & ſponſa ejus Eccleſia. Et ſecundùm hunc modum majora & altiora ſacramenta continentur in his duobus primis verſibus, & etiam toto Pſalmo, quam ſecundùm primam Expoſitionem, ut patebit. Quam ſententiam etiam non tacet *Auguſtinus*, & *Hieronymus.*

H Tenendo ergo hanc viam, eſt dicendum: quòd *David* fecit hunc Pſalmum, in quo introducit Deum Patrem loquentem & cantantem hoc Canticum de nuptiis Chriſti Filii ſui, & Eccleſiæ. In quo tria principaliter facit. Nam primò commendat & explicat magnificentiam, & nobilitatem, & dignitatem, & ornatum Sponſi. Secundò, magnificentiam & pulchritudinem & ornatum Sponſæ. Tertiò, commendat utrumque in copia & fœcunditate pro-

Nota, de nuptiis Chriſti.

prolis. Secunda ibi: *Astitit Regina.* Tertia ibi: *Pro patribus tuis nati sunt.*

Quantum ad primum est notandum A secundùm *Augustinum contra Maximinum:* quòd Christus quicquid habet, nascendo à Patre accepit. Sed cùm Christus sit Deus, & homo, ideo duplex legitur ejus nativitas: una æterna, quâ nascitur ab æterno à Patre secundùm divinitatem. Secunda nativitas temporalis, per quam est homo, quâ conceptus est opere Spiritus sancti ex puris sanguinibus Virginis. Et sic quidquid pertinet ad carnem, habet à Matre: sed quicquid pertinet ad gratiam, habet & accepit à Patre in sua Incarnatione & unione Verbi. Ideo *David* volens explicare magnificentiam & nobilitatem hujus Sponsi: primò, describit & cantat nobilitatem divinæ naturæ, & ea quæ accepit à Patre ab æterno in quantum Deus. Secundò, ea quæ accepit ab eodem, & B quæ dedit illi Pater in quantum homo ex tempore in sua Incarnatione. Secunda ibi: *Speciosus forma.*

Not. quomodo Deus non habet principiũ.

Quantum ad primum est notandum secundùm *Augustinum contra Maximinum*, & 15. *de Trinit.* quòd cùm Deus sit primum ens, & actus purus, non habet principium, nec aliquam potentiam admixtam. Et ideo sicut semper est in actu primo, ita & secundo. Non differtur in eo actus secundus à primo, sed semper intelligit: eò quòd suum *esse* est suum *intelligere*, & è converso: & suum *intelligere* est sua *substantia.* Et sic cùm ab æterno semper intelligat, ideo ab æterno dicit Verbum. Sed quia illud *intelligere* est sine intermissione, & illud Verbum est de tota scientiâ & memoriâ fœcundâ Patris: ideo non potest esse nisi unum Verbum, quod est Patri æquale, & consubstantiale: quia C sicut Pater de tota scientiâ & substantiâ sua producit & dicit Verbum: ita totam & eamdem substantiam, & essentiam, & esse communicat Verbo. Et sic Verbum est idem Deus cum Patre dicente, & non alius Deus, licèt sit alia persona. Sed quia tale Verbum dicitur per modum naturæ: ideo dicitur & nominatur *Filius Patris* dicentis. Cum ergo in tali Verbo dicto explicetur tota Essentia Patris, & Omnipotentia, & Sapientia, & Bonitas, de necessitate Pater diligit se in Verbo, & diligit Verbum in se. Ex quo actu diligendi per modum voluntatis producit & spirat Amorem. Ex quo patet, quòd Pater non posset spirare Amorem sine Verbo, in quo se diligit: & D sic Pater simul cum Verbo spirat Amorem, qui dicitur *Spiritus sanctus.* Et sic Spiritus sanctus æqualiter procedit & spiratur ab utroque: non prius, nec magis à Patre, quàm à Filio, sed ambo Pater & Filius, tanquam unum principium, producunt & spirant Spiritum sanctum. Item sequitur: quòd ille Amor spiratus, qui dicitur *Spiritus sanctus*, non potest esse accidens, sed substantia: quia producitur de E tota dilectione Patris, & Filii: & per consequens de tota substantia & essentia utriusque: & ideo est consubstantialis, & coæqualis, & coæternus utrique. Et sic, licèt istæ tres Personæ distinguantur ad invicem (quia una non est personaliter altera, quia alia est Persona gignens, & alia genita, & alia spirata) tamen omnes tres Personæ sunt unus Deus: eò quòd in eis una est substantia & essentia numero. Nam unus Deus dicitur ab una Deitate & Essentia in tribus Personis: quia Personæ non distinguuntur, nisi per proprietates relativas, quæ non sunt *aliquid absolutum*, sed *ad aliquid.*

Ex supradictis patet, quòd postquam Pater habet Verbum ab æterno dictum, per illud Verbum potest loqui temporaliter ad F extra; & ita pariter per Spiritum sanctum Pater, & Filius, tanquam unum principium, possunt spirare vitam & amorem creatum ad extra. Sic Pater per Verbum loquutus est ad extra, quando in tempore dixit: *Fiat lux, & facta est lux:* & per Spiritum sanctum spiravit esse, existere, & vitam omnibus rebus productis & creatis per Verbum. Et ideo dicitur *Gen.* 1. quòd *In principio*, id est, in Verbo, *creavit Deus cœlum, & terram*, & omnia, dicendo per Verbum, *creavit* quoad species, & essentias. Sed quia per Spiritum sanctum spiravit vitam in rebus; ideo subdit: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* In *Chaldæo* autem, *spiritus Domini incubabat super aquas*, id est, super omnia fluxibilia: sicut gallina incubat super ova vivificans pullos. Et sic sicut Filius dicitur *Verbum*, per quod Pater loquitur ad ex- G tra: ita Spiritus sanctus dicitur *lingua* utriusque, per quam Pater, & Filius formant vocem, & dant sonum & vitam rebus creatis: & etiam dicitur Spiritus sanctus *calamus*, per quem Pater, & Filius *velociter scripserunt*, & formaverunt omnes creaturas in esse vitali, & actuali.

Ex supradictis patet, quòd emanatio creaturarum præsupponit emanationem Personarum Divinarum. Et hoc forsan intendit explicare David in his duobus primis versibus. Unde dicit Deus Pater in principio hujus Cantici: *Cor meum eructavit*, & produxit *Verbum bonum* ab æterno: per quod Verbum *ego dico* omnia *opera mea* creata ipsi *Regi* Christo. Quasi dicat: omnia *opera* creata dirigo & committo H *regenda* ipsi *Regi* Christo, per quem omnia creavi. In qua creatione

Nota.

*** *** ***
*** *** ***

2. *Lin-*

De Confe. d. 5. c. de Sancto.

2. *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.* A

LIngua *mea*, id est, Spiritus sanctus, fuit tanquam *calamus scribæ scribentis velociter*. Nam sicut scriba velox *velociter* implet paginam litteris sensibilibus, quæ procedunt ex verbis, & litteris mentalibus: ita Spiritus sanctus *velociter* influxit vitam & esse actuale rebus creatis per Verbum Patris: quia sicut *velociter* fuerunt creata; ita *velociter* fuerunt vivificata. Et notanter Spiritus sanctus, sicut & Verbum, dicuntur tanquam *calamus velociter scribentis*: nam secundùm *Augustinum*, *omnia* B *simul fuerunt creata per Verbum, & vivificata per Spiritum sanctum.* Quia secundùm *Augustinum*, *illi dies non referuntur ad successionem temporum, sed ad cognitionem Angelorum.* Sed licèt referantur ad dies temporis, adhuc fuit illa creatio facta *velociter*: quia supra humanam facultatem factum est, quod in solis sex diebus temporis, Deus produxerit tantam diversitatem creaturarum.

Sed ulterius est advertendum, quòd sicut *creatio* præsupponit emanationem Divinarum Personarum: ita *Incarnatio* præsupponit creationem: & sicut Pater dixit creaturas per Verbum; & formavit, & vivificavit, & distinxit eas per Spiritum sanctum; ita dixit, & fecit mysterium Incarnationis per Verbum ab æterno dictum, illud vestiendo humanitate & carne in tempore. Sed per Spiritum sanctum formavit *velociter*, & in instanti, illud corpus Christi ex C puris sanguinibus in utero virginali. Et hoc intendit etiam David in eisdem duobus versibus. Unde ait Pater: Sicut *cor meum*, & mea memoria fœcunda *eructavit* & produxit *bonum Verbum* ab æterno, per quod in tempore dixi omnia *opera mea Regi* Christo; in qua creatione Spiritus sanctus fuit tanquam *lingua*, & *calamus scribæ velociter scribentis*, & formantis, & vivificantis, & distinguentis omnia creata: ita pariter in mysterio Incarnationis *cor meum eructavit Verbum bonum* incarnatum, & humanatum, qui est Rex Messias: cui *Regi ego dico*, & committo omnia *opera* redemptionis humanæ. Nam sicut per ipsum Verbum dixi, & creavi omnia D creata: ita per ipsum volui mundum recreare, & regenerare, & regere: quia sicut ab æterno communicavi ei omnia essentialia: ita volo in tempore ipsi communicare *opera* regenerationis & redemptionis. Et sicut in creatione, Spiritus fuit *lingua*, & tanquam *calamus velociter scribentis*, & vivificantis omnes creaturas: ita pariter in Incarnatione, ipse Spiritus sanctus formavit, & quasi scripsit corpus Christi ex puris sanguinibus, *velociter* & in instanti, in utero virginali.

E Et notanter ponitur hìc hoc verbum *Eructo*: nam sicut venter ex superabundantia cibi, dicitur *eructare*: ita pariter Deus Pater ex tota & superabundanti essentiâ, & substantiâ suâ, *eructavit*, & produxit Verbum, sibi coæquale. Ex supradictis patet, quòd Christus Sponsus Ecclesiæ, de quo in Psalmo intenditur cantare, licèt apparuerit in forma humana, & sit natus in tempore secundùm carnem: tamen ipse est Verbum Patris, ab æterno productum de tota substantia Patris; & per consequens est Deus, & æternus, & omnipotens, & infinitus. Et ex hoc apparet nobilitas ejus, & quid accepit à Patre secundùm F Divinitatem.

Et nota, quòd non solùm Spiritus sanctus dicitur *lingua*, per quam Pater, & Filius spirant, & scribunt in mentibus nostris dona gratiarum: sed etiam humanitas Christi potest dici *lingua*, per quam Pater sensibiliter nobis locutus est, & manifestavit mundo voluntatem suam. Secundò, Christus secundùm Divinitatem est Verbum Patris: & secundùm humanitatem est *lingua* Patris, *velociter* loquentis, & *scribentis* nobis sua secreta. Sed Spiritus sanctus est *calamus* utriusque, scilicet, Patris, & Filii, *velociter scribens*, & spirans nobis dona gratiarum: & etiam quia tàm Pater, quàm Filius per Spiritum sanctum loquebantur Prophetis, & sanctis viris, spirando divina mysteria, & revelando secreta.

Nota.

G 3. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.*

De Confe. d. 3. cap. ulti.

4. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.*

Et 66. d. ca. Dominus.

HIC Pater intendit explicare, & cantare bona, quæ Sponsus accepit à Patre in sua Incarnatione secundùm humanitatem.

Ad cujus intellectum est notandum, secundùm quod supradictum est: quòd ista H benedicta Incarnatio à tota Trinitate indivisè est effecta, licèt ad solam Personam Verbi sit terminata: quia Filius in quantum homo, à tota Trinitate dicitur *Missus*, prout explicatur *Isaiæ* 48. ubi dicit Filius: *Dominus Deus misit me, & spiritus ejus.* Sed in tantùm tota ista Incarnatio, & Missio activè attribuitur Patri in hoc Psalmo, & aliis, in quantum quicquid habet Filius, habet à Patre, & Spiritus sanctus ab utroque. Et sic Filius in quantum homo, licèt

Incarnatio facta à tota Trinitate.

non

non ſolùm à Patre, ſed etiam à ſe ipſo in quantum Deus, & à Spiritu ſancto, ſit miſſus, & habeat quicquid habet: tamen Sacra Scriptura hîc præſertim attribuit Patri ejus miſſionem: & ſic Pater, non excludendo alias Perſonas, in hoc Pſalmo explicat bona, quæ largitus eſt Filio, in quantum homo, in ſua Incarnatione. Et Chriſtus per totum diſcurſum Euangelicum, quicquid habet, etiam in quantum homo, dicit ſe habere à Patre, ut inquit *Hilarius*. A

Unde Patrem ad Filium loqui, vel ipſum de aliquibus bonis commendare: nihil aliud eſt, niſi bona communicare ipſi, & donare. Et ideo Pater in hoc Pſalmo commemorat bona, quæ dedit Filio ſecundùm exigentiam noſtræ redemptionis. Sed quia Chriſtus ut Redemptor, eſt *Rex*, & *Pugil*, & *Judex*, & *Sponſus*: ideo Pater quædam communicavit Filio tanquam *Regi*, & quædam tanquam *Judici*, & quædam tanquam *Sponſo*. Quatuor ergo facit in hac parte: nam primò, explicat ea, quæ Pater communicavit Filio tanquam *Regi*. Secundò, tanquam *Pugili*. Tertiò, ea quæ communicavit ipſi tanquam *Judici*. Quartò, ea quæ communicavit & dedit tanquam *Sponſo*. Secunda ibi: *Sagittæ tuæ*. Tertia ibi: *Sedes tua*. Quarta ibi: *Myrrha & gutta*. B

Tria regẽ decorant. Quantum ad primum eſt advertendum: quòd tria ſunt quæ decorant regem, ſcilicet pulchritudo corporis: Secundò facundia & ſapientia in loquendo. Tertiò enſis, ſive gladius regius, quo cingitur in ſignum regiæ poteſtatis & majeſtatis. De primo dicitur: quòd ſpecies *Priami* erat digna imperio, eò quòd erat pulcher in ſtatura & forma. De ſecundo dicitur 3. *Regum*, *cap.* 4. quòd *veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis*. De tertio dicitur *Canticor.* 3. *Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael: omnes tenentes gladios &c.* Pater ergo volens conſtituere Filium ſuum Regem totius univerſi, etiam in quantum erat homo, hæc tria dedit ipſi in Incarnatione. Nam primò formavit ipſum opere Spiritu ſancti, ex puris ſanguinibus virginis, pulcherrimum præ cæteris ſine macula, & labe. Secundò, *poſuit verba ſua in ore ejus*, ut promiſerat, *Deuteron.* 8. Ideo dixerunt miniſtri Sacerdotum, *Joann.* 7. *Nunquam ſic locutus eſt homo ſicut hic homo.* Item, *Luc.* 24. *Dixerunt* duo diſcipuli *de Jeſu Nazareno, qui fuit vir Propheta potens in opere, & ſermone.* Et ſic non fuit ſimilis illi in facundia, & ſapientia. Tertiò, tradidit ipſi poteſtatem regiam, & enſem humanitatis ad expugnandum diabolum, & poteſtatem faciendi mirabilia. Et ſic iſta tria dedit Pater Chriſto Filio ſuo, quæ reddebant ipſum dignum regno univerſali. Et hoc eſt quòd dicit David in hac prima particula. C

Pater dedit filio hæc. D

Unde ait Pater ad Filium: O Chriſte, tu es *ſpecioſus* & pulcher *forma* in quantum homo, *præ* cæteris *filiis hominum*: quia in utero materno præ cæteris ſpecioſiorem te formavi. Nam cùm cæteri homines non concipiantur niſi ex libidinoſo concubitu, & menſtruoſo, & fœtidiſſimo ſanguine compaginentur: tu ſolus ex puris ſanguinibus opere Spiritus ſancti in utero virgineo, ſupra facultatem naturæ, formatus fuiſti: & cum omnes alii fuerint originali culpæ primorum parentum naturâ obnoxii, & fomite, & morbo carnis ſauciati; ſolus tu fuiſti ſecundùm naturam *inter mortuos liber*. Et ſic fuiſti *ſpecioſus forma præ filiis hominum*. Et non ſolùm fuiſti ſpecioſus quoad ſupradictam puritatem & munditiam: ſed etiam quoad nobilitatem & temperantiam complexionis; eò quòd non ex motu cœleſtium corporum, nec actione alicujus naturalis agentis, in quibus ſemper eſt, & accidit aliquis defectus in ipſo generato & producto; ſed ſolo opere Spiritus ſancti facta fuit formatio illius corporis Chriſti ex puris ſanguinibus Virginis. Et non ſolùm fuit Chriſtus *ſpecioſus forma præ filiis hominum* in puritate & nobilitate complexionis: ſed etiam in honeſtate aſpectus. Nam omnes incitabat ad honeſtatem vitæ, & ad reverentiam ſibi exhibendam, & omnibus incutiebat timorem, ut inquit *Chryſoſtomus*. E F

Tria faciunt dignum regno. Poſſumus etiam dicere: quòd tria ſunt quæ decorant regem, & faciunt ipſum dignum Regno, & Imperio. Primò *ſpecioſitas*, id eſt, ſanctitas vitæ, ne ſit reprehenſibilis in vita, & poſſit alios regere, & corrigere. Secundò, ut ſit gratus in loquendo, & doctus, & ſapiens, & ut alios non ſolùm per vitam, ſed etiam per doctrinam poſſit attrahere. Tertiò, ut ſit fortis, & potens in factis, ut omnes venerentur, & timeant eum. Sed quia Chriſtus habuit omnia iſta tria: ideo Pater de ſupradictis tribus commendat Chriſtum Regem noſtrum in hac particula hujus Cantici. Ideo quantum ad primum dicit: O Chriſte, tu es *ſpecioſus forma præ* cæteris *filiis hominum*, quantum ad ſanctitatem & puritatem corporis, & animæ, & ad converſationem vitæ: quia in tuo corpore & anima nunquam locus potuit eſſe peccato, nec fuiſti unquam peccato obnoxius in natura, nec in Perſona: quia non ex opere Adam natus, nec conceptus es. Et ſic excedis cunctos *filios hominum* in *forma*, & ſanctitate, & ſpecioſitate virtutum. Secundò, excedis omnes in ſapientia & donis Spiritus ſancti: quia *diffuſa eſt gratia in labiis tuis* ad loquendum & docendum; quia non ad menſuram accepiſti dona gratiarum: *propterea*, id eſt, *quia* Pater *benedixit te in æternum*, dona gratiarum largiendo, ut alios doceas per prædicationem & doctrinam. Tertiò, ô Chriſte *potentiſſime* in factis, *accingere* G H

gla-

gladio tuo super femur tuum, ut ostendas tuam Regiam potentiam.

Christus accinctus triplici gladio.

Ad cujus intellectum est advertendum: A quòd triplicem gladium, sive ensem, accepit, & accinctus fuit Christus. Nam primò fuit accinctus gladio humanitatis & carnis, ad pugnandum cum diabolo, ut in carne patiendo, ipsum debellaret. Secundò, gladio potestatis, ad operandum miracula. Tertiò, gladio paternæ doctrinæ, ad scindenda corda hominum. Unde hunc triplicem gladium, sive hoc triplici gladio Pater accinxit Filium. Ideo ait: O Fili, *accingere gladio tuo*, scilicet, humilitatis, & potestatis, & doctrinæ, ut sis *potens in prælio*, & potentissimus ad vincendum diabolum per mortem & passionem, & ad subjiciendum corda hominum per doctrinam, & ad faciendum miracula per potestatem & virtutem paternam. Et sic eris dignus B Regno & Imperio habendo ista tria supradicta. Unde primò ait: *Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna*, id est, tu regnabis *prosperè* propter speciem & pulchritudinem sanctitatis vitæ: quia omnes Fideles sequentur te propter sanctitatem. Item secundò, *dextera tua*, id est, potestas tibi à Deo tradita, *deducet te* in regnum, *propter veritatem* in dicendo, & docendo: & propter *mansuetudinem* in conversando & miserendo: & propter *justitiam* in corrigendo.

Christus fuit dignus regno propter hæc quinque.

Ex quibus patet, quòd Christus habuit quinque, quæ reddebant ipsum dignum Regno & Imperio, scilicet, speciositatem C & pulchritudinem, & puritatem corporis & animæ, & sanctitatem in vivendo, & mansuetudinem in conversando & patiendo, & veritatem in docendo, & justitiam in corrigendo. Unde ad majorem intelligentiam est ulterius notandum secundùm *Aristot. libro de Motu Animalium*, quòd *dextera est potior pars animalis, eò quòd ibi incipit motus ad omnes partes animalis.* Et ideo sicut sinistra hominis dicitur pars infirmior, eò quòd non habet propriè principium motûs à se, sed à dextera: ita à simili divinitas in Christo dicebatur *dextera*, & humanitas *sinistra*: eò quòd tota virtus & potestas derivabatur à divinitate in humanitatem: quia humanitas erat instrumentum in miraculis faciendis. Et ideo D notanter dicitur, *Accingere gladio tuo super femur tuum*: id est, accingere gladio potestatis & virtutis super humanitatem, per quam instrumentaliter facies miracula, & omnia opera redemptionis.

Et ideo subdit:

* * *
* *
* * * \

Et ipsa verba Euangelica mittebantur ex ore Apostolorum, & feriebant *corda inimicorum regis* Christi. Et sic omnes populi *cadebant* à sua superbia, & perfidia, & superstitione idolorum, & subjiciebantur jugo Christi: & omnia ista fiebant in virtute nominis *Jesu*, & verbi Euangelici: in quibus ostensa fuit Christi regia potestas, & triumphus, & victoria. De quibus sagittis patebit *Psal.*63. & 126. & *Isai.*66. Et nota, quòd iste versiculus, scilicet, *sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis*, etiam potest construi per Zeugma, reducendo illud verbum, *cadent*, ad diversa: ut sit sensus: *Sagittæ tuæ* Euangelicæ *cadent*, & figentur *in corda inimicorum regis* Christi Messiæ: & sic *populi* Gentilium sagittis tuis vulnerati, *cadent* victi *sub te*, & sub jugo tuo.

Ad Hebr. 1. b. extra de Sacra. Unct. cap. unic.

8. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi: virga directionis virga regni tui.*

HIC Pater tribuit Christo sedem judicialem, & sceptrum, sive *virgam*, in quantum misit ipsum tanquam Legislatorem, & Judicem mundi: & tradidit ipsi judiciariam potestatem, etiam in quantum homo.

Unde nota, quòd Christus in quantum homo, fuit unctus in Regem, & Sacerdotem à primo instanti Incarnationis, non oleo materiali, sicut cæteri reges, & sacerdotes veteris Testamenti; sed *oleo* spirituali & lætitiæ, & gratiæ Spiritus sancti, ut dictum est. Et istam gratiam non accepit ad mensuram, sicut Apostoli, & cæteri Sancti; sed sine mensura redundabat in animam Christi à Verbo propter hypostaticam unionem: ideo talis plenitudo gratiæ est fontaliter in Christo, à quâ omnes accipimus. Etiam à primo instanti conceptionis data est ei potestas judicialis, & regalis: sed non ostendit eam, nec voluit publicè eâ uti, nisi post Ascensionem: ideo dixit *Matth.*28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo.* Et ista sedes Christi, & judiciaria potestas tradita Christo, etiam in quantum homo, est æterna *à parte post*: quia in æternum Christus, etiam in quantum homo, sedebit ad dexteram Patris, & judicium suum erit in æternum: quia in die judicii impios ad pœnam æternam destinabit, & bonos ad gloriam sempiternam. Et sic sua sedes, & suum sceptrum, & *virga* dicitur æterna, & directa, & inflexibilis. Dicit ergo Pater ad Filium: O Christe Deus, & homo, sedes tua judiciaria quam dedi tibi in tua conceptione, & Ascensione, non est data tibi ad mensuram temporis, sed *in sæculum sæculi*; & *virga regni tui*, & potestas non est injusta, nec flexibilis ad aliquam passionem per odium; aut amorem, sicut Tyrannorum: sed est *virga directionis*, & rectitudinis, tribuens unicuique, quod suum est secundùm opera sua; non declinans ad dexteram, nec ad sinistram. Et probatur per effectum, quòd tuum sceptrum sit rectum & justum: nam semper

9. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

85. d. c. Odio. 23. q. 4. Duo.

DIlexisti *justitiam*, id est, homines justos, *& odisti iniquitatem* in hominibus pravis; nam illos præmiasti, & hos punisti. Et reddit causam, quare Christus *dilexit justitiam, & odivit iniquitatem*, & non potuit judicare, nec poterit, nisi rectè: quia in eo nulla est passio, nec *iniquitas*; quia non traxit naturam corruptam sicut nos: quia non ex opere *Adam* natus est. Item, quia ab initio suæ conceptionis *fuit unctus oleo* Spiritus sancti, & omnium donorum, non ad mensuram, quia *requievit super eum spiritus sapientiæ & intellectus, & spiritus consilii, & fortitudinis*: & fuit *justitia cingulum renum ejus*: & sic semper judicabit *in* vera *justitia*, ut patet *Isai.*11. Nam dona Spiritus sancti erant quasi principium fontale operandi in Christo, quoad opera justitiæ: ideo non potuit errare. Et idcircò ait Pater ad Filium: O Deus Christe, secunda persona in Trinitate: propterea *dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem*, quia *Deus tuus* Pater *unxit te* in tua conceptione *oleo lætitiæ, præ consortibus* & participibus *tuis* Regibus, & Sacerdotibus: quia illos præcepit ungi *oleo* materiali, & figurali, & te unxit *oleo* spirituali. Et dicuntur reges, & sacerdotes *consortes Christi*, in quantum ab eo habent omnem potestatem, & in quantum Christum figurabant. Item, licèt Apostoli, & omnes Christiani *consortes* & participes Christi, sint *uncti oleo* spirituali, & acceperint Spiritum sanctum: tamen omnes acceperunt ad mensuram derivativè à Christo. Sed Christus non accepit ad mensuram, sed fontaliter habet in se propter unionem hypostaticam Verbi. Item, Christus non unctus est, ut mundaretur à peccato, & liberaretur, sicut cæteri; sed ut ab eo omnes acciperemus gratiam pro gratia. Et ideo dicitur *unctus præ consortibus suis*, id est, aliter, & nobiliùs, & perfectiùs.

Ex prædictis in textu inferuntur quatuor manifestæ conclusiones contra Judæos.

Prima: quòd Messias in Lege promissus est Deus: probatur. Nam secundùm

Messias est Deus.

Jo-

Jonatham Abenuziel, & omnes antiquos & authenticos Hebræos, iste Psalmus est factus de Rege Messia. Et iste *speciosus*, & *accinctus gladio*, & *armatus sagittis*, & *unctus oleo lætitiæ præ consortibus suis*, est Rex Messias secundùm eos: & istùm vocat Deus Pater Deum in hoc Psalmo; primò, cùm dicit: *Sedes tua Deus.* Secundò, cùm dicit: *O Deus, propterea unxit te Deus tuus.* Tertiò, cùm dicet infra: *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Ergo sequitur, quòd Messias est verus Deus.

In divinis sunt plures personæ.

Secunda conclusio: quòd in divinis sunt plures Personæ, quàm una: probatur: nam ibi est Deus ungens, & Deus unctus: sed una & eadem Persona non potest esse ungens, & uncta: ergo sunt duæ Personæ, scilicet, Pater ungens, & Deus unctus, qui est Filius. Et licèt Persona Spiritus sancti non nominaliter explicetur: tamen satis explicatur & intelligitur secundùm proprietatem, per ly *oleo lætitiæ*, quod est Spiritus sanctus, animas sanctificans, & penetrans, & Prophetas faciens.

Nota.

Tertia conclusio: quòd licèt Christus sit Deus, & homo; tamen non fuit unctus quoad deitatem, sed quoad humanitatem: quia primo modo non indiguit unctione.

Quarta conclusio: quòd licèt Christus sit homo, & in tempore acceperit *virgam*, & *sedem* judiciariam à Patre: tamen ista sedes est æterna *à parte post*, quia in æternum puniet malos, & beatificabit, & glorificabit bonos. De quo regno dicitur *Lucæ* 1. *Regni ejus non erit finis.*

Dubium.

Sed hic oritur dubium, per hoc quod ait, *Virga directionis*, &, *Dilexisti justitiam.* Nam videtur, quod Christus dilexerit iniquitatem, quia dilexit *Matthæum* telonearium, *Paulum* persecutorem, & *Magdalenam* peccatricem, & absolvit *Adulteram*, & dedit *Latroni* paradisum: ergo sceptrum ejus non est rectum.

Responsio.

Ad hoc respondetur: quòd Deus non odit naturam hominis, quia de se bona est: sed odit peccatum & injustitiam in homine. Ideo quando homo abjicit peccatum, & se justificat per pœnitentiam, jam Deus non reperit causam in homine, ut odiat eum: immò esset injustus, si ipsum odiret, secundùm legem positivam. Et ideo Christus non dilexit *Matthæum*, nec *Paulum* peccatores, sed justificatos per pœnitentiam. Et sic odiebat in eis peccatum, quia in eis peccatum destruxit. Et sic Christus justè egit, cùm veniam non negavit *Magdalenæ*, nec *Latroni*, nec cæteris pœnitentibus. Et *sedes*, & *virga* Ecclesiastica Christi absolvit pœnitentes, & excommunicat obstinatos & rebelles: & sic semper remanet recta. Et sic *virga* judicialis Christi, tàm in hac vita, quàm in fine vitæ cujuslibet, & in generali & novissimo judicio, semper erit justissima.

Argu. 40. d. §. 1. & 43. d. Sit rector.

10. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.*

HIC Pater præbet Filio, & ornat eum vestimentis nuptialibus, in quantum *Sponsus* Ecclesiæ. Nam postquam superius tradidit ipsi signa regalia & triumphalia & judicialia, hîc tradit insignia & ornamenta nuptialia, convenientia ad desponsationem Ecclesiæ, ut diligatur à sponsa.

Tres nuptiæ in Scriptura.

Unde est notandum, quòd *tres nuptiæ* leguntur in Scriptura, quas Pater fecit Filio suo. Primò, fuerunt *nuptiæ Incarnationis*, in quibus Verbum univit sibi hominem in unitatem suppositi: de quibus *Joan.* 1. *Verbum caro factum est.* Et *Matth.* 22. *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo &c.* Secundæ fuerunt *nuptiæ reconciliationis*, in quibus Christus univit sibi totam Ecclesiam in unitate mystica, de quibus ait *Ambrosius*: *Hodie cœlesti sponso juncta est Ecclesia, ubi Christus in Jordane lavit nostra crimina.* Tertiæ *nuptiæ* fuerunt *glorificationis*, quæ factæ sunt in die resurrectionis, ubi Christus recuperavit corpus gloriosum: quæ perficientur in nobis in die judicii: quando nos resurgemus induti stola gloriæ: de quibus *Apocal.* 2. *Gaudete & exultate, quoniam venerunt nuptiæ Agni, & sponsa ornavit se.* In primis nuptiis *Sponsus* indutus est carne, & humanitate speciosa & gratiosa, tanquam Rex: & accinctus est *gladio* & *sagittis* tanquam pugil, ut dictum est. Et in tertiis nuptiis, scilicet, *glorificationis* accepit *sedem* æternam, & *virgam directionis* tanquam Judex, ut patet *Matthæi ultimo*: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* In secundis nuptiis, scilicet *reconciliationis*, quæ factæ sunt in Jordane: quando Christus baptizavit se in capite pro nobis membris: tunc accepit *vestimentum* baptismale in persona omnium nostrûm: quia *omnes fuimus in eo baptizati*: *ad Romanos* 6. Et in carne accepit *vestimenta* flagellorum, & mortis, & passionis, & sanguinis: quia totus fuit perfusus sanguine & vestitus. De quo vestimento habetur *Isai.* 62. *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Quare rubrum est vestimentum tuum?* Et finaliter de latere Christi *exivit sanguis & aqua*, unde omnia Ecclesiastica Sacramenta sumpserunt virtutem. Ideo tota Ecclesia dicitur *Sponsa Christi*, in quantum ipsam sibi copulavit. Et dicitur *filia Christi*, in quantum ex ejus latere exivit, sicut *Eua* ex *Adam.* Ex quibus patet, quòd primæ nuptiæ, scilicet,

Nuptiæ incarnationis.

Incarnationis, fuerunt diſpoſitio ad ſecundas nuptias noſtræ *reconciliationis:* quia in illis aſſumpſit carnem mortalem & paſ- A ſibilem, in qua fuit baptizatus, & paſſus. Poſteà in ſecundis nuptiis accepit *veſtimenta* baptiſmi & paſſionis. Unde has ſecundas nuptias, & hæc *veſtimenta* memorat Propheta in hac parte.

Secundæ nuptiæ.

Quare eſt iterum advertendum, quòd Chriſtus incepit ſecundas nuptias à Baptiſmo, & proceſſit per ſuam prædicationem, vocando Sponſam ad fidem ſui, & perfecit eas in ſua Paſſione. Ideo triplex *veſtimentum* accepit Chriſtus, ſcilicet, ſanctitatis & pœnitentiæ: Secundò, *veſtimentum* doctrinæ: Tertiò, *veſtimentum* paſſionis. Ideo iſta tria *veſtimenta* memo- B

Chriſti veſtimenta.

rat Propheta, & notificat hîc per tres ſpecies aromaticas, ſcilicet, per *myrrham*, *guttam*, & *caſiam*. Per *myrrham* enim intelligit paſſionem & mortem. Per *guttam* intelligit pœnitentiam & ſanctitatem vitæ. Per *caſiam* intelligit lenitatem & ſuavitatem doctrinæ. Fuit ergo Chriſtus in ſecundis nuptiis his tribus *veſtibus* indutus & unctus, ſcilicet, *indumento* ſanctitatis & pœnitentiæ in converſatione vitæ, & *veſtimento* ſapientiæ & doctrinæ, & *veſtimento* amaritudinis & paſſionis. A quibus tribus veſtimentis ſpirant & effluunt tres ſalubres odores in totam Eccleſiam, quibus membra ſequuntur Sponſum ſuum Chriſtum: de quibus odoribus habetur *Canticorum* 1. *In odorem curremus unguentorum tuorum.* Nam Martyres ſequuntur Chriſtum in odorem *myrrhæ* & paſſionis: & Virgines, & continentes, & Eremitæ, & omnes pœnitentes in odorem *guttæ*, ſive ſandali, ſanctitatis vitæ: Doc- C tores verò ſecuti ſunt Chriſtum in odorem doctrinæ: & ſic omnes currimus in odorem ſpirantem & effluentem *à veſtimentis* Chriſti.

Dicit ergo Pater ad Filium: O Chriſte Sponſe Eccleſiæ, non ſolùm te conſtitui Regem *ſpecioſum forma præ filiis hominum*, & gratioſum; & conſtitui te pugilem *accinctum gladio & ſagittis* contra diabolum; & conſtitui te Judicem, dans tibi *ſedem* æternam & *virgam:* ſed etiam dedi tibi totam Eccleſiam in *ſponſam*: in quibus nuptiis indui te tribus *veſtimentis*, ſcilicet, ſanctitatis, doctrinæ, & paſſionis: *A* quibus *veſtimentis tuis* nuptialibus ſpirant & effluunt tria aromata, ſcilicet, D *myrrha* paſſionis, *& gutta*, ſive ſandalum ſanctitatis vitæ, & *caſia* ſuavis & lenis doctrinæ. Iſta tria aromata, ſive odores ſpirant *à veſtimentis tuis* tanquam(ſupple) *à domibus*, id eſt, capſis, & pyxidibus *eburneis*, in quibus reponuntur iſta tria aromata. *Ex quibus* odoribus *te delectaverunt*, & oblectaverunt, & lætificaverunt multæ puellæ nobiles, *filiæ regum in honore tuo*, id eſt, ad honorem tuum. Nam *Catharina*, quæ fuit filia Regis, & *Agatha*, & *Agnes*, & *Cæcilia*, & mul- E tæ aliæ virgines, quæ fuerunt de genere regum, ſecutæ ſunt te in odorem veſtimentorum tuorum: immò obtulerunt tibi iſta tria aromata, & iſtos tres odores, ſcilicet, *myrrham* martyrii, & *guttam* ſanctitatis, & *caſiam* bonæ doctrinæ, in quibus odoribus valdè delectaris, & tales odores habes gratos & acceptos. Iſta tria unguenta abſtraxerunt Virgines & Martyres *à domibus*, & *capſis*, & corporibus ſuis *eburneis*, ſcilicet, albis per puritatem, & fortibus per conſtantiam, & rubicundis per martyrium. Eſt enim *ebur* album, & ſolidum, & rubicundum: per quod denotatur puritas Virginis, & conſtantia & ru- F bedo Martyrum, & Sanctorum fortitudo Doctorum, & firmitas doctrinæ eorum. Hoc idem poteſt intelligi ad litteram de *Magdalena*, & *Maria Jacobi*, & *Salome*, quæ fuerunt de genere regali, & de domo David, quæ his unguentis & aromatibus unxerunt Chriſtum in honorem ſepulturæ.

Sed ad majorem evidentiam eſt valde notandum: quòd virtus Paſſionis Chriſti dicitur metaphoricè *myrrha*, propter accommodatam ſimilitudinem: nam *myrrha* eſt quædam parva arbor aromatica, quæ naſcitur in *Arabia*, cujus ſuccus dicitur etiam *myrrha*: quæ quidem arbor agitata à ventis contrariis, ſcilicet, *Aquilone* & *Auſtro*, emittit ſudorem pretioſiſsimum ad modum gummi, quæ dicitur *prima myrrha*: ſed quia non poteſt exire multum de ſucco primo modo; ideo agricolæ vul- G nerant arborem, faciendo parvam inciſionem in latere trunci: & ſic emanat copia ſucci & liquoris. Et ſic totus ille liquor, qui egreditur ab illa arbore in Menſe Martii, tàm per agitationem ventorum, quàm per inciſionem factam in latere, dicitur *myrrha prima & electa*, virtuoſiſsima & pretioſiſsima, præſervans ab omni corruptione, & ſanans, & deſiccans omnem putredinem. Ille autem liquor qui emanat in menſibus ſequentibus, dicitur *myrrha ſecunda*, quæ licèt ſit bona; tamen non eſt tanti valoris & virtutis. Ad hujus ergo arboris liquoris ſimilitudinem, tàm Chriſtus, quàm ſua Paſsio, dicitur *prima myrrha & electa.* Nam in Menſe Martii Chriſtus fuit agitatus & afflictus à duo- H bus ventis contrariis, ſcilicet, à *Judæis*, & *Pilato* cùm ſuis miniſtris de populo Gentili; qui primò in horto emiſit ſudorem ſanguinis, poſtea per flagella & clavos, & ultimò per vulnus lateris *exivit ſanguis & aqua* in remiſsionem peccatorum; unde omnia Sacramenta receperunt virtutem. Et ſic patet, qualiter *à veſtimentis* humanitatis Chriſti fluxit illa *myrrha* Paſsionis, cujus virtus fuit recepta, & repoſita in *domibus* & capſis *eburneis* Eccleſiaſticorum

Paſsio Chriſti dicitur myrrha.

Sa-

Sacramentorum : à quibus capsis jugiter Ecclesia educit unguentum , ex *myrrha*, & *casiâ* , & *guttâ* Passionis Christi confectum , ad sanandas omnes infirmitates, & vulnera peccatorum : in quibus unguentis Christus valde *delectatur* propter reconciliationem fidelium. Et hoc est quod intendit dicere David , cum ait : *myrrha & gutta &c.*

Nota etiam , quòd istud nomen *Mor* in Hebræo , idem est , quòd *muscus*: sed in Arabico significat *amaritudinem*. Et ideo *Hieronymus* , & *Septuaginta* , ubicunque in Hebræo , scilicet , Psalmis , & Canticis canticorum , invenerunt *Mor* , traduxerunt *myrrham* , quæ est amara : per quam significatur amaritudo Passionis. Et sic *myrrha* sive *Mor* est æquivocum ad *muscum* , & ad illam speciem aromaticam amaram , quæ præservat à corruptione. Ideo melius videtur dicere *Hieronymus*, & *Septuaginta* , nam Judæi moderni in magna parte perdiderunt veras significationes vocabulorum Hæbraicorum propter longam dissuetudinem. Ideo in significatione vocabulorum Hebraicorum , magis est credendum Arabibus , quam Judæis modernis ; eò quòd Arabes omnes vulgariter loquuntur linguâ Arabicâ , quæ est valde vicina linguæ Hebraicæ , magis quam Hispana Italicæ. Nam Arabica , & Syriaca, & Hebraica immediatè descendunt à Chaldæa , ut dictum est *in Prologo* , *tractatu 6.*

32. q. 5. c. Si Paulus.

11. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato , circumdata varietate.*

QUIA superius Pater ornavit Sponsum supradictis tribus nuptialibus vestibus : ideo hîc in hac secunda parte principali intendit ornare Sponsam , scilicet , Ecclesiam , & copulare eam Sponso suo : & canendo commendat eam in ornatu & apparatu nuptiali.

Ecclesia Christi Sponsa.

Unde dicit Pater primò ad Filium, ut accipiat Sponsam sibi ; & ait : O Rex Christe Fili , accipe Ecclesiam tibi in Sponsam : quia jam ipsa *regina* , scilicet Ecclesia , *astitit* tanquam *regina à dextris*, id est , in potioribus bonis tuis : & non est nuda : immò sedet *in vestitu deaurato circumdata varietate* : quia eisdem *vestimentis tuis* est induta , & induisti eam. Nam jam sequitur te per fidem , spem , & charitatem , quæ effluunt & spirant *à vestimentis tuis* : & jam sequitur te per sanctitatem , & doctrinam , & martyrium. Ergo jam ornata est vestibus nuptialibus & decentibus : nam ipsa *astat tibi in vestitu deaurato* palledine , sive pallore charitatis , & *circumdata* & amicta *varietate* vestimentorum , & colorum , scilicet , alba per fidem & puritatem , & cærulea per spem, & rubicunda per martyrium , & pallida per pœnitentiam , & splendens veritate doctrinæ. Item est *circumdata* & vestita *varietate* diversorum Sacramentorum , scilicet Baptismi , Confirmationis , Pœnitentiæ , Eucharistiæ , Extremæ-Uuctionis. Item est circumdata diversitate & varietate statuum , scilicet Virginum , Viduarum , Continentium , Conjugatorum , Eremitarum , Apostolorum , Doctorum , Euangelistarum , Prædicatorum , & *varietate* Religionum , & *varietate* Linguarum : quia jam credunt Græci , Latini , Scythæ , Indi, Chaldæi. Item *varietate* morum & consuetudinum in cultu ; quia omnibus est *una fides* , *unum baptisma* : ideo unica est *columba* & sponsa.

Unde est advertendum , quòd tota ista *varietas vestimentorum* Ecclesiæ fluit & emanat à varietate vestimentorum Christi : de quibus supradictum est in versu superiori. Nam sicut in mundi creatione, unus & idem Deus secundùm diversitatem idearum , juxta similitudines illarum produxit varietatem & diversitatem creaturarum & specierum : ita Christus in nostra regeneratione , & Ecclesiæ desponsatione , multiplicando similitudines vestimentorum suorum , causavit varietatem perfectionum in Ecclesia Sponsa sua. Nam sicut Deus lucet in omnibus creaturis , & sic dat eis *Esse naturale* : ita Christus ut Redemptor & Regenerator lucet in Ecclesia & membris suis , & sic dat eis *Esse gratiæ*. Item sicut mundus à Sole habet tria , scilicet lumen , calorem , & influentiam: ita Ecclesia habet à Christo lumen Fidei, & calorem Charitatis , & influentiam Spei, propter quam operatur. Unus ergo Christus habens ista tria *aromata* , & *vestimenta* , scilicet passionis , & sanctitatis , & doctrinæ , spirando & lucendo in Ecclesia per passionem , causat *varietatem* septem Sacramentorum ad sanandas infirmitates. Secundò , ex *gutta* suæ sanctitatis causat in Ecclesia diversitatem Religionum, & statuum sanctorum. Sed ex *vestimento* doctrinæ influit septem dona & genera gratiarum : & sic *alios fecit Apostolos* , *alios Euangelistas &c.* Et sic Ecclesia sedet *à dextris* Christi *circumdata varietate* , quæ omnia fluunt ab eodem Christo : nam per unum & eundem spiritum spirat & distribuit unicuique dona gratiarum prout vult. Nam , sicut dictum est *in Prologo* , est dispensator bonorum Patris. Dicit autem *Hieronymus ad Principiam* , quòd *hucusque loquitur Propheta* ; *& ea quæ sequuntur, sunt verba Patris ad Sponsam.* Sed magis conformis videtur supradicta sententia.

Mundus à sole habet tria , & Ecclesia à Christo.

* * *
* *

12. *Audi*

23. q. 1. *Loquitur.*

12. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.*

POSTQUAM superius Pater dixit Christo, ut acciperet Ecclesiam in Sponsam, nunc dicit Ecclesiæ, ut accipiat Christum in Sponsum, & appareat consensus utriusque. Nam in sponsalibus primo loco quæritur consensus Sponsi, & in secundo consensus Sponsæ: & hunc ordinem servat nunc Ecclesia. Et ideo postquam Pater habet consensum Sponsi, nunc vocat & admonet Sponsam, ut accipiat, & sequatur, & veniat ad Sponsum suum Christum: quia nemo venit ad Filium *nisi Pater traxerit eum* per gratiam: nam *quos Pater ab æterno prædestinavit, hos Christus vocavit*, & justificavit, & regeneravit, *ad Rom.* 8. Dicit ergo Pater ad Sponsam Ecclesiam: *Audi filia* per creationem, & regenerationem, *audi* vocem Euangelicam Filii mei; *& vide* ejus miracula, & sanctitatem, *& vide* per fidem; *& inclina aurem tuam* nempè voluntatis, præbendo assensum. Et tu cœtus Gentilium conversorum, *obliviscere populum tuum* Idolatrarum: & tu cœtus Apostolorum, & discipulorum, & conversorum ex Judæis, *obliviscere domum*, id est, Synagogam *patris tui* Moysi, id est, ritum cærimonialium, & non secteris litteram, sed spiritum. Nota, quòd ista Sponsa dum erat in domo patris sui *Abrahæ*, & *Moysi*, induebatur vestibus vilibus & vetustis cærimoniarum, & legalium: & ideo præcipit Deus, ut relictis vestibus cærimoniarum, ornetur vestibus novis Euangelicis, Sacramentorum & gratiarum, ut à Sponso concupiscatur. Et ideo dicit: *Obliviscere domum patris tui*: quasi dicat: *Exue veterem hominem*, & indue vestes, quas tibi dat novus Sponsus.

De Sacra Unctione, & Unico.

13. *Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.*

14. *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.*

CHRISTUS *Rex* Sponsus *concupiscet decorem tuum*, & eris ipsi grata: aliter abjiciet te quasi abominabilem. Egredere ergo de domo nativitatis & patris tui, & intra thalamum Sponsi Christi: *quoniam ipse est Dominus Deus tuus* in Lege promissus. Item, tu populo Gentilis *obliviscere populum tuum*, & patres tuos, & *domum*, id est, delubra, & superstitiones Idolorum, qui non sunt veri dii, sed dæmonia; & convertere ad Sponsum Ecclesiæ, *quoniam ipse est Dominus Deus tuus*, & non Idolum. *Et* ideo *adorabunt eum*, Judæi, supple: *& adorabunt eum filiæ Tyri*, id est, omnes conversi ex Gentilibus, *in muneribus*, id est, ei munera offerentes. Nam *Magi* venientes ab Oriente, *obtulerunt* in sua nativitate *aurum*, *thus*, & *myrrham*. Et *Constantinus*, & alii Imperatores, & Reges, Templa & Ecclesias Christo construxerunt, & magna donaria & ornamenta obtulerunt.

Unde nota, quòd versus & sententia incipit ibi, scilicet, *& adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus*, id est, totus populus Gentilis: & sic exponit hanc particulam *Augustinus*, *de Fide rerum invisibilium*. Et conversus Pater ad Filium dicit: O Fili Rex Messia, in tantum prosperabitur regnum tuum per universum orbem, quòd non solùm Reges, sed *omnes divites plebis deprecabuntur vultum tuum*, id est, ante vultum & imaginem tuam orabunt in Templo, & celebrabunt divina Officia, & desiderabunt videre *vultum tuum*, hic per gratiam, & in futuro per gloriam.

Nota.

Ex supradictis apparent, & inferuntur quatuor conclusiones.

Prima quidem est: quòd Christus Rex Messias in suo adventu debebat repudiare & abdicare Synagogam, & abolere legalia, & dare novam Legem, & declarare Legem veterem, per hoc quod ait: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui*: quasi dicat, audi novam doctrinam Sponsi: & crede illi, *& vide* ejus miracula, & obediendo sequere eum, dimittendo Synagogam, & vetustatem Legis, & mores antiquorum.

Secunda conclusio: quòd post publicationem Euangelii, legalia non sunt Deo grata, nec accepta, sed sola Sacramenta novæ Legis, per hoc quod subdit: *Concupiscet Rex decorem tuum.*

Tertia conclusio: quòd Rex Messias est verus Deus, per hoc quod subdit: *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.*

Quarta conclusio: quòd principalis articulus & fundamentum Ecclesiæ, per quod differt Christianus à non Christiano, est credere in Christum verum Deum, & hominem, & Messiam in Lege promissum, per hoc quod ait: *Audi filia, & vide*: quasi dicat, quòd solus ille est Filius Dei adoptivus, qui credit in Christum, & abdicat omnes alios ritus & cærimonias, & superstitiones: quia aliter non concupisceretur à Christo Sponso, nec esset membrum ejus, nec de gremio Ecclesiæ.

15. *Om-*

27. q. 1. Nuptiarum.

15. *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.*

HIC dat causam, quare debebat Christus repudiare Synagogam, & delubra Gentilium, & ornatum eorum; & *concupiscere*, & eligere Ecclesiam.

Nam tota gloria Synagogæ erat in apparatu exteriori, & in actibus materialibus; quia omnia intelligebant ad litteram, & per sola opera exteriora putabant justificari. Et ideo tota gloria *Templi Salomonis* erat in apparatu ornamentorum, & vasorum aureorum: & sic tota gloria Judæorum referebatur ad corpus, & nihil ad animam; nec curabant de interiori justitia. Sed oppositum docet Lex Euangelica. Nam vera justitia & ornatus debet esse in nobiliori parte. Sed anima est nobilior corpore: Ergo verus ornatus debet esse in anima. Nam Deus ratione animæ diligit hominem: Ergo potiùs vult sibi desponsare animam, quàm corpus: Ergo totum ornatum & apparatum magis desiderat in anima, quàm in corpore: & sic homo magis dicitur justificatus in anima, quàm in corpore; & per consequens magis per actus interiores, quàm exteriores, cùm possint esse ficti, & falsi: & sic Deus magis acceptat & respicit affectum & intentionem, quàm effectum exteriorem, ut ait Salvator, *Matth.* 5.

Et ideo dicit hîc: *Gloria* hujus Sponsæ non consistit in apparatu exteriori, sicut *Templum Salomonis*, cujus tota gloria erat in pellibus, & pannis, & vasis aureis, & argenteis: & similiter est dicendum de Templis Gentilium: sed *tota gloria ejus*, id est, istius Sponsæ *filiæ regis*, scilicet Ecclesiæ, est *ab intùs*, in actibus, & in devotione interiori, & in ornatu spirituali Sacramentorum Ecclesiæ. Et sic etiam ornatus Christianorum, & justitia, & perfectio non consistit in actibus exterioribus, sed in ornatu animæ, & devotione, & virtutibus; & non in apparentia & vanagloria exteriori, sed in bona intentione interiori: *ne quod foris ostenditur, intùs à mercede evacuetur*: quia Christianus non expectat præmiari, nec felicitari in hoc mundo, sed in alio: & talem animam concupiscit Christus, & desponsat sibi. Ideo licèt Ecclesia Sponsa Christi, sit *circumamicta varietatibus* ad extra; & ejus vestis sit contexta varietatibus statuum, scilicet Conjugatorum, Viduarum, & Virginum: tamen *ab intùs* omnibus est una Fides, una Charitas, unum Baptisma, & unicam expectant gloriam: & sic tota gloria eorum est in anima. Unde tali *vestitu deaurato*, & tali amictu contexto *varietatibus* colorum perfectionum, & virtutum, ornavit Deus Pater Sponsam Filii; & talem Sponsam *concupivit* Christus, repudiatâ Synagogâ, & Gentilitate, quæ in solis ornamentis mundanis & exterioribus delectabantur, & putabant justificari.

Ornatus Christianorum.

Totum etiam hoc potest referri ad Legem *Moysi*, & ad totam Scripturam veteris Testamenti: cujus veritas non consistit in littera exteriori, sed in sensu spirituali interiori: quæ quidem Lex vetus est quasi tunica & vestis, sub qua latet Euangelium, sive veritas Euangelica. Et sic gloria veteris Legis est veritas Euangelica latens *ab intùs in fimbriis aureis*. Et hanc veritatem & gloriam interiorem Legis desiderarunt omnes Patres veteris Testamenti, & hanc *concupivit*, & acceptavit, & prædicavit Christus, & sic abjectis, & repudiatis cærimoniis exterioribus, *concupivit gloriam* & veritatem interiorem. Et sic Lex vetus patet ad extra in vestitu byssino & grosso; sed veritas Euangelica latet intra *in vestitu deaurato, circumamicta varietatibus* sensuum, id est, prophetici, moralis, & anagogici &c. quia *pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.* Item ista *gloria*, quæ latet *ab intùs*, & emanat *ab intùs*, est gratia Ecclesiasticorum Sacramentorum, quæ sunt *invisibilis gratiæ visibilis forma.* Nam in quolibet Sacramento sub visibili forma, latet invisibilis gratia: unde quodlibet horum Sacramentorum est *circumamictum varietate* bonorum effectuum. Nam *Baptismus* purgat originale, & confert Fidem, Spem, & Charitatem, & configurat, & incorporat nos Christo Sponso: & *Confirmatio* confert septem dona Spiritus sancti: & *Eucharistia* reficit &c.

27. q. 1. cap. Nuptiarum. Et 1. q. 1. Multæ. Et 93. d. cap. Legimus.

16. *Adducentur regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi.*

17. *Afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum regis.*

POSTQUAM superiùs Deus Pater cantavit & commendavit sponsum & sponsam in suis ornamentis & apparatu, hîc commendat eam de copia & frequenti societate puellarum adolescentularum, quæ maximè decorant sponsam, ut patet in *Canticis Salomonis.*

Potest etiam dici: quòd nunc in hac tertia parte hujus Carminis nuptialis prædicit, & commendat felicem prolem eorumdem. Et ratio est: nam in superiori versu dixit, quòd *omnis gloria hujus* Sponsæ est *ab intùs*, quasi in utero ejus: & quòd est amicta & *circumdata varietatibus* statuum,

tuum, & filiorum. Ideo hîc enumerat, & memorat liberos & filios ejus: quorum status sunt multi, scilicet Virgines, Viduæ, Conjugatæ, Apostoli, Martyres, & Doctores. Unde nota, quòd ista proles fuit regenerata ex Judæis primò; secundò ex Gentibus: & ex utrisque fuerunt Virgines, & Viduæ; & de omni statu illicò incepit Ecclesia Christo dare prolem. A

Proles Ecclesiæ.

Dicit ergo primò: *Virgines*, scilicet, *Virgo Maria*, & *Joannes Baptista*, & cæteræ Virgines, *adducentur post eam*, id est, sequentur ipsam Ecclesiam, id est, ipsa Ecclesia primò adducet Virgines Sponso suo Christo. Et *proximæ ejus*, scilicet Viduæ, & Continentes, quæ tenent secundum locum post Virgines, offerentur tibi, ò Christe, *in lætitia*, & *exultatione*, id est, sponte vovebunt, & servabunt castitatem amore tui. B

Etiam per Virgines possunt intelligi omnes animæ Christianorum, quæ habent Fidem Catholicam, secundùm *Augustinum*: quia per *proximas* possunt intelligi specialiter conversi ex Gentibus, ex quibus multæ Virgines fuerunt Deo consecratæ, & seipsas pro Christo morti obtulerunt, & multæ aliæ se Monasteriis dedicaverunt. Et ideo sequitur: *Adducentur in templum regis*, sicut continuè Sanctimoniales Christo dedicantur.

Et etiam per *Virgines*, & *proximas* Christi, possunt intelligi omnes animæ Christianorum, qui in Baptismo inconcussè Fidem Christo promiserunt: quæ dicuntur Virgines ab integritate Fidei, ex quibus sunt Martyres, Virgines, Viduæ, & Conjugati, qui omnes sequuntur Ecclesiam: & sunt regenerati à Christo, & Ecclesia. Omnes enim Christiani *adducuntur ad templum* Christi, & adducit eos Mater Ecclesia, ut baptizentur; & recipiant cætera Sacramenta. Et sic omnes *sequuntur Agnum quocumque ierit*. C

48. d. c. *Quorum vices.*

18. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.*

HIC specialiter memorat prolem Apostolorum, eò quòd tenent primum locum in Ecclesia. Unde posset dicere Ecclesia: O Christe, tu ascendis in cœlum; & dimittis me viduam, & solam, & pupillam sine patre: quia antè habui Patriarchas, & Prophetas, qui fuerunt patres mei: nunc autem repudiatâ Synagogâ, in qua sunt Scribæ, & Pharisæi, & Legis-doctores: congregasti me ex piscatoribus, & plebeis, & simplicibus idiotis. Ad hoc respondet Deus: Ne timeas Ecclesia Sponsa; quia *pro patribus*, id est, loco & vice patrum, scilicet, Patriarcharum, & Prophetarum, *nati sunt* D

Nota.

tibi filii, scilicet Apostoli, qui accepto Spiritu sancto, erunt majores, & sapientiores, quàm Patriarchæ, & Prophetæ. Ideo E *hos constitues principes super omnem terram.* Hoc etiam dicit, quia sicut Jacob genuit duodecim filios Patriarchas, à quibus descenderunt omnes filii Israel carnales: ita Christus regeneravit duodecim Apostolos, à quibus descendunt omnes Christiani per generationem baptismalem, & spiritualem. Et ideo Ecclesia dicitur *verus Israel spiritualis*, cujus Patriarchæ fuerunt duodecim Apostoli, ut patebit *Psalmo* 67. Hoc idem dicit Ecclesiæ congregatæ ex Gentibus: Non timeas, nec dedigneris, ò populè Gentilis, quia habuisti summos Philosophos, qui in scientia humana floruerunt, & Reges, & Imperatores, qui F armis & legibus totum orbem subjecerunt: nam pro illis patribus tuis, scilicet, loco *Platonis*, & *Socratis*, & *Aristotelis*, & cæterorum Philosophorum, & loco *Cyri*, & *Darii*, & *Alexandri*, & *Cæsaris*, & *Pompeji*, & *Octaviani*, & cæterorum famosissimorum Regum, & Imperatorum, & bellatorum: *nati sunt tibi*, id est, renati ex me *filii*, scilicet, Apostoli, & Discipuli, & hos constitues principes super omnem terram: qui non inanis prophetiæ verbis, nec viribus humanis, sed armis Euangelicis, totum orbem tibi subjicient; & sic erunt majores quam *Alexander* & *Cæsar*, qui minorem partem mundi vix potuerunt obtinere. Item, renati *sunt tibi filii* ex me, scilicet, Martyres, & Doctores. Et ideo ò Christe Domine mundi, G

19. *Memores erunt nominis tui Domine in omni generatione & generationem.*

24. q. 1. *Quia ex sola.*

ISTI Apostoli & Doctores *erunt memores tui in omni generatione & generationem*: quia scribent, & prædicabunt mirabilia, quæ fecisti, usque ad judicium. Nam Euangelistæ scripserunt Euangelia, in quibus memorantur omnia gesta Christi. Et *Jacobus*, & *Joannes*, & *Petrus* scripserunt Epistolas Canonicas: & *Lucas* Actus Apostolorum. Et *Paulus* scripsit quatuordecim Epistolas ad diversos populos & status, quæ H quotidiè leguntur, & prædicantur in Ecclesia, in quibus maximè memoratur nomen Christi. Et sic Apostoli non solùm ipsum nomen Christi prædicaverunt, sed etiam in memoriam ejus scripta reliquerunt.

*** *** ***

1.q.1.Ex Catholica

20. *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſæculum ſæculi.*

A

PRopterea, & propter hæc quæ ſunt ſcripta, omnes *populi* ad Fidem converſi *confitebuntur tibi*, ò Chriſte, & colent te tanquam Meſſiam, & verum Deum *in ſæculum ſæculi.* Nota, quòd ly *Domine* non ponitur in Hebræo, & ſic nulla accidit difficultas, loquendo Pater ad Filium in hoc verſu.

Ex toto ergo iſto Pſalmo poſſunt recolligi quatuordecim concluſiones, ſeu doctrinæ.

Prima concluſio: quòd Pater ab æterno *eructavit Verbum bonum* ex toto corde, B id eſt, de tota ſubſtantia ſua.

Secunda concluſio: quòd in tempore produxit per illud *Verbum velociter* omnes creaturas, ſicut velox ſcriba producit litteras.

Tertia concluſio: quòd Chriſtus fuit *ſpecioſus præ filiis hominum* in puritate, & ſanctitate, & ſapientia, & gratia Spiritus ſancti.

Quarta concluſio: quòd Chriſtus triplici *gladio* fuit accinctus, ſcilicet, gladio humanitatis, & potentiæ, & doctrinæ.

Quinta concluſio: quòd quinque virtutes fuerunt, propter quas meruit regnare: ſcilicet, ſanctitas, ſapientia, veritas, manſuetudo, & juſtitia; quæ quidem quinque C virtutes ſunt neceſſariæ cuilibet regi, & principi &c.

Sexta concluſio: quòd tàm Apoſtoli, quàm verba Euangelica, fuerunt *ſagittæ*, quibus Chriſtus penetravit corda hominum.

Septima concluſio: quòd *ſedes* Chriſti judiciaria erit æterna, & ſceptrum Chriſti erit juſtum & directum.

Octava concluſio: quòd in divinis eſt trinitas Perſonarum: ſcilicet, Pater ungens, & Filius unctus, & Spiritus ſanctus, quo Filius ungitur ſecundùm humanitatem.

Nona concluſio: quòd triplici veſtimento fuit Chriſtus veſtitus, ſcilicet, veſtimento *myrrhæ* paſſionis, & veſtimento pœ- D nitentiæ & doctrinæ.

Decima concluſio: quòd *veſtimenta* Eccleſiæ Chriſti *deaurata* ſunt per charitatem, & *circumdata varietate* virtutum, & Sacramentorum, & diverſorum ordinum, & graduum Miniſtrorum, & Prælatorum Eccleſiæ.

Undecima concluſio: quòd Eccleſia Sponſa Chriſti, eſt congregata ex converſis de populo Gentili, relinquentibus ritum patrum ſuorum; & ex converſis de Judaiſmo, relinquentibus cærimonialia & ritus legales patrum ſuorum.

E *Duodecima concluſio*: quòd filii Gentilium debebant recipere Chriſtum, & adorare ipſum tanquam Deum.

Tredecima concluſio: quòd gloria Eccleſiæ non conſiſtit in bonis exterioribus & temporalibus, ſed interioribus & ſpiritualibus.

Quartadecima concluſio: quòd loco duodecim Patriarcharum, conſtituti ſunt duodecim Apoſtoli principes ſuper omnem terram, per quos regeneratus eſt totus populus Fidelium.

PSALMUS XLV.

F 1. *Deus noſter refugium & virtus; adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.*

5. q. 5. Non omnis. 7. q. 1. c. Adverſitas.

HUIC Pſalmo præponitur talis Titulus in Hebræo: ſcilicet, *Victori*, ſive *ad victoriam filiis Core ſuper Alamot*, *Canticum.* Secundùm vero *Septuaginta*: *In finem filiis Core pro arcanis Pſalmus.* Secundùm autem *Hieron. Victori filiorum Core pro juventutibus Canticum.*

De authore autem & materia hujus Paſmi dicit *Rabbi Salomon*, & quidam alii Hebræorum, quòd *filii Core* fecerunt hunc Pſalmum pro gratiarum actione, eò quòd fuit factum in eis illud grande miraculum: G quia patre ſuo *Core*, & *Dathan*, & *Abiron*, & cæteris complicibus illius conjurationis pereuntibus, ipſi fuerunt liberati, ut patet *Numer.* 17. & 26. Et hoc juſtè, & bene meritò factum eſt, ut dicunt iſti. Nam cum *Core* pater eorum, & cæteri obſtinati, vellent rebellare contra *Moyſen*, & *Aaron*: tamen *filii Core* noluerunt eſſe complices, nec participes in illa conjuratione; immò perſuadebant patri, ut obediret *Moyſi* juxta voluntatem Domini; ſed quia *Core* cum cæteris voluerunt obſtinatè perſeverare in ſuo malo propoſito: ideo aperta eſt terra, & devoravit eos, filiis *Core* ſalvis manentibus, ut patet ibidem. Et addunt iſti, quòd *filii Core* manſerunt in aëre, cum terra ſub pedibus eorum fuiſſet aperta: ſed conjurato- H ribus abſorptis & devoratis, tunc terra fuit rejuncta; & *filii Core* manſerunt ſalvi ſuper terram. In hoc fuit illud grande miraculum, quod ſcribitur *Numer.* 26. Et addunt iſti, quòd tunc Deus dedit *filiis Core* ſpiritum prophetiæ, in præmium tantæ obedientiæ: & ſic fecerunt omnes Pſalmos, qui intitulantur, *filiis Core*: & inter cæteros fecerunt hunc Pſalmum, agendo gratias pro ſua liberatione & tanto miraculo.

Et hanc poſitionem ſequuntur quidam Ca-

Catholici, glossantes hunc Psalmum pro illa liberatione & miraculis factis in deserto, & in transitu Maris Rubri; & in ingressu terræ promissionis. Quia tunc factus est impetus fluminis *Jordanis*, quando *conversus est retrorsum*, & transivit populus, & *Altissimus sanctificavit suum Tabernaculum* & Arcam, quando reposuit eam in *Silo:* & lætificavit illam civitatem & populum, dando possessionem illius terræ. Et sic exponunt litteraliter hunc Psalmum de adeptione illius terræ cum auxilio Dei.

Sed ista positio, licèt aliquo modo, & in minori parte, contineat aliqualem veritatem: tamen in majori parte continet falsitatem. Nam primò, continet falsum, in quantum dicit, quòd *filii Core* fecerunt hunc Psalmum tempore Moysi, sicut fuit probatum in Titulo *Psalmi* 41. Secundò, continet falsum, in quantum dicit, quòd Psalmista præcisè in hoc Psalmo memorat miracula & prodigia facta in exitu Israel de Ægypto, & in ingressu terræ promissionis. Sed potest continere verum, in quantum David contemplando miracula, & prodigia, & mysteria facta & gesta in illo egressu, & progressu, & ingressu, prævidit in spiritu ortum & progressum & prosperitatem & triumphum Ecclesiæ Christi. Quæ quidem Ecclesia Christi est, & fuit figurata per *filios Core*, eò quòd est, & fuit congregata ex conversis de populo Judaico, & populo Gentili, quorum patres perierunt in sua cæcitate & infidelitate, ut probatum fuit ibidem, scilicet *Psalmo* 41.

Et ideo est dicendum, quòd David fecit istum Psalmum & intitulavit ipsum, *In finem, filiis Core super Alamot*, eò quòd dedit ipsum cantandum *Heman*, & toti choro suo; eò quòd erant de *filiis Core*, ut ibi fuit dictum.

Sed tunc manet dubium de diversitate Translationum hujus Tituli. Nam *Septuaginta* transtulerunt, *In finem, filiis Core pro arcanis.* Et *Hieronymus* transtulit, *Filiis Core pro juventutibus.* Ad hoc respondetur, quòd hoc nomen *Alamot* est plurale, derivatum de hoc nomine *Alma.* Sed quia hoc nomen *Alma* est æquivocum ad duo; nam uno modo idem est, quod *adolescentula*, sive *puella*; alio modo idem est, quod *secreta.* Et sic *Alamot* uno modo significat *juventutes;* alio modo significat *arcana*, sive *secreta.* Et ideo Septuaginta transtulerunt, *Pro arcanis*, sumendo unam significationem. Et *Hieronymus* transtulit *pro juventutibus*, sumendo aliam significationem: sed hoc ex divina providentia factum est. Nam David in Psalmo isto prophetice memorat, & prædicit arcana, & secreta, & profunda mysteria, & prodigia, & miracula, quæ gesta & facta sunt in *juventute*, & in ortu, & progressu Civitatis, sive Ecclesiæ Dei, ut magis patebit in fine Expositionis hujus Psalmi. Et sic necessaria fuit utraque Translatio: quia una notificat *juventutem*, & ortum Ecclesiæ; & altera, *arcana*, & profunda mysteria, & miracula, quæ gesta sunt in ortu, & in juventute Ecclesiæ. Et ideo datus est iste Psalmus *Filiis Core* ad cantandum, eò quòd gerebant figuram Ecclesiæ sic congregatæ, ut dictum est.

Alamot *quid significat?*

Divisio Psalmi.

Tria ergo facit David in hoc Psalmo. Primò enim prædicit fortitudinem & constantiam, quam habuit Ecclesia contra Judæos, & Tyrannos in sua juventute, & auxilio Dei in principio. Et hoc per figuram, & prout prævidit in exitu Israel de Ægypto; & per transitum Maris *Rubri.* Secundò explicat: unde ista Civitas Dei, & Ecclesia adepta est talem fortitudinem, & in quo tempore habuit hanc gratiam: & hoc per figuram ingressus terræ promissionis per *Jordanem.* Tertiò explicat propheticè victoriam & triumphum, quem habuit Ecclesia de Judæis, & Tyrannis persecutoribus suis. Et hoc per figuram victoriæ, quam habuit *Josue*, & *Israel* de regibus & populis Chananæorum. Secunda ibi: *Fluminis impetus lætificat.* Tertia ibi: *Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna.*

Ecclesiæ progressus

Quantum ad primum est notandum, sicut pluries dictum est, quòd principium & progressus Ecclesiæ Christi manifestè figuratus est per primum progressum populi Israel. Nam sicut *Jacob*, sive *Israel* genuit duodecim filios, & reliquit eos in Ægypto inter inimicos, ubi graviter fuerunt afflicti; sed *Moyses* cum signis & portentis, eduxit eos per Mare *Rubrum* & desertum, cum maximis laboribus & tribulationibus: ita Christus regeneravit duodecim Apostolos, & post ejus mortem reliquit eos in Hierusalem, ubi fuerunt afflicti à Judæis, ut patet in *Actibus Apostolorum.* Sed Christus misit in eos flumen aquæ sapientiæ Spiritus sancti, & misit eos per mundum universum, & subjecerunt Christo totum orbem, sicut filii Israel transfretantes impetum *Jordanis* obtinuerunt totam terram promissionis. In illa ergo figura, & mysterio prævidit David totum principium & progressum Ecclesiæ. Ideo introducit cœtum Apostolorum & Fidelium primitivæ Ecclesiæ, loquentem in hoc Psalmo, & explicantem fidem suam in illa persecutione. Unde dicit populus, & Civitas Christi: Christus *Deus* & homo est *noster refugium*, & *virtus*, & *adjutor in tribulationibus*, *quæ invenerunt*, & vexaverunt *nos nimis* in primitiva Ecclesia. Nam illicò post mortem & resurrectionem Christi insurrexerunt Principes & Pharisæi contra nos, & ducebant nos, & constituebant in conspectu Sacerdotum, præcipientes, ne prædicaremus nomen Christi; & persequebantur nos per Synagogas & Civitates; & comminabantur nobis flagella, & tormenta, ut patet in *Actibus Apostolorum.* Sed *propterea*, quia *Deus noster* est *refugium & virtus* nobis.

2. *Prop-*

86.d.Desolatis.

2. *Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.*

IDEO *non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Et ponitur *futurum indicativi* pro *optativo*: quia Judæi non habent *optativum.* Quasi dicat: Quamvis turbetur tota terra contra nos, & fiat tantus terræmotus, ut *transferantur* & cadant *montes in cor maris*, & in medio maris, sicut solet quandoque fieri in maximo terræmotu; tamen nos non timebimus persecutores, postquam Christus, & ejus auxilium est nobiscum. Unde tota terra Judææ primò mota est contra Apostolos & Discipulos: & exinde totus orbis, & populus Gentilis, contra eosdem Apostolos, & Martyres, & omnes Christianos; & tanta commotio facta est contra eos, quòd *montes*, id est, magni principes & reges translati sunt *in cor maris*, id est, moverunt fluctus amaros sui furoris & persecutionis, contra totam Ecclesiam, & Civitatem Dei. Ideo sequitur:

7. q.1.c. Adversitas.

3. *Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine ejus.*

AQUÆ *eorum*, scilicet persecutionis & indignationis, *sonuerunt, & turbatæ sunt* cum magno sonitu: sicut fit in mari tempore tempestatis. Ita moti Scribæ & Pharisæi fecerunt præconium in tota Judæa, ne quis auderet nominare Christum. Et sic Paulus *acceptis epistolis in Damascum, ut si quos inveniret hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem.* Item *Nero*, & *Domitianus*, & ultimò *Diocletianus*, fecerunt edictum per totum orbem, ne quis prædicaret Christum; aliter capitali sententia puniretur, bonis fisco dedicatis, & sic in fortitudine hujus terræmotus, & fluctuationis maris *conturbati sunt montes*, id est, principes & reges terræ contra Christianos. Sed in omnibus his fluctuationibus non timebant Apostoli: immò *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*: & dicebant: *Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus*, *Actuum* 5. Hoc idem dicebant Martyres, dum starent ante reges & præsides, ut patet de *Beato Laurentio*, & *Vincentio*, & *Catharina*, & *Lucia.* Ideo omnia ista non timebant, quia Christum in refugium habebant. Quasi dicat, quòd sicut filii Israel fuerunt vexati in *Ægypto*, & angustiati in Mari *Rubro*, inter mare & montes, videntes Ægyptios eos persequentes: ita fuimus afflicti per Judæos, & Tyrannos in primitiva Ecclesia. Sed sicut Deus fuit refugium & adjutor illorum, & liberavit eos tàm de Ægypto, quàm de mari, cum signis & prodigiis: ita Christus liberavit Ecclesiam de persecutione Judæorum, & Tyrannorum, cum signis & miraculis, & subjecit sibi omnes gentes & populos.

86. d. c. Desolatis. 2. q. 7. Testes.

4. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.*

5. *Deus, in medio ejus, non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo.*

HIC reddit causam, unde Apostoli & cives Dei habuerunt tantam virtutem, ut possent resistere tot fluctibus & tormentis Tyrannorum terrenæ civitatis. Unde jam dictum est *Psalmo* 4. quòd illicò post *Adam* genus humanum fuit divisum in duas civitates: quarum una incepit ab *Abel*, quæ dicta est *civitas Dei*: altera à *Cain*, quæ dicta est *civitas diaboli*, quæ processerunt usque ad Christum: sed continuè fuerunt renovatæ & excitatæ. Nam *civitas Dei* fuit renovata per *Noe*, & *Abraham*, & *Jacob*, à quo dicti sunt *filii Israel*, usque ad Christum, cujus cives fuerunt semper afflicti à civibus terrenæ civitatis. Hæc autem *civitas Dei* fuit totaliter renovata & regenerata per Christum, & congregata ex filiis civium utriusque civitatis, patribus pereuntibus, ut dictum est. Et sic, sicut major pars civitatis terrenæ, scilicet populi Gentilis, transivit ad civitatem Christi, recipiendo Christum, in quo fuerunt regenerati: ita major pars filiorum Israel transierunt ad civitatem diaboli, negando Christum verum Redemptorem & Messiam. Et sic omnes simul infideles, pertinentes ad civitatem diaboli, cœperunt insurgere, & movere fluctus iniquitatis contra civitatem Christi. Quæ civitas passa est diras persecutiones; primò à Judæis, postea à Tyrannis per decem Imperatores, usque ad Magnum *Constantinum*, quibus persecutionibus erat impossibile resistere, nisi ex auxilio superno. Ideo Christus misit *flumen* aquarum donorum & gratiarum Spiritus sancti in die *Pentecostes*, in omnes Discipulos & Apostolos, in quibus consistebat tota *civitas Dei*; quod *flumen* vallavit, & fortificavit, & *lætificavit* taliter totam *civitatem Dei*, quæ est Ecclesia, quòd amplius non timuit impetus & fluctus aquarum, & persecutionum Tyrannorum, & om-

Nota de duabus civitatibus.

omnium inimicorum. Nam illicò cœperunt cum fiducia prædicare verbum Dei, ut patet per totum discursum *Actuum Apostolorum*. Et non solùm *impetus fluminis* Spiritus sancti defendit & fortificavit Ecclesiam: sed etiam propulit & prostravit fluctus & civitatem diaboli: quia principem hujus mundi ejecit foras. Nam populus Gentilis, ejectis idolis, conversus est ad Christum. Etiam fluvius baptismalis dedit virtutem Christianis, ut non solùm resisterent, sed etiam vincerent, & subjicerent civitatem diaboli: & sic aucta est civitas Dei à Solis Ortu usque ad Occasum, in medio cujus Deus habitat per fidem, ubi antea diabolus princeps hujus mundi habitabat.

Civitas Dei fortificatur.

Ex quibus patet, quòd Christus per *flumen* aquæ baptismalis, & donorum Spiritus sancti, fortificavit suam *civitatem*, & irrigat eam, & germinare eam facit: & dilatata est & ampliata per totum orbem. Dicit ergo *civitas Dei*: Non mireris, si non timuimus terræmotum & tempestatem maris inimicorum. Nam *impetus fluminis* Spiritus sancti *lætificat*, & irrigat, & fortificat, & vallat *civitatem Dei*, scilicet, Ecclesiam: nam *Altissimus* Deus *sanctificavit tabernaculum suum*, scilicet Ecclesiam, in qua habitat per fidem. Et ideo, quia ipse Christus habitat in ea, *nunquam commovebitur* à fide & charitate Christi. Nam ipse habitando in ea, influit virtutem & gratiam Sacramentorum, & dona Spiritus sancti, quæ sunt arma Christianorum. Et ideo licèt continuè agitetur fluctibus Tyrannorum & Hæreticorum: tamen nunquam usque ad Judicium submergetur, nec expugnabitur *navicula Petri*: immò semper *Deus adjuvabit eam mane diluculo.*

L tus dicitur nox.

Unde nota: quòd totum tempus Legis veteris dicitur *nox*; tempus vero gratiæ dicitur *dies*, cujus Aurora & *mane*, sive *diluculum*, fuit Resurrectio, & Ascensio Christi. Sed quia illicò, decimo die post Ascensionem, misit Christus flumen donorum Spiritus sancti in Discipulos: quo flumine *lætificavit* & *adjuvit* hanc *civitatem*: ideo dicit: *Adjuvabit eam mane diluculo*, id est, in principio Legis gratiæ. Quasi dicat, quòd sicut impetus fluminis *Jordanis* lætificat & irrigat totam terram promissionis, & aquæ circumdant eam undique; nam ex parte Orientali clauditur aquis *Jordanis*, & ab Aquilone aquis descendentibus cum impetu de *Libano*; & ab Occasu clauditur Mari *Mediterraneo*, & à Meridie *Torrente turbido Ægypti*: ita pariter *civitas* & Ecclesia *Dei* irrigatur & *lætificatur*, & vallatur *impetu fluminis* baptismalis, & aliorum Sacramentorum: & sic Deus defendit undique eam ab incursibus dæmonum, & Infidelium.

Et ideo ista *civitas* sic lætificata & adjuta impetu fluminis Spiritus sancti, *dedit vocem suam* Euangelicam per universum orbem, & *mota est* tota *terra*, & *conturbatæ sunt gentes*, & *inclinata sunt* omnia *regna* mundi, & subjecta jugo Christi, ad prædicationem Apostolorum, & Martyrum, & Doctorum. Et sic reges terræ, qui propter idola persequebantur Christianos antea, post suscepto Baptismo, delerunt idola propter Christum. Unde sicut *fluminis impetus* validus trahit secum omnes arbores ripæ: ita *impetus fluminis* Christi, omnes Gentes traxit ad Ecclesiam. Sed in qua virtute hoc fecimus? Respondet: quia Christus, *Dominus virtutum*, semper fuit *nobiscum*; & *Deus Jacob* fuit semper *susceptor*, & defensor, & adjutor noster in omnibus tribulationibus supradictis. Ideo non solùm fuimus protecti, sed etiam victores, sicut dixit nobis in sua Ascensione: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Vel potest incipi constructio ibi, scilicet: *Dominus virtutum*, qui erat *nobiscum*, *dedit vocem suam* Euangelicam per Apostolos; & *mota est* universa *terra*, in tantùm, quòd *turbatæ sunt Gentes* ad prædicationem Apostolorum, & *inclinata sunt* omnia *regna* mundi, ad suscipiendam Fidem Christi.

6. *Conturbatæ sunt Gentes, & inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.*

11. q. 3. Ad mensam.

IN hac tertia parte explicat prosperitatem hujus *Civitatis*, & victoriam & triumphum, quem habuit de omnibus suis persecutoribus, & quomodo subjecit totum orbem jugo Christi in virtute *impetus fluminis* gratiarum & donorum Spiritus sancti, ad prædicationem Apostolorum. Unde dicit, quòd ista *Civitas Dei* sic lætificata & adjuta *mane diluculo* impetu fluminis Spiritus sancti, *dedit vocem suam* Euangelicam in prædicatione Apostolorum: & tunc *commota est* tota *terra* à Solis Ortu usque ad Occasum, & *conturbatæ sunt* omnes *Gentes*, visis signis & prodigiis, & miraculis Apostolorum. Et *inclinata sunt* omnia *regna* mundi, ad credendum Euangelio, & subjecta sunt jugo Christi. Et tunc reges terræ, qui propter idola antè persequebantur Christianos, postea delerunt omnia idola propter Christum, ut inquit *Augustinus.*

Unde sicut *impetus fluminis* validi tempore pluviarum, trahit secum arbores, & diruit domos, & Civitates sitas in ripa: ita pariter *impetus fluminis* prædicationis Euangelicæ, Fidei, & miraculorum, prostravit omnia idola; & Reges, & populos Gentilium traxit ad Fidem Christi. Quasi dicat, quòd sicut *impetus fluminis* Jordanis *lætificat*, & irrigat totam terram promissionis: ita fluvius baptismalis irrigavit

&

& lætificavit totam Ecclesiam Christi. Et sicut ille transitus fluminis Jordanis lætificavit filios Israel, quando conversus est retrorsum, & præbuit eis audaciam viso miraculo, & sic transierunt contra *Chananæos*, & vicerunt eos: ita pariter *impetus* baptismalis *fluminis*, & *impetus fluminis* donorum, quæ acceperunt Apostoli in die *Pentecostes*, *lætificavit* eos & totam Civitatem, & cum magna fiducia & fortitudine ingressi sunt contra Reges & Principes mundi. Et sicut tunc ad sonitum tubarum & buccinarum, & vocem Sacerdotum ceciderunt muri *Jericho*, & capta est Civitas, & omnes fuerunt occisi, & postea exinde procedendo, regna Chananæorum fuerunt capta: ita pariter ad vocem & sonitum tubæ prædicationis Apostolorum, ceciderunt omnia idola, & inclinata sunt omnia regna populi Gentilis, & occisa fuit in eis superstitio & infidelitas, & suscitata fides, ut inquit *Augustinus*. Sed quia diceret aliquis: in qua virtute fecistis omnia ista? ò Apostoli, & Christiani: ideo subdit:

24. q. 1. *Quæ dignior.*

7. *Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob.*

Quasi dicat, quòd Jesus Christus, *Dominus virtutum*, & dator gratiarum, fuit *nobiscum* in omnibus supradictis pressuris, & triumphis, adjutor & protector: & ipse Christus *Deus Jacob*, quia ipsi Jacob fuit promissus, erit *susceptor* & liberator noster, in quo nostram spem & fiduciam constituemus. Deinde cùm dicit:

6. q. 1. c. *Si omnia.*

8. *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: auferens bella usque ad finem terræ.*

De Pœ. d. 1. ca. *Omnis.*

9. *Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni.*

Invitat & convocat omnes gentes & populos, ut veniant ad prædicationem Apostolorum: & ad videndum signa, & prodigia, & miracula eorum, quibus visis, convertantur ad Christum. Ideo ait: O vos omnes gentes, *venite*, & *videte opera Domini* nostri, & *prodigia*, & miracula, *quæ posuit super terram*. Et videte primò opera nostræ redemptionis, & miracula, quæ per seipsum fecit, mortuos suscitando, & infirmos sanando, & super aquas siccis pedibus ambulando: & postea videte opera & miracula, quæ fecit per Apostolos, & Martyres *super terram*, & quomodo fuit *auferens bella usque ad finem terræ*: quia omnia regna fuerunt illi subjecta. Nam *conteret arcum*, & potestatem Tyrannorum, & *confringet arma* diaboli, in quibus confidebat, scilicet, omnia genera peccatorum; & *scuta*, scilicet, philosophiam naturalem, quâ Gentiles se defendebant, & contra nos arguebant, & ritum & superstitionem plurium deorum *comburet igni* veritatis Sacræ Scripturæ. Nam *Paulus* cum authoritatibus Sacræ Scripturæ vicit Philosophos, ut patet *Act.* 28. Et *Petrus* vicit omnes Scribas & Pharisæos, *Act.* 3. Item Christus *contrivit arcum*, id est sacerdotium, & *arma*, id est, regnum Judæorum per *Romanos*: & *scuta*, id est, muros Hierusalem, *combussit igni*. Deinde cùm dicit:

11. q. 3. *Ad mensam.*

9. *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.*

Introducit Christum comminantem, tàm Judæis, quàm Tyrannis, dicens: O vos Judæi, & vos Gentiles, *vacate*, & cessate, & desistite persequi Ecclesiam meam; & *videte*, & considerate bene Scripturas: nam licèt videatis me in forma humana & mortali: tamen *ego sum* verus *Deus* & homo, sicut canunt Scripturæ: & ideo *exaltabor in gentibus*, subjiciendo omnes Gentiles ad Fidem, & *exaltabor in terra*, omnes terrenos & infideles puniendo: & ideo convertimini, ne in æternum puniamini. Sed ad hoc respondet populus Fidelium, dicens:

Ps. eodem 92. d. c. 1. *In glo.*

10. *Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob.*

Jesus Christus *Dominus virtutum* erit *nobiscum* in adjutorium, & ipse *Deus Jacob* erit susceptor, & fautor, & redemptor noster; & ideo te in Messiam, & Redemptorem, & Caput nostrum recipiemus. Ex quibus patet, quòd licèt totus iste Psalmus conveniat toti Ecclesiæ: tamen maximè convenit Martyribus, qui licèt multis tribulationibus & tormentis sint lacerati; tamen finaliter de persecutoribus triumpharunt. Et ideo legitur iste Psalmus in festivitatibus Sanctorum Martyrum, & etiam Virginum. Et sic tota littera poterit applicari ad eos.

Ex toto isto Psalmo possunt recolligi quatuor conclusiones.

Prima conclusio: quòd in hoc Psalmo memorantur propheticè magna, & profun-

funda, & secreta mysteria de *Civitate Dei* & Ecclesia, & de ejus juventute.

Secunda conclusio: quòd Ecclesia fuit A lætificata, & adjuta, & sanctificata *mane diluculo*, in primo suo principio: in qua Deus habitat præsentialiter, tanquam in proprio tabernaculo.

Tertia conclusio: quòd Apostoli & tota ista *Civitas* vicit civitatem diaboli, & triumphavit de diabolo & membris ejus in virtute sanctificationis & gratiæ Spiritus sancti.

Quarta conclusio: quòd Christus fuit semper adjutor & fautor hujus *Civitatis*, quam ipse fabricavit.

Objectio. Sed hìc aliquis posset dubitare propter duas conclusiones primas. Nam primò dictum est, quòd in hoc Psalmo David vult propheticè explicare aliquod magnum & profundum secretum de juventute Eccle- B siæ, propter id quod dicitur in Titulo, scilicet, *In finem pro arcanis*, sive *juventutibus*: & tamen istud magnum & profundum mysterium non videtur explicatum in supradicta Expositione; nec fuit explicitum, nec declaratum, quod est illud *mane* & *diluculum*, in quo *Civitas Dei*, sive Ecclesia, fuit sanctificata & adjuta? Item tota Ecclesia communiter cantat de *Virgine Maria* illos duos versiculos, scilicet, *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, & *Adjuvabit eam Deus mane diluculo*: & tamen in supradicta Expositione non fuerunt expositi, nisi pro tota universali Ecclesia C Christi; & sic videtur Expositio insufficiens, & non ad propositum.

Responsio Ad totum hoc simul respondetur. Ad cujus intelligentiam est primò notandum, quòd ex divina providentia, & sub grandi mysterio Propheta præposuit illud vocabulum in Titulo, scilicet, *super Alamot*. Nam dictum est, quòd *Alamot* est plurale hujus *Nota de Alma.* nominis *Alma*, quod est æquivocum ad duo. Nam uno modo idem est quod *juvencula*, sive *puella*, & *adolescentula*: & alio modo idem est quod *secreta*: quod totum simul soli *Virgini Mariæ* convenit, eò quòd sola ipsa fuit *virgo secreta*. Nam apud vulgus non putabatur virgo, eò quòd peperit Filium; & tamen simul cum fœcunditate mansit virgo: & sic erat virgo in se- D *Nota: Sic testatur Nicolaus de Lyra, Isai. 7. legi in Hebræo.* creto & veritate, mente, & corpore. Et ideo ex divina providentia & sub tali mysterio *Isaias* dixit: *Ecce alma concipiet & pariet Filium.* Quod quidem vocabulum *alma* scribitur cum *mem* clauso in solo isto loco, contra naturam sui; ad denotandum, quòd ista *Domicella secreta* cum virginitate servata, Christum erat conceptura & paritura. Et etiam sub eodem spiritu Beatus *Hieronymus*, & etiam *Septuaginta* transtulerunt: *Ecce virgo concipiet.* Nam *alma* idem est quod *Domicella*, sive *juvencula secreta*, id est, virgo in secreto.

Et ita pariter *Salomon* prævidens in spiritu mysterium Incarnationis Christi ex *Virgine Maria*, & non valens comprehen- E dere dixit, *Proverb.* 30. *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitùs ignoro: viam aquilæ in cœlo: viam colubri super petram: viam navis in medio mari: & viam viri in alma*, id est, *juvencula*, sive *adolescentula*. Unde licèt in aliquibus Bibliis reperiatur scriptum: *Viam viri in adolescentia:* in aliis tamen reperitur prout appositum est, scilicet, *Viam viri in alma*, quod idem valet ac: *In juvencula*, sive *adolescentula*. Quapropter *Salomon* per *viam aquilæ in cœlo*, intelligit descensum Verbi Dei de cœlo: & per *viam colubri super petram*, exitum Christi de sepulchro clauso in sua resurrectione: & per *viam navis in medio mari*, intelligit conversationem, & vitam Christi in hoc mundo: & per *viam viri in* F *adolescentula*, intelligit mysterium Incarnationis ex *Virgine Maria*, quæ concepit & peperit sine corruptione. Christus enim ingressus est in conceptione, & egressus est in nativitate, per portam clausam uteri virginalis. Et hoc est quod dicit *Salomon*, se penitùs ignorare.

Sic etiam testatur Nicolaus de Lyra ad ca. 30. Proverb. Et La Haye in sua Bibl. Maxima ibi. citans Jansenium, & alios.

Et sic patet, quòd *Alma* significat *virginem secretam*: & sic communiter in multis locis Sacræ Scripturæ ponitur pro *Virgine Maria*. Et ita ponitur in Titulo hujus Psalmi, cùm dicitur: *Filiis Core super Alamot*, id est, *super virgines secretas*. Et ita pronunciant Hebræi, scilicet *Filiis Core* G *pro domicellis*. Et ponitur *plurale* pro *singulari*, sicut frequenter fit in Sacra Scriptura, quod idem est ac pro *virgine secreta*, scilicet pro *Virgine Maria* Matre Christi. Et ideo ex divina providentia factum est, quod *Septuaginta* transtulerunt *pro arcanis*; & *Hieronymus*, *pro juventutibus*. Et sic ambo explicant utramque significationem hujus nominis *alma*, quæ significat *virginem secretam*. Quasi dicat, quòd iste Psalmus datus est *Filiis Core* ad cantandum, in quo continentur multa arcana, & profunda secreta de illa *virgine secreta*, scilicet, de *Virgine Maria*. Sive in hoc Psalmo continentur arcana gesta in *juventutibus* Ecclesiæ; quæ quidem arcana sunt gesta in mysterio Incarnationis, & in *Virgine* H *Maria*: qui quidem Psalmus dirigit nos in finem, id est, in Christum. Unde dicit *Cambi*, quòd quando in Titulis præponitur *In finem*, signum est, quòd in illo Psalmo prædicitur aliquod profundum secretum de sæculo Messiæ: quare ponitur & memoratur in hoc Psalmo. Et hoc magnum mysterium implicatur in illis duobus versiculis; scilicet, *Fluminis impetus.*

Ad cujus intelligentiam est secundò advertendum, quòd tota Ecclesia cantat & attribuit istos duos versiculos *Virgini Mariæ*, propter quatuor mysteria ibi notata & memorata, quæ propriè soli *Virgini Mariæ* conveniunt. Primum est, quod di-

Nota de Virg. Maria.

dicit Propheta: *Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei.* Secundum, quòd *ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Tertium, quòd *Deus in medio ejus non commovebitur.* Quartum, quòd *adjuvabit eam Deus mane diluculo.* Quæ quidem quatuor myſteria, licèt dicantur de tota Eccleſia; tamen primò & principaliter & propriè verificantur ratione *Virginis Mariæ*, quæ fuit prima civis hujus civitatis, & primum membrum Eccleſiæ, ſecundùm *Auguſtinum* in 1. *Sermone de Nativitate Virginis Mariæ.* Sicut illud *Canticor.* 4. *Tota pulchra es amica mea: & macula non eſt in te*, dicitur de tota Eccleſia Sponſa Chriſti ratione *Virginis Mariæ*: quia de ſola ipſa verificatur, quoniam ſola fuit ſine macula. Ita pariter iſta quatuor verificantur de tota Eccleſia ratione *Virginis Mariæ*, quæ fuit Aurora, & primum membrum Eccleſiæ.

Ex quibus duobus verſiculis verificantur quatuor concluſiones de *Virgine Maria.*

Mariæ anima ornatur gratia.

Prima concluſio: quòd Deus Altiſſimus *lætificavit* & irrigavit & ornavit animam *Virginis Mariæ* flumine copioſiſſimo & abundantiſſimo gratiarum & donorum Spiritus ſancti, per hoc quod ait: *Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei.* Probatur: nam ſecundùm *Auguſtinum*, 1. *Sermone de Nativitate Virginis*, ipſa *Virgo* „ *Maria* fuit prima & principalis civis ci- „ vitatis Dei, & primum membrum Eccle- „ ſiæ, in qua civitate Deus peramplius & „ perfectius habitavit: primò mente, & ſe- „ cundò carne, id eſt, ſecundùm carnem. „ Et ideo dicit, quòd feſtum *Nativitatis* „ Virginis jam pertinet ad iſtam Eccleſiam, „ cùm ipſa ſit principium Eccleſiæ: immò „ dicit, quòd illud feſtum eſt exordium „ omnium feſtivitatum novi Teſtamenti. Ex quo patet, quòd ly *fluminis impetus lætificat Civitatem Dei* prius & per ſe verificatur de *Virgine Maria*, quæ eſt prima civis hujus civitatis.

Corpus Mariæ ſanctificatur.

Secunda concluſio: quòd *Altiſſimus* Filius Dei non ſolùm lætificavit & irrigavit animam Virginis copioſiſſimo flumine gratiarum, ut in ea habitaret per gratiam: ſed etiam ſanctificavit totum ejus corpus & animam, ut in ea habitaret per carnem, & ex ea carnem aſſumeret: quòd patet per hoc quod ſubdit: *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Unde eſt notandum, ſicut dictum eſt *in Prologo*, *tractatu* 4. quòd *tabernaculum Dei* eſt quadruplex, ſcilicet, tabernaculum perſonale, & maternale, & myſticale, & materiale. *Tabernaculum perſonale* eſt ipſa humanitas Chriſti, in qua Verbum Dei habitat perſonaliter in unitate ſuppoſiti: & hoc tabernaculum ſanctificavit Altiſſimus in ipſo inſtanti Incarnationis: quia implevit Chriſtum *ſpiritu ſapientiæ & intellectûs. Secundum tabernaculum*, ſcilicet, *maternale*, fuit ipſa *Virgo Maria*, de qua carnem Chriſtus aſſumpſit, & in qua per novem menſes ſecundùm carnem habitavit: in cujus anima jam à primo inſtanti creationis habitaverat per gratiam. *Tertium tabernaculum*, ſcilicet, *myſticale*, eſt tota Eccleſia & Religio Chriſtiana: in qua Deus habitat per fidem, quam Deus Chriſtus per Baptiſmum ſanctificavit in ſeipſo, ut ipſe ait *Joann.* 17. *Pro eis ego ſanctifico meipſum. Quartum tabernaculum* eſt templum materiale, & quælibet Eccleſia ad cultum Dei, & miniſterium Eccleſiaſticorum Sacramentorum dedicata. Iſtæ enim Eccleſiæ ſanctificantur & conſecrantur per Epiſcopos. Et ſic eſt dicendum, quòd *tabernaculum* & *Civitas Dei* prius dicitur de humanitate Chriſti. Secundò de *Virgine Maria.* Tertiò de tota Eccleſia Fidelium. Ultimò de qualibet Eccleſia materiali. Unde rectè per *tabernaculum Altiſſimi* intelligitur *Virgo Maria* quantum ad corpus & animam. Nam ſicut illa Arca Teſtamenti, in qua erant *tabulæ Legis*, & *virga Aaron*, & *urna mannæ*, figurabat humanitatem Chriſti, ut inquit *Apoſtolus*, *ad Hebr.* 9. quia humanitas Chriſti eſt Arca divinitatis: ita pariter *tabernaculum Moyſis* figurabat *Virginem Mariam.* Nam ſicut Arca Teſtamenti fuit repoſita in tabernaculo illo, ut patet *Exod. ult.* ita pariter totus Chriſtus fuit repoſitus & requievit in utero virginali, tanquam in tabernaculo maternali. Hoc ergo *tabernaculum* dicit David, quòd *Altiſſimus ſanctificavit.* Et hanc *Civitatem* copioſiſſimo flumine gratiarum Spiritus ſancti *lætificavit*, & irrigavit, & vallavit, & munivit, & ſuis manibus ſanctificando fabricavit, ut ex ea carnem aſſumeret, ut inquit *Auguſtinus*, *contra quinque Hæreſes.*

Mariadicitur Dei tabernaculum.

Quadruplex Dei tabernaculum.

Tertia concluſio: quòd quando *Altiſſimus* ſuam *Matrem* ſanctificavit, in eodem inſtanti in ea habitavit per gratiam, & in eadem gratia confirmavit, propter id quod ait David, quòd *Deus in medio ejus non commovebitur.* Nam poſtquam Deus inhabitavit in medio illius *tabernaculi* ſanctificati, nunquam ulterius fuit motus, nec receſſit ab eo per gratiam, nec ipſa *Virgo Maria* receſſit à Deo; immò ſemper fuit in gratia confirmata: nec *Virgo Maria* fuit mota à ſua virginitate mentis & corporis. Nam ille conceptus & partus *ita tribuit prolis fœcunditatem, quòd non abſtulit virginitatem*, ut inquit *Auguſtinus.* Ita etiam iſta ſanctiſsima *Civitas* nunquam fuit commota, nec potuit commoveri, nec vinci, nec expugnari à diabolo per aliquam viam: ideo facta eſt *noſtrum refugium & virtus*, ad quam ſemper confugimus.

Quarta concluſio: quòd Deus *Altiſſimus ſanctificavit* & *lætificavit*, & flumine

Anima Virginis sanctificata.

ne gratiarum ornavit *Virginem Matrem* suam in primo instanti sui esse, & animæ creationis & infusionis: & per consequens illa sanctissima anima simul fuit creata & sanctificata, & in illo sanctissimo corpore infusa, & corpus simul cum anima sanctificatum. Et hoc probatur per hoc, quod subdit David: *Adjuvabit eam mane diluculo*, id est, *in ortu matutino*, ut habet littera *Hieronymi*. Quasi dicat: quòd illa sanctificatio fuit facta *in ortu matutino*, & *in aurora* ipsius virginis: & per consequens in primo instanti sui esse, & suæ creationis: eò quòd ipsa *Virgo Maria* fuit *diluculum* & *aurora* totius Ecclesiæ: ideo de ipsa primò, & propriè verificantur omnia dicta, & ista quatuor mysteria supradicta in his duobus versiculis.

Ecclesiæ nox, & dies.

Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd tota Ecclesia habet *noctem* & *diem*, & *diluculum*, sive *auroram*, & *mane*. Nox Ecclesiæ fuit ab *Adam* usque ad Christum. *Dies* autem à primo adventu Christi usque ad Judicium. Ideo dicit *Apostolus*, *ad Rom.* 19. *Nox præcessit*, *dies autem appropinquavit*. *Mane* autem hujus diei fuit instans Incarnationis Christi: quia Sol justitiæ luxit in mundo. Sed *aurora* hujus *mane*, fuit ipsa *Virgo Maria*, ut dictum est *Psalmo* 18. Nam sicut Sol antequam oriatur supra Orientem est clausus in Aurora, & incipit lucescere infra Auroram: ita Christus antequam nasceretur, jam incepit lucescere intra uterum virgineum: quia existens in utero materno, sanctificavit *Joannem Baptistam*. Et non solùm Christus fuit in *Virgine* in sua Incarnatione, sed antè jam erat in anima *Virginis* per gratiam, ante suam nativitatem, ut patet per *Augustinum*. Ex quo patet, quòd *Virgo Maria* verè fuit *diluculum* & *aurora* totius Ecclesiæ, in qua Christus ante nativitatem latuit per carnem, & ante Incarnationem latuit per gratiam. Ex quo sequitur, quòd quando de tota Ecclesia dicitur, quòd *Altissimus sanctificavit*, *& adjuvit eam mane diluculo*, & *in ortu matutino*: totum hoc verificatur pro *Virgine Maria*, quæ fuit Aurora totius Ecclesiæ. Quasi dicat David, quòd Deus eam jam sanctificavit *in Virgine Maria* ante diem, & ante ortum & conceptum Christi.

Nota.

Sed est iterum advertendum, quòd sicut in tota *Civitate* & *tabernaculo* mystico Dei, quæ est Ecclesia, fuit assignare *noctem*, & *diem*, & *mane*, & *auroram*, ut dictum est: ita pariter in *tabernaculo* & *Civitate* Dei maternali, est assignare noctem, & auroram, & mane. Et sic *nox Virginis* fuit totum tempus ab ejus conceptione carnis usque ad animationem. *Aurora* autem ejus, sive *diluculum*, fuit primum instans sui esse & creationis, in quo anima ejus fuit creata, & corpori infusa. *Mane* autem ejus fuit sua nativitas. *Dies* vero fuit totus discursus suæ vitæ. Ergo si *Virgo Maria* fuit sanctificata *mane diluculo in ortu matutino*, ut asserit Prophetà: fuit facta illa sanctificatio in primo instanti sui esse, & creationis animæ, in quo incepit vivere in hoc mundo: & per consequens illa anima simul fuit creata, & sanctificata, & gratificata, & econverso; quæ quidem sanctificatio redundavit in carnem, ex qua debebat Christus carnem assumere. Et sic in eodem instanti habitavit immobiliter in ea Deus per gratiam: quia simul fuit creata & facta *tabernaculum Dei*.

Maria nō peccavit originaliter.a.

Ex supradicto fundamento, & quatuor supradictis conclusionibus: multi Doctores Catholici inferunt unum Corolarium, scilicet, quòd *Virgo Maria nunquam fuit obnoxia*, *nec obligata culpæ originali*, *nec alicui alii peccato*. Quòd probatur. Nam si illa anima fuit simul sanctificata, & in gratia creata, & corpori infusa; & in ea Deus immobiliter habitavit per gratiam confirmata, & simul corpus cum anima sanctificavit: ergo nullo pacto potuit à corpore coinquinari, nec peccatum originale contrahere, nec diabolus potuit suam imaginem imprimere. Quia jam erat facta immobiliter *tabernaculum Dei*, & in ea impressa imago gratifica ipsius Dei. Tenet sequela: quia causa quare anima contrahit culpam originalem à carne, est, quia ipsa creata in puris naturalibus sine gratia, infunditur in corpus & carnem libidinosam, & coinquinatam, habentem vestigium ipsius *Adæ*. Sed anima *Virginis* fuit in gratia, & simul cum corpore in primo instanti sui esse sanctificata, ut dictum est: Ergo nullo modo potuit alicui culpæ subesse, nec coinquinari. Et sic asserunt isti, quòd *Virgo Maria* nunquam habuit originale peccatum.

Objectio.

Sed contra prædictam positionem arguunt multi, non solùm magni, sed etiam sancti viri, qui bene concedunt, *Virginem Mariam* fuisse in utero matris sanctificatam: sed dicunt, talem sanctificationem fuisse factam per morulam temporis mediam post animationem. Et sic concedunt, per totam illam parvam temporis morulam, originali peccato fuisse obnoxiam. Ad quod probandum, licèt non possint adducere rationes necessarias; tamen adducunt complures authoritates Sacræ Scripturæ, & sacrorum Doctorum, quæ exuperant omnem sensum, & humanam rationem.

Et primò arguunt authoritate David *Psal.* 13. scilicet, *omnes filii hominum*, sive filii *Adam*, *corrupti & abominabiles facti sunt*: *non est qui faciat bonum*, *non est usque ad unum*, scilicet, præter Christum, ut communiter glossatur. Item *ad Roman.* 3. *Omnes in Adam peccaverunt*, *& egent gratia Dei*, scilicet, Christi. Item 1. *ad Corint.*

Corint. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur &c.* Ex quibus authoritatibus concludit *Augustinus* 2. *de Baptismo Parvulorum*, & libro *de Natura & Gratia*, neminem fuisse liberum à peccato, præter Christum. Item libro *de Fide ad Petrum*, format illam vulgatam regulam, dicens: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, in originali peccato nasci, impietati subditum, mortique subjectum, & ob hoc naturaliter nasci iræ filium: de qua dicit Apostolus: Eramus aliquando naturâ filii iræ, sicut & cæteri: de qua nullus liberatur, nisi per gratiam & fidem Dei & hominis Jesu-Christi.* Ex omnibus his authoritatibus concludunt, *Virginem Mariam* fuisse aliquando originali culpæ obnoxiam. Quod magis videtur exprimere *Augustinus*, 2. *de Baptismo Parvulorum*, cùm ait: *Solus ergo ille homo factus, manens Deus, nullum peccatum unquam habuit, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati.* Item 10. *super Genes. cap.* 24. dicit, quòd *caro Christi, etiam si de propagine peccati venit, non tamen de peccati propagine concepta est.*

Augustin.

Item arguunt ratione sic. *Virgo Maria* habuit carentiam originalis justitiæ: quia non habuit illam originalem justitiam quam perdidit *Adam:* Ergo habuit peccatum originale. Tenet consequentia: quia peccatum originale nil aliud est, nisi carentia originalis justitiæ. Item, *Virgo Maria* fuit mortua propter peccatum, ut dicit *Augustinus super Psal.* 34. Ergo habuit peccatum originale: quia mors & dolor &c. sunt pœnalitates illius peccati. Item: *Si Virgo Maria* non habuisset peccatum originale, sequeretur, quòd non indiguisset redemptione, postquam fuisset libera à peccato. Ex quo sequeretur, quòd Christus non fuisset universalis Redemptor: hoc autem est falsum secundùm *Leonem Papam* dicentem *in Sermone de Nativitate Domini*, quòd *Redemptor noster Christus, sicut neminem à reatu liberum invenit: ita pro liberandis omnibus venit.*

In oppositum.

In oppositum est autem David Propheta in hoc Psalmo dicens, quòd *mane diluculo sanctificavit tabernaculum suum Altissimus impetu fluminis* gratiarum Spiritus sancti, à quo *nunquam commovebitur*, prout declaratum est, & magis declarabitur.

Responsio

Respondetur: quòd multi concordantes cum ista secunda opinione, asserunt, *Virginem Mariam* nunquam originali culpæ fuisse obnoxiam; & hoc per gratiam præservantem & sanctificantem: sed differunt in modo: nam quidam dicunt, quòd caro *Virginis* fuit sanctificata ante animationis; & sic nullo modo peccatum originale potuit transire in animam nec personam *Virginis Mariæ*. Et ideo pro hujus positionis, & etiam supradictarum authoritatum declaratione, primò præmittentur, & sunt notandæ quædam doctrinæ. Secundò confirmabitur ista secunda positio. Tertiò respondebitur ad rationes & authoritates, quæ in principio in contrarium sunt adductæ.

Justitia à juxta.

Quantum ergo ad primum, est primò notandum secundùm *Aristotelem*, 5. *Ethicor.* & prout dictum est *Psalm.* 11. & 14. quòd *justitia* dicitur à *juxta*: & ideo ille actus dicitur justus in particulari justitiâ morali, qui fit juxta medium, secundùm proportionem Arithmeticam, aut Geometricam: & ille actus dicitur justus secundùm legalem justitiam, qui fit juxta Legem latam, seu voluntatem Legislatoris. Ita pariter in *justitia Theologica*, ille actus est justus & meritorius præmii æterni, qui fit juxta Legem divinam, sive juxta voluntatem Dei, quæ manifestatur in divina Lege. Et sic patet, quòd *justitia* fidelium justorum, nil aliud est, nisi adæquatio, & conformitas hominis ad voluntatem & Legem Dei. Ex quo etiam patet, quòd *justitia Adam* non consistebat, nisi in quadam conformitate voluntatis ipsius ad Deum, & præceptum sibi datum. Et sic primi parentes in tantum fuerunt justi in principio, in quantum fuerunt conformes divinæ voluntati, servando ejus præceptum. Sed quia nemo potest meritoriè justificari, nisi per charitatem & gratiam: ideo sicut charitas, vel est gratia, vel radicatur in ipsa gratia: ita pariter illa *justitia* & conformitas, vel erat ipsa charitas ordinata, vel radicabatur in charitate; & per consequens in ipsa gratia gratificante. Ex quo patet, quòd illa *justitia* includebat in se charitatem, & gratiam gratum facientem, per quam merebatur in sua operatione: quæ quidem justitia dicebatur originalis, eò quòd *Adam* traxit eam in sua origine: quia fuit creatus cum ea. Et sic *Adam* per talem originalem justitiam conformabatur divinæ voluntati, & ordinatè diligebat Deum in se, & propter se, & proximum propter Deum: & per gratiam merebatur septem præmia infra scripta. Nam primò, propter observantiam divini præcepti, possidebant primi parentes ad sui facultatem & usum, illum felicem terrestrem paradisum, in quo felicitabantur de præsenti. Secundò, promittebatur eis futura & æterna felicitas in cœlo per fruitionem divinæ Essentiæ: quia absque morte fuissent in illam vitam meliorem translati, ut inquit *Augustinus*. Tertiò, habebant habitualem scientiam speculativam omnium rerum naturalium, & etiam multarum supernaturalium, per familiare colloquium Angelorum, ut inquit *Gregorius*.

Actus dicitur justus.

Not. quomodo Adæ merebatur septem præmia propter justitiam originalem.

rius. Quartò, anima habebat liberam facultatem, & imperium supra totum corpus, & voluntas supra appetitum sensitivum. Nam sicut voluntas ipsius *Adam* erat conformis & obediens divinæ voluntati: ita sensualitas erat conformis & obediens rationi. Quintò, nullum habebat impugnatorem, aut infestatorem extrinsecum. Sextò erat liber à morte, & omni miseria: quia poterat non mori edendo de ligno vitæ, & poterat nullam miseriam pati ratione favoris loci. Septimò, habebat liberum imperium super omnia mineralia, & plantas, & animalia. Omnia hæc supradicta septem dona habebant primi parentes, propter justitiam, & observantiam divini præcepti. Et sic patet, quòd ista septem non erant formaliter originalis illa justitia, sed dona illius justitiæ.

Secundò est notandum, quòd si tota justitia primorum parentum consistebat in illa conformitate voluntatis ad Deum: ergo sequitur, quòd quando *Adam* seductus ab *Eva*, & *Eva* seducta à serpente, comederunt fructum: tunc deviarunt à divina voluntate, & non fuerunt ei conformes: & per consequens illicò amiserunt illam justitiam, quâ erant conformes divinæ voluntati, & gratiam, quâ erant similes divinæ bonitati. Et sic fuerunt privati illâ justitiâ & gratiâ; & per consequens facti sunt injusti, & odiosi Deo. Et per consequens fuerunt privati omnibus supradictis donis consequentibus illam originalem justitiam & gratiam: immò incurrerunt sententiam mortis eis comminatam: & incurrerunt septem mala, supradictis septem donis opposita & contraria. Nam primò, incurrerunt exilium ab illo terreno & felici paradiso, ubi habebant omnem libertatem: ex quo exilio incurrerunt necessitatem moriendi, & omnes miserias corporales & actuales patiendi: & illicò fuit inflictus morbus fomitis, & libidinis, & concupiscentiæ in carne, & caro insurrexit adversus spiritum, & anima perdidit imperium supra corpus, & illicò fuit victa & superata à carne & sensualitate, & tali concupiscentia. Et super omnia supradicta, incurrerunt odium & iram Dei: & facti sunt debitores divinæ sententiæ: & per consequens perdiderunt futuram felicitatem promissam, & condemnati sunt ad pœnam temporalem continuam in corpore, patiendo supradictas miserias, & ad pœnam æternam animæ in futuro.

Nota: de imperio intellige politico.

Ex supradictis patet primò, quòd mors & miseriæ corporales, & cætera mala, quæ incurrerunt primi parentes ex peccato, non possunt dici mala naturalia, sicut dicebant *Pelagiani*: quia non fuerunt concreata cum *Adam*; immò per gratiam fuit creatus cum immunitate omnium istorum, & cum donis oppositis, ut dictum est: sed ista mala fuerunt eis inflicta in pœnam illius peccati: Ergo jam non debent dici mala naturalia, sed pœnalitates illius peccati, & effectus ejus.

Adam cũ Eva triplici debito obligabatur.

Secundò sequitur: quòd *Adam* cum *Eva*, triplici debito fuit obligatus. Primò ad recuperandum illam originalem justitiam cum suis donis, quæ gratis acceperat à Deo, pro se & suis posteris. Secundò, mansit debitor, & obligatus ad perferendam divinam sententiam sibi comminatam, & ad patiendum septem damna supradicta. Tertiò, fuit obligatus ad pœnam sensus æternam in futuro, eò quòd illud peccatum non fuit illi originale, sed personale: nam justitia benè fuit ei originalis, quia ab origine fuit ipsi largita: sed peccatum fuit per ipsum personaliter commissum, & voluntariè perpetratum. Et ideo ultra pœnam damni, merebatur pœnam æternam sensûs. Et sic patet, quòd postquam *Adam* cum *Eva*, mansit debitor supradicto triplici debito, & Deus mansit creditor: ideo semper potuit de jure exigere supradictum triplex debitum à primis parentibus, scilicet, ut redderent ei originalem justitiam cum suis donis amissam: secundò, ut paterentur omnia illa damna in præsenti: tertiò, ut paterentur pœnam sensûs æternam in inferno, post mortem. Et sic manserunt invisi, & odiosi, & abjecti, & subjecti iræ, & sententiæ Dei. Et sic dicit *Augustinus contra Julianum:* quòd *in tali debito manserunt obligati ad eis impossibile sub tali statu: quia manserunt obligati ad servandum justitiam, & observandum divina præcepta, tàm affirmativa, quàm negativa: sed hoc non poterant facere ex propriis viribus post lapsum, propter læsam libertatem, ob corruptionem naturæ, nisi per gratiam juvarentur.* Ergo obligabantur ad eis impossibile: & Deus de jure poterat exigere ab eis, quod eis propter culpam sui erat impossibile, ut latiùs videbitur *Psal.* 118.

Nota.

Nota de impossibilitate voluntaria indirectè, & in causa.

Nota de impossibilitate seclusa gratia.

Tertiò est notandum secundùm *Anselmum*, & etiam *Augustinum*, quòd *Adam* accepit illam justitiam cum omnibus donis suis pro se, & pro omnibus posteris suis: & sic obligavit se, & omnes posteros suos, ad servandum justitiam sibi traditam: & sic omnes posteri fuerunt in eo obligati. Et ideo cùm perdidit *Adam* illam justitiam, non solùm perdidit pro se, sed etiam pro omnibus posteris, & hæredibus suis: quia non potuit illam cum suis donis transferre ad posteros suos, postquam perdidit eam.

Quomodo Adã obligavit posteros.

Ex quo sequitur, quòd omnes perdidimus illam justitiam, & gratiam cum omnibus suis donis in *Adam*, & per consequens omnes fuimus obligati ad omnia damna consequentia privationem illius justitiæ perditæ in *Adam*. Et isto modo dicit *Apostolus ad Rom.* 3. quòd *omnes in Adam peccaverunt*: quia omnes in eo perdide-

runt

runt justitiam originalem cum suis donis, & omnes fuerunt in eo obligati ad pœnam damni: sicut omnes filii & posteri *Catilinæ* nobilis Romani, fuerunt cum eo damnati ad pœnam perpetui exilii, & ad privationem beneficiorum & præmiorum civium Romanorum. Et sic sicut peccatum *Catilinæ* transivit in omnes suos posteros quoad damnum; ita peccatum primorum parentum quoad damnum obligavit omnes posteros futuros. Et sic nondum eramus, & jam fuimus omnes vænumdati, & obligati ad pœnam peccati ipsius *Adam*. Et sic peccatum personale ipsorum primorum parentum transivit à persona in naturam cum omnibus damnis & pœnis. Ideo illud peccatum in nobis dicitur peccatum naturæ secundùm *Apostolum ad Rom. per tot.* & secundùm *Augustinum contra Julianum, & omnes Pelagianos*; eò quòd transivit à persona primorum parentum in naturam, & à natura in personas nostras. Et ideo dicitur in nobis originale, & non personale: eò quòd non est à persona perpetratum, sed à natura, & origine nostra contractum.

Objectio. Sed tunc arguebat *Julianus* contra *Augustinum*: nam si tale peccatum inesset nobis à natura, tunc sequeretur, quòd esset creatum cum natura, & natura esset creata à Deo mala; quod est falsum: quia *cuncta quæ fecit Deus, erant valde bona, Genes.* 1.

Responsio. Ad hoc respondet *Augustinus*, quòd „ *Julianus* æquivocat de *natura humana:* „ nam uno modo sumitur pro naturâ speciei „ ficâ, & essentiâ: alio modo sumitur pro „ totâ generatione & descendentia ipsius „ *Adam*: sicut dicitur natura *Scipionum* à „ primo *Scipione*, & natura & generatio „ *Fabiorum* à primo *Fabio*: & natura *Catilinæ* ab ipso *Catilina*, à qua tota sua „ natura & descendentia traxit pœnam exilii, & incurrit pœnam multiplicis damni. „ Primo igitur modo *natura specifica humana* fuit à Deo creata *valde bona*, perfecta in sui natura. Sed secundo modo „ tota natura & generatio & descendentia „ ipsius *Adam* per naturalem generationem in eo fuit corrupta, & ad pœnam sui „ peccati obligata: & sic dicit *Apostolus*, quòd *omnes in Adam peccaverunt* „ *&c.*

Not. quomodo illud peccatum ad nos transivit. Sed hîc est videndum primò, quomodo transivit illud peccatum per naturam ad nos? & quid transivit de illo peccato? Ex quibus videbitur, quid est propriè originale peccatum in nobis. Quantum ad primum est dicendum secundùm *Augustinum in prima parte de Fide ad Petrum*, & *ad Valerium*; & *contra Julianum*: & secundùm *Ambrosium de Verbis Apostoli*, quos sequitur *Magister*, 2. *Sententiarum*: quòd ultra carentiam gratiæ, & illius originalis justitiæ, & ultra damnum, & privationem bonorum ejus, fuit inflicta quædam corruptio & fomes inordinatæ concupiscentiæ, & fœditatis libidinis in membris primorum parentum, sine qua libidine nullus potest exercere actum generationis: & sic generatio hominis, quæ antè fuerat homini collata cum benedictione ante peccatum, posteà non potuit exerceri absque fœditate libidinis. Et sic dicit *Augustinus*, quòd non facit homines in peccato nasci sola generatio, sed fœditas libidinis, per quam generationem libidinosam inficitur materia utriusque, scilicet, viri & fœminæ: quia non solùm inficitur menstruum mulieris, ex quo fœtus formatur, sed etiam spiritus prolifici & generativi, qui formant fœtum in matrice. Et sic tota illa caro, & fœtus manet corruptus, & morbidus illo fomite, ex *Adam* successivè in carnem omnium immisso & translato: in qua quidem carne & fomite dicitur esse peccatum primorum parentum seminaliter, sicut mors in arsenico, & ignis in silice: sed per consortium peccatum ipsius *Adam* contrahitur à carne formaliter in anima, ut dictum est; & sic translatum fuit peccatum illud à persona ipsorum primorum parentum, in naturam & carnem, per libidinosam generationem seminaliter: sed posteà transfertur formaliter in personam & animam uniuscujusque per consortium & animationem, ut ait *Ambrosius*. Et sic dicitur transferri à naturâ in personam.

Sed est nunc videndum, quid translatum est de illo peccato ad omnes posteros? Ad hoc dicunt Sancti: quòd culpa particularis existens in anima ipsius *Adam* non transivit ad nos: quia jam fuit in eo deleta, & extincta per pœnitentiam, & fidem Christi futuri: sed transivit ad nos carentia illius justitiæ perditæ, cum suis damnis, & privatione omnium donorum, & cum debito recuperandi & rehabendi illam, & operandi per illam, & implendi divina præcepta, & cum debito subjectionis ad perferendam divinam sententiam, & ad incurrendum odium, & iram divinæ vindictæ: quia omnia ista imputantur ad damnum de jure successivo omnibus descendentibus ab illo prævaricatore: sed non incurrimus pœnam sensûs æternam, sicut *Adam*: eò quòd hoc peccatum in posteris non est à nobis personaliter perpetratum, sed ab origine & natura contractum: sed bene est inflicta illa corruptio & concupiscentia in carne, quæ sicut per consortium & solam unionem, causat culpam originalem in anima, per quam homo obligatur ad pœnam damni: ita illa corruptio in adultis causat per consensum peccatum actuale in voluntate, quod dicitur personale, per quod meretur pœnam sensûs & mortis æternam.

Ex quibus omnibus patet, quòd peccatum originale in homine, nihil aliud est, nisi carentia illius originalis justitiæ amissæ,

Quid sit peccatum originale in homine

& perditæ in *Adam* cum omnibus donis suis, & debitæ toti generationi suæ, sive naturæ: per quam carentiam obligatur ho- A mo ad damnum illius peccati, & ad recuperandum illam justitiam, & operandum secundùm ipsam: quam justitiam cum suis donis Deus exigit in carente: quæ quidem carentia constituit hominem in odio, & ira Dei. Et sic patet, quòd peccatum formaliter nil aliud est, nisi illa obligatio & debitum habendi illam justitiam, & operandi per eam; quod inest homini ex carentia illius justitiæ, quam acceptat *Adam* pro se, & omnibus suis: in cujus amissione manserunt omnes posteri obligati, & in odio, & ira Dei constituti, debitores, & rei pœnæ: sicut dicit *Virgilius* in *primo Æneidos de Trojanis* & *Junone:* quòd in *Junone* B

—Manet altâ mente repostum
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ,
Et genus invisum, & rapti Ganymedis honores.

Et sic patet, quòd ista culpa originalis de se est peccatum, in quantum est debitum & obligatio ad pœnas damni ipsius primi peccati, & transgressionis actualis primorum parentum. Sed nos communiter appellamus peccatum istam carentiam justitiæ & gratiæ: & illam deformitatem, & debitum relictum in anima ex actu peccandi, quo debito Deus imputat ad pœnam peccatum quoddam factum. Et sic originalis culpa cum suis damnis, non est pœna nostri peccati, sed alterius, scilicet, ip- C sius *Adam.*

Per justitiam Deus voluit hominē liberare à peccato.

Quartò est notandum secundùm *Augustinum* 11. *de Trinitate*, quòd licèt Deus ex potentia potuisset superare diabolum, & remittere, & liberare hominem à peccato, tamen hoc voluit facere per justitiam: scilicèt, quòd aliquis satisfaceret pro illo peccato, & omnibus aliis, quæ ex illo perpetrantur: sed quia nullus filius naturalis ipsius *Adam* hoc potuit facere, cùm omnes essent obligati secundùm naturam in illo, ad pœnas ipsius peccati, & tota natura & generatio esset in ira Dei propter illud peccatum: oportebat ergo ut talis satisfactio fieret per aliquem hominem de specie humana, liberum non solùm in persona, D sed etiam in natura non obligatum illi peccato. Et ideo voluit Deus mittere Verbum suum, ut sumeret carnem ex *Adam*, non per generationem naturalem, sed opere Spiritus sancti, ne obligaretur illi peccato in persona, nec in natura, in qua posset pro omnibus peccatoribus pati, & satisfacere, & offerre Deo gratum & validum sacrificium pro omnibus, ut Deus acciperet mortem corporalem illius pro omni morte corporali, & spirituali, & æterna omnium hominum, ne illud peccatum cum omnibus sequentibus maneret impunitum. Et sic Deus statuit à principio, non remit- E tere illud peccatum & debitum, nisi per unum solum Christum Mediatorem: hoc est, per pretium & merita passionis illius. Et sic nullus potuit ab illo & cæteris peccatis liberari, nisi cui Christus voluit gratiam & merita suæ passionis communicare, & suæ passionis participem facere: per quam gratiam & merita voluit Christus suos Fideles justificare, & in gratiam Patris restituere. Et sic loco illius originalis justitiæ & gratiæ perditæ in *Adam* data est Fidelibus gratia & justitia Fidei Christi, ad justificandum, & gratificandum eos. Et sic sicut *Adam* communicando suum peccatum, omnes posteros infecit, & à Deo separavit, & maledicto iræ Dei subjecit: ita per oppositum, Christus communicando suam gratiam, omnes Fideles sanctificavit, & Deo Patri reconciliavit. Item, sicut *Adam* transtulit suum peccatum in carnem seminaliter; sed ex carne transfertur illud peccatum in animam, ut dictum est: ita pariter Christus, qui est *secundus Adam*, influit vertutem & merita suæ passionis, quasi seminaliter in Sacramenta Ecclesiastica: & ex Sacramentis, sive per sacramenta virtus & merita passionis Christi, transferuntur in animam: unde *accedens verbum ad elementum, fit sacramentum*, continens quasi seminaliter gratiam, & merita passionis Christi: sed tangens Baptismus carnem, abluit mentem, & remittit debitum, & peccatum: non quòd illa aqua conferat gratiam, sed quia cùm aqua tangit corpus, illicò Deus creat, & G infundit gratiam sanctificantem & gratificantem animam, & purgantem eam à peccato, si insit; & sic reconciliat hominem Deo. Et sic patet, quòd sicut *Adam* transtulit peccatum suum per generationem naturalem & libidinosam in omnes posteros: ita Christus transfert suam gratiam & justitiam in omnes suos Fideles, per regenerationem spiritualem, & Ecclesiastica sacramenta, licèt sit aliqualis differentia, in quantum hîc creatur nova gratia à Deo immediatè, prout alibi declaratur.

Nota.

Est tamen advertendum, quòd Christus non arctatur, nec alligatur ad conferendam gratiam suæ passionis, per sola Ec- H clesiastica sacramenta: nam multos gratificat & sanctificat per latentem infusionem gratiæ, & internam & invisibilem illustrationem, ut patet de inspirato, veniente ad Baptismum, qui moritur in via: quia talis ex solo desiderio Baptismi sanctificatur & gratificatur per *Baptismum flaminis*, & latentem sanctificationem. Et ita sanctificavit & justificavit *Abraham* per Fidem Christi futuri ante Circumcssionem. Item, nec Christus arctatur ad sanctificandos homines in determinato tempore & ætate, sicut sanctificavit *Joannem Baptistam*, antequam nasceretur. Item nec Christus arctatur

tur ad sanctificandum hominem in statu determinato: quia non solùm potest sanctificare hominem post creationem & animationem, sed simul potest ipsum creare & sanctificare per gratiam, sicut animam *Adam* creavit simul cum gratia. Et sic potest sanctificare quem voluerit in principio sui esse, & simul animam creare, & in creando sanctificare, & in carnem infundere; & hoc absque omni contradictione, ut patebit. A

Effectus sanctificationis.

Sed est videndum, quem effectum facit talis sanctificatio, sive sit Baptismalis, sive invisibilis absque Sacramento. Ad quod dicendum, quòd principalis intentio Sacramenti est sanctificare, & gratiam conferre, & gratificare apud Deum; & si ibi est culpa, aut debitum, ab ipso absolvere. Vel possumus dicere, quòd principalis intentio Sacramenti, est, à peccato & debito per gratiam Christi liberare, & Deo reconciliare. Et ideo in Baptismo per illam sanctificationem gratiæ, remittitur debitum habendi, & recuperandi originalem justitiam, & gratificatur baptizatus, & fit dignus & meritorius vitæ æternæ: & per consequens absolvitur ab ira & odio Dei. Nam sicut antè erat odiosus & invisus Deo, posteà per sanctificationem gratificatur, & fit Deo gratus & acceptus; sed non absolutus à pœnalitatibus, & damnis, nec à fomite & concupiscentia ex vitio carnis, nec à necessitate moriendi & patiendi: quia omnia ista manent post Baptismum. Et ideo dicit *Augustinus*, quòd *ista concupiscentia cum cæteris pœnalitatibus non aufertur per Baptismum, ut non insit in carne, sed ut non imputetur ad peccatum, nec ad pœnam æternam talis existentia, & permanentia pœnalitatum.* Item, per Baptismum non aufertur obligatio ad observandam legem justitiæ, & observanda divina præcepta: quamvis sit homini impossibile sine gratiâ, manente tali concupiscentia & fomite & corruptione in carne, & manente libero arbitrio claudicato & vulnerato, prout patebit *Psal.* 118. B C

Nota benè.

Ex quo patet, quòd per Baptismum gratus, & per sanctificationem sanctificatus tantum absolvitur à debito habendi & recuperandi illam originalem justitiam cum suis donis: & absolvitur à pœnâ damni æternâ, & ab ira & odio Dei; & gratificatur ad vitam æternam consequendam. Est verum quod præter gratificationem ad vitam æternam, & absolutionem à debito naturæ, quibusdam communicavit Christus aliqua præmia perdita in *Adam*. Nam Apostolis communicavit septem dona gratiarum; & Martyribus donum fortitudinis; & *Apostolo Paulo* concessit gratiam ad resistendum stimulo carnis. Et præ cæteris in *Virgine* totaliter extinxit fomitem libidinis, & concupiscentiæ omnis inordinati appetitus, in tantum quòd non potuit peccare mortaliter, nec venialiter: quia nulla fuit pugna interior: licet in ea manerent quædam pœnalitates ad merendum, & exercitium virtutum, sicut dolor compassionis, & famis, & mors &c. quæ omnia ista fuerunt in ea instrumenta merendi, ita quod non fuerunt incitamenta peccandi. Et sic patet, qualiter Christus multis modis potest suam gratiam membris suis communicare, tanquam *Caput* & *Redemptor*. Et sic patet, qualiter licet sanctificatio facta in Baptismo, vel quovis alio modo, absolvat à debito habendi illam originalem justitiam cum suis donis; tamen non recuperat omnia illa præmia perdita in *Adam*, ut patet intuenti. Verumtamen licet Baptismus, vel sanctificatio non absolvat, nec tollat præfatas pœnalitates, nec recuperet illa præmia de præsenti in actu; tamen facit hominem dignum & meritorium in habitu, ut absolvatur in novissimo die ab omni miseria & pœnalitate corporali, per futuram gloriosam Resurrectionem. D E F

Pœnalitates quare in nobis remanent?

Causas autem quare voluit Christus, ut istæ pœnalitates in nobis post Baptismum manerent, assignat *Augustinus* 13. *de Civitate*, *cap.* 4. dicens, quòd *hoc factum est propter majus bonum nostrum.* Primò, quia si per Baptismum fuissent nobis ablatæ istæ pœnalitates: nulla esset pugna, nec instrumenta merendi; & sic nulla fuisset corona Martyrum, nec Confessorum, nec Virginum, nec Justorum. Secunda causa fuit, quòd si per Baptismum homines efficerentur immortales & impassibiles, tunc omnes currerent ad Baptismum, non propter futuram felicitatem, sed propter præsentem utilitatem: & sic tolleretur meritum Fidei, & Spei, & Charitatis. Tertia causa est, quia sic nulla posset fieri reparatio Angelicæ ruinæ, quæ non potest reparari, nisi per magnam violentiam, & merita excedentia humanam facultatem, scilicet, per martyrium, & heroicos labores, ut homines fiant pares & æquales Angelis qui ceciderunt, & mereantur possidere mansiones illorum, quas isti per superbiam & inobedientiam perdiderunt. Et sic patet quid aufertur in Baptismo, & quare relictæ sunt nobis tales passiones & pœnalitates: nempe propter causas prædictas. G

Quomodo Christus potuit Mariam ab originali præservare.

His habitis, ponitur *prima conclusio*, scilicet, quòd absque omni conditione Christus potuit Virginem Matrem suam, non solùm à peccato actuali, sed etiam ab originali præservare. Ista conclusio probatur; primò, in quantum Deus est creditor: nam omnis creditor potest dimittere debitum debitori ad libitum quandocumque, & cuicumque voluerit: sed Deus est creditor respectu totius humanæ naturæ: quia *Adam* cum tota natura sua, remansit debitor post peccatum. Ergo Deus potest absolvere à H

jugo

jugo servitutis & obligationis, & libertate donare quamlibet personam istius humanæ naturæ, & debitum servitutis & reatûs eidem remittere; & hoc in quolibet statu, & ætate, & tempore illius personæ. Et sic non solùm potest remittere tale debitum naturæ post nativitatem, sicut dimittit nobis per Baptismum; & ante nativitatem, sicut remisit *Hieremiæ*, & *Joanni Baptistæ* in utero matris; sed etiam potuit Deus aliquem absolvere à tali debito humanæ naturæ, & liberare in sua conceptione & animatione: & sic potuit absolvere Matrem suam in primo instanti suæ creationis, & animationis: & per consequens in tali casu debitum naturæ humanæ, & jugum servitutis peccati *Adam* non transivit in personam *Virginis*: & sic Deus potuit in quantum creditor præservare *Virginem Mariam* ab originali peccato naturæ. Et hoc potuit Deus facere absque contradictione, & præjudicio, & derogatione juris servitutis, & obligationis, quod habet supra totam humanam naturam propter peccatum *Adæ*.

Nam hoc potest facere quilibet dominus temporalis, habens jus servitutis super naturam alicujus delinquentis, vel quem acquisivit jure belli: quia retinendo sibi jus super totam generationem & naturam illius, potest liberare aliquam personam in principio sui esse, & absolvere à jugo servitutis naturæ; & potest facere, ut jugum servitutis naturæ non transeat in personam, si libertate donat eum in sua conceptione, & ante conceptionem. Unde si *Assuerus* dedisset libertatem *Esther*, quæ erat de filiabus captivitatis, in sua conceptione, sicut liberavit eam in quintodecimo anno; tunc jugum servitutis naturæ Judæorum non transisset in personam *Esther*. Et sic præservasset eam in persona à jugo captivitatis: Ergo à fortiori Deus in quantum creditor totius humanæ naturæ, potuit *Virginem Mariam* in persona præservare à debito peccati, & onere naturæ ipsius *Adæ*, ne transiret in ejus personam.

Figura de Esther.

Item, ad hoc etiam potest induci unum singulare & accommodatum exemplum. Nam dictum est *Psal.* 13. & in plerisque locis, quòd sicut tota humana generatio peccavit, & fuit obligata in *Adam*, ad sententiam, & pœnam illius peccati: ita pariter tota natura, sive generatio Judæorum modernorum peccavit, & fuit obligata, non solùm ad servitutem spiritualem peccati, sed & ad perpetuam servitutem temporalem in crucifixoribus Christi, quando dixerunt: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Et sic ubicumque habitant hodie, sunt servi dominorum, & regum, & principum mundi naturaliter: ut patet in tota *Hispania*, & *Germania*, & *Italia*, & multo magis inter *Saracenos*. Sed est talis lex inter Christianos, quòd quandocumque aliquis Judæus baptizatur, non solùm absolvitur à servitute peccati spirituali per Baptismum, sed etiam à servitute domini temporalis, cui erat obligatus secundùm naturam. Unde sicut utraque servitus transivit à natura in personam illius Judæi per carnalem generationem: ita fuit ab utraque servitute liberatus per spiritualem regenerationem Christi. Item, si ille puer Judæus fuisset baptizatus in utero Matris ante nativitatem, pariter fuisset liberatus ab utraque servitute. Item ulterius, si ille puer potuisset baptizari in primo instanti suæ creationis & animationis, tunc manifestum est, quòd ille talis per talem Baptismum præservaretur, non solùm ne servitus naturalis & temporalis transiret in ejus personam, sed nec servitus peccati: & sic per gratiam præservantem liberaretur ab utraque futura servitute, cui erat obligatus secundùm naturam in *Adam*, & crucifixoribus Christi. Et sic est dicendum, quòd nec servitus naturæ Judaicæ causata in crucifixoribus, nec servitus peccati humanæ naturæ causata in *Adam*, transiret, nec esset translata in personam illius Judæi.

Inductio per exemplum.

Cùm ergo sanctificatio Spiritus sancti sit possibilis fieri in utero matris, ut patet de *Hieremia* & *Joanne Baptista*, per quam sanctificationem fuerunt liberati à servitute peccati, & à debito naturæ ipsius *Adam*: Ergo per talem latentem sanctificationem Spiritus sanctus potuit sanctificare *Virginem Mariam* in primo instanti sui esse: & per consequens Deus potuit simul animam creare & sanctificare. Et sic debitum, & peccatum, & servitus naturæ, nunquam potuit transire in personam *Virginis Mariæ*: & per consequens licèt fuerit obligata in natura; tamen nunquam in persona. Quia omnes peccasse in *Adam*, nil aliud est, nisi nos omnes in eo fuisse obligatos & venundatos, ut inquit *Augustinus* in lib. *Hypognosticon*, & 2. *de Baptismo Parvulorum.*

Secundò hoc potuit facere Christus, in quantum Deus: nam absque omni contradictione juris obligationis, quod habet super humanam naturam, potuit gratiam suam communicare Matri suæ per præviam sanctificationem in primo instanti sui esse. Nam sicut justificavit *Joann. Baptist.* post animationem, potuit sanctificare *Matrem* suam in animatione, simul creando animam, & sanctificando, & infundendo gratiam: & sic peccatum, & debitum, & obligatio naturæ non transivit in personam: & sic potuit eam à peccato originali præservare. Item, non solùm animam in sua creatione, sed potuit sanctificare carnem *Virginis* ante animationem, & ab omni fomite purgare: & sic illa caro non potuit animam interficere, ut dictum est.

Arguitur.

Et si dicitur, quòd illa caro non erat capax gratiæ: ergo non potuit sanctificari ante ani-

Reſponſio animationem. Ad hoc reſpondetur, quòd illa ſanctificatio carnis non oportuit quòd fieret per gratiam gratificantem ; ſed per A virtutem Spiritus ſancti purgantem, & purificantem illam carnem, & extinguentem fomitem in ea : ſicut per virtutem Spiritus ſancti exorcizatur oleum, & conſecratur in chriſma : & ſicut conſecrantur altaria & reconciliantur Eccleſiæ pollutæ, & cætera inanimata : ita Chriſtus voluit purificare illam carnem, ut abſque omni ſorde in ea anima crearetur, & ne à carne fœdaretur. Sed ultra hoc oportuit, illam animam in creando ſanctificari per gratiam gratum facientem : ut eſſet Deo grata, & accepta. Et ſic ſicut ſanctificatio carnis, non fuit gratiæ infuſiva, ſed à fomite purgativa : ita ſanctificatio animæ non fuit peccati purgativa, quia nullum erat : ſed fuit gratiæ infuſiva, & gratificativa, & ab omni peccato B præſervativa : quia illa anima ſimul fuit ſanctificata, & creata, & in gratia confirmata : quæ quidem gratia præſervavit ab omni malo, & confirmavit in omni bono.

Decens fuit quod Chriſtus Matrem ab originali præſervaret. *Secunda concluſio* : quòd decens fuit, ut Chriſtus *Matrem ſuam*, non ſolùm ab actuali, mortali, & veniali, ſed & ab originali præſervaret : & hoc in quantum ipſa erat futura *Mater Dei*, & tabernaculum & templum Dei. Hanc concluſionem probat *Anſelmus*, *lib. de Conceptu Virginali*, dicens: quòd *decebat ut illa virgo tali puritate niteret, quâ ſub cœlo major nequit intelligi* : & per conſequens ſi hanc puritatem C non habuiſſet, major puritas poſſet intelligi.

Chriſtus tenebatur Matrem præſervare. *Tertia concluſio* : quòd Chriſtus debuit, & tenebatur *Virginem Mariam* ab originali præſervare, in quantum *Filius*. Probatur : nam omnis filius debet, & tenetur honorare matrem, quantum poteſt, & decens eſt : ſed Chriſtus hoc potuit facere in quantum Deus, & in quantum conditor, ut probatum eſt per *primam concluſionem* : & hoc fuit decens, in quantum ipſa erat *Mater Dei* futura, ut patet per *ſecundam concluſionem* : & debet, & tenetur facere in quantum Filius : Ergo ſequitur, quòd ipſam ab originali præſervavit. D

Item Chriſtus hoc tenebatur facere in quantum *Legislator* : nam legislator prius debet facere, quam docere, ut exemplo ſui cæteri ſervent leges ab eo latas : ſed Chriſtus Legislator utriuſque Legis, dedit præceptum de veneratione parentum : ergo ſervavit illud : quia *non venit legem ſolvere, ſed adimplere*, *Matth.* 5. Et ideo hanc legem de facto ſervavit : quia *erat ſubditus illis*, *Lucæ* 2.

Item Chriſtus in omnibus *cœpit facere, & docere*, ut patet *Act.* 1. Ergo inter cætera, hoc præceptum adimplevit præſervando *Matrem ſuam* ab omni peccato, non ſolùm actuali, mortali, ſed etiam veniali, & originali.

E Item omnes illæ rationes quas adducit *Auguſtinus* in libello *de Aſſumptione Virginis* probando, corpus Virginis non fuiſſe incineratum in ſepulchro, ſed ad gloriam in brevi ſurrexiſſe, quæ pro majori parte procedunt de honore parentum ; magis probant hoc propoſitum, quàm illud. Ex ſupradictis infertur corolaria concluſio pro confirmatione ſupradictæ poſitionis: quòd Chriſtus de facto præſervavit *Matrem ſuam* ab originali, poſtquam hoc potuit, & fuit decens, & debuit facere, ut probatum eſt.

Objectio. Sed poſſet aliquis inſtare : quia multa poteſt Deus quæ eſſet decens facere ad oſtendendam ſuam potentiam & bonitatem, quæ tamen non facit ; ſicut creare F plures mundos, & omnes homines prædeſtinaſſe ad gloriam : quòd tamen non fecit.

Reſponſio Ad hoc reſpondetur : quòd licet ſupradicta Deus potuiſſet facere : tamen non tenebatur, nec obligabatur facere ; ideo non fecit : ſed ſemper eſt aſſerendum, quòd Chriſtus fecit & complevit omnia quæ potuit, & decuit, & debuit, & tenebatur facere. Nam ſi quis non facit quod poteſt, & decet, & tenetur facere : putà, ſi dives non dat eleemoſynam, & filius non veneratur parentes &c. hoc non accidit, niſi ex aliqua paſſione impediente, putà, ex G avaritia &c. ſed nulla fuit paſſio, nec aliquid hujuſmodi impediens ad bonum in Chriſto : Ergo fecit omnia quæ debuit, & tenebatur facere : Ergo *Matrem* abſque præjudicio ſuæ legationis præſervavit & honoravit.

Opinio Auguſt. *Quarta concluſio* : quòd *Virgo Maria* fuiſſet præſervata per gratiam ab omni peccato, non ſolum actuali, mortali, & veniali, ſed etiam originali, fuit de mente *Beati Auguſtini*.

Pro cujus probatione eſt advertendum: quòd cùm *Pelagiani* negarent, peccatum *Adæ* cum ſuis damnis & onere, fuiſſe in omnes poſteros ſuos translatum ; & negarent, nos omnes traxiſſe originale peccatum ex carne & natura corrupta ipſius H *Adam* ; & aſſererent, quemlibet hominem ex viribus propriæ naturæ, & per ſolum liberum arbitrium, abſque ſpeciali gratia, poſſe omne peccatum vitare, & divina præcepta adimplere : tunc *Beatus Auguſtinus*, zelo Catholicæ Fidei compulſus, inter cæteros Tractatus fecit libros *de Baptiſmo parvulorum contra Pelagianos* : in quibus probat, neminem eſſe liberum ab omni peccato, ſcilicet, actuali, mortali, aut veniali, aut originali, præter unum ſolum Chriſtum Mediatorem, eò quòd *ſolus inter mortuos liber*, non ex opere *Adam* conceptus, nec natus. Sed cum poſtea *Pelagius* arguiſſet contra *Auguſtinum*, adducens

cens, & memorans complures in veteri Testamento, & novo, quos Sacra Scriptura justos appellat, sicut fuit *Abel*, *Enoch*, A *Noe*, *Melchisedech*, *Abraham*, *Isaac*, *Jacob*, *Moyses*, *Job*, *Josue*. Ad hoc respondet *Augustinus* in lib. *de Natura & Gratia*: quòd licet omnes illos appellet justos Sacra Scriptura, ob ingentes virtutes; tamen aliquando fuerunt in aliquo peccato actuali, aut veniali, aut originali: & si aliquando vitarunt peccata actualia, hoc non fuit ex propriis viribus, sed ex speciali gratiâ præveniente & præservante. Sed cum rursus *Pelagius* memoraret *Zachariam*, & *Simeonem*, & *Annam Prophetissam*, & *Joseph* Sponsum Virginis, & *Joannem Baptistam* in utero sanctificatum, quos omnes Euangelica justos commendat authoritas, & sine peccato, & innocentes, de quibus dicitur *in Apocal.* B quòd *hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: & sine macula sunt ante thronum Dei &c.* Ad hoc respondet *Augustinus*, quòd omnes illi licet per gratiam fuerint præservati à peccato actuali; tamen non fuerunt absque omni peccato saltem originali. Sed cùm tandem *Pelagius* memoraret *Virginem Mariam Matrem Christi*, cui dictum est per Angelum *gratiâ plena &c.* „ Ad hoc respondet *Augus-* „ *tinus*, in eo, *lib. de Natura & Gratia*: „ quòd hac Virgine exceptâ, si omnes su- „ pradicti, & omnes sancti, & sanctæ con- „ gregari possent, & quæreretur ab eis, „ an peccatum haberent? quid possent res- „ pondere, nisi quod *Joann.* ait: *Si dixe-* „ *rimus quòd peccatum non habemus, nos-* „ *ipsos seducimus, & veritas in nobis non* C „ *est*? Ex quibus patet, quòd *Augustinus*, „ asserit, *Virginem Mariam*, non solum ab actuali, sed ab originali fuisse immunem: nam ipse comparat ipsam *Joanni Baptistæ*, qui nunquam peccavit actualiter: & innocentibus, qui non solum non peccaverunt actualiter, sed nec venialiter. Comparat etiam eam omnibus sanctis, quorum quidam fuerunt similes innocentibus, & non habentibus, nisi tamen originale, & dicit, nullum illorum fuisse sine peccato præter *Virginem Mariam*. Ergo asserit ipsam immunem ab originali.

Modus præservationis. Sed modum per quem *Maria* fuit præservata, exprimit *Augustinus*, cùm subdit: *Propter honorem Domini, cùm de peccatis agitur, de Virgine Maria nullam prorsus intendo mentionem agere: sci-* D *mus enim tantum gratiæ ad vincendum ex omni parte peccatum illi fuisse collatum, quòd illum meruit parere, quem constat nullum habuisse peccatum.* Ex quibus verbis asserit *Augustinus*, quòd Christus volens honorare *Matrem*, voluit illi conferre gratiam præservantem *ad vincendum ex omni parte peccatum*, scilicet, tàm à parte ante originale, quàm à parte post actuale, & à dextris & sinistris veniale: & E per consequens fuit præservata non per naturam, sed per gratiam ab omni peccato, quia omne peccatum vicit.

Sed hoc magis confirmat *Augustinus*, & exprimit *in* 2. *Serm. de Nativitate* ejusdem *Virginis*, ubi allegando illud verbum Angeli, *gratia plena &c.* dicit: quid jus- „ titiæ, quid sanctitatis hæc Virgo indige- „ re potuit, quæ efficacis ad omnia gratiæ „ plenitudinem accepit? aut quis unquam „ in ejus anima vel corpore locus potuit „ inveniri peccati, quæ ad instar cœli con- „ tinentis omnia, templum Domini est ef- „ fecta? hæc est domus, de qua per *Sa-* „ *lomonem* dicitur: *Sapientia ædificavit si-* „ *bi domum*: hanc profecto domum divina „ sapientia ædificavit, de qua carnem assu- F „ meret; cui nullus Patriarcharum, nullus „ Prophetarum est conferendus. Nec mi- „ rum, si hæc *Virgo* puritate cunctorum „ celsitudinem transcendit mortalium, cum „ partu omnium merita excedat Angelo- „ rum.

Item magis exprimit hoc *Beatus Hieronymus* super illud *Psalmi* 77. *Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis*, ubi dicit *Hieronymus*, quòd *per illam nubem possumus intelligere sanctam Mariam: illa enim nullo humano pondere prægravata, semper fuit in die, & nunquam in nocte; & semper in luce, & nunquam in tenebris.* Ex quo patet, quòd tàm de mente *Hieronymi*, quàm *Augustini* fuit, quòd *Virgo Maria* non solum ab actuali, mortali, & veniali, sed etiam ab originali peccato fuit per gratiam præservata: nam *Augustinus* dicit, quòd *nul-* G *lus præter ipsam potuit dicere, nullum habuisse peccatum*: quòd *vicerit ex omni parte peccatum*: & quòd *nunquam in ejus corpore, vel anima locus potuit inveniri peccati.* Beatus vero *Hieronymus* dicit, quòd ipsa *nunquam fuit in nocte peccati, semper in die gratiæ, & nunquam in tenebris, sed in luce*: Ergo ab omni peccato fuit præservata.

Objectio. Sed si arguatur contra: quia *Augustinus* probavit *in* 2. *de Baptismo Parvulorum*, neminem esse liberum à peccato, præter Christum &c:

Differentia inter liberũ & liberatum. Ad hoc respondetur: quòd differentia est inter *liberum*, & *liberatum*. Nam *liber* respicit personam & naturam simul: & sic solus Christus est *inter mortuos li-* H *ber*: quia nec fuit obligatus in persona, nec in natura in *Adam*. Et hoc probat ibi *Augustinus*, sed quia *Virgo Maria* fuit obligata in natura; sed fuit *liberata* per gratiam prævenientem in persona: ideo non potest dici *libera*, sed *liberata*: & hoc probat ista positio secundùm mentem *Augustini*, & *Hieronymi* in locis præallegatis. Et hæc de ista positione.

Sed nunc restat respondere ad authori-

Responsio. ad primã.

ritates & rationes in principio adductas. Ad primam ergo, quando dicitur, quòd *omnes filii Adam corrupti sunt.* Respondetur, quòd David ibi non intendit dicere, nisi quòd *Adam* peccante, tota natura humana, id est, sua generatio, fuit in eo corrupta: quam corruptionem transmisit *Adam* in suos posteros per libidinosam generationem: quæ quidem caro libidinosa per suum contactum, causat culpam originalem in anima, & per consensum causat omnia scelera in voluntate, quæ in illo Psalmo denotantur: quam quidem corruptionem & sententiam *Adam* non potuit transferre in Christum: eò quòd non ex opere *Adam* natus est. Et sic solus Christus fuit liber ab illa sententia, & ideo solus Christus potest eos liberare ab illa sententia, ut concluditur in illo Psalmo, scilicet, *quis dabit ex Sion salutare &c?* Et ideo multos liberavit Christus per gratiam prævenientem ab effectu illius sententiæ. Nam *Joannes Baptista*, & *Euangelista*, & *Virgo Maria*, & multi viri sancti nunquam commiserunt illa scelera, quæ memorantur in illo Psalmo: eò quòd fuerunt liberati per gratiam prævenientem, ne inciderent in illa scelera per consensum voluntatis. Ita ergo pariter *Virgo Maria* fuit liberata per gratiam prævenientem, & sanctificantem, & gratificantem animam, ne contaminaretur à carne, & per virtutem Spiritus sancti sanctificantem carnem ante animationem, ne inficeret animam per consortium, prout dictum est. Et sic patet, quòd illa authoritas non intendit dicere, nisi quòd natura humana taliter fuit corrupta in *Adam*, quòd nisi liberarentur per gratiam, omnes perpetrarent illa scelera in illo Psalmo memorata.

Ad Apostolum.

Ad authoritates *Apostoli* dicendum: quòd quia conversi ex Judaismo gloriabantur de sua natura, eò quòd erant ex natura *Abrahæ*, & *Jacob* secundùm carnem, per quam naturam putabant salvari contemnentes gratiam Christi: ideo *Apostolus* per totam *Epistolam ad Romanos*, & *ad Galathas* dicit, quòd nemo glorietur, nec confidat de natura sua carnali: quia tota natura carnalis fuit corrupta in *Adam*: quia *omnes in eo peccaverunt*, id est, omnes fuerunt obligati sententiæ utriusque mortis datæ in *Adam*: quia *Adam* quando peccavit, omnes obligavit ad sententiam sui peccati: & sic antequam nascantur, & concipiantur omnes filii naturales ipsius *Adam*, jam sunt obligati illi sententiæ secundùm naturam: à qua sententia nemo potest liberari in persona, nisi per gratiam Christi, aut prævenientem, aut subsequentem: de qua sententia fuit liberata *Virgo Maria* in persona per gratiam prævenientem, & præservantem ab effectu illius sententiæ, prout dictum est.

Et ideo non valet ista Consequentia: *Virgo Maria* cum cæteris peccavit in Adam: Ergo habuit peccatum originale in anima: quia arguitur à natura ad personam. Nam Antecedens non asserit, nisi quòd *Virgo Maria* fuit obligata in natura, & secundùm naturam in *Adam*. Sed cum postea infertur: ergo habuit peccatum originale: negatur consequentia: quia variatur suppositio de natura ad personam: quia antecedente existente vero, consequens est falsum; eò quòd peccatum naturæ non transivit ad personam, propter gratiam prævenientem, & sanctificantem.

Omnes in Adã moriuntur.

Ad aliam cum dicitur, quòd *sicut in Adam omnes moriuntur &c.* Respondetur, quòd ista authoritas declarat omnes alias juxta intentum hujus propositi: nam manifestum est quod passio & gratia Christi sufficiens est de se ad salvandum & vivificandum omnes à peccato: sed talis gratia non transivit in multos, non ex defectu gratiæ, sed ex impedimento obicis malitiæ multorum Judæorum, & aliorum infidelium. Ita ergo pariter peccatum ipsius *Adæ* sufficiens fuit ad corrumpendum & inficiendum & obligandum omnes de se: sed illa sententia, seu effectus illius sententiæ, non potuit transire personaliter ad quosdam propter impedimentum gratiæ prævenientis, & præservantis. Et ideo sicut gratia Christi præservavit *Joannem Baptistam*, & multos alios personaliter, ab omni peccato actuali: ita præservavit *Virginem Mariam*, non solum ab actuali, mortali, & veniali, sed etiam ab originali, prout dictum est.

Ad Aug.

Ad primam authoritatem *Augustini* dicendum, quòd *Augustinus* in libris *de Baptismo Parvulorum*, & *de Perfectione justitiæ hominis*, & *de Natura & Gratia*, & *contra Julianum*, & in omnibus libris *contra Pelagianos* nil aliud intendit probare, nisi quòd à peccato & sententia ipsius *Adam* nemo fuit liber secundùm naturam, nisi solus Christus, qui non ex opere *Adam* conceptus est, sed omnes alii fuerunt obligati in eo secundùm naturam: de qua obligatione *nemo potest personaliter liberari*, nisi per gratiam Christi prævenientem, aut subvenientem, sicut asserit *in libro de Natura & Gratia*, quòd licet *Virgo Maria* esset obligata in natura; *tamen fuit præventa & liberata per gratiam prævenientem ad vincendum ex omni parte peccatum.* Et sic peccatum naturæ non transivit in personam.

Eodem modo respondetur ad aliam regulam vulgatam, scilicet, *firmissime tene:* nam illa regula nil aliud probat, nisi quòd *omnes filii Adam* per generationem naturalem concepti nascuntur in peccato secundùm naturam, nisi per gratiam Christi liberentur. Et sic illa regula secum importat responsionem pro isto proposito.

Item ad aliam cùm dicit, quòd *Christus assumpsit carnem ex illa peccati carne & propagine*, respondetur, quòd *Augustinus* appellat *carnem & propaginem peccati*, totam generationem & propaginem naturalem *Adam* habentem secum illam corruptionem, quæ per consortium causat originale in anima, & per consensum causat actuale in voluntate: de qua propagine concepta fuit caro *Virginis*: sed peccatum originale non transivit in animam, propter præviam sanctificationem. Et sic patet, quomodo omnes illæ auctoritates secum portant suas declarationes, & responsiones: & quomodo ista positio nullo modo derogat supradictis auctoritatibus, immò confirmat eas.

Ad rationes autem: ad primum, quando dicitur: quòd *Virgo Maria habuit carentiam originalis justitiæ*: negatur: nam *carentia* dicitur indigentia alicujus necessarii: sed *Virgo Maria* nunquam indiguit illa originali justitiâ, nec habuit debitum ejus, quia à primo instanti sui esse habuit gratiam, & justitiam Fidei Christi habitualiter, per quam fuit justificata, & Deo gratissima & accepta: sicut nos post Baptismum justificati, jam non indigemus illâ originali justitiâ perditâ in *Adam*, quia jam sumus absoluti à debito ejus.

Ad aliud dicitur: quòd idem *Augustinus* declarat ibidem *Psal.*34. qualiter mors & cæteræ pœnalitates non sunt formaliter peccatum, sed similitudo & vestigium peccati *Adam*; quarum quasdam voluit sponte Christus assumere, propter delenda peccata. Et sic dicit, quòd *Maria* non mortua est propter peccatum proprium, sed propter peccatum ipsius *Adam*; & sic *Virgo Maria* traxit etiam quasdam alias pœnalitates, ad instrumentum meritorium: sed concupiscentia fuit in ea in principio totaliter extincta, ne esset occasio peccati actualis, nec venialis, ut communiter tenetur.

Maria quomodo fuit redempta.

Ad aliam cùm dicitur: *Sequeretur quòd Virgo Maria non indiguisset redemptione, nec esset redempta*: negatur consequentia: nam in quantum erat obligata in natura, necesse erat ut liberaretur in persona per gratiam Christi. Et sic fuit liberata per gratiam prævenientem, ne peccatum naturæ transiret ad personam: & per eamdem gratiam fuit redempta, & participavit passionem Christi: eò quòd illa gratia fuit ipsi data per merita passionis Christi: quæ quidem merita communicabat & dispensabat Christus ante suam passionem: quia jam miserat Apostolos ad baptizandum per merita suæ passionis antequam pateretur: & ante incarnationem suam dispensabat merita suæ passionis, ut inquit *Augustinus*, & *Hieronymus*: quia *Christus heri, hodie*, & *cras, & in sæcula*: *ad Hebræos ultimo.*

Etiam si arguitur: quòd ea quæ sunt de jure naturæ humanæ, de necessitate transeunt in personam, & omnia individua: Ergo si talis corruptio, & peccatum est de debito & jure humanæ naturæ, transivit in personam *Virginis* &c.

Respondetur: quòd ea quæ sunt de essentia naturæ specificæ, necessariò transeunt in personam: sed talis corruptio & obligatio non est de essentia naturæ specificæ, sed de jure & debito generationis naturalis *Adam*; quæ æquivocè dicitur *natura*, prout ait *Augustinus contra Julianum*: & sic tale debitum, sicut est inflictum toti generationi naturali humanæ per culpam ipsius *Adam*: ita potest impediri, ne transeat in aliquam personam per gratiam Christi prævenientem, sicut dictum est de servo naturali, qui potest liberari à domino, non solùm in sua conceptione, sed etiam ante: & sic nunquam jus servitutis naturæ transiret in ejus personam. Verumtamen omnia ista relinquantur determinationi Ecclesiæ Catholicæ.

Psalmus XLVI.

1. *Omnes gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis.* 92. d. Inglur.

Titulus: *Ad victoriam*, sive *In finem filiis Core*, *Psalmus*. Ex Titulo, & littera hujus Psalmi apparet, quòd David prævidit in spiritu prosperitatem & ampliationem regni Christi, & universalem potestatem ejus in cœlo & in terra, & in toto populo Gentili: ideo fecit hunc Psalmum. Unde est advertendum, quòd David considerando mysterium ingressus terræ promissionis, prævidit prosperitatem regni Christi. Nam postquam *Josue* ingressus est terram promissionis, electis duodecim principibus ex duodecim tribubus, reposuit *Arcam* in *Galgalis*, sed superatis omnibus regibus, & subjecta quasi tota terra Chanaam, siluit terra à præliis. Tunc congregatis duodecim principibus cum omnibus tribubus, ducta est *Arca Domini* de Galgalis cum jubilo & tympanis, & collocata in *Silo* in monte *Ephraim*, ut patet *Josue* 18. ubi Deus dicebatur sedere in Propitiatorio, & sede sancta sua. *Nota hoc mysterium.*

In quo mysterio David tanquam in speculo prævidit in spiritu totam prosperitatem Ecclesiæ, & conversionem populi Gentilis ad Christum, & victoriam Apostolorum, qui dicti sunt: *Principes Ecclesiæ super omnem terram.* Hoc est, quomodo *verus Josue Christus Jesus* congregatis duodecim Apostolis, debebat introducere totum populum in Ecclesiam per flumen Bap- *Nota de Baptismo.*

Baptismi: quæ quidem Ecclesia fundata est super duodecim Articulos Fidei abstractos à flumine Sacræ Scripturæ: & quomodo A duodecim Apostoli superato populo Gentili, & civitatibus eorum, in medio populi Gentilis debebant collocare tabernacula Dei, & multitudinem Ecclesiarum ædificare: in quibus Ecclesiis Christus realiter sedet in Sacramento *Eucharistiæ*, & reponitur in tabernaculo & sacrario cujuslibet Ecclesiæ, ut patet manifestè: & in die *Corporis Christi* portatur Corpus Christi honorificè, cum sonitu instrumentorum musicorum, & cantu exultationis per civitates, & reponitur in sacrario.

Item prævidit, qualiter Christus erat ascensurus in cœlum, & accipere regnum Patris, & sedere à dextris ejus; & in fine B mundi qualiter erat venturus cum illis duodecim Apostolis, ad judicandum duodecim tribus Israel. Hoc ergo prævidens David, fecit hunc Psalmum: in quo inducit cœtum Apostolorum & Christianorum agentem gratias de hujusmodi victoria.

Dicit ergo cœtus Apostolorum: O vos *omnes gentes*, Christo jam subjectæ per nostram prædicationem, *plaudite* & lætamini *manibus* elevatis in cœlum, gratias agendo; & *jubilate* & canite laudes *Deo in voce exultationis.*

56. d. c. Nasci.

2. *Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.*

6. q. 1. Si omnia.

3. *Subjecit populos nobis, & gentes* C *sub pedibus nostris.*

DOminus Jesus Christus *excelsus* in dignitate, & *terribilis* in judicio, jam *subjecit nobis* omnes *populos*, & *gentes sub pedibus* & potestate nostra. Ergo ipsi debetur honor, laus, & gloria: quia illi est tradita omnis potestas à Patre. Item maximè nos Christiani conversi ex Gentibus, debemus *plaudere manibus*, & *jubilare in voce exultationis.* Quoniam

De Pœn. d. 2. c. Scio.

4. *Elegit nobis hæreditatem suam:* D *speciem Jacob, quam dilexit.*

ELegit *nobis*, & dedit nobis *hæreditatem suam*, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam: *hæreditatem*, dico, scilicet, *speciem* & pulchritudinem *Jacob*, *quam dilexit.* Quasi dicant conversi ex Gentibus: Sicut *Jacob* supplantavit *Esau*: ita nos supplantavimus *Synagogam*, & vicimus eam: & sicut *Esau* vendidit primogenituram & hæreditatem ipsi *Jacob* pro lenticulis, & *Jacob* surripuit hæreditatem: ita E *Synagoga* vendidit nobis primogenituram & hæreditatem pro rebus temporalibus; & nos facti sumus filii regni Christi, ipsis reprobatis. Et sicut Deus *Jacob dilexit*, & *Esau odio habuit*; ita Christus nos dilexit, & populum Judaicum odio habet. Et sic sumus *veri Israel*, & verè benedicti à Domino, & directi; quia videmus Deum facie ad faciem per Fidem: & sic possidemus *hæreditatem*, & *speciem* & pulchritudinem *Jacob*, *quam* Deus *dilexit.*

5. *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.* F

22. q. 2. c. In quibus. 92. d. c. 1. In glossa. & 2. q. 1. c. Scelus.

6. *Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.*

7. *Quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.*

POstquam in prima parte descripsit regnum Christi universale in hac Ecclesia, nunc in hac secunda parte ostendit, quòd Christus non solùm accepit universale regnum in terra, sed etiam *ascendit* in cœlum, & receptus est cum ingenti honore, & accepit regnum in cœlo. Et ideo dicit: Jubilate vos in terra, quoniam Christus Deus tanquam Rex universalis, *ascen-* G *dit* in cœlum cum *jubilatione* Angelorum, & tanquam verus Dominus *ascendit in voce tubæ* cœlestis in die Ascensionis. Ergo si Angeli receperunt eum in cœlo cum tanto honore; à fortiori debetis vos Gentiles psallere & jubilare, qui tanta beneficia recepistis, cùm vos in hæreditatem & regnum suum elegit, & *Synagogam* reprobavit. Ergo majorem causam habetis, ut gratias agatis cum jubilo. *Psallite* ergo vos Gentiles conversi *Deo nostro*, & cantate, & *psallite Regi nostro* Christo. Sed *psallite sapienter* cum vero cultu divino, sicut Regi Christo debetur, qui est Deus & homo: ergo ipsi debetur *Latria.* Non ergo psallatis ei imprudenter & fatuo modo, sicut ante psallebatis, & sacrificia fœda, & H abominabilia diis falsis offerebatis, motus incompositos, & falsa, & inhonesta carmina cantabatis, & maximè laudes falsas, & carmina poëtarum: Christus autem Rex noster vult *spiritum contribulatum*, & *cor contritum & humiliatum*, & sacrificium laudis, & orationes, & psalmos, & carmina Sacræ Scripturæ. Et hoc est psallere sapienter: quia diabolus princeps mundi hujus jam non regnat super gentes; sed Christus

8. *Regnabit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.*

56. d. c. Nasci, in glos.

REgnat *super gentes*, & *sedet super sedem sanctam suam* in hac Ecclesia per Ecclesiastica sacramenta, & in cœlesti per gloriam. Et jam *principes populorum*, scilicet *Apostoli*, *congregati sunt* in cœlo cum Christo *Deo Abraham*. Dicitur autem Christus *Deus Abraham*, eò quòd ipsi fuit promissus.

9. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.*

23. q. 5. c. Regum.

ISTI *principes elevati* & honorati sunt sicut *dii terræ*, & Conjudices Christi *sedentes super duodecim sedes*, *judicantes duodecim tribus Israel.* Nota etiam: quòd hæc elevatio potest referri ad descensionem Spiritus sancti factam in Apostolis. Nam forsan Apostoli in die *Pentecostes* fuerunt *elevati vehementer* usque ad tertium cœlum, sicut *Paulus*, ubi *viderunt arcana Dei*, *quæ non licet homini loqui*, prout declarabitur *Psal. 67.*

Sed ad majorem evidentiam est valdè advertendum, quòd licèt Gentiles adorarent multitudinem deorum; tamen unum adorabant & venerabantur tanquam principem, & patrem omnium deorum, scilicet, *Jovem. Jupiter* enim idem est, quod *juvans Pater*, ut ait *Cicer. lib. de Natura Deor.* cæteros autem, scilicet, *Phœbum*, & *Mercurium*, & *Martem* adorabant tanquam Deos accessorios; habentes tamen dominium in quibusdam partibus mundi, & *Neptunus* præsidebat mari, & *Juno* terræ, & *Eolus* ventis. Item isti erant principes speciales regnorum, ut *Mars* erat princeps Romanorum, *Pallas* Trojanorum, & *Phœbus Delius* Græcorum, & *Osiris*, sive *Serapis* Ægyptiorum, & *Belus* Deus Chaldæorum, & Babyloniorum. Et istis tanquam principibus offerebant sacrificia sordida & scenica: ut patet de Bacchanalibus *Bacchi*, & *Veneris* nefandis ritibus. Sed omnes isti, tàm *Jupiter*, quàm cæteri, non erant dii, sed falsa dæmonia. Nos autem adoramus *verum Jovem*, & *Patrem juvantem*, & Redemptorem, qui est Christus: & non adoramus, sed veneramur Apostolos, & Sanctos Martyres, & Confessores propter Christum: & hos constituit Christus Principes super populos & regna. Nam Principes Romanorum sunt *Petrus*, & *Paulus*, & Hispania veneratur *Sanctum Jacobum* tanquam Principem Hispaniarum: & Æthiopia *Beatum Mathæum*, qui eos convertit: & India *Bartholomæum*, & *Thomam*: & Græcia *Beatum Andream*: & Asia *Joannem*.

Nota Jovē Deum adorabāt tanquam patrē Deorum.

Dicit ergo Propheta: O vos *Gentiles* conversi, *jubilate* Christo *Deo* nostro *in voce exultationis*, quoniam ipse est *excelsus*, & judex *terribilis*, & *Rex magnus super omnem terram.* Probatur: nam ipse *subjecit nobis* omnes *populos*, & *gentes sub potestate*, & *pedibus nostris.* Item, ipse *ascendit in jubilo* tanquam Deus in cœlum. Ergo non psallatis, nec adoretis insipienter *Jovem*, & *Saturnum*, nec alios tanquam *Principes populorum*: quia illi erant dæmonia nefanda; sed adorate *sapienter* Christum verum Deum & hominem; & *psallite*, & afferte honorem *Latriæ* ipsi vero Regi nostro Christo: quoniam jam non regnat diabolus, sed ipse Christus *Deus* noster *regnabit super gentes*, & jam *sedet* in cœlo *super sedem sanctam suam* per gloriam, & in hac Ecclesia per gratiam sacramentorum. Et veri *Principes populorum* Christianorum, qui sunt Apostoli, & cæteri sancti, jam *sunt congregati* in Ecclesia, & in cœlo *cum Christo*, qui est *Deus Abraham.* Et jam sunt *elevati*, & exaltati, & venerati tanquam *dii fortes terræ*, qui non sunt dii per essentiam, sed per participationem. Et ideo non adorantur, sed venerantur propter Christum, quia fuerunt fortes in martyrio, & audacter loquentes ante reges, & præsides, cum qua fortitudine totum orbem subjecerunt jugo Christi. Ideo *Roma* veneratur *Petrum*, & *Paulum* tanquam Principes; & *Hispania Jacobum*: *Florentia* Beatum *Joannem*, & *Venetiæ*, & *Ægyptus Marcum*, & *Catharinam*; & *Francia Dionysium*: & sic quælibet Provincia veneratur suum Principem: quasi dicat, jam amplius non adoretis deos falsos, sed colite Christum ut verum Deum. Et accipiatis Apostolos, & Sanctos Christi, Principes, & devotos vestros: quia isti regnant in cœlo cum Christo, qui est *Deus Abraham*: qui propter sanctitatem & virtutem, sunt ut *dii elevati* & exaltati cum Christo in cœlo.

Et nota, quòd per istos *Principes populorum*, qui *congregati sunt cum Deo Abraham*, non solùm intelliguntur Apostoli, sed etiam Reges & Principes conversi ad Fidem de populo Gentili: quia *Abrahæ* in figura Christi facta est promissio, quòd ex eo exirent Reges, & duodecim duces, *Genes.* 17. Item, quòd in semine suo, scilicet Christo, multiplicarentur, & benedicerentur, & converterentur omnes gentes, & ad ipsum congregarentur, *Genes.* 22. Ideo ait: *Psallite sapienter Regi nostro*; quia *Reges & Principes populorum* Gentilium jam *congregati*, & confœderati

ti ſunt *cum* Chriſto *Deo Abrahæ* promiſſo, & jam *fortes terræ* ut dii elevati, & multiplicati ſunt, ut arena maris, & ſtellæ cœli, ſicut Deus promiſit *Abrahæ*. Ex quibus patet, quòd David, non ſolùm ex adeptione terræ promiſſionis, ſed magis ex promiſſionibus factis ipſi *Abrahæ*, prævidit regnum Chriſti multiplicandum ex regibus & populis Gentilium: ideo fecit hunc Pſalmum, vocando gentes, ut congregarentur ad Chriſtum, & pſallant ei, & adorent ut Deum.

Quomodo Meſsias debebat ſubjicere Reges.

Ex iſto ergo Pſalmo colligitur iſta concluſio, ſcilicet, quòd Meſſias in Lege promiſſus, per duodecim *Principes* debebat ſubjicere omnes Reges, & populos Gentiles in hæreditatem ſuam, & quod totus populus Gentilis cum principibus ſuis, erat in Eccleſia *congregandus cum Deo Abraham*; & per conſequens debebat colere Deum *Abraham*, & *Iſaac*, & *Jacob*. Hoc idem oſtenſum eſt *Pſalmo* 2. ubi dicitur: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Item *Pſalmo* 44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii: conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Item *Pſalmo* 81. *Tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Et hoc idem patet per omnes *Pſalmos*. Item hoc idem patet *Iſaiæ* 2. *Venient ad eum omnes gentes, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini.* Idem *cap.* 49. *Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ: Reges videbunt & conſurgent Principes, & adorabunt Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſrael, qui elegit te.* Item *cap.* 66. *Mittam ex eis qui ſalvati fuerint ad omnes gentes, & annuntiabunt gentibus gloriam meam &c.* Item *Hierem.* 16. *Ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem quæ eis non profuit.* Hoc idem patet *Zachar.* 8. *Venient populi & gentes robuſtæ ad quærendum Dominum exercituum in Hieruſalem, & deprecandam faciem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiſcum; audivimus enim, quoniam Deus vobiſcum eſt.* Ex omnibus ſupradictis patet, qualiter Meſſias in Lege promiſſus per ſuos diſcipulos debebat ſibi ſubjicere totum populum Gentilem: & quo modo totus populus Gentilis voluntariè erat venturus ad Fidem Euangelicam, converſus per viros Judæos, & debebat adorare Dominum exercituum, & Deum *Abraham*, & *Iſrael*, ut patet per *David*, & *Iſaiam*, & *Zachariam*, & per omnes Prophetas.

Per Apoſtolos Gentiles erant ſubjiciendi.

Chriſtus verus Meſſias.

Ex omnibus his formatur una inconvincibilis ratio ad probandum, Jeſum Chriſtum fuiſſe verum Meſſiam in Lege promiſſum. Unde arguitur ſic. Ille eſt verus Meſſias in Lege promiſſus, qui per viros Judæos ſubjecit totum populum Gentilem: per cujus fidem totus populus Gentilis venit ad colendum & adorandum Dominum Deum *Abraham*, & *Iſrael*. Sed Jeſus Chriſtus eſt hujuſmodi: Ergo ipſe eſt verus Meſſias. Major patet per ea, quæ dicta ſunt, & per vaticinia omnium Prophetarum, & per communem opinionem omnium Hebræorum. Minor autem patet manifeſtè. Nam Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam miſit duodecim Apoſtolos: & ſeptuaginta duos Diſcipulos per univerſum mundum, ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, qui per eos, & per ſucceſſores ſuos totum populum Gentilem jugo fidei ſubjecerunt, in tantum, quòd non ſolum decem homines, ſed centum & mille homines Gentiles apprehendebant fimbriam *Pauli*, qui erat Judæus, ut ſequerentur eum ad Fidem Chriſti, ſicut dicit *Zacharias*. Et ſic eſt dicendum de cæteris Apoſtolis, & Diſcipulis, qui omnes erant Judæi: per quos primò Lex Euangelica prædicata eſt. Et ſic populus Gentilis qui ante contemnebat, & deteſtabatur *Deum Abraham*, & *Iſrael*, nunc colit & adorat eum: ſicut patet manifeſtè de nobis, qui deſcendimus ex illo populo Gentili. Unde patres noſtri Gentiles colebant idola, & execrabantur Legem Moyſi, & Deum Iſrael: nos autem execramur, & abominamur idola, & ſuperſtitiones Gentilium, & defendimus Legem Moyſi & Prophetarum, & adoramus Deum Iſrael, juxta vaticinium *Hieremiæ*, & *Zachariæ* in locis præallegatis. Et eſt iſta una ratio inconvincibilis, quam Judæi negare non poſſunt: eò quòd patet per experientiam, & procedit ex conceſſis ab eis.

Psalmus XLVII.

1. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus.*

Infra 144. *& de Conſe. d.* 2. *Acceſſerunt.*

Titulus ſecundùm Septuaginta: *Pſalmus Cantici filiis Core ſecunda Sabbati.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Pſalmum, & dedit ipſum cantandum *filiis Core* cum inſtrumento muſico & voce humana: per quos *filios Core* intelligitur Eccleſia Chriſti congregata ex gentibus ad Fidem Chriſti: quæ quidem Eccleſia dicitur *Hieruſalem*, eò quòd incepit in *Hieruſalem* per Chriſtum, & Apoſtolos ſuos.

Not. quod laudes Hieruſalem ad Chriſtum referebantur.

Unde eſt notandum: quòd cauſa quare in Sacra Scriptura memoratur, & laudatur, & beatificatur illa civitas *Hieruſalem* terrena, non eſt, nec fuit, nec intelligitur propter bonitatem ſui, nec bonorum ci-

civium; quia semper pro majori parte fuerunt mali & perversi: sed Prophetæ, & antiqui laudabant eam in figura, prout figurabat veram *Hierusalem* spiritualem, scilicet, Ecclesiam *Militantem*, & *Triumphantem*, in qua est vera visio pacis. Et etiam laudabant illam civitatem propter promissa Patriarcharum, & Prophetarum, quæ in ea debebant impleri per Messiam futurum, & propter ea, quæ in ea facta sunt in figura Christi futuri. Et tales laudes semper referebantur ad Christum: quia & nomen, & situs civitatis, & ea quæ pro majori parte de ea scripta & gesta in ea sunt, figurabant Christum, & Ecclesiam suam.

Not. homo fuit formatus in Hierusalē.

Unde primò, in ea, ut dicitur, fuit primus homo formatus. Secundò, ibidem fuit redemptus per Christum. Tertiò, in ea est totum genus humanum judicandum per Christum: quia in *valle Josaphat*, quæ est juxta muros *Hierusalem*, inter eam & montem Oliveti; ut ubi Christus dedit Legem, ibidem judicet prævaricatores Legis. Ideo hæc civitas pluribus nominibus nuncupatur. Unde dicitur, quòd *Sem* filius *Noe* eam ædificavit: quem Hebræi dicunt fuisse *Melchisedech*, qui eam *Salem* nuncupavit, in qua primò obtulit Deo panem & vinum in figuram Christi, eò quòd erat *Rex*, & *Sacerdos Dei Altissimi*, *Genes.* 14. Et dicit *Josephus*, quòd iste fuit primus Sacerdos, qui obtulit post diluvium: sed *Jebus* filius *Chanaam*, eamdem civitatem postea ampliavit & incoluit, & *Jebusalem* nominavit. Postea *David* eam nobilitavit, & in eam transtulit *Arcam Domini*, & collocavit, & *Hierusalem* eam nominavit. *Salomon* rursus in ea Templum Domini construxit, & triplici muro cinxit, & ipsam *Hierosolymam* nuncupavit; & à quibusdam dicta est *Bethel*, id est, domus Dei: eò quòd in eodem loco *Jacob* vidit scalam in somniis, ut dicitur *Genes.* 28. & affirmant Judæi.

Dicunt etiam, quòd in illo eodem loco *Abraham* voluit sacrificare Domino *Isaac* filium suum: & ideo ille mons dictus est *Dominus videt*, *Genes.* 22. In Hebræo autem habetur, *In monte Adonaï hiere*, id est, *In monte Dominus videbitur*. Quasi dicat: In hoc monte Dominus Christus Deus, & homo, videbitur immolari in cruce pro toto genere humano, sicut iste aries immolatus est pro *Isaac*.

Nota de nominibus Hierusalem.

Et ideo dicunt quidam Hebræorum, quòd duo sancti viri, scilicet *Abraham*, & *Melchisedech*, imposuerunt nomen illi civitati secundùm nomina illorum duorum montium. Nam *Abraham* vocavit unum illorum duorum *Hiere*, & *Melchisedech* appellavit alterum *Salem*. Et ideo David appellavit totam illam civitatem *Hierusalem*, eò quòd fuit ædificata & ampliata supra illos duos montes. Nam *mons Sion* dictus est *Salem* per *Melchisedech*, & *mons Moria* dictus est *Hiere* per *Abraham*; ex quibus componitur hoc nomen *Hierusalem*, quod interpretatur *visio pacis*.

Dicitur etiam *Filia Sion*, eò quòd primò fuit sita in *monte Sion*. Ac etiam dicitur *civitas magni Regis*, in quantum *David*, & *Salomon* eam ampliaverunt. Dicitur *civitas Sion ad latera Aquilonis*, in quantum est sita in *monte Moria* in latere Aquilonari. Dicitur etiam *civitas sancta*, in quantum in ea erat Templum Domini, sive Sanctuarium, & in ea erat studium Legis. Postea vero dicta est *Ælia*, eò quòd *Ælius Hadrianus* reædificavit eam post destructionem factam per Romanos post Christum. Unde versus

Solyma, Luza, Bethel, Hierosolyma,
Jebus, Ælia:
Urbs sacra Hierusalem dicitur ipsa Salem.

Secundò est valdè notandum: quòd omnia nomina & mysteria supradicta, sunt facta in figura Christi, & Ecclesiæ. Nam per hoc quod *Melchisedech* Rex, & Sacerdos, cujus genealogia tacetur, obtulit panem & vinum in ea, significabatur, & figurabatur, quòd in eodem loco Christus Rex, & Sacerdos in terris sine patre & naturali generatione, debebat condere Sacramentum Eucharistiæ ex pane & vino: quod ita factum est. Nam Christus in Cœnaculo *montis Sion* fecit cœnam Apostolis in die Jovis sancta, ubi dedit Corpus & Sanguinem suum Discipulis sub forma panis & vini. Et per hoc quod dicta est *Salem*, id est, pacifica, figurabatur, quòd in ea erat futura universalis pax & reconciliatio generis humani per mortem & passionem Christi. Item per hoc quod postea *Jebus* filius *Chanaam*, qui interpretatur *calcatus*, ampliavit eam, & dicta est *Jebusalem*, figurabatur, quòd post passionem Christi, illa civitas debebat esse calcata & destructa per Romanos, propter peccatum homicidii & obstinationis.

Nota.

Item est ulterius advertendum: quòd quando David cepit *Hierusalem*, erat oppidum valde parvum: & ipse fecit castellum in *monte Sion*, & fortificavit eam. Et ideo dicta est *civitas David*, in monte *Sion* sita, in Tribu & sorte *Juda* in fine totius termini *Juda*. Et ibidem tetendit tabernaculum, & collocavit *Arcam Domini*, ut patet 2. *Reg.* 6. Et voluit ædificare Templum, sed prohibitus est ex præcepto Domini. Sed postea cùm ingruit gravis pestilentia propter numerationem populi, apparuit Angelus Domini *in area Areuna Jebusæi* prope civitatem ad partem Aquilonarem, quæ quidem area erat in quodam monticulo dicto *Moria*, & erat in sorte & Tribu *Benjamin*, ubi sacrificavit Domino, & deduxit *Arcam Domini* de domo sua, & reposuit ip-

ipsam in Tabernaculo, quod fixit & tetendit in prædicta area in monte *Moria*; & ibi David ampliavit divinum cultum, & divisit A Sacerdotes per vices suas, & præcepit *Salomoni* filio suo, ut in eodem loco ædificaret Templum Domino, juxta exemplar & descriptionem sibi à Domino traditam. Et præparavit David lapides, & ligna, & auri copiam, & argenti, & omnis generis metallorum pro Templo ædificando. Et congregavit omnes Proselytos Israel, qui venerant ex Gentilitate ad circuncisionem, ut cæderent ligna & lapides de monte *Libano*, ut patet 1. *Paralipomen.* 22. usque ad finem libri.

Item, post mortem David ipse *Salomon* filius ejus, volens implere præceptum patris, congregavit centum quinquaginta tria millia virorum, & sexcenta ex Proselytis Israel, & misit eos ad *Hiram* regem Tyri: & B octoginta millia, qui lapides cæderent, & ligna: & septuaginta, qui onera portarent, ut patet 2. *Paralipom.* 2. Et *Salomon* fecit Templum ædificari in monte *Moria*, ut patet infra, *cap.* 3. in quo introduxit *Arcam Domini* sedentem super Cherubim. Postea *Salomon* ampliata civitate, inclusit Templum intra civitatem, & municipium novum, & circa Templum construxit domos Sacerdotum, & nobilium, & cinxit civitatem triplici muro: & nobilior pars erat juxta Templum. Et sic una pars civitatis erat sita in sorte Juda, scilicet, pars antiqua, in qua erat domus & castellum David: & alia pars in sorte *Benjamin*, ubi Templum erat. Ideo *Hierusalem* quandoque numeranturin Tribu *Juda* ratione par- C tis antiquæ, quandoque in sorte *Benjamin* ratione ampliationis, & Templi, ut patet *Josue* 18. & *Judicum.* 1.

Ex quibus omnibus patet, quòd Templum Domini fuit ædificatum in possessione & prædio hominis Gentilis, & non Judæi: nam *Areuna Jebusæus* erat Gentilis. Secundò, quòd illi centum quinquaginta tria millia sexcenta virorum non erant de genere Judæorum, sed Gentilium, qui facti erant Proselyti novi ex Gentilitate. Item lapides & ligna ex quibus Templum fuit constructum, & civitas ampliata, non erant de terra Judæorum excisi, sed de terra Gentilium, scilicet, de monte *Libano*, qui est in *Phœnitia*, & erat sub dominio *Hiran* regis *Tyri*. Et sic Gentiles ministrarunt la- D pides, & ligna, & ædificarunt Templum Domini, & ampliarunt civitatem: solummodò illa tria millia, qui præerant operi, erant Judæi.

Not. Templum ædificatū in possessione Gentilis, & non Judæi.

Ad quæ omnia mysteria est valde advertendum: nam omnia ista gesta sunt ex divina providentia in figura Christi, & Ecclesiæ. Nam per hoc quod illud Templum ædificatum est non in sorte *Juda*, sed ampliata est civitas usque ad tribum *Benjamin*, & adducta est Arca Domini, & ibidem collocata, & civitas ampliata: figurabatur, quòd Ecclesia Domini non solùm E erat ædificanda in *Judæa*; sed inde debebat derivari, & ampliari extra *Judæam*, & *Hierusalem* per universum orbem: & tota Ecclesia & civitas Dei debebat appellari *Hierusalem*. Et per hoc quod illud Templum fuit ædificatum in territorio hominis Gentilis, figuratum est, quòd Ecclesia Dei erat ædificanda in populo Gentili, & derivanda à *Hierusalem* per totum populum Gentilem. Et per hoc quod ædificatum est illud Templum ex lapidibus & lignis excisis de monte & territorio Gentilium, figurabatur, quòd Ecclesia Domini erat ædificanda & congreganda ex lapidibus vivis de populo Gentili. Et per hoc quod fuit illud Templum & civitas ædificata per proselytos de populo Gentili, fi- F gurabatur, quòd ædificatores, & ampliatores, & Doctores Ecclesiæ, erant futuri ex conversis ad Fidem de populo Gentili. Et per hoc quod illa tria millia qui præerant operi, erant ex Judæis, figurabatur, quòd Principes primitivæ Ecclesiæ, scilicet, Apostoli, & Discipuli, erant futuri ex Judæis genere. Per hoc autem quòd *David* non ædificavit Templum, sed præcepit filio, ut ædificaret, & reliquit ei lapides & ligna, & præparavit argentum, & omnia necessaria, & tradidit ipsi descriptionem & exemplar, ad cujus similitudinem *Salomon* ædificavit Templum; figurabatur, quòd Christus non erat per se Ecclesiam & civitatem Gentilium ædificaturus, sed per *Apostolos* filios suos, quos per univer- G sum mundum ad prædicandum misit, & eis lapides & ligna articulorum Fidei, & Ecclesiasticorum Sacramentorum præparavit & tradidit; ex quibus, & in quibus ædificarunt Apostoli Ecclesiam Gentilium à Solis Ortu usque ad Occasum.

Templum figura est Ecclesiæ.

Et illa civitas in figura dicta est *Hierusalem*, quæ interpretatur *visio pacis*: quia in ea erat Christus videndus in carne, & nostra pax & reconciliatio facienda: & ad illud Templum Christus erat venturus, & in eo *Simeoni* præsentandus, & in ea prædicaturus, & miracula operaturus, & in fine passurus, & resurrecturus. Et ideo in figura dicta est *civitas sancta*: quia ab ea, & in ea, omnis sanctitas per Christum erat inchoanda. Item dicta est *Bethel*, id est, H *domus Dei*: quia in eodem loco ubi *Jacob* vidit scalam, & *Abraham* voluit immolare filium suum, & immolatus est aries, ibidem Christus crucifixus est.

Dicitur etiam civitas *in latere Aquilonis*: quia Ecclesia ædificata est in frigiditate Gentilium: & sic tota Ecclesia dicitur *Hierusalem*, quia ab ista civitate incepit, & ampliata est per totum orbem: sicut multotiens flumina retinent nomen loci à quo derivantur: sicut *Araxes* dicitur, quia derivatur, & nascitur in *Armenia*, & *Ibe-*

rus

Ecclesia dicitur Hierusalē triplici ratione.

rus ab *Ibero* oppido. Dicitur etiam tota Ecclesia *Hierusalem*: quia in sola ipsa videtur Deus hic per Fidem, & in cœlo clara visione. Triplici ergo ratione tota Ecclesia Christi appellatur *Hierusalem* in Sacra Scriptura. Primò, quia per illam *Hierusalem* materialem fuit quasi per omnia figurata, ut dictum est. Secundò, quia ista Ecclesia in illa *Hierusalem* materiali fuit per Christum, & Apostolos inchoata, & exinde per totum orbem derivata, & diffusa, & ampliata. Tertiò, quia soli Ecclesiæ Christi competit hujus nominis interpretatio: quia sola ipsa est *vera visio pacis*, in qua Deus videtur per fidem, & in qua jugiter fit nostra reconciliatio cum Deo per sacrificium Eucharistiæ, & Ecclesiastica Sacramenta, & per Confessionem veræ fidei, & pœnitentiæ. Sed peramplius & perfectius dicitur *Hierusalem* civitas superna & cœlestis, in qua est pax æterna, & Deus videtur facialiter per gloriam.

Triplex Hierusalem.

Ex omnibus supradictis patet, quòd triplex est *Hierusalem*: una materialis & terrena, in qua Christus passus est, & inchoavit Ecclesiam. Et altera universalis, & spiritualis, ex illa inchoata, ab illa derivata, & per totum orbem diffusa, quæ dicitur Ecclesia *militans*. Et tertia *Hierusalem cœlestis*, quæ dicitur *triumphans*. Quæ quidem tres *Hierusalem* ita se habent, quòd una derivatur ab altera. Nam secunda derivata fuit & inchoata à prima; & tertia derivatur à secunda. Nam ista *Ecclesia militans* jugiter regenerat & nutrit filios & cives pro illa civitate cœlesti: quia hinc profecti, ibi in æternum requiescunt. Et ideo dicit *Augustinus* 17. *de Civitate, cap.* 3. quòd *omnis prophetia est tripartita*: nam primò, potest intelligi de illa materiali & terrena *Hierusalem*. Secundò, de tota Ecclesia militanti, toto orbe diffusa. Tertiò, de illa cœlesti, in qua beati sempiterno ævo fruuntur. Ita ergo pariter omnia quæ memorantur prophetice in hoc Psalmo, primò, fuerunt impleta in illa prima *Hierusalem* materiali. Secundò, in Ecclesia militanti. Tertiò, in illa cœlesti. Et sic est exponendus totus iste Psalmus ad istum triplicem intellectum, pro ista triplici civitate.

Divisio Psalmi.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum, in quo tria facit. Nam primò, prædicit fundationem hujus *Hierusalem militantis*, prout fuit figurata per ædificationem illius *Hierusalem materialis*. Secundò, prædicit gloriam, & prosperitatem, & magnificentiam hujus civitatis. Tertiò, exhortatur omnes cives hujus civitatis ad lætitiam, & agendum gratias, & exhibendum honorem & latriam Christo fundatori, fautori, & rectori hujus civitatis. Secunda ibi: *Deus in domibus ejus cognoscetur*. Tertia ibi: *Lætetur mons Sion.*

Quantum igitur ad primum, Prophe-
E ta David prævidens magnificam fundationem Ecclesiæ per fundationem illius materialis *Hierusalem*, dicit: *Magnus Dominus* erit Christus Deus & homo, *& nimis laudabilis*, primò, in Hierusalem materiali: nam ibi in Templo præsentabitur, & laudabitur per *Simeonem*, & *Zachariam*, & *Annam* Prophetissam, & ibi parvulus disputabit in medio Doctorum, de cujus sapientia & prudentia omnes mirabuntur. Item, ibi prædicabit, & miracula faciet, mortuos suscitando. Item, ibi *in monte Sion sancto ejus* instituet Sacramentum *Eucharistiæ*, & in eodem *monte Sion* mittet Spiritum sanctum super Discipulos, qui fuerunt primi cives veræ & spiritualis & magnæ *Hierusalem*. Ex quo sequitur, quòd
F in illa magna *Hierusalem* materiali fuit fundata magna *Hierusalem* spiritualis, scilicet, Ecclesia Christi, in illis capitibus centum viginti, super quæ descendit Spiritus sanctus. Et exinde illa civitas sanctorum derivata & diffusa est per universam terram. Et ideo subdit Propheta, quòd ista vera Hierusalem

2. *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.*

93. d. ca. Legimus.

G *Fundatur exultatione universæ terræ*: quia per totum orbem cum exultatione ista *civitas Regis magni* Christi, fuit diffusa & ampliata cum exultatione: in cujus fundatione & ampliatione duplex fuit exultatio. Primò, ex parte Apostolorum & Discipulorum: nam licèt passi sint dira tormenta & persecutiones in ejus fundatione: tamen *ibant gaudentes à conspectu concilii* Judæorum, & Tyrannorum, *quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*, ut patet *Actuum* 5. quia finaliter triumpharunt de populo Judaico, & Gentili, & destruxerunt omnia nomina Idolorum. Secundò, fundata est ista *civitas Regis magni in exultatione universæ terræ*, ex parte populi conversi ad Fidem. Nam licet Reges terræ & populi Gentiles primò persecuti fuerunt Apostolos, & Martyres hujus civitatis fundatores; tamen læ-
H tati sunt & exultaverunt post conversionem, cùm cognitâ veritate, de captivitate, & morte æterna se noverunt liberatos. Et ideo ipsemet *Constantinus*, & cæteri Reges deleverunt idola, & ædificarunt Ecclesias: & ideo ista est vocata *mons Sion*, & *latera Aquilonis*, & *civitas Regis magni.*

Ædificata Hierusalem fuit in Sion.

Ad cujus intelligentiam est notandum: quòd illa materialis *Hierusalem* fuit ædificata primo in *monte Sion*, ubi David fabricavit domum, & atrium suum. Sed postea fuit

fuit ampliata versus partem Aquilonarem in *monte Moria* per *Salomonem*, ubi ædificavit Templum, & domos nobilium, & Sacerdotum: & sic fuit magnificata & ampliata ad *latera Aquilonis*, id est, ad latera aquilonaria montis *Sion*: per quod figurabatur, quòd ex illa *Sion* materiali debebat incipere Ecclesia, *civitas Regis magni* Christi, & magnificari, & ampliari, & dilatari per totum orbem. Et sic illa civitas materialis continuè quatiebatur ventis Aquilonaribus, eò quòd erat sita ad latera Aquilonis. Ita Ecclesia Christi dicitur sita ad *latera Aquilonis*, eò quòd multipliciter fuit afflicta & flagellata diversis persecutionibus, & tormentis Judæorum, & Tyrannorum.

Dicit ergo Propheta de ista *civitate* Christi *Regis magni*; primò, quòd Deus debebat esse *magnus*, *& nimis laudabilis*, id est, magnificatus & laudatus super omnes Deos. Secundò, quòd erat fundata in *exultatione universæ terræ*. Tertiò, quòd erat appellanda *mons Sion*. Quartò, quòd erat fundanda ad *latera Aquilonis*. Quintò, quòd erat dicenda *civitas Regis magni*: quæ omnia dicta sunt ad explicandam excellentiam hujus civitatis spiritualis supra illam *Hierusalem* materialem, de qua orta & derivata fuit ista. Et omnia illa supradicta impleta sunt in hac civitate: nam primò, Deus verus in hac civitate magnificatur, & valde laudatur, magis quàm in illa, & latiùs, & nobiliori modo: quia ibi tantùm per cultum figurativum, & cærimonialium, & sacrificiorum; & hîc per cultum verum. Secundò, quòd illa fuit fundata cum *exultatione* solius populi Judaici in illo loco arcto Palæstinæ: ista autem in *exultatione universæ terræ*, id est, omnium regum, & populorum. Tertiò, quia illa fuit fundata in illo parvo monte: ista super montem altissimum, & divinum, qui est Christus, *sanctus sanctorum*. Nam ille mons non dicebatur *sanctus*, nisi in quantum Christus *sanctus sanctorum* debebat ipsum sanctificare per opera nostræ redemptionis. Quartò, Ecclesia Christi dicitur fundata ad *latera Aquilonis*, ratione nominis interpretationis: nam *Aquilo* interpretatur *parturitio*, sive *dolor parturientis*, propter impetum ventorum, qui veniunt ab Aquilone, ferentium fulmina & tempestates. Unde sicut civitates sitæ ad Aquilonem, quatiuntur ventis & fulminibus: ita ista persecutionibus Tyrannorum, & Hæreticorum. Quintò dicta est *civitas Regis magni*: quia magnificata & ampliata est usque ad fines terræ: quod non potest convenire illi *Hierusalem* materiali.

*** *** ***

E 3. *Deus in domibus ejus cognoscetur, cùm suscipiet eam.* *De Pœn. d. 2. Dum sanctam.*

IN hac secunda parte Propheta explicat prosperitatem & magnificentiam hujus civitatis, explicando omnia quinque supradicta. Nam primò, explicat ejus dignitatem & sanctitatem, & quomodo Deus est magnificatus & laudatus in ea: eò quòd sicut Deus primò fuit in illa civitate materiali cognitus in figura, & posteà visus in carne, ubi ædificavit istam Ecclesiam & civitatem: ita posteà *cognitus* est per fidem *in domibus* omnibus hujus magnæ *civitatis*. Et ideo illa *Hierusalem* materialis bene computatur cum ista magna civitate, in quantum fuit ejus principium, & origo, & inchoatio: sed non aliter; & ideo prophetia prius verificatur de illa civitate materiali, in qua Christus visus est in carne, & cognitus ab Apostolis: sed non à Scribis, nec Pharisæis: sed posteà fuit verè cognitus verus Deus per fidem, per totam civitatem *Hierusalem*. Et ideo magis verificatur prophetia de *Hierusalem* spirituali, quàm materiali.

Ex quo patet, quòd magis meretur dici *Hierusalem* tota Ecclesia, & etiam *mons Sion*, quàm illa *Hierusalem*, & *mons Sion* materialis. Nam magis videtur, & cognoscitur, & speculatur Deus in ista, quàm in illa: immò post resurrectionem Christi, & post recessum Apostolorum, falsò dicta est *Hierusalem*, & *Sion*; immò debuit dici *cæca*: quia in ea non cognitus, nec visus, nec speculatus est Deus, immò fuit negatus. Ideo de ista nostra *Hierusalem*, & *Sion* dicit Propheta: Probo, quòd Deus *sit magnus & laudabilis in ista civitate*: nam *Deus in domibus ejus cognoscetur* per veram fidem & cultum, *cùm suscipiet eam* in veram sponsam, repudiatâ Synagogâ, & populo Judaico reprobato. Quasi dicat: quòd solus populus Christianus cognoscet, & contemplabitur, & laudabit Deum, & vero cultu Latriæ honorabit & adorabit eum. Secundò cùm dicit,

4. *Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: convenerunt in unum.* *2. quæ. 7. c. Nos si, post medium.*

5. *Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: tremor apprehendit eos.*

COMMENDAT hanc civitatem de victoria & triumpho. Unde dicit, quòd omnes *reges terræ convenerunt in unum* con-

contra Ecclesiam: eò quòd *admirati sunt* visis miraculis, & *conturbati sunt*, & *tremor apprehendit eos*, cùm videbant idola cadere, & comminui, & mutescere ad præsentiam *Bartholomæi*, & aliorum Apostolorum, & Martyrum: ex quo tremore & admiratione quidam convertebantur; & quidam turbati, provocabantur ad torquendum & persequendum Apostolos, & Martyres. Et ideo subdit:

23. q. 5. Non est nostrum.

6. Ibi dolores ut parturientis: in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

QUOD *ibi* fuerunt *dolores ut parturientis*: quia fortiores fuerunt dolores tormentorum Apostolorum, & Martyrum, propter defensionem & confessionem nominis Christi, quàm dolores cujuscumque parturientis. Et ideo Ecclesia dicitur ædificata ad *latera Aquilonis*, quod interpretatur *parturiens*. Est tamen advertendum, quòd ly *dolores parturientis* potest referri, tàm ad Tyrannos & Reges terræ, quàm ad Apostolos & Martyres: nam utrique patiebantur. Nam licèt Apostoli & Martyres paterentur dolores tormentorum: tamen majores dolores patiebantur Reges, & Tyranni, cùm videbant, non posse vincere: immò videbant se victos per Apostolos, & Martyres, ut inquit *Augustinus* in *sermone de Innocentibus*; & patet in gestis Beati *Laurentii*, & *Vincentii*. Ideo subdit Propheta: *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.*

Tharsis. Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd *Tharsis* est magnum emporium in littore *Indico* ultra Gangem, quò *Salomon* mittebat naves ad vehendum aurum & argentum, ut patet 3. *Reg.* 10. Quæ regio dicitur *Aurea Chersonesus* secundùm *Ptolomæum*. Vel est in ipsa magna insula *Trapobana*, ubi est copia auri & argenti, prope quam insulam est magna vorago in medio pelagi, quæ quidem vorago secundùm Philosophos causatur, eò quòd submergitur magna quantitas aquarum, & sic causantur, & fiunt vertigines, & revolutiones aquarum; in tantum, quòd quando flat ventus Aquilonaris, impellit naves versus Meridiem, & devenientes ad illam voraginem, omnes confringuntur, & conteruntur, & submerguntur. Item, dicunt etiam Philosophi, quòd ista contritio navium causatur ibi ex conflictu ventorum: nam ventus Aquilonaris pellit naves usque ad illam voraginem, quæ est in Æquinoctiali: sed venit ventus Australis ab Anctartico, & repellit naves versùs Aquilonem, & Arcticum: & sic naves confringuntur & *conteruntur* ibi apud *Tharsis*.

Ita ergo pariter factum est in persecutione Apostolorum, & Martyrum. Nam *Reges terræ*, & Tyranni tanquam venti Aquilonares, voluerunt concutere, & torquere, & prosternere Ecclesiam. Sed venerunt venti Australes miraculorum, & prædicationis Apostolorum, & Martyrum, missi ab Austro, qui est Christus Deus noster, & confregerunt, & *contriverunt* Reges, & Tyrannos, sicut ille ventus Aquilonaris, sive Australis *conterit naves Tharsis*; quos diversis modis contrivit: nam quosdam contrivit quantum ad corpus & animam, sicut *Neronem*, & *Domitianum*, & *Diocletianum*, & *Scribas*, & *Pharisæos*: & quosdam contrivit quantum ad infidelitatem, occidendo in eis errorem, & suscitando fidem, sicut contrivit *Constantinum*, & cæteros Reges, & populos, qui comminutis & contritis idolis, venerunt ad fidem, per ventos Australes prædicationis Apostolorum convicti. Et sic *civitas* Dei *Regis magni* Christi triumphavit de *civitate diaboli*, & contrivit eam tanquam *naves Tharsis*.

Et hoc est quod dicit Propheta: quòd licèt omnes Reges terræ, & Tyranni fuerint contra Ecclesiam conturbati & commoti, & *ibi* fuerint *dolores*, & magna tormenta, & persecutiones, sicut *dolor parturientis*; tamen tu Domine Jesu Christe *conteres* & confringes eos *spiritu vehementi* tuæ virtutis, & prædicationis, sicut venti Aquilonares & Australes conterunt *naves Tharsis* in illa voragine prope emporium *Tharsis* in littore *Indico*. De ista *Tharsi* dicit *Hieronymus*, quòd est regio, sive civitas Indorum: sed *Augustinus* secundùm opinionem aliorum dicit, quòd *Tharsis* est *Carthago* in littore Africo, ubi sunt Syrtes, quorum meminit *Virgil. in* 1. *Æneidos*, ubi fuit disjecta classis *Æneæ*: sed prima positio est verior. Per hoc ergo vult innuere Propheta, quòd licèt ista *civitas Dei* sit sita ad *latera Aquilonis*, id est, exposita persecutionibus crebris, & tormentis Tyrannorum, & Hæreticorum; tamen finaliter ejus persecutores conterentur, sicut *naves Tharsis*. Et *navicula Petri* semper natabit super hoc mare tempestatum, & victrix, & cum triumpho perveniet ad portum salutis in die Judicii.

* * *
* *



7. Si-

93. d. c. Legimus. 1. q. 1. ca. Multę.

7. *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri: Deus fundavit eam in æternum.*

HIC commendat Eccleſiam & *civitatem* iſtam de veritate & fructu. Nam omnia quæ fuerant in Lege & Prophetis promiſſa, & ſcripta, & figurata, & revelata: in hac *civitate* fuerunt verificata, & completa, & viſa. Unde ait: Bene eſt iſta *civitas* vera *Hieruſalem* nobis in Prophetis promiſſa; & bene debemus agere gratias Deo, quia fecit nos cives hujus civitatis. Nam *ſicut audivimus* à Patriarchis & Prophetis, *ita vidimus* impletum per Chriſtum *in* hac *civitate Domini virtutum*: quia quæ ſcripta ſunt in Lege & Prophetis, ſunt in hac civitate viſa & verificata.

Nam *ſicut audivimus* per *Iſai. 7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium: ita vidimus* impletum *in* hac *civitate*: quia *Virgo Maria* concepit Salvatorem, virgo manens poſt conceptionem, & partum, *Lucæ* 1. Item, *ſicut audivimus* per *Iſai. 9. Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & vocabitur Deus fortis &c. ita vidimus* impletum: quia anno quadrageſimo ſecundo imperii *Octaviani* natus eſt Chriſtus Salvator: cujus ortum annuntiaverunt Angeli paſtoribus, *Luc.* 2. Item, *ſicut audivimus* per *Aggæum* 2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus: & major erit gloria hujus domus ſecundæ, quam primæ.* Et *ſicut audivimus* per *Malachiam* 3. *Statim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis: ita vidimus in* hac *civitate* & templo: quia ibi fuit Chriſtus quadrageſimo die præſentatus, & *Simeon* juſtus agens gratias, prorupit in Canticum, dicens: *Nunc dimittis.* Item, *in* hac *civitate* vidimus Chriſtum prædicantem, & miracula facientem, *ſicut audivimus Iſai.* 25. *Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperietur lingua mutorum.* Item *in* hac *civitate* vidimus mortem & paſſionem Chriſti, ſicut prius Prophetatum audivimus, *Iſai.* 53. *Attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Item, *ſicut audivimus* in figura de fundatione hujus magnæ civitatis per fundationem ipſius *Hieruſalem* & templi materialis, ita pariter vidimus impletum in hac magna civitate. Nam ſicut illud templum fuit fundatum in area *Jebuſæi*, hominis Gentilis: ita iſta magna civitas fuit fundata in populo Gentili. Et ſicut omnes operarii & fabri illius civitatis fuerunt *Proſelyti* de populo Gentili: ita omnes ampliatores & fabri hujus civitatis, fuerunt de populo Gentili, ad Fidem Chriſti converſi: ſicut Martyres, qui plantarunt Eccleſiam ſanguine ſuo, &

Not. quomodo in Eccleſia omnia fuerūt adimpleta.

A B C D

Doctores ſtudio & ſapientiâ ſuâ. Et ſicut principes, qui præerant illi operi, erant E Judæi; ita principes & fundatores hujus civitatis, fuerunt Apoſtoli de populo Judaico. Et ſic eſt dicendum diſcurrendo per ſingula: quia omnia quæ fuerunt ſcripta & audita figurativè & propheticè in Lege veteri, illa fuerunt verificata & viſa realiter in hac civitate, & quantum ad fundationem & ampliationem.

Ideo dicit: *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum.* Et ſubdit: *Deus fundavit eam in æternum.* Et nota, quòd iſta civitas dicitur fundata in æternum ratione ejus finis: nam cives hujus civitatis, licèt temporaliter peregrinentur in hac *civitate* militante: tamen terminus eorum eſt civitas cœleſtis & æterna, ut F oſtendit *Auguſtinus* per totum diſcurſum, 19. & 22. *de Civitate Dei.* Ex hoc patet, quomodo omnia quæ fuerunt figurata, & promiſſa, & prophetata in Lege & Prophetis, fuerunt poſtea verificata & completa in illa *Hieruſalem* materiali per Chriſtum, quantum ad præſentationem Chriſti in templo, & quantum ad miracula, & prædicationem, & mortem, & paſſionem, & reſurrectionem. Et ſic iſta noſtra *civitas* ibi inchoata, fuit exinde derivata, & ampliata uſque ad finem terræ: in qua completa ſunt, & complentur quotidie, omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege, & Prophetis: quia jugiter commemoratur myſterium Agni Paſchalis per Sacramentum *Euchariſtiæ:* & per conſequens commemoratur G myſterium paſſionis, & reſurrectionis Chriſti; & ideo omnia quæ fuerunt impleta de Chriſto in illa *Hieruſalem* materiali, complentur quotidie in Eccleſia Catholica. Ideo illa *Hieruſalem* materialis jam pertinet ad iſtam magnam *civitatem*, ut ſic, ſcilicet, in quantum fuit principium & origo hujus. Et ſic omnia dicta in Lege, & Prophetis, verificantur de iſta: quia aliter non diceretur, quòd Deus *fundavit eam in æternum;* quia illa materialis *non eſt fundata in æternum.* Sed iſta noſtra *Civitas*, quæ in illa incepit, eſt fundata in æternum. Et ideo ſubdit:

Eccleſia fundatur in æternum.

8. *Suſcepimus Deus miſericordiam* H *tuam, in medio templi tui.*

24. q. 2. Alienus. 2. c. Quæcumque.

NAM primò *ſuſcepimus miſericordiam* Dei *in medio* illius *templi*, quando Chriſtus fuit præſentatus in templo *Simeoni*; & exinde, quando ibi prædicavit, & miracula fecit: ſed præcipuè, quando ibi in illa *Hieruſalem* fuit paſſus, & reſurrexit, & Sacramenta Eccleſiaſtica inſtituit, & Apoſtolos per univerſum mundum ad prædicandum & baptizandum miſit; & tunc tota Eccleſia toto orbe diffuſa, facta eſt *ci-*

vitas, & *templum* Dei: in qua, & *in medio* cujus *suscepimus misericordiam* per Ecclesiastica Sacramenta: quia omnes fuimus A participes facti illius passionis, & facti cives hujus magnæ *civitatis*. Et ideo subdit:

De Pœ. d. 6. §. 1. v. Ideoque.

9. *Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua.*

AD cujus intelligentiam est notandum, quòd nomen Regis hujus *civitatis* est *Jesus*, quod est *nomen Dei Tetragrammaton*, scilicet, quatuor litterarum, nempe, *Jod*, *he*, *vau*, *he*, quæ denotant & explicant quatuor principales perfectiones & effectus Dei, scilicet, Omnipotentiam, & Sapientiam, & Misericordiam, & Justitiam, ut dictum est *Psal.* 8. Et ideo quia omnia ista quatuor sunt infinita in Deo: quæ quidem quatuor Christus manifestavit per mundum: ideo fuerunt ampliata per totum mundum. Unde sicut ista quatuor sunt infinita: ita hoc nomen *Jesus* continens & explicans ista quatuor, est infinitum. Et quia infinitum, ideo per totum orbem fuit diffusum.

Nota de nomine Jesu.

Et ideo dicit Propheta: O Deus Christe, Rex hujus *civitatis*: sicut *nomen tuum*, quod est *Jesus*, est infinitum in virtute, scilicet, Omnipotentia, & Sapientia, & Justitia, & Misericordia: *ita & laus tua* est infinita. Et sic nomen tuum est diffusum per totam terram: quia Omnipotentia tua, & Sapientia tua, & Misericordia, & Justitia tua, est diffusa per totam terram, quia ad C omnes partes mundi se extendit tua virtus, & misericordia, & redemptio: *ita & laus tua* se extendit *ad* omnes *fines terræ*, quia toto orbe celebraris. Et ita tua dextera, sive potestas est plena justitiâ ad justificandum, & judicandum quosdam per misericordiam & gratiam Sacramentorum, & quosdam per pœnam puniendo. Ex quo patet, quòd ista tua *civitas* est magna, totoque orbe diffusa.

Infra 69.

10. *Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ, propter judicia tua Domine.* D

HIC agit gratias de augmento & ampliatione universalis Ecclesiæ in populo Gentili toto orbe diffusæ; & dicit: *Lætetur* ergo *Sion*, non solùm ille *mons Sion*, ubi sita est civitas materialis *Hierusalem*, ubi Christus instituit *Eucharistiam*, & ubi Apostoli receperunt Spiritum sanctum; sed *mons Sion* per totum orbem dilatatus, in quo universalis Ecclesia fundatur, E ubi quotidie *Eucharistia* celebratur, & infinita multitudo quotidie per Baptismum regeneratur, & doctrinam Spiritus sancti per Confirmationem, & cætera Sacramenta recipiunt, & ex altitudine hujus *montis Sion* Deum per fidem speculantur: & per consequens *lætetur vera Hierusalem*, scilicet Ecclesia, super hunc montem usque ad finem terræ ædificata: quoniam ipsa est verè *visio pacis*, in qua verè Deus videtur per fidem; in qua completa sunt, & complentur jugiter omnia supradicta mysteria, & in ipsa Deus per gratiam & potentiam inhabitat, & in ipsa quotidie per Baptismum, & Pœnitentiam mortuos suscitat, & à lepra peccati, & à cæteris languoribus per Ecclesiastica Sacramenta mundat & sanat, & in ipsa Deus in Sacramento Altaris sa- F cramentaliter videtur, & verus Agnus immolatur.

Item, *exultent* omnes *filiæ Judæ*, id est, omnes animæ, quæ Christum confitentur. Nam ubicumque Deus confitetur & colitur, est vera *Judæa*. Sed in sola Ecclesia Deus videtur, & confitetur, & colitur, extra quam non est visio, sed cœcitas; nec salus, sed mors; nec confessio, sed blasphemia: Ergo sola Ecclesia Christi toto orbe diffusa, est vera *Sion*, & *Hierusalem*, & *Judæa*, & vera *civitas Regis magni* Christi Messiæ in Lege promissi: & in ea fiunt *judicia Domini justificata in semetipsa*, quæ sunt judicia Euangelica, quæ dant præmium æternum Christum confitentibus. Ergo *propter* talia *judicia lætentur filiæ Judæ*, id est, omnes animæ fideles & justæ, ò Domine, *propter judicia tua* justa. Ergo, ò vos Apostoli, & Discipuli *circumda-* G *te* & lustrate *Sion*: quasi dicat, exite ab illa *Sion* materiali, ubi recepistis Spiritum sanctum in die *Pentecostes*, &

11. d. c. Ecclesiasticarum, & c. Catholica.

11. *Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus ejus.*

CIrcumdate & lustrate *Sion* novam, scilicet, Ecclesiam toto orbe diffusam, & ædificate, & ampliate, & *complectimini*, & cingite eam muro Euangelico: & prædicate Euangelium, & narrate omnia opera & gesta mirabilia Christi *in turribus* & templis hujus magnæ *civitatis*.

H Nota, quòd Propheta loquitur ad modum Arabum, & omnium Orientalium, qui in altis turribus civitatis, edicta, & plebiscita, & leges præconizant, ut ab omnibus possint audiri: quem morem servant hodie Saraceni, qui ex turribus altis acclamant suum falsum Prophetam, & perfidum *Machometum*. Dicit ergo: *Narrate* & prædicate vos Apostoli, & Christiani opera Christi, & Legem Euangelicam publicè *in turri-*

ribus ejus, id est, hujus novæ civitatis *Sion*. Et *ponite corda vestra in virtute ejus*. Littera *Hieronymi* habet: *In antemurale ejus*, A quod idem est: nam Fides formata Charitate, est murus hujus civitatis, & Spes ejus est *antemurale ejus*. Et sic iste murus, & *antemurale*, est virtus & fortitudo hujus *civitatis*, in qua Christiani *ponunt corda* & fiduciam suam, & refugium; quo muro septa est Ecclesia, extra quem murum non est salus: contra quam virtutem, & murum, & civitatem *nunquam portæ inferi prævalebunt*: *Fundata est enim supra firmam petram*. *Ponite* ergo *corda vestra in virtute ejus*. Magna est enim virtus hujus *civitatis*, & fortitudo, in qua reponuntur omnes thesauri meritorum passionis Christi, & omnium Sanctorum, quibus redimuntur omnia peccata, quantumcumque gravia: etiam quia Christus emit regnum cœlorum pro omnibus ipsum con- B fitentibus.

Fides dicitur murus.

De Conse. d. 1. cap. Omnes baptizatæ.

12. *Ponite corda vestra in virtute ejus: & distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.*

PONite ergo *corda vestra in virtute ejus: & distribuite domos ejus*, id est, distributim ædificate hinc & inde per totum orbem Ecclesias ejus. Littera *Hieronymi* habet: *Ampliate palatia ejus*. Quasi dicat: O vos Apostoli, implete mandatum magistri vestri Christi, qui dicit *Marci ult.* Ite per universum mundum, & ædificate mihi *Sion*, & novam *Hierusalem*, post- C quam vetus est mihi rebellis, & *prædicate Euangelium omni creaturæ*: & *circumdate* istam *Sion*, *& complectimini* & cingite *eam* muro, & antemurali inexpugnabilis Fidei, & Spei, & Charitatis: & *narrate* & prædicate Euangelium *in turribus* & templis *ejus*. Et *ponite corda vestra in virtute* & fortitudine hujus *civitatis*; *& distribuite*, id est, distribuendo ædificate *domos* & Ecclesias novas *ejus: & ampliate palatia ejus*. Nam Ecclesiæ sunt palatia Christi, in quibus habitat per Sacramenta: quia Ecclesiæ sunt dedicatæ ad ministerium Christi. Et hoc facite, *ut enarretis in progenie altera*, id est, in Gentili populo. Lit- D tera *Hieronymi* habet: *In generatione novissima*, quod idem est: nam Apostoli tàm in populo Gentili, quàm in novissima & futura generatione, *narraverunt*, & prædicaverunt Euangelium, in quo affirmatur:

** ** ** **
* * * *

E 13. *Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.* *56. d. c. Nasci.*

HIC Christus *Deus*, *est Deus noster in æternum*: & *ipse reget nos*, & regnabit *in sæcula* sæculorum, hìc per gratiam, & in cœlo per gloriam.

Et nota, quòd licèt Apostoli jam sint in cœlo; tamen adhuc narrant & prædicant gesta & opera Christi in hac *generatione novissima*. Nam quotidie leguntur & prædicantur in Ecclesia Euangelia, & historiæ, quas ipsi scripserunt & prædicarunt, quibus memorantur gesta Christi: & etiam F illa verba, scilicet, *Narrate in turribus ejus*, &, *Ponite corda vestra in virtute ejus*, &, *Ampliate palatia ejus*, non solùm diriguntur Apostolis, & Discipulis, sed etiam omnibus Martyribus, & Doctoribus, & Prædicatoribus, & Christianis, qui post illos fuerunt, & sunt, & erunt. Ideo dicit: *Ut enarretis in progenie altera*: *quoniam hic est Deus* Christus *Deus noster*, & regnabit *in sæcula* in cœlo, & in terra. Quasi dicat, quòd licèt iste Christus apparuerit mundo, & in illa *Hierusalem* materiali in carne humana natus ex tempore secundùm humanitatem: tamen ipse *est Deus in æternum*, & Verbum Patris: quia *in principio erat Verbum*: ideo etiam in quantum homo à parte post regnabit *in sæcula:* & hoc prædicate.

Ex quibus patet, quòd David in hoc G Psalmo non commendat solùm illum *montem Sion*: nec illam materialem *Hierusalem*, quæ destructa & incensa fuit per Romanos propter peccata sua, arctata in Palæstina & tribu Juda: sed etiam principaliter intendit commendare universalem Ecclesiam toto orbe diffusam, per Apostolos constructam, & ampliatam per Martyres, & Doctores, & Christi fideles roboratam, quæ successit secundo templo; in cujus figura gesta sunt omnia facta in primo, & secundo templo, & civitate, de qua locuti sunt omnes Prophetæ, cui propriè conveniunt omnia dicta in Psalmo isto. Nam in hac regnat Christus *Deus magnus*, *& laudabilis* H valde: quia in illa non ab omnibus laudatur, immò hodie per Judæos, & Saracenos Deus blasphematur. Item, ista fundata est in *exultatione universæ terræ*: illa autem non nisi in exultatione illius parvi populi, & in illo arcto loco. Item ista est fundata ad *latera Aquilonis* circa circulum Æquinoctialem per totam terram, quod dicitur *latus Aquilonare* totius mundi. Aliud autem latus ultra Æquinoctialem, dicitur *latus Australe*, sive *Anctarticum*. Quasi di-

Ecclesia est templum.

dicat, quòd ista *civitas* Christi *Regis magni* occupat omnia latera mundi, sive totum latus Aquilonare, ubi assignatur tota terra habitabilis. Et in tota hac terra, & *monte sancto Sion fundatur civitas Regis magni*: quod minimè convenit illi civitati *Hierusalem* materiali destructæ. A

Ecclesia est mons Sion.

Tota ergo Ecclesia toto orbe diffusa est *mons Sion*, *Hierusalem*, & vera *Judæa*; quia retinet nomen à locis unde orta est: & verè, & melius retinet nominis interpretationem & significationem, ut sæpè dictum est: *in* quibus *domibus Deus* videtur, & *cognoscitur*, & adoratur: & ad eam omnes *Reges terræ congregati sunt*, & turbati sunt contra eam, & in ea *tremor apprehendit eos*, videntes mirabilia Christi: quia Christus *contrivit eos in spiritu vehementi* suæ potestatis, sicut Aquilo *conterit* & dissipat *naves Tharsis*, scilicet, illius regionis, & emporii Indorum, ubi accidunt magna naufragia in hieme. Ita contigit magnum naufragium in populo Gentili, in ultionem Martyrum, ut legitur in Ecclesiastica historia. Nam primò *Hierusalem* est incensa, & Sacerdotium & regnum ablatum, & Judæi in captivitatem dispersi, & *Nero* & *Domitianus* seipsos peremerunt, & *Diocletianus* mala morte & miserabili exitu periit. Et etiam omnia idola sunt comminuta & contrita, *sicut naves Tharsis*: & populus Gentilis ad fidem cum suis principatibus conversus, & in magnam *civitatem magni Regis* Christi congregatus: in qua civitate omnia quæ *audivimus* à Patriarchis & Prophetis, & legimus in Testamento veteri, *videmus* esse impleta *in* hac *civitate Domini virtutum*, & *in medio* hujus *Templi suscepimus misericordiam ejus*, & redemptionem, & baptismum cùm cæteris Sacramentis. Et in hac *lætantur* omnes *filiæ Judæ* Christum confitentes. Et ista est illa *civitas* ampliata & dilatata per totum orbem usque ad finem terræ, *circundata* & septa illo inexpugnabili muro fidei & charitatis: in cujus *turribus* Christus, & Euangelium suum prædicatur, ubi Christus in æternum regnat in præsenti per fidem, & in futuro per gloriam. B C

Ex toto isto Psalmo possunt recolligi tredecim conclusionem.

Prima conclusio est: quòd Ecclesia est vera civitas Dei. Probatur: nam *civitas* non sunt muri materiales, sed *concors hominum multitudo*, sive *congregatio unius juris*, sive *legis consensu sociata*. Sed hoc convenit Ecclesiæ Christi toto orbe diffusæ, quæ vivit sub una divina Lege: Igitur est vera civitas. D

Secunda conclusio: quòd Ecclesia Christi est *vera Hierusalem*. Probatur primo: nam illa congregatio Fidelium incepit à *Hierusalem* in *monte Sion*, ubi erant centum & viginti congregati, *Act.* 1. super quos missus est Spiritus sanctus; unde receperunt omnia dona gratiarum, & intelligentiam scripturarum, & exinde dilatata est illa Ecclesia & congregatio per universum orbem. Et sic tota Ecclesia denominatur *Hierusalem*, ratione principii à quo est derivata, sicut flumina retinent ubique nomen sui fontis. Secundò, hoc idem probatur ratione interpretationis nominis. Nam *Hierusalem* interpretatur *visio pacis*: sed in sola Ecclesia est visio pacis, & salutis, & charitatis. E

Tertia conclusio: quòd Christus fundavit istam *Hierusalem*. Probatur: nam sub hoc nomine *pacis* fundavit illam sanctam Congregationem Apostolorum, & Discipulorum. Nam nunquam venit ad eos, quin diceret, *Pax vobis*: & sic *in pace factus est locus ejus*. Per easdem rationes Ecclesia propriè dicitur *Sion*: quia ex ea Deum speculamur. Ex quibus patet, quòd Ecclesia Christi toto orbe diffusa nihil aliud est, nisi *Hierusalem* dilatata, & orta ex illa *Hierusalem Judeæ*. F

Quarta conclusio: quòd in sola ista *Hierusalem* suscepimus misericordiam Dei, & in sola ipsa videtur Deus.

Quinta conclusio: quòd Fundator & *Rex hujus civitatis* est Deus: ex quo patet, quòd Christus est verus Deus.

Sexta conclusio: quòd ista civitas Dei non solùm fundata est in *Judæa*, sed per universum orbem usque ad fines terræ.

Septima conclusio: quòd est fundata in latere Aquilonis, id est, quia semper quatitur, & vexatur ventis persecutionum.

G *Octava conclusio*: quòd licèt contra eam sint congregati omnes Reges terræ; tamen finaliter fuerunt victi & contriti, & ipsi subjecti.

Nona conclusio: quòd in ista *Hierusalem* sunt visa & completa omnia mysteria Patriarcharum, & dicta Prophetarum.

Decima conclusio: quòd *Hierusalem Judææ* nunquam fuit vera *Hierusalem* usque ad adventum Christi: quia tunc fuit *vera visio pacis*. Nam tunc Christus expectatus, est visus in ea; & tunc in ea facta est *pax* inter Deum & hominem, per mortem mediatoris: & tunc in ea fuerunt impleta omnia mysteria, & dicta Prophetarum. Item sequitur, quòd sicut sacrificia veteris Legis non fuerunt vera usque ad Christum, in quo
H impleta sunt, & per quem facta est grátia & veritas: ita ista civitas nunquam fuit vera *Hierusalem*, usquequò Christus in ea implevit omnem veritatem, & quæ de ea erant figurata, aut dicta per adventum Christi.

Undecima conclusio: quòd postquam illa *civitas* non recepit Messiam Christum, non ampliùs dicitur *Hierusalem*: quia non acceptavit quæ erant figurata per Patriarchas, & dicta per Prophetas: & sic perdidit nomen.

Duodecima conclusio: quòd sequitur, quòd

quòd recedente Chriſto, & Apoſtolis ab illa *civitate*, non amplius fuit *viſio pacis:* quia tunc receſſit ab ea omnis *pax*, & cives *veræ pacis*. Et ſic eſt dicendum de *Sion*, & *Judæa*, & *Iſrael*, & *Jacob*: quia tunc perdiderunt prædicta nomina, & non manſerunt in Eccleſia Chriſti, propter eaſdem rationes.

Decimatertia concluſio: quòd ſola Eccleſia toto orbe diffuſa eſt vera *civitas Dei:* quia in ea habitant cives Dei, & ſola ipſa eſt *Hieruſalem:* quia in ſola ipſa cognoſcitur & videtur Deus. Et ſola ipſa eſt *mons Sion*: quia in ſola ipſa contemplatur, & adoratur, & laudatur Deus. Sola iſta eſt *fundata in exultatione univerſæ terræ*: quia in ſola iſta fuerunt viſa & completa omnia quæ fuerunt ſcripta, & dicta, & promiſſa Patriarchis, & Prophetis in Lege veteri.

PSALMUS XLVIII.

8. diſt. c. Qui contra, & 11. q. 1. c. Si bis.

1. *Audite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.*

2. *Quique terrigenæ, & filii hominum: ſimul in unum dives & pauper.*

TITULUS: *Ad victoriam*, ſive *In finem, filiis Core, Pſalmus.* Per ea quæ dicta ſunt patet, quòd David fecit hunc Pſalmum, & dedit ipſum cantandum *filiis Core*, eò quòd dirigit nos in finem utriuſque Legis, ſcilicet, in diem judicii, ut patebit. Nam fecit hunc Pſalmum contra amatores hujus mundi, exhortans eos, ne decipiat eos iſte mundus; ſed prævideant in hac vita, & timeant mortem, & finale judicium, in quo ſunt reddituri rationem de his, quæ in hac vita geſſerunt: in quo duo facit. Nam primò, ponit proœmium, in quo convocat omnes ſtatus & conditiones hominum ad audiendam doctrinam ſuam: ſecundò, exequitur de tractatu. Ibi: *Cur timebo?*

Quantum ergo ad primum, ut reddat auditores benivolos & attentos, dicit: O *omnes gentes, quique terrigenæ, & filii* Adam ex terra geniti, *audite ſimul in unum dives & pauper, & omnes qui habitatis orbem*, nemine excluſo: *Audite & percipite auribus* cordis; quia terribilia & magna intendo dicere, & omnibus utilia & neceſſaria: ideo omnibus generationibus, & nationibus, & conditionibus, & ſtatibus hominum dirigo ſermonem meum. *Audite* ergo, quia *os meum loquetur ſapientiam*, id eſt, de rebus divinis & altiſſimis: *& meditatio cordis mei loquetur prudentiam*, id eſt, docebit vos de agibilibus, & providentiam, quam debetis habere in hoc mundo in agibilibus, ut provideatis pro futura vita. Unde inter *ſapientiam* & *prudentiam* hoc intereſt. Nam *Sapientia* eſt notitia & contemplatio divinarum, & primarum, & altiſſimarum cauſarum, ut patet 1. *Metaph.* & 6. *Ethicor. Prudentia* autem eſt recta ratio rerum agibilium: cujus pars eſt providentia de futuris, de quibus in Pſalmo iſto maximè agitur. *Sapiens* ergo eſt ille, qui contemplatur & affectat cœleſtia: & *prudens* eſt, qui ita providet, & diſponit, & dirigit vitam, & operationes ſuas, ut adipiſcatur cœleſtia, quæ contemplatur, & affectat. Ideo ait:

3. *Os meum loquetur ſapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam.*

14. q. 1. cap. ult.

OS *meum loquetur ſapientiam*, id eſt, vos exhortabitur; ut ſapiatis, & affectetis cœleſtia. *Et meditatio cordis mei* loquetur *prudentiam*, id eſt, docebit vos prudentiam, ſecundùm quam dirigatis vitam veſtram ad conſequendum cœleſtia. Nam prudentis eſt meditari, & inquirere medium perveniendi in finem. Unde tria præmittit Propheta in hoc Prologo. Nam primò, convocat omnes conditiones & ſtatus hominum, ad audiendam doctrinam ſuam. Secundò, breviter præmittit, de quibus intendit eos inſtruere: nempe in ſapientia & providentia. Tertiò, præmittit modum tradendi & cantandi: quia parabolicè, ſive proverbialiter, & etiam argumentativè, & metricè. Ideo ſequitur:

4. *Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in pſalterio propoſitionem meam.*

22. q. 4. Meretricem.

EGO in hac materia *inclinabo aurem meam in parabolam* & proverbia antiquorum & majorum, ſcripta in Sacra Scriptura: non in Philoſophis mundi, nec poëtis: & hoc pertinet ad ſapientiam; quia ſola Sacra Scriptura eſt vera ſapientia, quia de rebus divinis & altiſſimis: ideo inde intendo ſumere parabolam, ſive exemplum, & doctrinam. Quaſi dicat, quòd parabolicè & exemplariter volo procedere in hoc Pſalmo. Secundò, *aperiam* & manifeſtabo *propoſitionem meam*: id eſt, procedam etiam argumentativè à propoſitionibus ad concluſionem, proponendo quæſtiones, quæ ſunt propoſitiones dubitabiles: & ex conſequenti concludam intentum, procedendo à propoſitionibus ad concluſionem. Tertius modus cantandi & ſcribendi eſt metricus: quia me-

metricè procedam, & cantabo hoc carmen cum *psalterio*, sive cum cithara istam propositionem meam, quam intendo aperire A & declarare. Iste autem versus satis est explicatus in Prologo. Littera *Hieronymi* habet *Aperiam in cithara ænigmata mea*, id est, propositiones obscuras, & difficiles, & omnibus mundanis occultas & ignoratas: quod idem est.

23. q. 6. *Scismatici.*

5. *Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.*

PRÆMISSO proœmio hîc exequitur de tractatu. Ad cujus intelligentiam est primò advertendum, quòd notanter David convocavit in proœmio divites & pauperes specialiter ad hanc doctrinam audien- B dam. Nam ipse intendit in hoc Psalmo inducere terrorem divitibus hujus mundi, qui opprimunt & affligunt pauperes, comminando eis pœnas futuri judicii; & consolari pauperes & afflictos.

Sed causa, quare divites mundani absque misericordia opprimunt pauperes, est, quia vel putant, nullas esse pœnas peccatoribus post hanc vitam, & sic non timent judicium: vel quia confidunt in divitiis suis, putantes per divitias suas ab omni malo liberari: vel quia putant nunquam se morituros. Tria ergo facit David in hoc Psalmo. Nam primò, removet prædictos tres errores, in quibus divites confidunt. Secundò, comminatur eis pœnam post hanc vitam, & finale judicium: & pauperibus C promittit gloriam. Tertiò, consolatur pauperes, exhortans eos ad patientiam. Secunda ibi: *Hæc via scandalum ipsis.* Tertia ibi: *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo.*

Not. cõtra divites.

Quantum ad primum est advertendum, sicut dictum est *in Prologo tractatu* 1. ubi præmissum est thema ex hoc Psalmo pro toto isto opere, scilicet, *Aperiam in psalterio propositionem meam*: ubi fuit dictum quòd tota Scriptura veteris Testamenti nil aliud est, nisi quædam proverbia & parabolæ, & propositiones, ex quibus inferuntur conclusiones Euangelicæ, propheticæ, & morales, & anagogicæ: à quibus exemplis, & parabolis, & propositionibus fit discursus, sive argumentatio exem- D plaris, & inductiva, & entymematica, & etiam syllogistica ad conclusiones Euangelicas, anagogicas, sive morales.

David ergo in hoc Psalmo ad confutandos supradictos errores, volens ostendere, quòd *nullum malum impunitum, nec bonum irremuneratum*; & idcirco est timendum divinum judicium; & nullus potest evadere mortem, nec confidere in multitudine divitiarum, nec in potestate & gloria mundana, quæ non possunt hominem liberare contra divinum judicium: sumit exemplum & parabolam ex peccato E & punitione *Adæ* primi parentis: qui cum esset creatus in tanta gloria immortalis, quia poterat non mori; & in tanta dignitate & dominio, quia dominabatur omnibus piscibus maris, & volatilibus, & bestiis terræ; & in tanta copia divitiarum, quia omnes fructus terræ, & omnia mineralia erant in sua potestate: tamen peccando contra Deum, non obediendo ejus præcepto, illico fuit à Deo punitus, & ejectus ab illa gloria & dignitate, & ad utramque mortem destinatus; nec potuit secum attrahere illas divitias à paradiso terrestri: nec dignitas nec divitiæ potuerunt eum liberare, quin sententiâ mortis corporis & animæ puniretur, & ad alias humanas miserias destinaretur, & mulctare- F tur ad pœnas corporales, ut patet *Genes.* 3. Et sic quia ille *homo* positus in tanto *honore non intellexit*, nec cognovit seipsum, immò rebellavit contra Deum, non parendo præcepto; ideo *comparatus est jumentis* & bestiis *insipientibus*: quia punitus est ad mortem, & ad alias pœnas temporales: & *factus est* mortalis, *similis bestiis.*

Arguitur à majori ad minus.

Arguitur ergo sic. Si ille homo positus in tanta dignitate & honore, propter ingratitudinem, & inobedientiam, & peccatum, punitus est ad mortem, & pœnas corporales & spirituales, & ad pœnam inferni, & ejectus ab illa gloria & paradiso, non potuerunt eum liberare divitiæ & gloria sua, nec potuit divitias suas secum por- G tare: ita pariter, immò à fortiori, divites hujus mundi, qui non paruerunt divinis præceptis, immò oppresserunt & afflixerunt pauperes, non poterunt evadere judicium, ne puniantur pro peccatis suis, quia *nullum malum impunitum*; nec poterunt evadere mortem corporalem, quia tunc fuit data sententia mortis omnibus filiis *Adam*: nec multitudo divitiarum poterit divites liberare à morte corporali, nec à divino judicio: quia illa punitio *Adæ* fuit exemplum & parabola omnibus prævaricatoribus divinæ Legis. Hæc est ergo *parabola*, ad quam David inclinavit aurem & intelligentiam suam, & hæc est *propositio* quam aperuit ad inferendam conclusionem divini judicii per Christum in no- H vissimo die faciendi, & ad incutiendum terrorem omnibus divitibus, & ingratis, & peccatoribus obstinatis.

Et etiam arguit ulterius implicitè: quòd sicut *Adam* faciendo & agendo pœnitentiam in hac vita de peccato suo, meruit veniam, & liberatus est ab inferno in primo adventu Christi cum cæteris sanctis Patribus; de cujus pœnitentia habetur *Sap.* 10. *Hæc illum, qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit il-*

Not. quomodo etiã exemplo Adæ est pœnitentia facienda.

illum à delicto suo : ita pariter quicumque egerit pœnitentiam in hac vita ante mortem, & timuerit divinum judicium, non confidens in multitudine divitiarum suarum, sed ponit spem suam in passione Christi, & agit pœnitentiam; omnis talis liberabitur à peccato per illam pœnitentiam, & recipietur à Christo post mortem suam, & in die judicii, cùm venerit. Et ideo David volendo hoc concludere, proponit tres quæstiones, sive dubitabiles propositiones, quæ non sunt in veritate dubitabiles sapientibus, sed insipientibus; in quibus solvuntur supradicti tres errores: quarum prima est ista. Dicit enim David: *Cur timebo in die mala*? id est: Quæ est causa, quare ego, & quilibet fidelis, debeo timere diem judicii, sive divinum judicium, quod fit in morte uniuscujusque ? & generale judicium, quod fiet in fine mundi? Respondet ipsemet, & dicit : Quia *iniquitas calcanei mei circumdabit me.*

Nota. Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd hîc alludit ad sententiam datam à Deo mulieri in principio, in persona totius generis humani, & posteritatis suæ, quando dixit serpenti: *Tu insidiaberis calcaneo ejus.* Unde sicut se habet pes & *calcaneus* ad caput & totum corpus, quia est pars infima, in qua fundatur corpus, & portatur totum corpus, cùm corpus regatur à capite & oculis, quia oculi & caput dirigunt pedes & corpus : ita mulier est pars inferior, & vir superior; & mulier debet regi à viro, & non è converso, ut ait *Augustinus super Joannem:* ita pars sensitiva, sive sensualitas & caro, debet regi à ratione, & non è converso: & propter hoc sensualitas & caro dicitur pes, sive *calcaneus* in Sacra Scriptura respectu rationis. Unde Salvator ait, *Joann.*13. *Qui mundus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Quasi dicat, quòd licèt quis sit mundus in conscientia per pœnitentiam; tamen adhuc manet concupiscentia & vitium naturæ in carne, quam nullus potest lavare, nisi solus Deus per gratiam.

Nota de carne, & ratione. Ex quo patet, quòd Christus ibi per pedes intelligit carnem vitiatam per concupiscentiam : ratio autem dicitur caput. Sed quia *Adam* voluit regi à muliere contra præceptum Domini : ideo bene meritò fuit percussus in sensualitate; & sensualitas fuit facta debilissima, & fragilis, & infirma. Ideo diabolus, quando vult hominem tentare, incipit à parte debiliori, scilicet, à sensualitate, quæ dicitur non solùm pes, sed *calcaneus* in homine, eò quòd est pars magis prope terram, & infima, & posterior. Ideo dixit Deus serpenti: *Tu insidiaberis calcaneo ejus* ; id est, sensualitatem debilem primò tentabis & mordebis. Deinde dicit viro : Quia *audisti vocem uxoris tuæ : maledicta terra in opere tuo : spinas & tribulos &c.* Quasi dicat : quia mulier obedivit diabolo, & tu obedisti mulieri: ideo sensualitas & caro tua erit semper vexata à diabolo, obediens ei frequenter : & spiritus & caro tua obedient sensualitati, & conscientia vexabitur ab ea. Et sicut diabolus insurgit adversus carnem; ita caro adversus spiritum & rationem, & illaqueat & decipit animam. Nam diabolus in carne & sensualitate nostra tendit rete & laqueum suum, qui dicitur fomes & concupiscentia : in quo laqueo, sive retiaculo capit animam & rationem per consensum. Nam quandocumque ratio, sive voluntas paret sensualitati & carni, tunc dicitur illaqueari & capi ab eo : de quo retiaculo & laqueo dicitur *Psal.*14. *Cadent in retiaculo ejus peccatores.*

Peccare quid sit. Ex quibus patet, quòd peccare nihil aliud est, nisi animam à laqueo sensualitatis, & concupiscentiæ, & fomitis carnis capi & illaqueari: quem quidem laqueum nemo potest evadere, nec vitare, nisi gratiâ Christi, ut ait *Apostolus ad Roman.*7. Et propter hunc laqueum omnes debemus timere futurum judicium : & semper debemus orare, ne intremus in tentationem : & ne anima nostra illaqueetur à laqueo sensualitatis & carnis, sicut captus est *Adam* per mulierem; & ne tali judicio puniamur, & á facie Dei in judicio ejiciamur, sicut ejectus est *Adam* per mulierem à facie Domini. Et si forsitan peccaverimus, & aliquando capti fuerimus in laqueo diaboli: quòd faciamus pœnitentiam, & retrahamus *calcaneum* & pedem *à laqueo venantium* per pœnitentiam, antequam veniamus ante Judicem in die mortis nostræ, & in generali judicio, ut inveniamur expediti à laqueo peccati: & sic semper in vita nostra debemus timere futurum judicium, & agere pœnitentiam.

Hi non timent judicium futurum. Et ideo duo sunt genera hominum, vel tria, qui non timent futurum judicium, nec curant agere pœnitentiam. Primò hypocritæ, qui confidunt in virtute & viribus suis: & sic nullum putant se habere peccatum : sicut *Pharisæus*, qui dicebat: *Non sum sicut cæteri hominum*, *Lucæ* 18. Et divites hujus mundi, qui non sperant aliam vitam: Et stulti, & insipientes, qui nunquam putant se morituros. Et sic omnes isti nec curant petere gratiam, & orare, ne intrent in tentationem, & ne illaqueentur peccato, nec curant agere pœnitentiam. Et hos errores extirpat Propheta in hac parte. Unde quærit dicens: *Cur timebo in die mala* ? id est, in die judicii, tàm particulari, quàm universali ? Et respondet : Scis quare timeo futurum judicium? Ideo timeo, quia *iniquitas calcanei mei circumdabit me*, id est, quia sui illaqueatus iniquitate, & laqueo calcanei, & carnis, & sensualitatis meæ. Et scio, quòd si sic illaqueatus peccato apparuero ante Judicem *in die mala*, id est, in die mortis meæ,

meæ, & in die generalis judicii; tunc Deus ejiciet me à facie sua, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum*, sicut ejecit *Adam* de A paradiso terrestri, ne comederet de ligno vitæ, & ne viveret in æternum. Et ideo volo agere pœnitentiam, & exire à laqueo peccati, & justificari per pœnitentiam, & gratiam Christi, dum vivo, postquam habeo facultatem in hac vita: ut Deus dicat mihi in judicio: *Venite benedicti &c.*

Iniquitas ergo *calcanei*, nil aliud est, nisi vitium sensualitatis & carnis, vel peccatum commissum ex vitio sensualitatis: & hoc peccatum circumdat, & ligat, & illaqueat, & accusat peccatorem ante Deum in morte, vel in judicio, nisi egerit pœnitentiam. Quasi dicat: ideo ego, & quilibet homo, debet timere divinum judicium, quoniam sum peccator, & sum B vulneratus in carne. Nam *iniquitas calcanei mei*, id est, vitium & laqueus sensualitatis & carnis, *circumdabit*, & accusabit *me* in die judicii, nisi egero pœnitentiam: quia sequendo sensualitatem, & consentiendo carni, commisi multa peccata. Nam sicut rete, sive laqueus circumdat & impedit avem, vel feram; ita concupiscentia capit, & circumdat, & ligat hominem in peccato, ut patet *Jac.* 1. quia *unusquisque tentatur à sua concupiscentia illectus & abstractus*: omnes ergo oportet semper orare. Et sic solvitur prima quæstio, quare est timendum divinum judicium? quia *nullum malum impunitum*, & quia omnes sumus proni ad malum, & fragiles ad bonum agendum. C

De Pœ. d. 3. c. Quâ quam, & cap. Quid ergo.

6. *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur.*

HIC solvitur secundus error, & secunda quæstio ex solutione primæ. Nam multi sunt, scilicet, divites hujus mundi, qui tantùm confidunt in divitiis suis & dominio mundano, quòd non credunt aliam vitam, nec pœnam peccatorum post mortem: & sic putant per divitias suas omnia mala evadere. Sed contra hos invehitur Propheta, dicens, quòd in die judi- D cii nemo poterit redimere seipsum quibuscumque divitiis.

Nam

*** *** ***
*** *** ***

E 7. *Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam.*

13. q. 2. c. In præsenti.

8. *Et pretium redemptionis animæ suæ: & laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem.*

De Pœ. d. 3. c. Quid ergo turbamur.

9. *Non videbit interitum, cùm viderit sapientes morientes: simul insipiens, & stultus peribunt.*

F SI *frater* justus & sanctus *non* poterit *redimere* in illa die judicii alium fratrem suum damnatum: ergo quomodo poterit dives damnatus redimere seipsum illa die? cùm ipse sit reus, & dimittat omnes divitias in hoc mundo, & nullum pretium poterit dare pro se. Legitur ergo iste versus interrogativè. Unde dicit Propheta: Qui sunt illi fatui & temerarii hypocritæ, qui confidunt in virtute sua & viribus suis, putantes se esse justos sine peccato, & non indigere gratiâ Christi? cùm supra dictum est, quòd *iniquitas calcanei*, & concupiscentia *circumdat* unumquemque, & *trahit sua quemque voluptas*: & quòd qui mundus est in conscientia, etiam *indiget ut pedes lavet* per gratiam prævenientem, & G oret ne cadat? Et qui sunt etiam illi stulti, qui confidunt in multitudine divitiarum suarum, putantes, quòd divitiæ suæ liberabunt ipsos ab omni malo? si *nullum bonum irremuneratum*, & *nullum malum impunitum*. Ergo in die judicii unusquisque debet judicari secundùm quod hîc gessit, bonum, aut malum; & statum in quo ibi fuerit repertus, justificatus, aut peccator: quia ibi non erit locus veniæ, sed sententiæ. Et ideo *frater* justus *non poterit redimere* fratrem peccatorem, nec patrem. Nam sancti Martyres conversi ex populo Gentili, non poterunt redimere fratres suos, & patres mortuos in infidelitate: immò cùm mali petent à justis dicentes: *Date* H *nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguntur*, respondebunt, & dicent justi peccatoribus: *Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis*: & sic *claudetur janua* peccatoribus in illa die.

Nota de præsumptuosis.

Dicit ergo Propheta: Si frater non poterit redimere, nec redimet fratrem suum, nec patrem in illa die: *redimet homo*, seipsum, supple? Quasi dicat: Non poterit se homo redimere cum divitiis hujus mundi in illa die: & quasi dicat, *Nullo modo*: immò dico tibi, quòd in illa die homo pecator *non dabit placationem suam*,

nec

nec pretium redemptionis animæ suæ, id est, nec poterit Deum precibus, aut aliquo sacrificio, nec muneribus placare: nec *dabit* aliquod *pretium* pro redemptione *animæ suæ*: quia nec tunc habebit divitias & dignitates, quas in hoc mundo habebat; nec aliquæ mundanæ divitiæ valebunt ad redemptionem & *pretium* pro anima sua, cùm peccatum ejus sit infinitum: quia est peccatum in Spiritum sanctum, scilicet, finalis impœnitentiæ, & *ad mortem*, pro quo non oportet orare: & sic iste talis dives ejicitur à facie Domini, sicut ejectus fuit *Adam* à paradiso; & iste *laborabit* & cruciabitur *in æternum* in inferno igne sempiterno, sicut *Adam* laboravit in hac vita *in sudore vultus sui* inter spinas, & vepres, & tribulos, omnibus diebus vitæ suæ in hoc mundo: ita *laborabit* & cruciabitur in inferno iste impœnitens.

Et vivet adhuc in finem. Hîc solvitur tertius error illorum, qui non timent divinum judicium: & qui nunquam putant se morituros. Ista particula est versiculus distinctus à superiori in numero, & in sententia. Nam isti sunt versus *Lyrici* & parvi: ideo in uno versu magno sunt duo, vel tres parvi in Hebræo, & in Latino, & quandoque plures, ut dictum fuit in principio; & hîc incipit alia sententia: & sic solvitur tertius error, & debet legi interrogativè. Unde dicit Propheta: *Et* iste dives stultus & insipiens *vivet adhuc in finem?* id est, numquid vivet in æternum, sicut ipse putat? Quasi dicat, non: quia stultum est talia credere, & putare se nunquam moriturum; *cùm* videat *Adam*, *Noe*, *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob*, & *Danielem*, & Apostolos, & Martyres, & omnes alios sanctos, & *sapientes morientes*. Ergo stultus & insipiens est ille talis dives, qui putat se nunquam moriturum, cùm videat & sciat omnes supradictos sapientes & sanctos fuisse mortuos: Ergo ita morietur ipse.

Contra non credentes mori.

Verumtamen est maxima differentia inter ipsum & illos *sapientes* & sanctos. Nam *sapientes*, & sancti viri & justi mortui sunt tantùm quoad corpus, & non quoad animam, quia anima eorum vivit in gloria: & ideo in finali judicio resurgent in corpore glorioso, & sic vivent, & regnabunt in æternum cum Christo in gloria. Sed *stultus & insipiens simul peribunt* quoad corpus & animam. Nam non solùm morietur corpus, cùm ab hac vita discesserit; sed etiam morietur anima morte culpæ, & cruciabitur in inferno, quæ dicitur *secunda mors*, & simul in corpore & animâ, & toti morientur. Nam sicut *sapiens* est ille, qui contemplatur & affectat cœlestia; & *prudens*, qui taliter disponit vitam, ut consequatur cœlestia: ita per oppositum *insipiens* est ille, qui non contemplatur, nec affectat cœlestia, sed terrena: & *stultus*, qui non dirigit vitam suam, ut adipiscatur cœlestia.

Et ideo omnes isti, licèt in judicio resurgant in carne, sed *non omnes immutabuntur* in corpus glorioſum, sicut justi, immò resurgent in corpore passibili, licèt nunquam possint mori, nec deficere; sed in corpore & animâ simul in æternum cruciabuntur: & sic *peribunt simul*, & semper erunt mortui, carentes vitâ spirituali. Et isti tales dicuntur *insipientes*, quia nunquam contemplati sunt, nec desiderarunt cœlestia, sed terrena. Et dicuntur *stulti*, & non prudentes, quia dum viverent, non disposuerunt bona sua mundana, dando eleemosynas pauperibus, ut *reciperent eos post mortem in æterna tabernacula*: & ideo tanquam insipientes & stulti *simul peribunt*.

10. *Et relinquent alienis divitias suas: & sepulchra eorum domus illorum in æternum.*

23. q. 1. ex Paratus.

NON portabunt secum divitias suas, cum quibus potuissent redimere peccata sua, eleemosynas largiendo, & potuissent emere regnum cœlorum; sed *relinquent alienis divitias suas*; nec poterunt secum portare. Sed forsan dices: quòd quando dives relinquit divitias suas filii, vel consanguineis, non relinquit alienis, sed suis. Respondetur: quòd filii damnatorum satis sunt alieni & extranei, postquam non possunt eos liberare ab inferno: nec etiam volunt pro eis eleemosynas facere. Ex quo patet, quòd *alienis relinquunt* possessiones, & omnia bona sua, sibi non relinquentes, nisi unum arctum sepulchrum & breve, in quo jacent eorum putrida cadavera. Ideo subdit:

11. *Tabernacula eorum in progenie, & progenie: vocaverunt nomina sua in terris suis.*

De Pœn. d. 3. c. Quid ergo.

ILLA *sepulchra eorum* erit *domus eorum in æternum*: quia nunquam recuperabunt amplius magnas domos & possessiones suas: sicut *Alexander*, & *Xerxes*, & *Cambises*, & *Attila*, & cæteri ambitiosi, quos totus mundus non poterat capere, nec tempus omne ad vivendum sufficere. Nunc vero jacent in arcto & brevi Sarcophago, & illa est *domus eorum in æternum*. Est verum, quòd tu potes dicere: quòd licet isti sint mortui corpore & anima: tamen adhuc vivunt famâ. Nam *Homerus* scripsit *Iliadam*, in qua effert *Achillem* in cœlum, & *Virgilius* commendat *Æneam*, & *Lucanus Cæsarem*, & *Pom-*

Not. quomodo fama facit vivere.

pejum : & *Herodotus Cyrum* , *Darium*, *Cambisen* , & *Xerxem* : & *Quintus Curtius Alexandrum* , & sic de singulis in suis A libris. Et sic fama istorum nunquam peribit ; & non solum ipsi qui in his libris commendantur , vivunt per famam ; sed etiam *Homerus* , & *Virgilius* , & *Ovidius*, qui libros scripserunt. Unde *Ovidius* in fine libri *Metamorphoseon* dicit nunquam se moriturum , sed semper victurum per famam. Unde ait:

Jamque opus exegi , quod nec Jovis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum , nec edax abolere vetustas;
Quaque patet domitis Romana potentia terris
Ore legar populi ; perque omnia sæcula famâ,
Si quid habent veri vatum præsagia , vivam. B

Ex quibus patet , quòd non solùm Reges & Principes, sed etiam Philosophi , & Poëtæ , & Scriptores per famam putabant, nunquam mori. Et ideo ad perpetuam memoriam eorum faciebant sibi alta sepulchra parari , & construi : in quibus describebantur eis epitaphia , in quibus memorabantur immortalia gesta eorum. Et sic legitur in Epitaphio *Virgilii*: *Mantua me genuit &c.* Et in Epitaphio *Terentii*:

Natus in excelsis tectis Carthaginis altæ &c.

Et ideo dum *Alexander* transiret *Helespontum* , & pervenit ad sepulchrum *Achillis* apud *Ilium* , & legeret ejus Epigramma, C dixit : *Felix tu Achilles , quem talis cecinit tuba :* & sic simul dixit beatum & felicem *Achillem* , qui memoranda gesserat bella : & *Homerum* qui altissima tuba , & immortali facundiâ ipsum in suis libris commendaverat. Et sic putabant etiam cæteri divites , & Philosophi hujus mundi , per famam vitam in æternum ducere , & nomen extendere factis. Hunc autem errorem confutat hîc Prophetа , dicens : Licet *tabernacula* & sepulchra istorum maneant *à progenie in progenie* , & ostendantur eorum magna sepulchra , & pendeant magna vexilla in templis supra sepulchra eorum , & erigantur statuæ in foris , in eorum memo- D riam : & licet isti *vocaverunt* & affamarunt *nomina sua in terris suis* , memorando ea in Epigrammatibus & Epitaphiis , & *vocaverint* & dilataverint *sua nomina in terris suis* , gestis bellorum , aut scriptis Poëtarum , & Philosophorum , & Historiographorum : tamen non potuerunt *sua nomina vocare* , nec dilatare in cœlo : nec valet eis ista fama , cùm animæ eorum crucientur in æternum in inferno. Sed sapientes , scilicet *Abraham* , *Isaac* , *Jacob* , & Apostoli , & Martyres , & Doctores sanc- E ti , sunt verè felices & beati , qui licèt in hac vita fuerunt afflicti temporaliter : tamen nomina eorum scripta sunt in cœlis, & vivunt æternaliter. Et ideo isti fuerunt *sapientes* & *prudentes* , qui dum viverent in hac vita , relictis divitiis , & cæteris mundanis vanitatibus , per eleemosynas, & bona opera adepti sunt regnum cœlorum. Per oppositum autem isti fuerunt *stulti* & *insipientes* , qui contemptis bonis spiritualibus , secuti sunt mundanas vanitates ; & dum essent in hac vita , ubi potuissent Deo servire , & cum eleemosynis & divitiis peccata redimere , & pœnitentiam agere ; potius voluerunt servire creaturæ , quàm Creatori , & propriis voluptatibus , quàm Deo parêre , & divinæ Legi obedire. Et ideo accidit eis , sicut & pri- F mo homini. Nam

12. *Et homo , cùm in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus , & similis factus est illis.*

35. dist. cap. 6. & 44. d. Nō liceat.

ILLE *homo cum esset in honore* in illo terrestri paradiso , dominus omnium creaturarum à Deo constitutus , elatus in superbiam *non intellexit* , nec consideravit beneficia sibi collata , & voluit parêre & complacere potius uxori , & diabolo, quàm Deo , à quo tantum honorem & beneficia receperat : ideo ejectus est à paradiso , & à facie Domini : & reliquit ibi G omnia quæ possidebat , & præcipue arborem vitæ , ne comederet , & ne viveret in æternum. Et factus est mortalis & miser, & *comparatus est jumentis* & bestiis *insipientibus* , *& factus est illis similis* , quia secutus est voluptatem & sensualitatem , sicut bestia : & ideo fuit condemnatus ad mortem corporis & animæ , sicut bestia. Nam licèt anima peccatoris nunquam deficiat ; tamen dicitur mortua , quia caret vitâ spirituali & æterna.

Nota contra divites.

Ita pariter accidit amatoribus hujus mundi. Nam ideo Deus dedit eis divitias, ut eis bene uterentur , & pauperibus subvenirent , & eleemosynis peccata redime- H rent , & alia bona operarentur. Et in hac vita dedit eis statum merendi , & pœnitentiam agendi , & servando Legem divinam, regnum cœlorum adipiscendi. Sed *cum* isti *essent in* tali *honore* & opportunitate, fuerunt Deo ingrati , & beneficia sibi collata , & tempus merendi *non intellexerunt*, nec consideraverunt , & pœnitentiam agere noluerunt , immò contempserunt : ideo tanquam ingrati , & bestiæ projicientur à facie Domini in die mortis suæ , & *mittentur*

tur in tenebras exteriores ; & in generali judicio dicet eis Christus: *Ite maledicti in ignem æternum.* Et sic erunt in Inferno A subjecti sub potestate diaboli, *facti similes bestiis*, quæ semper laborant sub potestate hominum cum flagellis & verberibus.

Ex quibus patet, quòd *stultus* & *insipiens* est ille, qui non timet futurum judicium, confidens in virtute propria, & multitudine divitiarum, & putat se non moriturum. Et ideo non agit bonum, nec declinat à malo, nec agit pœnitentiam in hac vita, dum potest; & non corrigit vitam suam per exempla aliorum, & per doctrinam Sacræ Scripturæ, & maximè exemplo ipsius *Adam.* Et hæc est *parabola in quam inclinavit aurem suam, & propositio*, quam nobis in hoc Psalmo *aperit* David Propheta. Licèt autem *Beatus Augustinus*, & *Hieronymus* aliter exponunt B istam litteram; tamen ego non intendo contraire auctoritati eorum, quibus velut Patribus, & Magistris, & Præceptoribus pareo.

6. q. 1. c. *Imitare.*

13. *Hæc via illorum scandalum ipsis: & postea in ore suo complacebunt.*

HÆC est secunda pars, in qua postquam confutavit errorem insipientium, hîc exemplificat eorum pœnam æternam post hanc vitam, quæ erit duplex: una erit pœna ignis in inferno, & altera erit C pœna vermis, & doloris cordis, cùm in judicio videant pauperes & humiles, quos ipsi oppresserunt, regnare cum Christo, & possidere regnum, quod ipsi poterant possidere. Dicit ergo: *Hæc* fuit *via* & modus vivendi illorum insipientium in hac vita, scilicet, præsumere de propria justitia, & confidere, & gloriari *in multitudine divitiarum*, & putare nunquam mori. Ideo *hæc via* & error fuit *scandalum ipsis*, quo ceciderunt in tam magnum errorem & stultitiam. Item *hæc via*, id est, iste triplex error fuit *scandalum* & causa ipsis divitibus insipientibus, ut non timerent, nec crederent etiam futurum judicium, nec pœnas futuras pro peccatis suis. Et sic contempserunt Deum, & Legem suam, & commiserunt omnia scelera, & non quæsierunt D nisi gloriam in hoc mundo, nec *complacebant*, nisi sibi *in ore suo*: nec loquebantur, nisi de rebus terrenis & mundanis, nec volebant aliud audire, nisi vanitates, & adulationes, & non correctiones sapientum, & Sacræ Scripturæ: ideo *in ore suo complacebant* sibi ipsis.

*** *** ***

E 14. *Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos.*

15. *Et dominabuntur eorum justi in matutino: & auxilium eorum veterascet in inferno à gloria eorum.*

26. d. *Qui in aliud. De Pœ. d. 7. Nullus*, 33. q. 2. *Admonere.*

LIcèt *in ore suo* sic *complacerent* in hoc mundo; tamen postea *sicut oves in inferno positi sunt.* Nam sicut oves quæ priùs pascebantur in pratis, postea recluduntur in ovili, & *mors depascit eas*; quia occiduntur in macello ad cibum & pastum F hominum: ita pariter accidit istis. Nam qui ante comedebant & devorabant pauperes, & bona eorum diripiebant in hoc mundo, post mortem positi sunt in ovili inferni, & *mors* perpetua inferni *depascet* & comedet eos, & erunt cibus diaboli, & esca draconum, & populis nigris Æthiopum inferni. Et ista est prima pœna eorum, in quantum sunt esca ignis & diaboli. Secunda est pœna vermis, & doloris cordis, qui *vermis nunquam morietur*: & etiam quia *justi* & sancti, quos ipsi oppresserunt & devorarunt in hac vita, *dominabuntur* & judicabunt *eos* cum Christo *in matutino* judicio, quod fiet post noctem hujus vi- G tæ.

Unde dies judicii dicitur *dies mala*, & *amara valde* peccatoribus damnatis: sed dicitur *matutinum*, & *dies clara*, & *mane*, in qua resurgent omnes justi, & claritatem gloriæ post tenebras & persecutiones hujus vitæ recipient. Dicitur etiam *matutinum*, quia omnia quæ in hac tenebrosa nocte fuerunt occulta, tunc erunt omnibus manifesta: pariter Lex Euangelica dicitur *matutinum* respectu Testamenti veteris, quia omnia sacramenta, quæ ibi fuerunt occulta, fuerunt per Christum patefacta. Et sic resurrectio Christi fuit *matutinum*, & *aurora* hujus diei gratiæ. *Secundum* vero *matutinum* erit in die Judicii, & tunc *auxilium*, & multitudo divitiarum eorum, in quibus confidebant, *veterascet*, & evanescet *à gloria eorum*; & H frustrabitur, sicut quando pannus veterascit non potest resistere frigori, nec est alicujus pretii. Quasi dicat, quòd divitiæ suæ non poterunt ipsis auxilium præstare, nec liberare: quia deficiet gloria eorum, & dum fuerint in inferno, frustra expectabunt auxilium: quia *ibi nulla est redemptio.*

Dies Judicii dicitur dies mala

Et notanter dicitur: *Justi dominabuntur eorum in matutino*, quia justi erunt in matutino gloriæ; sed damnati in tenebris & die malo pœnarum. Et tunc *justi* existentes *in matutino* gloriæ *stabunt in magna*

na constantia adversus eos qui se, scilicet, ipsos, *angustiaverunt*, & oppresserunt in hac vita, accusantes eos ante Judicem A Christum. Et tunc illi divites impii, qui *abstulerunt labores* & bona *illorum*, *videntes* justos in tanto honore cum Christo, *turbabuntur timore horribili*, *pœnitentiam* infructuosam *agentes*, & *dicentes intra se*: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est*, quam hæreditatem nos poteramus obtinere, *Sapientiæ* 5. Et iste vermis pœnitudinis, & doloris conscientiæ, & invidiæ *depascet eos*: & sic *mors depascet eos*, scilicet, ignis & vermis.

2. q. 4 Mennam, & 3. q. 3. Dignum.

16. *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me.* B

HIC explicat præmium bonorum & justorum, quod nil aliud erit, nisi assumi in societatem Christi, & regnare cum eo. Ideo ait cœtus justorum: *Verumtamen* dum illi injusti reponentur & mittentur in infernum *sicut oves*, & *auxilium eorum veterascet*, & frustrabitur, & patientur pœnam ignis & vermis: tunc Dominus Jesus Christus pro cujus amore ego passus sum, & cum patientia sustinui opprobria & damna in mundo, *redimet animam meam*, & liberabit *de manu* & potestate *inferi*, *cùm acceperit me*. Quasi dicat: Postquam multitudo divitiarum & C propriæ vires, nec *frater* poterit redimere hominem in hora mortis, aut in die judicii: ideo ego expectabo per fidem, quod Dominus Christus *redimet animam meam* per passionem suam, & Sacramentum Pœnitentiæ, & assumet me ad suum regnum, dicens: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*: cujus regni tanta erit gloria, quod *nec auris audivit*, *nec oculus vidit*, *nec in cor hominis ascendit*. Quasi dicat, nil aliud potest redimere hominem in hac vita, nisi pœnitentia. Nam homo peccator non se potest redimere in morte per vires suas, nec per multitudinem divitiarum, nisi per solam pœnitentiam. Unde notanter dicit: *Redimet animam*: eò quòd supra dixit: D *Stultus & insipiens simul peribunt*, id est, in corpore & anima. Ideo iste fidelis ait: *Verumtamen* ego non curo quod corpus moriatur; sed expecto quod *Deus redimet animam meam de manu inferi* per pœnitentiam: & sic non confido in multitudine divitiarum, sed in solo Deo, & Sacramento Pœnitentiæ: & sic securus ibo ad mortem & judicium.

E 17. *Ne timueris cùm dives factus fuerit homo: & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus.* 12. q. 2. c. Gloria.

HIC consolatur, & exhortatur justos ad pœnitentiam, dicens: O vir juste, si tanta pœna erit pœna malorum, & tanta gloria dabitur justis in judicio post hanc vitam: ergo *ne timueris cùm dives factus fuerit homo*: & ne desperes, licèt opprimat te in hac vita: & ne diffidas *cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus* in copia divitiarum, & prolis, & dignitatum, & diripiat bona tua: nam parum durabit gloria sua. F

18. *Quoniam cùm interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus.* Job 27. dist.

19. *Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.* 14. q. 4. Quid dicam.

CUM *interierit*, *non sumet* secum, nec portabit *omnia* bona, *nec gloria domus ejus descendet cum eo* ad infernum: quia *omnia* relinquet in hoc mundo. Et ideo non desideres gloriam ejus: quia tantùm G durabit in hac vita gloria ejus & fama, & tantùm *in sua vita benedicetur* & laudabitur ab adulatoribus: & in tantùm te diliget, & *confitebitur tibi* & laudabit, quantum *benefeceris* ei & adulatus fueris, & munera porrexeris. Et dum feceris ei munera, tunc *tibi* se esse amicum *confitebitur*, & te laudabit, & favorem promittet: & tantùm durabit amicitia, quantum eum laudabis, & munera porriges. Et propter hoc, quia iste talis fuit mundanus & filius pravorum, secutus est pravitatem patrum suorum dum viveret: ita sequetur eos post mortem. Et sic

H 20. *Introibit usque in progenies patrum suorum: & usque in æternum non videbit lumen.* 46. d. Omnes.

INtroibit *in progenies patrum suorum*, quorum scelera imitatus fuit in hac vita: & ideo cum eis simul cruciabitur in inferno, & *non videbit lumen* gloriæ *in æternum*, immò tenebras exteriores.

* * *

21. Ho-

Supra eodem.

21. *Homo cùm in honore esset, non* A *intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

CONCLUDIT iterum ad majorem expressionem, quòd sicut primus *Homo, cùm esset in honore, non intellexit*: ita quilibet mundanus homo, cum esset in hoc honore & opportunitate faciendi bonum, *non intellexit*, nec consideravit beneficia sibi collata: nec providit pro vita futura, dum poterat, & erat in tempore merendi, & pœnitentiam agendi, & non fecit: *ideo comparatus est jumentis*, sicut dictum est supra. B

Ex quibus patet, quòd tota intentio David in hoc Psalmo, est exhortari, & inducere omnes ad declinandum à malo, & agendum bonum, & agendam pœnitentiam in hac vita; & ne differant pœnitentiam usque ad mortem inclusivè; & ne decedant cum peccato: quia post mortem non est tempus nec locus pœnitentiæ, sed judicii: quia *nullum malum impunitum, nec bonum irremuneratum.* Ad quod probandum sumit parabolam & propositionem ex peccato & punitione *Adam* primi hominis: qui cum esset in paradiso *cum honore, non intellexit*, & *comparatus est jumentis.* Et ideo, ut magis imprimat & incutiat terrorem in cordibus nostris, iterat illud dictum, & punitionem *Adæ*, sicut fit in præconizationibus comminatoriis: ubi dicitur C geminando in principio & fine, quando portatur reus ad patibulum: *Qui sic faciet, sic punietur.* Et sic Christus comminans futurum judicium, dicit: *Vigilate*, iterum dico vigilate.

Nota. Ex isto Psalmo, & ejus expositione recolliguntur tredecim conclusiones.

Prima conclusio: quòd David convocat omnes conditiones & status hominum, præcipuè divites & potentes, ad audiendam doctrinam hujus Psalmi.

Secunda conclusio: quòd in hoc Psalmo intendit procedere parabolicè, arguendo & confutando errores hominum potentum & divitum, qui non timent futurum judicium, putantes se nunquam morituros.

Tertia conclusio: quòd unusquisque D debet timere futurum judicium, quantumcunque sit justus: & hoc propter laqueum concupiscentiæ latentem in carne; quæ quidem concupiscentia incitat ad omne peccatum, nisi juvetur homo gratiâ Christi.

Quarta conclusio: quòd nullus dives debet, nec potest confidere in multitudine divitiarum suarum: quia non poterunt ipsum redimere in die judicii; quia ibi nullum pretium poterit redimere hominem: E quia non erit tempus pœnitentiæ, sed sententiæ.

Quinta conclusio: quòd in die judicii homines justi & sancti non poterunt redimere fratres, nec patres mortuos sine pœnitentia, aut sine fide.

Sexta conclusio: quòd nulla potentia aut virtus poterit homines liberare à morte corporali: quia non solùm *insipientes*, sed etiam *sapientes* morientur.

Septima conclusio: quòd hæc est differentia inter sapientes & insipientes: nam *sapientes* moriuntur solùm quoad corpus, sed non quoad animam; quia vivunt in cœlo per gloriam, & resurgent in corpore glorioso in Judicio: sed *insipientes*, scilicet, impœnitentes & infideles, simul morientur quoad corpus & animam; quia non F resurgent in resurrectionem vitæ æternæ, sed *in resurrectionem judicii* ad patiendum pœnas æternas. *Differentia inter sapientes & insipientes.*

Octava conclusio: quòd divites & potentes, & etiam Philosophi, & Historiographi, licèt *vocaverint nomina sua* in hoc mundo per famam: tamen fama simul cum eis peribit; immò cadavera eorum jacebunt in parvo sarcophago in æternum.

Nona conclusio: quòd divitiæ, & potestates, & dignitates, & facundia, potiùs fuerunt hominibus malis ad scandalum in hoc mundo, quam ad utilitatem & bonum consequendum: quia ex malo usu earum consecuti sunt perpetuam damnationem: quia *sicut oves in inferno positi sunt, & mors depascet eos.*

Decima conclusio: quòd sicut divites & potentes comederunt bona pauperum, G ita *mors* æterna *depascet eos.*

Undecima conclusio: quòd pauperes non debent indignari cùm videant malos prosperari, & fieri divites in hac vita, quia breviter morientur, & *relinquent alienis divitias suas*, & in æternum cruciabuntur in tenebris inferni.

Duodecima conclusio: quòd pauperes accusabunt divites & potentes apud Deum in die Judicii.

Decimatertia conclusio: quòd sicut *Adam*, cum esset positus in tanto honore & dignitate in paradiso, & *non intellexit*, nec scivit conservare, & custodire statum suum, contemnendo divinum præceptum; ideo fuit ejectus à felici loco & statu in quo erat; & expoliatus omnibus bonis fuit po- H situs in hac valle lacrymarum & miseriæ, *comparatus jumentis insipientibus*, quia factus mortalis & ignorans sicut bestia: ita quilibet homo potens & dives, qui nescit custodire gratiam & innocentiam quam recepit in Baptismo; aut non agit pœnitentiam de peccatis, dum habet tempus; aut non providet pro futura vita adipiscenda per eleemosynas & opera meritoria; ejicietur ab hoc mundo, nil de bonis tempora- *Nota de Adam.*

poralibus secum portando : & in die judicii ejicietur à facie Domini in ignem æternum. Et sic morietur quoad corpus & A animam, sicut jumentum & bestia. Et hoc quoad mortem spiritualem.

Psalmus XLIX.

1. *Deus deorum Dominus locutus est : & vocavit terram.*

6. q. 1. c. Si omnia & 15. q. 6. c. Si à Sacerdotibus.

Titulus : *Psalmus Asaph.* Licet quidam Hebræi & Catholici dicant, quòd *Asaph* fecit hunc Psalmum, & cæteros ipsi intitulatos : tamen jam in principio dictum est, quòd nulla ratione moventur, nec habent aliquam authoritatem pro se. B Nam *Asaph*, & *Heman*, & *Idithun* non dicuntur prophetæ, nec prophetantes, eò quòd Psalmos conficerent, sed quia *prophetabant*, id est, Psalmos cantabant in organis *juxta Regem*, ut patet 1. *Paralipomenon* 25. Prophetare idem est, quòd prophetias canere & interpretari : ut ait Apostolus *prima ad Corint.* 14. Et ideo est dicendum secundùm *Augustinum*, quòd David fecit hunc Psalmum, & omnes alios : sed distribuit eos cantandos & interpretandos ipsis *Asaph*, & *Ethan*, & *Heman*, qui fuerunt de filiis *Core* : & ipsi *Idithun*, ut patet 1. *Paralipomenon* 23. ubi dicitur, quòd *psaltes canebant in organis quæ fecerat David ad canendum.* Item 2. *Paralipomenon* 7. dicitur in dedicatione domus C Domini : *Sacerdotes autem stabant in officiis suis : & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David Rex ad laudandum Dominum : Quoniam in æternum misericordia ejus, hymnos David canentes per manus suas.*

Ex quibus patet, quòd David fecit hunc Psalmum, & dedit ipsum cantandum filiis *Asaph* : eò quòd dirigitur toti Ecclesiæ, sive congregationi hominum ; *Asaph* enim interpretatur *congregatio* sive *collectio.* Unde sicut per filios Core intelligitur mysticè Ecclesia congregata ex Gentilibus, & filiis malorum parentum : ita per *Asaph* intelligitur tota Ecclesia simpliciter secundùm nominis interpretationem. David ergo fecit hunc Psalmum, & intitulavit *Asaph*, D eò quòd loquitur de universali *Judicio*, ad quod congregabuntur omnes gentes & nationes in *valle Josaphat* à solis Ortu & Occasu, ut manifestè patet in littera. Ideo dimissis diversis modis dicendi, est dicendum, quòd postquam David in Psalmo præcedenti probavit de necessitate futurum *Judicium* ; in hoc Psalmo describit executionem ejus futuram per exemplum. Et sic Psalmus iste dividitur principaliter in duas partes. Nam in prima describitur *Judicii* præparatio : in secunda *Judicii* executio : ibi. *Audi populus meus.*

Divisio Psalmi.

E Quantum ad primum est notandum, quòd *Judicium* est actus judicis. Et sic potest esse duplex actus ipsius judicis : quia aut judicat Legem, aut prævaricatores, & observatores Legis. Primum dicitur *Judicium discretionis*, in quantum judex interpretatur & declarat difficultates, & ænigmata Legis, & discernit inter ea : quia ejusdem est condere Legem, & interpretari, & discernere, & judicare secundùm Legem. Secundum dicitur *Judicium examinationis*, in quantum judex examinat observatores, & prævaricatores Legis, & præmiat, aut punit secundùm merita & demerita. Et sic tribuit unicuique quod suum est. Et ista tria pertinent ad eundem primò & principaliter, scilicet, ponere, sive condere F Legem, & interpretari, & examinare.

Quid sit judicium.

Sic ergo cùm Christus fuerit primus conditor, & lator Legis *Moysi*, & in quantum Deus dedit illam Moysi, & soli populo Israel per Angelos, ut patet *ad Hebræos* 1. Ideo venit in carne in primo adventu ad judicandam, & interpretandam, & discernendam Legem datam *Moysi.* Et sic dedit nobis Legem *Moysi* interpretatam & discretam : discrevit enim & separavit paleas à grano, & figuram à figurato, & umbram à veritate & lumine, & è converso : quia Lex Euangelica nil aliud est, nisi Lex *Moysi* interpretata per Christum & discreta : quia *non venit solvere Legem, sed adimplere :* quia *unum jota non præteribit à Lege*, quin interpretatum & G impletum sit in Christo. Et ideo ait *Augustinus*, *lib. de Catechizandis rudibus*, quòd *Testamentum vetus, nil aliud est, nisi occultatio novi ; & Euangelium nil aliud est, nisi manifestatio veteris Testamenti.* Ideo oportuit, ut Christus qui occultaverat illam Legem in illo parvo populo, veniret manifestè in carne, & interpretaretur, & discerneret eam, & ferret ipsam, & promulgaret declaratam toti mundo, postquam erat *Rex*, & *Judex* universalis.

Not. quomodo dedit Deus Legem.

Et sic fecit : quia venit in *Judæam*, & *Hierusalem*, & declaravit, & implevit eam in se, docendo & faciendo, & implendo & faciendo omnia quæ de eo scripta erant : & in *monte Sion* misit Spiritum in Apostolos, ubi receperunt septem do- H na Spiritus sancti ad Legem intelligendam : & postea misit eos ad prædicandum per universum mundum Euangelium omni creaturæ, promittendo præmium observatoribus, & pœnam prævaricatoribus, dicens : *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur.* Et ascendens in cœlum ex *monte Oliveti*, promisit eis, se venturum ad judicandum prævaricatores, & observatores, dicens per Angelos suos : *Viri Galilæi quid admiramini aspicientes ?* Quia

hic

hic Jesus sic, scilicet, in gloria & potestate magna & majestate, *veniet* ad judicandum totum orbem, *quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Et ideo dicunt sancti Doctores, quòd sicut Christus promulgavit Legem Euangelicam primò in *Hierusalem* & in *monte Sion*, & exinde per totum orbem ad omnes conditiones, & nationes, & linguas, & status: ita pariter in secundo adventu veniet in *Sion* & *Hierusalem*; & ad eundem locum congregabit omnes gentes, & nationes, & status hominum, & ibidem judicabit prævaricatores Legis, tribuens unicuique secundùm ea quæ taxata sunt in Lege.

De adventuduplici.

Sed dicit *Augustinus*, quòd diversimode veniet Christus in secundo adventu, quàm in primo. Nam licèt in primo venit ad judicandam & dandam Legem: tamen venit occultus, id est, mortalis & passibilis, ut judicaretur à Pilato & hominibus pro nobis. Sed in secundo adventu veniet manifestus, & *cum potestate magna & majestate*, ut judicet omnes homines in *valle Josaphat*, quæ est inter *montem Sion*, & *montem Oliveti*, ubi fuit captus & ligatus: de qua dicitur *Joelis* 3. *Congregabo omnes gentes in valle Josaphat, & disceptabo cum eis*, quasi in eodem loco, ubi dedit Legem. Unde hoc universale judicium prædicit David in hoc Psalmo.

Describit ergo David in hac prima parte præviam dispositionem, & præparationem ad *Judicium*, dicens: *Deus deorum*, id est, Judex judicum, qui est Christus, *locutus est*, primò Angelis suis; & præcepit, ut sonitu tubæ *à quatuor ventis* terræ convocarent omnes mortuos ad *Judicium*: ad cujus sonitum divina virtute omnes mortui surrexerunt.

De Conse. d. 3. c. ult.

2. *A solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris ejus.*

CHRISTUS *vocavit terram à solis ortu usque ad occasum:* id est, omnes qui erant sepulti in terra, & mortui: & ponitur *præteritum* pro *futuro* propter certitudinem prophetiæ, sicut frequenter fit in Psalmis, & cæteris prophetiis, ut ait *Cambi* in hoc loco.

Unde nota, quòd Christus dicitur *Deus deorum:* primò, quia est *Deus per essentiam.* Secundò, quia est primus & verus *Judex.* Item Apostoli, & Reges, & omnes Judices dicuntur *dii* in Sacra Scriptura: primò, per participationem: secundò, quia gerunt vices Dei in judicando, quia *omnis potestas à Deo est*: & sic omnes judices dicuntur *dii* in Sacra Scriptura, ut patet *Exod.* 22. *Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos*, id est, judices, *& jurabit.* Item *in eodem: Ad deos utriusque causa perveniet.* Item *in eodem*: *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices.* Etiam Christus dicitur *Deus deorum*, id est, Angelorum, & Sanctorum; *Judex judicum*, id est, Apostolorum, qui cum eo *judicabunt duodecim tribus Israel.* Christus ergo *Deus deorum locutus est, & vocavit terram* universam *à solis ortu usque ad occasum*, ut veniant ad judicium, sicut in primo adventu venit ad dandam Legem omni creaturæ. Sed erit differentia. Nam in primo adventu venit occultus, ut judicaretur ab hominibus, & tacuit ante *Pilatum.* Sed in secundo adventu

3. d. Ab exordio.

3. *Deus manifestè veniet: Deus noster & non silebit.*

DEUS noster Christus tanquam *Deus manifestè veniet* ad eundem locum, scilicet, ad *montem Sion*, ubi primò dedit Legem, & non apparebit ibi mortalis, & contemptus, & fragilis, cæsus, & ictus, & crucifixus, non habens aspectum neque decorem, sicut in primo adventu: immò *species decoris* & pulchritudinis ejus erit *ex Sion*; quia ibi apparebit in gloria & pulchritudine cum *potestate magna & majestate in nubibus cœli* supra *montem Sion*, & *Hierusalem*: & *non tacebit*, sicut tacuit ante Principes Sacerdotum, cùm palmis cæderetur & alapâ, & ante *Pilatum* cùm judicaretur: immò loquetur, & examinabit opera hominum & prævaricatores Legis. *Et non silebit* scelera hominum: immò manifestabit & fulminabit sententiam contra malos. Ideo

25. d. Qualis.

4. *Ignis in conspectu ejus exardescet: & in circuitu ejus tempestas valida.*

IN *conspectu ejus* erit *ignis*, & *exardescet* in terrorem malorum, & comburet omnia elementa: & erit *tempestas valida*, & omnia signa quæ prædixit Christus *Matth.* 25. & *Lucæ* 21. Et

6. q. 1. Si omnia, & 15. q. 6. Si à Sacerdotibus.

5. *Advocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum.*

ADvocabit *cœlum*, id est, omnes Angelos, & Sanctos, qui sunt in cœlo, ut sedeant secum ad approbandum sententiam. *Et vocabit* etiam *terram*, & omnes terrenos, & totum *populum suum discernere*, id est, ad discernendum bonos à malis, & oves ab hœdis, & ad judicandum eos & examinandum. Et hos congregabit

in voce Archangeli à summis cœlorum usque ad terminos eorum, quæ sunt elementa ad quæ terminantur influentiæ cœlorum & astrorum. A

95. d. c Ecce ego.

6. *Congregate illi sanctos ejus: qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.*

Christus tribus modis locutus est mundo

ISTA sunt verba Prophetæ. Unde nota: quòd Christus tribus modis locutus est mundo. Primò, locutus est per Patriarchas & Prophetas, prædicendo adventum suum in carne, & omnia mysteria Euangelica. Secundò, locutus est per os suum, & per seipsum in carne, verificando Legem & Prophetas per Legem Euangelicam. Tertiò, locutus est per Apostolos & Doctores, B qui prædicarunt Euangelium toti mundo. Unde sicut per Patriarchas & Prophetas ordinavit Testamentum vetus: ita per Apostolos & Doctores ordinavit Testamentum novum. Ideo in judicio Patriarchæ & Prophetæ veteris Testamenti, quibus data fuit Lex, & per quos Christus locutus est in veteri Testamento, & omnes Apostoli, qui prædicarunt Legem Euangelicam in novo Testamento, appellabuntur & congregabuntur cum Christo, ut sint testes utriusque Testamenti, & Conjudices cum Christo. Et ideo dicit: *Congregate &c.* Quasi dicat: O vos Angeli, *congregate illi*, id est Christo, omnes *Sanctos ejus*, scilicet, *Moysen*, & *Aaron*, & *David*, & cæteros, *qui* C ordinarunt *Testamentum ejus* vetus; & Apostolos & Doctores, qui ordinarunt & interpretati sunt & declaraverunt Testamentum novum *super sacrificia*, & Ecclesiastica Sacramenta, ut assistant Christo Judici, & sint testes, & approbent ejus sententiam. Littera verò *Hieronymi* habet: *Congregate mihi sanctos meos, qui disposuerunt pactum meum super sacrificia*: quod in eamdem incidit sententiam. Nam Christus præcipiet & jubebit, congregari omnes Patriarchas & Prophetas veteris Testamenti, qui vixerunt in Lege veteri, & salvati sunt sub fide & spe Christi futuri; & omnes Apostolos, & Sanctos novi Testamenti, qui viderunt, & receperunt Christum, & prædicarunt Legem ejus: & isti D omnes erunt testes & judices *judicantes duodecim tribus Israel.*

*** *** ***
*** *** ***

E 7. *Et annuntiabunt cœli justitiam ejus: quoniam Deus Judex est.*

6. q. 1. c. Si omnia, & 15. q. 6. Si à Sacerdotibus

TUNC *cœli* materiales, & sol, & luna, & stellæ *annuntiabunt* per signa, quomodo Christus est *Deus Dominus* eorum, & justus Judex omnium: quoniam ipsi cœli & elementa parebunt manifestè, & *annuntiabunt* ipsum esse Deum. Et non solùm *cœli* materiales, sed etiam *cœli spirituales*, scilicet, Angeli, & Apostoli, & omnes Sancti *annuntiabunt* illa die, *quoniam* Christus *est Deus*, & justus *Judex*: quia tàm Patres veteris Testamenti, quàm novi, præbebunt testimonium de Christo F in Lege, & Prophetis, & Euangelio, & approbabunt sententiam Judicis. Nam *Moyses* adducet & ostendet ibi Legem, quam in *monte Sinaï* accepit, & illi populo dedit: & *David* ostendet ibi omnes Psalmos, quos de Christo scripsit: & Prophetæ omnes prophetias, & Apostoli, & Euangelistæ omnia Euangelia, & *Paulus* omnes Epistolas, & *Augustinus*, & *Hieronymus*, & cæteri Doctores, omnia opera, quæ de Christo, & ejus Ecclesia scripserunt: & *annuntiabunt*, & affirmabunt, *quoniam* Christus est *Deus*, & *Judex* omnium, habens potestatem universalem in cœlo, & in terra. Et sic judicabunt, & condemnabunt filios Israel carnales, qui Christum non receperunt; & approbabunt duodecim G tribus, & filios Israel spirituales, qui per duodecim Apostolos Christo sunt regenerati, quæ est tota Ecclesia.

Nota.

8. *Audi populus meus, & loquar; Israel, & testificabor tibi: Deus Deus tuus ego sum.*

De Consec. d. 3. c. ult.

HÆC est secunda pars principalis, in qua præmissa dispositione & præparatione *Judicii*, describit ordinem discussionis & executionis ejusdem. Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd sicut in primo Judicio primi adventus Christi, H fuit examinata & discreta & interpretata Lex: ita in ultimo adventu, Christus examinabit prævaricatores & observatores Legis, ut unicuique tribuatur secundùm opera sua, & merita, vel demerita, & præmia, vel pœnas in Lege taxatas.

Sed quia in tota Lege nil aliud jubetur, nisi charitas, sive dilectio Dei, & proximi: quia *in his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ*, ut patet *Matth.* 22. ideo tota Lex est de cultu Divino, qui pertinet ad dilectionem Dei: vel de præceptis moralibus, quæ pertinent ad dilectionem proximi. Et ideo circa divinum cul-

cultum, aut conversationem proximi, contingit observantia, aut prævaricatio. Sed quia dilectio Dei, sive cultus divinus, præcedit dilectionem & conversationem proximi: ideo Christus in Judicio priùs examinabit de divino cultu, quàm de conversatione proximi.

Nota. Duo ergo facit in hac secunda parte. Nam primò, describit examinationem Judicis circa divinum cultum. Secundò, de præceptis, quæ pertinent ad dilectionem proximi; ibi: *Peccatori autem dixit Deus.*

Quantum ad primum est advertendum, quòd Propheta introducit Dominum loquentem in hoc Psalmo: & loquitur in Lege veteri admonendo populum Israel, & ex consequenti omnes homines mundi, quomodo ipse est venturus ad Judicium humanitate jam indutus, præsupponendo primum adventum in carne. Et prædicit, & admonet, de quibus debet quærere & examinare in Judicio generali. Et dicit, quòd de duobus, scilicet, de dilectione Dei, & proximi: id est, quomodo se habuerunt homines in cultu divino erga Deum, & quomodo erga proximum: & hunc ordinem tenuit Christus, *Matth.* 25. quia admonet Apostolos, de quibus est interrogaturus in Judicio, cùm venerit in novissimo die; & dicit Christus: quòd primò examinabit & interrogabit de his quæ pertinent ad Deum, & quomodo se habuerunt homines erga Deum: & ponit parabolam de quinque talentis, & de decem virginibus & lampadibus.

Christus examinabit sic.

Secundò dicit, quòd interrogabit, quomodo se habuerunt erga proximum; & petet de operibus misericordiæ, ut patet *in eodem Capitulo.* Idem ergo ordo servatur in hoc Psalmo. Dicit ergo Deus: *O populo meus*, attende, & sis cautus: quia ego veniam ad Judicium in forma humana. Ex quo patet, quòd ego ero ille, qui jam in primo adventu veni in carne tanquam Messias in Lege promissus. Quasi dicat, quòd ante Judicium jam præcedet adventus primus in carne. Et ibi in judicio loquar tibi in forma humana, in primo adventu jam assumpta: *& testificabor tibi* per Patriarchas, & Prophetas, & Apostolos, & Martyres, quos ibi congregabo, qualiter ego *Deus sum Deus tuus*; id est, per illos assistentes probando, qualiter *ego sum Deus tuus*, quem tu in primo adventu negasti, eò quòd veneram in carne mortali. Quasi dicat, quòd tunc cognosces, & non poteris negare, quòd ego sum Messias Deus & homo: quia licèt in primo adventu, ex invidia & malitia me negasti: tamen in secundo adventu non poteris me negare. Nam Angeli, & cœli, & elementa, & Patriarchæ, & Prophetæ, & Apostoli, & omnes Sancti hoc testificabuntur, & hoc etiam apparebit in mea majestate.

E 9. *Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.*

HIC prædicit Deus & admonet Israel, de quibus est quæsiturus in judicio. Et ostendit, quòd non examinabit, nec quæret rationem de sacrificiis & holocaustis veteris Legis, quoniam jam erunt oblita, & revocata, & prohibita in primo adventu. Ideo ait: *Audi Israel*, quia in illo judicio *non arguam te in sacrificiis tuis* veteris Legis. Nec quæram à te rationem de eis: quia jam erunt prohibita in primo adventu; & *holocausta tua* non *sunt semper*, nec erunt accepta *semper in conspectu meo.*, nec erunt mihi semper grata: ideo prohibita sunt jam in primo adventu. Et nota, quòd ista secunda clausula hujus versus, scilicet, *holocausta*, etiam subordinatur sub illa negatione *non*; quasi dicat: *Non arguam te in tuis sacrificiis*, nec *tua holocausta* erunt, nec *sunt semper* accepta *in conspectu meo.* Ideo sequitur:

10. *Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.* 3. q. 7. *In gravibus.*

NON *accipiam* ampliùs post primum adventum *vitulos de domo tua*, scilicet Synagogâ, in sacrificium: quia jam erit reprobata Synagoga & mortua; *neque de gregibus tuis* accipiam *hircos* Legis veteris, quoniam omnia sacrificia illa & cærimonialia cessabunt, & morientur in primo adventu: quoniam figuræ eorum implebuntur in Christo, & ibi finient cursum suum omnia legalia in primo adventu.

11. *Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus & boves.* 60. d. c. *Nasci.*

HIC reddit rationem, quare sacrificia legalia erant abolenda, & non erant perpetua. Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd sacrificia legalia ultra hoc quod erant data in figuram Christi, & per consequens debuerunt cessare postquam in eo impleverunt officium & cursum suum; tamen adhuc duabus rationibus erant abolenda per adventum Messiæ, in quo lex & omnia debebant sumere virtutem & perfectionem. Primò, quia illa sacrificia animalium brutorum erant de se imperfecta, & non bona, nisi ex bonitate & devotione offerentis. Et sic erant insufficientia ad re- *Sacrificia legalia abolenda.*

conciliandum homines cum Deo, nec de se erant Deo accepta, nisi ex fide offerentis, credentis in Christum futurum. Et sic A de se erant parvi valoris, & immunda. Secundò, quia erant aliena, sive extranea. Nam bona temporalia non sunt nostra, nec in nostra potestate, cùm faciliter possint à nobis auferri; & non possunt nos justificare, nec apud Deum sunt accipienda in magno pretio & valore, cùm non sint nostra, sed potius sua. Et ideo erat quærendum tale sacrificium ad perfectionem Legis in adventu Messiæ, quod de se esset magni pretii, & per se bonum & gratum, & acceptum Deo, melius quocumque offerente; ut suis meritis nos Deo posset reconciliare. Et hoc est Sacramentum *Eucharistiæ*, in quo offertur Christus mediator B Dei & hominum.

Secundò, erat quærendum sacrificium, quod non esset extraneum, sed proprium nostrum, & in nostra potestate, quod nos posset justificare. Et hæc est nostra voluntas fide & charitate habituata, & *spiritus contribulatus*, & *cor contritum & humiliatum*. Hoc solùm est proprium nobis: quia nihil magis in nostra potestate, quam voluntas, ut ait *Augustinus*, omnia autem alia sunt nobis aliena; quia faciliter possunt auferri. Sed bonam voluntatem & bonum affectum nunquam Imperatores, & Tyranni, nec persecutiones, & dira tormenta potuerunt auferre sanctis Apostolis, nec *Beato Laurentio*, nec *Vincentio*, nec *Agneti*, nec *Cæciliæ*, nec cæteris Martyribus. Ex quibus patet, quòd sola voluntas cum virtutibus Theologicis & moralibus, sunt nostra bona propria. Ideo dicit *Augustinus in sermone de Martyribus*, quòd C *de hoc cellario bonæ voluntatis præcipimur eleemosynas & sacrificia facere, eò quòd sunt in nostra potestate.* Nam licèt quis dicat, non possum jejunare, nec ex paupertate divitias pauperibus erogare; tamen non potest dicere, non possum Deum & proximum amare: eò quòd voluntas est sola in nostra potestate.

Quæ sunt nostra bona propria.

Hæc est ergo causa, quare sacrificia legalia erant abolenda, quia erant aliena, & alia propria substituenda. Dicit ergo Christus: *Non accipiam* post adventum *de domo tua*, & Synagoga tua *vitulos*, *nec de gregibus tuis hircos* in sacrificium: quoniam talia animalia non sunt vestra, sed mea, nec sunt in vestra potestate, sed in mea; & D etiam in potestate aliorum, quia possunt à vobis auferri; quoniam *omnes feræ silvarum sunt meæ*, & non vestræ, *& boves & jumenta*, quæ pascuntur in montibus, quæ sacrificabatis, & immolabatis in Lege veteri, *mea sunt*, & non vestra.

** ** ** **
* * * *

E 12. *Cognovi omnia volatilia cœli: & pulchritudo agri mecum est.* *6. q. 1. c. Si omnia.*

EGO *novi omnia volatilia cœli* esse mea, & non vestra; & omnes fruges & fructus terræ, & tota *pulchritudo agri mecum est*, & mea sunt omnia ista, & non vestra. Et non sunt in magno pretio acceptanda in vestris sacrificiis & oblationibus. Item, ista non offeruntur, nec offerebantur ad cibum, nec utilitatem mei, sed vestri: quia post oblationem vosmet comedebatis supradicta sacrificia & oblationes: quia ego non comedo tales cibos.

F

13. *Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ & plenitudo ejus.* *Dist. 56. Nasci.*

SI ego *esuriero*, id est, esurirem tales cibos corporales, non dicerem tibi, quòd dares mihi, quia egomet acciperem: quia *meus est* totus *orbis terræ & plenitudo ejus*, & omnia quæ in eo continentur, scilicet, plantæ, & animalia, & omnia, ex quibus sacrificatis & offertis. Alius est ergo cibus quem ego esurio, & aliud sacrificium quod ego peto & quæro.

14. *Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum* *23. q. 1. Odi.*
G *potabo?*

NUmquid *manducabo*, id est, consuevi manducare, *carnes taurorum*, quas offertis? *aut sanguinem hircorum*, quem libatis, *potabo*? Quasi dicat, *non.* Nam alius est meus cibus, & alius meus potus, & aliud est sacrificium quod quæro, & aliæ oblationes: quia non quæro *sacrificium*, nisi *laudis*, scilicet, sacrificium *Eucharistiæ*, & *cor contritum & humiliatum.*

15. *Immola Deo sacrificium laudis:* *Extra de Voto, cap. pen.*
H *& redde Altissimo vota tua.*

HIC explicat, quodnam est sacrificium, quod Deus petit, & instituit in Lege nova, & quas oblationes quærit. Unde quia dictum est supra, quòd Christus, qui venerat ad interpretandam Legem, & declarandam, & perficiendam, & patefaciendam veritatem & gratiam in Lege promissam, debebat instituere verum sacrificium, per illa legalia figuratum, quod

de

de se esset bonum & perfectum, & tantis meritis plenum, ut per se esset Deo gratum & acceptum, & per consequens sufficiens ad reconciliandum nos cum Deo: sequitur, quòd tale sacrificium non potest esse, nisi homo Jesus Christus, qui secundùm humanitatem tenet medium inter hominem & Deum; quia minor Patre, & melior omnibus hominibus. Et ideo hoc sacrificium oblatum est primo in cruce, ut ait Apostolud *ad Hebr.* 5. & 9. & *ad Rom.* 3. in redemptionem omnium præteritorum & futurorum: & ille sanguis oblatus est in pretium omnium nostrûm; quo sanguine, non solùm sumus ab omni debito redempti, sed etiam est cœlum nobis emptum: & hic est cibus & sanguis, in quo Deus Pater delectatur: & hoc est sacrificium per *agnum vespertinum & matutinum* in Lege figuratum, & per omnia alia animalia, quæ ibi offerebantur. Et hoc est sacrificium à Christo in *Eucharistia* institutum, quod Deus hîc sibi petit immolari.

Christus est sacrificium.

Dicitur enim *sacrificium laudis*, non solùm quòd cum laudibus offeratur, sed quia de se est bonum & laudabile, & gratum Deo & acceptabile. Ideo ait: *Immola Deo sacrificium laudis*; id est, sacrificium *Eucharistiæ*, Deo gratum, & de se acceptabile, & laudabile, & bonum de opere operato. Sed quia offerendo hoc sacrificium, non offerimus aliquid de nostro, nisi in quantum Christus est Caput nostrum: ideo opportet, ut aliquid de nostro simul cum hoc sacrificio offeramus: sed nihil est nostrum, nisi bona voluntas, & *spiritus contribulatus*, & *cor contritum & humiliatum*, ut dictum est. Ideo oportet, quòd hoc sacrificium laudis offeratur cum corde puro & humiliato, & contrito per pœnitentiam cum fide informata charitate, *de corde bono, & conscientia pura.* Et ideo subdit: *& redde Altissimo vota tua*, id est, fidem *de corde bono, & conscientia pura*, quam Deo in Baptismo promisisti & vovisti, & observantiam Legis, quam servare promisisti cum obedientia. Nam in Baptismo tu promisisti *renuntiare diabolo & pompis ejus*, & servare Legem Euangelicam, sive Legem Dei cum fide, spe, & charitate. Hæc ergo sunt *vota*, quæ Deo promisisti, & quæ Deo *reddere* teneris. Et hoc est sacrificium quod offerre teneris, quia est in tua potestate. Littera *Hieronymi* secundùm Hebraicum habet: *Sacrifica Deo confessionem, & redde Altissimo vota tua*, quod idem est, & magis explicat mysterium.

Triplex Confessio.

Nam triplex est *Confessio*, ut sæpe dictum est: scilicet, *confessio fidei*, *confessio laudis*, sive *beneficiorum*, & *confessio peccatorum.* Prima confessio, scilicet, *fidei*, continet in se totam Legem Dei, & observantiam Legis; & per consequens Sacramentum *Eucharistiæ* & oblationem ejus. Et *confessio laudis* præsupponit confessionem *fidei*: quia in tantum laudamus Deum memorando ejus beneficia, in quantum ipsum credimus esse Omnipotentem, & Creatorem, & Redemptorem, & Glorificatorem, sicut in Lege memoratur. Item *confessio peccatorum* præsupponit etiam confessionem *fidei.* Nam in tantum corde contrito & humiliato confitemur peccata nostra, in quantum per merita Passionis Christi, & virtute Sacramenti Pœnitentiæ, veniam credimus consequi ex Dei misericordia, sicut in Lege promittitur nobis.

Unde nota, quòd ista triplex *Confessio* perficit totum hominem: nam *confessio fidei* justificat: & *confessio laudis*, scilicet, gratiarum actio, satisfacit pro beneficiis receptis, quantum in nobis est: *confessio* autem *pœnitentialis peccatorum* purificat hominem. Ex quo patet, quòd ista triplex Confessio justificat totum hominem: & ideo hanc quærit Deus ab homine. Et sic *confessio* comprehendit in se totam Legem, & omnia Sacramenta. Hoc est ergo *sacrificium laudis & confessionis*, & *vota* Deo reddenda. Et est etiam advertendum, quòd per *sacrificium* & hostiam *laudis*, intelligitur quodlibet opus virtuosum & meritorium in Lege nova, & quælibet oratio, ut ait *Apostolus ad Hebr.* 13. *Per ipsum* Christum *offeramus ergo hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus*: & hoc est sacrificium quod inclinat Deum ad misericordiam, & ad largiendum veniam peccatoribus, & ad justificandum hominem: in quo sacrificio Deus magis honoratur & delectatur. Ideo sequitur: *Invoca me in die tribulationis*, id est: si tu obtuleris mihi tale sacrificium *Eucharistiæ*, & fidem, & confessionem de *corde bono & conscientia pura*, tunc inclinabis me ad misericordiam.

16. *Et invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.*

7. quæ. 1. *Cum percussio.*

Invoca me in die tribulationis, & *eruam te* in virtute talis sacrificii: *& honorificabis me*, id est, ad majorem honorem reputabo, & cum majori honore accipiam hoc sacrificium, & magis inclinabor ad misericordiam, quàm per sacrificia veteris Legis, propter rationes jam dictas.

Ex omnibus his patet, quòd Propheta intendit hic demonstrare, quòd Deus in judicio universali non petet rationem de sacrificiis veteris Legis, sed de alio novo *sacrificio laudis.* Ex quo patet, quòd jam

tunc

tunc per magnum tempus retrò, erunt abdicata & prohibita sacrificia veteris Legis; & aliud sacrificium substitutum nobilius & A perfectius. Et sic patet etiam, quòd *Lex Moysi*, & sacrificia veteris Legis non erant semper duratura, sed debebant durare aliquando, cùm de se essent imperfecta. Causa, quare sacrificium Christi in cruce fuit tàm acceptum Deo, jam est assignata *Psal.* 38. quia propter puritatem, & humilitatem, & obedientiam: hîc autem, & in Psalmo sequenti, assignat causam quare hoc idem sacrificium quotidie placet Patri oblatum in Altari. Verumtamen eâdem causâ & ratione qua fuit tunc in cruce acceptum, est etiam nunc Patri acceptum in Altari: quia propter obedientiam, & puritatem, & charitatem, & pretium; quia Deus & homo. B

3. q. 7 *Idem testatur.*

17. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?*

POSTQUAM superiùs descripsit examinationem Judicis circa cultum divinum, in hac secunda parte describit examinationem faciendam circa conversationem & dilectionem proximi: in qua exprobrat prævaricatores Legis, & arguit eos de transgressione divinorum præceptorum. Unde duo facit: nam primò, convincit eos de crimine. Secundò, denuntiat eis sententiam & punitionem; ibi: *Existimasti quòd ero.* Quantum ad primum: quia superiùs dicit, quòd Deus non quærit sacrificia materialia & exteriora, nec respicit ad dicta, sed ad facta, & non quærit nisi *sacrificium laudis*, vel *confessionis* de corde bono & conscientia pura, quod consistit in observantia divinæ Legis: & quia multi sunt qui acceperunt, & professi sunt divinam Legem ore, sed non corde, nec factis, nec obedierunt divinis præceptis: hoc ergo arguet Deus, scilicet Christus, in judicio. Unde dicit Propheta: *Peccatori autem dixit Deus*, id est, dicet Christus, *Quare tu* Judæe, vel Christiane, *enarras*, id est, enarrasti: & prædicasti *justitias* & præcepta *mea*, & assumpsisti *testamentum*, id est, D Legem meam, *per os tuum*? quia professus fuisti eam ore, & prædicasti & professus fuisti ore, te esse Christianum, & servare Legem Dei:

*** *** ***
*** *** ***

E 18. *Tu vero odisti disciplinam: & projecisti sermones meos retrorsum.* 24. q. 2. *Legatur.*

TU vero totum oppositum fecisti: nam *odisti disciplinam*, nolendo servare præcepta, nec corrigi de vitiis, nec desistere à peccatis: immò noluisti audire, nec intelligere monitiones, ut bene ageres: *& projecisti sermones meos retrorsum*, contemnendo, non sequendo eos: quia sermones mei semper exhortantur ad pœnitentiam, & declinare à malo, & facere bonum. Et probo, quia *projecisti sermones meos retrorsum.* Nam F

19. *Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.* *De Pœn. d. 5. Fratres*

SI videbas furem, currebas cum eo ad furandum, tanquam particeps ejus. Ecce avaritia contra illud præceptum, *Non furtum facies*, per quod prohibetur omnis rapina, & usura, & simonia. *Et cum adulteris portionem tuam ponebas*, id est, cum adulteris participabas, contra illud præceptum, *Non adulterabis.* Ecce luxuria, quæ non est sine gula.

G 20. *Os tuum abundavit malitia: & lingua tua concinnabat dolos.* 22. q. 2. *Beatus.*

OS tuum abundavit malitia. Ecce ira & odium, contra illud præceptum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Item *lingua tua concinnabat*, id est, machinabatur, & componebat, & palliabat, & colorabat *dolos* & fraudes sub zelo boni.

21. *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum:* 6. q. 1. c. *Ex merito.*
H *hæc fecisti, & tacui.*

SEdens in domo, vel in porta, vel in foro, aut theatro, *loquebaris adversus fratrem tuum*, ex invidia, & superbia, & malitia: *& adversus filium matris tuæ*, scilicet, adversus quemlibet Christianum, qui est filius Ecclesiæ *matris tuæ, ponebas scandalum* activum, vel passivum, ut rueret in damnum aliquod.

Unde tripliciter contingit, vel potest unus alterum scandalizare. Primò, decipien-

piendo eum, ut incidat in aliquod damnum, vel errorem. Secundò, affligendo ipsum, ut faciat blasphemare contra Deum. Tertiò, quando quilibet male vivendo præbet alteri exemplum malæ vitæ: aut facit perdere bonam opinionem de ipso, quam prius habebat: & sic quilibet talis ponit scandalum adversum fratrem suum & proximum. A

*Hæc feci*sti. Hîc Judex denuntiat & fulminat sententiam, dicens: Tu peccator *feci*sti *hæc* omnia supradicta, & *tacui* per magna tempora, expectando, & invitando te ad pœnitentiam: & tu distulisti, & contempsisti pœnitentiam, thesaurizando iram Judicis usque ad diem mortis & vindictæ. Et sic mortuus es sine pœnitentia.

De Pœ. d. 1. c. Medicina, §. Proximo.

22. *Existimasti iniquè, quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.* B

EXistimasti, *quòd ero similis tui* tacendo, & tuis criminibus consentiendo: eò quòd illicò non te punivi: & *existimasti* & putasti, *quòd ero tui similis* injustus, non te puniendo: quia ita est injustus judex, si non punit, sicut reus, qui crimen commisit. Et ideo judex negligens punire reos, fit injustus similis illis. Ideo dico tibi, quòd nunc non tacebo, nec dissimulabo punitionem: immò *statuam*, & fulminabo sententiam mortis æternæ *contra faciem* & personam, vel ante *faciem tuam*: quia in præsentia omnium te ad ignem æternum destinabo, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum.* C

De Pœ. d. 1. Si cui, §. Porrò.

23. *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum: nequando rapiat, & non sit qui eripiat.*

HIC Deus, sive Propheta, exhortatur omnes ad declinandum à malo, & agendum bonum, & pœnitentiam exemplo supradictæ sententiæ, ut incutiat terrorem peccatoribus, & agant pœnitentiam ante mortem, ne fulminetur eis in judicio supradicta sententia. Unde dicit: O vos omnes peccatores, *qui obliviscimini Deum*, transgrediendo ejus præcepta, & *obliviscimini* agere pœnitentiam, & non vultis desistere à malo, *intelligite*, & attendite, & considerate sententiam, quæ dabitur obstinatis in die judicii. Ideo agite pœnitentiam, dum tempus est; *nequando*, id est, ne aliquando diabolus *rapiat* vos in peccato, & *non sit qui eripiat* vos de manu sua: *quia in inferno nulla est redemptio.* Item, *intelligite* & vigilate, ne diabolus *rapiat* vos per subitaneam mortem absque pœnitentia, & *non sit qui* amplius *eripiat:* quia post mortem non est locus, nec tempus pœnitentiæ, nec veniæ, sed judicii: offeratis ergo mihi *sacrificium laudis* & *confessionis*, quod liberat à peccato, & morte. D E

24. *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* F

24. q. 1. Quia ex sola, de Consec. d. 2. Nihil.

HIC concludit totum intentum hujus Psalmi. Nam in toto hoc Psalmo intendit David ostendere, quòd Deus in judicio non quæret rationem de sacrificiis veteris Legis, quæ solùm justificabant exterius: sed quæret rationem de dilectione Dei & proximi, & de *sacrificio laudis* & *confessionis*, quia justificat animam à peccato, & facit eam meritoriam vitæ æternæ: quod quidem *sacrificium* consistit in observantia divinæ Legis de corde bono & conscientia pura, & includit in se Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & cætera Sacramenta. Ideo ait: *Intelligite qui obliviscimini Deum*, & facite pœnitentiam, & offerte in vita supradictum *sacrificium*, ne diabolus rapiat vos per subitaneam mortem. Quia hoc supradictum *sacrificium laudis honorificabit me:* id est, cum magno honore est mihi acceptum. Unde hoc sacrificium *Eucharistiæ* est *iter* & via, *quo*, & per quod *ostendam salutare Dei illi*, scilicet, recipienti & offerenti. Quasi dicat, quòd hoc *sacrificium* dicitur *Viaticum*, quia tantum in hac via recipitur: quod Sacramentum ducit in patriam; & est salubre, quia sanat languores animæ, & reficit, & dat salutem, & vitam æternam: *& illic iter*, id est, in eo est *iter* & via, id est, in eo est Christus realiter, qui est *via*, *veritas*, *& vita.* Nam Christus dicitur *via* ducens nos in patriam per Legem Euangelicam, & Sacramenta. Dicitur *veritas* veteris Testamenti, quia in Christo & *Eucharistia* est *veritas* veteris Testamenti, scilicet Agni Paschalis. Dicitur *salutare*, & *vita:* quia confert vitam æternam, quæ omnia continentur in Sacramento *Eucharistiæ.* Quasi dicat, quòd in sacrificiis animalium veteris Legis non erat *iter* ad salutem, nisi sola figura, nec in eis ostendebatur *salutare*, nec in eis continebatur realiter Christus, sed solùm in figura: sed in *Eucharistia* est verum *iter* ad gloriam, & in eo ostenditur *salutare Dei*, quia Christus in eo realiter continetur, & hoc solum, scilicet sacrificium, *honorificat* Deum Patrem. G H

Nota de Sacramento Altaris.

Littera Hieronymi habet sic: *Qui immolat confessionem, glorificat me, & qui ordinatè ambulat, ostendam ei salutare Dei.* Et sic magis explicat intentum. Quasi di-

dicat : ille *glorificat me* qui offert sacrificium confessionis , per quod intelligitur Eucharistia , & Pœnitentia , & observantia A Legis , & devotio , & fides de corde bono & conscientia pura. Ideo sequitur : *Ego ostendam salutare Dei* , scilicet gratiam in præsenti , & gloriam in futuro , *ei qui ambulat ordinatè* sine peccato in hac via , & in Lege Domini , scilicet , qui ordinat seipsum , non declinando ad malum , sed servando Legem divinam : quia præmium divinæ Legis est vita æterna. Hoc est ergo *sacrificium laudis* , scilicet , *Eucharistiæ*, quod præcepit Christus offerri in novo Testamento , non secundùm ordinem *Aaron* , sed secundùm ordinem *Melchisedech*, ut inquit *Augustinus* , *contra Adversarium Legis & Prophetarum.*

Nota. Ex supradictis in hoc Psalmo sequuntur duodecim conclusiones.

Prima conclusio : quòd sicut Christus B in primo adventu vocavit per Apostolos suos omnes gentes ad fidem à solis ortu usque ad occasum , & congregavit in una Ecclesia : ita in secundo adventu , per Angelos congregabit omnes ad Judicium.

Secunda conclusio : quòd sicut Christus dedit Legem in *monte Sion* , ita in eodem loco judicabit prævaricatores Legis.

Tertia conclusio : quòd duplex erit differentia inter primum , & secundum adventum. Nam in primo adventu venit Christus occultus , non ostendens majestatem suam , ut judicaretur à populo pro nobis. In secundò veniet manifestus in majestate, ut judicet homines. Item in primo adventu visus est mortalis , & despectus , non habens decorem , flagellis cæsus : in secundo videbitur decorus in gloria. C

Quarta conclusio : quòd sicut in primo adventu cœlum , & astra , & elementa dederunt signum suæ nativitatis , & venti & mare obedierunt ei : ita in secundo; quia *ignis exardescet* , & *tempestas valida erit in circuitu ejus* , *& vocabit cœlum desursum.*

Quinta conclusio : quòd sicut in primo congregavit sibi Apostolos , ut essent testes suorum miraculorum , & prædicationis , & resurrectionis , & ascensionis : ita in secundo eosdem habebit judices ad exprobrandum duodecim tribus Israel carnales , qui credere noluerunt.

Sexta conclusio : quòd in secundo ad- D ventu ostendet contra Judæos carnales, quomodo jam in primo abdicaverat sacrificia veteris Legis ; & dabit ibi rationem: primò , quia non erant perfecta , nec de se bona de opere operato , sed tantùm de opere operantis , & de bonitate offerentis ; nec erant de proprio , sed alieno , & quia non justificabant.

Septima conclusio : quòd in judicio ostendet , quòd jam in primo adventu , abdicatis legalibus , instituerat novum & perfectum *sacrificium laudis* : scilicet ; *Eucha-* E *ristiam* , & nova *vota* , & oblationes , quæ est bona voluntas , & confessio de corde bono & conscientia pura.

Octava conclusio : quòd Christus in Judicio non arguet homines , si non obtulerunt sacrificia legalia, & materiales oblationes : quia tunc jam per magna tempora retrò erant abolita : sed exprobrabit eos qui non obtulerunt sacrificium & vota rectæ & bonæ voluntatis novi Testamenti, quæ verè justificant hominem totum : quia triplex est confessio , scilicet fidei , & laudis, & confessio peccatorum , quæ dicitur pœnitentialis.

Nona conclusio : quòd Christus in judicio manifestè exprobrabit prævaricatores divinorum præceptorum , & contra eos fulminabit sententiam.

F *Decima conclusio* : quòd omnes debent esse attenti , & debent vigilare , ut agant pœnitentiam in hac vita , ne thesaurizent sibi ipsis peccata usque ad mortem : & diabolus *rapiat* eos morte subitanea , & *non sit* postea *qui* eos *eripiat.*

Undecima conclusio: quòd nullum aliud sacrificium ducit ad vitam æternam , nisi *sacrificium laudis* , & *confessionis* Legis Euangelicæ : quia in hoc *honorificatur* Deus Pater , & placatur ad misericordiam. Et *illic* , id est , in illo sacrificio , est *iter* & *via* , in qua ostenditur *salutare Dei* , scilicet , gratia in præsenti , & gloria in futuro , & placatio , & venia peccatorum , & misericordia in præsenti. *Nota de Judæorũ deceptione*

Ex omnibus supradictis elicitur *duodecima conclusio*: scilicet , quòd Judæi moderni sunt decepti , qui putant Circunci- *Moriente Christo est Lex vetus mortua.* G sionem , & cætera legalia esse perpetua , & *Legem Moysi* nunquam cessasse , quia putant in Lege Moysi justificari & salvari; cùm manifestè dicat hîc Deus per Prophetam in judicio , quòd jam ista erant abdicata : & Deus non quæret rationem de eis, sed de novo sacrificio.

Unde est notandum , quòd Christo moriente , mortua est Lex vetus simul cum eo : eò quòd erat finis Legis. Sed quia Christus solùm est mortuus quoad corpus tantùm , & non quoad animam : ideo Lex vetus mortua est tantùm quoad corpus , id est , quoad litteram & cærimonialia , sed non quoad animam , id est , quoad verita- H tem & spiritum litteræ. Et ideo mortua Lege , surrexit cum Christo veritas Legis, quæ dicitur *veritas Euangelica* , ut patet *Joann.* 1. *Lex per Moysen data est* , *veritas autem* Legis *per Christum facta est.* Nam *Lex Euangelica* nil aliud est , nisi veritas, & spiritus , & anima , & vita Legis Moysi : & ista veritas surrexit cum Christo , & in hac veritate consistit vita nostra spiritualis. Et ideo quia littera mortua est , ideo occidit Judæos & observatores : sed spiri-

tus

tus ejus & anima, scilicet Lex Euangelica, vivificat animas nostras. Sed omnia ista magis declarabuntur *in quæstione finali contra Judæos*. Unde nota, quòd *Augustinus* adducit litteram hujus Psalmi *contra Adversarium Legis & Prophetarum*, ostendens, sacrificia legalia cessasse in adventu Christi: eò quòd non erant, nec offerebantur gratiâ sui, sed in quantum figurabant Christum immolandum in verum & mundum sacrificium.

PSALMUS L.

De Pœ. d. 3. c. Totâ infra 55. a. 1. 56. a.

1. *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.*

HUIC Psalmo præponitur talis Titulus: *Victori*, sive *In finem. Psalmus David, cum venit ad eum Nathan Propheta quando intravit ad Bethsabee.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum, petens remissionem pro peccato adulterii commissi in *Bethsabee.*

Ad cujus intelligentiam est advertendum, ut legitur 2. *Reg.* 11. quòd cùm David jam esset in magna quiete & prosperitate: dum misisset *Joab* cum exercitu suo contra *filios Ammon*, ipse mansit in Hierusalem. Et cum quadam die deambulans in solario suo, videret *Bethsabee* uxorem *Uriæ* lavantem se ex opposito domus suæ, concupivit eam, & fecit ipsam ad se adduci, & dormivit cum ea. Quæ cum esset reducta in domum suam, renunciavit ipsi David, qualiter ex eo concepisset. Tunc volens David celare adulterium, misit ad *Joab*, ut remitteret sibi *Uriam*, ut dormiret cum uxore recenter gravida: ut ipsi conceptus fœtus posset ascribi. Qui cum reversus ad Regem renuisset descendere in domum suam, & dormire cum uxore, sed illicò statuit ad exercitum reverti: tunc Rex David machinatus est in mortem ejus, & misit ad *Joab*, ut poneret eum inter primos in prælio: qui ibidem cum multis aliis mortuus est. Tunc David introduxit *Bethsabee* prægnantem in domum suam, quæ ibi peperit ei filium. Quòd factum displicuit coram Domino: qui misit *Nathan Prophetam* ad David, & manifestavit illi scelus commissum per parabolam de divite habente plurimas oves & boves, & rapuerat unicam ovem pauperis. Tunc David, qui quasi per annum celaverat & tacuerat crimen, confessus est peccatum suum coram *Nathan*, dicens: *Peccavi Domino.* Cui respondit *Nathan*: *Dominus transtulit peccatum tuum*, scilicet, à culpâ & pœnâ æternâ in pœnam temporalem.

Not. quomodo David concupivit Bethsabee.

Hic dicunt aliqui, quòd postquam *Nathan* denunciavit ipsi David, quòd non recederet gladius de domo sua in æternum, & David cognoscens peccatum, & audiens sententiam Domini, dixit: *Peccavi Domino*: dicunt, quod *Nathan* recessit à David. Sed David putans, quòd totaliter volebat Deus ipsum delere cum tota domo sua, & revocare regnum ad domum *Saul*; & videret quòd totus populus blasphemaret contra eum, & murmuraret, dicens, *Qui rapuit ovem, & occidit pastorem, quomodo potest ipsum Deus in regno sustinere?* tunc David timens sententiam Dei, & tumultum populi, intravit secretum domus suæ, & postratus in terra oravit ad Deum, ut remitteret sibi hoc peccatum, & fecit hunc Psalmum. Cujus humilitatem & pœnitentiam acceptans Deus, misit ei *Nathan*, dicens: *Dominus transtulit peccatum tuum: non morieris.* Quasi diceret: Dominus transtulit sententiam mortis, non solum æternæ, sed etiam temporalis, in persecutionem. Sed licet tu non moriaris, nec priveris regno; tamen morietur infans tibi natus: & post aliquod tempus filius tuus *Absalom* insurget contra te &c. Et tunc dicunt quidam, quòd David fecit *Psalmum* 31. scilicet, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, agens gratias Deo, postquam per *Nathan* didicit sibi culpam esse remissam, ut videtur sonare Psalmus ille. Ex quo patet, quòd licet iste Psalmus sit posterior collocatus in ordine hujus libri: tamen iste fuit prior factus in tempore.

Ex supradictis patet Titulus, & Actor, & materia hujus Psalmi, scilicet, quòd David fecit hunc Psalmum, quando *Nathan* venit ad eum, & nunciavit ei mortem & sententiam, & plagam domus suæ, eò quòd fecit interfici *Uriam*, & rapuit sibi *Bethsabee* in uxorem. Sed per hoc quod additur: *In finem*, sive *ad victoriam*, est signum, quòd ultra litteram de peccato David, iste Psalmus nos dirigit in finem, & in adventum Christi: & est intelligendus de tota Ecclesia Christi.

Unde est iterum valde advertendum, quòd David fecit hunc Psalmum ad triplicem respectum, ut patet in littera. Primò, litteraliter pro seipso, petens spiritualem remissionem, prout peccavit in *Bethsabee* contra Deum, & *Uriam*, ut patet in Titulo Psalmi. Secundò, mysticè pro toto genere humano, sive *homine mystico*, prout peccavit in *Adam* contra Deum: & petit redimi per Christum & omnia Sacramenta, per hoc quod ait in fine: *Benignè fac in bona voluntate tua Sion.* Tertiò, pro quolibet peccatore pœnitente, qui peccavit in se contra Deum & proximum, per hoc quod ait: *Docebo iniquos vias tuas.*

Nota.

Ideo est necesse, ad evacuandam & hauriendam totam intentionem Prophetæ, & intelligentiam hujus Psalmi, quòd ex-

ponatur, non de solo David, sed etiam de tota Ecclesia ab *Adam* usque ad judicium, & de quolibet peccatore pœnitentiam A agente. Nam ad secundum sensum legit ipsum Ecclesia publice in Officio Canonico. Sed ad tertium sensum imponitur in pœnitentiam particularibus pœnitentibus & confessis. Et sic legunt ipsum particulariter Laici, & etiam Ecclesiastici, ultra Horas Canonicas. Et hæc est causa quare *Augustinus*, & *Cassiodorus*, & *Magister* in Glossa ordinaria exponunt istum Psalmum mixto modo simul ad prædictum triplicem sensum. Sed quia sic confunditur intellectus & mens legentis & audientis: ideo videtur mihi convenientius, ut iste Psalmus distinctè & separatim exponatur per se: & fiant tres Expositiones separatæ, ut unusquisque Ecclesiasticus, aut Laicus capiat, B & distinguat unum sensum ab altero, & capiat expositionem, & sensum quem maluerit. Et ratio est: nam iste est unus & magis principalis inter septem Psalmos pœnitentiales, & qui magis videtur frequentari in Ecclesia, & in tota Christiana Religione per omnes conditiones, & ætates, & status hominum. Primò ergo exponemus ipsum litteraliter de ipso David. Secundò, mysticè pro toto corpore mystico, prout peccavit in *Adam*. Tertiò, moraliter pro quolibet pœnitente.

Expositio litteralis.

Quantum ad primam Expositionem est priùs notandum, quòd David propter supradictum peccatum tria maxima damna incurrit. Primò, quia incidit in iram & sententiam culpæ & mortis, & privationem regni cum tota domo sua. Secundò, C

David propter peccatum adulterii, &c.

quia tempore peccati non solùm perdiderat gratiam gratificantem, sed etiam gratiam gratis datam, scilicet, donum prophetiæ: quia per totum illum annum recessit ab eo spiritus prophetiæ, & non fecit Psalmos. Tertiò, perdiderat totam promissionem sibi factam 2. *Reg.* 7. non solùm de successione regni temporalis, & ædificatione Templi, & ampliatione Civitatis; sed etiam de perpetuitate regni Christi in sua generatione. Tria ergo facit David in hoc Psalmo: nam primò, agens pœnitentiam, petit culpam & pœnam sibi remitti. Secundò, gratiam amissam sibi restitui. Tertiò, de perpetuitate & ædificatione regni Christi promissionem sibi factam adimpleri. Secunda ibi: *Cor mundum crea.* Tertia ibi: *Benigne fac.* D

Quoad primum duo facit: nam primò, petit culpam & pœnam sibi remitti. Sed quia sciebat hoc non posse fieri, nisi in fide & virtute passionis & sanguinis Christi futuri; ideo secundò, petit aspergi & mundari per fidem Christi futuri. Ibi: *Asperges me.* Quantum ad primum duo etiam facit: nam primò, facit quod dictum est. Secundò, hoc persuadet triplici ratione, respondendo objectæ rationi. Ibi: *Ut justificeris &c.*

Quantum ad primum est notandum, quòd triplex peccatum commisit David. E Primò, adulterium, in quantum thorum, & uxorem alienam usurpaverat. Secundò, voluntarium furtum, in quantum ut filius ex adulterio genitus, adscriberetur *Uriæ*, & succederet ejus hæreditati, conatus est. Tertiò, homicidium, in quantum *Uriam* interfici callidè machinatus est. Quæ quidem peccata per ordinem & successivè fuerunt graviora. Nam licèt adulterium sit simpliciter gravius furto; tamen in illo loco furtum fuit gravius adulterio dupliciter. Primò, quia addebat peccatum peccato. Secundò, quia cum majori malitia & iniquitate committebatur. Homicidium vero jam fuit gravius, quàm adulterium, & furtum, propter eadem causas: F & per consequens simpliciter. Ideo David in hoc loco bis nominat *iniquitatem*, per quam intelligit homicidium, & furtum, & semel nominat *peccatum*, per quod intelligit adulterium. Unde omnia ista tria peccata simul cum pœna, petit sibi remitti, cùm dicit: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Quasi dicat: quia magnum est peccatum meum, ideo magna indiget misericordiâ: ideo releva & remitte mihi miseriam & culpam quam incurri, & relaxa mihi pœnas, quas pro eo merui, & mihi per *Nathan* comminatus es &c.

Triplex peccatum commisit David.

2. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* G

De Pœd. 1. c. Serpens.

DEle *iniquitatem meam*, id est, peccatum & culpam homicidii, cum grandi iniquitate perpetrati: & hoc fac *secundum multitudinem miserationum tuarum.* Unde per *misericordiam* intelligit habitum misericordiæ, qui essentialiter est ipse Deus. Per *miserationes* intelligit actum & consuetudinem miserendi. Quasi dicat, secundumquòd misertus es *Noe* in diluvio, & *Abraham* in Chaldæa, & *Israel* in Ægypto, & in terra promissionis multotiens de miseria relevasti, & eorum iniquitates per pœnitentiam delesti: ita *secundum multitudinem* H illarum *miserationum miserere mei*, & *dele* istam *iniquitatem meam.* Alii dicunt, quòd per *misericordiam magnam*, intelligit misericordiam, quâ remittitur culpa, quæ est major quàm misericordia, quâ remittitur sola temporalis pœna. Alii intelligunt magnam misericordiam, quæ fit in virtute passionis Christi: quæ non solùm delet culpam, sed etiam omnem pœnam. Ideo sequitur:

* *
*

3. *Am-*

De Pœ.d. 3.cap.Totam,& c. Iliud.

3. *Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.*

A

Ampliùs, id eſt, iterum, & multum, *lava me* per virtutem ſanguinis Chriſti, *ab iniquitate* furti, quod committere conatus ſum: *& munda me à peccato* adulterii per iſtam pœnitentiam. Unde adulterium dictum eſt *peccatum*, in quantum fuit contra Legem Dei perpetratum: ſed furtum, & homicidium dictæ ſunt *iniquitates*, in quantum cum grandi iniquitate & malitia, & contra omnem juſtitiam fuerunt perpetrata: ſed quia pœnitentia non eſt valida, nec remittitur culpa ſine contritione cordis; ideo ſubdit:

B

50.di. c. Quid in fine.

4. *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.*

Iniquitatem meam ego cognoſco, & reputo me reum in corde meo; *& peccatum meum* & culpa *contra me eſt ſemper*, quia ſemper accuſat, & corrodit, & cudit, & conterit, & mordet conſcientiam meam: ſed quia contritio non valet abſque oris confeſſione, ſi adſit facultas; ideo ſubdit:

C

De Pœ.d. 1. cap.Et venit.

5. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis: & vincas cum judicaris.*

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: quia coram *Nathan* confeſſus ſum, dicens: *Peccavi Domino.* Unde nota: quòd tripliciter poteſt quis alteri peccare. Primò, perſonam offendendo: & ſic David non ſolùm peccavit contra Deum, ſed etiam contra *Uriam*, ejus thorum uſurpando, & furtum, & homicidium in eum perpetrando. Secundò, contra alterius præcepta & voluntatem operando: & ſic perſona privata non ſolùm peccat contra Deum, ſed etiam contra regem & principem ejus, Legem violando: & ſic David *ſoli Deo peccavit*; quia nullum alium ſuperiorem habebat, nec aliam legem habebat ſupra ſe, niſi divinam; & à nullo alio poterat puniri, cùm eſſet Rex: & ſic in puniendo *ſoli Deo peccavit.* Tertiò, quando quis peccat alteri, culpam & pœnam æternam incurrendo, à qua non poteſt abſolvi niſi ab illo: & ſic non ſolùm David, qui erat Rex,

Quis alteri poteſt tripliciter peccare.

D

ſed unuſquiſque noſtrûm peccat ſoli Deo, quia à ſolo Deo poſſumus à pœna & culpa
E ſpirituali abſolvi: & ſic hoc dicit David, cùm dicit: *Tibi ſoli peccavi*, culpam & pœnam incurrendo. Et ſicut *tibi ſoli peccavi*, ita *tibi ſoli*, id eſt, à te ſolo poſſum abſolvi.

Ut juſtificeris. Hîc David perſuadet ratione, quòd Deus debet ſibi miſereri & parcere; & ſimul reſpondet & ſatisfacit rationi objectæ. Ratio eſt iſta: nam Deus promiſerat ipſi David ſucceſſionem ſui regni per *Salomonem*, qui erat templum ædificaturus, & civitatem ampliaturus, & promiſerat etiam perpetuitatem regni per Chriſtum Meſſiam futurum de ſua domo & progenie, ut patet 2. *Reg.* 7. Sed tota iſta promiſſio fuiſſet caſſata & fruſtrata, ſi Deus
F proſecutus eſſet ſententiam datam ab eo per *Nathan*, ſcilicet, quòd David fuiſſet mortuus, & domus ejus deſtructa, & regnum redactum ad domum *Saulis* & inimicorum: & ſic promiſſio primò facta non habuiſſet effectum, immò omnes revelationes & prophetiæ de Chriſto futuro factæ ipſi David, fuiſſent vacuæ: & ſic Deus manſiſſet mendax, & injuſtus. Ergo ad hoc quòd Deus juſtificaretur in ſuis ſermonibus & promiſſis, oportebat, ut revocaret ſententiam datam per *Nathan*, & miſereretur, & parceret ipſi David. Et ideo ait: *Miſerere mei Deus, ut juſtificeris in ſermonibus* & promiſſionibus tuis.

G Satisfactio autem ad objectionem eſt iſta. Nam peccatum ipſius David fuit ita horribile omni populo, quòd publicè blaſphemabant æmuli ſui: & inſurrexit hoc proverbium in populo, ſcilicet, *Quomodo Deus poterit ſuſtinere & proſperare Regem iniquum, & lupum, qui rapuit ovem, & interfecit paſtorem?* Et ſic æmuli David arguebant, quòd Deus de juſtitia non poterat, nec debebat parcere ipſi David, nec ſuſtinere ipſum in regno, nec permittere vivere ſuper terram. Et ſic blaſphemabant contra Deum, volendo ipſum arguere, & judicare. Poſſet igitur Deus dicere ipſi David: Quomodo parcam tibi, & potero miſereri, & revocare ſententiam? quia totus populus judicat, & arguit me, & petit
H juſtitiam de te propter neſandum ſcelus perpetratum. Huic objectioni ſatisfacit David, dicens: Domine, licèt tu arguaris, & judiceris temerè ab æmulis meis, tamen tu poteris eos vincere, & ora eorum obtundere, allegando meam fragilitatem: quia

Nota.



Ro. 3. & de Conse. d. 3. cap. Firmissime.

6. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.* A

ET sic à parentibus meis traxi naturam corruptam, & fragilem, & pronam ad cadendum & peccandum. Unde *invenio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: & *quod nolo*, quandoque *ago*: & *quod volo*, *non facio*: & hoc facit peccatum naturæ, quod habitat in me, à quo non possum liberari, nec possum vitare, nisi gratiâ Christi: ergo venia est danda, & parcendum, & miserendum tantæ fragilitati. Allegando ergo meam fragilitatem, poteris eos vincere & confundere: quia major est tua misericordia, quàm mea B fragilitas, & peccatum meum, & etiam quàm malitia & invidia eorum. Ergo *miserere mei, ut vincas* eos *cum judicaris*, & argueris ab illis. Et hoc est quod vult dicere hîc David: dicit enim, *Miserere mei*, supple, *ut justificeris in sermonibus tuis*: & *miserere mei, ut vincas cum judicaris*. Et quomodo *vincas cum judicaris*? quia *ecce*, id est respice, quia *in iniquitatibus conceptus sum*, unde traxi fragilitatem, & fomitem, & concupiscentiam, & corruptionem, & pronitatem ad peccandum: ergo non respicias meam fragilitatem, sed tuam *magnam misericordiam*, quæ major est omni peccato & malitiâ. Nam sicut ego naturaliter sum fragilis & pronus ad cadendum in peccatum & miseriam: ita tu naturaliter es potens, & pronus ad par- C cendum & relevandum à miseria: quia naturaliter est tibi proprium, *misereri semper & parcere*, sicut est proprium homini peccare pro statu isto: ergo sic parcendo, vinces æmulos meos, *cùm judicaris*. Et quomodo miserebor tibi, ut *justificer in sermonibus meis*?

11. q. 3. Abiit, & ca. Nolite.

7. *Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

ECCE *enim*, id est, respice & recordare, quia *veritatem dilexisti*, & non mendacium; & sic nullum debes decipere, *ut justificeris in sermonibus*, & promissio- D nibus, & revelationibus *tuis*: quia tu *manifestasti* & revelasti *mihi* multa *incerta*, id est, absconsa & occulta hominibus, scilicet, mysterium Incarnationis, & adventus Messiæ de carne mea, & successionem, & perpetuitatem regni, ut patet 2. *Reg.* 7. Ergo imple promissionem tuam, *ut justificeris in sermonibus tuis*, & non injustus & mendax arguaris, delendo me de terra, & de regno. *Miserere* ergo *mei, ut justificeris in sermonibus tuis*: quia E *ecce veritatem dilexisti, & incerta & occulta manifestasti mihi*: ergo *miserere mei, ut vincas cum judicaris*: quia *ecce in iniquitatibus conceptus sum &c.* Et hoc modo est ordinanda ista littera.

Littera *Hieronymi* juxta Hebræum habet: *Propterea justificabis verbum tuum, mundaberis, cum judicaberis*: quæ forsan magis clara est. Quasi dicat, *miserere mei: propterea* si hoc feceris, *justificabis* & adimplebis *verbum tuum promissum*; & *mundaberis*, id est, mundus, & justus, & excusabilis eris repertus, *cum judicaberis* ab æmulis meis. Nam in parcendo magis ostendis omnipotentiam & bonitatem, & per consequens justitiam, non respiciendo peccatum, sed misericordiam tuam. Nam non F est justum, ut *contra* fragilitatem & *folium quod vento rapitur ostendas potentiam* in puniendo, immò misericordiam tuam in parcendo: & in hoc magis *justificaberis*, & vinces æmulos meos, & blasphemos. Nota, quòd rectè allegat David fragilitatem & corruptionem naturæ quam traxit à parentibus: nam illa corruptio carnis est causa omnis peccati. Nam per solum contactum & consortium anima trahit peccatum originale; sed per consensum concupiscentiæ contrahit actuale.

Dist. 50. Cum exaudi.

8. *Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.*

G HIC David sciens per præteritas revelationes, peccata non posse remitti alicui, nisi virtute passionis & sanguinis Christi futuri: ideo invocat Christum futurum, vel interponit merita sanguinis Christi, ut facilius impetret misericordiam, & veniam, & remissionem culpæ & pœnæ æternæ.

Ad cujus intelligentiam est notandum, ut legitur *Exod.* 12. quòd Deus præcepit *Moysi* in nocte quâ egressus est Israel de Ægypto, ut unusquisque immolaret agnum sine macula, in cujus sanguine intingeretur fasciculus hyssopi, & sic unusquisque aspergeret liminare domus suæ. Et sic Angelus percussit illa nocte omnia primogenita Ægypti, ab homine usque ad pecus, H in omnibus domibus Ægyptiorum: sed domos Israel, & eorum primogenita non percussit Angelus, in quibus invenit limina aspersa sanguine. Et sic per signum sanguinis agni, liberati sunt à morte omnes primogeniti Hebræorum. Hoc fuit figura, quòd in sanguine Christi, aspersо per Baptismum in frontibus Christianorum, debebant omnes à morte æterna liberari. Item *Exod.* 24. ex præcepto Dei *Moyses* aspersit san-

Nota de Sanguine Christi.

sanguinem super populum, dicens: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum*: in figura, quòd Testamentum Dei A per Christi sanguinem erat firmandum, & per aspersionem sanguinis Christi futuri, omnes erant liberandi. Item *Levit.* 14. præcepit Deus, ut leprosus aspergeretur hyssopo intincto sanguine passeris: in figura, quòd lepra peccati non poterat mundari nisi sanguine Christi. Sed causa, quare Deus præcepit, ut ille sanguis aspergeretur hyssopo, fuit in figura, quia sicut hyssopus est herba humilis, & purgativa: ita humanitas & corpus Christi debebat humiliter intingi sanguine passionis, & purgare omnia peccata, & conferre Sacramentis Ecclesiasticis vim purgativam. Per supradictas figuras & mysteria novit & prævidit David in spiritu, quòd non poterat genus humanum à morte æternâ, nec à culpâ liberari, nisi per sanguinem Christi futuri.

Hoc ergo credens, & sciens David B per fidem, dicit ad Patrem, sive ad Filium: O Domine, *asperge*, id est, asperge *me hyssopo* sanguinis tuæ futuræ passionis, *& mundabor* à culpâ; & *lavabis me* Sacramento Pœnitentiæ habente virtutem à passione tua futurâ: & sic *dealbabor super nivem*; vel, *mundabor* per aspersionem hyssopi sanguinis, à culpâ: & *lavabis me* per infusionem gratiæ: & sic *dealbabor super nivem*, id est, ero magis albus albedine gratiæ, quàm nix: quia pœnitentia mundat per aspersionem & virtutem sanguinis Christi, sed gratia dealbat, & facit animam splendere.

Et nota, quòd hîc ponitur *futurum indicativi* pro *optativo*, vel *imperativo*: eò quòd Hebræi non habent *optativum*, sicut frequenter dictum est, id est, *asperges*, sive C aspergas *me hyssopo*, id est, asperge me hyssopo &c. & lava me &c. Et sic sequitur etiam imperativè:

De Confe. d. 1. Quãdo autem stamus.

9. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.*

AUditui *meo dabis gaudium*, id est, da gaudium *auditui meo*, annuntiando mihi remissionem, id est, *dic animæ meæ: Salus tua ego sum*: vel, *Remittuntur tibi peccata tua*: & sic *dabis gaudium auditui* D *meo*, si hoc audio à te; & sic *ossa mea* contrita *& humiliata* per pœnitentiam, *exultabunt*, & quiescent à labore. *Averte* ergo *faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele* per aspersionem sanguinis tuæ futuræ passionis. Nota secundùm *Augustinum*, quòd *Deum avertere faciem à peccatis, nil aliud est, nisi per suam misericordiam peccata non respicere: & Deum iniquitates delere, nil aliud est, nisi peccata præterita jam ampliùs ad culpam non imputare per pœnitentiam.* Ideo ait Da- E vid:

10. *Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.*

De Pœ. d. 2. Ut cognoverit.

O Domine, *averte faciem tuam à peccatis meis*, id est, non respicias, nec existimes peccata mea; sed respice misericordiam tuam: quæ major est omni peccato: *& omnes iniquitates meas dele*, id est, per aspersionem tui sanguinis ampliùs ad culpam non imputes, nec etiam ad pœnam.

Sed hîc dubitatur: & videtur, quòd non erat necessarium ipsum David aspersionem sanguinis Christi futuri invocare ad F remissionem suæ culpæ, cùm jam tunc de præsenti haberet aspersionem sanguinis *vitulæ rufæ* ad purgationem peccatorum, ut patet *Numer.* 19. & per consequens per ly *asperges me*, non intelligit nisi aspersionem sanguinis *vitulæ*, vel *aspersionem sanguinis passeris*, quæ fiebat leprosis, *Levit.* 14.

Quæstio.

Ad hoc breviter respondetur sicut dictum est *in Prologo*, *tractatu* 3. & ad *Hebr.* 11. quòd unum de principiis præsuppositis in Theologia ad intelligendam Sacram Scripturam, est, quòd eadem est fides utriusque Testamenti. Nam eadem fides Christi quæ salvat nos, salvabat Patres veteris Testamenti. Nam sicut idem est Christus creditus nobis, & illis, ita eadem fuit G fides. Sed est differentia: nam mysterium Incarnationis & Redemptionis, quod nos credimus jam impletum in Christo, ipsi credebant futurum: & sic sicut nos credimus, neminem posse liberari à peccato, nisi per sanguinem & passionem Christi: ita ipsi credebant. Et sic dicit Apostolus *ad Rom.* & *ad Galath.* & *Hebr.* quòd sola fides Christi futuri salvabat illos, & non Lex, nec sacrificia, nisi in quantum erant figura & signa passionis Christi, & in quantum dabantur in signum fœderis, & futuri pretii per Christum solvendi, ut dictum est, & dicetur.

Responsio.

Fides fuit necessaria

Et ideo hæc est differentia inter novæ Legis, & veteris sacrificia & sacramen- H ta. Nam licet utraque essent *sacræ rei signa*: tamen ista de se efficiunt quod significant: ista autem non. Et ratio est: nam in Sacramento *Eucharistiæ* continetur realiter Christus: & ideo Sacramentum hoc ut Sacramentum, realiter & de præsenti confert gratiam quam significat. Sed in illo sanguine vitulæ, quo aspergebatur in Lege, non continebatur realiter Christus; & ideo de se non poterat gratiam conferre. Et sic est dicendum de sanguine aspersо supra le-

pro-

prosum &c. Et ideo talia sacrificia *agni matutini* & *vespertini* non conferebant de se gratiam, nec purgabant peccatum: sed A illi liberabantur à culpa per sanguinem Christi futuri, figurati per illum sanguinem, sicut ipsi offerentes & aspersi credebant. Ex quo patet, quòd sola spes & fides Christi futuri liberabat illos à peccato: & hunc articulum sciebant omnes principales de illo populo: & omnes Patriarchæ & Prophetæ in hoc salvati sunt: inter quos principaliter fuit *David* Propheta. Ergo si David sciebat, omnia supradicta mysteria fieri in figura Christi futuri, & neminem posse salvari, nisi in virtute passionis Christi: ergo hîc, & in quolibet Psalmo, in quo petit remissionem & gratiam in persona sui, vel in persona totius generis humani: hoc petit in virtute passionis B & sanguinis Christi, non solùm implicitè, sed explicitè: quia ita petebat, sicut credebat. Nam fides præcedit omnem orationem & petitionem. Ex quibus patet, quòd David hic non petit aspergi *hyssopo* intincto sanguine *vitulæ rufæ &c.* sed *hyssopo* carnis & humanitatis Christi intinctæ sanguine passionis &c. in cujus fide & spe fuit ipsi culpa remissa. Nam licèt Verbum nondum esset incarnatum; tamen peccatum David jam fuit remissum in virtute passionis Christi futuri: quam passionem David jam de futuro invocabat. Ideo *Jesus* filius *Sirach*, *Ecclesiastici* 47. dicit de ipso David, quòd *Dominus purgavit peccata ipsius, & exaltavit in æternum cornu ejus: & dedit illi testamentum regni, & sedem gloriæ in Israel.* Ex quibus patet, quòd passio Christi jam operabatur in fidelibus membris Christi ante Incarnationem. C

Nota.

Differentia inter Sacramenta novæ Legis & veteris.

Notandum est, quòd quadruplex est differentia inter Sacramenta Legis veteris & novæ. Prima differentia: quia hæc continent realiter Christum, aut virtutem suæ passionis: eò quòd derivantur immediatè à passione Christi: illa autem non continebant Christum realiter, nec suam virtutem, sed tantùm significabant hujusmodi virtutem, in quantum ordinabantur ad Christum, tanquam in finem. Secunda differentia sequitur ex prima: quòd ista efficiunt realiter virtutem & gratiam quam significant: illa autem non. Tertia differentia: quòd ista agunt & efficiunt in virtute propriâ, quam continent; eò quia sunt bona *de opere operato*: illa autem non D auferebant peccatum in virtute in se contenta, sed in fide offerentis & operantis. Quarta differentia: quòd ista realiter dantur in pretium, & præsentem solutionem pro peccato: illa autem tantùm dabantur in signum fœderis, & pacti, & fidejussionis cum protestatione, in quantum illam Circuncisionem acceptabat Deus, non in pretium reale, sed in signum futuræ solutionis, & futuri pretii per Christum offerendi: & sic est dicendum de cæteris Sacramentis & sacrificiis. Quia ergo David E sciebat, quòd illa Sacramenta veteris Legis non continebant pretium, nec offerebantur in reale pretium, sed in signum futuri pretii sanguinis Christi, sicut dictum est *Psalmo* 39. ideo protestando invocat Christum futurum, ut aspergat ipsum sanguine suo, & solvat pro eo: & sic jam David offerebat sanguinem Christi pro peccato suo. Ideo ait: *Asperges me.*

11. *Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Q. 1. Ita fit, &c. Ut videnter.

F

POSTQUAM in prima parte petiit remissionem culpæ, & revocationem sententiæ: hîc petit restitutionem gratiæ amissæ. Et duo facit: nam primò, petit sibi gratiam restitui: secundò, hoc suadet multiplici ratione. Ibi: *Docebo iniquos.*

Quantum ad primum est advertendum: quòd duplicem gratiam perdidit David propter illud peccatum. Primò, gratiam gratificantem, qua erat Deo charus & acceptus, & rectus & justus in vita sua. Secundò, gratiam & spiritum prophetiæ. Tria ergo facit: nam primò petit, gratiam gratificantem sibi restitui. Secundò, gratiam & spiritum prophetiæ. Tertiò, petit in utraque gratia confirmari. Secunda ibi: *Ne projicias.* Tertia ibi: *Redde mihi.*

Remissio culpæ prior infusione gratiæ.

Quantum ad primum est notandum: quòd licet ex parte Dei idem sit remissio G culpæ, & infusio gratiæ; quia per infusionem gratiæ remittit culpam: tamen ex parte subjecti prioritate originis, remissio culpæ est prior infusione gratiæ: sicut corruptio formæ præteritæ est prior quàm introductio formæ generati, licet simul tempore generatio unius sit corruptio alterius, & econverso. Et ideo David prius petit sibi culpam remitti & deleri, & ex consequenti in hac parte petit sibi gratiam restitui & infundi. Sed quia talis gratia non educitur de potentia passiva ipsius animæ per aliquod agens creatum, nisi à solo Deo per solam creationem: ideo ait: *O Deus, crea in me cor mundum, & innova spiritum rectum*, id est, gratiam rectificantem, *in visceribus* animæ meæ, id est, in intiH mo conscientiæ. Unde per *spiritum rectum* non intelligit substantiam Spiritus sancti, sicut forsan intellex *Magister sententiarum in* 1. *d.* 12. sed intelligit gratiam infusam per Spiritum sanctum: & sic ponitur causa pro effectu. Nam Spiritus sanctus est ille, per quem Pater, & Filius infundunt gratiam in animam. Et dicitur *spiritus rectus*, in quantum rectificat & ordinat nostram voluntatem, ut sit conformis divinæ voluntati, & pareat præceptis & divi-

vinæ Legi. Item dicit, *innova*, & petit præteritam gratiam renovari: ad denotandum, quòd perdiderat eam, & erat inveteratus per peccatum per totum illum annum, antequam ageret pœnitentiam. Quasi dicat: O Deus, renova gratiam rectificantem & ordinantem me, ut sim conformis divinæ voluntati: quam gratiam per peccatum amisi, in quo peccato diu fui inveteratus. Nam *quoniam tacui* illud peccatum sine pœnitentia, ideo *inveterata sunt omnia ossa* & viscera conscientiæ meæ, ut dictum est *Psalmo* 31. Quasi dicat, restitue mihi illam gratiam rectificantem: & renovabit, & mundabit cor meum & conscientiam.

De Pœ.d. 2.§.Opponitur.

12. *Ne projicias me à facie tua: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*

QUIA sicut in toto illo anno fuit privatus gratiâ gratificante: ita fuit privatus gratiâ prophetiæ, & sic fuit projectus à facie, & gratiâ Dei: quia *longe à peccatoribus salus.* Ideo petit reduci in gratiam Dei, & spiritum prophetiæ sibi restitui, dicens: O Domine, *ne projicias*, id est, ne procul jacias me *à facie* & gratia *tua: & ne auferas à me Spiritum sanctum tuum*, scilicet, spiritum prophetiæ, quem perdidi propter peccatum: sed reduc me in gratiam tuam, & restitue mihi spiritum prophetiæ amissum, ut considerem mirabilia absconsa in Lege tua, quæ sine illo spiritu intelligi & interpretari non possunt: & non auferas à me inspirationes & revelationes consuetas.

D.l. Ponderet, & cap. Cum exaudiero

13. *Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.*

HIC petit confirmari in utraque gratiâ. Unde est advertendum, quòd David ante peccatum per illam duplicem gratiam erat in duplici gaudio. Nam sicut *longe à peccatoribus salus*; ita salus est prope justos. Et sic, sicut peccator semper est in continua tristitiâ, quia timet pœnam æternam: ita justus, in quo est gratia, gaudet, & est in continua lætitia: quia de propinquo sperat salutem & gloriam. Sic David ante peccatum per gratiam erat in illa lætitia salutis: quia per gratiam sciebat se consequuturum salutem, & esse Deo gratum & acceptum. Item per gratiam & spiritum prophetiæ habebat aliam lætitiam: quia continuè contemplabatur mysterium Incarnationis & nostræ redemptionis, & universalis salutis, prout sibi revelabatur; & sic continuè lætabatur in tali contemplatione. Sed quia videbat se illud gaudium & lætitiam perdidisse per peccatum: ideo petit illud gaudium & duplicem gratiam restitui: & quia timebat, ne iterum recuperatam perderet, ideo petit in illa duplici gratia & gaudio confirmari.

Ideo ait: O Domine *redde mihi lætitiam salutaris tui*, id est, illam duplicem gratiam, ut gaudeam & læter in spe & contemplatione universalis redemptionis & salutis Christi futuri, ut fruar illo gaudio & contemplatione: & rogo *ne* amplius *auferas à me* hanc gratiam & lætitiam salutaris tui, postquam semel restitueris & reddideris mihi; sed *confirma me* in ea. Ideo subdit: *& spiritu principali*, id est, gratiâ principali *confirma me.* Quia si confirmaveris me in gratia, nunquam amplius peccabo; & per consequens ero in continuo gaudio & *lætitia salutaris* Christi. Et vocat gratiam confirmatam *spiritum principalem*: nam licet eadem sit gratia gratificans, & confirmata; tamen quoad modum existendi, gratia confirmata dicitur nobilior & principalior: eò quòd non potest auferri, sicut fuit semper in *Virgine Maria*, & in Apostolis post receptionem Spiritus sancti in die Pentecostes. Unde sicut finalis impœnitentia & obstinatio dicitur pessimum *peccatum in Spiritum sanctum*: ita gratia confirmata dicitur *spiritus principalis* & nobilior. Quasi dicat David in tota ista parte: O Deus, *crea in me cor mundum* à peccato, *& renova* in me gratiam rectam, quam perdidi: & *ne projicias me à facie tua*, *nec auferas à me spiritum* prophetiæ, quem prius habebam, per quem multa mysteria Sacræ Scripturæ de Christo futuro intelligebam, & prævidebam tanquam in speculo, & multa mihi noviter revelabas: sed *redde mihi lætitiam salutaris tui*, quam de gratiâ præsenti, & de Christo *salutari* tuo prius habebam: quæ gratia lætificabat animam meam, *& confirma me* in tali duplici gratia.

14. *Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.*

De Pœ.d. 2. Si impium, & d.l. Ponderet, & de Pœ. d. 3. totam.

HIC David, ut Deum inclinet ad suas preces, & impetret remissionem culpæ, & sententiæ, & recuperationem gratiæ amissæ, persuadet quadruplici ratione, adducendo in medium quatuor utilitates, quæ perderentur, nisi talis remissio fieret. Unde nota, quòd quatuor utilitates secutæ sunt toti generi humano ex remissione peccati ipsius David, & revocatione sententiæ Dei. Nam primò, multi videntes pœnitentiam esse tantæ perfectionis & virtutis, quòd per ipsam Deus remisit ipsi David tria tam nefanda scelera, scilicet, adulterium, & fu-

Ex remissione peccati quatuor utilitates.

furtum, & homicidium: ideo exemplo ipsius David, cum fiducia currunt ad pœnitentiam, & convertuntur à sua via mala. A

Et ideo subdit David: O Domine, si tu remiseris culpam, & restitueris mihi gratiam per hanc pœnitentiam, tunc ego *docebo iniquos* & peccatores *vias tuas*, id est, publicè in præsenti prædicabo eis multitudinem misericordiæ tuæ, quomodo es pius & misericors & misertus es mei: & sic multi *impii* & peccatores *convertentur ad te*; & non solùm docebo peccatores in præsenti, sed etiam in futurum dupliciter. Primò, quia hanc remissionem ego scribam in hoc Psalmo. Secundò, quia *Nathan*, & *Gad*, & cæteri scribent eam in 2. *libr. Regum*: & sic erit memoria perpetua in futurum. Unde omnes peccatores legentes & audientes *convertentur ad te*, pœnitentiam agentes cum fiducia veniæ, exemplo B mei.

Secunda utilitas fuit: quia postquam sententia Dei fuit revocata, & David non est mortuus, & recuperavit spiritum prophetiæ, non solùm semper egit Deo gratias, sed etiam condidit plures Psalmos ad laudem Dei, in quibus continentur mysteria profundissima de Christo, & Ecclesia, quos hodie cantat & frequentat Ecclesia in Divinis Officiis ad laudem Dei, magis quam scripta aliorum Prophetarum, quæ omnia deficerent in Ecclesia. Ideo subdit:

2. 5. d. ca. Qualis.

15. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiam tuam.* C

O Deus meus, *libera me de* his tribus *sanguinibus*, id est, tribus peccatis, pro quibus mereor mortem, scilicet, à culpa adulterii, furti, & homicidii, pro quibus peccatis effudi sanguinem *Uriæ*: & si hoc feceris, lingua mea exaltabit, & magnificabit, & laudabit justitiam tuam.

Peccatum dicitur sanguis.

Nota, quòd omne peccatum dicitur *sanguis*. Primò, quia procedit ex concupiscentia carnis & sanguinis, quia ex concupiscentia omnia mala oriuntur. Secundò, quia omne peccatum meretur duplicem mortem, scilicet, corporalem, & æternam. Tertiò, maximè odium & homicidium dicuntur *sanguines*. Nam *ira est accensus*, id est, ebullitio *sanguinis circa cor*: D & in homicidio effunditur sanguis: & sic malivoli dicuntur viri *sanguinis & dolosi*: & sic etiam alterutrum dicitur peccatum *sanguinis*, eò quòd procedit ex concupiscentia carnis & sanguinis. Unde David à culpa horum trium peccatorum petit liberari. Item, per *justitiam* intelligit divinam misericordiam: nam misericordia Dei nihil aliud est, nisi justitia, per pietatem & bonitatem temperata. Item cùm Deus parcit peccatori, justè agit: quia *justificatur in* E *sermonibus* & promissionibus suis, eò quòd promisit veniam pœnitentibus. Et etiam *vincit cum judicatur*: & sic omnis remissio culpæ per pœnitentiam, dicitur *mystica*, ut magis patebit in secunda Expositione hujus Psalmi. Et nota, quòd ubi hîc inscribitur: *Exultabit*, in aliis Bibliis legitur: *Exaltabit*, id est, magnificabit lingua mea justitiam tuam. Et forsan sic conformiùs Hebræo, & litteræ Hieronymi, ubi habetur: *Laudabit lingua mea justitiam tuam.* Sed quia David non solùm intendebat, si viveret, laudare & magnificare Deum propter remissionem peccati, sed etiam, si recuperaret spiritum prophetiæ, intendebat plures Psalmos in æternam memoriam ad laudem Dei, & ad prænuntiandum futura F & profunda mysteria, conficere. Ideo subdit:

Dist. 5. c. ult. & de Pœ. d. 2. Quærendum.

16. *Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.*

Domine *labia mea aperies*, id est, si restitueris mihi spiritum prophetiæ, & aperueris labia intelligentiæ meæ, quæ per peccatum erant clausa, tunc *os meum annuntiabit laudem tuam* & prænuntiabo futura mysteria, faciendo Psalmos, in quibus referabo, & memorabor omnia mirabilia, quæ fecisti à creatione mundi, & quæ facturus es in futurum usque ad finem.

Not. mysteriũ Trinitatis.

G Nota: quòd hîc explicatur totum mysterium Trinitatis. Nam primò geminatur hoc nomen *Deus*, dum dicitur: *Deus Deus salutis meæ*, quod personaliter intelligitur. Nam per primum intelligitur persona Patris, cùm dicitur: *Libera me Deus*: per secundum intelligitur persona Filii, cùm dicitur: *Deus salutis meæ*. Nam sicut Pater dicitur *Deus potentiæ*, sive *Deus* simpliciter: ita Filius ut Redemptor dicitur *Deus* & actor nostræ *salutis*. Et sic memoratur persona Patris, & Filii. Sed rursus memoratur persona Spiritus sancti, cùm dicitur: *Domine labia mea aperies*; quia ad Spiritum sanctum pertinet appropriate aperire labia ignorantium, & infundere dona gratiarum. Verumtamen licèt ista opera H attribuantur distinctè istis personis appropriatè; tamen realiter sunt indivisa ad extra. Nam sicut Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt unus Deus essentialiter, & unus Dominus, ita istæ operationes essentiales sunt indivisæ ad extra: sed explicatur hîc pluralitas & distinctio divinarum Personarum in una substantia & esse.

Tertia utilitas, quæ secuta fuit ex remissione illius peccati, fuit acceptatio sacrificiorum, & bonarum operationum, & orationum, & laudum. Nam certum est, quòd

quòd Deus non acceptat sacrificium, nec laudem peccatoris: quia *laus non est speciosa in ore peccatoris.* Tunc manifestum A est, quòd Deus per totum illum annum non acceptavit sacrificium, nec oblationem ipsius David, eò quòd erat in peccato. Unde est advertendum, quòd hæc est differentia inter sacrificia veteris & novæ Legis, sicut dictum est Psalmo præcedenti. Nam illa de se non erant bona, nec acceptabilia, nec reconciliativa; quia erant parvi pretii ex animalibus brutis. Et ideo non erant bona, nisi ex devotione, & puritate, & bonitate offerentis. Et sic Deus primò acceptabat devotionem, & puritatem offerentis, & exinde illa sacrificia. Sed si offerentes erant in peccato, nec acceptabat Deus offerentes, nec sacrificia. Nam per prius *respexit Deus ad Abel*, deinde *ad munera ejus*, ratione puritatis ejus. Ad B *Cain autem non respexit*, propter immunditiam, & pravam intentionem, *nec* per consequens *ad munera ejus*: quia tota bonitas sacrificii erat ab offerente. Per oppositum est, & fit in Lege gratiæ, in quantum non offertur nisi unum sacrificium, scilicet, Christus in *Eucharistia*: & illud est de se bonum *de opere operato*, & acceptabile apud Patrem. Et ideo per prius & semper acceptatur apud Patrem: ex consequenti acceptantur offerentes ipsum, & prò quo offertur, si est in gratia.

Duo sacrificia offeruntur in novo Testamento.

Et ideo duo sacrificia offeruntur in novo Testamento, scilicet, sacrificium operis, bonum *de opere operato*, scilicet Christus in *Eucharistia*: & hoc dicitur de se justum & acceptum semper. Aliud est sacrificium cordis: scilicet, bonitatis & puritatis. Primum de se semper est acceptum C apud Deum; sed non est semper acceptum pro offerente, nisi offerens offerat simul puritatem & bonitatem cordis. Ex quo patet, quòd oportet, quòd illud sacrificium offeratur cum puritate offerentis, ad hoc quod ipsi prosit. Sed illud sacrificium semper acceptatur pro omnibus vivis & defunctis existentibus in gratiâ; & sic nunquam est vacuum, nec frustraneum. Sed sacrificia veteris Legis nullo modo de se, nisi ratione offerentis, erant accepta & placabilia. Ideo subdit David:



D 17. *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.*

De Pœ. d. 2. Ut cogitaverunt, & de Pœ. d. 1. c. In actione.

18. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

O Domine, *si* tu *voluisses*, id est, acceptasses, ego *sacrificium dedissem* & obtulissem tibi: sed non feci, quoniam *utique*, id est, certè scio, quoniam tu *non delectaberis*, nec delectaris in holo- E caustis veteris Legis ratione eorum, nisi ex bonitate offerentis. Dum ergo fui in peccato, non tibi obtuli sacrificium acceptabile; quoniam scio, supple, quòd sacrificium acceptabile tibi, dico, est *spiritus contribulatus* per pœnitentiam. Et scio, quòd tu *Deus non despicies cor contritum & humiliatum* per pœnitentiam: aliter nunquam acceptabis sacrificium, nec recipies: imò despicies ipsum: & hæc fuit causa quare in toto tempore peccati non obtuli, nec dedi tibi sacrificium; quia scio, quòd non voluisses, nec acceptasses illud. Quasi dicat: Tertium bonum quod sequetur, si tu remiseris mihi culpam, & restitueris gratiam, erit, quia offeram tibi *cor contritum & humiliatum*, & *spiritum contribulatum*, quod est sacrificium tibi placitum & acceptabile: & sic non despicies, immò acceptabis ipsum. Littera *Hieronymi* habet: F *Quoniam non vult sacrificium Deus, nec holocaustum sibi placet; sacrificium Dei spiritus confractus: cor confractum & contritum Deus non despicies*: & tunc littera est magis clara.

19. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Hierusalem.*

De Pœ. d. 1. c. Taciturnitas.

Quarta utilitas etiam potest esse ultima pars principalis hujus Psalmi: nam David per peccatum perdidit gratiam, & incidit in culpam, & mortem temporalem, & æternam: & sic impedie- G batur tota promissio de templo ædificando per successorem filium: & sic etiam impediebatur æternitas regni Christi in eo: sed si Deus revocaret sententiam & remitteret culpam, & reduceret ipsum in pristinum statum & gratiam, tunc sequeretur hoc quartum bonum & utilitas, sicut sequuta est, quia ipse reliquit, & præparavit omnia necessaria pro templo ædificando, & civitate amplianda, & cultu divino magni-

ficando: quod totum fuit impletum per *Salomonem*, & sic per consequens fuit impletum quod figurabat de Christo & Ecclesia. A Ideo ait: O Domine, fac quod peto, non propter me solum, sed propter *Sion*, & totum populum Israel. Unde *fac benignè in voluntate tua Sion*, id est, sit benigna tua voluntas toti *Sion*, *ut muri Hierusalem* & templum possit ædificari, sicut proposui, & promisisti.

24. q. 1. cap. Odi, & 86. de Nonsatis; & 15. q. 1. per tot.

20. *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.*

TUNC in illo Templo magnifico *acceptabis* ab omnibus *sacrificium justitiæ*, id est, corde contrito & humiliato. B Et *tunc* Sacerdotes *imponent vitulos*, & tauros, & alia holocausta & sacrificia *super altare tuum*. Et non solùm intendo, quòd facias benignè huic *Sion* materiali: sed toti *Sion* spirituali, scilicet Ecclesiæ, per istam *Sion* figuratæ: *ut muri* novi, & spiritualis Hierusalem *ædificetur* per Christum, & Apostolos, & impleatur tua promissio: & *tunc* in Ecclesia Christi Sacerdotes *imponent*, & offerent, & sacrificabunt veros *vitulos*, scilicet, Martyres & Apostolos, per vitulos veteris Legis figuratos, *super altare tuum*: & *tunc acceptabis sacrificium justitiæ*, scilicet, sacrificium *Eucharistiæ*, quod de se est bonum & ac- C ceptabile, ut patebit magis in secunda Expositione.

Secunda Expositio.

SED quia, ut in principio dictum est, David non solùm fecit hunc Psalmum in persona sui, sed etiam propheticè in persona totius *corporis*, sive *hominis mystici*, prout peccavit in Adam, & habet fidem Christi: qui homo peregrinatus est usque ad Christum, & exinde peregrinatur usque ad Judicium; qui alio modo dicitur *Civitas Dei*, aut *Populus*, sive *Ecclesia Dei*, ad quem sensum legitur in Officiis ferialibus ad omnes horas: ideo ad hunc sensum est secundo modo exponendus iste Psal- D mus.

Ad cujus intelligentiam est advertendum, sicut dictum est frequenter, quòd David in multis est figura Christi, maximè quoad primam persecutionem: quia innocenter passus est: sed post persecutionem fuit exaltatus in regnum suum, sicut Christus. Sed in multis fuit figura ipsius *Adam*, scilicet, in quantum peccator & ingratus post exaltationem, maximè in adulterio & raptu *Bethsabee*.

Unde peccatum ipsius David in multis fuit simile peccato primi parentis, & è E converso. Nam sicut peccatum David fuit superbia, & furtum, & luxuria: ita & peccatum ipsius Adam. Fuit enim primò superbia, quia non paruit divino præcepto. Secundò, fuit furtum, quia rapuit fructum vetitum. Tertiò, fuit luxuria, quia voluit magis complacere uxori, quàm Deo, propter delicias suas, ne destitueretur solatio consortis, ut ait *Augustinus*. Item non solùm peccatum ipsius David fuit simile peccato Adæ, sed etiam punitio & sententia. Nam sicut propter peccatum Adæ fuit corrupta tota sua generatio & natura humana, quæ trahit concupiscentiam in carne ab Adam, quâ inclinatur generaliter ad illa tria peccata, scilicet, ad superbiam, avaritiam, & luxuriam: quæ dicuntur peccata F hæreditaria, quia ex morbo naturæ contracto ab Adam: ita pariter fuit corrupta domus David ex sententia Domini propter peccatum ejus, cùm dixit Dominus per *Nathan*: *Non recedet gladius de domo tua &c.* Et sic taliter fuit corrupta domus David, quòd peccatum ejus relictum est quasi hæreditarium filiis. Primò, fuit relictum peccatum luxuriæ: quia *Amnon* corrupit & rapuit *Thamar* sororem suam, & *Absalom* ingressus est ad uxores patris sui. Item, gladius homicidii non recessit de domo David: nam *Absalom* interfecit *Amnon* fratrem suum: sicut *Cain* interfecit *Abel*. Item, relictum est peccatum superbiæ: quia *Absalom* rebellavit contra patrem &c. Item, sicut totum genus humanum fuit con- G demnatum ad mortem propter peccatum Adæ: ita filius genitus ex adulterio *Bethsabee*, fuit percussus morte propter peccatum David, ut patet 2. *Reg.* 12. Ex quibus patet, quòd non solùm peccatum, sed etiam sententia & punitio domus David fuit similis punitioni filiorum Adam: nam totum genus humanum fuit punitum in Adam, & laborat in illo triplici peccato, scilicet, superbiâ, luxuriâ, & avaritiâ, tanquam morbo hæreditario relicto ex peccato primi parentis.

Peccatum David cõparatur peccato Adæ.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, non solùm in persona sui, sicut dictum est, sed etiam in persona *hominis mystici* percussi & vulnerati in Adam, fecit hunc Psalmum: in quo introducit ipsum loquentem. H Unde iste *homo mysticus*, qui loquitur in hoc Psalmo, habet duplicem respectum. Uno modo respicit primum Adam, in quo peccavit, & à quo trahit naturam corruptam tanquam morbum hæreditarium. Secundò, respicit secundum Adam, id est, Christum, per quem expectat liberari à morbo & sententia data in Adam. Et sic dicitur *homo mysticus* ratione Christi Capitis sui: qui quidem homo peregrinatus est ab *Adam* usque ad *Abraham*, in quo recepit Circumcisionem: & exinde peregrina-

David repræsentat Adam, & Christum.

natus est usque ad *Moysen*, in quo accepit Legem: & exinde usque ad Christum, à quo accepit perfectionem, & gratiam, A & veritatem Legis: & exinde nunc peregrinatur usque ad secundum adventum Christi, ubi accipiet ultimam perfectionem, scilicet, immortalitatem, & vitam sempiternam in patria, ubi cessabit tota sua peregrinatio. Qui quidem *homo*, qui est *Ecclesia*, semper peregrinando cantavit Psalmum usque ad primum adventum, petendo redemptionem: sed nunc cantat, & cantabit usque ad Judicium, petendo sanari à prædictõ morbo per Ecclesiastica Sacramenta.

Not. mala ex peccato David, & Adæ.

Secundò est notandum, quòd sicut David propter peccatum incurrit tria damna, scilicet, quia incidit in culpam, & perdidit gratiam, & perdidit promissionem sibi factam; ita pariter Adam, & totum genus humanum primò incurrit culpam: B secundò perdidit gratiam & originalem justitiam: tertiò perdidit promissionnem sibi factam de æterna felicitate. Tria ergo facit iste *homo mysticus*, sive *tota Ecclesia* in hoc Psalmo; nam primò petit liberari, & sanari à culpâ horum trium peccatorum. Secundò petit sibi gratiam amissam restitui. Tertiò petit promissionem sibi factam de cœlesti felicitate adimpleri. Secunda ibi: *Cor mundum crea &c.* Tertia ibi: *Benignè fac.*

Quantum ergo ad primum, iste *homo mysticus* sauciatus in *Adam*, gemens dicit: O Deus *miserere mei*, id est, releva me ab hac miseria, *secundùm magnam misericordiam tuam*, & non respicias peccatum patris mei *Adæ*. Quasi dicat, mitte Filium tuum, & ostende misericordiam tuam, ut liberet me de hac miseria, quam C traxi ab Adam. Et primò, *secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*, scilicet, primum peccatum, quòd est *superbia*; & *amplius*, id est, ulterius, *lava me ab* alia *iniquitate mea*, scilicet, ab *avaritia*: tertiò, *munda me à peccato meo*, scilicet *luxuria*; quia ista tria peccata traxi ab *Adam*, quasi morbo hæreditario, & in his continuè laboro, unde proveniunt mihi alia vitia & peccata: scilicet, *invidia*, *gula*, *ira &c.* Et ideo confiteor peccata mea, *quoniam ego cognosco iniquitatem meam*: & sic confiteor me reum, quia *peccatum meum semper est contra me*, scilicet, accusando, conteren- D do, & mordendo conscientiam meam; & etiam quia concupiscentia & caro semper insurgit & impugnat adversus spiritum & rationem: & sic confiteor, quòd *tibi soli peccavi*, & te solum offendi in *Adam*: nam sicut ego fui tibi rebellis, ita in me est rebellis sensualitas & caro: & hoc accidit, quia *tibi soli peccavi*, & non tibi obedivi, sed præceptum tuum sum transgressus: *& malum coram te feci*, obe-

diendo persuasioni diaboli, & non voci tuæ: & sic illa pœna & morbus manet in E carne mea in punitionem & pœnam peccati. Quia *quod nolo hoc facio*; & sic sum in continua pugna, incidendo de peccato in peccatum. Ideo veni in carne ad sanandum & redimendum me: & veni per gratiam ad remittendum peccata, quæ committo quotidie, & veni per gloriam ad liberandum me ab omni miseria & pœnalitate corporali & spirituali.

Ut justificeris. Hìc iste *homo* persuadet Deo duplici ratione, quòd debet sibi culpam remittere, & à prædictis peccatis liberare. Primò, allegando Dei promissionem: secundò, allegando hominis fragilitatem & naturæ corruptionem.

Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd diabolus posset conqueri de Deo, dicens: Quare tu fecisti peccatum hominis remissibile; & meum irremissibile? quia tu vis ipsum redimere, & non me: quia ita creasti me, sicut hominem, & in nobiliori natura creasti me, quàm ipsum: ideo habeo jus querelæ contra te, & possum te arguere de injustitia.

Quare peccatum hominis fuit remissibile?

Huic objectioni respondet Propheta in persona totius *hominis mystici*, dicens: Domine, tu debes me redimere, & non diabolum: primò, *ut justificeris in sermonibus* & promissis *tuis*: quia primò ipsi *Adam* promisisti in paradiso, quòd mitteres Filium in carne ad liberandum ipsum cum tota sua posteritate: hoc idem promisisti omnibus Patriarchis & Prophetis. Ideo *miserere mei*, *ut justificeris in sermonibus tuis*. Et quomodo, ut *justificeris in sermonibus tuis*? quia *ecce*, id est, respice, id est, manifestum est, quia *veritatem dilexisti*, & non mendacium. Ideo de- G bes adimplere quod promisisti: sed tu *manifestasti multa incerta*, & obscura, & *occulta* mysteria de adventu Christi in carne, & de universali redemptione: & hoc *manifestasti*, & promisisti *mihi* per Patriarchas & Prophetas: ergo imple promissum, *ut justificeris in sermonibus tuis.*

Sed rursus posset dicere Deus: quomodo faciam hoc? quia arguor & judicor à diabolo, & murmurat contra me, dicens: Quare non redimo ipsum, sicut redimo hominem? & quare non remitto ipsi culpam? Huic respondet *homo mysticus*, dicens; Domine, tu potes hoc facere absque injuria: immò *vinces* diabolum, *dum judicaris* & argueris ab illo. *Ecce enim*, id est, *certè* pro *quia*, ego *conceptus sum in iniquitatibus*, *& mater mea concepit me in peccatis*, & in libidine, unde traxi naturam corruptam, & fragilem, & pronam ad peecandum: & sic habeo excusationem, & peccatum meum est remissibile; & magis meretur veniam. Sed peccatum diaboli est irremissibile, eò quòd non incitatur à carne, sed à sola malitia

Quare hoc Deus debuit facere?

& iniquitate sua : & ideo potes respondere diabolo : quòd causa quare redimis me, & non ipsum, est, quia ego pecco ex infirmitate & fragilitate : & ipse peccavit, & peccat semper ex malitia, cùm sit ipse nobilioris & fortioris naturæ : & sic *vinces* & confundes eum, *dum judicaris* & argueris ab illo. Ex quibus patet, quòd sententia est transposita in littera : nam ly *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, refertur immediatè ad ly *vincas cum judicaris ;* & ly *Ecce enim veritatem* refertur ad ly *justificeris* : ut sit sensus : *Miserere mei, ut justificeris in sermonibus. Ecce enim veritatem dilexisti :* quia multa *incerta & occulta manifestasti mihi.* Item, *Miserere mei, ut vincas cum judicaris :* quia, *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum &c.* Et ista transpositio reddit sensum hujus litteræ difficilem.

Deus in sermonibus justificatur.

Sed est etiam advertendum, quòd dupliciter Deus potest *justificari in sermonibus suis*, & *vincere* diabolum *cum judicatur* ab eo, & arguitur de remissione hominis. Primò, allegando fragilitatem & infirmitatem hominis : nam ut sic Deus *justificat* seipsum, & simul *vincit* diabolum, demonstrando, quòd miseretur humanæ infirmitati & fragilitati. Secundò, simul *justificat* seipsum, & *vincit cum judicatur*, quando implet quod promisit : & sic non esset transpositio, sed prosecutio sententiæ, ut ordinetur sic : *Miserere mei Deus, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.* Primò, fragilitati meæ compatiendo : quia *in iniquitatibus conceptus sum.* Secundò, promissa tua adimplendo : quia *veritatem dilexisti*, & quia *multa occulta manifestasti mihi*, & promisisti : Ergo imple promissum, *ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum judicaris.*

Modus redemptionis.

Asperges me hyssopo, & mundabor. Hîc adducit modum convenientem, quomodo debebat ipsum redimere, & à peccato mundare : quia per mortem & passionem. Vel possumus dicere, quòd hîc interponit passionem futuram, ut faciliùs & justiùs impetret remissionem, dicens : O Domine *asperge me hyssopo* humanitatis intincto sanguine tuæ passionis, *& mundabor* à peccato : & cum sanguine tuo *lavabis me*, conferendo mihi gratiam : & sic *dealbabor super* omnem *nivem :* & *dabis gaudium auditui meo*, cùm dixeris, *Remittuntur tibi peccata tua :* & tunc *ossa humiliata* & contrita & vexata in ista longa peregrinatione, *exultabunt*, & quiescent. Quasi dicat, quòd anima mea diu à peccato vexata, quiescet, & exultabit, dum fuerit per te redempta, & receperit Baptismum, & omnia Ecclesiastica Sacramenta. *Averte* ergo *faciem à peccatis meis*, non respiciendo delicta mea, sed misericordiam & passionem tuam : *& dele omnes iniquitates meas*, eas nec ad culpam, nec ad pœnam imputando, ut supra expositum est.

Cor mundum. In hac secunda parte quærit iste *homo* amissam in *Adam* sibi gratiam per passionem Christi restitui.

Gratiam duplicem perdidit Adã propter peccatum.

Unde nota : quòd duplicem gratiam perdidit *Adam* propter peccatum. Primò, originalem justitiam cum gratiâ gratificante. Secundò, scientiam omnium divinorum, quam habebat, & spiritum prophetiæ : quia multa prævidit de futuris in *illo sopore*, & perdidit colloquium Angelorum, qui de multis ipsum instruebant. Unde per adventum Christi hæc duo recuperavimus : nam loco originalis justitiæ, recuperavimus charitatem, & fidem : & loco illius scientiæ perditæ in *Adam*, recuperavimus intelligentiam Sacræ Scripturæ, Legis, & Prophetarum per dona Spiritus sancti. Dicit ergo *iste homo* : Domine *crea in me cor mundum* ab omni culpa, *& renova in me spiritum rectum*, id est, illam justitiam, & gratiam, quam perdidi in *Adam :* & *ne projicias me à facie* sapientiæ & scientiæ tuæ, *& ne auferas à me Spiritum sanctum tuum ;* sed da mihi dona Spiritus sancti ad recuperandam scientiam, sive loco illius scientiæ, quam perdidi in *Adam*, ut intelligam Legem tuam. Et *redde mihi lætitiam salutaris*, id est, illam scientiam & cognitionem, ut contemplando Scripturas, possim lætari in mysterio Incarnationis & salutis. Et dum gratiam & sapientiam perditam mihi reddideris, *non auferas* amplius, sed *confirma me* in *spiritu principali*, id est, gratiâ confirmatâ, ut supradictum est. Quasi dicat *Adam* cum sua posteritate : Tu Domine creasti me mundum & purum in illo paradiso, & ornasti me bonis naturæ, & bonis gratiæ : sed cum *incidi in latrones*, fui spoliatus omnibus illis bonis, propter ingratitudinem & peccatum ; & ultra hoc fui sauciatus, & vulneratus in omnibus potentiis animæ, & corruptus in appetitu, & projectus à facie tua in hac valle lacrymarum. Rogo ergo ut venias in carne, & restaures deperditum. Nam primò, *asperges hyssopo* tuæ passionis, & sic *mundabis*, *& lavabis me* à peccato : & sic *avertes faciem tuam à peccatis meis.* Secundò, *creabis cor mundum in me, & renovabis spiritum rectum*, me justificando, & in gratiam reducendo, & in ea confirmando. Et ideo *ne projicias me à facie tua* gratiam negando ; sed reduc me ad faciem & amorem tuum, spiritum gratiæ conferendo per tuam passionem, & Ecclesiastica Sacramenta, in quibus continentur pretium & merita tuæ passionis ; & sic ero in te justificatus.

Nota.

Et nota, quòd iste *homo mysticus* & universalis petit, ut Deus creet in eo *cor mundum* per Legem Euangelicam : eò quòd Lex vetus non expressè prohibebat animum,

mum, ſed manum tantùm, ut, *Non occides*: ſed Lex Euangelica prohibet utrumque; ut, *Quicumque dixerit fratri ſuo, fatue, aut iraſcitur, reus erit gehennæ, Matt.*5. Et, *quicumque viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Ex quo patet, quòd Lex Euangelica eſt perfecta, quia non ſolùm juſtificat manum, ſed animum: & hanc perfectionem & gratiam Legis Euangelicæ petebat *homo myſticus* ante adventum Chriſti, cùm dicebat: *Cor mundum crea in me Deus.* Item, petebat intelligentiam Sacræ Scripturæ Legis & Prophetarum, & dona gratiarum, quæ non habuerunt antiqui in tanto gradu, ſicut Apoſtoli: ideo ſubdit: *Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Item petit in utraque gratia confirmari: quam confirmationem non habuerunt Patres veteris Teſtamenti in tanto gradu, ſicut habuit *Virgo Maria*, & *Joannes Baptiſta*, & Apoſtoli: quæ omnia iſta fuerunt collata per Chriſtum in novo Teſtamento. Ideo ſubdit: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.* Hæc autem data ſunt per aſperſionem ſanguinis Chriſti.

Docebo iniquos. Hìc autem Propheta David prædicit utilitates, quæ ſecutæ ſunt toti Eccleſiæ per aſperſionem ſanguinis Chriſti, & Eccleſiaſtica ſacramenta, maximè per virtutem Sacramenti Pœnitentiæ. Unde dicit *homo myſticus*: O Domine Jeſu-Chriſte, ſi tu *aſperſeris me hyſſopo* Spiritus ſancti per gratiarum infuſionem, ſequentur iſta quatuor bona: nam primò *docebo iniquos* & peccatores *vias tuas*, & viam pœnitentiæ, & virtutem Sacramentorum, ſcilicet, Baptiſmi, & Pœnitentiæ, & Confirmationis &c. *&* tunc *impii ad te convertentur.* Item, *libera me de ſanguinibus*, id eſt, de omnibus peccatis mortalibus: nam omnia peccata voluntariè, & cum deliberatione commiſſa in materia gravi, dicuntur *mortalia*, vel dicuntur *ſanguines*, eò quòd merentur mortem & ſanguinem: nam omnis peccator reus eſt mortis & ſanguinis per tranſgreſſionem Legis, & offenſionem factam Deo, & proximo: & ideo in toto tempore & ſtatu peccati laudes ſuæ non ſunt ſpecioſæ apud Deum, ſed poſt actam pœnitentiam laus eſt ſpecioſa apud Deum. Sed hoc magis declarabitur in ſequenti Expoſitione.

Nota benè hæc.

In hac autem ſecunda Expoſitione non declaratur, niſi quomodo per adventum Chriſti omnia ſacramenta habuerunt perfectionem, & Scriptura recepit ſuam veritatem, quia ipſe Chriſtus aperuit ſenſum ſcripturarum: quia *lex per Moyſen data eſt, ſed gratia & veritas per Chriſtum pateſacta eſt, Joann.*1. & ideo poſtquam veritas fuit aperta per dona gratiarum Spiritus ſancti, tunc aperta ſunt labia Apoſtolorum, & Doctorum, & *annuntiaverunt laudes* Deo, & condiderunt Officia Canonica, quæ per feſtivitates cantantur ad laudem Dei, in quibus memorantur omnia myſteria Incarnationis, Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Chriſti: ideo dicit: *Libera me de ſanguinibus*, id eſt, poſtquam liberaveris me de omnibus peccatis per paſſionem & Eccleſiaſtica ſacramenta, tunc *lingua mea exultabit* & magnificabit *juſtitiam* & miſericordiam *tuam.* Et cum tu *Domine aperies labia mea* per infuſionem gratiarum Spiritus ſancti, tunc *os meum annuntiabit laudem tuam*, id eſt, prædicabit omnia beneficia noſtræ redemptionis facta per Chriſtum, quæ erant clauſa in veteri Lege, & ſunt aperta & reſerata per Chriſtum, & ſuggeſta per Spiritum ſanctum.

Unde dicit iſte *homo myſticus*: non ſolùm *annuntiabo laudem* per univerſum orbem prædicando, ſed etiam in Divinis Officiis nocturnis, pariterque diurnis, cantando & memorando. Unde nota, quòd tunc aperuit Chriſtus labia Sacræ Scripturæ, quando Apoſtolis *aperuit ſenſum, ut intelligerent ſcripturas, & interpretabatur eis* quæcumque ſcripta erant in Lege & Prophetis & Pſalmis de eo, ut habetur *Lucæ* 24. Sed tunc aperuit labia Apoſtolorum, & totius Eccleſiæ, quando miſit Spiritum ſanctum in Diſcipulos, qui repleti ſunt Spiritu ſancto, & cœperunt loqui, qui ante erant muti.

Quoniam ſi voluiſſes. Hìc Propheta prædicit tertiam utilitatem & effectum Legis Euangelicæ, & Paſſionis Chriſti, & Eccleſiaſticorum Sacramentorum: quia non ſolùm mundant exteriùs, ſed etiam juſtificant interiùs animam, ut dictum eſt in Pſalmo præcedenti, & etiam in iſto, quòd ſacrificia veteris Legis non erant de ſe bona, nec acceptabilia apud Deum, nec alicujus pretii; eò quòd ibi Chriſtus non continebatur realiter, ſed in ſigno tantùm: ideo ſi cor offerentis non erat mundum, Deus non acceptabat offerentem, nec ſacrificium; quia ſolâ bonitate offerentis acceptabat ſacrificium: & ſic non delectabantur, nec placebant Deo ſacrificia, nec Deus delectabatur in eis, ſed in ſola devotione offerentium: ſed illi erant pauci, quia lex non prohibebat explicitè animum, ſed manum: ideo pauca ſacrificia erant Deo accepta in Lege veteri, niſi Sanctorum principalium, qui offerebant ſub proteſtatione & fide Chriſti futuri. Sed Lex Euangelica expreſsè præcipit, non ſolùm manum, ſed principaliter animum juſtificari; & docet offerri Deo fidem formatam de *corde bono & conſcientia pura*, & purificata per pœnitentiam. Et ſic verum ſacrificium ex parte noſtri, & prima oblatio, eſt *ſpiritus contribulatus*, & *cor contritum & humiliatum* per pœnitentiam. Et hoc deſiderabat & petebat iſte *homo myſticus* per Paſſionem Chriſ-

Lex Euangelica juſtificat.

Christi, & Legem Euangelicam. Ideo ait: O Domine, *quoniam si* tu acceptasses & *voluisses* acceptare *sacrificium* veteris Legis, ego bene *dedissem* & obtulissem tibi in magno numero: sed quia *utique* scio, quod tu *non delectaberis* in *holocaustis*, quia de se non sunt acceptabilia: ideo, supple, non offeram tibi talia sacrificia bruta post passionem tuam. Sed scio, quòd sacrificium tibi acceptabile, in quo delectaris ex parte nostri, est *spiritus contribulatus*, & *cor contritum & humiliatum*, quod *non despicies*, immò semper aspicies & acceptabis. Ideo hoc sacrificium offeram tibi in Lege Euangelica, quod pauci in Lege veteri offerebant.

Benignè fac Domine. Hic Propheta David prædicit ædificationem novæ Hierusalem, & dilatationem, scilicet, Ecclesiæ toto orbe diffusæ: & prædicit institutionem sacrificii per se acceptabilis, quod in tota Ecclesia offertur, quod est *Eucharistia.*

Ad cujus intelligentiam est primò notandum, quòd quando David fecit hunc Psalmum, jam ipse ædificaverat arcem & fortalitium in monte Sion, & sepiverat muro Civitatem Hierusalem; & sic jam muri Hierusalem erant ædificati. Sed in exemplari & descriptione quam acceperat à Spiritu sancto de Civitate amplianda, & Templo ædificando, quam descriptionem tradidit *Salomoni*, ut ædificaret Templum in monte *Moria*, sive area *Jebusæi*, & per consequens ampliaret Civitatem novo muro, ut Templum esset intra Civitatem, quod totum implevit Salomon: In illa, inquam, ædificatione, sive exemplari descriptione, prævidit David in spiritu ædificationem, & ampliationem novæ Hierusalem, à Solis ortu usque ad occasum. Unde ipsemet David dicit 1. *Paralipomen.* 28. quòd illud exemplar fuit à Deo sibi traditum; & intellexit ea quæ erant in illo exemplari & descriptione.

Figuræ Ecclesiæ.

Nam primò, intellexit & prævidit, quòd sicut illud Templum ædificabat extra illam Civitatem veterem: ita Ecclesia Christi futura, erat ædificanda per Christum extra illam Hierusalem terrenam. Item prævidit, quòd sicut illa Civitas ampliabatur per alios muros; ita Civitas Dei & Ecclesia debebat incipere à Hierusalem, & dilatari per alios muros spirituales ad fines terræ. Item prævidit, quòd sicut illud Templum ædificabatur in prædio & area *Jebusæi* hominis Gentilis, & per Proselytos conversos de populo Gentili: ita Ecclesia Christi erat ædificanda in toto populo Gentili, & amplianda per conversos ad fidem de populo Gentili, ut dictum est *Psal.* 28. Item prævidit, quòd sicut David præparavit lapides, & ligna, & aurum, & argentum, & cætera necessaria, & ista exierunt de Civitate antiqua parva & prima, quæ dicebatur *Civitas David* in monte *Sion*; & ex istis à patre relictis & præparatis *Salomon* ædificavit Templum, & ampliavit Civitatem in prædio hominis Gentilis: ita Christus in illa Civitate *Hierusalem* præparaturus erat omnia necessaria spiritualia, ex quibus Apostoli Filii Christi, ædificarunt Ecclesiam per totum orbem. Nam ibi Christus prædicavit, ibi passus est & resurrexit: ibi in monte *Sion* instituit verum sacrificium *Eucharistiæ*, & dedit Legem Euangelicam in die Pentecostes: & exinde exierunt Discipuli per totum orbem; & ex illis lapidibus & lignis Euangelicis construxerunt Ecclesiam universalem in populo Gentili. Ex quibus patet, quòd Ecclesia Christi incepit in monte *Sion*, in illis centum viginti congregatis, super quos venit Spiritus sanctus in die Pentecostes, & ibidem incepit sacrificium *Eucharistiæ*: & ex illa Sion & Hierusalem exivit Ecclesia, sive congregatio, & sacrificium, & dilatata est per totum orbem. Ideo ait *Isai.* 2. *de Sion exibit Lex &c.*

Ex quibus patet, quòd Ecclesia Christi verè dicitur *Sion* & *Hierusalem*: quia inde orta est, & incepit. Unde Ecclesia Christi nil aliud est, nisi *Sion*, aut *Hierusalem* inde orta, & toto orbe diffusa: & sic retinet nomen, unde orta est, sicut flumina semper retinent nomen fontis à quo oriuntur, sicut *Araxes* ab *Armenia*, & *Iberus* ab *Ibero*, & *Ortogorra* ab oppido *Ortogorea* sito in monte *Caucaso.*

Item dicitur Ecclesia *Hierusalem:* quia in ipsa est visio pacis secundùm interpretationem. Unde etiam est notandum, quòd *Hierusalem* primò fuit in monte *Sion*, ubi David ædificavit domum suam & arcem. Ideo dicebatur Hierusalem *Civitas David*, quæ parva erat in ambitu: sed postea *Salomon* ex præcepto David ædificavit Templum extra illam veterem Civitatem; & ut poneret Templum intra Civitatem, fecit murum, & ampliavit Civitatem in triplum, ut apparent hodie vestigia: & sic sub uno muro novo inclusit duas Civitates, scilicet, antiquam & novam, quam pro majori parte populavit ex Proselytis, qui Templum ædificaverant. Et ideo in Hebræo dicitur *Hierusalem* in plurali declinatum, sicut dicuntur *Athenæ*, *Venetiæ*, & *Senæ*, & *Pisæ*, quia ex multis civitatibus facta est una sub uno muro: ideo dicuntur *Hierosolymæ* in plurali; ut, *Facta sunt encænia in Jerosolymis*, *Joann.* 10. eò quòd erant duæ civitates unico muro septæ. Ultimò, per hoc prævidit David, qualiter Christus ex duobus populis, scilicet Judaico, & Gentili, sub uno muro Euangelico, vel sub triplici muro, scilicet, Fidei, Spei, & Charitatis, erat unam Ecclesiam conditurus & clausurus.

Item, Civitas David antiqua erat sita in tribu *Juda*: sed Templum & Civitas nova

va fuit condita in termino tribus & sortis *Benjamin* : per quod figurabatur, quòd Ecclesia Christi non in uno solo populo & A natione erat ædificanda noviter. Hoc ergo petit iste *homo mysticus*, cùm dicit : *Benignè fac in bona voluntate tua Sion*, id est, ô Domine, ostende tuam bonam voluntatem & propositum ipsi *Sion*, sive *Ecclesiæ* tuæ, sicut promisisti, & veni in carne, ut muri *Hierusalem spiritualis & novæ* ædificentur per te, & per Apostolos : qui quidem muri sunt *Fides*, *Spes*, & *Charitas*. Ergo ædifica, & circumda tuam Civitatem *Hierusalem* triplici muro, *adversus* quos muros *portæ inferi non prævalebunt* : quos venti Aquilonares, aut persecutiones, & tormenta Tyrannorum non movebunt &c. Et *tunc* in ista Hierusalem nova *acceptabis sacrificium justitiæ*, scilicet, *Eucharistiæ*, quod per se est acceptabile.

Unde est iterum advertendum, sicut dictum est : quòd est differentia inter sacri- B ficia & sacramenta veteris & novæ Legis: nam in illis non erat Christus realiter, sed in signo tantùm & figura. Ideo de se non poterant justificare, nec gratiam conferre: sed in *Eucharistia* est realiter Christus Deus & homo, qui per se est bonus & justus, Patri dilectissimus & obediens : ideo existens in illo Sacramento, potest nos de se reconciliare Patri, & nos justificare, & gratiam conferre.

Sed forsan dices : quòd in illis sacrificiis animalium etiam erat Deus : quia ubique realiter est per substantiam, & virtutem, & operationem.

Ad hoc respondetur, quòd Deus erat in illis animalibus realiter, sicut est in lapide, & ubique, per *substantiam &c.* sed C non est in illis, ut *illa justificet & gratificet, nec ut gratiam influat* : sed ut illa conservet in esse & operari, & illis naturalem virtutem influat : sed in *Eucharistia* est Deus cum humanitate, ut per illam humanitatem Deo Patri nos reconciliet, & omnibus suis membris exinde gratiam & merita influat, & sic illa humanitas & sacrificium est per se bonum *de opere operato*, & justum justificans, & per se Deo acceptum: ideo dicitur *sacrificium justitiæ*, quia de se est justum semper, & acceptum apud Deum, & semper facit effectum reconciliationis & gratiæ. Unde licèt quandoque non prosit offerenti propter peccatum ejus & malitiam : tamen semper prodest omni- D bus vivis existentibus in charitate, ad augmentum gratiæ, & existentibus in purgatorio, ad remissionem pœnæ : & prodest etiam peccatoribus, ut convertantur, & veniant ad pœnitentiam : & sic semper illud sacrificium est acceptum apud Patrem, & confert gratiam : & ideo dicitur *Eucharistia* Græcè, quod Latinè interpretatur *bona gratia*. Et sicut hoc sacrificium per se acceptabile & justum, in quo Christus realiter continetur, nunquam fuit nisi in Lege nova : ita pariter virtus Passionis E Christi est realiter in Sacramentis, & attingit Ecclesiastica Sacramenta, sicu faber attingit instrumentum, cum quo tangit materiam, & præbet figuram & formam.

Ideo Baptismus & Pœnitentia præbent realiter gratiam gratificantem, meritoriam vitæ æternæ, ultra hoc quòd purgant à peccato : & ideo ultra hoc quod significant, efficiunt quod significant ; quod non faciebant sacramenta veteris Legis; cùm ibi nec Christus, nec sua virtus contineretur, nisi in figura : & ideo in sola fide offerentis de Christo futuro, justificabant à peccato. Sed an ultra hoc quod justificabant à peccato, darent gratiam gratificam, meritoriam vitæ æternæ? Alibi videbitur : nam communiter dicitur, quòd illa sacramenta non procedebant realiter à Passione Christi, sed tendebant & dirige- F bantur ad Passionem Christi, & ideo non habebant tantam virtutem, sicut sacramenta novæ Legis, quæ realiter, & actualiter emanant à Passione Christi : sicut aquæ, quæ tendunt ad mare, non habent tantam virtutem, & perfectionem, & sanitatem, sicut quæ fluunt à mari. Unde hanc conclusionem intendit probare, aut videtur probare *Apostolus* per totam Epistolam *ad Roman.* & *Galat.* & *Hebr.* scilicet, quòd Lex de se non poterat justificare, nisi sola Lex Euangelica, & ejus sacramenta. Ideo ait Propheta : *Tunc acceptabis* in hac Ecclesia *sacrificium justitiæ*, & alias *oblationes*, & sacramenta. Et sequitur : *Tunc imponent super altare tuum vitulos.*

Unde est advertendum, quòd omnia G animalia, quæ immolabantur in Lege veteri, erant figura hujus sacrificii, scilicet, *agnus matutinus*, & *vespertinus*, *Numer.* 68. & *Exod.* 29. significabant istum agnum immaculatum. Et illi vituli, qui immolabantur, quia erant sine iugo, significabant Christum immolandum in cruce sine pectato, & quotidie offerendum in Altari hujus Ecclesiæ. Et etiam illi vituli figurabant *Figura Agni, id est Christi.* Martyres, qui seipsos pro Fide Christi in Altari Ecclesiæ erant oblaturi ad mortem & martyrium. Ideo ait : Quando ista *nova Hierusalem* erit ædificata, *tunc* in ea *acceptabis sacrificium justitiæ* Eucharistiæ, quod fuit in Lege veteri per agnum figuratum, & *acceptabis* alias *oblationes* Ec- H clesiæ : & tunc etiam Apostoli & Martyres *imponent vitulos* super *altare tuum* in Lege figuratos, cùm seipsos pro Fide Christi sua sponte offerent ad mortem. Et sic *Laurentius*, & *Vincentius*, & *Lucia*, & *Catharina* se morte consecrabunt, & tales vitulos, & tauros, & agnos *imponent super altare tuum.*

Unde nota, quòd nos etiam quotidie *imponimus vitulos* super altare Domini nostri : non solùm cùm *Eucharistiam* offeri- *Nota.*

mus,

mus, sed etiam cùm festivitates Martyrum celebramus, & eorum triumphos & passiones cantamus, & in tabulis super altaria depingimus in memoriam, ad excitandam devotionem populorum, & ad gloriam & honorem ipsorum Sanctorum.

Ex quibus patet, quòd David non petit, ut ædificarentur muri Hierusalem materialis; quia jam erant ædificati: nec petit, quòd acceptentur & offerantur ibi vota & sacrificia animalium brutorum, quia quotidie offerebantur ibi; sed prævidit in spiritu, quòd illa Hierusalem materialis debebat cum Christo mori, & crucifigi, simul cum sacerdotio, & omnibus legalibus: ideo petit ædificari *novam Hierusalem* per Christum toto orbe diffusam, & petit offerri sacrificium novæ Legis in ea acceptabile apud Patrem: & petit transferri sacerdotium & Legem in Euangelium & Ecclesiam Christi.

Ex dictis in hoc Psalmo eliciuntur undecim conclusiones corollariæ.

Prima conclusio: quòd *Adam* per generationem reliquit nobis seminaliter suum peccatum. Probatur: nam per generationem libidinosam impressit in carne filiorum vitium concupiscentiæ, sive fomitem, ex cujus contactu anima maculatur peccato originali: quod peccatum *Adæ* imputatur nobis ad pœnam damni, & ejusdem consensu voluntas trahit peccatum actuale, quod imputatur ad pœnam sensus.

Secunda conclusio: quòd licèt illa concupiscentia, aut fomes sit semen omnis peccati; tamen principaliter incitat voluntatem ad tria generalia peccata, scilicet, ad superbiam, avaritiam, & luxuriam: quia *quicquid est in mundo, est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitæ*, 1. *Joan.* 2. Ex his tribus oriuntur omnia alia vitia: nam ex superbia oritur ira, & invidia: & ex carne oritur gula, accidia, & luxuria, & è converso; sed omnia vitia ex concupiscentia oriuntur: *superbia* enim nil aliud est nisi concupiscentia honoris &c.

Tertia conclusio: quòd supradicta peccata non poterant remitti, nisi ex Dei misericordia per aspersionem sanguinis Christi, & Ecclesiastica Sacramenta.

Quarta conclusio: quòd Passio Christi per Ecclesiastica Sacramenta, non solùm nobis remittit culpam, sed etiam restituit gratiam perditam in Adam: hoc est, quia in supplementum justitiæ originalis restituit nobis justitiam fidei, & loco gratiæ dedit nobis dona Spiritus sancti.

Quinta conclusio: quòd sacramenta, & sacrificia veteris Legis de se non poterant justificare hominem, quia de se non erant bona, nisi ex sola fide & bonitate offerentis. Unde sola fides Christi futuri justificabat antiquos à peccato.

Sexta conclusio: quòd sacrificium nostrum proprium Deo acceptum in utraque Lege, est *spiritus contribulatus, & cor contritum & humiliatum.*

Septima conclusio: quòd *sacrificium* semper de se bonum & acceptum, est *Eucharistia*, in qua realiter est Christus, justificans & reconcilians omnes.

Octava conclusio: quòd vera *Hierusalem* & vera *Sion* est *Ecclesia Christi* toto orbe diffusa, orta ex Hierusalem Judææ, inchoata ibidem per Christum, & Apostolos suos, postea per totum mundum dilatata, in qua sola offertur verum *sacrificium justitiæ.*

Nona conclusio: quòd *Hierusalem Judææ* nunquam fuit vera *Hierusalem*, usquequò venit Christus in eam, & complevit omnia mysteria nostræ redemptionis in ea. Probatur: quia tunc fuit verè *visio pacis*, & visio omnium, quæ fuerant figurata per Patriarchas, & dicta per Prophetas de ipsa & Messia futuro. Ex quo patet, quòd antè non fuit Hierusalem in re, sed in figura, sicut cætera legalia.

Decima conclusio: quòd recedente Christo & Apostolis à *Hierusalem Judææ*, non ampliùs fuit *Hierusalem.* Probatur. Quia non mansit visio, & *civitas pacis*, sed discordiæ, & confusionis: quia repulit omnem pacem & visionem fidei, & veritatis: & sic dicta est *Babylonia.*

Undecima conclusio: quòd cum Christo fuit mortua tota Lex Moysis, & per consequens omnia legalia perdiderunt virtutem: & sic cessavit tota Lex vetus, & successit Euangelica, & per consequens mortua fuit *Hierusalem materialis* cum suo sacerdotio, & successit vera *Hierusalem* spiritualis, quæ est *Ecclesia Christi* toto orbe diffusa: quòd patet per hoc quod dicit: *Ut ædificentur muri Hierusalem*: quia illa Hierusalem materialis jam erat ædificata, sed desiderabat ædificari per Christum aliam Hierusalem spiritualem toto orbe diffusam.

Tertia Expositio.

Miserere mei Deus. Dictum est superiùs, quòd David ad triplicem sensum fecit hunc Psalmum: primò, litteraliter in persona sui, prout commisit adulterium cum *Bethsabee* & homicidium contra *Uriam.* Secundò, propheticè in persona totius *hominis* & corporis *mystici*, prout peccavit in *Adam.* Tertiò, in persona cujuslibet pœnitentis, prout peccavit in se contra Deum & proximum. Et ideo fuit primò litteraliter expositus de ipso David. Secundò, mysticè & propheticè de toto *corpore mystico*, sive Ecclesiastico: quæ dicta est mystica & prophetica Expositio. Oportet ergo in tertio loco, ut exponatur spiritualiter & moraliter pro quolibet pecca-

catore pœnitente : nam ideo iste Psalmus collocatus est quinquagesimus in ordine, ut ait *Cassiodorus*, eò quòd significat *Jubileum* : nam sicut in *Jubileo* quinquaginta annorum, omnia debita remittebantur, & unusquisque à labore quiescebat, & liberabatur à quocumque debito : ita pœnitens cum devotione, & fervore, & affectu, & contritione dicens hunc Psalmum, non solùm liberatur à culpa, sed etiam à debita pœna quacumque. A

Peccando tria damna incurrit peccator.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd peccator in peccando tria damna incurrit : nam primò, perdit gratiam gratificantem, quam receperat in Baptismo. Secundò, incidit in pœnam, per quam est in ira Dei, & debitor pœnæ æternæ. Tertiò, quia cùm non sit in gratia Dei, nulla bona quæ agit, dum est in peccato, sunt Deo grata, nec accepta ad vitam æternam. Tria ergo facit David in hoc Psalmo in persona cujuslibet pœnitentis : nam primò, petit ipsi culpam remitti : secundò, gratiam perditam restitui : tertiò bona, quæ facturus est, à Deo acceptari. Secunda ibi : *Cor mundum crea.* Tertia ibi : *Docebo iniquos.* B

Possumus etiam dicere, quòd David in hoc Psalmo servat totum ordinem pœnitentiæ, & explicat omnes ejus partes : nam cùm tres sint partes perfectæ pœnitentiæ, scilicet, *cordis contritio*, & *oris confessio*, & *operis satisfactio* : ideo primò petit sibi culpam remitti, & gratiam restitui per cordis contritionem, & oris confessionem. Secundò, promittit pro reatu satisfacere, cùm dicit : *Docebo iniquos &c.* C

Not. quo modo in oratione exordium est præmittendum.

Iterum est etiam advertendum, quòd David non solùm servat ordinem pœnitentiæ in hoc Psalmo ; sed etiam servat ordinem & modum boni oratoris, & rhetoris in persuadendo : nam in omni bona oratione præmittitur exordium, in quo captatur benivolentia auditoris : exinde fit petitio, & narratio rei intentæ, in qua narratione disputatur causa, & possibilitas ejus, & fiunt objectiones & confutationes, & tandem datur conclusio. Ideo David in prima parte duo facit : nam primò, præmittit exordium & petitionem cum cordis contritione, & oris confessione : secundò, probat possibilitatem petitionis, confutando objectiones. Ibi : *Ut justificeris.*

Quantum ad primum, commendando Deum de misericordia, ut reddat ipsum sibi benivolum, dicit : O *Deus*, *miserere mei*, non secundùm solam justitiam, sed *secundùm misericordiam tuam*, id est, secundùm bonitatem & pietatem releva me à miseria peccati, in qua positus sum ; & non solùm *secundùm misericordiam tuam* habitualem, sed *secundùm multitudinem miserationum tuarum* actualium : quia semper solitus es, & consueviſti peccatoribus & afflictis misereri, & liberasti eos à miseria : nam tu D

secundùm multitudinem miserationum tuarum liberasti *Noe* de diluvio, & *Abraham* de *Ur Chaldæorum*, & *Jacob* de manu *Esau*, & *Israel* de afflictione & captivitate Ægypti. Et post Incarnationem, *Magdalenæ* multa peccata remisisti, & *Chananææ* filiam sanasti, & à dœmoniis liberasti, & *Latroni* in cruce veniam, & remissionem plenariam tribuisti ; & finaliter omnes sanctos Patres de Limbo liberasti. Ergo *secundùm multitudinem* istarum *miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* E

Quæstio notanda.

Sed quæritur : quare David non dicit, *Miserere mei secundùm omnipotentiam tuam*, aut *sapientiam* ? Ad hoc respondetur secundùm *Aristot. 4. Ethic.* quòd princeps magnificus, aut magnanimus, magis inclinatur ad petitionem, cùm narrantur & memorantur ei beneficia quæ fecit, & magis etiam delectatur, ut commendetur ejus largitas & magnificentia, quàm ejus potentia. Cùm ergo David intendat hîc inclinare Deum ad petitionem suam : ideo potius memorat *misericordiam* & clementiam, quæ pertinet ad largitatem, & magnanimitatem, quam ejus potentiam, narrando, & commemorando præterita beneficia. F

Item, magis explicatur bonitas, & etiam potentia divina in *misericordia*, quàm in potentia & sapientia : nam secundùm *Augustinum*, *plus est ex impio facere pium, quam creare cœlum & terram*, ut infra probabitur. Unde cantat Ecclesia : *Deus, qui omnipotentiam tuam maxime parcendo & miserando manifestas &c.* Et sic magis Deus delectatur, & citius inclinatur ad implendam petitionem, cùm invocatur per *misericordiam*, quam per potentiam ; ideo ait David : *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Item notanter dicit *magnam :* quia licèt una & eadem sit *misericordia* Dei ex parte sui : tamen respectu nostri *misericordia*, quâ Deus liberat & relevat peccatorem à miseriâ & pœnâ æternâ, est *magna*, & maxima, & major, quam *misericordia*, quâ relevat à pœna temporali. Quasi dicat : O *Deus*, *miserere mei*, non solùm *secundùm misericordiam*, qua liberas homines à periculis temporalibus ; quia ut sic etiam multos malos liberas, & das eis bona temporalia, & imples eorum petitiones in hac vita : sed *miserere mei secundùm magnam* & maximam *misericordiam tuam*, quâ ex peccatoribus justos facis, sicut misertus es *Magdalenæ*, & *Latroni*, & *Matthæo*, & *Augustino :* ideo *secundùm multitudinem* tuarum talium misericordiarum *dele iniquitatem* & culpam *meam*, nec ampliùs imputes ad pœnam æternam. G H

Et sequitur : *Ampliùs lava me ab iniquitate mea* per hanc contritionem & lacrymas, quas effundo, & per eas munda me à peccato meo. Sed dubitatur, quare hîc ponit tria verba, scilicet, *dele*, *lava*,

& *munda*, quæ idem videntur importare, cùm dicit, *dele iniquitatem*; &, *Lava me ab iniquitate*; &, *Munda me à peccato*, quòd A idem est quod *iniquitas*; & per consequens ter nominat peccatum.

Ad hoc respondetur, quòd nihil ponitur superfluum: propter quod est notandum, quòd sicut peccatum David fuit triplex, scilicet, *adulterium*, *furtum*, & *homicidium*, ut dictum est: ita omne peccatum nostrum est triplex simile illi.

Nota quomodo omne peccatum nostrum est triplex scilicet, adulteriũ, furtum, & homicidiũ

Nam nunquam peccamus, quin committamus *adulterium*, *furtum*, & *homicidium*: nam primò, anima nostra fuit desponsata Christo in Baptismo, & renuntiavit diabolo, & mundo, & pompis ejus, & promisit Christo Fidem, Spem, & Charitatem, & in omnibus sequi ipsum: ergo quandocumque peccat, adulteratur: quia avertitur à bono incommutabili, & con- B vertitur ad bonum commutabile, & contemnit Christum sponsum, & sequitur suggestionem diaboli: quia *nemo potest duobus dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget*, ut ait Salvator, *Matth*, 6. Et sic fornicatur peccator cum diabolo, *Apocal.* 18. Secundò, committit semper furtum, quia rapit prohibitum: nam peccatum secundùm *Augustinum* nil aliud est, nisi *omne concupitum, vel factum contra illud quod lex prohibet*. Tertiò, committit homicidium: quia occidit, & *odit animam suam* in mortem æternam, *qui diligit iniquitatem*. Item, in omni peccato fit triplex offensio. Primò, contra Deum, cujus præceptum violatur: & hoc dicitur C *adulterium*, & iniquitas. Secundò, peccator offendit proximum injuriâ, vel damno: hoc etiam dicitur *iniquitas*, & *furtum*. Tertiò, homo offendit seipsum: & hoc dicitur *homicidium*, cùm se in mortem æternam præcipitet: & ob hoc dicitur *peccatum*, in quantum deviat, & errat à viâ veritatis. Item, communiter omne peccatum habet tres gradus, scilicet, corde, ore, & opere, quibus consummatur: & sic David omnia supradicta tria peccata cum suis gradibus petit sibi in hac parte remitti.

Item, omnia peccata reducuntur ad tria, ut dictum est in superiori Expositione: nam *quicquid est in mundo*, ut ait *Joannes in Canonica*, *concupiscentia carnis est*, D *& concupiscentia oculorum*, *& superbia vitæ*. Per *concupiscentiam carnis* intelligit *gulam*, & *luxuriam*, & *accidiam*, quæ se habent causaliter, & correlativè. Per *superbiam* intelligit *elationem*, & *iram*, & *invidiam*: quia superbus non patitur parem, nec æqualem. Per *concupiscentiam oculorum* intelligit *avaritiam*, & *furtum*, & *rapinam &c.* Ex quo patet, quòd ad ista tria peccata reducuntur omnia alia. Unde *superbia*, & *avaritia* dicuntur *iniquitates*: quia non committuntur sine iniquitate, & malitiâ, & injuriâ. *Luxuria* autem, & omnis carnalitas, dicitur hîc tantum *peccatum*, eò quòd communiter com- E mittitur ex fragilitate. Ab his ergo tribus commissis petit pœnitens hîc liberari per *misericordiam Dei*.

Sed rursus restat videndum, quid intelligit per illa tria verba, scilicet, *delere*, *lavare*, & *mundare*? Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd ista tria verba ad diversa referuntur: nam *peccatum* tria facit: primò, infligit culpam in anima, quâ peccator dicitur esse in ira Dei, & debitor pœnæ æternæ, in quantum Deus imputat illi illud peccatum ad pœnam æternam. Secundò, deturpat animam: nam quæ ante per gratiam erat Deo similis, post peccatum est difformis: & sic illa difformitas dicitur quædam macula. Tertiò, in F prospectu divino manet quidam respectus movens Deum ad vindictam peccati, & forsan est idem cum culpa, sive fundetur in ipsa culpa subjectivè, sive objectivè in Deo. Unde Deus ex sola misericordiâ & bonitate respiciens in passionem & sanguinem Christi, delet istum respectum à prospectu memoriæ suæ, sive iræ: hoc est, quòd non ampliùs imputat peccatum ad pœnam æternam, quia soli Deo facta est injuria ex prævaricatione Legis, ideo solus Deus potest tale debitum remittere, *Isai.* 43. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me*.

Quid intelligatur per delere? &c. Nota quomodo peccatũ tria facit.

Ex quo patet, quòd ly *delere* refertur ad divinam memoriam, sive prospectum. Unde dicit *Augustinus*, quòd *Deum peccata delere, nil aliud est, nisi peccatorum non* G *recordari*, id est, non ad pœnam imputare. Petit ergo pœnitens, ut Deus deleat peccatum & iniquitatem de memoria sua, ne amplius imputet ad pœnam æternam. Secundò, petit lavari per fontem lacrymarum à culpâ, quam commisit. Sed quia fuit deturpatus, & maculatus, & deformis factus per absentiam gratiæ; ideo petit mundari per sanguinem Christi, qui datur virtute Sacramenti Pœnitentiæ, ut mundet illam maculam.

Ex quo patet, quòd tria facit pœnitentia: nam primò, *delet peccatum*, sive *iniquitatem* à prospectu divino, ne ampliùs recordetur, nec imputet ad pœnam æternam: nam sicut pœnitens dolens proponit H ampliùs non peccare, ita Deus proponit ampliùs non recordari, nec ad pœnam imputare. Unde sicut pœnitens delet peccatum à proposito; ita Deus delet ipsum à memoriâ, & sententia suâ &c. & hoc fit per contritionem: nam *Contritio* est, *peccata præterita plangere*, *& plangendo iterum non committere*. Secundò, *lavat* per confessionem & lacrymas suas in confessione. Tertiò, *mundat* per virtutem passionis Christi, sive per satisfactionem, ut magis patebit. Pœnitentia ergo *delet*, & *lavat*, & *mundat*. Vel possumus etiam dicere,

Pœnitentia tria facit.

vere, quòd pœnitentia *delet* superbiam, *lavat* luxuriam, *mundat* ab avaritia. Item pœnitentia *delet* iniquitatem à Dei memoriâ, *lavat* sensualitatem à turpitudine concupiscentiæ, & naturalis habitûs, & *mundat* cor & conscientiam à maculâ. Item, *delet* à proposito, *lavat* à locutione, & *mundat* ab opere. A

Contritio. *Quoniam iniquitatem meam*: hîc explicat primam partem pœnitentiæ, quæ est *cordis contritio*, in quantum peccator cognoscit in se peccatum suum & reatum, dolet & conteritur: per quam contritionem meretur, ut Deus deleat peccatum suum, ne ampliùs imputet ad pœnam æternam. Ideo dicit pœnitens: *Miserere mei, & dele iniquitatem &c. quoniam ego cognosco iniquitatem*, & culpam *meam*, id est, cognosco me esse reum & peccatorem, *& peccatum meum* commissum, *est semper contra me*, conterendo, & accusando, & mordendo conscientiam meam: unde infligit semper mihi dolorem & contritionem, & propositum nunquam ampliùs committendi; in quibus consistit vera contritio. Ergo postquam me tibi ostendo verè contritum, *dele iniquitatem meam.* B

Confessio. *Tibi soli peccavi &c.* Hîc explicat secundam partem pœnitentiæ, quæ est *confessio oris*; quasi dicat: *Ampliùs lava me* à macula peccati ex carne, & à sorde cordis & animæ *munda me*; quia *tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Quasi dicat, quòd sicut per virtutem contritionis deles iniquitatem meam à memoriâ tuâ: ita per virtutem confessionis *lava me*, & *munda me*: nam confiteor tibi, & tuo Sacerdoti confiteri promitto, qualiter *tibi soli peccavi, & malum* actum, vel propositum *coram te feci.* Et sic confiteor Sacerdoti, & tibi confiteor peccatum meum, *coram quo* feci illud, quantumcumque fecerim occultè. C

Quæstio. Sed hîc dubitatur: quia homicida, & latro, & adulter, & invidus, non solùm videtur peccare Deo, sed etiam proximo, cui fit damnum & injuria: Ergo non *soli Deo* peccat peccator.

Responsio Ad hoc respondetur: quòd *peccare* uno modo, idem est, quòd *offendere*, vel *lædere*: & sic peccator non solùm peccat D contra Deum, sed etiam contra proximum, quem lædit, & cui infert damnum, vel injuriam. Alio modo, *peccare*, idem est, quòd ab *aliqua lege deviare*, ex qua meretur puniri: & sic persona privata, non solùm peccat contra Deum, sed etiam contra Regem, & Principem, aut Magistratum, cujus legem violat: & sic meretur mortem corporalem juxta merita delicti: & isto modo Rex, vel Princeps soli Deo peccat: quia non habet supra se alium Principem, qui possit corrigere ipsum, nisi Deum, cujus legem transgreditur, sicut dictum est de *David* in prima Expositione. Tertio

Peccare dicitur tripliciter.

modo, *peccare*, idem est, quòd *illam legem violare*, quæ non solùm obligat hominem E ad mortem temporalem corporis, sed etiam ad mortem æternam animæ, & per consequens offendere illum, qui potest occidere corpus & animam, & potest culpam & pœnam æternam etiam dimittere; de quo dicit Salvator: *Nolite timere eos qui occidunt corpus: animam autem non possunt occidere: sed illum potius timete, qui cum occiderit, potest mittere in gehennam.* Et isto modo *soli Deo peccamus*, quandocumque peccamus, sive in publico, sive in occulto: nam illius legem violamus, cujus transgressio infligit culpam in anima, & obligat ad mortem æternam: & sicut potest punire, ita potest misereri: ideo dicit pœnitens in Confessione: *Tibi soli &c.*

Ut justificeris. Nota, quòd hîc incipit versiculus & sententia. Nam dictum est F in principio, quòd in uno versu magno continentur duo, vel tres versiculi parvi *Lyrici* & *Pindarici*, cujusmodi fuerunt facti versiculi Psalmorum per David. Hîc etiam incipit secunda particula hujus primæ partis principalis, in qua pœnitens probat possibilitatem suæ remissionis & petitionis, & confutat objectiones contrariorum, & impugnantium remissionem peccatorum.

Ad cujus intelligentiam est diligenter notandum, quòd tria genera obtrectatorum, sive æmulatorum consueverunt im- *Pœnitentiam impugnantes* G pugnare pœnitentiam, sive remissionem, & arguere & judicare Deum, & murmurare contra eum in remissione peccatorum. In primis murmurat diabolus contra Deum, & judicat, & arguit ipsum: Quare non remittit sibi culpam, sicut remittit homini? Cùm ipse sit nobilior quocumque homine. Et iste movetur ex invidia: quia videt hominem per gratiam & pœnitentiam consequi felicitatem, quam ipse perdidit per superbiam. Secundò, arguunt, & murmurant contra Deum illi, qui fuerunt læsi, & passi sunt injuriam, cùm vident vivere & etiam prosperari illos, qui eis injurias & damna intulerunt: immò blasphemant contra Deum, dicentes, Deum esse injustum, & acceptatorem personarum: & quomodo H potest eos sustinere in mundo, nec parcere eis per pœnitentiam? rogantes Deum, ut nunquam eis donet locum pœnitentiæ: sed moriantur morte subitanea &c. & isti non considerant, quòd ipsi magis offenderunt Deum, & quòd sic Deus deberet eos punire secundùm merita eorum, ut illos. Tertiò, volunt Deum arguere, & temerè judicare, & jugiter murmurat generatio pessima hypocritarum, qui reputantes se justos, aut volentes justi apparere, jugiter mordent & rodunt publicè peccatores, & blasphemant & murmurant contra Deum, dicentes: Quare Deus permittit eos, & talia scelera sustinet super terram? immò

displicet eis, quando peccatores veniunt ad pœnitentiam, licèt quandoque fingant, se pro eis orare.

Sed ista tria genera obtrectatorum & murmuratorum moventur diversis finibus: nam diabolus movetur ex invidia: nam sicut ille est condemnatus ad pœnam æternam propter obstinationem, quia vellet semper socios habere pœnarum, & ne homo possideret locum, quem ipse perdidit per superbiam & obstinationem: ideo sibi displicet pœnitentia peccatoris. Sed iste non habet jus querelæ contra Deum, si miseretur peccatoribus, & non sibi. Primò, quia ipse non peccavit ex fragilitate, sicut peccant modò peccatores pro statu isto propter naturam corruptam in *Adam*. Secundò, quia Deus promittit veniam pœnitentibus: Ergo si homo agit pœnitentiam, & non diabolus, non est culpa Dei, quare non remittit culpam diabolo, sicut homini pœnitenti.

Nota de diabolo.

Sed homo læsus, & passus injuriam, contra Deum murmurat ex ira. Nam *Ira* est *appetitus vindictæ ex accensu sanguinis circa cor propter parvipensionem, aut injuriam illatam*: & ideo tales appetentes vindictam de suis læsoribus, murmurant contra Deum. Contra quos invehitur Christus, *Matth.*25. adducens parabolam de illo cui Dominus remiserat debitum decem millium talentorum, & ipse suffocabat conservum & proximum, qui debebat sibi tantùm centum denarios: & ideo tales non habent jus querelæ contra Deum: nam si volunt ut dimittat eis peccata quæ contra Deum commiserunt, à fortiori debent ipsi remittere injuriam proximo pœnitenti: nec debent mirari, quare Deus permittit eos in peccato vivere & prosperari; quia expectat eos ad pœnitentiam.

Homo ex ira murmurat.

Hypocritæ autem ex pejore intentione & malitia moventur, quam diabolus, & homo læsus. Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd duo sunt genera hypocritarum: nam quidam sciunt, se esse malos; sed fingunt virtutem, ut appareant boni, & decipiant populum, & extorqueant bona temporalia, & honorentur ab omnibus, de quibus Salvator, *Matthæi* 5. *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Item, *veniunt in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Et hoc faciunt duobus respectibus: primò, ut *comedant domos viduarum &c.* & hoc propter avaritiam. Secundò, propter superbiam volunt *primos accubitus in mensa*, & sic volunt ab omnibus *vocari Rabbi.* Et sic isti, ut videantur boni, semper de virtute loquuntur, & volunt alios publicè increpare. Et licèt in occulto non murmurent contra Deum, eò quòd agnoscunt seipsos pravos, & occultos peccatores: tamen in conspectu populi fingunt admirati, & dicunt: quomodo potest Deus sustinere peccatores, & tanta scelera super terram? & sic publicè arguunt, & judicant temerè divinam misericordiam.

Duo genera hypocritarum.

Secundum genus hypocritarum est pejus priori, qui putant se esse bonos, & justos, & potiùs abstinent à peccato ex superbia, ut possint alios arguere & mordere, quàm ex devotione. Et isti non cessant investigare in publico & occulto vitas & facta aliorum, ut omnes possint carpere & mordere, ut justificent seipsos. De quorum grege erat ille *Pharisæus*, qui arguebat *Publicanum*, dicens: *Gratias ago tibi Domine, quia non sum sicut cæteri hominum &c. Lucæ* 18. Item, ejusdem generis erat *Simon Pharisæus*, qui arguebat Christum, *Lucæ* 7. quia permittebat se tangi à muliere peccatrice. Et isti sunt ita superbi, quòd putant sibi solis deberi honorem; & in tantùm sunt obcœcati, quòd non cognoscunt peccata graviora, quibus laborant. Nam primò sunt susurrones, voraces, ambitiosi, diffamatores, & blasphemi: nam dicunt, quòd Deus non est Deus, nisi illicò puniat peccatores: & sic invident misericordiæ Dei, qui expectat peccatores ad pœnitentiam. Item invidi, quia in nullo alio patiuntur honorem, nec volunt consortem in honoribus, & invident divinæ misericordiæ. Item sunt Hæretici, & Pelagiani: quia putant se ex propriis viribus, & non ex Dei gratia, abstinere à peccato aliquo, cùm sint majoribus & gravioribus sceleribus fauciati: contra quos invehitur Christus, *Matth.*7. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* De his dicit *Augustinus*, quòd *est impossibile quod agant pœnitentiam.* Et ratio est: nam non putant se peccatores, sed justos: & sic contemnunt pœnitentiam in seipsis, & odiunt pœnitentiam in proximo.

Ex quibus patet, quòd tria genera arguunt & judicant Christum, & murmurant jugiter contra ejus misericordiam, eò quòd est ita pronus ad miserendum pœnitentibus. Nam arguunt contra Deum afflicti & læsi, & hypocritæ simul, & quidam curiosi, dicentes: quòd si Deus est summa justitia, & tribuit unicuique quod suum est, & nemini facit injuriam; quomodo ergo parcit peccatoribus, qui ex inopia non potuerunt restituere ea, quæ pauperibus abstulerunt, aut ex impotentia, & importunitate non potuerunt satisfacere injuriam patientibus? Videtur ergo illis injuriam facere, & cum injuria illorum parcere pœnitentibus.

Ista ergo tria genera contra Christum murmurant.

Item arguunt rursus curiosi: Si Deus est summè misericors, ergo quomodo est summè justus? Nam si utitur summâ misericordiâ, non potest uti summâ justitiâ, nec è converso: quia non videntur posse esse

in

in eodem; & per consequens, si Deus vult uti summâ misericordiâ, manet injustus &c. Et sic Deus continuè *judicatur* injustus ab A his tribus generationibus.

Deus tripliciter justificatur.

Ulterius est advertendum, quòd sicut Deus tripliciter arguitur & judicatur injustus à supradictis tribus generationibus: ita tripliciter *justificatur*, & convincit eos. Primò, humanæ fragilitati compatiendo. Secundò, promissionem, quâ veniam promisit pœnitentibus, adimplendo. Tertiò, sanguinem Filii sui in recompensationem, & pretium pro omnibus injuriis, tàm sibi, quàm hominibus factis, acceptando.

Quare Deus est pronus ad parcendū?

Unde est primò advertendum, quòd causa quare Deus est pronus ad parcendum hominibus pœnitentibus, est, quia compatitur eorum fragilitati. Nam omnes homines habent naturam fragilem & corruptam in *Adam*, & pronam ad cadendum: & B sic habent tres incitatores, scilicet, carnem, mundum, & diabolum, intrinsecus, & extrinsecus. Diabolus autem nullum alium habet incitatorem nisi semetipsum & malitiam suam: & sic peccatum hominis est magis remissibile, quam peccatum diaboli. Et sic Deus justè agit parcendo peccatoribus, & non diabolo: & per consequens diabolus non habet jus querelæ contra Deum. Et sic Deus potest se *justificare* contra diabolum, & quemlibet alium, allegando humanam fragilitatem, quando arguitur & *judicatur* de remissione & venia data pœnitentibus, & sic *vincit* diabolum, & cæteros, *cum judicatur* ab eis.

Hoc est ergo quod dicit hîc David, respondendo huic objectioni. Nam Deus posset dicere ipsi David, & cuilibet peccatori: Quomodo possum ego de justitia par- C cere tibi, & delere iniquitatem tuam? quia non solùm mihi peccasti, immò contra proximum, ipsum opprimendo & diffamando &c. Ideo tàm diabolus, quàm proximus tuus quem læsisti, & omnes hypocritæ clamant contra me, ut puniam te in æternum: & sic *judicor* continuè, & arguor ab eis: ideo oportet meipsum justificare & justitiam servare.

Huic objectioni satisfacit, dicens: *Dómine miserere mei, & lava me, & dele iniquitatem meam, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas* eos, *cum judicaris* ab eis. Quasi dicat: Per rationes potes justificare & vincere eos: primò, compa- D tiendo fragilitati meæ, quam traxi à parentibus meis in conceptione & nativitate: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Respice ergo compatiendo fragilitati meæ, quia *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et ex inde traxi fomitem, & concupiscentiam, & infirmitatem in carne & pronitatem ad peccandum: & sic *invenio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ:* unde quod nollem, hoc facio quandoque, & quod vellem, non facio. Et sic non solùm habeo excitatorem extrinsecum, sed con- E tinuum impugnatorem intrinsecum, quem diabolus non habet: & ideo ipse nullam potest habere excusationem: & sic poteris *justificari in sermonibus tuis* contra diabolum, *& vincere* eum, *cum judicaris* & argueris ab eo.

Per eandem rationem potes *justificari* & vincere proximum, quem læsi, cùm clamat contra me: & potes *vincere* eum, *cum* ab eo *judicaris.* Nam postquam ego peccavi per fragilitatem, & humilio me per pœnitentiam, & pœnitet me proximos læsisse, & cupio satisfacere eis ad possibile: ideo debent contentari, postquam isti sunt in eadem fragilitate & condemnatio- F ne, & desiderant, ut tu pariter remittas eis peccata sua. *Parce* ergo *mihi*, compatiendo fragilitati meæ, *ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas* accusatores meos, tàm diabolum, quàm proximum, & hypocritas, *dum judicaris* ab eis, allegando meam fragilitatem.

Deus adimplet, quod promittit.

Secundò, *judicatur* Deus *in sermonibus suis, & vincit cum judicatur*, adimplendo quod promisit pœnitentibus. Nam nullus *justificatur in sermonibus* & promissis *suis*, usquequò implet quod promisit: sed Deus promisit per *Ezechielem* 18. & omnes alios Prophetas, quòd quandocumque peccator ingemuerit, & convertetur à via sua mala, & egerit pœnitentiam, tunc Deus non ampliùs recordaretur iniquitatum pœnitentis. Dicit ergo David in persona cujuslibet pœnitentis: Domine *miserere mei*, & *dele iniquitatem meam, ut justificeris in sermonibus tuis* & promissis. G Nam tu promisisti remissionem & veniam pœnitentibus, & dixisti per *Ezechielem*, quòd *si conversus fuerit peccator, omnium iniquitatum quas fecerit, non recordabor.* Ergo non recorderis peccatâ mea, sed dele, ad pœnam æternam ea ampliùs non imputando: & sic *justificaberis in sermonibus* & promissionibus *tuis*: aliter maneres mendax & injustus. *Ecce enim veritatem dilexisti*, id est, respice, quia veritatem dilexisti, & non mendacium: ergo fac quod promisisti, *& justificaberis in sermonibus tuis.* Quòd tu promisisti veniam peccatoribus pœnitentibus, probo. Nam *incerta & occulta* manifestasti mihi: hoc est, quia tu revelasti mihi multa *incerta*, id est, absconH sa, *& occulta* hominibus, de tua profunda sapientia, id est, quæ sunt clausa in tua sapientiâ de Incarnatione, & nostra redemptione, & peccatorum remissione.

Nota benè.

Unde est advertendum, quòd quilibet peccator & pœnitens potest dicere: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Nam quotidie Deus per experientiam manifestat nobis *occultam sapientiam*, & misericordiam suam in remissione peccatorum. Nam nos videmus, quòd semper

La-

Latro egit malum in vita sua ; & tamen in ultimo suæ vitæ Deus remisit illi peccata, & fuit illo die secum in gloria paradisi. A Item vidimus Paulum maximum Ecclesiæ persecutorem, & postea per pœnitentiam factus est Ecclesiæ defensor, & ædificator: & sic dicendum de *Matthæo* publicano, & *Augustino*.

Ex quo patet, quòd Deus maximè ostendit & manifestat nobis *incerta & occulta sapientiæ suæ*, cùm quotidie justificat per pœnitentiam maximos & sceleratos peccatores, de quibus nulla spes habebatur in opinione hominum. Et in hoc maximè Deus *justificat seipsum in sermonibus* & promissionibus suis, & maximè manifestat thesauros occultos sapientiæ suæ, & misericordiæ, cùm ex magnis peccatoribus facit justos per pœnitentiam: & sic etiam Deus *vincit* diabolum, *cùm judicatur* ab B eo. Nam potest dicere Deus diabolo: Tu arguis & judicas me de misericordia, quia remitto peccatum homini, & non tibi: fac tu pœnitentiam sicut ipse, & parcam tibi, sicut ipsi. Sed tu manes semper obstinatus in tuo peccato: ideo non est justum, quod remittam tibi. Sed est justum, quòd remittam illi, *ut justificer in sermonibus* & promissionibus meis: quia promisi veniam pœnitentibus. Et sic Deus non solùm *justificatur in sermonibus suis*, sed etiam *vincit* diabolum, & hypocritas, *cùm judicatur*, & arguitur, & blasphematur ab eis.

Deus dupliciter justificatur in sermonibus.

Ex quibus patet, quòd dupliciter *justificatur* Deus *in sermonibus suis*, *& vincit*, *cùm judicatur*. Primò, compatiendo humanæ infirmitati, & humanæ fragilitati. Secundò, dando veniam quam promisit pœnitentibus. Littera *Hieronymi* habet: C *Tibi soli peccavi &c. propterea justificabis verbum tuum*, *& mundaberis*, *dum judicaberis*. Quasi dicat: Si tu deleveris iniquitatem meam, mihi culpam & pœnam remittendo, postquam ago pœnitentiam, & confiteor peccata mea; propterea hoc faciendo *justificabis verbum tuum*, in quo promisisti veniam pœnitentibus, *& cum judicaberis* ab æmulis meis, tunc *mundaberis*, id est, mundus & excusatus eris repertus. Item sequitur secundùm litteram *Hieronymi*: *Ecce veritatem voluisti in præcordiis*, *& in occultum sapientiam fac notam mihi*. Quasi dicat: Tu non solùm diligis, & vis veritatem in te, sed etiam *in præcordiis*, & in conscientia hominum vis veram confessionem peccatorum, id est, D quòd unusquisque verè, & cum contritione cordis confiteatur peccata sua, & agat pœnitentiam. Cum ergo ego confessus sim peccata mea, quia dixi: *Tibi soli peccavi*, *& malum coram te feci*: Ergo remitte mihi culpam, & dele iniquitatem meam: & sic *justificaberis in sermonibus tuis*, *& vinces cum judicaris*: *& fac mihi notam* occultam *sapientiam tuam*, quæ maximè manifestatur in remissione peccatorum, ut E dictum est, ut sciam me esse absolutum.

Asperges me. Quia superius pœnitens persuasit, quomodo Deus duobus modis justificatur, *& vincit*, *cùm judicatur*, id est, implendo promissum, & compatiendo humanæ infirmitati: hìc persuadet, quomodo tertio modo potest *justificari*, *& vincere* obtrectatores, & curiosos prædictos; hoc est, acceptando aspersionem sanguinis Christi in pretium & recompensationem delicti & injuriæ. Et sic petit aspergi per sanguinem Christi, ut mundetur peccator, & Deus Pater *justificetur*, *& vincat*, *cùm judicatur*.

Ad cujus intelligentiam est notandum: primò, quòd licèt peccator lædat proximum, tamen in primis offendit Deum; quia ejus legem transgreditur, & prævari- *Peccatum non est in proximũ, quando fit in Deum.* F catur, & violat, & ejus præcepta contemnit: ex consequenti lædit proximum, inferendo illi damnum in fama, vel in bonis, vel in persona: & hoc corde, vel ore, vel opere: & sic omne peccatum est infinitum in debito, quia est contra Deum infinitum. Et sic licèt pro damno & injuria proximi possit satisfieri aliquo finito pretio: tamen injuriæ factæ Deo nullum pretium finitum potest satisfacere. Nam injuria facta proximo comparata injuriæ factæ Deo, est sicut comparatio centum denariorum ad decem millia talentorum auri, ut ait Salvator, *Matth.* 13. Et ideo omne peccatum est irremissibile quoad nos: quia nullus de se potest satisfacere, nec invenire aliquod pretium, quo satisfaciat injuriæ factæ Deo, & debito decem millium talentorum, ut patet in eadem parabola. Et ideo dicit *Au-* G *gustinus*, *lib. Cur Deus homo*, quòd *oportuit reperiri aliquod pretium infinitum*, *per quod satisfaceremus debito infinito*, scilicet, pro peccato & injuria Deo facta: & ista est passio, & aspersio sanguinis Christi.

Nam merita illius passionis sunt pretii infiniti: eò quòd processerunt ex obedientia & humilitate & charitate infinita. Nam licèt voluntas Christi humana fuerit finita in substantia, tamen fuit infinita in affectu; quia in immensum voluit humiliari usque ad mortem crucis. Item, quia tota persona Christi erat infinita; ideo etiam illa passio dicitur esse pretii & meriti infiniti, eò quòd Christus erat Deus & homo, & Filius unicus, & dilectus, & purus, & H innocens: ideo illa passio fuit Patri chara & accepta in pretium infinitum. Ideo satisfecit pro omnibus peccatis præteritis & futuris. Et sic Christus in cruce obtulit seipsum, & passionem suam Patri, non solùm pro peccato primorum parentum, sed etiam ut satisfaceret Patri pro peccato omnium nostrùm: quia tunc ille sanguis præbuit virtutem omnibus Sacramentis, scilicet Baptismo, ad tollendum originale, &

Pœ-

Pœnitentiæ ad satisfaciendum pro actuali.

Ex quo patet, quòd passio & sanguis A Christi nil aliud est, nisi quoddam pretium infinitum quo solvitur omne debitum. Unde dicit *Augustinus* super *Psalm.* 21. *serm.*2. *Ecce Christus passus est: ecce mercator ostendit merces suas: ecce pretium quod dedit: ecce sanguis ejus fusus est: in sacco sui corporis ferebat pretium: percussus est lanceâ: scissus est saccus, & manavit pretium orbis terrarum: apertus est infernus, & emptum est cœlum.* Ex his patet, quòd sanguis Christi fuit pretium totius orbis terrarum, quo pretio Christus non solùm solvit omne debitum peccati, sed etiam pro nobis emit cœlum. Ideo diffinitur Passio Christi per omnes suos effectus sic: *Passio Christi est quoddam pelagus infinitum meritorum, & numisma immensi pretii, quo cœlum est emptum, & genus humanum redemptum, quo injusta in conspectu Dei fiunt justa: & Divina Justitia ejus adæquatur misericordiæ, mitigans divinam iram, satisfaciens divinæ vindictæ: pretium majus omni debito.*

Passionis Christi diffinitio.

Ad cujus diffinitionis intelligentiam B est secundò notandum secundùm *Aristot.* 5.*Ethic.* quòd in justitia commutativa, scilicet, in commutationibus & venditionibus, est quærendum medium rei: & ideo ante inventionem nummi vix poterat fieri justa commutatio, & reperiri medium. Nam cum non esset nummus, oportebat commutare asinum pro bove, aut frumentum pro calceis &c. & sic non poterat fieri justa adæquatio, sive commutatio; quia semper prævalebat: sed postea humanâ industriâ repertus est nummus, qui est metrum, & mensura adæquans omnes commutationes & venditiones &c. Et hoc numisma, C sive nummus, non solùm est metrum, & mensura præsentium commutationum, sed etiam est fidejussor pro necessitatibus, & mercibus futuris: quia reservatur in gazophylatio, & per ipsum homo in futurum reperit frumentum, & pannum, & omnia necessaria. Ita pariter factum est de Passione Christi. Nam cum nullum pretium æquivalens, nec adæquatum posset reperiri ad satisfaciendum pro debito peccati, & injuria facta Deo & proximo: tunc venit Christus, & effudit, & obtulit Deo Patri sanguinem suum in pretium sufficiens pro omni debito; satisfaciens pro injuria facta Deo & proximo. Et sic Christi sanguis factus est numisma & metrum & mensura adæquans omnia, & satisfaciens pro omni D debito.

Nota quomodo Passio est nūmus pro satisfactiõe.

Et non solùm ille sanguis tunc adæquavit & satisfecit pro peccatis præteritis, sed etiam factus est fidejussor pro debitis futuris. Nam repositus est in gazophylatio Ecclesiasticorum Sacramentorum ad satisfaciendum pro debitis futuris. Nam Ecclesia in Baptismo nil aliud facit, nisi quòd abstrahit numisma Christi de gazophylatio E Christi & Ecclesiæ, & satisfacit offerendo Deo Patri pro peccato originali illius parvuli baptizati. Et in pœnitentia nil aliud fit, nisi quod Sacerdos apponit numisma sanguinis Christi, & adhibet pœnitentiæ illius pœnitentis: & sic satisfacit pro eo. Hoc idem facit pœnitens, si non habet copiam Sacerdotis.

Unde tota pœnitentia hominis, quantumcumque vehemens, non esset sufficiens de se satisfacere, nisi ipsi admisceatur & adhibeatur passio & sanguis Christi. Et ponitur exemplum de uno annulo aureo unius marchæ, qui de se non valet nisi quadraginta octo ducata: tamen si in illo annulo incœletur & inseratur magnus carbunculus, tunc pro eo posset emi una magna civitas, & redimi unus princeps à captivitate; non F in valore auri, sed in valore carbunculi, sive adamantis in auro cœlati & inserti: ita pariter pœnitentia peccatoris de se non esset sufficiens ad satisfaciendum pro parvo peccato, sed ratione passionis, & sanguinis Christi in ipsa pœnitentia cœlati & inserti, satisfacit pro omni peccato, & pro omni debito Dei & próximi ex divina acceptatione, ut dictum est. Ex quibus patet, quòd passio & sanguis Christi est metrum & mensura & numisma adæquatum ad satisfaciendum pro omni debito: qui quidem sanguis Christi est cœlatus & insertus in Sacramento Pœnitentiæ. Et sic pœnitens peccator per virtutem pœnitentiæ satisfacit pro omni peccato quantumcumque gravi.

Tertiò est advertendum ex supradictis, quòd pœnitentia non solùm potest satisfacere ratione sanguinis Christi pro de- G bito, & injuriâ facta Deo, sed à fortiori pro injuria facta proximo passo injuriam. Probatur primò: quia dominus directus potest remittere injuriam servi, etiam inviti: nam injuria facta servo potius est injuria domini, quia servus non habet jus injuriæ; quia domino est potius facienda satisfactio. Item, injuria facta proximo in eodem peccato, comparata ad injuriam Dei, est sicut comparatio centum denariorum ad decem millia talentorum, ut dictum est; sed pœnitentia satisfacit pro debito Dei, cujus est totum interesse: Ergo satisfacit pro injuria proximi.

Secundò, arguitur ex parte Christi, prout est Caput Ecclesiæ: nam caput po- H test satisfacere pro quocumque membro: nam à capite derivatur omnis sensus & motus ad membra. Si ergo Christus in pœnitentia non solùm offert suum sanguinem pro liberando pœnitente, sed etiam pro injuria facta alteri membro, quia ipse recepit in se illam injuriam; quia licèt facta sit membro, tamen recepta fuit in capite: ideo Christus Caput potest remittere injuriam fac-

Christus passus tãquam persona communis.

factam cuique membro, quia primò fuit Christus læsus.

Quartò nota secundùm *Augustinum de Verbis Apostoli*: quòd Christus non fuit A crucifixus, nec passus tanquam persona privata, quia nunquam peccaverat; sed tanquam persona communis, & Caput Ecclesiæ pro omnibus suis membris. Ideo sicut omnes fuimus baptizati in Christo, ita omnia nostra peccata præterita & futura affixit Cruci, & per consequens fuerunt punita in Christo. Nam ideo passus est tale genus passionis, ut omnia peccata posset delere, & pro omnibus pati: nam primò, passus est contumeliam à cordibus Judæorum. Secundò, opprobria & injurias in verbis. Tertiò, ictus in persona, quia alapis cæsus & flagellatus: & tandem clavatus, & lanceâ perforatus, & mortuus: & B hoc voluit Christus, ut pro omni genere injuriæ satisfaceret, & omnia nostra peccata in eo punirentur, & illud genus mortis pro omnibus pœnitentibus Patri posset offerre, & pro omnibus membris suis: sed unusquisque fit membrum Christi per Baptismum, & Pœnitentiam, & alia Sacramenta: ergo quandocumque quis baptizatur, aut agit pœnitentiam, illicò eodem instanti participat passionem Christi, & per consequens peccata sua sunt in Christo, & in ejus passione punita. Unde si odivit fratrem suum, aut dedit illi alapam, ibi in passione Christi est punitus per contumelias & alapam Christi; & si commiserit homicidium, illicò ibi in Christo est punitum per homicidium Christi. Et sic omne genus injuriæ punitur in Christo per Baptismum, C & Pœnitentiam; & per consequens omnes baptizati, & pœnitentes justificantur in Christo, & ejus passione: quia per Baptismum, & Pœnitentiam efficiuntur membra Christi, & fiunt unum cum Christo, & participant passionem ejus, & justificantur in eo: quia tàm in Baptismo, quàm in Pœnitentia est realiter tota virtus sanguinis Christi.

Nota quid sit effici Christi membrum.

Ex quibus patet, & primò sequitur, quòd baptizari, aut agere pœnitentiam, nihil aliud est, nisi effici membrum Christi, & ejus sanguine aspergi, & ejus passionem participare.

Secundò sequitur, quòd quando pœnitens invocat divinam misericordiam, & dicit: *Miserere mei Deus*, nil aliud dicit, D nec petit, nisi quòd Pater recipiat, & acceptet passionem & sanguinem Christi Filii sui in recompensationem, & satisfactionem pro peccatis suis. Item, quando pœnitens dicit: *Christe Filii Dei vivi miserere mei*: &, *Propitius esto mihi peccatori*, nil aliud dicit, nisi quòd Christus offerat Patri passionem & sanguinem suum pro peccatis ejus; & ita orat Ecclesia quotidie: ideo in fine cujuslibet Orationis dicimus: *Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.*

Tertiò sequitur, quòd quando Deus Pater remittit nobis peccata, nil aliud facit, nisi quòd acceptat passionem Christi in E satisfactionem pro peccatis nostris.

Quartò sequitur, quòd quando pœnitens dicit injuriam passo: *Parce mihi, & da veniam amore passionis Christi*, nil aliud dici, nisi: Accipe passionem Christi pro injuria quam tibi feci, in satisfactionem, quia aliter non possum tibi satisfacere.

Quintò sequitur, quòd quando passus injuriam, non vult dare veniam, nec parcere pœnitenti, & precanti amore passionis Christi: pro tunc existimat majoris pretii injuriam sibi factam, quàm totam passionem Christi: & per consequens talis obstinatus arguit & *judicat* Deum injustum, quia F non dat veniam pœnitenti, acceptando passionem Filii in tali remissione: & sic est blasphemus & hæreticus.

Hoc idem est dicendum de quocumque hypocrita, Deum arguere & judicare volente de nimia misericordia. Et sic nullus istorum meretur veniam pro peccatis suis, nec quòd eis suffragetur passio Christi, postquam eam contemnunt, ut patet in parabola de duodecim millium talentorum. Ergo sequitur, quòd nisi fuisset passio Christi, impossibilis esset remissio peccatorum; & per consequens nec pœnitentia esset valida, maximè in his, qui semper mala egerunt, & non pœnitent nisi in ultimo vitæ suæ, & nil habent unde restituant, nec habent facultatem, unde satisfaciant. Ideo tales nisi recurrerent ad passionem Christi G per pœnitentiam, peccata eorum essent irremissibilia: sed per pœnitentiam participant passionem Christi: & sic peccata eorum in Christo puniuntur, ut dixi, & sic justificantur in eo, & peccata eorum remittuntur.

Sextò sequitur, quòd sola passio Christi adæquat, & sociat misericordiam cum justitia Dei. Probatur: nam si non esset passio Christi, tunc posità summâ justitiâ, de necessitate tolleretur misericordia, & è converso: nam summa justitia Dei vult, quòd nullum malum abeat, nec evadat impunitum, nec bonum irremuneratum; quia tribuit unicuique sibi debitum: sed nullus potest satisfacere pro quovis peccato, maximè pœnitens in ultimo vitæ: Ergo talis H debet puniri in infinitum secundùm veram justitiam: & sic tollitur misericordia. Sed si Deus vult uti misericordiâ cum pœnitente in extremis, tunc justitia esset læsa, quia illud maneret impunitum, de quo ille non potest satisfacere; & sic venit, sive intervenit passio Christi, quæ in pœnitentiâ continetur, & adæquat, & sociat misericordiam cum justitia. Nam ille pœnitens participat passionem Christi, in qua sua peccata puniuntur: & illud peccatum non remanet impunitum; quia tunc Christus

Passio Christi sociat misericordiam cum justitia.

de

de novo offert suam passionem & sanguinem Patri pro illo pœnitente : & sic justitia manet integra & inviolata simul cum misericordia ; quia illa contritio & dolor pœnitentis, & confessio cum proposito satisfaciendi, si adesset facultas, simul cum Christi passione, æquivalet cuilibet injuriæ &c. Ergo sequitur, quòd Deus Pater de necessitate habet acceptare pœnitentem, non solùm ad veniam & remissionem tribuendam, sed etiam ad felicitatem æternam ipsi largiendam.

Probatur : nam pœnitens est aspersus sanguine Christi, ut dictum est ; sed Pater tenetur acceptare sanguinem Christi, non solùm ad remissionem peccatorum, sed ad vitam æternam largiendam, in quocumque, & pro quocumque fuerit sibi oblatus : quia propter hoc fuit effusus, scilicet, ad redimendam culpam, sive ad redimenda peccata, & ad emendum cœlum, ut patet ad *Hebr.* 8. & 10. Ergo Deus in pœnitente non habet respicere peccata quæ quondam fecit, sed sanguinem Filii, quo pœnitens aspersus est : & sic non recordatur peccata præterita.

Septimò sequitur, quòd per pœnitentiam non solùm *justificantur* peccatores, sed etiam Deus Pater *justificatur* tripliciter. Nam primò, *justificatur in sermonibus*, & promissis : quia promisit veniam pœnitentibus. Secundò, *justificatur*, quia compatitur infirmitati, & humanæ fragilitati. Tertiò, quia per pœnitentiam implet omnem justitiam simul cum misericordia. Nam peccata puniuntur, tàm in Christo, quàm in pœnitente : & sic peccatum non manet impunitum, & misericordia servatur cum pœnitente, sicut promissum est. Nam pœna æterna sibi remittitur pro illo parvo dolore & pœnitentiâ : & sic Deus non solùm *justificatur*, sed etiam *vincit*, & confundit diabolum, & passos injuriam petentes vindictam, & omnes hypocritas, *cum* arguitur, & *judicatur* ab eis.

Per Passionem Christi justificatur etiàm Deus Pater.

Et hoc est quod dicit hîc David in persona cujuslibet pœnitentis : O Domine, *ut justificeris in sermonibus, & vincas cum judicaris*, non solùm compatiaris infirmitati & fragilitati meæ, quia *in iniquitatibus conceptus sum &c.* & veniam mihi promisisti : sed etiam ad veram justitiam servandam *asperges me hyssopo* pœnitentiæ, immerso in sanguine passionis Filii tui, & recipe illum sanguinem in satisfactionem pro omnibus peccatis meis : & per talem aspersionem pœnitentiæ & sanguinis Christi, *mundabor* ab omni iniquitate, & inquinamento, & sorde peccati : *& lavabis me* in lacrymis meæ Contritionis, & Confessionis per gratiam tuæ passionis. Et tunc *dealbabor*, & splendidus ero *super nivem*, id est, magis, quam nix, per gratiam.

Item, per talem aspersionem *mundabor* à superbia, & *lavabis me* à sorde luxuriæ : & etiam *mundabor* à delicto, & *lavabis me* à sorde & macula peccati. Item, *mundabor* à peccato cogitationis, & *lavabis me* à sorde malæ locutionis. Et cum mundaberis & laveris me, & audiverim quod remiseris mihi culpam : tunc *dabis gaudium auditui meo*, & omnia *ossa humiliata*, & contrita per pœnitentiam, *exultabunt*, id est, conscientia mea per pœnitentiam confracta, tunc secura quiescet. *Averte* ergo *faciem tuam à peccatis meis*, cum me videris sanguine passionis per pœnitentiam aspersum & lotum : jam non ampliùs respicias peccata mea, sed aspice ad sanguinem Filii tui, & suscipe in satisfactionem. Et *omnes iniquitates meas dele* de prospectu, & libro tuo : & ne ampliùs recorderis, nec ad pœnam velis imputare. Et hoc faciendo, *justificaberis in sermonibus tuis* : quia manebis verax, & non mendax, dando veniam promissam pœnitentibus. Et manebis etiam justus : quia adæquabis misericordiam cum justitia, manente ipsa justitiâ illæsâ, ut dictum est : & *vinces* diabolum, & vindicativos, & hypocritas, *cum judicaris ab illis.*

Cor mundum crea. Hæc est secunda pars principalis, in qua postquam pœnitens petivit sibi culpam remitti, & pœnam, per aspersionem sanguinis Christi, & pœnitentiæ virtutem : hîc petit sibi gratiam per peccatum amissam restitui.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd in Baptismo per aspersionem sanguinis Christi, non solùm remittitur culpa originalis, & etiam actualis in adultis ; sed etiam confertur fides, spes, & charitas in habitu, & gratia in actu. Sed per peccatum, licèt non perdatur habitus fidei, & spei : tamen amittitur charitas & gratia in actu : quæ quidem gratia & charitas non potest recuperari, nisi per pœnitentiam : nec est hîc disputandum, an charitas distinguatur à gratia ? sed sufficit, quòd charitas, vel est ipsa gratia, vel nunquam est sine gratiâ. Sed ista gratia est triplex secundùm *Augustinum*, scilicet, *incipiens*, *proficiens*, & *perficiens*. Prima rectificat voluntatem, & dirigit, ut velimus bonum. Secunda cooperatur, ut proficiamus, & exequamur. Tertia confirmat, & perficit voluntatem in sua operatione. Item, prima rectificat hominem, secunda sanctificat, tertia præmiat ad gaudium & felicitatem. Et hanc triplicem gratiam, sive spiritum gratiæ, petit hîc David in persona cujuslibet pœnitentis.

Nota quomodo in Baptismo virtute passionis conferuntur virtutes.

Triplex gratia.

Primò, petit gratiam prævenientem & mundantem à malo, & rectificantem ad bonum & dirigentem, cùm ait : *Cor mundum crea in me Deus, & innova spiritum rectum in visceribus*, & conscientia mea, id est, da mihi gratiam prævenientem per Spiritum sanctum, quæ mundet cor meum à peccato, & faciat me detestari peccatum,

tum, & abhorrere; & rectificet, & dirigat voluntatem ad bonum agendum, scilicet, ut declinet à malo, & faciat bonum. Et dicit, *Cor mundum crea*: quia gratia non educitur de potentia materiæ, sive animæ, per agens naturale, sed à solo Deo per novam creationem: & dicit, *Spiritum rectum innova*; eò quòd fuerat perditus per peccatum.

Secundò, petit gratiam proficientem & cooperantem & sanctificantem, cùm subdit: *Ne projicias me à facie tua.* Nam cum Deus aufert gratiam, projicit hominem à facie sua: quia *longè à peccatoribus salus.* Et sic ille non potest operari, nec proficere sine gratia; nec est gratus, nec acceptus ipse, nec opera sua apud Deum: eò quòd gratia est illa, quæ sanctificat, & gratificat, & vivificat ad operandum. Ideo subdit: *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*: quia si aufers à me Spiritum sanctum, & gratiam quæ sanctificat: tunc projectus ero à facie tua & salute.

Tertiò, petit gratiam perficientem & confirmantem, ut perficere possit cursum & opus inceptum, ut inde accipiat præmium & *lætitiam salutis* æternæ, cùm subdit: *Redde mihi lætitiam salutaris.* Et est transpositio sententiæ, id est, *confirma me spiritu* & gratia *principali*, quæ est finalis gratia & perfecta: & tunc reddes mihi *lætitiam salutaris tui*, id est, optatum & lætum finem salutis tuæ, quæ est felicitas & vita æterna, per gloriam in cœlo possessa: & hoc per finalem pœnitentiam, & gratiam confirmatam comparata.

Finalis impœnitentia dicitur peccatum in Spiritum sanctum.

Unde nota: quòd sicut finalis impœnitentia & obstinatio dicitur peccatum in Spiritum sanctum, & culpa principalis, & irremissibilis: ita finalis pœnitentia, & gratia confirmata dicitur *spiritus*, & gratia *principalis*, & maxima. Probatur: quia sicut per illam acquiritur pœna æterna, ita per istam comparatur & acquiritur fructus salutis, & vitæ, & felicitatis æternæ. Ideo dicitur: *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, id est, non solùm des mihi gratiam prævenientem & proficientem; sed etiam confirma, & conserva me in ea usque ad finem vitæ inclusivè; ut reddas mihi fructum & lætitiam salutis & felicitatis æternæ. Unde non solùm peto, quòd reddas mihi lætitiam salutaris tui in vitâ æternâ; sed etiam ut per talem gratiam confirmatam *reddas mihi lætitiam salutaris tui*, id est, ut possim exercere, & perficere quatuor fructus salubres infra scriptos, qui dicuntur fructus pœnitentiæ, dignos vitâ æternâ. Per hoc enim petit, ut faciat fructus pœnitentiæ dignos, quæ est tertia pars pœnitentiæ, scilicet, satisfactio.

Docebo iniquos. Hîc in hac tertia parte pœnitens promittit facere satisfactionem, & fructus pœnitentiæ dignos. Et explicat quatuor fructus & utilitates, quæ sequuntur ex pœnitentiâ, & gratiâ confirmata & perseverante.

Quatuor mala facit peccatum.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd sicut quatuor mala facit peccatum in peccatore, scilicet, quia primò, docet alios peccare: secundò, quia laus & doctrina ejus est Deo & hominibus contemptibilis: tertiò, quia ejus sacrificia non sunt Deo accepta: quartò, quia anima peccatoris facta est habitatio peccati: Ita per oppositum quatuor fructus sequuntur ex pœnitentia. Primò, quia pœnitens est causa, ut cæteri convertantur: secundò, quia ejus laus & correctio est grata Deo, & hominibus: tertiò, ejus sacrificium est Deo acceptum: quartò, quia ejus anima facta est habitaculum Dei, & visio pacis, & templum Spiritus sancti. Ergo istæ quatuor utilitates, & fructus sequuntur digni ex pœnitentia.

Quatuor fructus ex pœnitentia.

Primus.

Nam primò dico, quòd sicut peccator antè exemplo sui, & verbis docebat alios peccare; ita post pœnitentiam exemplo sui & prædicatione, docet alios per pœnitentiam converti: nam tunc audacter prædicat contra vitia, quia est irreprehensibilis; & multi videntes eum conversum & bene operantem, non solùm ejus prædicatione & verbo, sed exemplo ad pœnitentiam convertuntur. Ideo ait: Si tu Domine per istam pœnitentiam remiseris mihi culpam, & restitueris gratiam, & me in ipsa confirmaveris & conservaveris: tunc *docebo iniquos* & peccatores *vias tuas*, & prædicabo eis quanta est misericordia tua, & virtus sanguinis Christi, & pœnitentiæ: & tunc non solùm ex verbis meis, sed etiam exemplo *convertentur* ad te *impii* & peccatores.

Secundus.

Libera me de sanguinibus. Hîc explicat secundum fructum pœnitentiæ, qui est iste. Nam sicut antè laus & oratio quam peccator faciebat, non erat speciosa, nec acceptabilis apud Deum ad vitam æternam: ita post pœnitentiam, omnis laus & oratio est speciosa, & grata, & accepta Deo ad præmium æternum. Ideo subdit: *O Deus, Deus meus, libera me de sanguinibus*, id est, de peccatis mortalibus: quia si hoc feceris, tunc postquam liberatus fuero per pœnitentiam, *lingua mea*, quæ antè blasphemabat, & erat sordidata, & deturpata vanis, & immundis, & libidinosis illicitis locutionibus; quia non loquebatur nisi de superbia, & de honoribus, & de avaritia, & de rapinis, & de luxuria, & de impudicitia, & de comessationibus, & de ebrietatibus: tunc post pœnitentiam *exultabit* pro *exaltabit*, & magnificabit *justitiam tuam* adæquatam cum misericordia, ut dictum est. Et notanter dicit, *exaltabit*, vel *exultabit justitiam*, quia Deus per pœnitentiam justificat peccatorem, & Deus *justificatur in sermonibus suis*, ut dictum est.

Et

Et etiam per supradictam pœnitentiam, & gratiam postulatam & redditam *aperies labia*, quæ antè erant muta, & A clausa ad loquendum de virtutibus, & de necessariis ad vitam æternam. Erant enim clausa & muta ad bonum, ex malo habitu & consuetudine loquendi malum. Et tunc *os meum* perfusum gratiâ *annuntiabit* cum sapore & suavitate *laudem tuam* in orando, & prædicando, & cantando, ad laudem nominis tui, & consolationem audientium: quia videndo mea opera bona, & lumen doctrinæ, glorificabunt te, qui es in cœlis.

Peccata actualia dicuntur sanguines.

Et notanter dicit: *Libera me de sanguinibus:* quia peccata actualia dicuntur dupliciter *sanguines*. Primò, quia procedunt à fomite & concupiscentia, quæ est in carne & sanguine. Secundò, quia merentur sanguinem, id est, mortem æternam: ideo dicuntur peccata mortalia: unde *sanguis* fre- B quenter pro morte in Scriptura nominatur: quare quando quis est dignus morte, dicimus, quòd *dignus est sanguine*, sive *reus sanguinis* & debitor.

Tertius fructus pœnitentiæ.

Quoniam si voluisses. Tertius fructus dignus pœnitentiæ, est acceptatio sacrificiorum, & omnium aliorum bonorum apud Deum: nam dum homo erat in peccato, sua sacrificia, & alia bona quæ faciebat, non erant accepta Deo ad vitam æternam. Et ratio est: nam peccator erat in odio Dei, & anima sua non erat Deo accepta: Ergo minus acceptabantur ea quæ offerebat. Nam Deus prius acceptat animam & voluntatem bonam, quàm sacrificium & oblationem; quia ista non fiunt de se acceptabilia, nisi bonitate offerentis. Unde Deus C per prius respexit ad *Abel*, deinde ad munera ejus, ut dictum est Psalmo præcedenti.

Voluntas accepta-tur à Deo.

Et ratio quare Deus magis & prius acceptat sacrificium voluntatis, quam quodlibet aliud sacrificium, aut oblationem, est ista secundùm *Augustinum*. Nam illud sacrificium est majoris pretii, & magis Deo acceptabile, quod fit de proprio, magis quàm illud, quod fit de alieno: sed omnia alia sunt nobis aliena præter voluntatem; quia nil est magis in potestate, quam voluntas, quæ à nobis non potest auferri, cùm cætera alia nobis invitis possint auferri, & sola voluntas manet libera; quia *nunquam libero imperabis animo*, ut patet de Martyribus, quibus Tyranni & Princi- D pes nunquam potuerunt imperare, nec auferre propositum: & tamen non solùm abstulerunt bona temporalia, sed etiam vitam corporalem. De tali ergo cellario Deus vult *sacrificium*, & *oblationem*, & eleemosynam: unde non semper exigit effectum, sed quærit semper affectum, & votum, & bonum propositum de corde bono & conscientia pura. Et in hoc sacrificio magis delectatur, & hoc sacrificium Deus magis per se acceptat, quàm sacrificia, quæ immolabantur antiquitùs de animalibus brutis, & etiam oblationes, quas offerunt peccato- E res de bonis temporalibus. Unde peccator quando offert magna bona temporalia, putà, quando ex pecuniis suis construit magnam Ecclesiam, aut facit calices aureos, aut argenteos, aut sumptuosa vestimenta in Ecclesia: nil offert de proprio, postquam non offert primò Deo propriam & bonam voluntatem & puram conscientiam: ideo suum sacrificium non est Deo acceptum, nec delectabile pro illo statu. Sed si egerit pœnitentiam, tunc offert Deo *spiritum contribulatum, & cor contritum & humiliatum*: & tunc Deus non despicit illud tale sacrificium, immò acceptat, & exinde omnia sacrificia exteriora. Et hic est tertius fructus & utilitas pœnitentiæ.

Ideo ait David in persona cujuslibet F pœnitentis: O Domine, *quoniam si voluisses*, id est, si acceptasses, ego *dedissem* tibi *sacrificium* de bonis exterioribus: sed utique scio, supple, quod tu *non delectaberis* in *holocaustis* & sacrificiis exterioribus. Littera *Hieronymi* habet: *Quoniam non vis sacrificium, nec holocausta tibi placent.* Et tunc littera & sententia est magis plana, id est, non dedi tibi sacrificium, dum eram peccator: *quoniam* scio quod *non vis*, nec acceptas per se *sacrificium*, nec *placent tibi* per se *holocausta*, nisi offerantur de corde bono & conscientia pura: quia prius respicis ad cor: quia *spiritus contribulatus* & confractus per pœnitentiam est tibi *Deo sacrificium* gratum, supple, & de se acceptum: & *nunquam despicies*, immò semper G acceptabis, *cor contritum & humiliatum* per pœnitentiam. Quasi dicat in summa: Si tu Domine remiseris mihi culpam, & restitueris gratiam per pœnitentiam, sicut supra postulavi: tunc sequetur iste tertius fructus pœnitentiæ; quia offeram tibi *spiritum contribulatum* tibi gratum, & *cor contritum & humiliatum*: quod *nunquam despicies*. Et exinde offeram tibi alias oblationes, quæ omnia ante pœnitentiam non erant tibi accepta, nec delectabilia. Unde *Apostolus ad Hebr.* 13. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Talibus enim hostiis promeretur*, id est, delectatur *Deus*.

Quartus fructus.

Benignè fac. Quartus fructus dignus H pœnitentiæ est, quòd anima fit vera Hierusalem, & habitaculum, & templum Dei, & verum altare, in quo omnia quæ offeruntur, sunt Deo accepta.

Anima per peccatum fit habitaculum diaboli.

Ad cujus evidentiam est valde advertendum secundùm doctrinam Salvatoris, *Matth.* 12. & *Lucæ* 11. quòd anima per peccatum efficitur atrium & habitaculum diaboli. Nam sicut unus princeps armatus & fortis custodit atrium & castrum suum, ita diabolus dum est in anima peccatoris, armatus omni genere vitiorum, defendit,

ne intret aliqua virtus in illam animam; & sic tenet hominem ligatum, ne faciat bonum: nec potest diabolus inde ejici, nisi à A solo Deo, qui est fortior, ut patet ibidem. Sed si forsan ille diabolus fuerit inde per pœnitentiam ejectus, & exierit ab illo homine, tunc *ambulat per loca inaquosa &c. & tunc assumit alios septem spiritus nequiores se*, scilicet, septem genera vitiorum, *& ingressi habitant ibi &c.* Ex quibus sequitur, quòd anima per peccatum est facta habitaculum, & templum diaboli, & habitatio dœmoniorum: in quo templo peccator quot mala opera facit, tot sacrificia offert diabolo. Per oppositum dicit *Augustinus*, quòd anima existens in gratia post pœnitentiam, facta est habitaculum Dei & templum Spiritus sancti, ut inquit *Apostolus* 1. *ad Corinth.6. An nescitis quòd membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* B Item *ad Ephes. 2. In quo vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* Item 1. *ad Corinth. 3. Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? &c.*

Anima in Baptismo fit Civitas Dei.

Unde videtur dicere ibi *Apostolus* secundùm *Augustinum*, quòd anima nostra fuit facta in Baptismo civitas & templum Dei, cujus fundamentum est Christus, & muri sunt fides, spes, & charitas. Et ideo videat quis ne velit ipsam facere templum diaboli, rumpendo ejus muros, & superædificare ligna & paleas peccatorum. Et sic dicit *Augustinus*, quòd *sicut anima quæ antè per Baptismum erat facta templum Dei, murata fide, spe, & charitate, postea per peccatum ruptis muris, fit Babylon, & templum diaboli, & habitatio dæmoniorum, & domus confusionis: sed postea per pœnitentiam ejecto diabolo, fit Hierusalem, & visio pacis, & templum Dei, & habitatio virtutum: & reædificantur ejus muri, & restaurantur, cùm in ea recuperatur charitas & gratia, quibus sepitur & defenditur: & sic fit templum Dei, in quo omnia quæ offeruntur sunt Deo grata & accepta.* Et iste est quartus fructus pœnitentiæ. Et hoc est quod dicit David: O Domine, fac quod peto, & *benignè fac in bona voluntate tua Sion*, id est, *fac in* benigna *voluntate tua*, ut anima mea sit vera *Sion*, & in ea contempletur Deus, & fiat templum Dei per gratiam & pœnitentiam, quæ antè erat templum & altare diaboli per peccatum. Et *fac* etiam cum *bona voluntate tua, ut muri Hierusalem ædificentur*, D id est, *fac*, quòd anima mea, quæ antè erat Babylonia, & civitas diaboli, & habitatio dœmoniorum per peccatum, fiat Hierusalem, & visio pacis, & charitatis: & reædificentur ejus muri, scilicet, fidei, & spei, & charitatis: qui quidem muri antè fuerant dirupti & dissipati per peccatum.

Unde sicut tota Ecclesia mysticè dicitur *Sion*, id est, specula, & templum Dei; E quia in ea contemplatur & speculatur; & dicitur etiam Hierusalem, id est, visio pacis, ut supra dictum est: ita anima justi & pœnitentis moraliter & spiritualiter, primò dicitur *Sion*, quod idem est quod *speculatio* & *contemplatio*, sive *templum*; quia in ea Deus speculatur & contemplatur, & in ea oblationes spirituales offeruntur. Dicitur etiam *Hierusalem*, id est, visio pacis, sive pacifica: quia in ea Deus videtur, & habitat per gratiam: quia *sedes Dei anima justi est.* Et est civitas & habitatio virtutum, septa, circundata, & tutata muro Euangelico fidei, spei, & charitatis: adversus quam civitatem sic septam portæ inferi non prævalebunt. Dicitur etiam *pacifica*, in quantum est Deo unita, & in charitate Dei, & proximi. Et post pœniten- F tiam maximè dicitur *Hierusalem*, & *pacifica*: quia pacificatur, & unitur Deo per charitatem, quæ antè erat inimica per peccatum. Ideo pœnitens magnopere petit, & affectat, ut Dominus cum benigna & bona voluntate & misericordia faciat animam suam ex templo diaboli, veram *Sion*, & *templum Dei*, & ex Babylonia, faciat eam veram *Hierusalem*, & *reædificentur* & restaurentur *ejus muri.*

Anima justi dicitur Sion, &c.

Nota etiam, quòd ly *Sion* potest esse *dativi casus*, ut sit sensus: O Domine, *fac benignè* & misericorditer ipsi *Sion*, id est, animæ meæ: ut *in bona voluntate tua ædificentur* in ea *muri Hierusalem*, scilicet, visionis, & pacis divinæ per gratiam, & pœnitentiam. Et subdit causam quare hoc desiderat: *Tunc acceptabis*, id est, quia *tunc* in ea *acceptabis sacrificium justitiæ.*

G Ad cujus evidentiam est notandum, sicut supra dictum est, quòd anima per pœnitentiam non solùm fit *Hierusalem*, sed etiam *Sion*, scilicet *templum*, in quo Deus contemplatur. Et non solùm fit templum, sed etiam *altare Dei*, in quo, & super quod sacrificia & oblationes offeruntur. Nam *Altare* dicitur, *quasi altum & elevatum à terra*: & ideo cùm anima per pœnitentiam & gratiam fiat alta, & elevata à terrenis ad cœlestia: ideo fit *altare*, super quod spiritualia sacrificia debitè offeruntur Deo grata & accepta. Et ideo dicit: *Tunc* postquam anima mea facta fuerit vera *Sion* & templum Dei, *acceptabis* in ea *sacrificium*, & oblationes spirituales: & tunc etiam vota mea imponent vitulos su- H per eam factam altare tuum.

Anima pœnitentis fit etiam Altare Dei

Ad cujus majorem evidentiam est notandum, ut supra dictum est, quòd agni, & arietes, vituli, & cætera animalia, quæ in Lege veteri immolabantur, non poterant de se justificare, cùm de se non essent justa; quia nihil dicitur justum nisi utens ratione. Et ideo non offerebantur propter se, nisi in quantum figurabant ea, quæ offerenda erant in Ecclesia per adventum Messiæ, ut ait

Au-

Augustin. contra Adversarium Legis, & Prophetarum.

Agnus quid significabat.

Unde agnus, qui sacrificabatur mane, & vespere, significabat Christum, tanquam agnum sine macula offerendum in cruce, secundùm mysticam significationem, ut dictum est in secunda Expositione hujus Psalmi. Sed moraliter, & spiritualiter significabat humilitatem, & mansuetudinem, quam offert quilibet justus in templo, & altari animæ suæ. Et sic ille immolat agnum Deo, qui occidit in se superbiam per pœnitentiam, & offert humilitatem, & mansuetudinem in altari animæ suæ. Et ille offert turturem, qui occidit luxuriam in se, & offert castitatem, & munditiam. Et ille immolat arietes, & boves, & hircos, qui occidit in se avaritiam, & offert Deo paupertatem, & largitatem. Et ille immolat Deo tauros, & vitulos, qui occidit in se, & mortificat petulantiam iræ, & odii, & offert Deo pacem, & concordiam. Et ista sunt animalia, & sacrificia, quæ offeruntur quotidie Christo in altari animæ cujuslibet pœnitentis, & justi.

Unde pœnitens quilibet dicitur occidere, & mortificare seipsum, & suscitatum se Deo offerre. Nam superbus, per pœnitentiam seipsum dicitur occidere, & mortificare, & abnegare, ut ait *Gregorius*. Et sic luxuriosus, agens veram pœnitentiam, mortificat carnem suam, & se ipsum: & sic ex luxurioso efficitur castus, & offert Deo castitatem, qui antè diabolo offerebat opera luxuriæ. Ex quo patet, quòd qui offert Deo humilitatem, & mansuetudinem, offert juvencum, sive aurum occisum. Et ista sunt *sacrificia justitiæ, & holocausta*, tota cremata charitate, & vituli, qui offeruntur in altari animæ cujuslibet justi. Unde tunc occidimus hircos, & tauros, & arietes, cùm extinguimus concupiscentiam, & desideria carnalia, & motum, & voluptates bestiales in carne nostra per pœnitentiam, & virtutes: & tunc offerimus *cor mundum*, per vitulos, & agnos intellectum.

Duplex offertur sacrificiù.

Duplex ergo *sacrificium justitiæ* offertur quotidie in Lege nova. Unum est sacrificium, quod est tantum unum, de se bonum de opere operato, & justum, & justificans: & hoc est solùm sacrificium *Eucharistiæ*. Secundum est, *sacrificium justum justificatum*: & hoc est *spiritus contribulatus*, sive *cor contritum, & humiliatum*, & mortificatum per pœnitentiam. Primum, offertur in Ecclesia quotidie, sed tantum mane: secundum, continuè offertur in anima justi, & sic cor mortificatum, per humilitatem, & mansuetudinem, dicitur *vitulus immolatus*: & cor mortificatum per castitatem, dicitur *turtur oblata*: & cor mortificatum per paupertatem dicitur *ovis immolata*: & cor mortificatum per charitatem, dicitur *taurus immolatus*, & occisus, & Deo oblatus.

Nota.

Item, devotæ orationes, & obsecrationes intelliguntur, & figurantur quandoque in Lege veteri per vitulos, & oves. Unde *Oseæ* 14. *Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum, &c.* Ex quo sequitur, quod per *vitulos* intelligit orationes labiorum, & cordis, quæ sunt quædam sacrificia, ut dictum est *Psalm.* 49. *Sacrificium laudis honorificabit me, &c.* Et sic etiam David in hoc ultimo versu per *vitulos* intelligit orationes, quas tanquam sacrificia unusquisque fidelis offert in altari animæ suæ. Unde ad *Hebr.* 13. *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Ista ergo sunt *sacrificia justitiæ, & holocausta, & vituli*, qui ponuntur & offeruntur super altare pœnitentis, sive animæ justi.

Hoc est ergo quod hîc ait David in persona cujuslibet pœnitentis. Dicit enim: O Domine, si tu remiseris mihi culpam, & restitueris gratiam per pœnitentiam: tunc restaurabuntur, & *ædificabuntur muri hierusalem*, quæ est anima mea, pacifica Deo per charitatem: cujus muri sunt pax, & charitas: quia *posuit Deus fines, & feras, & portas*, pacem & charitatem: & sic efficietur anima mea verum templum tuum, & altare; & *tunc* in eo *acceptabis sacrificium justitiæ*, scilicet Sacramentum *Eucharistiæ*: & *acceptabis* in eo *oblationes & holocausta*, scilicet *cor contritum & humiliatum*, & mortificatum per humilitatem, & castitatem. Vel, *Acceptabis* in eo humilitatem, & castitatem, & cæteras virtutes, per oblationes, & holocausta veteris legis figuratas.

Item, *tunc* etiam *imponent super altare tuum vitulos*, id est, pacem, & charitatem, & mansuetudinem, per vitulos veteris Legis figuratas. Et sic Religiosi voventes & profitentes tria vota, scilicet obedientiam, paupertatem, & castitatem, *per obedientiam* offerunt agnos, & *per paupertatem* offerunt oves & boves, & arietes, &c. ex quibus congregantur divitiæ: *per castitatem* offerunt turtures, & columbas: & unusquisque pœnitens *imponit* & offert vitulos *super* hoc *altare* animæ suæ, devotas orationes offerendo.

Tota ergo sententia, & resolutio hujus Psalmi consistit in hoc: quia iste peccatorum agens pœnitentiam recurrit ad Deum, dicens: O Deus, *miserere mei*, non secundùm merita mea, sed *secundum magnam misericordiam tuam*; non secundùm parvam misericordiam, qua liberasti patres nostros temporaliter, quæ parva est in respectu, sed *secundum magnam*

mi-

misericordiam tuam, qua liberasti totum humanum genus per mortem & passionem. Et sic non peto solùm liberari à periculis temporalibus, sed à peccatis meis æternaliter. Ideo *dele iniquitatem meam*, ne amplius imputes ad pœnam æternam, &c. quoniam ego intendo agere veram pœnitentiam: & primò per *contritionem: quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*, animam meam conterendo, & mordendo cum magno dolore, & proposito numquam amplius committendi. Secundò, ago penitentiam per oris *Confessionem*: quoniam confiteor, quòd *tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Et *ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas* diabolum & meos æmulos, & hypocritas, *cum judicaris* ab eis, *non respicias peccata mea*: sed compatere & miserere fragilitati, & infirmitati meæ, quam traxi in carne à parentibus meis: quoniam *ecce in iniquitatibus conceptus sum*, &c. Et etiam, *ut justificeris in sermonibus tuis*, da mihi veniam, quam pœnitentibus promisisti, *quoniam veritatem dilexisti*, &c. Et *ut* magis *justificeris, & vincas, cum judicaris*; *Asperges me hyssopo* pœnitentiæ immerso sanguine tuæ passionis, *& mundabor*, &c. Et cum fuero mundatus, & mihi culpa fuerit remissa, *cor mundum crea in me Deus*, id est, restitue mihi omnem gratiam, quam amisi, & confirma me in ea. Et cum totum hoc egeris, scilicet quòd restitueris gratiam, & remiseris, & deleveris culpam; tunc satisfaciam pro peccatis, & agam fructus pœnitentiæ dignos acceptabiles apud te: Nam *docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Secundò, exaltabo justitiam, & misericordiam tuam: *& os meum annuntiabit laudem tuam.* Tertiò, offeram tibi *cor contritum, & humiliatum.* Quartò, cum anima mea fuerit renovata per pœnitentiam, & facta vera *Hierusalem*, & pacifica, & vera *Sion*, & templum, & *altare tuum*: *tunc* in ea *acceptabis sacrificium justitiæ &c.* & vota mea *ponent vitulos* per obedientiam, & humilitatem, & mansuetudinem mortificatos: & orationes, quæ sunt sacrificia, & *vituli* laudis, &c.

Ex quibus omnibus dictis in hoc Psalmo, & Expositione ejus morali, & spirituali, possunt recolligi tredecim conclusiones ad utilitatem omnium pœnitentium, ut sequuntur.

Prima conclusio: quòd omnis peccator dicitur recurrere ad Deum, qui solus potest dare veniam, dicens: *Miserere mei Deus &c.*

Secunda conclusio: quòd misericordia, qua Deus relevat peccatores à peccato, est magna, & major cæteris misericordiis & miserationibus temporalibus & corporalibus.

Tertia conclusio: quòd omnis peccator committit adulterium, & furtum, & homicidium, sicut David: nam cum diabolo fornicatur, relicto suo sponso Christo, & rapit quod est in lege prohibitum, & occidit animam suam morte æterna: quæ peccata per solam pœnitentiam remittuntur.

Quarta conclusio: quòd tunc Deus *delet* iniquitates nostras, quando per pœnitentiam amplius non imputat ad pœnam æternam: & tunc *lavat*, quando ab anima maculam, & peccati sordes abstergit virtute passionis Christi: & tunc *mundat*, quando per eamdem pœnitentiam malum habitum peccandi extinguit.

Quinta conclusio: quòd ad veram pœnitentiam primò est necessaria vera cordis *Contritio* per peccatorum cognitionem, & detestationem; per hoc quod ait: *quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, &c. *Secundò*, est necessaria vera oris *Confessio*: per hoc quod subdit, *Tibi soli peccavi &c.*

Sexta conclusio: quòd peccator dupliciter dicitur *soli Deo* peccare: Primò, in quantum per solam transgressionem divinæ legis infligitur ipsi culpa, per quam obligatur ad pœnam æternam. Secundò, quia solus Deus potest culpas & iniquitates delere, & ampliùs ad pœnam non imputare.

Septima conclusio: quòd tria sunt genera obtrectatorum, qui semper Deum arguunt & judicant, scilicet diabolus, & obstinati in odio, & hypocritæ, à quibus Deus continuè arguitur de nimia misericordia.

Octava conclusio: quòd tripliciter *justificatur Deus in sermonibus suis, & vincit* diabolum, & vindicativos, & hypocritas, *cum judicatur* & arguitur ab eis de misericordia. Primò, non respiciendo peccata pœnitentium, sed compatiendo fragilitati & infirmitati eorum. Secundò, implendo quod promisit: scilicet, dare veniam pœnitentibus. Tertiò, acceptando semper passionem & sanguinem Christi, in pretium & satisfactionem cujuslibet peccati, qui quidem sanguis Christi continuè aspergitur in Ecclesia per *hyssopum* Baptismi, & Pœnitentiæ, & Confirmationis, & Extremæ unctionis, & cæterorûm Sacramentorum: quia in quolibet Sacramento aspergitur sanguis Christi, & datur in pretium pro peccatis, ut putà, in Baptismo pro originali, & in Penitentiâ pro actualibus, sivè personalibus.

Tripliciter justificatur Deus in sermonib. suis.

Nona conclusio: quòd omnis obstinatus in odio vindictæ, nolens dimittere injuriam pœnitenti; & omnis hypocrita, est socius diaboli, & schismaticus, & quasi hæreticus; eò quòd invidet fraternæ charitati, & temerè judicat & arguit Deum de nimia misericordia, quia expectat peccatorem ad pœnitentiam: putat enim majora

jora esse peccata illius, quam misericordiam Dei: & sic magis, & graviùs peccant isti, quam unquàm peccaverit ille. A

Decima conclusio: quòd passus injuriam, nollens remittere peccanti amore Christi, magis existimat suam injuriam, & pluris pretii, quam sit passio Christi: & sic nunquam merebitur veniam de peccatis suis, dum manserit in tali obstinatione: quia non est ratio, ut passio Christi valeat ei, & non alteri, secundùm existimationem suam.

Undecima conclusio: quòd pœnitentia per virtutem passionis Christi, mundat, & lavat animam à sorde peccati, & delet iniquitates de libro, & prospectu Dei.

Duodecima conclusio: quòd pœnitentia non solùm remittit pœnam, & culpam, sed etiam renovat, & restituit novam B gratiam, & fructum salutis.

Pœnitentia parit octo fructus.

Tredecima conclusio: quòd pœnitentia parit octo fructus, dignos merito, & præmio. *Primò*, quia peccator post pœnitentiam audacter arguit peccata. *Secundò*, ejus doctrinâ, & exemplo alii peccatores convertuntur. *Tertiò*, quia pœnitens liberatus de sanguinibus peccatorum, sicut arguit & detestatur peccata, ita exaltat & magnificat justitiam & misericordiam Dei, qua justificat peccatores, & sic ducit eos ad pœnitentiam. *Quartò*, quia pœnitentia aperit labia pœnitentis quæ erant aperta ad malum, & clausa ad bonum: nunc aperta per pœnitentiam, annuntiant laudem Dei, & prædicant mirabilia ejus: & orationes & laudes ejus sunt pretiosæ C & spetiosæ in ore ejus, & acceptæ apud Deum. *Quintò*, quia pœnitens post pœnitentiam, offert Deo *cor contritum & humiliatum*, quod est sacrificium proprium & Deo acceptum, & non despectum. *Sextò*, quia anima pœnitentis, quæ ante erat *Babylonia*, id est, habitatio dœmoniorum, post pœnitentiam facta est *Hierusalem*, id est, habitatio Dei, & omnium virtutum. *Septimò*, eadem anima & conscientia fit etiam *Sion*, id est, verum templum Dei, in quo Deus contemplatur, & *altare Dei*, in quo offertur sacrificium justitiæ: nam sicut Sacerdos offert *Eucharistiam* in altari Ecclesiæ realiter: ita justus offert in voto idem sacrificium in altari animæ suæ. Ergo super tale altare anima pœnitens offert holocausta D virtutum: & imponit vitulos obedientiæ & charitatis &c: cùm se mortificatam à superbia, & luxuria, & avaritia, & ira, & invidia, & gula, & accidia offert Deo, ut dictum est. Et hoc est *sacrificium justitiæ, & holocausta*, & oblationes quas Deus acceptat; & *vituli*, qui in altari animæ pœnitentis ponuntur & offeruntur, cùm nos offerimus Deo, *mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu*: & ista sacrificia offerimus simul cum *Eucharistia*, sive per Christum. E

Nota de bonis factis in peccato mortali.

Sed quia dictum est, quòd Deus non acceptat sacrificia peccatoris, sed solùm *cor contritum & humiliatum &c.* ideò quæritur, Utrum bona facta in peccato, possint valere ad vitam æternam, post actam pœnitentiam? hoc est: An justificatus per pœnitentiam possit aliquo modo mereri aliquem gradum gloriæ propter bona quæ fecit, dum erat in peccato?

Et arguunt quidam, quòd non: Nam talia opera fuerunt nata mortua, non procedentia ab aliquo vivo principio, ex defectu charitatis, per quam vivit justus & opera sua: ergo sequitur, quòd talia opera nullo modo possunt reviviscere per pœnitentiam: quia sola reviviscunt, quæ nata viva fuerunt ante peccatum. Hæc ratio F confirmatur per *Apostolum* 1. *ad Cor.* 13. dicentem: *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habeam, nil mihi prodest.*

Sed in oppositum arguunt quidam alii, tenentes oppositum propter id quod ait *Augustinus*, *lib. de Pœnit.* & habetur *de Pœnit. dist.* 3. *Pium est credere, & nostra fides hoc expostulat, ut cum Deus destruxerit mala priora, etiam remuneret bona, quæ in peccante plantavit.*

Respondeo: quòd multi Doctores concordant cum ista secunda opinione, licèt distincto modo procedant. Nam quidam dicunt quòd talia bona facta in pecca- G to simùl resurgunt cum pœnitente, non quoad essentiam, sed quoad remunerationem: quia Deus remunerat talia bona pœnitenti. Alii autem dicunt, quòd justificatus per pœnitentiam potest mereri propter illa bona; & hoc per novam complacentiam. Alii dicunt, quòd potest mereri per novam oblationem talium bonorum. Et ideò pro declaratione omnium istorum, primò sunt notandæ quædam doctrinæ: secundò, confirmabitur ista secunda positio: tertiò, respondebitur ad rationes in contrarium adductas.

Quantum ergò ad primum, est primò notandum: quòd hìc non quæritur, An justificatus per pœnitentiam mereatur vitam æternam propter bona quæ fecit in H peccato? quia per solam præsentem charitatem meretur vitam æternam: sed quæritur, An per talia opera possit aliquo modo mereri augmentum alicujus gradus gloriæ in vita æterna? quia opera nostra non sunt condigna, nisi propter charitatem &c.

Secundò est notandum secundum *Philosoph.* 2. *Ethicor.* quòd quatuor sunt genera humanarum operationum: nam quædam sunt merè naturales: & secund- um istas, nec laudamur, nec vituperamur: &

Quatuor genera operum humanorum

quæ-

quædam sunt quæ procedunt ab habitu virtutis, sicut opera temperantis & fortis: & tales operationes dicuntur virtuosæ, & sunt per se laudabiles & præmiandæ; quia sunt totaliter bonæ. Quædam autem operationes sunt totaliter contrariæ virtuti, sicut furta, & homicidia, & adulteria, & ebrietas &c. quæ sunt semper mala & vituperanda. Quædam vero sunt operationes, quæ non procedunt ab habitu virtutis, nec sunt aliquo modo contra virtutem, sed tendunt ad virtutem, & fiunt propter virtutem: sicut sunt illi actus & operationes, ex quibus frequentatis generantur habitus virtutis: quæ quidem operationes, licèt non sint totaliter bonæ, nec dicantur virtuosæ; tamen nullo modo sunt dicendæ malæ; immò sunt bonæ & laudabiles ratione finis ad quem tendunt, & ratione habitus virtutis, quem generant: eò quòd exercitatio talium operationum generat habitum virtutis. Ideo licèt tales operationes non præmientur in se; tamen præmiantur in habitu virtutis, quem generant, & in operationibus sequentibus virtutem. Ita ergo pariter in vita christiana sunt considerandæ quatuor genera operationum.

In vita christiana quatuor genera operationum.

Nam quædam procedunt à charitate & fide formatâ, ut ea quæ fiunt ab aliquo viro justo secundum Legem & Præcepta divina: & talia opera dicuntur totaliter bona & meritoria vitæ æternæ. Quædam autem alia fiunt contra divinam Legem & charitatem ab aliquo peccatore, sicut furta, & homicidia, & adulteria, & falsa testimonia: quæ totaliter sunt mala, quia procedunt à malo principio & mala voluntate: & ista dicuntur simpliciter mortua, quia merentur mortem æternam. Quædam autem opera fiunt ab aliquo, quæ nec fiunt ex charitate, nec contra charitatem, nec propter Deum, nec contra divinam Legem; sed naturaliter, propter aliquod naturale interesse: ut defendere cognatum & consanguineum: quæ quidem opera non sunt meritoria secundùm *Gregorium in homilia.* Quia aliud est diligere proximum propter Deum, & aliud propter propinquitatem sanguinis & cognationis. Quædam autem sunt, quæ licet non procedant à charitate; tamen non fiunt contra charitatem, nec contra legem Dei; immò fiunt secundum Legem divinam & Præcepta, & propter Deum, & ordinantur in charitatem: sicut sunt eleemosynæ, & alia opera misericordiæ, quæ fiunt ab aliquo peccatore, non proponente manere in peccato, sed desiderante agere pœnitentiam, prout accidit in multis: quæ quidem opera, licet non dicantur simpliciter bona, tamen de se nullo modo dicuntur mala, post quam non fiunt contra charitatem, nec divina præcepta.

Tertio est notantum secundum *Augustinum contra Julianum, & alios Pelagianos:* quòd talia opera misericordiæ facta ab aliquo peccatore sub tali conditione, licèt non procedant à charitate formaliter; tamen non fiunt sine aliqua gratia. Sed quia gratia gratum faciens non potest esse in aliquo peccatore simul cum peccato; ideo fuit *Augustinus* coactus distinguere de gratia: quia præter gratiam gratum facientem, est dare gratiam prævenientem, disponentem hominem ad bonum agendum, & malum vitandum, sine qua nullus potest vitare aliquod peccatum, nec divina præcepta implere, propter naturam corruptam, & liberum arbitrium vulneratum & claudicatum, ut patet *in lib. de Perfectione justitiæ hominis*, sine quâ gratia disponente & impellente ad bonum, existens in uno peccato, nec posset aliud vitare, nec aliquod bonum agere: quæ quidem gratia, licèt non sit gratia gratificans, nec charitas: tamen disponit ad charitatem & gratiam gratificantem: sicut frequentati actus disponunt hominem ad habitum virtutis.

Nota.

Unde dicit *August. super Joann. homil.* 3. quòd *desiderare gratiam, & pravam vitam commutare, inchoatio gratiæ est.* Et sic patet, quòd talis gratia disponens, & præveniens, & retrahens hominem ab aliquo peccato, & impellens ipsum ad opera misericordiæ facienda, licèt non sit charitas; tamen inchoatio, & dispositio charitatis est: de qua quidem gratia præveniente dicit *August. lib. de Libero Arbitrio*: quòd *Deus operatur ut velimus, incipiens, quod volentibus cooperatur perficiens.* Item *lib. de Duabus animabus*, ait: quòd *voluntas, ut non admittat malum, sed adipiscatur bonum, præparatur Dei gratiâ.* Item *in Enchiridio: Hæc gratia nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit.* Hanc autem gratiam confitetur se habuisse per totum illud tempus, in quo secum consultando differebat Baptismum, ut patet *in lib. de Beata vita*: in quo tempore non cessabat orare, & alia bona agere, usquequo firmiter proposuit baptizari.

His habitis, ponitur *prima conclusio*: quòd bona opera facta per peccatorem per talem gratiam ante pœnitentiam, & sub conditionibus supradictis, non sunt simpliciter mortua. Probatur: nam licet talia non vivant vitâ gratificante, propter defectum charitatis; tamen vivunt gratiâ præveniente & disponente, ex qua activè processerunt, & fuerunt facta: quia non processerunt ex aliquo vitio, & principio mortuo: quia ille peccator non dicebatur mortuus propter illam gratiam prævenientem, sed propter peccatum: sicut domificator non dicitur albus propter artem domificandi, sed

prop-

propter albedinem. Item, talia opera licèt non procedant à charitate formaliter; tamen non fiunt contra charitatem, nec contra divina præcepta, immò secundùm divina præcepta, & propter Deum; & ordinantur in charitatem & Deum, sicut operationes, quæ sunt ad habitum virtutis generandum. Et sic patet, quòd talia opera misericordiæ nullo modo sunt mala de se, nec mortua: immò sunt bona & viva, ratione principii à quo procedunt, scilicet, à gratiâ præveniente, & ratione finis & termini, scilicet, ratione charitatis, in quam tendunt, & ratione divinæ Legis, secundùm quam fiunt.

Secunda conclusio: quòd justificatus per pœnitentiam potest mereri augmentum gloriæ per bona misericordiæ, quæ fecit dum erat in peccato: & hoc per novam approbationem, & complacentiam. Hanc conclusionem probant quidam propter id quod ait *Apostolus ad Roman.* 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum &c.* Unde dicunt, quòd quatuor modis contingit diligentibus Deum omnia cooperari in bonum vitæ æternæ. Primo modo, operando per se talia bona. Secundo modo, cooperando & impellendo alios ad operandum talia bona & opera misericordiæ. Tertio modo, approbando bona facta ab altero quocumque, licèt ille sit peccator, & complacendo & congaudendo in bonis operibus factis ab illo. Alio modo, detestando peccatum, in quocumque reperiatur, & desiderando pœnitentiam peccatoris, & complacendo in ejus conversione.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Tunc arguitur sic: Si justus non solùm meretur bonum gloriæ propter bona quæ ipse facit, & cooperatur cum altero; sed etiam approbando bona, quæ alius peccator facit, complacendo & congaudendo in talibus bonis: ergo à fortiori merebitur justificatus per pœnitentiam, approbando, & complacendo in bonis quæ ipse fecit, dum erat in peccato, agendo gratias Deo, qui dedit sibi illam gratiam disponentem, & impellentem ad illa opera misericordiæ agenda, & multa mala vitanda, quæ feciſſet, nisi per talem gratiam restitisset. Item, si detestando peccatum, in quo prius erat, meretur post actam pœnitentiam: ergo à fortiori merebitur, complacendo in bonis, quæ fecerat in illo statu; & hoc ratione novæ complacentiæ.

Tertia conclusio: quòd justificatus per pœnitentiam potest mereri augmentum gloriæ per bona opera, quæ fecit dum erat in peccato; & hoc per novam oblationem in virtute novæ gratiæ. Probatur: nam quicquid boni offert justus, acceptatur, & est acceptum apud Deum, ad merendum vitam æternam; eò quòd persona justi est Deo grata & accepta: ergo munera sua sunt Deo grata & accepta; sed justificatus per pœnitentiam est Deo gratus & acceptus propter gratiam præsentem: ergo acceptantur illa bona quæ offert, postquam de se fuerunt bona, & non contra charitatem facta, immò in charitatem fuerunt ordinata. Unde ratio quare tunc non fuerunt accepta, non fuit, nisi defectus charitatis; sed post actam pœnitentiam jam adest præsens charitas per quam offeruntur Deo: & sic ratione novæ oblationis & charitatis reputantur noviter facta apud Deum: quia apud proximum jam tunc illa opera fecerunt effectum suum: & ideo illa bona semper manserunt in prospectu divino. Unde si bene advertitur, non meretur per illum actum, quem fecit dando eleemosynam in peccato; sed per novum actum offerendi illam eleemosynam, rogando Deum, ut velit illam acceptare: & sic reputatur noviter facta apud Deum. Item, sicut operationes ex quibus generatur habitus virtutis, præmiantur postea simul cum virtute, & operationibus sequentibus virtutem: ita illa opera possunt remunerari per novam gratiam, & operationes, & per illam oblationem procedentem à nova gratia, postquam illa opera ordinabantur ad illam charitatem; sicut gratia disponens, ex qua illa bona procedunt, ordinabatur & disponebat ad illam novam charitatem. Item, quicquid petit justus ad gloriam, conceditur ipsi à Deo secundùm *Augustinum super Joann.* propter illud, *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis.* Unde petere in nomine Jesu, est petere salutem per gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, secundùm *Augustinum*; sed iste talis non petit bona temporalia, sed spiritualia propter illa bona opera: ergo sibi Deus non negabit.

Item hæc conclusio probatur per exemplum. Nam quando accidit, quod exul à terra, & gratiâ alicujus principis in terra aliena, non cessat defendere nomen regis, sive principis, nec cessat facere servitia servitoribus illius principis: si ergo princeps reconciliat illum exulem in sui gratiam, manifestum est, quòd non solùm acceptat personam illius exulis, sed etiam servitia, quæ fecit in illo exilio, & remunerat ei illa servitia; & hoc reputatur ad clementiam & virtutem ipsi principi, prout frequenter accidit: Ergo à fortiori talis clementia & perfectio non est neganda in Deo respectu justificati per pœnitentiam, qui ante pœnitentiam nunquam cessabat orare, & alia bona opera exercere.

Sed ista positio magis confirmatur ex consilio Salvatoris per *parabolam de villico*, *Lucæ* 16. dicentis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hoc idem confirmat *Beatus Hieronymus*, & habetur *de Pœnitent. dist.* 3. *Si quando videris inter multa opera peccatorum facere*

quemquam quæ justa sunt, non est tam injustus Deus, ut propter multa mala obliviscatur paucorum bonorum. Item *Augustinus* ibidem : *Pium est credere.* A

Ex supradictis patet responsio ad rationes in contrarium. Ad primum ergo negatur, quòd talia bona facta à peccatore sint plenè mortua : immò sunt aliquantulum viva, & à principio vivo ; quia à gratiâ præveniente, & impellente ad bene agendum sunt facta. Et arguitur contra : quia talia bona facta sunt ab homine mortuo in peccato : ergo sunt mortua &c. negatur consequentia : sicut non valet, Domus facta est ab homine albo, ergo est alba : eò quòd accidit domificatori, quòd sit albus. Ita accidit homini, quòd sit peccator in quantum agit talia bona : sed non accidit sibi ; immò est necesse quòd operetur per B gratiam saltem prævenientem, & disponentem, sicut dictum est : & sic peccat argumentum per fallaciam accidentis. Item, licèt talis homo non dicatur vivere vitâ gratificâ ; tamen vivit per talem gratiam disponentem, quantum ad illa bona opera agenda.

Ad authoritatem *Apostoli* respondetur, quòd *Apostolus* non intendit dicere, nisi quod dum est extra charitatem, sua opera non sunt Deo accepta, nec valent, nec prosunt ad vitam æternam pro illo statu : immò si in tali statu moreretur, non evaderet pœnam inferni æternam : sed bene valeret sibi martyrium ad remissiorem & tolerabiliorem pœnam inferni, ut inquit *Aug.* & habetur *de Pœnitent. dist.* 3. *Si quis non habens charitatem.* Sed non negat *Apostol.* C quòd talia bona valent justificato per pœnitentiam post conversionem, eò modo quo dictum est, in virtute novæ charitatis. Ex quibus patet, quòd existens in aliquo peccato, non debet cessare orare, nec bona opera agere, cum proposito & conatu agendi pœnitentiam.

Psalmus LI.

11. q. 3. *Injustum.* 83. d. ca. *Nibil.*

1. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?*

Titulus : *Victori*, sive *In finem Intellectus David, quando venit Doëg Idumæus, & nuntiavit Sauli, & dixit ei : Venit David in domum Achimelech.* Ad D cujus intelligentiam est notandum, ut legitur 1. *Reg.* 22. quòd cum David fugeret vagus à facie *Saul*, divertit ad civitatem *Nobe*, ubi *Achimelech* recepit eum benignè, & tradidit panes propositionis, & gladium *Goliath* &c. Quod videns *Doëg* armiger & consiliarius *Saul*, nuntiavit ei, accusando *Achimelech* Sacerdotem de bono opere pietatis. Unde *Saul* motus invidiâ & iniquitate, fecit interfici *Achimelech* E cum omnibus Sacerdotibus, & habitatoribus civitatis, parvis & magnis, & totam civitatem combussit igni. Sed postea *Doëg* author hujus facinoris, simul cum *Saul* solvit pœnas in montibus *Gelboë*, ubi ambo fuerunt interfecti cum filiis suis ; & sic fuerunt eradicati de terra. Unde de hac materia fecit David Psalmum istum, ut videtur *Titulus* sonare &c.

Not. hanc figuram.

Sed ista non est causa præcisa, nec materia principalis hujus Psalmi, quia tunc David non propriè esset Propheta, nec hic Psalmus pertineret ad Sacram Scripturam, nisi contineret aliquod sacramentum de Christo, aut Ecclesia. Et ideo *Cambi Barchinonensis*, magis modernus inter Expo- F sitores Hebræorum, in fine Expositionis hujus Psalmi, & in principio sequentis, dicit : „ Quod David per suas persecutiones „ prævidit in spiritu omnes persecutiones „ *Messiæ* regis futuri : quia multæ gentes „ debebant insurgere ad interficiendum ip- „ sum : sed finaliter ipse liberabitur ab eis, „ & dominabitur omnibus : & post multas „ persecutiones exaltabitur regnum *Mes-* „ *siæ*, sicut fuit exaltatum regnum David. „ Et dicit, quòd David de hoc fecit mul- „ tos Psalmos, de quorum numero est iste, „ & quinquagesimus tertius. Ideo ponitur quinquagesimus secundus intermedius, eò quòd est similis in materia. Ex quibus patet, quòd iste cœcus obstinatus, ipsâ veritate coactus, etiam in parte dicit verum : quia David per suas persecutiones prævi- G dit in spiritu persecutiones regis *Messiæ*, qui est Christus, & prævidit exaltationem regni ejus, de quibus fecit pro majori parte omnes Psalmos. Sed mentitur, in quantum expectat alium Messiam futurum : quia omnia illa impleta fuerunt in Christo vero *Messia.*

Et quia *veritas à quocumque dicatur, semper est à Spiritu sancto*, ut ait *Ambrosius*, & error & mendacium, à diabolo, qui est pater mendacii : ideo veritas est semper amplectenda, & mendacium exterminandum cum suo authore. Quapropter est dicendum, quòd David in illa accusatione facta per *Doëg* contra David ante *Saul*, prævidit accusationem futuram, sive H quæ facta fuit postea per Synagogam ante *Pilatum* contra Christum, & Apostolos suos : & prævidit accusationem factam contra Ecclesiam ante Reges, & Præsides, & Tyrannos : & prævidit finalem destructionem Synagogæ, & etiam Gentilitatis. Unde *Doëg* interpretatur *motus*, sive *mortuus*, aut *sollicitus*, per quem intelligitur Synagoga : quæ fuit injustè mota contra Christum, & sollicita in accusando ipsum. *Saul* autem interpretatur *abutens* : per quem intelligitur *Pilatus*, qui abusus est judiciariâ potestate judicando Christum ad mortem

tem præ timore *Cæsaris*, cùm in Christo nullam causam reperiret. Et ideo tàm Synagoga accusatrix, quàm Pilatus Judex injustus perierunt, & eradicati sunt de terra, sicut *Doëg*, & *Saul*.

Est ergo sensus hujus Tituli: quòd David fecit hunc Psalmum, contemplans accusationem, quam contra eum fecit *Doëg Idumæus* ante *Saul*, cùm dixit: *Venit David in domum Achimelech*. In quo mysterio prævidit in spiritu, qualiter Synagoga iniquè erat Christum accusatura coram *Pilato* &c. David ergo introducit Ecclesiam loquentem in hoc Psalmo, vel ipse loquitur in persona totius Ecclesiæ, in quo tria facit.

Nam primò, exprobrat malitiam Synagogæ accusantis Christum. Secundò, prædicit ejus abdicationem & destructionem. Tertiò, Ecclesiæ electionem & substitutionem. Secunda ibi: *Propterea Deus destruet te.* Tertia ibi: *Ego autem sicut oliva.*

Quantum ad primum dicit: O Synagoga, *quid gloriaris in malitia*? sicut fecit *Doëg*: & tu cœtus Sacerdotum, *qui potens es in iniquitate* & astutia, *quid gloriaris in malitia*? eò quòd accusasti & occidisti Christum? Quasi dicat, in vanum gloriaris: quia resurget, & manebis in confusione tua.

6. q. 1. *Sunt plurimi.*

2. *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum.*

TOTA *die lingua tua cogitavit*, id est, locuta est malitiam contra Christum, accusando, & susurrando: & *sicut novacula* radit & scindit pilos; ita *lingua tua* scindebat vitam Christi, cupiens ipsum radere, & delere de terra. Et *fecisti dolum* imponendo Christo falsum testimonium, & parando scandala, *ut dolo teneres & occideres eum*: & sic

11. q. 3. ca. *Injustum.*

3. *Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem.*

DIlexisti *malitiam super benignitatem* ejus: quia fuisti illi ingratus, reddens malum pro bono: nam ipse Christus fuit tibi benignus, sanando filios tuos infirmos, & suscitando mortuos, & quærens tuam salutem, dando tibi bonam doctrinam: tu autem fuisti ipsi malignus, & crudelis, procurando ei mortem. Et sic voluisti & *dilexisti magis loqui iniquitatem* contra conscientiam, *quàm æquitatem* & justitiam: debebas enim ipsum laudare, & narrare opera ejus bona, & agere gratias pro beneficiis receptis, & reddere bonum testimonium, & procurare illi honorem & vitam.

11. q. 3. *Illud.* 12. q. 3. *Qui negligunt.*

4. *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.*

TU *dilexisti* magis loqui *verba præcipitationis* & mortis contra eum *lingua dolosâ*, & fraudulentâ, & iniquâ, dicendo ipsum voracem, blasphemum, inimicum Cæsaris, & reum mortis.

13. q. 5. *Reos*, & q. 8. cap. *Præterea.*

5. *Propterea Deus destruet te in finem: evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo; & radicem tuam de terra viventium.*

HIC prædicit abdicationem & reprobationem & destructionem Synagogæ, dicens: *Propterea*, quia Christo regi *Messiæ* tuo fuisti ingrata, & ipsum non recepisti: sed iniquo modo ipsum accusasti, & ad mortem destinasti: ideo ista est justa punitio tua: nam *Deus destruet te* cum filiis tuis obstinatis: quia templum & civitatem comburet igni, & *evellet te*, & eradicabit te de terra promissionis, in dispersionem per mundum: & amplius non fiet in templo hostia, nec sacrificium: & sic auferet tibi regnum & sacerdotium, *& emigrabit te de tabernaculo tuo*, id est, sacerdotium transferet de Synagoga in Ecclesiam. Et sic deficiet in te hostia & sacrificium, & orationes tuæ erunt abominabiles apud Deum: & per consequens *Deus evellet radicem* & posteritatem tuam *de terra viventium*, & regno cœlorum. Et sic evulsi sunt de terra promissionis: quia non potuerunt ingredi in requiem domini: quia extra Ecclesiam non est salus. Et ista est punitio spiritualis.

88. d. *Vident.*

6. *Videbunt justi, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent:*

7. *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.*

HIC prædicitur eorum irrisio & reprobatio per totum mundum: nam *justi* Christiani *videbunt* istos Judæos captivos, & dispersos per totum mundum, odiosos omnibus generationibus in pœnam peccati, & dicet unus alteri: *Ecce homo*, id est, iste est ille maledictus populus, *qui non posuit*,

suit, nec recepit Christum *Deum*, Christum Messiam tanquam *adjutorem suum*: nec recepit ipsum, immò negavit ipsum coram A Pilato, dicens: *Non habemus regem nisi Cæsarem.* Et dum esset in cruce, dixere: *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Qui quidem populus ideo noluit Christum recipere in *adjutorem* & Messiam *suum*, eò quòd docebat contemni terrena, & appetere cœlestia.

De Confe. d. 6. Jejunium.

8. *Sed speravit in multitudine divitiarum suarum: & prævaluit in vanitate sua.*

ISTE contemnens cœlestia, *speravit* potius *in multitudine divitiarum suarum* terrenarum, id est, decimarum, & primi- B tiarum, & oblationum: immò in templo parabat mensas nummulariorum, & vendebat oves, & boves ex avaritia: & sic *prævaluit*, & permansit *in vanitate sua*, & obstinatione, & motus est ad occidendum Christum, eò quòd ipsum reprehendebat: propter quod peccatum iste populus reprobatus vagatur dispersus per mundum. Hoc ergo dicent *justi* timentes divinum & justum judicium: & sic irridebunt Judæos per mundum dispersos.

92. d. ca. 2. In glo.

9. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, & in sæculum sæculi.* C

HIC prædicit electionem & substitutionem Ecclesiæ loco Synagogæ. Ad cujus intelligentiam est notandum secundùm doctrinam *Apostoli ad Rom.* 11. quòd licèt *Oleaster* sit arbor infructuosa; tamen si in ipsam inseratur bona oliva, sive bonus ramus olivæ, tunc *oleaster* fit oliva fructifera. Ita pariter factum est de Synagoga in Gentilitate: nam populus Gentilis erat sicut *oleaster* infructuosus, & de quo non expectabatur fructus: sed Synagoga, sive Lex Moysi, erat *sicut oliva*, de qua expectabatur fructus, scilicet, *Messiæ*: de qua D vinea expectabat Deus, *ut faceret uvas* fidei, recipiendo Messiam: sed ipsa *fecit labruscas* acerbas, quia Christum crucifixit, *Isai.* 5. & sic illa oliva non fecit oleas fidei in adventu Christi, sed baccas amaras. Ideo Christus in adventu suo, quia non reperit in ea fructum debitum, posuit securim ad arborem Legis, & succidit bonos ramos ab ea, & inseruit eam *oleastro* populi Gentilis. Et sic Synagoga mansit truncus sine ramis: quia licèt retineat nomen Judæorum; tamen non sunt, nec tenent hos-

Quid sit oleaster.

tiam, nec sacrificium, nec legem, id est, intelligentiam & fructum Legis. Sed ra- E mus translatus est ad populum Gentilem per insertionem: & sic populus Gentilis manet vera *oliva fructifera*, faciens veros fructus, & oleas fidei, & spei, & charitatis, manente Synagoga truncata, & reprobata, & siccata sine fructu Legis.

Hoc ergo hîc improperat Ecclesia Synagogæ, dicens: quia Dominus *destruxit te, & evulsit te, & radicem tuam, & emigravit*, & transtulit tabernaculum & sacerdotium tuum, & Legem in me: quia translato sacerdotio, necesse est ut Legis translatio fiat: quia rami tui inserti sunt in me. Ideo ego, qui antea eram *oleaster*: nunc per receptionem Christi, & conversionem, fructificavi sicut vera *oliva* in oleas- F tro inserta. Et ratio est, dicit populus Gentilis; nam ego sum *oliva* inserta, & plantata *in domo Dei* mei, scilicet, in Ecclesia: nam ego, quæ eram in montibus *oleaster*, transplantatus sum *in domo Dei* mei, scilicet, in Ecclesia; eò quòd *speravi in misericordia Dei*, & non in multitudine divitiarum terrenarum, sicut populus Judaicus; & sic non speravi temporaliter, sed *in sæculum sæculi.* Ideo amplexus sum misericordiam, quæ est fructus *olivæ* Legis Divinæ, quam populus Judaicus contempsit & repulit: & sic fructificavi, ut vera *oliva*: & sic colligam fructum misericordiæ Christi *in sæculum sæculi*; & non terrenum, sed cœlestem. Et ideo

G 10. *Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum.*

De Confe. d. 2. cap. Accesserùt

O CHRISTE, quia tu mihi hanc gratiam fecisti inserendo in me ramum veræ olivæ, & eligendo, & substituendo me in locum Synagogæ, ungendo oleo misericordiæ, & sacro chrismate: ideo *confitebor tibi* confessione laudis, & fidei: quia profitebor tibi, & prædicabo te verum *Messiam*, Deum, & hominem, & Re- H demptorem, & *expectabo nomen tuum*, quod est *Jesus*, id est, Salvator, sine quo nullus potest salvus fieri: quia *non est sub cœlo aliud nomen, in quo nos oporteat salvos fieri*, nisi in nomine *Jesu.* Ideo licèt hoc nomen non sit *bonum* in conspectu Judæorum; tamen *est bonum* & salutiferum *in conspectu Sanctorum tuorum* fidelium. Ista etiam possunt esse verba David prævidentis reprobationem Synagogæ. Et ideo dicit: Domine, ego nolo esse de illorum concilio, qui Christum crucifigent, nec de Synagoga reprobata: sed de Ecclesia, & *oliva fructifera &c.* sed idem est, quia David

vid Propheta loquitur in persona Ecclesiæ pro Synagogâ sobstitutæ.

Est autem advertendum, quòd commoda est similitudo, quam David hîc implicitè facit, & *Apostolus ad Rom.* 11. de *oliva* & *oleastro* : nam oleaster & oliva ejusdem naturæ sunt, nisi quod *oleaster* nascitur in montibus inter rupes & vepres: ideo induratus, & incultus, non facit fructum. Sed *oliva* plantata in agro domestico, bene culta, facit fructum, sive ex ea expectatur fructus, sed si ramus olivæ bonæ inseratur in oleastro; & exinde colatur & mundetur, semper faciet bonum fructum. Ita pariter tàm populus Gentilis, quàm Israeliticus ex una natura & radice prodeunt: quia omnes ex *Adam*. Sed *Cain* factus est *oleaster*, recedens ab agro Dei, & manens venator in montibus sine Lege Dei cum toto populo Gentili. *Abel* autem, *Seth*, *Noe*, *Abraham*, *Moyses*, & totus populus Dei per successionem, & observationem Legis divinæ factus est *oliva*, de qua expectabatur fructus Messiæ: sed quando venit Christus in Synagoga, non reddidit fructum expectatum fidei; ideo facta est pejor, quam *oleaster* : immò truncatus & scissus est ab ea ramus Legis, & fructus, & insertus in oleastro populi Gentilis, qui factus est vera *oliva fructifera*. Et hoc est quod ait David.

Psalmus LII.

2.q.7.ca. *Non potest supr.* 13.

1. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.*

Titulus: *Ad victoriam*, sive *In finem*: *Pro Maëleth intelligentiæ David.* Ex Titulo apparet, quòd David fuit eruditus à Spiritu sancto de aliquo mysterio Christi & Ecclesiæ, qui est finis Legis. Per ly *Maëleth* aliqui Hebræorum intelligunt instrumentum musicum, cum quo cantabatur iste Psalmus ad victoriam vocum. Aliqui intelligunt chorum Levitarum, à quo cantabatur. Et sic *Hieronymus* transtulit, *Victori per chorum, Eruditio David.* Sed quomodocumque sit, sive iste Psalmus cantaretur per chorum Levitarum cum toto conatu vocum ad victoriam, sive cum illo instrumento musico rotundo, quod dicitur *chorus*, semper significabat mysterium futurum de Christo, qui est finis Legis, ut sæpius dictum est.

Sed est advertendum quantum ad materiam hujus Psalmi, quòd iste Psalmus est valde conformis, immò idem cum *Psalmo* 13. in verbis, & in sententia: nisi quòd iste est syncopatus ab illo, in quantum auferuntur tres versus de medio, ut patet intuenti: & etiam mutantur pauca verba ab illo versu: *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent.* Et ideo dicit *Rabbi Salomon*, quòd sicut David fecit *Psalmum* 13. contra populum Babylonicum, qui cum teneret populum Judaicum in captivitate, *dixit in corde suo*: Deus Israel *non est Deus*; ita fecit hunc *Psalmum* 52. contra *Titum*, qui cùm destruxit Hierusalem, & Templum, pariter negavit Deum Israel. Unde tradunt Hebræi: quòd cum *Titus* introivit Templum, amovit velum à *Sancta Sanctorum*, dicens: *Ubi est Deus Israel?* Veniat ad liberandum Hierusalem de manu mea. Quasi diceret: Nullus est Deus Israel. Et sic *Rabbi Salomon* exponit hunc Psalmum contra *Titum*, qui destruxit Templum.

Aliqui autem Catholici exponunt eum contra *Antiochum*, qui pariter negavit Deum Israel, & *posuit abominationem* in Templo: sed pariter fuit confusus, & mala morte finivit.

Sed prima Expositio *Rabbi Salomon* est falsa manifestè. Secunda est deficiens: quia tacet, & tollit sacramentum implicatum in Titulo, & Psalmo. Nam secundùm omnes Sacros Doctores, ubicumque in Titulo ponitur: *In finem*, sive *Ad victoriam*, est signum, quod ille Psalmus dirigit nos in Christum & Ecclesiam, qui est finis Legis. Et ubicumque ponitur *Eruditio*, sive *Intellectus*, est signum, quòd David fuit eruditus à Spiritu sancto de mysterio aliquo de Christo, & Ecclesia: & sic Spiritus sanctus nos erudit per os David. Hoc idem dicit *Cambi*, quòd ubicumque in Titulo Psalmorum ponitur *Eruditio*; ibi in illo Psalmo continetur aliquod profundum mysterium & secretum de Rege Messia futuro: immò dicit, quòd iste Psalmus est de Rege Messia. Et ideo ponitur inter duos Psalmos, qui sunt de Rege Messia; eò quòd David per suas persecutiones prævidit persecutiones, quas passurus erat Rex Messias pro Israel, sed in fine erat victurus, & dominaturus omnibus Gentibus, ut dictum est.

Sed quod magis est advertendum, est, quòd totum vetus Testamentum in tantum dicitur *Sacra Scriptura*, in quantum continet sacramentum de Christo, & Ecclesia, ut ait *Augustinus*. Et sic Ecclesia non cantat istum Psalmum contra *Antiochum* tantùm; sed contra omnes Judæos persecutores Christi in Capite, & Ecclesiæ in membris: & de hoc fuit eruditus David, & nos erudit in hoc Psalmo secundùm Titulum, & litteram hujus Psalmi. Et sic jam fuit expositus in *Psalmo* 13. de corruptione totius humanæ naturæ. Secundò, de spirituali corruptione Judæorum, qui Christum negarunt.

Sed ulterius ad majorem evidentiam est notandum propter aliqua verba, quæ hîc mutantur, & propter titulum, quòd qua-

Hi negarùt Christũ esse Deum.

quatuor generationes hominum negarunt Christum esse Deum. Primò, Judæi propter avaritiam & invidiam, timentes perdere locum & sacerdotium & oblationes &c. Secundò, Imperatores & tyranni Gentiles, propter zelum idolorum, & nolentes dimittere carnales voluptates, contra quas Apostoli prædicabant. Tertiò, Ariani, & quidam alii hæretici negarunt, Christum esse Deum, & consubstantialem Patri: & hoc propter ambitionem honorum; ut viderentur singulares in Ecclesia, & eorum doctrina videretur facilior ad credendum, quia faciliùs credebatur apud Reges, & Imperatores, quòd Christus esset perfectissima creatura, quàm quòd esset Deus Patri consubstantialis: quia tollebatur difficultas *Trinitatis*, quod *est* majus mysterium & difficilius inter omnes Articulos Fidei. Et sic faciliùs traxerunt ad se *Constantium* Imperatorem, & omnes Gothos & Vvandalos, qui tot persecutionibus vexarunt Ecclesiam.

Quartò, negabit Antichristus, Christum esse Deum, ex nequitia sua, & aviditate propriæ excellentiæ, & honoris, & dominii universalis: qui similiter peribit miserabiliter, sicut cæteri inimici Christi: & finaliter semper Christus liberabit Ecclesiam post multas persecutiones de manibus ejus, sicut liberavit de aliis. Hoc ergo prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum: in quo tria facit. Nam primò, prædicit corruptionem, quam istæ quatuor generationes incurrerunt in vita & moribus: eò quòd Christum negarunt. Secundò, comminatur punitionem eorum. Tertiò, prædicit liberationem finalem Ecclesiæ: secunda, ibi: *Nonnè scient*? tertia, ibi, *Quis dabit*?

Quantum ad primum est advertendum, sicut dictum est *psalm.* 13. & patet 1. *Posteriorum*: quòd quælibet scientia habet sua propria principia, in quibus continetur virtualitèr tota scientia: quibus principiis ignoratis, aut negatis, negatur, & corrumpitur tota illa scientia in illo negante: & quibus notis & concessis, de facili adquiritur, & formatur scientia in illo. Cum ergo hoc sit primum principium totius Sacræ scripturæ, non solùm novi, sed etiam veteris Testamenti, quòd Christus in Lege promissus erat futurus Deus & homo, & finis totius Legis; in cujus lumimine Euangelico omnes debebamus videre lumen Legis veteris; in cujus lumine omnes Reges & gentes debebant ambulare, in quo omnes erant salvandi: Quando ergo Judæi negarunt Christum esse Deum in adventu suo, & negarunt ipsum esse Messiam in Lege promissum; tunc negarunt primum principium totius Sacræ scripturæ; & sic fuerunt corrupti in anima, & corpore. Primò in anima: quia corrupta est in eis scientia, & intelligentia totius Sacræ Scripturæ: quia negarunt illam lucem, quæ eos habebat docere & illuminare. Et sic non solùm manent cœci, sed etiam corrupti in mente cum contraria dispositione: quia totaliter conantur fugere lucem, & sensum spiritualem & verum. Secundò, manent corrupti in moribus & vitâ; quia postquam ipsum negarunt, pariter negarunt ejus doctrinam, nolentes eam sequi ex malitia. Nam quia Christus prædicavit humilitatem, ipsi, ne videantur ejus discipuli, ex malitia sequuntur superbiam: quia prædicavit paupertatem, ipsi sequuntur avaririam: & sic sequuntur luxuriam, odium, & gulam contra doctrinam Christi, & ex certa scientia & malitia. Et sic non solùm sunt corrupti in scientia Legis, sed etiam in moribus & vita, & in omni genere vitiorum, maximè in mendacio. Et ratio est: nam postquam negarunt primam veritatem, ex pœna peccati natura eorum manet corrupta contra omnem veritatem & prona ad omne mendacium: immò cum maxima difficultate possunt proferre aliquam veritatem, etiam in rebus moralibus.

Ad idem Tyranni Gentiles negantes Christum esse Deum, fuerunt corrupti omni genere vitiorum. Similiter etiam *Ariani* negantes Christum esse Deum, de necessitate negarunt Articulum *Trinitatis*: & sic tota scientia veritatis Theologicæ fuit in eis corrupta. Et sic hodie *Saraceni* negantes Christum esse Deum, negant Articulum *Trinitatis* & *Sacramenti Altaris*. Et sic sunt corrupti in anima, & scientia, & moribus. Hanc eamdem corruptionem habebit Anti-Christus. Et sic David in hoc Psalmo primo invehitur contra Judæos, qui primò Christum negarunt: & sic consequenter contra alios.

Dicit ergo David: *Insipiens* populus Judæorum *dixit* & affirmavit, quòd Christus *non est Deus*: immò negavit Christum esse Deum & Messiam in Lege promissum. Et sic noluit recipere Legem, nec doctrinam ejus. Ideò hoc malum hæreditarium sequitur eum in pœnam peccati pro se, & suis.

2. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.*

27. q. 1. omnes §. ex hic.

OMNES Judæi *facti sunt corrupti & abominabiles* in vita & moribus, & *iniquitatibus* & sceleribus, in tantum quòd *non est* inter eos, *qui faciat bonum.*

Deus

13. q. 1. omnis ætas.

3. *Deus de cœlo prospexit super filios hominum ; ut videat si est intelligens , aut requirens Deum.*

A

DOMINUS *Jesus* respexit post mysterium redemptionis *super filios hominum* , scilicet super carnales , qui Christum negarunt , & sequi noluerunt : quia christiani jam non dicuntur *filii hominum*, sed *filii Dei adoptivi* in Christo regenerati: quia Christus *dedit eis potestatem filios Dei fieri : qui non ex sanguinibus , nec ex voluntate viri , nec ex voluntate carnis , sed ex Deo nati sunt.* Ideò jam non ampliùs sunt filii carnis , sed filii spiritus: cæteri autem , qui non sunt regenerati, di- B cuntur *filii hominum.*

Super omnes ergo *filios hominum* obstinatos *prospexit Deus de cœlo , ut videat* , & videret , *si est* aliquis inter eos *intelligens Deum* , per veram intelligentiam Sacræ scripturæ , *aut requirens Deum*, & verum finem , per mores bonos & vitam : sed nullus eorum inventus est verax in doctrina. Nam

Rom. 3. b. 2. q. 3. c. proclivis

4. *Omnes declinaverunt , simul innutiles facti sunt : non est qui faciat bonum , non est usque ad unum.*

C

OMNES *declinaverunt* à vera intelligentia Sacræ scripturæ , & *inutiles facti sunt* in ea : quia non habent sensum verum spiritualem & propheticum: sed tantùm literalem , inutilem , & infructuosum : quia non capiunt , nec intelligunt fructum in littera latentem , & sic nullam utilitatem trahunt ex Sacra scriptura , nam utilitas & fructus expectatus Sacræ scripturæ fuit Christus, & Ecclesiastica sacramenta. Sed hoc accidit , quia excœcavit eos malitia eorum , ne intelligerent sacramenta Dei latentia in scriptura veteris Testamenti. Et non solum sunt corrupti in mente : sed etiam in moribus & vita : quia *non est qui faciat bonum* opus Deo acceptum. Et sic *facti sunt inutiles* in scientia , & moribus.

Et etiam eodem modo sunt corrupti D in mente , & moribus , Tyranni Gentiles , & Hæretici , & Anti-Christus cum suis : nam negato isto principio , quòd Christus est Deus , de necessitate & ex consequenti habent negare ejus Omnipotentiam , & ejus Legem esse veram : & etiam negant totam legem esse veram: quia nihil aliud clamat , nisi Christum Messiam esse Deum. Declinando ergo ab

E hac veritate , declinant à tota veritate legis. Unde infra *Psalm.* 57. *Erraverunt ab utero* scilicet Legis , negando Messiam: & ideo *locuti sunt falsa* : quia exinde negant omnem veritatem , quæ sequitur ex illa prima veritate. Ita per oppositum , concesso quòd Christus est Deus , de necessitate habent concedere , quòd est Omnipotens ; & per consequens quod potest transubstantiare panem in carnem suam, &c. Item de necessitate habent concedere , quòd non potest mentiri , & quòd omnia quæ dixit , sunt vera : & sic habent concedere , totam Legem Euangelicam esse veram.

5. *Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem , qui devorant plebem meam ut cibum panis?* Rom. 3. b.

F

HÎc Christus comminatur punitionem & ultionem his qui negarunt eum, & *corrupti facti sunt.*

Unde est advertendum , quod causa quare Judæi negarunt Christum , fuit duplex. Primò , quia Christus prædicabat contra eorum avaritiam & superbiam. Secundò , quia timebant , ne perderent locum & sacerdotium, ut patet *Joann.* 11. qui timor erat inanis : quia ille qui veniebat ad dandum regna cœlestia , non auferebat temporalia. Et hinc tantum conceperunt odium contra Christum, quòd persecuti sunt Ecclesiam , quæ erat *Hierosolymis* , post mortem *Stephani :* ut patet G per totum discursum *Actuum Apostolorum*, & occiderunt *Jacobum* , & incarcerarunt *Petrum &c.* Propter easdem causas Anti-Christus persequetur Ecclesiam , & persequuntur hodie Saraceni , currupti voluptatibus , & moribus : quibus omnibus comminatur Christus , dicens : *Nonne omnes* Judæi corrupti *qui operantur iniquitatem* , nolentes sequi doctrinam Euangelicam , & *qui devorant plebem meam* Christianam , & persequuntur Apostolos, & *devorant* bona Christianorum , *sicut* quis *devorat escam* & *cibum panis* : & sic tam Judæi , quàm Tyranni Gentiles, & Anti-Christus cum suis sequacibus devorarunt plebem meam.



Deum

47. d. sicut. & 11. q. 3. cap. quisquis.


6. *Deum non invocaverunt : illic trepidaverunt timore , ubi non erat timor.*

OMNES isti *Deum non invocarunt*: quia Christum Messiam non receperunt. Et causa suæ corruptionis , & quare non receperunt Christum , fuit , quia *illic trepidaverunt timore , ubi non erat timor*: nam *Judæi* timuerunt , si reciperent Christum , *ne venirent Romani , & tollerent locum & gentem* , & ne perderent decimas, primitias , & oblationes , & sacerdotium : *Tyranni* , ne perderent voluptates , & regna: *Anti-Christus* verò propter ambitionem honoris & potentiæ. Sed timor istorum fuit vanus: nam Judæi poterant recipere Christum absque hoc quòd perderent locum: quia Christus non quærebat regnum temporale , sed dare eis regnum cœlorum : ideo *trepidaverunt timore , ubi non erat* locus , nec causa mortis. Omnes ergo isti corrupti *nonne scient*, & cognoscent?

3. q. 2. accusatores. Et 11. q. 3. quatuor.

7. *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt , quoniam Deus sprevit eos.*

DOMINUS noster Jesu-Christus *dissipavit ossa eorum qui hominibus placent* : nam multi principes cognoverunt Christum : sed propter Pharisæos non ausi sunt ipsum confiteri , ne ejicerent eos de Synagoga. Et magis dilexerunt gloriam hominum , quam gloriam Dei , *Joann.* 11. Et magis voluerunt placere hominibus, quàm Deo , & voluntatem principum Sacerdotum , & Pharisæorum maluerunt sequi , quàm voluntatem Dei : & sic est dicendum de sequacibus Anti-Christi. *Non ne* ergo *scient omnes* & cognoscent , *quoniam Deus dissipavit ossa eorum*? id est, virtutem , robur, & sacerdotium , & dominium temporale , in quibus sustentabantur & confidebant ? Ista dicuntur *ossa*: quia sicut ossa sustentant corpus , ita ista bona sustentant hominem in superbia : & quia magis placuerunt hominibus , quàm Deo , ideo perditis istis , *confusi sunt :* quia quod timebant , evenit eis. Nam sicut spreverunt Deum : ita *Deus sprevit eos* temporaliter , & æternaliter punivit, & eos per mundum dispersit.



8. *Quis dabit ex Sion salutare Israel ? cum converterit dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob , & lætabitur Israel.*

Supr. 13. 92. d. c. 1. in gl.

HIC prædicit liberationem Ecclesiæ per Christum ab omnibus presuris. Nam primò liberavit totum genus humanum à morte æterna , per mortem & passionem suam. Secundò , liberavit Ecclesiam de persecutione Judæorum, eos puniendo. Tertiò , liberavit eam de persecutione Tyrannorum , per conversionem *Constantini* , puniendo *Domitianum* , *Diocletianum* , & cæteros persecutores. Quartò , liberavit eam de perfidia Hæreticorum per sacros Doctores. In fine autem mundi , liberabit eam de manu *Anti-Christi* , & puniet infideles & impœnitentes per universale Judicium , & dabit salutem & gloriam fidelibus.

Dicit ergo Propheta : O Judæi , & cæteri infideles , quare negastis Jesum-Christum esse Deum & Messiam ? nam *quis* alius *dabit ex Sion salutare* ipsi *Israel* ? scilicet quis poterit salvare Israel, in Sion patiendo , & dando Legem , nisi solus Jesus-Christus? quasi dicat: nullus alius, nisi ipse solus : quia de eo locuti sunt omnes Prophetæ ; si bene vultis inspicere. Et ideo *cum dominus* Jesus averterit *captivitatem* Jacob , & liberaverit filios ejus spirituales de captivitate spirituali , tunc *exultabit Jacob* , id est , populus Christianus, qui dicitur *verus Jacob* , in quantum supplantavit Synagogam , & surripuit primogenituram , relinquendo temporalia pro spiritualibus , & accepit benedictionem pro cibis carnalibus : *& lætabitur Israel* , id est , populus Christianus, qui dicitur verus *Israel* , quia videt Deum per fidem , & est benedictus , & directus à Deo , Synagoga manente cœca , & sine hæreditate , & confusa : & sic ipsa perdidit rem , & nomen *Jacob* & *Israel*. Et sic nomen , & Sacerdotium , & Lex translata est ad populum Christianum , sive ad Ecclesiam Christi.

* * *



PSAL-

Psalmus LIII.

A

De Conf. d. 4. Postquam ascendit.

1. *Deus in nomine tuo salvum me fac: & in virtute tua judica me.*

Titulus: *Victori*, sive *In finem intellectus David cum venissent Ziphæi, & dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos?* Ex titulo apparet actor, & materia, & modus cantandi, & finis hujus Psalmi. Nam primò videtur, qualiter David fecit hunc Psalmum tanquam actor instrumentalis, & minus principalis. Secundò patet, quòd Spiritus sanctus fuit actor principalis, qui erudivit David in hoc Psalmo. Materia autem hujus Psalmi habetur 1. *Reg.* 23: quod David fugiens à facie *Saul*, latebat in monte opaco prope civitatem *Ziph* in sorte Judâ: putans ibi inter suos salvari. Sed Ziphæi volentes benevolentiam regis, venerunt in *Gabaa* ad *Saul*, & dixerunt: *Nonne David latitat apud nos in locis tutissimis silvæ in colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti?* Tunc *Saul* præparavit ire cum suo exercitu. Sed cùm hoc esset nunciatum ipsi *David*, recessit inde, statimque descendit ad petram, & per loca petrosa errabat per desertum *Maon.* Cum autem *Saul* obsedisset & circuisset ipsum in monte ad modum coronæ, nunciatum est ipsi *Sauli*, quod Philisthæi se effudissent super terram: & tunc *Saul* ex necessitate dimisit David, & occurrit Philisthæis, & sic evasit David. De qua liberatione fecit hunc Psalmum eruditus à Spiritu sancto. Et hoc videtur titulus literaliter sonare.

B

C

Sed si bene speculari voluerimus, videbimus, quod ista non est materia præcisa & principalis hujus Psalmi. Nam dicitur in Titulo, quod iste Psalmus est eruditio facta David à Spiritu sancto: & sic dicitur etiam *intellectus David* secundùm *Septuaginta* Interpretes. Ex quo patet, quod in hoc Psalmo continetur secretum, & aliquod mysterium de Rege Messiâ, ut supra dictum est. Item, David non fuit eruditus à Spiritu sancto solùm de evasione sua, quam ipse fuerat expertus, & habebat in memoria: ergo fuit eruditus de rebus futuris, in quantum per istam persecutionem & liberationem prævidit in spiritu persecutionem Christi, & Ecclesiæ, & ejus liberationem: Nam spiritualis eruditio Spiritus sancti non est, nisi de rebus magnis.

D

Not. quomodo David à Spiritu sancto erudiebatur.

Modum istius eruditionis tradunt Hebræi *Thalmudistæ*: dicunt enim, quòd postquam David quievit à bellis, & esset quiescens in domo sua in monte *Sion*, & daret operam ad ampliandum cultum divinum; tunc dum esset in lecto ex parte noctis frequenter veniebant sibi in mentem omnes persecutiones, quas passus fuerat, & quomodo Deus mirabiliter eum semper à periculis magnis liberasset: & in tali meditatione oppressus somno dormiebat, & habebat semper psalterium & citharam suspensam prope spondam lecti. Sed ante diluculum ex parte Aquilonari intrabat ventus per fenestram, & movebat chordas psalterii, & citharæ, & ad sonum chordarum David excitabatur à somno diluculo; & sic Spiritus sanctus in tali somno implebat mentem ejus: & sic plenus Spiritu sancto inspiratus, & eruditus intelligebat ea, quæ meditatus fuerat ex parte noctis, & prævidebat in spiritu futuras persecutiones, & prosperitates Regis Messiæ futuri, occasione suarum persecutionum, & hoc videtur sentire *Cambi.*

E

F

Ex quo patet, quòd in hoc Psalmo, & quatuor sequentibus, non memorantur persecutiones, & liberationes David, tanquam materia præcisa & principalis, sed tanquam materia occasionalis, & exemplaris, & parabolica, sive propositionalis, ex qua infert, & prævidit David futuras persecutiones & prosperitates Christi, & Ecclesiæ. Unde sicut David non est actor principalis hujus Psalmi, sed Spiritus sanctus; ita ista persecutio non est materia principalis: sed est *materia ex qua*, & exemplaris, ex qua, & in quâ prævidit, qualiter sicut *Ziphæi* qui erant fratres David de sua Tribu, accusarunt, & volebant perdere eum, & tradere in manus *Saul*: ita Judæi tradiderunt Christum in manus *Pilati* ad crucifigendum, & accusarunt eum falsò in multis. Sed finaliter Christus erat à Patre liberandus per resurrectionem &c. Et ita pariter prævidit, non solùm persecutionem & liberationem Christi in capite, sed etiam in membris Ecclesiæ suæ: & ideò præponit in Titulo *In finem*, ad denotandum, quòd David eruditus à Spiritu sancto in hoc Psalmo erudit nos, & dirigit in Christum, & Ecclesiam, & de his quæ Christus erat passurus, & Ecclesia. Et sic est dicendum de quatuor Psalmis sequentibus.

G

In quo Psalmo duo facit; nam primo, petit liberari Christus: Primò in capite, deinde in membris. Secundò promittit vota pro gratiarum actione, ibi: *voluntariè sacrificabo tibi.* Christus ergo petens liberari in capite à Judæis, & in membris à Judæis, & Tyrannis, & cæteris persecutoribus, de quibus dictum est Psalmo præcedenti, dicit ad Patrem: *O Deus salvum me fac in nomine tuo*, quod est *Jesus*, & nomen salutis, *& in virtute tua*, scilicet, hujus nominis *Jesus*, libera me de Judæis per resurrectionem, & *libera me* etiam, id est, Ecclesiam, à persecutoribus, &c.

H

Nota quomodo Christus dicit patri Deus in nomine tuo &c.

Sed hîc dubitatur, quòd hoc nomen *Jesus* non videtur esse nomen Patris, sed A Christi Filii ejus: Ergo quomodo Filius dicit ad Patrem: *Deus in nomine tuo salvum me fac?* Videtur ergo quòd debebat dicere, *in nomine meo.* Ad hoc respondetur, quòd nomen *Jesus* principaliter est nomen Patris, collatum ipsi Christo à Patre & communicatum: nam quicquid habet Christus, habet à Patre. Unde hoc nomen *Jesus* est nomen *Adonaï* quatuor litterarum *Tetragrammaton*, ut dictum est *in Prologo*, & *Psal.* 7. quod idem est quod *Omnipotens*, & *salus*, & *esse perfectum*, & *per se*: quod soli Deo convenit. Hoc nomen communicatum est, & dedit Pater Filio, ut ait Apostolus *ad Philipp.* 2. *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur &c.* Item, non solùm nos petimus à Patre per istud nomen *Jesu* B in omnibus orationibus, sed etiam Christus ut homo petit in virtute hujus nominis sibi à Patre collati: eò quòd hoc nomen continet in se omnem virtutem, & omnipotentiam, & infinitum pelagus meritorum.

Dicit ergo Christus ad Patrem: O *Deus* Pater *salvum me fac in nomine tuo* Jesu; quòd nomen per te est mihi collatum, & communicatum, & libera me, & membra mea *in virtute* & omnipotentia tua, quæ continetur sub hoc nomine *Jesu:* quia non est aliud nomen, in quo oporteat mundum salvari, nisi in hoc nomine. Et nota, quòd hîc, & ubique, nunquam loquitur Christus, cùm orat Patrem, in persona privata, sed in persona communi & mystica; sicut non passus est pro seipso, sed in se ipso passus est pro membris: quia omnes fuimus in Christo crucifixi quotquot regenerati sumus in eo. Ideo in se pro tota Ecclesia orat, ut liberet eam in virtute hujus nominis *Jesu* à persecutoribus: quod impletum est, & erit, ut dictum est in *Psal.* præcedenti: quia semper Christus fuit *exauditus pro sua reverentia, ad Hebr.* 5. Ideo sequitur:

De Consec. d. 1. Quando autem sumus. 36. *distinct. Si quis vult.*

2. *Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.*

3. *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* D

DEUS *exaudi orationem meam*, & *auribus* misericordiæ *percipe verba oris mei:* quoniam Judæi *alieni*, id est, facti alieni, *insurrexerunt adversum me:* & Tyranni, & Reges Gentilium *quæsierunt animam*, & vitam *meam*, ut perderet eam, *& non proposuerunt Deum ante conspectum suum:* quia sine causa persecuti sunt me contra omnem æquitatem & justitiam, & contra omnes Scripturas veteris Testamenti. Et ideo Judæi *non proposuerunt Deum* & Scripturas *ante conspectum suum*, sed passionem, & invidiam, & malitiam. Nam si cum charitate perscrutati fuissent Scripturas, cognovissent, Christum esse verum Messiam in Lege promissum; & sic *Principes Regem gloriæ non crucifixissent*, 1. *Corinth.* 2. & etiam Tyranni *non proposuerunt Deum* & justitiam, cùm Martyres occidebant, & persequebantur; sed passionem & malitiam.

F

4. *Ecce enim Deus adjuvat me: & Dominus susceptor est animæ meæ.* 8. q. 1. Si ergo.

HIC ponitur adimpletio & effectus petitionis, & punitionis persecutorum. Dicit ergo Christus: Sicut oravi Patrem, ita adimplevit. *Ecce enim*, pro *quia*: quia *Deus* Pater *adjuvat me*, sicut petebam: *& Dominus susceptor est animæ* & vitæ meæ, & liberator, & defensor in capite, & in membris. Ergo sicut liberasti me, ita punias eos.

G 5. *Averte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.* 20. q. 3. Præsens.

AVerte *mala* à me, & da *inimicis meis*, id est, omnia *mala*, quæ mihi fecerunt, & facere intendebant, *averte à me* super eos: *& in veritate tua disperde illos.* Quod totum impletum est, primò in Judæis: nam per Romanos fuerunt partim trucidati, & partim dispersi. Et hoc etiam fuit impletum in persecutoribus Ecclesiæ, scilicet, *Nerone*, *Domitiano*, & *Diocletiano &c.* Et dicit: *In veritate tua.* Quasi dicat: tu qui scis veritatem, quòd injustè persecuti sunt me. Ideo secundùm veritatem tuam *disperde illos.*

De Conſe. diſ. 5. Non mediocriter.

6. Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine quoniam bonum eſt.

HIC prædicit, ſive promittit, ſe acturum gratias pro liberatione, & victoria ſua. Unde nota, quòd feſtivitates, quas hodie celebrat Eccleſia, & Officia Canonica quæ cantat, nil aliud ſunt, niſi gratiarum actiones, in memoriam Paſſionis, & Reſurrectionis, & Aſcenſionis Jeſu-Chriſti, & paſſionum omnium Martyrum. Et ſic etiam offert quotidiè *Euchariſtiam* in memoriam Paſsionis Chriſti. Dicit ergo Chriſtus: O Pater, poſtquam tu feceris quod peto, & poſtquam liberatus fuero, & inimici fuerint puniti, ego in Eccleſia mea *voluntariè*, & cum maxima devotione & ſolemnitate *ſacrificabo tibi*, offerendo quotidiè in Eccleſia ſacrificium *Euchariſtiæ*, & alias oblationes; *& confitebor nomini tuo*, quod eſt *Jeſus*, ipſum prædicando, & magnificando in medio Eccleſiæ, & in conſpectu totius populi: *quoniam* nomen tuum *bonum eſt*, & utile, & ſalubre toti generi humano. Ideo *confitebor* omnia beneficia, quæ recepit Eccleſia per hoc nomen *Jeſus*: quia per Chriſtum liberati ſumus à peccato, & vicimus diabolum, & adepti ſumus cœlum, & ex omni tribulatione erepti ſumus. Ideo ſequitur:

7. Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

7. q. 1 Adverſitas. 11. q. 3 In cunctis.

EX *omni tribulatione eripuiſti me*, & dediſti mihi victoriam contra perſecutores, & mihi eos ſubjeciſti. Ideo *oculus meus deſpexit ſuper inimicos meos.* Unde ſicut *ſuſpicere*, eſt *in altum aſpicere*: ita per oppoſitum *deſpicere*, eſt *deorſum aſpicere.* Et ideo *ſuſpicimus* majores, qui ſunt ſupra nos: ſed *deſpicimus*, contemnimus, & deorſum aſpicimus eos, qui ſunt ſubjecti, & victi, & ſuperati à nobis. Et ideo ait: *Super inimicos meos deſpexit oculus meus*, tanquam victos & ſuperatos.

Quod totum fuit impletum primò, poſt deſtructionem *Hieruſalem*: quia vidimus Judæos nobis ſubjectos, & deſpectos per omnes nationes. Secundò, fuit impletum poſt converſionem magni *Conſtantini*: quia omnis poteſtas Gentilium fuit ſubjecta jugo Chriſti. Et ſic *in nomine Jeſu omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.*

Sed eſt advertendum, quòd ſicut Chriſtus oravit in hoc Pſalmo pro ſe, & membris ſuis; ita tota Eccleſia quotidiè orat ad eundem Patrem in hora Primæ, dicens: O *Deus* Pater *ſalvum me fac in nomine tuo*, ſcilicet, per Filium tuum Jeſum: *& in virtute tua* contenta in hoc nomine *Jeſu*, libera me ab omnibus infidelibus & inimicis viſibilibus & inviſibilibus &c. Et etiam Eccleſia dirigit hanc orationem ad Chriſtum: O Jeſu-Chriſte *Deus*, *ſalvum me fac in nomine tuo*, id eſt, per virtutem nominis tui &c. Sed in veritate ipſa Eccleſia communiter dirigit orationes ad Patrem, ut exaudiat, & ſalvet nos per virtutem nominis Filii ſui, & per merita paſsionis ejus, etiam in quantum homo. Et ideo ſemper in fine Orationis concludit: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum &c.* Et iſte eſt debitus ordo orandi: eò quòd Chriſtus ut homo, per merita paſsionis ſuæ & obedientiæ, eſt *Mediator Dei & hominum homo. Chriſtus Jeſus.* Sed multotiens dirigimus etiam orationes & petitiones ad Chriſtum, ut miſereatur noſtri apud Patrem, & offerat paſsionem & merita ſua pro nobis: & non ſolùm in quantum homo, ſed etiam in quantum Deus & homo, ſimpliciter dirigimus orationes ad Chriſtum; eò quòd *cum Patre vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum.*

PSALMUS LIV.

1. Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me.

15. diſti. ca. Sancta Romana.

TITULUS: *Victori*, ſive *In finem* in *carminibus eruditio*, ſive *intellectus David.* Ex Titulo patet, quòd David eruditus à Spiritu ſancto fecit hunc Pſalmum, & voluit quòd cantaretur in Templo cum organis, ſive *carminibus*: cujus materia eſt referenda in finem Legis, qui eſt Chriſtus, & Eccleſia, ut frequenter dictum eſt. Et ideo cantabatur *ad victoriam*, id eſt, cum toto conatu, uſque ad ultimum punctum. Dictum eſt ſuperiùs, quòd David per ſuas perſecutiones prævidit in ſpiritu perſecutiones Meſſiæ futuri: & ideo materia occaſionalis potuit eſſe, quando David evaſit & fugit de *Ceila*: cùm cives vellent ipſum tradere in manibus *Saul.* Et ſic cum ducentis viris vagabatur incertus per ſolitudinem, ut patet 1. *Reg.* 32. per hoc quod dicitur in littera: *Elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.*

Per hoc fuit eruditus David à Spiritu ſancto: quòd ſicut viri *Ceilæ* fuerunt ingrati David, volendo ipſum tradere in manibus

bus *Saul*; cùm David liberasset eos de obsidione Philisthinorum: & etiam ipse *Saul* ingratus voluit circumdare civitatem *Ceilæ*, ut caperet David in ea; sed David fugit in desertum ab ingratis: ita Judæi debebant esse ingrati Christo: qui cùm filios eorum à diversis infirmitatibus liberasset, & etiam eos ad salvandum à morte perpetua venisset; tamen ipsi ingrati circumdederunt eum in Templo, & voluerunt ipsum lapidare, & apprehendere: sed Jesus exivit de manibus eorum, *& abiit iterum in desertum locum trans Jordanem, ubi primum erat Joannes baptizans, & mansit illic*, ut patet *Joan.* 10. Propter quam ingratitudinem post Ascensionem Christi fuit destructa civitas sacrilega & ingrata: & hæc est materia hujus Psalmi principalis, in quo Christus introducitur ad loquendum.

Quomodo Christus est passus in membris.

Sed est advertendum, quòd licèt Christus semel passus sit in capite per Judæos, & etiam Gentiles, qui ipsum crucifixerunt, & fuit totaliter per resurrectionem liberatus; tamen semper postea passus est in membris, & in Ecclesia sua per Judæos, & Gentiles, & patietur usque ad Judicium, ut impleantur passiones *quæ desunt Christi*, scilicet, totius corporis mystici, ut ait Apostolus *ad Colos.* 1. Unde Christus jam passus fuerat in capite, & resurrexerat: tamen adhuc post resurrectionem & ascensionem, dicebat: *Saule, Saule, quid me persequeris*? & sic continuè patitur persecutiones in membris suis. Et ideo Christus non solùm loquitur in hoc Psalmo in personâ privata, ut supra dictum est, sed in persona communi, propter persecutiones, quas passus est, primò in se, postea in membris suis. Et sic simul memorat persecutiones suas, & Ecclesiæ, quas dicit esse suas, propter unitatem corporis mystici, ut sæpius dictum est.

Tria ergo facit Christus in hoc Psalmo: nam primò, exponit querelam suam apud Patrem, explicando pericula, & persecutionem suam. Secundò, petit ultionem de persecutoribus. Tertiò, agit gratias, quia fuit exauditus. Secunda ibi: *Præcipita Domine.* Tertia ibi: *Ego ad Dominum clamavi.* Quantum ergo ad primum, dicit Christus: *O Deus* Pater, *exaudi orationem meam* & petitionem, *& ne despexeris deprecationem meam.* Unde per *orationem* peto mihi dari resurrectionem, & dotes gloriæ: per *deprecationem* verò, peto ab afflictionibus liberari. Et ideo *intende mihi*, ut Filio proprio, *& exaudi me*, ut ea quæ peto, sine dubio, & firmo proposito impleantur. Hoc dicit, quia Christus semper fuit exauditus sine repulsa: & ideo petitio Christi est firma prophetia de futuris agendis, & implendis: & ideo propter certitudinem replicat. Quare in ista oratione non solùm petit, & prædicit suam liberationem, & gloriam; sed etiam petit, & prædicit ultionem de persecutoribus, ut patebit. Sed ne videatur injustè petere vindictam, enarrat & explicat primò suas afflictiones & persecutiones, dicens: Justè peto exaudiri. Quia

2. *Contristatus sum in exercitatione mea: & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.* 23. q. 4. Displicet.

Contristatus sum in exercitatione, scilicet, in opprobriis, & flagellis, & tormentis, & alapis, & in clavationibus, & dinumeratione ossium, & in cæteris afflictionibus, in quibus fui exercitatus, & *contristatus*, & dolui *à voce inimici* populi Judæorum, *& à tribulatione peccatoris* mihi inflicta.

Nota, quòd Christus non dicitur hîc *contristatus*, prout tristitia dicit passionem non correctam contra virtutem: quia virtuosus in sua operatione non contristatur, immò lætatur in animo: sed dicitur *contristatus*, quasi dolorem passus. Nam primò, Christus patiebatur dolorem corporalem in illa *exercitatione* & tormentis per totam illam noctem, tanquam verus homo habens humanas infirmitates sine culpa: & etiam dolebat & tristabatur de perditione illius populi, & flebat peccata nostra in horto, & in cruce. Et ideo *contristatus est*, & doluit *à voce inimici* imponentis falsum testimonium, & clamantis: *Crucifige, crucifige*: quia prævidebat illum populum damnandum propter homicidium injustum. *Contristatus est* ergo Christus, id est, vexatus, & afflictus, & dolens in tali exercitatione, magis propter cœcitatem, & damnationem persecutorum; & assignat causam, dicens:

3. *Quoniam declinaverunt in me iniquitates: & in ira molesti erant mihi.* 6. q. 1. ca. Summa.

Declinaverunt in me iniquitates, falsa crimina imponendo: & sic quia *in ira* & iniquitate *molesti erant mihi* absque ratione; quia ex odio & invidia molestabant me. Et sic propter damnationem eorum,

*** *** ***

16. q. 2. c. 1. poſt med.

4. *Cor meum conturbatum eſt in me:* A *& formido mortis cecidit ſuper me.*

5. *Timor & tremor venerunt ſuper me: & contexerunt me tenebræ.*

COR *meum conturbatum eſt in me*: non per turbationem contra rationem, ſed per turbationem ratione paſsionis & doloris. Et etiam *cor meum*, id eſt, caro, conturbata eſt timore mortis: quia *timor* mortis, *& tremor* corporis *venenerunt ſuper me*: & ſic *contexerunt* & circumdederunt *me tenebræ* mortis: quia *cœpi tædere,* B *& pavere, & mœſtus eſſe*, ut dictum eſt *Pſal.*21.

Et nota, quòd Chriſtus magis memorat, & deflet ſententiam mortis, & miſeriæ pœnalitatum datam in Adam tōti generi humano, pro qua patiebatur, quàm defleat ſuam mortem propriam. Et ſic dolebat & flebat in horto tanquam Caput pro afflictione membrorum: quia hîc potiùs loquitur ut perſona communis, ut dictum eſt.

7. q. 1. c. Adverſitas.

6. *Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & re-* C *quieſcam?*

CUM me vidi in tanta exercitatione, & afflictione, & perſecutione, multotiens dixi: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam?* id eſt, volavi ſicut columba habens alas: cùm me vellent lapidare & apprehendere, exivi ab eis, & abii trans Jordanem: *& elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine:* ut patet *Joann.*10. Sed melius eſt ut hoc referatur ad reſurrectionem; unde dicit Chriſtus: In tantum *timor* mortis *& tremor venerunt ſuper me*, quòd oravi, & petii reſurrectionem & liberationem ab afflictionibus, & morte tam terribili; & dixi: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ*, id eſt, dotes reſurrectionis & gloriæ, quæ ſunt agilitas, D claritas, & impaſsibilitas, & velut alæ corporis glorioſi: *& volabo* in cœlum, *& requieſcam* à laboribus & tribulationibus paſsionis.

* * *
* *

** ** ** ** **
* ** * ** * ** * **
* * * *

E 7. *Ecce elongavi fugiens: & manſi in ſolitudine.*

8. q. 1. Olim, & c. Inſcripturis.

8. *Expectabam eum, qui ſalvum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.*

EXAUDITUS à Patre fui, & reſurrexi, & *elongavi me fugiens* in cœlum: *& manſi in ſolitudine* cœleſti, ubi non eſt ſocietas cum malis, ſed eſt illa patria quædam ſolitudo libera ab omnibus malis, & omni miſeria. Et ſubdit Chriſtus: Iſtam petitionem feci, quoniam *expectabam eum;* F ſcilicet, Patrem meum, *qui ſalvum me fecit à puſillanimitate*, & vexatione, & tribulatione *ſpiritus*, *& tempeſtate* crucifixorum. Nam licèt caro in principio fuerit infirma, & timuit mori: tamen ſpiritus ſemper fuit promptus obedire Patri, & non puſillanimus; immò fuit ſemper liber ab omni *puſillanimitate*, & quolibet alio vitio.

Ex hoc patet, quòd in his tribus verſiculis Chriſtus petit liberari per reſurrectionem glorioſam, & aſcenſionem: in qua oratione *fuit exauditus pro ſua reverentia.* Unde pennæ quas Pater dedit Filio Chriſto, ſunt omnia genera gratiarum & G donorum, ſcilicet, ſapientiæ, & intellectus, conſilii, & fortitudinis &c. Iſtis pennis & alis volavit Chriſtus, & fuit liber ſemper ab inſtanti conceptionis ab omni puſillanimitate ſpiritus: ſed voluntariè aſſumpſit humanas infirmitates ad inſtrumentum patiendi.

Pennas dedit Pater Filio.

Sed eſt advertendum, quòd Chriſtus hîc non ſolùm loquitur in perſona privata, ſed in perſona communi, prout eſt *Caput Eccleſiæ*, petit liberari à perſecutionibus, quas Eccleſia paſſa eſt; primò, à Judæis tempore Apoſtolorum: ſecundò, à Tyrannis tempore Martyrum. Ideo ait in perſona Eccleſiæ: O Deus Pater, *exaudi orationem &c.* quia *contriſtatus ſum*, & vexatus à principio illicò poſt aſcenſionem in perſecutione facta Apoſtolis, & lapidatione *Stephani*; & quia *Paulus* perſe- H quebatur Eccleſiam, & accuſabat Chriſtianos per omnes Synagogas, ut patet *Act.* 7. & ſic etiam *contriſtatus ſum à voce inimici* populi Judæorum, qui fecerunt edictum contra Chriſtianos, ut omnes ducerentur vincti in Hieruſalem. Et etiam Imperatores Romani fecerunt edictum, ut ſi quis coleret nomen Chriſti, capitali ſententiâ puniretur, & bona ſua fiſco addicerentur, ut patet in *Eccleſiaſtica Hiſtoria.* Ab iſta voce ego ſui *contriſtatus*, *quoniam declinaverunt in me iniquitates*, & impoſue-

runt

runt falsa crimina, & *in* tali *ira* & odio *erant mihi molesti.* Unde tot millia Martyrum interfecti sunt: unde tantus *timor* A *& tremor* invasit me, quòd desideravi habere *pennas* & alas, ad fugiendas tot diras persecutiones. Unde Papa *Marcellinus* factus pusillanimus, adolevit incensum Idolis ex timore & tremore, licèt non corde: & ideo *elongavi fugiens* à populis, *& mansi in solitudine* & deserto. Nam Christiani fugientes persecutiones Imperatorum tyrannorum latebant in cryptis & speluncis, & vagabantur per desertum. Nam *Urbanus* Papa latebat in sepulchris mortuorum, ut patet in *historia Sanctæ Cæciliæ.* Et *Silvester* quæsitus est in monte *Soracte*, & vocatus à *Constantino* in montibus, ubi latebat cum aliis Christianis, rogando ut Deus liberaret Ecclesiam suam, & salvaret B eam *à pusillanimitate spiritus, & tempestate* persecutionis, & daret Christianis fortitudinem in tormentis, & persecutionibus. Sed istæ persecutiones & tempestates cessarunt per conversionem magni *Constantini.*

Quomodo sunt Christiani persecuti.

Item, ly *quis dabit mihi pennas &c.* potest referri ad reprobationem Judæorum, & conversionem populi Gentilis. Nam postquam Apostoli viderunt obstinationem, & duritiam, & iniquitatem Judæorum, dixit *Paulus*: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ: ecce convertimur ad gentes. Act.* 13. Dicit ergo Ecclesia, sive Christus in persona Ecclesiæ: Postquam Judæi persequuntur me, & se indignos fecerunt gustatione verbi Dei, C *quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo* ab isto populo reprobato, *& requiescam* in populo Gentili? Quasi dicat: Non nisi solus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Unde *pennæ columbæ deargentatæ*, quæ est Ecclesia, sunt Fides, Spes, & Charitas, & omnia dona gratiarum, quæ Apostoli receperunt in die Pentecostes: quibus alis Apostoli volarunt per mundum universum, prædicantes Euangelium omni creaturæ, & populo Gentili. Et sic reprobatâ Synagogâ, Christus *volavit*, & recessit ab ea, & requievit *in solitudine* populi Gentilis conversi ad Fidem Christi; qui quidem populus antè erat desertus à Deo; quia nunquam habuerat Legem, nec Prophetas. Et sic in deserto, ubi priùs ser- D pentes, & dracones habitabant, *ortus* est viror *calami, & junci*, id est, Fidei, & Charitatis, *Isaiæ* 35. & ibi habitavit Christus. Et sic dicit Ecclesia: Ego *expectabam* Deum, *qui salvum me fecit* per conversionem magni *Constantini à pusillanimitate spiritus & tempestate*: quia tunc fui liberata ab omni timore & tremore persecutionis.

Pennæ deargentatæ quid sunt?

E 9. *Præcipita Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate.* 90. d. c. Prolatum

HIC petit Christus ultionem de persecutoribus. Ad cujus intellectum est notandum, sicut dictum est *Psal.* 47. & 50. quòd civitas Hierusalem in tantùm dicta est *Hierusalem*, in quantum in ea expectabatur Christus, qui nos cum Patre per sanguinem suum pacificavit, & in quantum in ea fuit Christus, & collegium Apostolorum: quia societas illa erat vera *Hierusa-* F *lem*, & pacifica, & *visio pacis.* Sed postquam illa civitas perdidit Fidem Christi per obstinationem, & illa societas fidelium recessit ab ea: tunc illa jam ampliùs non fuit *Hierusalem*, sed *Babylonia*, & multitudo confusionis & divisionis. Et ideo dicit Christus per os David, quòd postquam assumpsit *pennas sicut columbæ, & volavit, & elongavit* se, *fugiens* & recedens ab ea, & mansit in solitudine, & requievit in populo Gentili; ibi fuit vera *Hierusalem*, scilicet, in tota Ecclesia Fidelium à Solis ortu usque ad occasum: & illa terrena, quæ antè dicebatur *Hierusalem*, per recessum Christi & Fidei, facta est *Babylonia* confusa.

Ideo ait Christus: *O Domine* Pater, postquam ego *elongavi fugiens* ab illa civitate, *præcipita* eam & destrue per *Titum*, G & Romanos, & *divide linguas eorum* per contrarias opiniones: *quoniam vidi contradictionem in civitate.* Nam quidam dicebant, *quoniam in Beelzebub ejicit dæmonia*: & quidam, *quoniam vorax est*: & quidam, *quoniam bonus est*: & quidam, *non, sed seducit turbas.* Et sic *schisma erat inter eos, Joan.* 7. & *Luc.* 11. Et etiam *vidi* aliam *contradictionem*, & divisionem *in* illa *civitate.* Nam per totos illos quadraginta annos à morte Christi usque ad excidium civitatis, semper *vidi contradictionem* inter cives, *& iniquitatem*, quia nulla erat justitia, sed injustitia, & cædes, & furta, & latrocinia, & homicidia, & seditiones civium ad invicem, ut ait *Josephus* H *de Bello Judaico.* Unde surrexit quædam societas latronum, qui dicebantur *Sicarii*, & cum parvis gladiis interficiebant homines: in tantùm quòd pauci audebant exire domos suas, non solùm in nocte, sed etiam in die. Et sic primò fuit bellum intestinum, & seditio inter eos: deinde bellum externum per Romanos.

Ideo subdit:

*** *** ***

10. *Die*

90. distin. Oblato. 4. quæ. 7. Gravibus; & 87. d. Omnes.

10. *Die ac nocte circumdabit eam* A *super muros ejus iniquitas : & labor in medio ejus , & injustitia.*

11. *Et non defecit de plateis ejus usura , & dolus.*

DIE *ac nocte iniquitas & labor circumdabit eam super muros ejus* intus , & extra ; *& in medio ejus* erat *injustitia* : quia per totos illos quadraginta annos nulla fuit justitia , sed seditio , & tyrannides ; *nec defecit usura & dolus in plateis ejus* publicè. Et usura, & dolus , & fraus B manet in illo populo dispersо , tanquam morbus hæreditarius. Item , ubicumque est ille populus dispersus, dicitur *Babylonia* & confusio , propter divisionem linguarum & opinionum. Nam postquam cum veritate non possunt defendere perfidiam suam, oportet , ut sint inter eos diversæ falsæ opiniones : & sic unusquisque suo modo glossat Sacram Scripturam, ut attrahat eam ad suam perfidiam , & avertat à veritate. Et sic confingunt *Thalmudistæ* diversas hæreses manifestas contra Sacram Scripturam: putà , quòd animæ *Isaiæ* , & aliorum Prophetarum , fuerunt in monte *Sinaï* , & ibi acceperunt suas prophetias : & quòd animæ ipsorum *Thalmudistarum* fuerunt in eodem monte *Sinaï* : & sicut Deus dedit Legem *Moysi* , ita dedit eis verum intellectum C Legis. Et sic dicunt , quòd magis est credendum eis, quam litteræ Legis. Et dicunt multa alia enormia , & varia , & contraria inter se. Et sic duplex bellum est inter Judæos , scilicet , intestinum , & externum. Quomodo autem istæ maledictiones transierunt in posteros , videbitur *Psal.* 68. & 81. & 107.

11. q. 3. Pauper.

12. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi , sustinuissem utique.*

De Pœ. d. 1. Omnis.

13. *Et si is , qui oderat me , super me magna locutus fuisset : abscondissem me forsitan ab eo.* D

HIC probat , quòd justo Dei judicio Judæi passi sunt bellum intestinum, & divisionem , & confusionem , & inter eos nulla est fides , nec unus confidit de altero. Et ratio est : nam iste est morbus hæreditarius eis : quoniam tradiderunt Christum Messiam , & Regem suum , & familiarem , & fratrem de sua Tribu. Dicit ergo E Christus : Justum est quòd patiantur talem pestem intestinam : quia sic cum dolo prodiderunt me *Pilato* : *quoniam si* aliquis *inimicus* & extraneus Gentilis *maledixisset mihi* imponendo crimina , & inferendo opprobria , *utique* ego *sustinuissem* , id est, esset magis tolerabile : eò quòd Gentiles non habebant Legem , nec Prophetas , & habebant odio Israelitas & Judæos : & ideo *si is* Gentilis , vel alius , *qui oderat me, fuisset locutus magna* crimina & falsa testimonia *super me* ; *abscondissem me forsitan ab eo* , id est , habuissem causam fugiendi ab eo , & custodiendi me.

14. *Tu vero homo unanimis , dux* 19. d. c. Secùndùm Ecclesiæ. *meus , & notus meus.* F

15. *Qui simul mecum dulces capiebas cibos : in domo Dei ambulavimus cum consensu.* 7. q. 1. Adversitas.

VERÒ pro *sed* : sed *tu homo* Judæus *unanimis* , id est , ejusdem Legis , & naturæ , & tribus , *notus meus* , quia *quotidiè eram in templo docens* , & cognoscebas matrem meam de tribu Juda, & multotiens fuisti *dux meus* , quantum ad sacerdotium: quia fungebaris sacerdotio , in quo consistit ducatus populi ; quia sacerdotes sunt duces : & sic eras *dux meus , & notus meus* per opera quæ feci tibi : *qui mecum simul capiebas cibos* , id est , eras mihi familiaris G & commensalis , quia multotiens invitatus in domo tua , putà , in domo *Simonis leprosi &c.* & ambo simul *ambulavimus in consensu* & societate in templo &c. & ego cum consensu & familiaritate & colloquio eram tecum , maximè cum eram invitatus tecum ad cœnam , aut prandium. Quasi dicat : sicut familiariter , & proditoriè , & sub zelo amicitiæ prodidisti me , & tradidisti: ita familiari , & intestino , & externo bello intus & extra peribis. Hoc dicit : nam dum *Titus* & Romani tenebant civitatem *Hierusalem* obsessam , continuè erant seditiones & latrocinia publica intra civitatem.

Et nota , quòd etiam isti quatuor versus ab illo loco , *quoniam si inimicus meus &c.* possunt referri ad *Judam* proditorem, H qui erat discipulus , & familiaris , & commensalis Christi , & tradidit eum. Ideo Judæi moderni non dicuntur Judæi à *Juda* filio *Jacob* Patriarcha : sed dicuntur Judæi à *Juda proditore* , cujus sunt imitatores & successores in maledictione & moribus. Et ideo subdit:

16. *Ve-*

23. q. 5. Si non licèt.

16. *Veniat mors super illos : & descendant in infernum viventes.* A

POstquam iste populus est imitator Judæ, ideo *veniat mors super illos*, non solùm corporalis, sed etiam spiritualis animæ. *Et* sic *descendant viventes in infernum*, sicut *Judas*, qui mortuus est in corpore & anima : quia laqueo se suspendit tanquam cœcus & obstinatus : & ipsemet se ad mortem judicavit, & abstulit sibi locum pœnitentiæ. Et quoniam etiam sunt successores in moribus & nequitia, ideo sequitur:

47. d. c. Quamtùlibet. Judæi sunt simi les Judæ.

17. *Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum in medio eorum.* B

NEQUITIÆ erunt semper *in habitaculis eorum in medio eorum.* Id est, non solùm erunt dolosi contra extraneos, sed etiam inter eos. Unde est notandum, quòd iste populus maledictus in omnibus est imitator, & successor, & hæres *Judæ proditoris.* Primò, quia in quantum possunt, conantur semper maledicere Christo, & perdere Christianos, & decipere cum dolo & fraude ; & etiam inter eos. Secundò, quia quotidie seipsos condemnant ad mortem corporis & animæ. Probatur : nam in hoc Psalm. 54. & 108. & in multis aliis, manifestè legi- C tur sententia damnationis omnium Judæorum crucifixorum Christi, & omnium successorum ; & hoc per modum orationis, ut patet hìc, cùm dicit : *Veniat mors super illos &c.* Ex quo patet, quòd quotidie orant pro damnatione eorumdem, & damnant se ipsos, dum vivunt, sicut *Judas*, qui vivus seipsum condemnavit ad mortem. Et ideò dicit : *Descendant in infernum viventes* : quia viventes condemnant seipsos ad infernum : & etiam, quia licèt corpus moriatur in eis, & putrefiat in terra ; tamen anima vivens, & immortalis descendit in infernum, *ubi erit fletus, & stridor dentium.* Et *desiderat mortem, & non veniet ei.* Et nota, quòd totum hoc quod dictum est de populo Judæo- D rum persequente Christum in capite, intelligendum est etiam de populo Gentili, & cœtu Tyrannorum persequente ipsum in membris ; & maximè de cœtu Hæreticorum : qui dicuntur *noti*, & familiares Christo, in quantum dicuntur Christiani : & ideo consimili pœnâ sunt puniti.



18. *Ego autem ad Deum clamavi : & Dominus salvavit me.* E

11. q. 3. Ad mensam.

IN hâc tertia parte agit gratias de beneficio resurrectionis accepto, & de ultione facta de persecutoribus suis, simul iterando eorum punitionem & malitiam. Ideo ait : ipsi sunt puniti, vel punientur, sicut supra dictum est : sed ego, quia *ad Deum clamavi*, & *dominus salvavit me*; ideo agendo gratias de resurrectione, & liberatione mea, & punitione eorum,

De Cons. d. 1. Num quam.

19. *Vespere, & manè, & meridie narrabo & annuntiabo:* F *& exaudiet vocem meam.*

VESPERE, & *manè*, & semper *annuntiabo* misericordiam & justitiam suam, & ipse *exaudiet vocem meam.* Vel potest esse ista particula consecutiva cum superiori : quia videtur semper petere justitiam & ultionem de persecutoribus, ut dicat : Ego *ad Deum clamavi*, & *salvavit me*, & *vespere & manè narrabo & annuntiabo* injurias mihi illatas, & Dominus *exaudiet* me.

De Cons. d. 4. Canon in nobis.

20. *Redimet in pace animam meam ab his, qui appropin-* *quant mihi : quoniam inter mul-* G *tos erant mecum.*

REDIMET *in pace*, id est, in gloria, & liberabit *animam meam*, scilicet vitam meam, per resurrectionem *ab his* Judæis, qui *mihi appropinquant* fictâ amicitiâ, & tanquàm consanguinei, quia omnes eramus de Tribu Juda : *quoniam inter multos*, id est, multi, *erant mecum*, id est, se amicos mihi fingebant, & sic sub zelo amicitiæ prodiderunt me, sicut fuit *Judas*, & multi *Pharisæi*, qui invitabant me ad prandium, & observabant, ut *caperent me in sermone* : & postea conspiraverunt in mortem meam. Sed



21. *Exau-*

1. q. 1. c. Ipſi 37. & d. Si quis vult.

21. *Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui eſt ante ſæcula.* A

22. *Non enim eſt illis commutatio, & non timuerunt Deum: extendit manum ſuam in retribuendo.*

DEUS *qui eſt ante ſæcula, exaudiet* me orantem & clamantem: & *humiliabit*, & dejiciet *illos*, auferendo ſacerdotium, & civitatem, & bona temporalia, & jugo perpetuæ captivitatis ſubjiciendo, & animas in perpetuum ignem condemnando, & corda eorum obdurando, & obcœcando, ne cognoſcant ſacramenta Dei, nec peccata ſua: in tantum quòd *non eſt*, nec erit *illis commutatio* & redemptio, nec converſio de peccato ad gratiam: quia nunquam agent pœnitentiam; ſed cœci & obſtinati in ſua perfidia permanebunt. Quare, quia *non timuerunt Deum* condemnando ſanguinem juſti; ideo Deus *extendit manum ſuam* contra eos, *in retribuendo* vindictam pro homicidio, eò quòd contaminaverunt Teſtamentum Dei, perpetrando homicidium, & occidendo innocentem contra Legem Dei. B

1. q. 3. Judæi 25. 3. q. 1. Cave. Et. c. Si quis Judaice.

23. *Contaminaverunt teſtamentum ejus: diviſi ſunt ab ira vultus ejus, & appropinquavit cor illius.* C

CONtaminaverunt etiam *Teſtamentum Dei* non recipiendo Chriſtum, de quo loquuntur omnes ſcripturæ *Teſtamenti* Dei: ideo negando Chriſtum, negarunt *Teſtamentum* Dei. Et ſic fecerunt Deum mendacem, & ſic manent ſacrilegi, & blaſphemi, & Hæretici: quia tota ſcriptura clamat, Chriſtum eſſe Deum & Meſſiam &c. Et ſic, ut defendant perfidiam ſuam, ex certa ſcientia faciunt Deum mendacem, falsò interpretando Legem & Prophetas. Et ſic *contaminaverunt*, & dilaceraverunt *Teſtamentum* Dei. Unde iſti reddiderunt Chriſto malum pro bono: quia Chriſtus ſemper fuit eis benignus, & ipſi fuerunt Chriſto crudeles; Quod probatur: nam *vultus ejus*, ſcilicet Chriſti, *fuerunt diviſi* & ſeparati *ab ira*: quia ſemper eis locutus eſt ſine ira, immò cum maxima benignitate; & ſemper *cor ejus appropinquavit* illis, id eſt, bona voluntas Chriſti ſemper fuit eis propitia: quia cum magnâ benignitate corrigebat, & docebat cum charitate, & filios eorum ſanabat. D E

24. *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum: & ipſi ſunt jacula.* 23. q. 3. Sex.

MULTA beneficia conferebat, in quibus poterant agnoſcere Chriſti charitatem, & benignitatem: & *ſermones ejus*, ſcilicet Chriſti, *fuerunt molliti*, & ſuaves, & blandi erga eos *ſuper oleum*, id eſt, magis quàm oleum: ſed *ipſi*, id eſt Judæi, fuerunt *jacula*, & lanceæ contra Chriſtum: quia *acuerunt ut gladium linguas ſuas*, dicentes: *Crucifige, crucifige.* Littera *Hieronymi* habet: *Nitidius butyro os ejus, & pugnat cor ejus: Molles ſermones ejus ſuper oleum: & ipſi ſunt lanceæ.* Unde iſta particula eſt valde intricata: & ideo ſunt diverſi modi dicendi inter Doctores. Sed iſte videtur mihi magis conformis litteræ *Hieronymi*; quia nil aliud ſonat, niſi quòd Chriſtus fuit Judæis benignus & blandus in ſermonibus & factis: & *ipſi* Judæi fuerunt ipſi *lanceæ & jacula.* Poteſt etiam dici, quòd ſermones Chriſti, licèt eſſent *molles* ſicut *oleum*; tamen fuerunt *jacula* & ſagittæ penetrantes corda fidelium, & converſorum ad fidem: & fuerunt *jacula* ad confundendum, & convincendum Judæos, & Tyrannos, & Hæreticos: quia ſermo Dei eſt *gladius anceps*, & *gladius ignitus.* F G

12. q. 3. Ad menſam in gl.

25. *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem juſto.*

HIc Propheta in perſona Chriſti exhortatur juſtos, & fideles, ad patientiam in adverſis: ut committant ſe divinæ miſericordiæ, & providentiæ in omnibus perſecutionibus, & periculis, & inopia: quia Deus numquam deficiet eis. Dicit ergo: O fidelis juſte, *jacta* in Domino *curam tuam*, id eſt, committe ei curam: & habeas bonam ſpem, quia *ipſe te enutriet* in bonis temporalibus, & ſpiritualibus: & ſis humilis in adverſis; quia Deus *numquam dabit in æternum fluctuationem juſto*, id eſt, numquam permittet eum perire in *fluctuatione* & perſecutione: & ſemper dabit finem afflictionibus ejus: immò tandem, & in brevi liberabit eum, licèt ad tempus permittat affligi. H

Et converſus ad Deum dicit:

23. q. 8. *Præterea.*

26. *Tu verò Deus deduces eos, in puteum interitus.* A

27. *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos: ego autem ſperabo in te Domine.*

DEDUCES *eos*, ſcilicet Judæos, & Tyrannos, & omnes alios perſecutores Chriſti & Eccleſiæ, *in puteum interitus*, & mortis inferni: quia *viri ſanguinum & doloſi*, ſcilicet, homicidæ, & perſecutores juſtorum, *& doloſi*, & fraudulenti, & iniqui *non dimidiabunt dies ſuos*: quia intempeſtivâ morte morientur ante dimidium dierum ſuorum: *ego autem* cum patientia & humilitate *ſperabo in te Domine*, & non erit fruſtrata ſpes mea; B quoniam ſcio, quòd liberabis me.

Not. q. Viri ſanguinis non dimidiant dies.

Sed contra: quia videmus malos quandoque ultra dimidium dierum, id eſt, ultra quadraginta annos vivere, & ſic *dimidiant dies ſuos*. Reſpondetur: quòd *numquam* peccator & pravus & mundanus *dimidiat dies ſuos*, quia numquam credit, nec putat ſe moriturum: & ſic parum videtur ei vivere per ſeptuaginta annos: immò videtur illi, *non dimidiare dies ſuos*. Et cauſa eſt, quia non putat, nec credit aliam vitam; immò dolet recedere ab hoc ſæculo. Et ſic ſecundùm opinionem ſuam *numquam dimidiat dies ſuos*, quia numquam tantum vivit, quin plus putet, & expectet vivere. Sed juſtus *cupit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*: ideo vita hujus mundi ſemper videtur ipſi lon- C ga & odioſa: & hoc accidit, quia ſperat, & cupit aliam vitam in Domino.

Ex quibus patet quòd iſte Pſalmus non convenienter exponitur contra cives & habitatores *Ceilæ*: quia maledictiones quæ hîc prognoſticantur, non poſſunt propriè applicari illi civitati. Secundò, quia iſte Pſalmus eſt *eruditio Spiritus ſancti* facta ipſi David: ergo eſt ſacramentum profundum de rebus magnis & profundis Chriſti, & Eccleſiæ.

Nota.

Item, nec iſte Pſalmus poteſt nec debet exponi moraliter pro aliquo afflicto: nam omnis afflictus debet & tenetur orare pro perſequentibus, & *jactare in* D *Domino* ſpem & *curam ſuam*, & non petere vindictam: quod totum oppoſitum ſit in hoc Pſalmo.

Et ideo eſt dicendum, quòd iſte Pſalmus eſt prophetia, in qua per modum orationis prædicitur punitio crucifixorum Chriſti, & perſecutorum Eccleſiæ, ut moris eſt in Pſalmis David: nam Deus quia prævidit ab æterno Judæos obdurandos, & etiam quoſdam Tyrannos, & Hæreticos, ſimul cum Anti-Chriſto: ideo in hoc Pſalmo pronuntiat eos reproba- E tos. Et hoc dicit Chriſtus per modum orationis & petitionis per os David, ut patet *Pſalmo* 34. & in hoc Pſalmo, & 64. & 107.

Verumtamen unus homo particularis non debet dicere aliquem iſtorum Pſalmorum contra perſecutores ſuos: quia ageret contra conſilium Euangelicum, & contra charitatem. Et ideo Eccleſia orat, ut Deus conterat perfidiam & potentiam Infidelium, & Hæreticorum, & convertat eos ad viam veritatis & ſalutis. Et ſic iſte Pſalmus non poteſt moraliter exponi pro aliquo afflicto: ſed eſt prophetia, in qua Chriſtus prædicit per modum orationis obſtinationem, & finalem damnationem crucifixorum, & Judæorum, & Tyrannorum, & Hæreticorum, & ipſius Anti-Chriſti cum ſequacibus ſuis. Et ideo ſi- F cuti iſte Pſalmus eſt expoſitus de ſententia & punitione Judæorum perſecutorum Chriſti: ita ex conſequenti poteſt exponi de Tyrannis & hæreticis, & Anti-Chriſto, & ſequacibus ſuis perſecutoribus Eccleſiæ.

Quatuor genera hominum in mortem Chriſti conſpiraverunt.

Unde nota: quòd quatuor conditiones hominum conſpirarunt in mortem Chriſti, ſcilicet: Primò Synagoga Sacerdotum. Secundò, hypocritæ, qui erant Phariſæi. Tertiò, hæretici, qui erant Sadducæi. Quartò, Tyranni, & Gentiles, ſcilicet, *Pilatus* cum ſuis. Sed quidquid Chriſtus paſſus eſt in Capite, paſſus eſt poſtea in membris & Eccleſia, ut inquit *Auguſtinus*, ideo ab eiſdem paſſa eſt Eccleſia ſucceſſivè: Nam primò, paſſa eſt perſecutionem Judæorum in principio, G quando lapidatus eſt *Stephanus*, & occiſſus *Jacobus*. Secundò, Tyranorum, uſque ad *Conſtantinum*. Tertiò, Hæreticorum, uſque ad *Juſtinianum*, qui exterminavit *Vvandalos Arianos* de Africa per *Belliſarium*: de quibus dicit hîc ſecundùm *Auguſtinum*: *Tu verò notus & familiaris meus &c.* Ultimò, etiam patietur ab hypocritis tempore Anti-Chriſti, qui ſimul erit circumciſſus, & Tyrannus, & Hæreticus, & fictus hypocrita: quorum omnem finalem punitionem & damnationem & reprobationem prædicit & prænuntiat etiam Chriſtus in hoc Pſalmo, ſicut ab æterno præſcivit. Et ſic prudens lector poterit litteram hujus Pſalmi ſingulis applicare.



PSAL-

Psalmus LV.

1. *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.*

Supr. 50. & 1. 56. a.

Titulus in Hebræo: *Ad victoriam*, sive *Victori super columbam mutam elongationum David, quando tenuerunt eum Philisthæi in Geth.* Secundùm *Hieronymum* verò: *Victori*, sive *Vincenti pro columba muta, eò quòd procul abierat David humilis & simplex, quando tenuerunt eum Allophyli in Geth.*

Nota figuram.

Ad cujus intelligentiam est notandum, ut legitur 1. *Reg.* 22. quòd David fugiens à facie *Saul*, eò quòd occiderat *Abimelech*, & omnes Sacerdotes *Nobe*, noluit resistere ipsi *Saul*: sed tanquam *columba muta* & tacens elongavit se à terris *Saul*, & fugit ad Regem *Geth*: quæ quidem *Geth* erat una de civitatibus Philisthinorum. Sed cùm Philisthæi cognovissent eum, quòd interfeciisset *Goliath*, & triumphasset de eis; persuadebant Regi, ut occideret ipsum David: quod præsentiens David, finxit se insanum & stultum; & sic Rex *Achis* projecit eum à facie sua; & sic David evasit periculum mortis: de qua fuga & elongatione & periculo fecit hunc Psalmum, & 33. Et ideo dicitur in Titulo: *Super columbam mutam elongationum*: vel, *Pro columba muta*: eò quòd procul abierat David, quando Philisthæi tenuerunt eum in *Geth*, scilicet, in potestate sua.

Ideo dicunt Hebræi, quòd David se vocat *columbam mutam.* Nam sicut columba simplex non resistit, nec respondet volentibus eam occidere, sed fugit ad domos extraneas, sive ad montes: ita David humilis & simplex, sicut columba, noluit resistere *Sauli*, sed elongavit se à gentibus sui populi & tribus, & fugit ad alienos Idololatras. Et sic præcisè litteraliter exponunt hunc Psalmum.

Sed in veritate talis Expositio non esset sufficiens & Catholica, sed Hebræa, quæ solâ litterâ contentatur: nec ista materia litteralis est principaliter intenta in hoc Psalmo, sed est materia *ex qua*, & exemplaris, & figurativa continens, vel prædicens aliquod mysterium in Ecclesia. Materia autem in hoc Psalmo principaliter intenta, est illud mysterium, quod per fugam David in *Geth* figurabatur.

Columba est Christus, & Ecclesia.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd *columba* est animal, & avis simplicissima, & pacifica sine amaritudine, & pro majori parte domestica: & habet hanc naturam, quod si male tractatur, nescit resistere, sed fugit ad aliam domum. Et ideo Christus totam suam societatem & Ecclesiam assimilavit columbæ, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax vobis &c.* Et, *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam, Matth.* 10. & *Lucæ* 10. Ex quibus patet, quòd Christus constituit Ecclesiam suam in simplicitate columbina & pacifica. Et præcepit Apostolis ut prædicarent in Judæa, & populo Israel, ut patet *cap. eodem.* Sed si non reciperentur, fugerent ad civitates Gentilium: & ita dixerunt Apostoli Judæis: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quia indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Sed neque in populo Gentili defuit persecutio ipsi Ecclesiæ; & sic prædixit Christus Apostolis, dicens: *Ante Reges & Præsides ducemini &c.*

Ex quo patet, quòd Ecclesia bene assimilatur, & dicta est *columba*: quæ fugit pacificè à domo in qua male tractatur, ad aliam domum. Ita Ecclesia vexata à populo Judæorum in principio, fugit ad Gentes. Et ideo dictum est Psalmo præcedente in persona Ecclesiæ: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? elongavi fugiens* à populo Judaico, *& mansi in solitudine* populi Gentilis. Sed quia etiam in populo Gentili non defuit isti *columbæ* persecutio usque ad magnum *Constantinum*; ideo subdit: *Expectabam eum, qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate*: & hæc tempestas Tyrannorum cessavit tempore *Constantini.* Quæ quidem Ecclesia etiam in *Canticis* dicitur *columba.* Et infra *Psal.* 67. dicitur *columba pennæ deargentatæ &c.*

Ex quibus patet, quòd per fugam David ad Regem *Geth*, bene figuratur mysterium Ecclesiæ Christi. Nam sicut David male tractatus in suo populo, fugit ad Regem *Geth*, & *elongavit* se *sicut columba* muta & pacifica, non reddens malum pro malo: ita etiam congregatio Discipulorum malè vexata à populo Judæorum, cui primò jussa erat prædicare, fugit & divertit ad populum Gentilem, reprobatâ Synagogâ. Et sicut ipsi David fugienti & elongato non defuit persecutio inter Philisthæos civitatis *Geth*: quia quærebant ipsum occidere, nisi fugisset in alium locum: ita pariter Ecclesiæ non defuit persecutio in populo Gentili: immò fugiebant Apostoli de una civitate in aliam; sicut David fugiebat à facie *Saul* de uno deserto in aliud, ut patet 1. *Reg.* 22. & 23.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum. Ideo *Esdras*, qui præposuit hos Titulos, dicit, quòd David fecit hunc Psalmum *pro columba muta*, id est, pro Ecclesia Christi simplici & pacifica; eò quòd procul abierit à populo Judaico in populum Gentilem, supple, sicut

David, quando tenuerunt eum Philisthæi in Geth. *Septuaginta* autem dicunt: *Pro populo, qui à Sanctis longè factus est*, id A est, David fecit hunc Psalmum contra populum Judaicum, qui *longè factus est à sanctis* Apostolis & Discipulis; id est, *qui longè* à fide mansit obstinatus in sua perfidia: & etiam, contra Gentiles obstinatos à quibus fugiebant Apostoli, *sicut columba* fugit persecutores de domo in domum. Quod autem additur in Tituli descriptione, non puto quod sit de essentia Tituli: sed additum est à *Septuaginta*. Quasi dicant: In descriptione Tituli hujus Psalmi præponitur talis Titulus, scilicet, *In finem. Pro populo, qui à Sanctis longè factus est: ipsi David cum tenuerunt eum Allophyli*, id est alienigenæ, *in Geth.*

Totus ergo iste Psalmus est vox Ecclesiæ, in quo quasi columba simplex, & humilis, & pacifica, tria facit. Nam primò, B explicando suas persecutiones & afflictiones, petit liberari. Secundò, prædicit punitionem persecutorum. Tertiò, agit gratias jam liberata. Secunda ibi: *Sicut sustinuerunt.* Tertia ibi: *In quacumque die.*

Divisio Psalmi.

Quantum ad primum est advertendum, quòd ista columba simplex & humilis primò vexata à populo Judaico, *elongavit* se, & fugit ad populum Gentilem, ubi fuit valde tribulata per Tyrannos. Sed cùm cessavit tribulatio Tyrannorum, incepit hæretica pravitas vexare *columbam:* tunc tribulata ab Hæreticis elongavit se, & fugit ad Fideles. Sed post Hæreticos incidit inter hypocritas & simulatos præcursores Anti-Christi: & sic tribulabitur usque in finem mundi. Et sic per *totam diem*, quæ computatur à resurrectione Christi usque ad consummationem sæculi, fuit tribulata ista C *columba.* Conversa ergo ad suum Sponsum Christum, dicit: O Deus, *miserere mei*, & releva me à multitudine miseriarum; *quoniam homo*, id est, omnis homo terrenus, sive diabolus cum suis membris, scilicet, Judæis, Tyrannis, & Hæreticis, & Anti-Christo, terrenis & pravis, *conculcavit me*: quia iste inimicus homo *tribulavit me tota die*; id est, per totam diem à resurrectione tua usque ad judicium, seminando zizaniam, primò in Judæis, secundò in Tyrannis, tertiò in Hæreticis, quartò in Anti-Christo contra me. Et sic per omnes istos tribulavit me.

Unde subditur:

*** *** ***
*** *** ***
*** ***
*** ***

D 2. *Conculcaverunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes adversum me.*

3. q. 1. ca. Nulli dubium.

I*Nimici mei*, id est, ista quatuor genera inimicorum, *conculcaverunt me*, & vexarunt *me tota die.* Et *multi* fuerunt *bellantes adversum me.* Nam in primitiva Ecclesia Judæi bellarunt *adversum me*: quoniam lapidaverunt *Stephanum*, & occiderunt *Jacobum &c.* In secunda parte hujus *diei*, bellarunt contra me Tyranni, qui occiderunt infinita millia Martyrum. Item, in tertia parte bellarunt Hæretici *adversum me*, quorum persecutio non sæviit minus in Catholicos in *Alexandria*, & *Africa* per *Uvandalos*, quàm persecu- E tio Tyrannorum. In quarta parte *diei* incepit bellare secta *Saracenorum*, quæ continuè tribulat me; & postea bellabit contra me *Anti-Christus*, cujus persecutio erit sævior cunctis aliis. Et sic

3. *Ab altitudine diei timebo: ego verò in te sperabo.*

12. q. 1. c. Cui portio Deus est.

A*B altitudine*, id est, à principio hujus *diei* usque ad vesperam *timebo*, fugiendo ab una persecutione, & incidendo in aliam. Nota, quòd totus status & vita hujus Ecclesiæ dicitur *una dies alta*, id est, longa, non solùm longitudine durationis, sed longitudine laborum, & tribulationum: sicut dies artificialis videtur F longissima laborantibus, & febricitantibus. A simili dicit ista *columba*, *Ab altitudine*, id est, longitudine hujus *diei* ego semper *timebo*: id est, vivo cum timore & angustia; quia nunquam defecerunt mihi tribulationes novæ. Et sic semper vado volando de una persecutione & tribulatione in aliam; quia finis unius mali, gradus est alterius.

Ego verò in te sperabo. Hîc incipit versiculus & sententia. Unde dicit columba: Si ita est, quòd per totam *diem* volando de uno malo, & de una persecutione in aliam, nunquam potui requiem invenire, sed semper fui cum timore *ab altitudine* G *diei: ego verò*, id est, *certè in te* solo *sperabo*, & ponam spem meam, & nunquam perdam fidem, licèt multa millia Martyrum moriantur.

***
**

** ** ** ** **
** ** ** **
*

14. q. 1. c. Quod debetur.

4. *In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: non timebo quid faciat mihi caro.*

A

IN *Deo laudabo sermones*, & dirigam orationes *meas*, & ipsum invocabo: & *in eo sperabo*, & *non timebo quid faciat mihi* iste pravus homo, scilicet, diabolus cum membris suis; id est, ex aliquo timore non cessabo laudare & prædicare Legem Euangelicam: & *non timebo quid faciat mihi caro*, id est, homo carnalis & malus. Nec desistam prædicare Euangelium omni creaturæ, & confiteri Christum, & prædicare contra vitia eorum, & detestari eorum scelera.

B

23. q. 4. Qui secundum, & 6. quæ. 1. Quiescite.

5. *Tota die verba mea execrabantur: adversum me omnes cogitationes eorum, in malum.*

6. *Inhabitabunt & abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.*

IDEO, quia *verba mea execrabantur*, & detestabantur *cogitationes eorum*, & peccata, *in malum*: id est, quia dicebam, eorum vitam tendere in malum finem, & per consequens esse malam & detestabilem: inde est, quod *inhabitabunt* semper, & persistent in sua obstinatione & malitia contra me; & *abscondent* mihi laqueum & insidias, & *observabunt calcaneum meum*, imponendo falsa crimina, ut incidam in laqueum & captionem eorum, ut possint me tribulare. Et sic interfecerunt Apostolos & Martyres, & persecuti sunt *Athanasium*, *Ambrosium*, & *Hilarium &c.*

C

Isa. 114.

7. *Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: in ira populos confringes.*

HIC petit ultionem de persecutoribus, dicens: *Sicut* isti inimici & persecutores *sustinuerunt*, id est, expectarunt *animam meam* perdere, supple: ita *pro nihilo*, id est, nunquam salvabis illos, immò *in ira* & indignatione *confringes populos* eorum. Littera Hebraica, & *Hieronymi* est aliquantulum discors à nostra. Nam ibi dicitur: *Ipsi calcanea mea custodient, sicut qui expectant animam meam*, perdere, supple. Et tunc illa particula, *Sicut sustinuerunt animam meam*, continuatur cum versu superiori, & incipit alius versus: *De pravitate eripies eos: in futuro populos depone Deus.* Et causa hujus diversitatis est; nam dictio posita in Hebræo est æquivoca ad *pravitatem*, & *vacuitatem*, & *nihilum*. Et ideo ubi *Septuaginta* posuerunt *pro nihilo salvabis eos*, Hieronymus transtulit: *De pravitate eripies eos.* Et tunc potest legi interrogativè sic: *Pro nihilo*, id est, pro nullo bono merito, immò pro pravitate, & injustis persecutionibus mihi factis, *salvabis eos*? Quasi dicat, minimè; immò *in ira* & punitione *populos* eorum *confringes* & destrues: quod impletum fuit in excidio *Hierusalem* facto per Romanos, & in strage populorum Gentilium tempore *Diocletiani*, etiam in destructione Uvandalorum per *Bellisarium*: & implebitur in miserabili interitu, & exitu *Anti-Christi.*

D E F

De Pœ. d. 1. c. Taciturnitas.

8. *Deus, vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.*

De Pœ. d. 1. §. Hoc idem, &

9. *Sicut & in promissione tua: tunc convertentur inimici mei retrorsum.*

24. q. 6. Cognovimus.

10. *In quacumque die invocavero te: ecce cognovi quoniam Deus meus es.*

G

O *DEUS*, ego *annuntiavi* & manifestavi *tibi* vitam & persecutiones *meas*, ut me liberares: sed tu *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*, me exaudiendo: & tunc, id est, finaliter, *convertentur retrorsum*; id est, conterentur *inimici mei, sicut in promissione tua* fuisti pollicitus, quando dixisti civitati *Hierusalem*: *Non relinquent in te lapidem super lapidem*: & *Relinquetur domus vestra deserta*, *Matth.* 22. Et sic *cognovi quod Deus meus es*, mihi propitius, *in quacumque die invocavero te.*

De Consecr. d. 2. Accesserunt.

11. *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.*

H

HIC agit gratias de beneficiis receptis, & de ultione persecutorum, dicens: *In Deo laudabo verbum* tuum, id est, promissionem, quam implevisti; & *in Domino laudabo sermonem*, id est, ad laudem sui prædicabo ejus mirabilia: & *non timebo quid*

quid faciat mihi homo, eò quia *in Deo speravi.* Et ideo A

12. *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.*

17. q. 1. Sunt quidam.

13. *Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.*

Inf. 114. b.

DEUS *in me sunt*, & erunt, *vota*, & gratiarum actiones, *quæ* vota *reddam tibi* tanquam laudationes, gratias agendo de beneficiis receptis: *quia eripuisti animam meam de morte*, & totali B interitu: quia nec Tyranni, nec Hæretici totaliter potuerunt extinguere Ecclesiam: *& eripuisti pedes meos à lapsu*, ne laberentur in aliquam hæresim: quia nunquam perdidi fidem inter tot persecutiones & labores; nec *portæ inferi* potuerunt adversum me prævalere. Et dedisti mihi gratiam, non solùm resistendi persecutionibus & tentationibus, sed etiam in bonis operibus, *ut placeam coram Deo in lumine* & gloria *viventium* beatorum: quia post tot persecutiones & labores, velut columba humilis, & simplex, & pacifica, volavi in cœlum, & fui elongata à miseria multiplici hujus mundi.

Psalmus LVI.

C

Ps. 50. a. 12. q. 1. Cui portio

1. *Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.*

TITULUS: *Pro victoria*, sive *In finem. Ne disperdas David simplicem & humilem, quando fugit à facie Saul in speluncam.*

Ad cujus intelligentiam est advertendum, ut legitur 1. *Reg.* 23. & 24. quòd postquam David evaserat unum periculum, scilicet, cùm *Saul*, & sui tenerent eum obsessum & circumdatum in modum coronæ; tunc David fugit inde, & latuit in locis tutissimis *Engaddi*, in præruptis mon- D tibus & rupibus: quod cum nuntiatum esset ipsi *Saul*, venit iterum cum tribus millibus hominum ad quærendum eum. David autem cum suis ingressus est in speluncam magnam rupe cavatam, & ibi latebat, nesciente *Saul.* Accidit autem, quòd *Saul* intraret eamdem speluncam ad purgandum ventrem: quem videntes socii David, dixerunt ei: *Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis* E *tuis.* Tunc David accessit clam ad *Saul*, & abscidit oram chlamydis ejus, & noluit ipsum occidere, cum posset. Et cùm *Saul* exisset à spelunca, surrexit David post eum ostendens particulam chlamydis abscissam, in signum quòd poterat ipsum occidere, si voluisset; & clamabat dicens: *Quare audis verba hominum loquentium? &c. Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradidit te Dominus in manu mea in spelunca: sed pepercit tibi oculus meus &c.* Et tunc *Saul* egit ei gratias, promittens non ampliùs ipsum persequuturum. Sed cùm socii David increpassent eum, quare non occidisset eum in tanta oportunitate? Respondit eis David: quia nisi Dominus F percussérit eum, aut descendens in prælium perierit, *propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, ut mittam manum meam in eum:* illud autem impletum fuit in montibus *Gelboë*, ubi periit *Saul* cum complicibus suis. Et de hoc fecit David hunc Psalmum. Et sic Hebræi exponunt ipsum litteraliter, dicentes: quòd David existens in spelunca, petebat liberari, dicens: O Domine, ne disperdas David simplicem & humilem: sed *miserere mei &c.*

Nota de Saul in spelunca.

Sed talis Expositio non esset Catholica, nec sacramentalis, nec digna Sacrâ scripturâs. Et ideo est dicendum: quòd licèt illud mysterium in spelunca, sit materia occasionalis, & figurativa, quare David fuit motus ad faciendum hunc Psalmum: tamen non est materia principalis *de qua* est iste Psalmus. Nam David jam evase- G rat illud periculum, quando fecit hunc Psalmum: Ergo jam non erat orandum, ut evaderet. Et sic etiam non erat necessaria spiritualis illustratio Spiritus sancti ad narrandum pericula præterita. Et tamen dicunt Hebræi in hoc Psalmo, quòd David habuit specialem spiritum prophetiæ ad condendum hunc Psalmum præ cæteris, ut patebit infra.

Ed ideo ad intelligendum hoc sacramentum est notandum: quòd per hoc mysterium speluncæ David prævidit in spiritu totum mysterium Resurrectionis, & Ascensionis Christi, & totum excidium & destructionem populi Judaici. Nam prævidit, quòd sicut ipse latuit in spelunca, & deinde resurrexit illæsus, immò abstu- H lit particulam chlamydis *Saulis*, & noluit ipsum occidere, sed expectavit correctionem suam, usquequò interiit obstinatus: ita Christus post longas persecutiones, & mortem, & passionem, erat in spelunca sepulchri sepeliendus; & qualiter inde debebat resurgere in corpus glorioſum: & qualiter sua resurrectio erat futura causa nostræ resurrectionis: & quomodo Christus illico poterat destruere illum po-

Nota quomodo per spelúcam prævidit David misterium Resurrectionis.

pu-

pulum : ſed debebat abſcindere particulam veſtis, id eſt, convertere ad ſe unam partem parvam illius populi : quia in die Pentecoſtes converſi ſunt tria millia ad prædicationem *Petri*, & aliorum : & quomodo Chriſtus debebat expectare reſiduum illius populi per quadraginta annos ad pœnitentiam : ſed in fine erant perituri in ſua obſtinatione, ſicut *Saul*.

Hoc prævidens David in ſpiritu, fecit hunc Pſalmum : & dedit ipſum Cantoribus, cantandum cum pſalterio & cithara *ad victoriam*, cum toto conatu vocum; ad denotandum, quòd David cum tota Eccleſia ſecundùm ſtatum illum, cum pſalterio & cithara, & clamore vocum, vocabat Chriſtum, ut reſurgeret à mortuis de ſpelunca ſepulchri, ut eſſet cauſa reſurrectionis noſtræ. Sicut *Orpheus* revocavit *Euridicen* ſuam ab inferis, trenaram & citharam pulſitando. Quaſi dicat David in Titulo hujus Pſalmi cum clamore : O Chriſte *ne diſperdas*, id eſt, ne diſperdi permittas *David ſimplicem & humilem*, id eſt, totum hominem myſticum, qui expectat adventum tuum, & reſurrectionem: ſed ſurge à mortuis, ut reſuſcites nos : & ſic *miſerere mei &c.* quia omnes ſumus ſepulti in *ſpelunca* peccati & miſeriæ. Ergo exurge tu à *ſpelunca* ſepulchri, ut reſuſcites nos à *ſpelunca miſeriæ*. Et hæc eſt intentio & materia principalis hujus Pſalmi, & ad hunc intellectum cantat ipſum Eccleſia.

Pſalmi Diviſio.

In quo Pſalmo Davit tria facit. Nam primò, in perſona Eccleſiæ, & totius corporis myſtici, petit liberari per Chriſtum. Secundò, enarrat beneficia, quæ recepit per paſſionem Chriſti. Tertiò, agit gratias, vocando Chriſtum ut reſurgat. Vel poſſumus dicere, quòd primò, David petit liberari in perſona totius corporis myſtici per adventum Chriſti. Secundò, gaudet, ſe exauditum, narrando beneficia, quæ recepit per paſſionem Chriſti. Tertiò, excitat Chriſtum, ut reſurgat à mortuis, promittens ſe gratias acturum. Secunda ibi : *Clamabo ad Deum.* Tertia ibi : *Paratum cor.* Quantum ad primum dicit : O Chriſte *Deus*, *miſerere mei* in quantum Deus, *cui proprium eſt miſereri ſemper*, *& parcere*, & culpam remittere. Et iterum *miſerere mei* in quantum homo, cui ſoli proprium eſt pro nobis pati : & nos Patri per tuam paſſionem & reſurrectionem reconciliare, & ab omni miſeria liberare, feſtina. *Quoniam in te confidit anima mea*, cùm non ſit alius ſufficiens mediator, qui poſſit hanc reconciliationem facere, niſi tu Chriſte: tùm quia juſtus, & innocens, & obediens Patri : tùm quia Filius & hæres: tùm quia Deus & homo.

** **
* * *
*

E 2. *Et in umbra alarum tuarum ſperabo : donec tranſeat iniquitas.* 11. q. 3. c. *Ad mensam.*

PER talem ſufficientiam ex parte tui & fidem & ſpem ex parte mei, *ſperabo* ſemper, me protegendum *in umbra* & virtute *alarum tuarum.* Unde alæ tuæ, ſub quibus ſpero protegi, ſunt paſſio, & reſurrectio, & judiciaria poteſtas, quam accipies in Aſcenſione. Et ſic per paſſionem, me liberabis à peccato, & per reſurrectionem, ab omni corporali miſeria & pœnalitate, & per judiciariam poteſtatem, à perſecutione Tyrannorum & inimicorum. Et ſic *in umbra* iſtarum *alarum tuarum ſperabo*, *donec tranſeat iniquitas*, & deſtruatur omne peccatum & miſeria in me.

3. *Clamabo ad Deum altiſſimum: Deum qui benefecit mihi.* De Conſ. d. 2. Acceſſerunt.

4. *Miſit de cœlo, & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.* De Conſ. d. 2. c. Iteratur.

HIC corpus myſticum gaudet, ſe eſſe liberatum per paſſionem & adventum Chriſti; & enumerat pericula de quibus fuit liberatum in Capite & membris. Dicit ergo iſte homo myſticus : Ego *clamabo* laudes fundendo *ad Deum* Patrem *altiſſimum* : *ad Deum*, dico, *qui benefecit mihi* : eò quòd *miſit* auxilium, ſcilicet, Filium ſuum *de cœlo*, *& liberavit me* à peccato, & *dedit conculcantes me*, ſcilicet, Judæos, & Gentiles, & diabolum *in opprobrium.* Et explicat modum ſuæ liberationis, dicens:

5. *Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum : dormivi conturbatus.* De Conſe. d. 3. Nequaquã. 11. d. c. Quælibet.

DEus Pater *miſit ſuam miſericordiam*, *& veritatem ſuam*, *& liberavit me.* Jam dictum eſt quòd Chriſtus dicitur *Miſericordia Patris*, in quantum per ipſum relevavit miſerias noſtras. Et dicitur *Veritas*, in quantum per ipſum locutus eſt nobis, & notificavit voluntatem ſuam, & implevit omnes ſcripturas, &

& per ipsum veritas veteris Legis patefacta est. Et ideo *eripuit animam meam de medio catulorum leonum*, scilicet, de A medio dœmonum, qui rugientes me devorare volebant. Et etiam temporaliter me liberavit de medio Judæorum, & Gentilium, qui ad modum catulorum leonum, me devorare cupiebant: unde per multa tempora *dormivi conturbatus*, & vexatus.

De Pe. d. 1. c. Periculose, & 5. Nolli.

6. *Filii hominum dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.*

7. *Exaltare super cœlos Deus: & in omnem terram gloria tua.* B

FILII *hominum*, scilicet carnales & peccatores, vexabant me, supple, per multas persecutiones: ut patet in primitiva Ecclesia. Et *dentes eorum*, id est, ira, & indignatio, & potestas erat sicut *gladius acutus* contra me. *Exaltare* ergo, ô Christe *Deus*, *super cœlos* ad dexteram Patris, *& gloria tua* & fama, & potestas & Lex Euangelica effundentur, supple, *in omnem terram.*

Nota: quòd de triplici *spelunca* & fovea liberavit nos Christus. Primò, nos liberavit & suscitavit de spelunca & fovea peccati, in qua eramus sepulti; & hoc per suam passionem. Secundò, nos suscitavit de mortalitate & spelunca miseriæ & pœnalitatum; C & hoc per suam resurrectionem. Tertiò, nos suscitavit de spelunca & fovea persecutionum Infidelium; & hoc per suam ascensionem, & universalem jurisdictionem. De primo dicit: *Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum*, scilicet, de medio dœmonum, quibus datus eram in escam. De secundo dicit: *Filii hominum dentes eorum &c.* De tertio dicit: *Laqueum paraverunt pedibus meis.* Ista est vox ipsius *Adæ* in persona totius generis humani, cui diabolus paravit laqueum & retiaculum in arbore scientiæ boni & mali: cum dixit diabolus: *Nequaquam moriemini: sed in quacumque die comederitis ex* D *eo: eritis sicut dii, scientes bonum & malum.* Iste fuit laqueus in quo incidit Adam. Nam illico postquam comedit, pedes ejus fuerunt illaqueati, id est, caro & sensualitas fuit circundata retiaculo concupiscentiæ, & fauciata & corrupta fœditate libidinis, & vulneratæ sunt omnes ejus potentiæ: & sic *incurvata* fuit anima ejus, & debilitata, & prona ad omne vitium & peccatum. Et ideo dicit homo mysticus:

* * *
* *

E 8. *Laqueum paraverunt pedibus meis: & incurvaverunt animam meam.* *16. q. 2. c. Visis.*

LAqueum *paraverunt* dœmones *pedibus meis*, scilicet, carni & sensualitati, quæ sunt pedes animæ, quibus graditur, ut dictum est *Psalm.* 48. & sic *incurvaverunt*, & declinaverunt, & debilitaverunt animam meam, pronam eam relinquentes ad peccandum. Et sequitur:

F 9. *Foderunt ante faciem meam foveam, & inciderunt in eam.* *Ibidem.*

FOderunt diaboli *foveam ante faciem meam*, ut caderem: sed ipsi *inciderunt in foveam* inferni, & ego sui liberatus per Christum. Et non solùm diaboli *paraverunt laqueum pedibus meis, & foderunt foveam ante faciem meam*: sed etiam Judæi, & Gentiles *paraverunt mihi laqueum* insidiarum. Sed ego sui liberatus per Christum, & ipsi *inciderunt* in laqueum & *foveam* mortis. Est autem advertendum, quòd tota ista littera ab illo loco, *Misit Dominus misericordiam suam*, potest esse vox Christi, qui gaudet, se esse liberatum in capite & membris ab inimicis. Unde dicit Christus: *Deus* Pater *misit suam mi-* G *sericordiam*, id est, auxilium de cœlo, & *eripuit animam* & vitam *meam*, & membrorum meorum, de medio catulorum leonum.

10. *Paratum cor meum Deus; paratum cor meum: cantabo & Psalmum dicam.* *Infr. 107. 2.*

HIC Propheta vocat Christum de *spelunca* sepulchri, & excitat ipsum ab inferis, ut extrahat animas sanctorum Patrum de Limbo, & resurgat in gloriam suam, ut sit causa nostræ resurrectionis, & primitiæ dormientium.

H Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd Christus dicitur *Gloria nostra*, in quantum ipse mortuus est propter justificationem nostram, nos à peccato liberando per passionem suam, & resurrexit propter gloriam nostram; id est, ut nos glorificaret, & resuscitaret ad gloriam, ut ait *Apostolus.* Et ideo sua resurrectio fuit consummatio & perfectio totius redemptionis nostræ. Nam per passionem fuimus liberati quoad animam à peccato; & per resurrectionem fuimus liberati à miseria corporis, & à mortalitate, & recuperavimus per *Christus dicitur gloria nostra.*

perfectam immortalitatem, & gloriam corporis, & animæ. Et ſic in die reſurrectionis quievit Chriſtus ab omni opere noſtræ redemptionis quod patrarat. Et ideo nos A celebramus diem *Dominicam*, ceſſando ab omni opere ſervili, & vacamus Dei laudibus, agendo gratias Deo de beneficio noſtræ redemptionis, & glorificationis, & conſummationis.

Lex Euangelica dicitur Pſalterium.

Secundò eſt notandum, quòd tota Lex Euangelica dicitur *Pſalterium decem chordarum*, cum quo pſalterio cantant continuè Eccleſiæ laudes Deo. Prima chorda hujus pſalterii eſt myſterium Trinitatis. Secunda myſterium Incarnationis Chriſti. Tertia eſt ejus Nativitas. Quarta ejus Baptiſmus, & vita. Quinta ejus doctrina. Sexta ejus Paſſio. Septima ejus Reſurrectio, & Limbi expoliatio. Octava ejus Aſcenſio. B Nona Spiritus ſancti miſſio, in qua totam Eccleſiam perfecit & ornavit. Decima chorda eſt univerſalis juriſdictio tradita Chriſto, per quam nunc judicat in occulto, & in noviſſimo die judicabit omnia in manifeſto. Iſtæ ſunt decem chordæ hujus Pſalterii Euangelici, quod continuè pulſat Eccleſia per totum circulum anni. Hoc Pſalterium erat ſepultum in ſpelunca & monumento Legis veteris, ut ait *Origenes ſuper Matthæum*, & erat occultum ſub littera veteris Legis. Reſurrexit autem ſimul cum Chriſto: nam tunc velum Templi Sacræ Scripturæ, quod velabat myſteria, ſciſſum eſt, & monumenta ſcripturæ veteris Legis aperta ſunt, & apparuerunt, & ſurrexerunt omnia myſteria Euangelica, quæ erant ſepulta, & occulta. Et tunc C hoc Pſalterium incepit ſonare per Apoſtolorum prædicationem à Solis ortu uſque ad occaſum; & inceperunt omnes decem chordæ pulſari.

Nota etiam, quòd tota Lex Euangelica dicitur *cithara* ratione formæ. Nam *cithara* eſt inſtrumentum muſicum triangulare, cujus quidem linea tangit aliam. Ita pariter Lex Euangelica eſt triangularis: quia nil aliud præcipit, niſi quid credendum, quid ſperandum, & quid amandum, & agendum. Unde non amamus, niſi quod credimus: non ſperamus, niſi quod credimus & amamus; & ſic iſtæ tres Virtutes Theologicæ ſunt inter ſe connexæ, ſicut lineæ in cithara. Iſta autem *cithara* pariter erat etiam ſepulta in monumento veteris D Legis; & etiam ſurrexit ſimul cum Chriſto: quia poſt reſurrectionem Chriſti apparuerunt, & manifeſtata fuerunt omnia, quæ patres credebant & ſperabant futura de Chriſto & Eccleſia, qui eſt finis Legis, quæ nos jam credimus eſſe conſummata per Chriſtum. Unde ipſi non ſine nobis acceperunt repromiſſiones, & beneficium redemptionis & reſurrectionis, ut ait *Apoſtolus ad Hebr.* 11. Ex quibus patet, quòd tria ſurrexerunt ſimul, ſcilicet Chriſtus, qui eſt gloria noſtra, & *Pſalterium Euangelicum*, & *Cithara Euangelica*. Unde E nullus poterat cantare Canticum novum, niſi iſta tria ſurrexiſſent: nam cum iſto *Pſalterio Euangelico* & *cithara* erat Deus verè laudandus & glorificandus. Ideo ait David Propheta in perſona totius hominis myſtici deſiderantis Deum laudare & gratias agere: *Paratum* eſt *cor meum*, ò *Deus*, *paratum* eſt *cor meum*; *cantabo.*

11. *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara: exurgam diluculo.*

15. diſt. Sacta Romana.

F HIC incipit conſtructio. O Chriſte, *gloria mea*, *exurge* à mortis ſepulchro, & expolia Limbum. Et, ò tu *pſalterium* decem chordarum: &, ò tu *cithara* Euangelica Fidei, Spei, & Charitatis, ſurge, & appareant, & manifeſtentur omnia, quæ erant ſepulta & occulta in monumento veteris Legis, & tunc *exurgam diluculo*, & de mane: nam ego non poſſum reſurgere à peccato, nec ad gloriam, niſi tu priùs reſurgas, qui es cauſa meæ reſurrectionis, & primitiæ dormientium. Et tunc poſtquam habuero pſalterium & citharam, *cantabo*, *& Pſalmum dicam* Euangelicum. Nam *cor meum paratum eſt* in mente & in voluntate ad cantandum: quia *cor meum*, *& caro mea exultabunt*: ſed non poſſum cantare, niſi tu priùs reſurgas; quia non habeo pſalterium & citharam ad cantan- G dum, niſi tu ſurgas, & pſalterium, & cithara tecum. Et tunc poſtquam tu ſurrexeris cum pſalterio & cithara Euangelica, ego *ſurgam diluculo*: & tunc

12. *Confitebor tibi in populis Domine: & Pſalmum dicam tibi in Gentibus.*

15. q. 1. Reverti-mini.

CONfitebor *tibi in populis* Judæorum, *& pſalmum* Euangelicum *dicam* & prædicabo *in Gentibus*: quia tunc prædicabo ſupradictas decem chordas myſteriorum Chriſti in populo Gentili.

H 13. *Quoniam magnificata eſt uſque ad cœlos miſericordia tua, & uſque ad nubes veritas tua.*

De Conſe. d. 2. Acceſſerunt.

PRædicabo etiam, *quoniam*, & quomodo *magnificata eſt miſericordia*, *& veritas tua uſque ad nubes.* Et ideo

*** *** ***

92. d. c. 1. In glor.

14. *Exaltare super cœlos Deus;* A *& super omnem terram gloria tua.*

OTu Christe *Deus*, *exaltare* in die Ascensionis, & sede ad dexteram Patris, & assume universalem potestatem & jurisdictionem: & erit *super terram gloria tua*: quia omnes Apostoli, & Fideles prædicabunt Legem Euangelicam per totum orbem terrarum: & sic erit manifesta omnibus gloria & potestas tua, signis confirmantibus simul cum doctrina.

Not. de citharaDavid.

Hîc dicunt Hebræi, quòd David continuè de nocte tenebat psalterium & citharam suspensam juxta puluinar, sive caput lecti, & de mane ante diluculum in- B trabat ventus ex parte Aquilonis, & movebat chordas psalterii & citharæ: & sic excitabatur David à somno ad sonum psalterii. Et sic plenus Spiritu sancto prophetabat, & condebat Psalmos. Unde dicunt, quòd in hoc præeminebat David cæteris Prophetis. Nam alios Prophetas excitabat dies, vel horologium: sed David excitabat Spiritus sanctus ad prophetandum. Et sic dicunt, quòd David ex parte noctis antequam somno opprimeretur, semper dicebat istam particulam Psalmi, scilicet, *Exurge gloria mea*, *exurge psalterium & cithara*: *exurgam diluculo*: quasi alloquens C Spiritum sanctum, & psalterium suum, & citharam, ut ipsum excitarent ad prophetandum & laudandum Deum. Sed licèt hoc sit possibile, quòd David oraret de sero, ut Spiritus sanctus impleret mentem ejus, & excitaret eum diluculo ad prophetandum: tamen adhuc in ista parte Psalmi apostrophat ad Christum, & vocat, & excitat ipsum ab inferis & sepulchro, ut exurgat & perficiat nostram redemptionem, & resuscitet nos à peccato per passionem, & glorificet nos per suam resurrectionem, & suscitet psalterium & citharam Euangelicam de monumento veteris Legis, & patefaciat veritatem ejus.

Et ideo dicit Ecclesia: *Exurge gloria mea &c.* & postquam surrexeris, & Le- D gem nobis patefeceris, *tunc confitebor tibi*, in primis confessione fidei, & *dicam tibi Psalmum in Gentibus*; id est, totum psalterium & Psalmum decem chordarum, scilicet, mysterium Trinitatis, & Incarnationis, & Baptismi, & tuam doctrinam, & miracula, & Passionem, & Resurrectionem, & Ascensionem prædicabo *in Gentibus*, id est, in populo Gentili: & prædicabo, quoniam magna est misericordia tua super cœlos: nam per Passionem & Resurrectionem *captivam duxisti captivitatem* in cœlum, & *veritas tua* ascendit *usque ad nubes* in die Ascensionis: nam in nubibus duo Angeli prædixerunt coram Angelis & hominibus, adventum tuum ad judicium in E *potestate magna & majestate*, quando dixerunt: *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est à vobis, sic veniet* in majestate & gloria, *quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.*

Et ideo sequitur: *Exaltare super cœlos Deus*: & erit *gloria tua super omnem terram*: quia nomen tuum erit celebre super omnem terram: nam Euangelium tuum prædicabitur per totum mundum, & Ecclesia celebrabit festum Incarnationis, & Nativitatis, & Resurrectionis, & Ascensionis &c.

Christus dicitur Psalterium.

Nota etiam, quòd ipsemet Christus potest dici *psalterium* decem chordarum subjectivè: quia in eo sunt impleta omnia F decem mysteria supradicta. Et sic etiam dicitur *Cithara*: quia omnia mysteria Fidei, Spei, & Charitatis sunt impleta in eo: & quotidiè cantat ipse nobis per suum Euangelium omnia illa decem mysteria. Item etiam ipsa Lex dicitur *psalterium* decem chordarum, ratione decem Præceptorum &c. Ergo David quia sciebat, quòd Christus erat finis Legis, & quòd Patres veteris Testamenti non poterant accipere promissiones, nec resurgere, nisi nobiscum in Christo, *ad Hebr.* 11. Ideo ait: *Exurge* tu Christe, qui es *gloria mea*, & *psalterium*, & *cithara mea*, quam ego conti- G nuè pulso, ut venias: & tunc ego *exurgam diluculo* tecum in die Resurrectionis tuæ. Et sic dicunt multi, quòd *David* resurrexit simul cum Christo, & fuit de numero illorum, de quibus dicitur in Euangelio, quòd *multa corpora Sanctorum resurrexerunt cum eo, & apparuerunt multis.*

David cũ Christo resurrexit.

Nota etiam, quòd per hoc quod dicit: *Quoniam magnificata est super cœlos misericordia tua*: quòd *misericordia Dei* communitèr sumitur pro redemptione facta per Christum: *veritas* autem pro Euangelica prædicatione. Vult ergo dicere David, quòd sicut justitia non solùm magnificatur in terra, sed etiam in inferno: ita *misericordia Dei* non solùm magnificatur, H & relucet in terra, sed etiam in cœlo, & super omnes cœlos. Nam viginti quatuor seniores dicunt: *Dignus es Domine Jesu, & Agnus qui occisus es, accipere librum, & solvere septem signacula ejus: quoniam redemisti nos Deo in sanguine tuo*, *Apoc.* 5. Ita pariter, *veritas tua* Euangelica non solùm *magnificata* & prædicata *est* super terram, & in terra, sed etiam *usque ad nubes.* Nam primò, in nubibus apparuit stella, quæ ostendit Nativitatem tuam, & duxit *Magos* ad locum tuæ Nativitatis. Secundò, in nubibus *facta est multitudo cœlestis exercitus laudantium, & dicentium: Gloria in excelsis Deo &c. Luc.* 2. Item, in nubibus di-

dixerunt Angeli: *Viri Galilæi &c.* Item, in nubibus cœli veniet Chriſtus in die Judicii *cum poteſtate & majeſtate.* Ex quibus patet, quòd veritas Euangelica non ſolùm eſt prædicata in terra, ſed etiam in nubibus. Ideo ſequitur: *Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.* Quaſi dicat: Aſcende à terra, & ſume univerſalem poteſtatem: & ſic *gloria tua* non ſolùm eſt in terra, ſed etiam *ſuper omnem terram*: quia in cœlo, quod eſt ſuperius ad terram.

PSALMUS LVII.

2.q.1.Nomen. 1. *Si verè utique juſtitiam loquimini: recta judicate filii hominum.*

TITULUS: *Ad victoriam*, ſive *In finem. Ne diſperdas David humilem & ſimplicem.* Ex Titulo apparet, quòd David *humilis & ſimplex* poſitus in aliqua adverſitate fecit hunc Pſalmum, orans Deum, ne diſperdat, nec permittat diſperdi; ſed diſperdat perſecutores ſuos, ut patet in littera hujus Pſalmi. Et ita dicunt Hebræi, quòd David in hoc Pſalmo orat, ut Deus deſtruat *Abner*, & *Doëg*, & cæteros conſiliarios *Saulis*, qui continuè accuſabant David ante *Saul*, & judicabant eum eſſe reum mortis, & reum læſæ Majeſtatis: contra quos dicit David: *Si verè utique juſtitiam loquimini, ô filii hominum* Abner & Doëg, *judicate rectè, & non iniquè &c.* Et ſic litteraliter exponunt iſtum Pſalmum.

Sed talis Expoſitio eſt inutilis ſine aliquo ſacramento: item, eſt contra charitatem & conſuetudinem ipſius David, qui ſemper oravit pro inimicis ſuis, nec voluit ipſis nocere, cùm poſſet, ut patet per totum diſcurſum *primi & ſecundi Regum.* Sed poſſumus dicere, quòd David per *Abner*, & *Doëg*, & cæteros delatores ſuos, prævidit in ſpiritu, quomodo concilium Sacerdotum & Phariſæorum iniquè debebat ad mortem Chriſtum judicare. Et ideo David invehitur contra eos in hoc Pſalmo, in quo tria facit.

Primò, explicat iniquum concilium, & judicium illorum contra Chriſtum. Secundò, prædicit punitionem eorum. Tertiò, lætitiam juſtorum de vindicta malorum. Secunda ibi: *Deus conteret dentes eorum.* Tertia ibi: *Lætabitur juſtus.* Quantum ad primum apoſtrophat David ad crucifixores Chriſti, & dicit: *O filii hominum*, & non Dei, Scribæ & Phariſæi: *Si verè loquimini juſtitiam*, id eſt, ſi vultis examinare merita juſtitiæ erga Chriſtum, judicate rectè, & non iniquè. Item, *ſi* pro *quia*, vel *poſtquam*, vos *loquimini injuſtitiam, judicate rectè.* Quaſi dicat: Vos qui agitis cauſas judiciorum Legis, & poſiti eſtis ad judicandum in cathedra Moyſi, *judicate rectè* ſecundùm Legem, & non iniquè & contra Legem: nam Lex non condemnat juſtum & innocentem, & non abſolvit reum & latronem, ſicut vos feciſtis, qui Chriſtum crucifixiſtis, & *Barabbam* abſolviſtis. Ex quo patet, quòd ſicut eſtis iniqui, ita iniquè judicatis. Ideo ſubditur:

32.d.Erubeſcant. 2. *Etenim in corde iniquitates operamini: in terra injuſtitias manus veſtræ concinnant.*

ETenim, id eſt, *certè*, aut *quia*, ſicut *iniquitates operamini in corde:* ita *manus veſtræ concinnant*, & colorant, & palliant *injuſtitias in terra.* Quaſi dicat: Sicut eſtis iniqui *in corde*; ita cum quodam colore, & palliatione, & verbis ornatis & ſimulatis, obliquaſtis, & pervertiſtis Legem Dei ſecundùm veſtram pravam intentionem, applicando bonas leges ad falſas cauſas, dicendo, quòd Chriſtus erat blaſphemus, eò quòd ſe Filium Dei faciebat; ergo ſecundùm Legem Dei debebat mori: & ſic fingentes, & palliantes zelum Dei, pervertiſtis Legem, & judicaſtis juſtum & veracem ad mortem: nam ſi depoſuiſſetis iniquitatem & malitiam de corde veſtro, & inveſtigaſſetis ſcripturas Legis & Prophetarum, reperiſſetis veritatem, ſcilicet, qualiter Meſſias in Lege promiſſus debebat eſſe Deus: nam Moyſes & Prophetæ de Chriſto ſcripſerunt. Sed malitia obcœcavit vos, ne intelligeretis ſacramenta Dei. Et invidia pervertit judicium veſtrum. Ideo ſubdit:

12.quæſ.1.Omnis ætas. 3. *Alienati ſunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero: locuti ſunt falſa.*

AD cujus intelligentiam eſt advertendum, quòd tota Lex vetus, ſicut dicta eſt *ſepulchrum*, in quo erat ſepultum Euangelium, ut dictum eſt *Pſalmo præcedenti*: ita pariter dicitur *venter*, & *uterus*, in quo Chriſtus latebat tanquam in prægnante. Nam ſicut uterus prægnantis in tempore perfecto parit, & reddit fœtum, & arbor fructum maturum: ita pariter Lex vetus, quæ Chriſto fuerat gravida à principio, peperit & edidit Chriſtum. Quia *ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum natum ex muliere, factum ſub Lege &c. Ad Galat.* 4. Unde ſicut mulier expectat partum ex utero ſuo: ita Patriarchæ & Prophetæ expectabant Chriſtum ex ute-

utero Legis nasciturum. Ergo Scribæ & Pharisæi, qui non receperunt, sed repudiarunt Christum in suo adventu, *alienati sunt à vulva* Legis, & *erraverunt ab utero* Legis, non cognoscentes, nec credentes Christum esse natum secundùm Legem & Prophetas: & sic *locuti sunt falsa*, negantes esse Deum, & asserentes esse blasphemum &c.

Judæi alienati sunt dupliciter à vulva.

Dupliciter ergo Judæi *alienati sunt à vulva & erraverunt ab utero* Legis. Primò, quia non crediderunt, Christum esse Messiam & filium Legis, nec Deum, cum Lex & Prophetæ nil aliud clament, nisi Messiam in Lege promissum, futurum Deum. Item, hoc potuerunt cognoscere ex doctrina, & operibus, & miraculis quæ fecit, secundùm quod in Lege de eo scriptum erat: Ergo *erraverunt ab utero* Legis. Secundò, ipsi *fuerunt alienati*: nam ipsi dicebantur *filii Legis*, & *filii Israel*, & *Abrahæ*, & Discipuli *Moysi*, & sequaces Prophetarum; sed quando noluerunt recipere, sed reprobaverunt Christum; tunc *alienati sunt à vulva* Legis, & *erraverunt*, & deviaverunt *ab utero*, & veritate, & doctrina Legis datæ *Moysi*. Et sic non ampliùs sunt filii *Abrahæ*, nec filii *Israel*, nec *Discipuli Moysi*, nec sequaces Prophetarum, nec per consequens veri filii Dei, sed *abortivi*, & mortui à Lege: quia noluerunt recipere benedictionem, & repromissionem factam *Abrahæ*, *Isaac*, & *Jacob*, nec lumen & veritatem Legis & Prophetarum, per Christum patefactam. Et sic sunt cœci sine lumine, errantes ab illa veritate, & *locuti sunt* & loquuntur hodie multa *falsa* & mendacia, non solùm de Christo, sed etiam de Lege, quia faciunt Deum & Legem mendacem & Prophetas, falsò glossando & exponendo. Et quòd deterius est, non solùm negant Christum fuisse verum Messiam, & filium, & fructum Legis, sed adhuc expectant, quòd Lex pariat Messiam. Et sic expectant, quòd mulier mortua pariat, & arbor sicca & scissa & combusta proferat fructum; quòd est impossibile, dùm jam *Prophetissa*, ad quam accessit *Isaias*, peperit masculum, & Redemptorem nostrum

Isaiæ 7.



D 4. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas.*

11. q. 3. *Quicumque.* 14. d. *In mandatis*

5. *Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.*

E QUIA superiùs dixit, quod Judæi alienati sunt a vulva Legis, & hoc tanquam cœci & surdi: ideo in hoc loco comparat eos duobus animalibus venenosis scilicet viperæ in cœcitate & iniquitate, & aspidi surdæ in surditate voluntaria.

Viperæ propietates.

Quantum ergo ad primum est notandum secundùm *Constantinum de Naturis Animalium*, quod vipera habet septem detestabiles proprietates. Est enim venenosa, & matricida, & fratricida, & abortiva, & mendax in natura, & cœca, & dolosa cupida cædis. Primò enim est naturaliter venenosa, quia venenum trahit à progenitoribus. Secundò, est matricida: nam cùm est in ventre matris cum multis aliis catulis, adveniente tempore pariendi, primogenitus incipit exire per vulvam matris: cæteri autem fratres moti ex invidia mordent illum, & occidunt eum in exitu vulvæ, & sic manet mortuus claudens vulvam parturientis. Tunc cæteri catuli F videntes vulvam clausam, rodendo perforant, & rumpunt latera ventris matris, & sic occidunt matrem: & tunc omnes volunt exire per ruptionem ventris matris, mortuæ: sed primus qui exit, mordetur ab illis, & sic moritur in nascendo, & sic per ordinem omnes moriuntur, præter ultimum. Ex quo patet, quòd illa vipera, quæ ultimò nascitur viva, est matricida & fatricida; quia matrem, & omnes fratres interficit: & est abortiva, quia ex matre mortua nascitur: & est mendax in natura, quia non per vulvam & locum naturalem nata est. Sextò, ex superabundantia veneni & malitiæ efficitur cœca. Septimò est iniqua & dolosa; quia semper G cupit figere venenum. Ideo ponens aurem in terra sentiens strepitum venientium, accedit ad itinera stans rerro aliquem lapidem, aut plantam, & quàm citò sentit hominem prope, saltat, & mordet, & occidit eum; quia venenum ejus est insanabile.

Ita ergo pariter Judæi ad modum hujus serpentis, quæ dicitur *vipera*, fuerunt & sunt venenosi, & matricidæ, & fratricidæ, & abortivi, & mendaces, & cœci, &

& dolosi. Nam cum Christus *factus sub Lege*, esset in ventre Legis simul cum omnibus fratribus suis Israelitis, & Judæis, A voluit exire de ventre Legis per Baptismum, quod dicitur *vulva legis*, eò quòd erat dedicatus & ordinatus à Deo, ut per ipsum omnes exirent à jugo Legis, in Legem libertatis & gratiæ. *Zach.* 13. *In illa die erit patens fons* baptismi, supple *in ablutionem peccatoris, & menstruatæ &c.* cum ergo Christus exiret à Lege per Baptismum & locum debitum; tunc Judæi fratres sui occiderunt ipsum in vulva matris. Et tunc cæteri Judæi ruperunt viscera & ventrem matris, falsò glossando Legem & Prophetas. Et sic facti sunt matricidæ, occidendo matrem suam Synagogam & Legem, & facti sunt fratricidæ, occidendo Christum, & Apostolos, qui nati erant ex vulva Legis per Baptismum, sequendo Christum. Et etiam omnes se ad invicem B occidunt, cùm unus alteri falsam doctrinam inserit, & sic omnes sunt abortivi, quia nascuntur ex matre mortua, & non per locum debitum.

Et sic dicit David, quod *erraverunt ab utero* Legis: *& alienati sunt à vulva, & locuti sunt falsa.* Et sic *furor eorum* factus est venenosus *secundum similitudinem serpentes*, scilicet viperæ: quia occiderunt Christum fratrem suum, & Synagogam & Legem matrem suam, & ejus latera ruperunt, quoniam ipsam male & falsò modo glossando, laceravere, & Christum negando, Legem & Prophetas & Deum, qui locutus est in eis, mendaces fecerunt. Et sic facti sunt cæci, sicut vipera: quia malitia eorum obcæcavit eos, ne intelligerent sacramenta Dei in Lege figurata, & à prophetis vaticinata. Et sicut in menda- C cio nati sunt, ita sunt in omnibus fraudulenti, & dolosi. Ex quo patet, quòd *furor* & iniquitas eorum fuit & *est secundùm similitudinem serpentis*, quæ dicitur *vipera.* Ideo *Joannes Baptista*, vocabat eos *genimina viperarum, Matth.* 3. & *Luc.* 3. quia per omnia sunt detestabiles, & iniqui, & homicidæ, & fratricidæ &c. *secundùm similitudinem serpentis* viperini.

Deinde cùm dicit: Et *sicut aspidis surdæ obturantis &c.* comparat eos aspidi surdæ in surditate. Unde est advertendum, quod *aspis surda* est serpens venenosus, & astutus, & malitiosus, cujus D carnes, remoto veneno, sunt aptæ ad medicinam: quæ quidem Aspis maximè vivit in *Arabia*, & *Æthiopia* in locis calidis. Et ideò venefici volentes capere aspidem surdam, dicunt quædam carmina cantando; quæ si audit aspis, illico redditur immobilis: & sic venit sapiens & prudens veneficus, & occidit aspidem, & removet venenum, & ex carnibus confi- cit medelam, & miscet cum theriaca sua, & illa theriaca fit valde salubris. Sed quandoque aspis est ita astuta & malitiosa, quòd E cùm est in caverna, fixit unam aurem in terra, & ponit caudam supèr aliam aurem: & sic habet ambas aures clausas, ne audiat vocem incantantis. Et sic manet in suo veneno, & evadit incantatorem. Ita pariter Judæi sunt similes serpenti, & *aspidi surdæ.* Nam venit Christus sapiens Medicus de cœlo, ut auferret venenum peccati à toto genere humano, & incepit cantare carmina Legis Euangelicæ. Et sic multos de populo Judaico, scilicet Apostolos, & cæteros *incantavit*, & cepit, & abstulit ab eis venenum peccati, & mortificavit illos peccato, sed vivificavit eos ad gratiam: & sic animæ eorum, quæ antè erant venenosæ, factæ sunt salubres & medicinales: nam postea converterunt totum mundum sua prædi- F catione.

Item Gentiles, qui antè erant *aspides* inficientes homines superstitione venenosâ, postea ablato veneno, & mortificati peccato per Baptismum Christi, facti sunt salubres. Nam sicut antè mittebant venenum ex ore mortiferum, post conversionem emiserunt doctrinam salubrem, ut patet de *Augustino*, & *Eusebio*, & aliis Doctoribus, & viris, qui fuerant Gentiles. Sed Judæi obstinati, Scribæ, & Pharisæi, fecerunt *sicut aspis surda* & malitiosa: nam ne audirent doctrinam Christi *incantantis*, & venenum peccati auferre cupientis, fixerunt unam aurem ad terram, id est, ad avaritiam, & bona temporalia, contra quæ Christus prædicabat, & cum cauda superbiæ & invidiæ, & sensualitatis, cooperuerunt & clauserunt aliam aurem: nam si- G cut ratio dicitur *caput* hominis & *auris*, ita sensualitas dicitur *cauda.* Et sic Scribæ & Pharisæi cooperuerunt rationem caudâ sensualitatis, ne audirent vocem Euangelicam Christi *incantantis.* Et sic *noluerunt intelligere, ut bonum agerent.* Ex quo patet, quod ipsi fuerunt causa suæ cæcitatis, & obstinationis, & perversionis.

Et hoc est quòd dicit hic Propheta. Primò, fuit istis Judæis & Scribis *furor* & invidia *secundùm similitudinem serpentis*, qui tentavit *Evam* per invidiam, & etiam ad similitudinem cujuslibet serpentis, qui latet in terra insidiando, sed cum furore aggreditur hominem: & eorum ma- H litia & surditas fuit perpetrata *secundùm similitudinem aspidis surdæ obturantis aures suas*, quæ fixit, supple, unam aurem ad terram, & alteram *obturat* & claudit cum cauda; & sic *non audiet vocem incantantium*, nec vocem venefici *sapienter incantantis.*

Ita propriè fecerunt Scribæ & Pharisæi, quando Christus prædicabat eis: nam posuerunt ante aures cordis sui sensualitatem, & non rationem; & avaritiam, & su-

Nota de Captione Aspidis.

superbiam, & odium, & non charitatem: nec respexerunt veritatem Legis & Prophetarum, sed bona temporalia. Et sic A manent in suo veneno peccatorum, & in sua cœcitate, & ignorantia crassa, & affectatâ, & alienati à vulva Legis, & privati hæreditate ex promissionibus factis *Abrahæ* & *Jacob*: & sic quotidie *errant ab utero* Legis & *loquuntur* falsa, jure & morbo hæreditario: quia dixerunt: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*: &, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*. Et sic tanquam alieni à filiis regni, manent filii captivitatis, & dispersi.

Et nota, quòd iste maledictus populus semper, ut in plurimùm, *erravit ab utero, & locutus est falsa*, scilicet ante adventum Christi, & post: nam ante adventum Christi quando obligabantur ad servandam Legem, & cærimonialia, non observabant: quia sæpe & frequenter apos- B tatabant ad Idola, ut patet tempore *Judicum*, & *Regum*, & *Machabæorum*: nunc autem, quando jam sunt absoluti per Christum à jugo Legis, & non obligantur, immò prohibentur ad observandum legalia: cum non solùm sunt mortua, sed etiam mortifera, volunt ea observare. Et sic volunt redire in ventrem matris mortuæ, & non indè exire ad lucem & veritatem, sed in tenebris falsitatis permanere, & parentibus eorum similes esse. Et hoc exprobravit eis Salvator, *Matt.* 23. & Beatus *Stephanus*, *Actuum* 7. & hoc idem David in hoc Psalmo.

6. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus.

2. q. 7. Accusatio

HIC prædicit punitionem Scribarum C & Pharisæorum, & falsorum Judicum. Ad cujus intelligentiam est notandum: quòd sicut leo habet dentes, quibus scindit, & molares, quibus conterit cibum raptum: ita Scribæ & Pharisæi habebant *dentes* & *molas*. Nam potestas sacerdotalis erant *dentes*, quibus rapiebant decimas, & primitias, & oblationes: Sed potestas jurisdictionis civilis erant *molares*, quibus conterebant & opprimebant pauperes. Et talibus dentibus & molaribus oppresserunt, & judicarunt Christum ad mortem: sed Deus justo judicio *contrivit dentes*, & *confregit molas eorum*, quando per Romanos abstulit eis sacerdotium, & potestatem judicandi civilia, & destruxit civi- D tatem eorum, & regnum. Ideo ait David: *Deus conteret dentes eorum*, Id est, sacerdotium, & oblationes, & decimas eorum, quibus scindebant & mordebant: & *Dominus confringet molas* eorum *leonum*, scilicet potestatem judicandi: quia Christum ad mortem destinarunt. Et hoc fecit per *Titum* & Romanos.

7. Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens: intendit arcum suum donec infirmentur. E

76. d. c. Culpam, & 83. d. c. Error.

8. Sicut cera, quæ fluit, auferentur: supercecidit ignis, & non viderunt solem.

DEvenient *ad nihilum tanquam aqua decurrens*: nam sicut torrens quando pluit, ducit aquam, quæ rapit omnia, quæ sunt in ripa cum suo impetu violento; sed quando cessat pluvia, cessat etiam aqua in torrente, & sic quis potest calcare torrentem, & transire pede sicco: & sicut pluvia deficit, ita paulatim illa aqua quæ F erat in torrente, paulatim incipit minui & deficere, usquequò defluit & devenit in nihilum, & manet torrens siccus: Ita pariter fecit *Hierusalem*, & populus Judæorum. Nam ante Passionem Christi florebat in eo sacerdotium, & regnum, & bona temporalia; eò quòd Deus influebat virtutem & favorem in sacerdotium. Sed post Passionem mortua sunt simul cum Christo omnia sacramenta veteris Legis, & incepit deficere virtus & favor Dei in illa civitate & sacerdotio. Et sic propter peccatum, deficiente in eis favore divino, incepit deficere in eis potestas temporalis paulatim, & quotidie minui per illos quadraginta annos, in quibus expectavit eos ad pœnitentiam. Et in tantum procedebant in diminutione, quòd continuè erant novæ seditiones, & cædes, & publica latrocinia in civitate, usquequò venit *Ti-* Nota de Destructione Judæorum. G *tus* cum exercitu Romano, & totaliter destruxit civitatem & Templum: & sic defecit hostia & sacerdotium, simul cum favore & potestate temporali, & fuit redacta ad nihilum, sicut *aqua torrentis* deficiente pluviâ.

Et hoc est quod dicit hîc David: *Ad nihilum devenient* isti Judæi, & crucifixores Christi, *sicut aqua decurrens* in torrente, quæ paulatim deficit usque ad nihilum. Et subdit: Deus, supple, *intendit*, id est, intendet *arcum* suæ iræ, & sententiæ, mittendo jacula, & sagittas tribulationum, & seditionum, & plagarum, *donec infirmentur*, & deficiant, & annihilentur: quod impletum est per Romanos; & etiam auferantur de terra, & H deficiant paulatim, *sicut cera* liquefit & deficit à facie ignis, & paulatim deficit in cereo ardente. *Cecidit ignis*, id est, cadat ignis in eos, & comburantur, ne videant *solem*, id est, moriantur, & non videant lumen: & sit alia maledictio in filiis eorum, ne veniant ad diem patrum eorum & deficiat in eis omnis potestas.

Ad

Nota de rhamno.

Ad cujus intellectum eſt advertendum, quòd *rhamnus* eſt lignum, ſive virgultum aſperrimum, & ſpinoſum, & ſenticoſum, & dicitur *rhamnus* à *rapiendo:* quia rapit carnem & veſtes. Sed quando eſt viride, non poteſt, nec valet rapere propter debilitatem & teneritatem. Et ſic illud virgultum non dicitur propriè *rhamnus*, uſquequò ſit jam adultum; & tunc valet rapere, ſicut rubus vel cardo &c. Si quis agricola in viriditate auſert de agro cardones, aut rubos comburit in margine, tunc illæ ſpinæ non perveniunt, nec creſcunt in *rhamnum*, & ſic non poſſunt rapere, nec lædere: ita pariter factum eſt de filiis Judæorum, qui dicuntur *ſpinæ relictæ*, & quaſi virgulta relicta ex illis Judæis, qui Chriſtum crucifixerunt; qui erant *rhamni* rapientes decimas, & primitias, & oblationes, rapientes bona pauperum, quorum ſpinæ erant poteſtates ſacerdotales & civiles: quia etiam exercebant judicia civilia, licet non criminalia. Sed iſtæ ſpinæ fuerunt combuſtæ per Romanos, & deinceps numquam venerunt, nec creverunt in *rhamnum.* Quia in teneritate ſunt combuſtæ: & ideo ait David:

6.q. 1. c. Quæro, §. Si quis.

9. *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum: ſicut viventes, ſic in ira abſorbet eos.*

PRiuſquam ſpinæ veſtræ, id eſt, filii veſtri, *intelligerent*, id eſt, creſcerent in *rhamnum*, *ſic abſorbet eos* Deus, & diſſipabit *viventes*, *ſicut in ira*, id eſt, tanquam iratus; vel ſicut ignis *in ira* & furore abſorbet & devorat rubos & ſpinas; ita Deus *abſorbet* & devorabit eos per Romanos *ſicut in ira*, id eſt, tanquam iratus. Littera *Hieronymi* habet juxta Hebræum ſic ab illo loco, *Ad nihilum devenient &c. Derelinquentur ſicut aquæ, quæ defluunt, intendendo ſagittas ſuas, ſic marceſcant ſicut limax. Sicut abortivum mulieris quod non videt ſolem: priuſquam creſcant ſpinæ veſtræ in rhamnum, ſicut viventes ſic in ira compeſcet eos:* quæ quidem littera in aliquibus eſt magis clara.

Not. ſex maledictiones Judæorum.

Ex quibus patet, quòd excidium Judæorum comparat ſex, ſive dat eis ſex maledictiones. Primò, quòd conteratur eorum poteſtas, ſicut conteruntur *dentes* & *molares leonum*, ut amplius non poſſint ſcindere nec conterere alios. Secundò, ut annihiletur eorum ſtatus, ſicut annihilatur aqua torrentis, deficiente pluviâ. Tertiò, ut in tantum vulnerentur arcu & ſagittis divinæ vindictæ, uſquequò totaliter *infirmentur* & deficiant: vel in tantum intendatur & incurvetur potentia eorum, uſquequò *infirmetur*, & frangatur, ſicut arcus, qui quando nimis incurvatur & intenditur, frangitur. Quartò, quòd *auferantur* & conſumantur, & deficiant, *ſicut cera* conſumitur in cereo ardente. Quintò, quòd cadat in eos *ignis* & comburat eos, ne videant ampliùs ſolem, nec lumen: ſive quòd cadant in ignem infernalem: qui licet ſit calidus & urens, tamen eſt tenebroſus. Et ideo qui eſt in eo, non videt lumen, nec ſolem. Item ſecundùm *Hieronymum*, fiant *ſicut abortivum*, antequam videant ſolem & vitam, id eſt, quòd moriantur, antequam naſcantur.

Et hoc reſpondet illi quod dictum eſt; *Alienati ſunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero*: quia ſicut non credunt Chriſtum eſſe Meſſiam natum ex vulva & utero Legis: ita ipſi ſunt abortivi, & non nati ex Lege, & ſunt monſtruoſi in Lege: quia erraverunt ab utero Legis, ſicut errat abortivum in natura. Et ideo ſicut abortivum in natura non conſequitur finem vitæ naturalis, qui ex eo expectabatur: ita Judæi non conſecuti ſunt lumen, nec vitam gratiæ, quæ ex Lege expectabatur per Chriſtum. Et ſic numquam videbunt hîc lumen gratiæ & veritatis, nec in futuro lumen gloriæ.

Sexta maledictio eſt, ne *ſpinæ* & filii eorum, nec etiam poteſtas creſcat in *rhamnum*, ſed conteratur & infirmetur; ne poſſit rapere, nec lædere. Unde Judæi moderni ſemper mordent linguâ & corde, quia deſiderant deſtructionem Chriſtianorum, & Fidei Chriſti, & quod Meſſias eorum venturus eſt, qui debet Chriſtianos conculcare. Sed tales *ſpinæ*, & talia deſideria numquam creſcent in *rhamnum*, quia numquam implebuntur: quia eorum Sacerdotium & regnum in æternum eſt ablatum, & *ſpinæ* eorum ſunt combuſtæ ab *ira* & ſententia Dei. Et notanter dicitur, *ſicut viventes ſic in ira abſorbet eos*: quia licet Judæi vivant temporaliter: tamen *ſpinæ* eorum, id eſt, poteſtates & vires ſunt debilitatæ: & ipſi jam ſunt abſorpti & devorati morte peccati.

27.q.1.c. Viduas.

10. *Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam: manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris.*

EX iſta littera inferunt hypocritæ, & quidam Hæretici, quòd homo juſtus debet deſiderare deſtructionem & vindictam hominum peccatorum, & malorum. Et cum Deus punit eos, debet lætari & gaudere de eorum adverſitate & punitione, tàm corporali, quàm ſpirituali: immò dicunt etiam, quòd juſtus, ſi poſſibile eſt, debet intingere, & *lavare manus ſuas* in ſanguine illius peccatoris puniti. Sed talis opinio eſt falſa & perverſa contra doctrinam, & præceptum Salvatoris, qui *non vult*

vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: & præcipit dicens: *Orate pro persequentibus, & Benefacite his qui oderunt vos*, *Matth.* 5. & ita oravit ipse in cruce, & doluit de damnatione *Judæ*. Unde dicit *Augustinus*, quòd *semper debemus orare usque ad ultimum vitæ pro peccatore, quia hodie peccator, & cras justus; hodie Hæreticus, & cras fidelis.*

Not. quid faciendū cum Deus peccatorē punit.

Ex quo patet, quòd sensus hujus litteræ non est nisi quòd quando Deus punit unum peccatorem pro aliquo magno delicto, tunc justus tria debet facere. Primò, laudare divinam justitiam. Secundò, timere justum Dei judicium. Tertiò, lætari, & laudare Deum, quia non permisit eum cadere in simile peccatum, sed ipsum præservavit. Quartò *lavare manus suas in sanguine* illius *peccatoris*, id est, corrigere seipsum, & præservare, ne cadat in tale peccatum, ne puniatur sicut ille: nam *lavare manus* in Scriptura, nil aliud est, nisi se innocentem reddere, & non cum peccatoribus participare, sed à peccato præservare & corrigere. Et ita fecerunt Apostoli, & omnes conversi de Judaismo, cùm viderunt divinam vindictam & sententiam super *Hierusalem*: tunc licèt doluissent de perditione eorum spirituali, tamen lætati sunt, quia non manserant in eadem obstinatione, & damnatione, sed venerant ad viam veritatis. Et sic *laverunt manus suas in sanguine*, & punitione illorum, in quantum consilio eorum non consenserunt, & cum eis non participaverunt. Et sic putavit facere *Pilatus*, cum *lavit manus suas*, dicens: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus*, id est, non consentio neci ejus sponte. Sed fuit inutilis talis purgatio, & excusatio; quia oppositum fecit in executione: sed *Joseph ab Arimathia*, & *Gamaliel* directè laverunt manus suas, qui non consenserunt mente, nec opere. Et hoc est quod dicit hîc David: *Justus*, scilicet, cœtus Apostolorum & Fidelium, *lætabitur, cùm viderit vindictam* divinam factam in excidio *Hierusalem*, & omnium Judæorum. *Lætabitur*, dicendo, quòd non mansit in illorum obstinatione, sed secutus est Christum; & *manus suas lavit in sanguine peccatoris* populi Judaici puniti, id est, quia non cum operibus eorum participavit; sed ex gratia Dei fuit præservatus, & illuminatus per Christum: unde communiter in Scriptura per *manus*, opera intelliguntur. Et ideo sequitur:

A B C D

* * * * * * * * * * * *

E **11.** *Et dicet homo: Si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra.* *24. q. 3. c. Justum.*

F TUNC *dicet*, & recognoscet *homo* justus in se & in publico: *Utique*, id est, *certè*, *si est* aliquis *fructus justo* ex bonis operibus, ita certè *est Deus judicans*, & puniens *eos* malos in terra. Quasi dicat, sicut nullum bonum irremuneratum; ita nullum malum evadet impunitum. Nam sicut Deus dat fructum & præmium justo ex bonis operibus & meritis: ita punit injustos & malos ex suis demeritis: & ita punivit Judæos, non solum in inferno, sed etiam in terra: & præmiavit Apostolos & Fideles, hîc per gratiam, & in cœlo per gloriam.

Ex supradictis patet, quòd totus iste Psalmus principaliter loquitur propheticè & litteraliter de iniquo judicio facto contra Christum, & de Judæorum punitione. Sed ex ultimo versu patet, quòd etiam potest applicari contra omnes falsos judices & oppressores pauperum.

Psalmus LVIII.

G **1.** *Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me.* *Arg. 11. q. 3. c. Ad mensam.*

TITULUS in Hebræo secundùm *Rabbi Salomon*, *Ad victoriam. Ne disperdas David. Canticum decens, quando misit Saul, & custodierunt domum ad custodiendum eum. Hieronymus: Victori. Ne disperdas David humilem & simplicem, quando misit Saul &c.* Secundum vero *Septuaginta: In finem. Ne disperdas*, vel corrumpas, *David in Tituli inscriptionem &c.* Ex Tituli hujus descriptione apparet, quòd David fecit hunc Psalmum. Cujus materia *ex qua* & figurativa patet 1. *Reg.* 19.

Nam postquam Saul concepit odium ex invidia contra David, eò quòd mulieres tribuerant majorem gloriam ipsi David, quàm sibi; quia canentes in choro dixerunt: *Saul occidit mille, & David decem millia*: ideo tunc *Saul* decrevit interficere David. Et sic dum psalleret ante eum, trajecit lanceam contra eum: sed David declinavit, & evasit, & fugit in domum suam. Saul misit satellites suos, qui per totam noctem domum David circuirent, & obsiderent, ne evaderet, sed ipsum interficerent. Sed *Michol* ipsum per senestram dimisit, & loco ejus statuam coorpertam pel-

H *Not. Saul occidit mille &c.*

pellibus in lecto ſtravit. David autem quaſi inviſibilis factus, illæſus evaſit, cuſtodibus illuſis manentibus, & quaſi cæcis. A Et de hac materia litteraliter Hebræi moderni exponunt hunc Pſalmum, ſicut videtur eis Titulus ſonare. Sed talis expoſitio non eſt utilis, nec fructuoſa: immò tollit dignitatem propheticam & ſacramentalem hujus Pſalmi. Ideo eſt dicendum, quod iſta non eſt materia *de qua* & principalis; ſed eſt materia *ex qua*, & figurativa, in quantum David in illa obſidione ſatellitum ipſius Saul prævidit in ſpiritu figurativè, qualiter Chriſtus poſt mortem debebat poni in ſepulchro: & qualiter Judæi debebant apponere cuſtodes, ne Chriſtus reſurgeret, aut diſcipuli venirent de nocte ad furandum corpus ejus, & dicerent plebi, à mortuis reſurrexiſſe: & quomodo Chriſtus debebat reſurgere ad gloriam, cuſtodibus remanentibus illuſis, & Judæis B conſuſis & cœcis: & quomodo Judæi debebant corrumpere cuſtodes pecuniâ, ut dicerent, quòd diſcipuli Chriſti eum furtivè ſuſtuliſſent. In qua obſtinatione & mendacio Judæi erant manſuri uſque ad conſummationem ſæculi: & quomodo tanquam canes famelici bonis ſpiritualibus debent *circuire civitatem* Dei, & non intrare uſque ad veſperam, id eſt, finem mundi, quando omnes debent converti, & lumen veritatis cognoſcere. Quod prævidens David in ſpiritu fecit hunc Pſalmum. Et hæc eſt materia principalis, *de qua* eſt iſte Pſalmus. Unde ex Titulo non habetur de neceſſitate, quòd illa obſidio domus David ſit materia principalis hujus Pſalmi: ſed quòd illa fuit materia *ex qua* & figurativa, unde David ſumpſit occaſionem faciendi hunc Pſalmum, eò quòd prævidit C in ſpiritu myſterium cuſtodiæ ſepulchri Chriſti, de quo loquitur in hoc Pſalmo. Et hæc eſt propoſitio quam aperit David in hoc Pſalmo.

Materia hujus Pſalmi.

Sed dicunt Judæi, quòd de una materia non debet eſſe niſi unus Pſalmus. Sed nos expoſuimus *Pſalmum* 15. & 56. de Reſurrectione Chriſti. Ergo iſte non debet eſſe de iſta eadem materia.

Objectio.

Ad quod eſt dicendum: quòd Judæi loquuntur tanquam cœci, & obſtinati: nam dictum eſt, quòd Chriſtus eſt finis Legis, & ſe habet ad totam Legem veterem ſicut terminus ad viam, & ſicut punctus ad circumferentiam circuli: ergo ſicut multæ D viæ circumquaque veniunt ad unam & eandem civitatem & terminum, & multæ lineæ ducuntur ad circumferentiam circuli ad eundem punctum medium: ita multifariè multiſque modis olim locuti ſunt Prophetæ de uno & eodem Chriſto, & de myſteriis ejus.

Reſponſio.

„ Et ideo dicit *Auguſtinus, contra Adverſarium Legis & Prophetarum:* quòd „ ſicut una & eadem ſcientia & ſententia „ eſt ſcripta per multas & diverſas linguas, „ & diverſa idiomata: & unus & idem E „ Magiſter explicat unam & eandem ſen„ tentiam per multa & diverſa exempla, „ ut diſcipulus valeat capere & intelligere: „ ita unum ſolum ſacrificium Altaris fuit fi„ guratum in multis & diverſis ſacrificiis „ veteris Legis, & multi Prophetæ præ„ nuntiarunt unum & eundem Chriſtum: „ & unus & idem Propheta per multas re„ velationes prænuntiavit unum & idem „ myſterium de Chriſto & Eccleſia propter „ altitudinem tantorum myſteriorum. Item, Chriſtus eſt unicum pſalterium decem chordarum, ut dictum eſt: ergo de ipſo Chriſto & de unaquaque chorda, ſive myſterio, potuit David canere diverſas cantilenas & Pſalmos de Reſurrectione, & de Aſcenſione, & de Paſſione &c. ſecundùm quod unumquodque myſterium prævidebat F per diverſas vias & myſteria. Ita etiam facit muſicus temporalis & carnalis, qui cum unico inſtrumento cantat infinitas cantilenas de eadem perſona dilecta.

Introducitur ergo Chriſtus ad loquendum in hoc Pſalmo, in quo tria facit. Primò petit liberari & reſurgere à mortuis. Secundò, prædicit punitionem temporalem & ſpiritualem Judæorum. Tertiò, agit gratias de ſua reſurrectione. Secunda ibi: *Intende ad viſitandas.* Tertia ibi: *Ego autem cantabo.* Quantum ergo ad primum, Chriſtus petit liberari per Reſurrectionem à ſepulchro, cuſtodibus obſeſſo & circumdato, dicens: ò Domine Pater, *eripe me de inimicis meis* Judæis, & de cuſtodibus ſepulchrum cuſtodientibus: & *eripe & libera me ab inſurgentibus* Judæis *in me*, qui putant, me numquam ampliùs vivere, nec G reſurgere. Et ſubdit:

Chriſtus loquitur, &c.

2. *Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris ſanguinum ſalva me.*

11. q. 3. Ad menſam.

ERipe me univerſaliter *de* omnibus *operantibus iniquitatem* contra me, tàm Judæis, quàm Gentilibus: *& ſalva me de viris ſanguinum*, homicidis & peccatoribus, qui in meam necem conſpirarunt. Et notanter dicit, *Eripe:* quia *eripere* idem eſt, quòd *extra*, vel *ab alio rapere:* & ſic H Chriſtus fuit raptus & ereptus de ſepulchro per reſurrectionem, non videntibus, nec ſentientibus cuſtodibus, propter terræmotum magnum, qui factus eſt horâ reſurrectionis. Et reddit rationem ſuæ petitionis, dicens:

* * *
* *

16. q. 2. *Visis.*

3. *Quia ecce ceperunt animam meam:* A *irruerunt in me fortes.*

QUIA *ecce*, id est publicè *ceperunt animam meam*, id est, vitam meam: quia vitam mihi abstulerunt, & posuerunt me in sepulchro. Et *irruerunt in me fortes*, id est, milites fortes cum magno impetu *irruerunt in me*, ad custodiendum sepulchrum armati: & sic in vita, & in morte *irruerunt in me* absque demeritis meis.

3. q. 1. *Nulli dubium.*

4. *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine: sine iniqui-* B *tate cucurri, & direxi.*

NEC *iniquitas* fuit aliqua mea, *neque* aliquod *peccatum meum:* nam *sine iniquitate* & peccato *cucurri* viam hujus mundi, & feci cursum meum, & conversatus sum inter eos, *& direxi*, & instruxi, & docui eos viam Domini, & facere voluntatem patris mei. Et sic *neque iniquitas mea, neque peccatum* talem meruit mortem.

11. q. 3. *Ad mensam.*

5. *Exurge in occursum meum & vide: & tu Domine Deus virtu-* C *tum, Deus Israel,*

EXurge ergo, ò Pater, *in occursum meum* & auxilium, id est, suscita me à mortuis: quia tu exurgendo *in occursum* dando virtutem, ego surgo in quantum homo: quia humanitas recepit virtutem à divinitate: & ideo *tu Domine Deus virtutum*, à quo est omnis virtus, & tu qui es Deus Angelicarum virtutum, & *Deus Israel, vide*, & judica inter me & persecutores meos: & da mihi beneficium resurrectionis, postquam humiliavi meipsum usque ad mortem crucis.

Et tu Domine Deus virtutum, Deus Israel. Hìc incipit versus & sententia sequens, in qua Christus petit ultionem de Judæis, & petit conversionem Gentilium. D Nam cœcitas Judæorum in parte fuit causa conversionis Gentilium: nam postquam Apostoli viderunt Judæos obstinatos, conversi sunt *ad visitandas*, & convertendas *Gentes*. Dicit ergo: *O Domine virtutum, Deus Israel,*

** ** ** **
* * * *

Infra eodem.

E 6. *Intende ad visitandas omnes Gentes: non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.*

INtende *ad visitandas omnes Gentes* per prædicationem Apostolorum, & *non miserearis* Judæis *operantibus iniquitatem*, postquam se indignos fecerunt redemptione, & verbo Dei. Et ideo postquam aversi sunt à veritate, & lumine Euangelico, *convertentur ad vesperam* & tenebras, & cœcitatem, *& patientur famem* verbi Dei & intelligentiæ, *ut canes*; *& circuibunt* sic *civitatem* Ecclesiæ per totum mundum.

Nota, quòd ly *convertentur*, potest F dupliciter intelligi. Uno modo litteraliter: quia Judæi per quadraginta annos manserunt in sua prima obstinatione post resurrectionem Christi. Sed post tot strages & cædes bene noverunt conversi in se, quòd hoc eveniebat eis in pœnam propter mortem Christi: sed non egerunt pœnitentiam, immò manserunt in sua cœcitate. Unde dicit *Josephus*, quòd bene cognoverunt, quod illa punitio fuit, aut propter mortem *Joannis Baptistæ*, aut propter mortem *Christi*, aut propter mortem *Jacobi Justi*. Sufficit, quòd propter mortem alicujus justi & innocentis, & maximè Jesu Christi Nazareni. Et ideo dicit:

23. q. 5. §. *ult.*

7. *Convertentur ad vesperam: &* G *famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.*

CONvertentur ad seipsos *ad vesperam*, id est, serò & tardè post multas cædes & jacturas, & cognoscent delictum suum, *& patientur famem* in illa obsidione, in tantùm quòd quædam mulier nobilis comêdit filium suum, ut ait *Josephus: & ut canes* famelici *circuibunt civitatem*: quia de die & de nocte circuibant muros civitatis Hierusalem cum continuo timore vigilantes, ne civitas caperetur ab inimicis Romanis. Et hoc factum est Dei judicio: nam sicut Christus jacuit in sepulchro quadraginta horas, & per illas quadraginta H horas custodierunt & circuierunt sepulchrum Christi: ita in pœnam peccati per quadraginta annos passi sunt seditiones, & jacturas, & miserias inter se usque ad ultimam obsidionem Romanorum. Et sic *circuierunt civitatem* & muros ejus *sicut canes* famelici per quadraginta annos, & datus est eis annus pro hora.

Nota de punitione Judæorũ.

Secundò, ly *Ad vesperam*, potest intelligi pro cœcitate mentis, ut dictum est, scilicet, *Convertentur ad vesperam*, & cœcitatem, & tenebras ignorantiæ, post-

Quid per vesperam intelligitur.

quam

quam noluerunt videre veritatem, & lumen Euangelicum. *Et patientur famem* spiritualem bonorum spiritualium, scilicet, intelligentiæ Scripturæ, & refectionis Sacramentorum : quia extra Ecclesiam non est salus, neque spiritualis refectio. Et *sicut canes circuibunt civitatem* Ecclesiæ usque ad judicium, & nunquam intrabunt in eam : quia non reperient portam ejus, quæ est Baptismus. *Et circuibunt* etiam Sacram Scripturam : sed nunquam intrabunt ad intelligentiam & virtutem ejus: quia erunt cœci in nocte ambulantes, & sic non reperient portam Fidei, per quam intratur ad intelligentiam veracem Sacræ Scripturæ.

Tertiò, per ly *vesperam*, potest intelligi finis mundi. Quasi dicat: non convertentur usque ad finem mundi, id est, *ad vesperam* mundi, visâ deceptione & interitu miserabili ipsius Anti-Christi : quia tunc quasi confusi videbunt veritatem, & tunc reliquiæ Israel salvæ fient. Sed interim *famem* verbi Dei, & Ecclesiasticorum Sacramentorum *patientur ut canes*, & *circuibunt civitatem* Ecclesiæ, & Sacræ Scripturæ. Sed per totum istud tempus nunquam intrabunt : quia ut cœci non repererunt portam Baptismi, per quam intratur ad Ecclesiam, nec portam Fidei, per quam patet introitus ad intelligentiam Sacræ Scripturæ. Et hanc pœnam & punitionem patientur justo Dei judicio. Nam sicut non crediderunt Christum resurrexisse, sed per Apostolos corpus ejus furtim esse ablatum ; & sic posuerunt custodes, qui obsiderent & circuirent sepulchrum, & corruperunt eos pecuniâ, ut dicerent, quòd Discipuli corpus Christi abstuliss̃ent: Ita ipsi tanquam cœci & famelici *circuierunt civitatem* Ecclesiæ, & Sacræ Scripturæ, non valentes intrare, nec portam reperientes. Et vagantur dispersi & captivi per mundum, usquequò credant Christum resurrexisse : quod implebitur ad vesperam hujus mundi.

Nota. Unde dicunt aliqui Fideles, quòd sicut Deus dedit quondam filiis Israel annum pro die, ut vagarentur & circuirent desertum propter peccatum incredulitatis, & sic vagati sunt per quadraginta annos circumeumdo per desertum, nec aliquis eorum ingressus est terram promissam, nisi *Caleb* & *Josue* ; sed in fine quadraginta annorum ingressi sunt filii eorum, ut patet *Numer.* 12. ita pariter Deus dedit Judæis post resurrectionem Christi quadraginta annos, scilicet, annum pro hora. Nam sicut Christus fuit obsessus in sepulchro per quadraginta horas : ita Judæi *circuibunt* mundum famelici per quadraginta quadragenas annorum usque ad Anti-Christum, qui sunt mille & sexcenti anni.

Alii dicunt, quòd dedit eis jubileum quinquaginta annorum pro hora : & sic essent quadraginta jubilei, qui sunt anni duo millia. Et sic dicunt isti, quòd per spacium duodecim millium annorum debent Judæi circuire mundum, vagantes cœci usque ad *Anti-Christum*. Sed hoc dimittatur divinæ voluntati : sufficit, quòd Judæi cœci & famelici usque ad vesperam mundi *circuibunt civitatem* Ecclesiæ, & Sacræ Scripturæ, usquequò credant resurrectionem Christi. Sed interim dum circumeunt civitatem dispersi, & malitiâ obcœcati maledicunt Christum, & Christianos in secreto; ideo sequitur:

8. *Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum : quoniam quis audivit?* 6. q. 1. c. Ex merito.

9. *Et tu Domine deridebis eos: ad nihilum deduces omnes Gentes.* 11. q. 3. Nemo peritorum.

LOquentur *in ore suo*, & *gladius* maledictionis *in labiis eorum* erit semper contra Christianos. *Quoniam quis audivit?* Et dicunt postea : Quis nos audivit? Quasi dicant : Nullus audivit nos dicere malum: quia negant coram Gentibus se maledicere, licèt maledicant in secreto. In Hebræo, & litterâ *Hieronymi* habetur : *Ecce redundant in ore suo gladii in labiis eorum, quasi nemo audiat.* Et tunc littera est clara : quia maledicunt in secreto, & non in publico: *quasi nemo audiat* præ timore Christianorum, sub quorum dominio degunt. *Sed tu Domine deridebis eos*, & *ad nihilum deduces omnes Gentes* Judæorum, qui talia dicunt & maledicunt : quia non audies maledictiones eorum. Immò convertes maledictiones super capita eorum ; & sic *ad nihilum deduces eos*. Sed ego populus Christianus

10. *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es : Deus meus, misericordia ejus prævenet me.* 56. dist. Nasci; & de Pœ. d. 2. Firmũ fundamẽtum.

FOrtitudinem *meam ad te custodiam*: quia in te pono spem meam, non timendo maledictiones eorum: quia dum ipsi Judæi & Infideles circumeunt civitatem cœci & famelici, ego sum tutus intra muros civitatis Ecclesiæ, bene septus Fide, Spe, & Charitate, qui sunt muri & fortitudo hujus civitatis. Ideo hanc *fortitudinem meam ad te custodiam*. Quasi dicat: Sub hac fide, & sub his muris volo custodiri

diri & tutari: & etiam hos muros & hanc fortitudinem volo custodire & servare, & pro hac mori, sicut in Baptismo promisi: quia *tu es susceptor meus*, & me suscepisti in hac civitate per Baptismum. Et sicut *misericordia tua prævênit me* in Baptismo, quia non meis meritis salvasti me, sed meritis tuæ passionis: ita deinceps *misericordia tua*, & gratia præveniens *præveniet me*, ne perdam fidem, & ne cadam in peccatum: sine qua misericordiâ & gratiâ nemo potest stare ne cadat; & si homo ceciderit, sine eadem misericordiâ & gratiâ præveniente voluntatem, nemo potest surgere. Quasi dicat: Prævenias me per misericordiam, ne perdam fortitudinem, & gratiam, & fidem, quam ex tua misericordia suscepi.

Ex his ostendit Propheta, quòd non ex propriis meritis salvamur, nec venimus ad fidem; sed ex sola Dei misericordia præveniente, & subsequente, & perficiente, quam Judæi non possunt habere. Agamus ergo gratias, & dicamus: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt* opera & *judicia ejus, & investigabiles viæ ejus*! Ex hac authoritate probat *Augustinus contra Pelagianos, in libro de Perfectione justitiæ hominis*, & in cæteris: quòd nemo potest vitare peccatum, nec surgere à peccato, nisi præveniatur per gratiam & misericordiam Dei, quâ voluntas ejus adjuvetur ad resistendum, & ad surgendum, quæ dicitur gratia præveniens.

Not. quod sola gratia salvamur.

Ista eadem esse possunt verba Christi in Capite, ut dicat: Licèt Judæi maledicant, & negent me resurrexisse; tamen ego *custodiam ad te fortitudinem meam*, id est, in te ponam totam spem meam: & spero, ò Pater, quia tu suscitabis me, quia tu *es Deus meus*, & *misericordia ejus*, scilicet Patris, *præveniet me* resuscitando. Et sic ista possunt dici in persona Capitis & membrorum.

6. q. 1. c. Sunt plurimi.

11. *Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliviscantur populi mei.*

QUIA superiùs dixit, quòd Judæi tanquam canes circuibunt civitatem usque ad Anti-Christum: hìc reddit causam, & dicit, quòd ideo Deus permittit eos vivere, & non vult totaliter eos destruere; primò, quia in fine filii eorum convertentur. Secundò, ut sint in signum, & ostensionem, & memoriam passionis Christi: ut ostendamus ad digitum successores crucifixorum Christi in memoriam. Dicit ergo Christus: *Deus* Pater *ostendet mihi* punitionem *super inimicos meos* Judæos: sed rogo Pater, *ne* totaliter *occidas* & deleas *eos* de terra: *nequando*, id est, aliquando populi Christianorum *obliviscantur* passionem meam; sed quotidiè videant, & ostendere possint successores crucifixorum meorum, in eorum damnationem & confusionem, & in confirmationem *populi mei*. Ergo *non occidas eos*.

Nota, secundùm *Augustinum*; quòd duplici ex causa permittit Deus Judæos vivere: primò in memoriam suæ passionis, prout hìc tangitur in textu. Secundò, ut bajulent nobis codices veteris Legis, & servant eos nobis ad confusionem ipsorum: quia suismet libris convincimus eos. Et hanc tangit *Augustinus in sermone de Epiphania*. Nam Judæi moderni sunt imitatores illorum, qui informarunt *Herodem* & *Magos* per Scripturas, *ubi Christus nasceretur*, & remiserunt eos in *Bethlehem*, ad Christum adorandum. Sed ipsi non iverunt ad Christum. Dicit ergo: Ne occidas eos, sed

12. *Disperge illos in virtute tua: & depone eos protector meus Domine:*

1. q. 3. Homini.

13. *Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum: & comprehendantur in superbia sua.*

Et 24. q. 3. §. ult.

DIsperge *illos* per mundum *in tua virtute*, & vagentur, & circumeant per mundum vagi, *& depone eos* de regno & sacerdotio, ò Deus *protector meus*: & sic privati regno & sacerdotio, vadant dispersi per mundum: ut Christiani videntes eos, recordentur meæ passionis. *Et depone* etiam, & confunde, & annihila *delictum oris eorum*, scilicet, *sermonem* falsum *labiorum ipsorum*, qui dicunt, me non resurrexisse; *& comprehendantur*, & convincantur *in superbia sua*, tanquam mendaces & confusi, cùm videant fidem Gentilium de mea resurrectione, & videant miracula manifesta in die Pentecostes, quæ confirmabunt meam resurrectionem.

14. *Et de execratione & mendacio annuntiabuntur in consummatione: in ira consummationis, & non erunt.*

De Pœn. d. 1. Si quis.

SIC *annuntiabuntur*, id est, arguentur, & convincentur de *mendacio* & blasphemia *in consummatione*, id est, finaliter convincentur: & convincentur *in ira consummationis*, id est, usque ad consummatio-

tionem, & deſolationem: *& non erunt* ampliùs in regno, nec ſacerdotio, nec in gratiâ; ſed in captivitate. Vel etiam: perſeverabunt uſque ad *iram conſummationis*, id eſt, uſque ad diem Judicii quidam eorum: *& non erunt* ampliùs in hoc mundo. A

De Conſe. d. 2. Acceſſerunt.

15. *Et ſcient, quia Deus dominabitur Jacob, & finium terræ.*

TUNC cum viderint Chriſtum venientem ad Judicium cum poteſtate magna, & majeſtate, *ſcient*, & cognoſcent, *quia Deus*, & Dominus Jeſus Chriſtus *dominabitur Jacob, & finium terræ:* quia cognoſcent in eo univerſalem poteſtatem. Et tunc B

Supra eodem.

16. *Convertentur ad veſperam, & famem patientur ut canes: & circuibunt civitatem.*

CONvertentur & deſtruentur *ad veſperam*, & tenebras inferni, *&* ibi *patientur famem* gloriæ in æternum; *& circuibunt civitatem* inferni, pœnas patiendo.

90. d. ca. Alienus.

17. *Ipſi diſpergentur ad manducandum: ſi verò non fuerint ſaturati, & murmurabunt.* C

IPSI *diſpergentur ad manducandum:* ſed quia nunquam erunt ſaturati, nec guſtabunt bona ſpiritualia gloriæ; ideo *murmurabunt* contra Deum, & blaſphemabunt. Sed forſan melius eſt, ut ly *ſcient* referatur ad tempus *Anti-Chriſti* ante Judicium. Nam cùm viderint manifeſtam deceptionem, & interitum miſerabilem *Anti-Chriſti*, tunc *ſcient* & cognoſcent, quod Chriſtus fuit verus Meſſias, & *dominabitur Jacob, & finium terræ*: & tunc Judæi illuſtrati veritate fidei *convertentur ad veſperam* & finem mundi, id eſt, in fine mundi: ſed interim uſque ad illud tempus *patientur famem* bonorum ſpiritualium, *ſicut canes* patiuntur famem corporalem: & ſic *circuibunt civitatem* Eccleſiæ, & Sacræ Scripturæ, & non poterunt intrare uſque ad illud tempus, ut dictum eſt: ſed diſpergentur per mundum ad manducandum bona ſpiritualia in Lege promiſſa: ſed quia nunquam attingent pro illo ſtatu, ideo quia non fuerint ſaturati: ideo *murmurabunt* ſemper, & blaſphemabunt. D

Item, *diſpergentur*, id eſt, ſecundùm litteram *Hieronymi*, vagabuntur ipſi Judæi hodie per mundum ad manducandum cibos legales, qui quidem cibi legales non poſſunt ſaturare animam: ideo Judæi, quia ſe vident non ſaturatos talibus cibis, quia non habent talem virtutem ſicut ſacramenta novæ Legis: ideo continuè murmurant expectando falſum Meſſiam, qui liberet eos, & ſatiet bonis in Lege promiſſis. Et ſic circumeunt civitatem Dei, & nunquam intrant, nec attingunt finem promiſſum. E

Nota, quòd propter tria murmurant Judæi moderni. Primò, quia circumeunt mundum diſperſi, & non intrant civitatem terrenam Hieruſalem ad manducandum cibos legales materiales, & cætera ſacrificia. Secundò, quia non poſſunt intrare verum ſenſum ſpiritualem litteræ Legis: quia totum oppoſitum vident eorum, quæ ipſi expectant, & intelligunt in littera. Et ſic diſcurrunt decepti. Nam Deus promiſit omnes congregari in Hieruſalem ſpiritualem, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam, in qua manducantur cibi ſpirituales gratiæ, & gloriæ: & ipſi quærunt illam Hieruſalem terrenam, ut manducent cibos carnales. Et ſic ſemper fruſtrabuntur in deſiderio ſuo. Tertiò, etiam *murmurant* Judæi contra Deum querentes, propter quod peccatum detinentur in hac tam longa captivitate? Nam patres eorum peccaverunt per idololatriam, quod eſt maximum peccatorum: & tamen non fuerunt puniti, niſi per ſeptuaginta annos in captivitate *Babylonis*: ipſi autem qui cuſtodiunt Legem ad unguem, jam perſeverant in hac captivitate Romana ultra mille quadringentos annos. Sed cùm dicitur eis, quòd hoc evenit eis propter necem Chriſti: licèt negent ore, tamen bene norunt hoc eſſe verum in conſcientia. Et ideo tunc ſicut deberent converti, & agere pœnitentiam; tamen in ſua malitia obcœcati, maledicunt & blaſphemant Chriſtum. Sed hoc magis patebit *Pſal.* 108. in fine. F G

Judæi propter tria murmurant.

18. *Ego autem cantabo fortitudinem tuam: & exultabo mane miſericordiam tuam.*

15. q. 1. ca. Revertimini circa fin.

19. *Quia factus es ſuſceptor meus, & refugium meum, in die tribulationis meæ.* H

HIC etiam agit gratias, & dicit: Judæi converſi ſunt *ad veſperam*, & noctem ignorantiæ & tenebrarum, nolentes recipere lumen Meſſiæ: & ſic vadunt in nocte errando, circumeundo civitatem Sacræ Scripturæ, non valentes introire ad verum ſenſum & ſacramenta occulta: &

ſic

sic errant murmurando, & blasphemando. *Ego autem* per oppositum agendo gratias, & non murmurando, *cantabo fortitudinem*, & magnificentiam, & misericordiam & triumphum *tuum*. Et *exultabo misericordiam tuam mane*, id est, in die & lumine gratiæ, *eò quòd tu es factus susceptor &c.* Item, ipsi conversi sunt *ad vesperam*, id est, in fine mundi *convertentur*: & tunc in sero incipient cantare & confiteri; sed ego in *mane*, id est, in principio Legis gratiæ, quæ incepit illicò post resurrectionem, incepi, & *cantabo fortitudinem tuam &c. Et exultabo mane*, in principio Legis gratiæ, quæ incepit à Resurrectione Christi, *exultabo misericordiam tuam*, & prædicabo beneficia collata generi humano *: quia tu es factus susceptor meus, & refugium in die tribulationis* & persecutionis. Et ideo,

[11. q. 1. Ad mensam.]

20. *Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es : Deus meus misericordia mea.*

QUIA post tot persecutiones me suscitasti in capite & in membris, & ad gloriam suscepisti. Ex quibus patet, quòd littera hujus Psalmi, non potest applicari commodè & simpliciter ad *Saulem*, nec ad satellites suos, si speculari velimus; nec præcisè ad ipsum David, nisi in sola figura, in quantum fuit figura Christi.

Psalmus LIX.

[De Pæd. 1. Taciturnitas, v. Deus enim.]

1. *Deus repulisti nos, & destruxisti nos : iratus es, & misertus es nobis.*

TITULUS : *Ad victoriam*, sive *In finem super rosæ testimonium suave. Canticum David ad docendum, humilis & simplicis David, quando pugnavit contra Aram fluviorum, & Syriam, & Sobal, & reversus est Joab, & percussit Edom, in valle Salinarum duodecim millia.* Secundum vero *Septuaginta*: *In finem. Pro his qui commutabuntur in Tituli inscriptionem ipsi David in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriæ, & Sobal, & convertit Joab, & percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia.*

Secundo Reg. 10. & 1. *Paralip.* 18. legitur, quòd mortuo *Naam* Rege *Ammon*, misit David nuntios ad *Hanon* filium ejus, ut consolaretur super obitu patris. Sed milites *Hanon* putantes, quòd David misisset nuntios ad explorandum terram, semiraserunt barbas, & vestes eorum præsciderunt usque ad nates, & sic cum opprobrio remiserunt eos ad David. Videns autem *Hanon* male egisse, & timens ne David vellet injuriam vindicare, convocavit quosdam Reges *Syriæ* in auxilium, inter quos fuit *Sobal*, & *Rohob*, & *Istob*, & *Maacha* cum innumera multitudine peditum & equitum. Contra quos misit David *Joab* Principem militiæ, & *Abisai* fratrem ejus : qui vicerunt omnes illos Reges Syriæ. Tunc *Hanon* Rex *Moab* videns victos omnes Reges Syriæ, misit trans flumen *Euphraten* & convocavit multos Reges *Mesopotamiæ* in auxilium, inter quos cum magno exercitu *Adarezer* misit *Sobach* Principem militiæ suæ. Quem *Joab* vicit, occidit, & cepit quingentos currus & interfecit quadraginta millia equitum. Et percussit Regem Damasci ferentem auxilium ipsi *Adarezer*. Et postea cum toto exercitu Israel processit contra *Moab* & vastavit eum simul cum tota *Idumæa*. Et sic facta est *Idumæa* tributaria David cum *Moab* & *Damasco*, & magna parte *Syriæ*. Et etiam *Adarezer* trans flumen, & *Aram*, quæ est inter *Euphraten*, & *Tigrim* : ideo dicitur *civitas fluviorum*. Omnes istæ Civitates & Provinciæ factæ sunt tributariæ, & amicæ ipsi David. Et sic populus Israel qui totiens fuerat conculcatus, & subjectus, & vexatus propter peccata sua à supradictis civitatibus & regnis finitimis, postea factus est dominus eorum, propter strenuitatem David Regis Israel.

Videns ergo David, quòd non solùm triumphasset de Regno *Saulis*, quia omnes tribus sibi subjecerat; sed etiam triumphasset de alienigenis : ideo agens gratias de tot triumphis & victoriis fecit istum Psalmum. Et sic Hebræi exponunt ipsum litteraliter secundùm quòd videtur sonare Titulus Psalmi. Nam in Titulo ponitur : *super rosæ testimonium* : vel *pro rosis*, sive *pro liliis* : per quas rosas intelligitur plebs Israelitica semper, ut dicunt, quæ gloriatur in hoc Psalmo. Verumtamen si sic præcisè iste Psalmus litteraliter exponatur, tunc non pertineret ad Sacram Scripturam, nisi contineret aliquod sacramentum de Christo, aut Ecclesia : & sic non cantaret ipsum Ecclesia. Item sequeretur, quòd David non fuisset Propheta in hoc Psalmo, sed historiographus. Nec habuisset specialem gratiam Spiritus sancti, cujus oppositum explicatur in Titulo, cùm dicitur, *ad docendum* : ubi demonstratur, quòd David fuit doctus à Spiritu sancto, & docet nos, & erudit nos de aliquo futuro sacramento. Unde dictum est, quòd semper per *rosas* intelligitur Ecclesia Christi : quæ sicut rosa inter spinas, est orta ex spinis Judæorum, & Gentilium. Et ideo *Septuaginta* transtulerunt : *Pro his qui commutabuntur*, scilicet, popu-

lo

lo Chriſtiano, qui eſt *commutatus*, & converſus ex Judæis & Gentilibus.

NOTA. Quomodo per prædicta David prævidit regni Chriſti proſperitatem.

A Eſt ergo dicendum: quòd David per ſupradictos triumphos & victorias prævidit in ſpiritu proſperitatem regni Chriſtiani, & Eccleſiæ futuram. Nam primò per adverſitates & vexationes, quas paſſus eſt populus illo tempore *Judicum* uſque ad *Saulem*, & ipſum David, prævidit perſecutiones Eccleſiæ uſque ad *Conſtantinum*: & per perſecutiones ſuas prævidit perſecutiones Chriſti: & per hoc quod ipſe David primò factus eſt princeps paucorum, dum fugeret à facie *Saul*, & poſtea primò factus eſt Rex ſuper *tribum Juda*, poſtea paulatim adeptus eſt tribum *Ephraim*, & *Manaſſes*, & univerſaliter totum regnum Iſrael: per hoc prævidit in ſpiritu, qualiter Chriſtus prius debebat facere paucos diſcipulos de ſua parentela & conſanguinitate, B & ſic creſcere de aliis tribubus; nam de omnibus tribubus fecit *ſibi* diſcipulos. Nam *Petrus*, & *Andræas* erant de tribu *Zabulon* de *Bethſaida &c.* Et illicò in die Pentecoſtes fuerunt baptizati quatuor millia in *Hieruſalem*. Et ſic *Philippus* multos baptizavit in *Samaria*, quæ recepit Verbum Dei. Et ſic per omnes tribus multi venerunt ad jugum Fidei.

Item per hoc quod David miſit nuntios ad *Hanon* Regem *Moab*, & ipſe vituperavit eos & opprobrio affecit, prævidit David in ſpiritu, qualiter Chriſtus poſt converſionem paucorum Judæorum debebat mittere ſervos ſuos per univerſum mundum ad ſalutem & conſolationem Gentilium. Sed Gentiles debebant Apoſtolos, & Diſcipulos, & Chriſtianos multis opprobriis, & vituperiis afficere, & diverſis tor- C mentis torquere. Item per hoc quòd David finaliter triumphavit de omnibus regnis & civitatibus finitimis, prævidit in ſpiritu, qualiter Chriſtus & Eccleſia debebat poſt multas perſecutiones totum orbem, & populum Gentilem jugo Fidei ſubjicere per converſionem Magni *Conſtantini*. Et de omnibus his fuit doctus David à Spiritu ſancto.

Et ideo fecit hunc Pſalmum, *ſuper roſæ teſtimonium*, id eſt, in figura Eccleſiæ, ſive *pro his* populis, *qui commutabuntur*, & convertentur ad Fidem Chriſti, ſicut omnes illi populi, qui memorantur in Titulo, & in hoc Pſalmo, *commutati ſunt* ad jugum & obedientiam & tributum ipſi David. Et ad iſtum intellectum & ſen- D ſum cantat Eccleſia hunc Pſalmum. Duo ergo facit. Nam primò prædicit perſecutiones primitivæ Eccleſiæ, per figuram perſecutionum populi Iſrael. Secundò petit liberari. Ibi: *Ut liberentur dilecti tui.*

Quantum ad primum eſt advertendum: quòd David non ſolùm per perſecutiones ſuas, ſed per perſecutiones populi Iſrael factas uſque ad ſuum tempus, prævidit in ſpiritu perſecutiones primitivæ Ec- E cleſiæ. Nam ſicut ille populus illicò poſt exitum de Ægypto & ingreſſum terræ promiſſæ ibi habuit decem, vel duodecim magnas perſecutiones, ut patet per totum diſcurſum *libri Judicum*, & 1. *Reg.* uſque ad *Saulem*, & *David*: ita primitiva Eccleſia à *Reſurrectione* uſque ad *Magnum Conſtantinum* paſſa eſt decem, vel duodecim magnas perſecutiones, ſcilicet, ſub *Judæis*, & decem Imperatoribus. Sed fuit differentia. Nam populus ille paſſus eſt propter peccata & ſcelera ſua: primitiva autem Eccleſia paſſa eſt propter veritatem & juſtitiam Fidei Chriſti. Sed ſicut ille populus liberatus eſt ab omnibus perſecutionibus, & jugo ſervitutis, & tributi per David; immò ipſe David ſubjecit ſibi *Philiſthæos*, & *Idumæos*, & *Moabitas*, & *Da-* F *maſcenos*, & *Syros* uſque ad *Euphraten*, & fecit eos tributarios, ut patet 2. *Reg.* 7. ita pariter Eccleſia Chriſti, quæ antè per trecentos annos fuerat ſubjugata, & vexata, & expoliata à tyrannis & populo Gentili; poſtea poſt converſionem *Conſtantini* ſubjugavit omnes tyrannos & populum Gentilem jugo Chriſti.

David prævidit Eccleſiæ perſecutiones.

Hoc prævidens David in ſpiritu, dicit in perſona Eccleſiæ: *O Deus*, tu multotiens *repuliſti nos* in prima ætate, & ſecunda, ſcilicet, à diluvio uſque ad *Abraham*, & *Moyſen*: quia fuimus captivi in *Ægypto*: & poſtea *repuliſti nos* à te, & dimiſiſti nos decies ſub ſervitute & tributo tempore *Judicum*, uſquequò capta eſt *Arca* à Philiſtæis: ut patet 1. *Reg.* 4. Et poſtea facti ſumus tributarii *Philiſthæis*, & *Idumæis*; & tamen licèt aliquando ſic re- G puleris nos, & fueris iratus; tamen tandem ſemper *miſertus es nobis*, quia ſemper miſiſti nobis aliquem ſalvatorem. Nam *à captivitate Ægypti* nos liberaſti per *Moyſen*: & à vexationibus *Moabitarum*, & *Ammonitarum*, & *Idumæorum* nos liberaſti per *Judices*: & tandem ab omnibus nos liberaſti per David. Et ſic ſemper poſt iram & repulſionem *miſertus es nobis*. Nunc ergo poſt reſurrectionem,

2. Commoviſti terram, & conturbaſti eam: ſana contritiones ejus, quia commota eſt.

12. q. 1. Exemplũ.

H COmmoviſti totam *terram* Eccleſiæ, & *contribulaſti eam* diris perſecutionibus Tyrannorum propter juſtitiam Fidei Chriſti: ergo *ſana contritiones*, & tribulationes *ejus*, *quoniam commota* & vexata, & tribulata *eſt* per crebras & diverſas perſecutiones Imperatorum, & Tyrannorum: quod probo. Nam

3. *Of-*

22. q. 4. Quantus.

3. *Ostendisti populo tuo dura : potasti nos vino compunctionis.* A

OStendisti *populo tuo* Christiano *dura* tormenta : quia tot millia Martyrum occisa sunt ; & *potasti nos vino compunctionis*, & amaritudinis, & mœroris : quia cibus, & potus noster sunt lacrymæ, & fletus, & gemitus.

23. q. 4. cap. Quædam ; & de Consd. 5. Unitas.

4. *Dedisti metuentibus te significationem : ut fugiant à facie arcus:*

11. q. 3. Ad mensam.

5. *Ut liberentur dilecti tui : salvum fac dextera tua, & exaudi me.* B

DEdisti Christianis *metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus* Tyrannorum. Nam sicut aves audientes sonitus arcûs, aut balistæ, si videant alias aves cadentes vulneratas, tunc fugiunt *à facie arcus* venatoris : (nam ille sonitus arcus est eis signum, ut fugiant) ita pariter Christiani videntes sævas persecutiones Tyrannorum, & tot millia Martyrum occisa, fugiebant per montes & latebras. Unde *Papa Silvester* latebat in monte *Serapino*, quando vocatus est à *Constantino* : & ideo dicit : *Dedisti eis* signum *ut fugiant à facie arcus*, scilicet, à furia & commotione Tyrannorum. Ergo salvum fac populum tuum Christianum, ut dextera, & potestate tuâ, & virtute *liberentur dilecti tui* Christiani de tot, & tantis, & tam duris persecutionibus & tormentis ; & impone eis finem. C

24. q. 5. Dixit Dominus.

6. *Deus locutus est in sancto suo: Lætabor & partibor Sichimam: & convallem tabernaculorum metibor.* D

QUIA superiùs David in persona Ecclesiæ petit liberari à persecutionibus Tyrannorum ; hîc non solùm petit liberari, sed etiam prosperari, & subjicere omnes Tyrannos, & omnes populos Judæorum, & Gentilium. Et persuadet, quòd Deus hoc debet facere ex promissione quondam facta uni *sancto*, vel pluribus, & etiam sibi. Dicit ergo David in persona Ecclesiæ : O Domine, *salvum fac* populum tuum Christianum, *& exaudi me* : quia sic *Deus locutus est*, & promisit *in sancto suo*, id est, in sanctuario suo: E quia de sanctuario habui responsum & revelationem, scilicet, quòd ego *lætabor*, id est, cum lætitia triumphabo de multis populis. Nam primò *partibor Sichimam*, id est, bello acquiram civitatem *Sichem*, quæ est in *Samaria : & partibor*, & distribuam possessiones ejus servitoribus meis & bellatoribus : *& convallem tabernaculorum metibor*, id est, terram *Sochoth*, quæ est ultra Jordanem, ubi Jacob fixit tentoria reversus de *Mesopotamia* : qui quidem *Sochoth* fuerat à Gentilibus occupata : & tamen David cepit eam & imposuit ei leges & tributum. Unde *metiri*, nil aliud est; nisi sub legibus & limitibus arctare. Item,

1. d. 107.

F 7. *Meus est Galaad, & meus est Manasses : & Ephraim fortitudo capitis mei.*

MEUS *est* jam *Galaad*, quæ est ultra terram *Basam* & *Sehon* : & etiam, *meus est Manasses*, scilicet, dimidia tribus, quæ est ultra *Jordanem*, & tota terra tribus, & terra *Ephraim* facta est susceptio *capitis mei*, in qua caput meum quiescit; eò quòd est tribus major, & magis populosa inter omnes. Item,

23. q. 5. Non frustra.

G 8. *Juda Rex meus : Moab olla spei meæ.*

JUDA factus est *Rex meus*, id est, caput Regni mei, & terra *Moab* facta est *olla*, id est, refectio spei meæ : eò quòd de terra *Moab* veniebant omnia victualia in *Hierusalem* ; cùm terra *Moab* sit valdè fertilis, & *Hierusalem* sterilis. Item, non solùm subjeci mihi omnes populos supradictos, sed etiam

23. q. 5. Regũ est.

9. *In Idumæam extendam calceamentum meum : mihi alienigenæ subditi sunt.* H

EXtendam *calceamentum meum in Idumæam*, id est, calcabo *Idumæam* sub dominio meo, & ampliabo regnum meum usque ad eam : & *alienigenæ*, scilicet Philisthæi, ut habet littera *Hieronymi*, *mihi subditi sunt* sub tributo : cùm populus Israel antè esset eis sub tributo. Et sic omnes supradictos populos mihi subjugavi, sicut *Deus locutus est Sancto suo*.

Dubia.

Sed hîc sunt duo dubia necessaria. Primum : Quis est iste *Sanctus*, cui *Deus locutus est* de supradicta prosperitate, & am-

ampliatione regni David ? Secundum: Quomodo hoc facit ad propositum de liberatione Ecclesiæ Christi à persecutionibus A Tyrannorum: & de prosperitate, & dilatatione Regni Christi, quam petit in hoc Psalmo?

Ad primum est dicendum, quòd regnum materiale David, & dilatatio ejus, non solùm per unum, sed etiam per plures *Sanctos* fuit à Deo promissa. Nam primò fuit promissa per ipsum *Jacob*, *Genes.* 49. ubi dixit: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui.* Ista autem particula partim fuit impleta temporaliter in ipso *David* de Tribu *Juda*, cui omnes duodecim Tribus fuerunt finaliter subjectæ: & exinde posuit *manus suas super cervices inimicorum*, scilicet *Moabitarum*, *Ammonitarum*, *Philisthinorum*, *Idumæorum &c.* Secundò, ista magnitudo regni, & dilatatio fuit promissa ipsi *Moysi*, *Deut.* 1. & 11. quando dixit Dominus: *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit, à deserto & Libano, & flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri.* Manifestum est autem, quòd filii Israel ante tempora David nunquam possederunt totam istam terram; immò illicò post mortem *Josue* perdiderunt totam terram ultra *Jordanem*: immò omnes qui erant citra & ultra *Jordanem*, venerunt in servitutem Regis *Mesopotamiæ*, ut patet *Judicum* 3. Et sic semper fuerunt quasi in servitute interpolatim, usque ad regnum David, ut patet per totum discursum *libri Judicum*, & 1. *Reg.*

Regnum David promissum.

Sed David de stercore paupertatis à Deo elevatus, primò clam fuit per *Samuelem* unctus in Regem. Secundò, factus est princeps super consanguineos suos in spelunca *Odollam*, quasi quatuorcentos, 1. *Reg.* 22. Postea mortuo *Saul*, factus est Rex super Tribum *Juda* tantùm, 2. *Reg.* 2. & per septem annos pugnavit contra domum *Saul*. Et finaliter factus est Rex super omnes duodecim Tribus *Israel*, 2. *Regum* 5. Postea David percussit *Philisthæos*, & humiliavit eos, & tulit frænum tributi de manu eorum. Nam sicut antè *Israel* erat *Philisthæis* tributarius; postea *David* fecit eos sibi subjectos, & tributarios, ut patet 2. *Reg.* 8. Postea percussit *Moab*, & *mensus est eos funiculo coæquans terræ*, id est, sub limitibus & legibus suis arctavit, & subjecit, & factus est *Moab* sub tributo. Postea percussit *Adarezer* filium *Roob* Regem *Soba*. Et sic profectus est David, ut dominaretur super flumen *Euphraten*. Et sic David dilatavit regnum suum usque ad *Euphraten* subjiciendo sibi *Damascum*, & partem *Syriæ*, & totam *Idumæam*, & etiam ultra *Euphraten* Aran fluviorum sub tributo fecit, ut patet in eodem *cap.* 8. C D

Ex quo patet, quòd promissio facta *Moysi* de dilatatione regni *Israel* à *Libano* usque ad desertum *Ægypti*, & ab *Euphra-* E *te* usque ad mare nostrum occidentale, nunquam fuit completa usque ad *David*. Et hoc explicatur in Titulo hujus Psalmi, & partim in littera. Et hoc est quod dicit David: Ego *lætabor*, & triumphabo de omnibus istis populis, & dilatabo regnum meum, sicut *Deus locutus est in sancto suo* Jacob, *Genes.* 49. quando dixit: *Juda, te laudabunt fratres tui &c.* Et etiam, sicut *locutus est in sancto* suo Moyse, *Deut.* 11. quando dixit: *A deserto & Libano, & flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri.* Item etiam, *sicut locutus est in sancto suo* Samuele per matrem suam *Annam* in *Cantico*, 1. *Reg.* 2. & etiam 13. *cap.* quando dicit: *Quæsivit Dominus virum juxta cor suum, & præcepit ei ut esset dux super populum suum &c.* Et etiam, sicut *locutus est in sancto suo* Nathan, 2. *Reg.* 7. Et etiam de hoc facta fuit aliqua specialis revelatio & promissio ipsi *Nathan*, & etiam ipsi *David*, licèt non explicetur in libris Regum, sicut patebit *Psalmo* 88. Unde littera *Hieronymi* hìc habet: *Deus locutus est in sanctuario suo.* Ex quo patet, quòd hæc revelatio facta est ipsi David in tabernaculo: & sic patet responsio ad primum dubium. F

Nota.

Ad secundum dubium est dicendum, & advertendum, quòd quando David fecit hunc Psalmum, jam fuerat unctus Rex super universas tribus *Israel*, & jam subjecerat *Philisthæos*, & *Moabitas*, & *Ammonitas*, & *Idumæos*: & Aram fluviorum, & *Syriam* &c. ut patet in Titulo. Sed nos videmus, quòd in isto Psalmo adhuc petit G liberari à tribulationibus, & vino mœroris, & à facie arcus, allegans factam promissionem, sicut locutus fuerat Deus *in sancto suo*. Et etiam ulteriùs petit deduci à Deo in *civitates munitas usque in Idumæam &c.* Ex hoc patet, quòd petit Ecclesiam Christi futuram liberari à persecutionibus; & regnum Christi dilatari sicut prænoverat, figuratum per prosperitatem & dilatationem supradictam regni sui, & sicut noverat, prout *Deus locutus est in* illo *sancto suo* Jacob, aut Moyse, aut Samuele, aut Nathan, aut sibi ipsi *in sanctuario* Dei.

Et ideo subdit in ultima parte hujus Psalmi, cùm dicit:



Dist. 8. c. Quæ contra. 16. q. 2. Visis.

10. *Quis deducet me in civitatem munitam? Quis deducet me usque in Idumæam?*

QUASI dicat: Ego jam triumphavi de omnibus tribubus & regnis mihi promissis, sicut *Deus locutus est in sancto suo.* Nam ego regno super *Sichimam*, sive *Sichem*, & jam *metior*, & mensuro legibus meis *vallem tabernaculorum*: & jam *meus est Galaad*, & *Manasses*, & *Ephraim*, & jam sum principalis Rex in *Juda*: & jam *Moab est olla* mearum refectionum & victualium: & jam *extendi calcamentum meum in Idumæam*, quia mihi est subjecta sub pedibus; & *alienigenæ*, id est, *Philisthæi*, & cæteræ nationes usque ad *Damascum* & *Euphratem*, sunt mihi subditæ, & tributariæ: sed omnes istæ nationes & terræ sunt figuræ illarum terrarum & regnorum, quæ subjiciendæ sunt regno Christi. Ergo *quis deducet me in civitatem munitam?* Id est, tot civitates munitas, & fortissimas, & regna vastissima populi Gentilis: & *quis deducet me usque in Idumæam?* Id est, ad dominandum toti populo Gentili, qui per *Idumæam* figuratur: eò quòd *Idumæa* interpretatur *terrena*, & *sanguinea*, & *rubea*: & ideo totus populus Gentilis dicitur *Idumæa*: quia totus terrenus, & rebus terrenis, & non cœlestibus deditus, sicut *Esau*: & quia *rubeus*, & *sanguineus*, & non solùm ex bellis crebris inter se, sed quia rubeus & sanguinolentus erat sanguine Martyrum, quos interfecerat ante conversionem magni *Constantini*. Et subdit:

Inf. 167. c.

11. *Nonne tu Deus qui repulisti nos: & non egredieris Deus in virtutibus nostris?*

NONNE *tu Deus, qui repulisti nos* in manibus persecutorum, liberabis nos ab illis, & deduces nos in civitates, & regna Gentilium munitissima & fortissima? & per totam *Idumæam*? Id est, populum Gentilem, terrenum, & sanguinolentum; & subjiciemus eum jugo Christi à Solis ortu usque ad occasum, & ab Aquilone usque ad Austrum, sicut impletum fuit post magnum *Constantinum*? Et subdit David in persona Ecclesiæ: *Et* tu *Deus non egredieris in virtutibus nostris*? id est, ad pugnandum pro nobis: & dando nobis virtutem contra infideles? Quasi dicat: Immò facies. Ideo subdit:

* * *
* *

12. *Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.*

23. q. 3. cap. Sex.

DA *nobis* tu Jesu-Christe *auxilium de* ista persecutione & *tribulatione*, in qua stamus: quia non quærimus auxilium ab homine, nec per arma temporalia: *quia vana* est *salus* & auxilium *hominis*. Quasi dicat: Non quærimus liberari in virtutibus humanis, nec humanæ sapientiæ persuasibilibus verbis, *nec in curribus*, *nec in equis*. Sed quærimus auxilium Dei. Et sic

13. *In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.*

11. q. 3. c. Ad mensam.

IN *Deo faciemus virtutem* & victoriam, *& ipse ad nihilum deducet* inimicos & persecutores nostros Judæos, & Gentiles, & Hæreticos: quod partim fuit impletum in excidio *Hierusalem*, & in destructione Idolorum per conversionem *Constantini*: & totaliter implebitur per interitum miserabilem ipsius *Anti-Christi*.

Totus etiam iste Psalmus potest mysticè exponi: in quo David in persona totius corporis mystici petit liberari per passionem Christi à captivitate, & afflictione peccati. Quasi dicat: *O Deus*, tu *repulisti nos* à terrestri paradiso propter peccatum *Adæ*: *& destruxisti nos*, permittendo nostram naturam corrumpi, & sensualitatem vulnerari fomite concupiscentiæ: sed misertus es nobis per passionem &c. Sed postquam Ecclesia est liberata per Christi passionem à peccato; petit iterum liberari de persecutione inimicorum, ut dictum est. Et sic etiam Psalmus iste potest moraliter exponi de quocumque populo & civitate afflicta ab inimicis temporalibus, maximè infidelibus, ut Deus det illi virtutem, ut liberetur, & vincat, & subjiciat infideles. Quartò etiam potest exponi moraliter de quolibet peccatore à peccatis afflicto, ut Deus det ei virtutem, ut possit peccata à se repellere, & diabolum fugare, & regnum animæ suæ rationi subjicere, & Deo, & divinæ voluntati conformare. Et ita omnia illa nomina regnorum Infidelium, quæ David sibi subjecit, & domuit, & suppeditavit, possunt applicari diversis vitiis, quæ Fideles conculcant & domant, per Dei gratiam sibi collatam, & virtutem pœnitentiæ. Et sic prudens lector potest singula singulis applicare, secundùm, & juxta interpretationem illorum nominum.

PSAL-

PSALMUS LX.

A

1. *Exaudi Deus deprecationem meam: intende orationi meæ.*

28. d. ca. Sedulò. 15. d. ca. Sanctæ Romana.

TITULUS: *Ad victoriam*, ſive *In finem ſuper organum*, ſive *in Hymnis ipſi David.* Ex Titulo patet, quòd David fecit hunc Pſalmum, & dedit ipſum cantandum *in organis* ſimul cum voce humana toto conatu vocum, eò quòd dirigit nos in Chriſtum & Eccleſiam, quæ eſt finis Legis. Unde autem determinatè ſumpſit occaſionem David ad faciendum hunc Pſalmum, incertum eſt: ſed creditur communiter, quòd quando David evaſit à manibus *Saulis*, qui tenebat ipſum obſeſſum in monte deſerti *Maon*, & cinctum *ad modum coronæ*, & fugit inde, & latuit in locis tutiſſimis *Engaddi*: qui quidem montes ſunt in finibus Judeæ juxta *mare ſalſum*, ut patet 1. *Reg.* 24. B

Et ſic Hebræi moderni exponunt iſtum Pſalmum, quomodo David agit gratias, quia evaſit illud periculum & anxietatem: & poſtea acquiſivit regnum. Sed licèt ſit verum quod David ſumpſit occaſionem faciendi hunc Pſalmum ex evaſione illius periculi, in quantum ibi prævidit in ſpiritu perſecutionem & anxietatem Eccleſiæ Chriſti futuram, & æternitatem Regis ejus Chriſti: tamen non eſt ſiſtendum in littera, ut ſæpe dictum eſt: immò ſi C quis velit totam litteram hujus Pſalmi applicare ipſi David Regi Iſrael, comperiet manifeſtè falſum. Nam David nunquam fuit in æternum in illo regno temporali, ut dicitur in littera. Ergo patet, quòd hîc loquitur de regno Chriſti æterno.

Tria ergo facit David. Nam primò, petit orationem & deprecationem ſuam exaudiri in perſona Eccleſiæ. Secundò, gaudet ſe exauditum. Tertiò, promittit vota pro gratiarum actione. Secunda ibi: *A finibus terræ.* Tertia ibi: *Sic Pſalmum dicam.*

Differentia inter orationē, & deprecationem.

Quantum ad primum eſt advertendum, quòd inter orationem & deprecationem hoc intereſt: nam *deprecatio* petit ab aliquo malo liberari; ſed *oratio* petit D aliquam gratiam ſibi dari: & Eccleſia Chriſti primitiva ſemper uſque ad *Conſtantinum* petebat liberari à perſecutoribus Judæis, & Tyrannis; & dilatari hæreditatem ſuam, & cultum Chriſti uſque ad fines terræ: quod impletum fuit poſt converſionem Magni *Conſtantini.* Sed quia poſtea fuit infeſtata ab Hæreticis, & infeſtabitur uſque ad *Anti-Chriſtum*; & tunc totaliter liberabitur ab omnibus tribulationibus, & conſequetur hæreditatem

æternam in cœlo; & regnabit cum Chriſto Rege ſuo æterno: Ideo David hoc prævidens in ſpiritu, in perſona totius corporis myſtici, cujus ipſe eſt de principalibus membris, dicit: O Deus, *exaudi deprecationem meam*, à præſentibus perſecutionibus & malis liberando: & *intende* & annue *orationi meæ*, mihi poſt longas tribulationes optatam hæreditatem largiendo. E

2. *A finibus terræ ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me.*

2. q. 4. *Mennam*, & 3. q. 9. cap. *Dignum.*

HIC gaudet, ſe exauditum in ſua *deprecatione*, & *oratione*, explicando mala, de quibus eſt liberatus, & hæreditatem, quam eſt conſecutus, & dicit: O Deus, per omnes partes mundi fui afflicta & infeſtata à perſecutione Tyrannorum, ſcilicet, ab *India* in *Hiſpaniam*, & à *Syria* in *Æthiopiam* fuit perſecutio Martyrum, & omnium Chriſtianorum. Et ſic undique *à finibus terræ ad te clamavi*, ut me liberares; quia ubique *fiebat oratio ab Eccleſia ſine intermiſsione*, ne deleretur Eccleſia. Et ideo dicit: *A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur*, id eſt, dum Martyres, qui ſunt *cor meum* & viſcera mea, anxiarentur & torquerentur. Sed tu Domine *exaltaſti* & fundaſti me *in petra* Fidei, qui eſt ChriſG tus, ſupra quem fundata eſt Eccleſia. Unde maximè Eccleſia fuit exaltata, quando Conſtantinus eam multipliciter honoravit, & ditavit, & jugo Fidei obedivit. F

3. *Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea: turris fortitudinis à facie inimici.*

2. q. 7. *Teſtes*, §. *Chriſtus.*

TU Domine *deduxiſti*, & liberaſti me de tot perſecutionibus, *quia factus es ſpes mea*, & factus es *turris fortitudinis*, in quo, & per quem fui tutatus *à facie*, & incurſu *inimici* populi Gentilis me perſequentis.

11. q. 3. Ad mensam.

4. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula : protegar in velamento alarum tuarum.* A

23. q. 6. Schismatici.

5. *Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam : dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.*

HAbitabo *in tabernaculo tuo*, & in hac *turri fortitudinis* fundata super firmam petram, & *protegar in velamento* & protectione *alarum tuarum* in sæcula, hîc per fidem & gratiam, & in futuro per gloriam : *quoniam tu* Domine *exaudisti orationem meam* : ideo *dedisti hæreditatem* B fidelibus *timentibus*, & colentibus *nomen tuum*, quod est Jesus. *Hæreditatem*, dico, id est, ampliationem Ecclesiæ, & Regni tui usque ad fines terræ. Nam per magnum *Constantinum* dedisti dominium & ditionem Ecclesiæ in tota *Italia* in magnum patrimonium, & dedisti ei obedientiam omnium Regum & Principum, usque ad fines terræ. Unde non solùm *dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum* in terra, sed etiam in cœlo : quæ quidem *hæreditas* est æterna. Nam Rex ejus Christus est æternus, cui tradita est *omnis potestas* à Patre *in cœlo*, *& in terra*, & in omnibus abyssis, etiam in quantum homo: & traditum est universale Regnum æternum. Nam tu Pater C

56. d. c. Dominus. 2.

6. *Dies super dies regis adjicies: annos ejus usque in diem generationis & generationis.*

ADjicies dies infinitos *super dies regis ejus*, id est, istius regni, & æternæ hæreditatis : & *adjicies annos istius regis usque in diem generationis & generationis*, quæ est æternitas. Nam sicut hæc temporalis vita dicitur *generatio & generatio* propter successionem ; ita illa gloria & æternitas dicitur *dies*, & finis hujus *generationis & generationis*, cujus diei non est finis. D

*** ***
*** ***

E 7. *Permanet in æternum in conspectu Dei : misericordiam & veritatem ejus quis requiret?* Luc. 2.

ISTE Rex Christus *permanet in æternum in conspectu* Patris, sedens ad dexteram ejus quantum ad æqualitatem ; & in quantum homo, in potioribus bonis: quia *potestas ejus*, *potestas æterna* ; *& regnum ejus*, *æternum*, *quod non auferetur. Dan. 7.* Et ideo *quis requiret*, & investigare poterit *misericordiam & veritatem ejus* ? Et ponitur hîc *veritas* pro justitia & æquitate. Quasi dicat. Nullus poterit investigare profunditatem, & altitudinem, & latitudinem misericordiæ & justitiæ hujus Regis Christi sedentis ad dexteram Patris, cui tradita est omnis judiciaria potes- F tas &c. Nam omni pœnitenti dat veniam per misericordiam, & superbis, & impœnitentibus pœnam per justitiam.

12. q. 1. Simul.

8. *Sic Psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi : ut reddam vota mea de die in diem.*

HIC promittit vota pro gratiarum actione de tantis beneficiis receptis: quia non solùm fuit de persecutionibus liberata, sed etiam consecuta est hæreditatem æternam, in terra per gratiam, & in cœlo per gloriam. Ideo ait : *Sic*, id est, propter hoc, *dicam Psalmum*, & psalmo- G dias cantabo *nomini tuo*, qui est Christus, *in sæculum sæculi*, celebrando anniversaria, & quotidiana officia, & festivitates in hac Ecclesia : & *reddam vota mea in sæculum sæculi*, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam : hîc, à generatione in generationem ; & ibi, *in sæcula sæculorum* laudabo te cum sanctis Angelis.

Ex his patet, quòd iste Psalmus non potest præcisè intelligi de David litteraliter. Unde est advertendum : quòd sicut pluries dictum est, per *nomen Domini* semper Propheta intelligit *Christum Filium Dei* : & ideo dicit Propheta in persona totius corporis mystici : O Pater, post tot beneficia recepta ego *dicam Psalmum* H *nomini tuo*, scilicet, laudabo te in Jesu Christo Filio tuo ; quia Pater laudatur, & adoratur, & veneratur in Christo Filio suo, & econverso : à quo honore non excluditur Spiritus sanctus, quia tribus personis honor unus debetur.

*** *** ***

PSAL-

PSALMUS LXI.

2.q.3.§. Evidēter.

1. *Nonnè Deo ſubjecta erit anima mea ? ab ipſo enim ſalutare meum.*

23.q.8.c. ult.

2. *Nam & ipſe Deus meus , & ſalutaris meus : ſuſceptor meus, non movebor amplius.*

Et 32.q. 2.c. Aliquando.

3. *Quouſque irruitis in hominem? interficitis univerſi vos : tanquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ?*

TITULUS : *Ad victoriam* , ſive *In finem. Pro Idithun* , *Pſalmus David.* Ex Titulo patet , quòd David fecit hunc Pſalmum , & dedit ipſum cantandum in choro *Idithun* cum toto conatu , ad victoriam vocum. Sed ad intelligendam materiam, primò figurativam , ſecundò principalem & figuratam hujus Pſalmi , eſt notandum: quòd Deus juſtus judex & miſericors , propter ſuperbiam & inobedientiam reprobavit *Saulem* , & privavit regno : & propter humilitatem , & patientiam , & obedientiam quæſivit , & elegit David , & dedit ei Regnum Iſrael in pretium & præmium humilitatis & obedientiæ : licèt gratiâ Dei præcedente primò fuerit electus , ut patet 1. *Reg.* 13. cum dicitur : *Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum ; & præcepit ei Dominus , ut eſſet dux ſuper populum ſuum.* Et ſic poſtea ex præcepto Domini , *Samuel* unxit ipſum David in regem , ut patet infra *cap.* 16. Ex quo patet , quòd regnum Iſrael datum eſt à Deo ipſi David in pretium : primò propter ejus humilitatem & obedientiam erga Deum. Secundò , eò quòd interfecit *Goliath* , & abſtulit opprobrium Iſrael. Et ſic datum eſt duplex pretium ipſi David , primò filia *Saul* in uxorem. Secundò datus eſt ei major honor , quàm Regi , cùm mulieres cantarunt in choro , dicentes : *Saul occidit mille , & David decem millia* : unde ex iſta invidia & zelo conatus fuit *Saul*, non ſolùm auferre pretium Regni , à Deo promiſſum ipſi David ; ſed etiam uxorem filiam promiſſam pro victoria habita de *Goliath.* Nam primò abſtulit ei *Merob* , quam ſibi promiſerat , & tradidit ipſam *Hadrieli Molachitæ* in uxorem ; & *Michol* tradidit ſibi in ſcandalum , ut occideretur à Philiſthæis , ut patet 1. *Reg.* 18.

De donis David.

Unde tali invidiâ non ſolùm fuit ſauciatus *Saul* , ſed multò magis *Doeg* , & *Abner* , & multi alii , qui ſemper incitabant *Saulem* ad iram , ut interficeret David , & auferret ei pretium regni à Deo promiſſum , & honorem , & filiam Regis. Unde ex hac cauſa ipſe *Saul* expoluit ipſum David multis periculis , à quibus omnibus evaſit ex gratia Dei propter ſuam humilitatem & patientiam , & finaliter obtinuit regnum , & pretium promiſſum. Nam primò evaſit , quando *Saul* trajecit ſibi lanceam , ut transfigeret ipſum in pariete. Secundò , quando miſit eum , ut auferret centum præputia Philiſthæorum , & ipſe interfecit ducentos Philiſthæos. Tertiò, quando iterum nixus eſt *Saul* cum lancea configere ipſum in pariete , dum pſalleret , ut patet *cap.* 19. Quartò , quando *Saul* miſit ſatellites , ut circuirent domum & occiderent eum : ſed *Michol* demiſit eum per feneſtram , *cap. eodem.* Quintò, quando ivit ad occidendum eum , & invenit eum prophetantem cum *Samuele* in *Ramatha* , & ipſe expoliatus ſimul prophetavit cum eis. Unde exivit proverbium : *Num Saul inter Prophetas ? cap. eodem.* Sextò, quando *Saul* expectabat David , ut veniret pacificus ad kalendas ut in prandio ipſum occideret. Sed admonitus à *Jonatha* per tractum ſagittarum , evaſit , & abiit in *Nobe* , *cap.* 20. Item 21. quando ſe finxit inſanum , & evaſit de manibus *Achis* Regis *Geth.* Octavò , quando evaſit de civibus *Ceilæ* , qui volebant ipſum tradere in manibus *Saul* , *cap.* 23. Item nonò , quando evaſit de *Ziphæis.* Decimò , quando evaſit de ſpelunca in locis tutiſſimis *Engaddi* , & præſcidit oram veſtimenti *Saul* : & etiam quando abſtulit haſtam & ſcyphum ipſi dormienti. Ex omnibus prædictis decem periculis evaſit David propter humilitatem , & patientiam , & firmam ſpem, quam in Deo poſuit , & obedientiam quam Deo ſemper geſſit : in quibus omnibus myſticè prævidit David in ſpiritu totum diſcurſum Eccleſiæ , & proſperitates, & perſecutiones ejus ab *Abel* juſto uſque ad judicium. Et maximè prævidit decem perſecutiones communes Eccleſiæ Chriſti, ſcilicet , in ſtatu gratiæ & Legis Euangelicæ.

Ad cujus intelligentiam eſt iterum notandum , ſicut dictum eſt *Pſalmo* 5. quòd illicò in principio diviſum fuit totum genus humanum in duas civitates , ſive ſocietates ; unam Dei , & alteram diaboli. Has duas civitates diviſerunt duo amores, ut inquit *Auguſtinus.* Nam *amor mundi, & bonorum temporalium conſtituit civitatem terrenam & diaboli. Nam illa incepit ab amore ſui uſque ad contemptum Dei.* Cujus primus civis fuit *Cain. Amor autem Dei incipiens ab amore Dei uſque ad contemptum ſui , conſtituit civitatem Dei* , cujus primus civis fuit *Adam* , & *Abel.*

Not. de diviſione generis humani in duas civitates.

Abel. Ideo isti dicti sunt *filii Dei.* Illi verò *filii hominum* : eò quòd in hoc mundo & carne constituerunt spem suam & felicitatem ; isti verò in solo Deo. Et ideo *filii hominum* illius civitatis semper persecuti sunt *filios Dei* & hujus civitatis, propter bona temporalia. Et sic primò *Cain* persecutus est *Abel* , & *Chaldæi Abraham* , & *Ismael Isaac* , & *Esau Jacob*, & *Saul* , & *Doeg* ipsum David. Et sic populus Judæorum & Gentiles persecuti sunt Christum , & Ecclesiam suam , quæ propriè dicitur *Civitas Dei* , usque ad Antichristum. Et hoc prævidens David in spiritu fecit hunc Psalmum , à quibus persecutionibus semper fuit liberata Ecclesia propter humilitatem & patientiam , & liberabitur totaliter post interitum *Antichristi.*

Et hæc est principalis materia hujus Psalmi , quam David prævidit in spiritu per suas persecutiones : in quo Psalmo tria facit David. Nam primò in persona totius Ecclesiæ , sive hominis mystici , invehitur contra cives terrenæ civitatis conantes Ecclesiam , sive civitatem Dei pervertere , & auferre pretium æternum. Secundò , exhortatur cives civitatis Dei ad perferendas persecutiones per firmam fidem , & ad contemnendas divitias , & bona temporalia per firmam spem bonorum cœlestium. Tertiò , hìc concludit propositum ex divina justitia & misericordia. Secunda ibi : *Sperate in eo omnis congregatio.* Tertia ibi : *Semel locutus est Deus.*

Duas civitates faciunt duo amores.

Quantum ad primum est advertendum , sicut dictum est secundùm *Augustinum* , quòd duo amores distinguunt , & diversificant istas duas civitates , scilicet, *amor Dei* , & *amor mundi.* Amor Dei consistit in fide , spe , & charitate , & humilitate , & patientia , & obedientia ; & per consequens in desiderio cœlestis patriæ, qui est finis , & præmium ultimatum hujus civitatis. Amor verò mundi consistit in concupiscentia , & ambitione bonorum , & dominii , & in avaritia bonorum temporalium , & in concupiscentia carnis &c. Et ista sunt arma , quibus civitas terrena , sive diaboli , semper infestavit civitatem Dei , & Ecclesiam à principio usque ad judicium universale. Sed fides , spes , & charitas , & humilitas &c. sunt arma , quibus civitas Dei se semper defendit in hac peregrinatione à civitate diaboli , & maximè in statu Euangelico.

Ergo ista civitas Dei , sive iste homo mysticus , totiens vexatus & infestatus à filiis terrenæ civitatis & infidelibus , invehitur contra eos : & incipit sententia in tertio versu dicens : *Quousque* , ò filii hominum , supple : id est , quamdiu durabit malitia vestra contra me ? Et quare *irruitis in hominem* mysticum & fidelem , tanquam canes rabidi ipsum mordendo & infestando ab *Abel* usque ad Christum ; & *universi vos interficitis* ipsum, maximè tempore Legis Euangelicæ ? quia primò interfeciſtis Caput , scilicet Christum ; postea interfeciſtis membra , scilicet Apostolos & tot millia Martyrum. Quæ quidem persecutiones & cædes durabunt usque ad *Anti-christum.* Item , *quousque* etiam insidiamini , & insultatis , & incumbitis , supple , isti *parieti inclinato* , *& maceriæ depulsæ* , & agitatæ & infestatæ ? Unde iste homo mysticus vocat se *parietem inclinatum* , id est , hominem humilem , & pauperem , & debilem : & vocat se *maceriam depulsam* : nam sicut inimici obsessores civitatis volunt diruere muros & parietes , & maceriam civitatis cum machinis & tormentis impellere hinc & inde, huc & illuc , usquequò ille murus & maceria diu depulsas minetur ruinam : ita Tyranni & Infideles diversis minis , & tormentis agitabant , & infestabant , & depellebant muros , id est , mentes fidelium, & etiam fidem eorum tentabant , si possent eos à proposito bono , & fide Christi divellere , & prosternere , & ad eorum perfidiàm attrahere. Et ideo dicit : *Quousque irruitis in hominem* istum fidelem & mysticum ? *& universi vos interficitis* eum , & insultatis , & incumbitis ei *tanquam parieti* jam *inclinato* & victo , *& maceriæ* , sive muro depulso ? Unde *maceria* est murus terrenus & fragilis. Et sic Tyranni putabant per tormenta mentes Martyrum & Fidelium , tanquam *maceriam* terrenam & fragilem , divellere , & faciliter repellere.

Sed contra hos invehitur homo mysticus , dicens : In vanum laboratis , quia nunquam me poteritis à firmo proposito divellere , cùm sim munitus & armatus armis irrefragabilibus , scilicet Fidei , Spei, & Charitatis Christi , & humilitatis , & patientiæ , quibus repellam ictus & incursus & insultus vestros , supple. Ideo ait: *Nonne anima mea erit* semper *Deo subjecta* per humilitatem , & patientiam , & fidem ; & *ab ipso* erit *salutare meum* & auxilium ? *Nam ipse* Christus est *Deus meus* & *salutaris meus* , quia ideo dicitur *Jesus* , id est , *Salvator* : & est *susceptor*, & defensor meus in omnibus tribulationibus. Et ideo *non movebor amplius* : id est, nunquam cadam , nec deficiam à proposito veræ fidei , licèt omnes fluctus & minæ Tyrannorum , & omnia genera tormentorum veniant super me , postquam anima est talibus armis munita. Si ita est ergo , quòd Jesus-Christus est defensor, & *susceptor* , & *salutaris meus* ; *quousque irruitis in* istum *hominem* , & interficitis eum , & incumbitis *tanquam parieti inclinato* , *& maceriæ depulsæ* ? id est , putatis quòd sit *paries inclinatus* & *maceria depulsa* ? Quasi dicat : decipimini , & frustra

tra agitis & laboratis : immò cognoſcetis, quòd eſt murus inexpugnabilis, & columna immobilis. A

4. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in ſiti : ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.*

3. q. 1. Nulli dubium. Et 23. q. 4 Qui ſecundùm.

HIC explicat cauſam quare Tyranni, & Infideles, & pravi conantur pervertere mentes fidelium & juſtorum à bono propoſito fidei & juſtitiæ: & dicit, quòd hoc faciebant, & faciunt mali, ut juſti perdant præmium & pretium eis promiſſum.

Ad cujus evidentiam eſt notandum, quòd præmium & *pretium* juſtorum pro laboribus ſuis, eſt regnum cœlorum, & vera beatitudo. Et hoc explicavit Chriſtus, *Matth.*5. dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Et, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Et ſic concludit Chriſtus: *Merces veſtra copioſa eſt in cœlo &c.* unde propter hoc *pretium* & præmium laboraverunt, & paſſi ſunt *Abel*, & *Noe*, *Abraham*, & *Iſaac*, & *Jacob*, & omnes antiqui Patres, ut ait Apoſtolus *ad Hebr.* 11. Sed quia ſciebant in ſpiritu, quòd hanc promiſſionem & pretium non poterant conſequi, niſi per Chriſtum venturum; ideo primò & immediatè expectabant Chriſtum venturum, qui erat finis illius Legis: & ſic mortui ſunt omnes, & non acceperunt repromiſſiones & pretium ſuorum laborum, uſque ad Chriſtum: *ut non ſine nobis conſummarentur*, ut inquit *Apoſtolus* ibidem. B C

Merces laborum eſt beatitudo

Hoc idem ait Salvator, *Matth.*20. in parabola *de vinea*: quia à prima hora uſque ad undecimam, & ad ſero omnes laboraverunt in vinea : tamen nunquam acceperunt mercedem & pretium illius *denarii* promiſſi, niſi nobiſcum in ſero. Et ſic fuerunt facti noviſsimi primi. Nam *Latro* prius accepit *denarium*, quàm *Abraham*, qui adhuc erat in Limbo : quia eodem die paſſionis fuit cum Chriſto in paradiſo : nam ubi eſt Chriſtus, ibi eſt paradiſus. Ex quibus patet, quòd merces, & præmium, & pretium pro quo accipiendo juſti laboraverunt & paſſi ſunt, eſt regnum cœlorum, & beatitudo, quod nunquam potuit, nec poteſt quis adipiſci, niſi per fidem & ſpem Chriſti, & charitatem &c. Et ideo diabolus, & membra ejus, ſemper laborarunt, & conantur *repellere* & avertere iſtud *pretium* & præmium à fidelibus & juſtis. Et quia aliter iſtud *pretium* & præmium non poteſt perdi, nec amitti, D

niſi per amiſſionem fidei, & charitatis Chriſti; ideo diabolus, & membra ejus ſemper conati ſunt à principio, & conantur, ut juſti & fideles, & cives Dei perderent fidem Chriſti; & per conſequens *pretium* & præmium ejus. Et hoc faciebant primò per promiſſiones bonorum temporalium, & carnalium voluptatum, & in fine adhibebant dura & intolerabilia tormenta, ut patet in paſſionibus Martyrum : & hoc idem faciet Anti-Chriſtus. E

Nota de Tyrannis, & Anti-Chriſto.

Hoc eſt ergo quod dicit iſte homo myſticus: *Verumtamen*, id eſt, *certè*. Ideo iſti Tyranni, & diabolus, & membra ejus irruerunt in me, & interfecerunt &c. quia *cogitaverunt repellere*, & annihilare *pretium meum*, & mercedem, & præmium regni cœlorum, mihi propter fidem & charitatem promiſſum. Quod quidem regnum cœlorum dicitur *pretium* fidei & charitatis *in ſiti* & deſiderio; cujus pretii & præmii causâ ego *cucurri*, & peregrinatus ſum in hac vita: nam *in ſiti* & deſiderio hujus *pretii*, & præmii, & mercedis peregrinati ſunt antiqui ab *Adam* uſque ad Chriſtum: & eodem deſiderio nos peregrinamur uſque ad Judicium: quia unuſquiſque *currit in ſtadio*, ut accipiat hoc bravium, unuſquiſque laborat in vinea, & portat pondus diei, & æſtus, & patitur *ſitim*, ut accipiat hunc denarium & pretium. Et ideo dicit: propter *ſitim* & deſiderium hujus *pretii* ego *cucurri*, & peregrinatus ſum, & laboravi in vinea per fidem &c. Ipſi *cogitaverunt repellere*, & auferre à me *pretium meum* & mercedem per ſuas promiſſiones temporales : & ſic cum promiſſionibus & blandis verbis me volebant decipere. F

Regnum cœlorũ dicitur pretium fidei.

Ideo ſequitur : *Ore ſuo benedicebant*, id eſt, bona verba, & perſuaſibilia, & blanda, & adulatoria dicebant, promittendo divitias, & honores, & dignitates, ſi dimitterem fidem Chriſti, ut patet in hiſtoria *Beati Stephani*, & aliorum Martyrum &c. Sed *corde ſuo maledicebant*, id eſt, ad malum finem & perverſam intentionem hoc dicebant: quia ut perverterent mentem meam, & me à fide & charitate Chriſti ſepararent, hoc dicebant : ſicut dicebat *Dacianus* Beato *Vincentio*. Hoc ipſi bonis verbis primò faciebant; verumtamen in vanum laborabant, quia mens mea immota manſit, & verba, & promiſſiones eorum vertebantur inanes. Ideo converſus iſte homo ad animam ſuam, G

ſubdit:



5. *Ve-*

7. q. 1. c. Sciendum

5. *Verumtamen Deo subjecta esto* A *anima mea : quoniam ab ipso patientia mea.*

O *Anima mea*, *esto* & sis semper *Deo subjecta* per fidem, spem, & charitatem : & ne timeas tormenta eorum, nec acceptes falsas promissiones, *quoniam* Deus nunquam tibi deficiet, nec deseret te. Et nota, quòd ly *esto*, potest esse tertiæ personæ *Imperativi modi*, & sic ly *anima*, erit tertiæ personæ : *quoniam ab ipso* est *patientia*, & virtus, & fortitudo *mea.*

De Consec. d. 3. c. ult.

6. *Quia ipse Deus meus, & Salvator meus : adjutor meus non* B *emigrabo.*

IPSE Jesus Christus est *Salvator*, & susceptor, & *Deus meus :* ideo *nunquam emigrabo*, nec recedam à firmo proposito fidei.

2. q. 7. c. Testes.

7. *In Deo salutare meum, & gloria mea : Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est.*

IN *Deo* est *salutare*, & salvatio mea, & *gloria mea*, & ipse est *Deus* meus *auxilii mei*; & tota *spes mea in Deo est.* Et C ista sunt arma, scilicet fides, spes, & charitas Christi, & patientia, quibus me defendam contra incursus, & ictus, & tormenta diaboli, & membrorum ejus. Et non solùm me defendam, sed etiam vincam, & triumphabo de eis.

11. q. 3. c. Ad mensam.

8. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra : Deus adjutor noster in æternum.*

HÆC est secunda pars principalis, in D qua exhortatur fideles ad fidem & spem contra inimicos civitatis Dei. Dicit ergo : O vos congregatio, & Ecclesia populi & civitatis Dei, sumite ista arma supradicta, & *sperate in eo.* Sed quia ista arma non dantur nobis ex meritis nostris, nisi ex sola Dei gratiâ & misericordiâ ; ideo *effundite corda vestra*, & orate semper *coram illo*, ut largiatur vobis supradicta contra diabolum & membra ejus. Et *Deus* det vobis gratiam prævenientem, & cooperantem, & perficientem : quia ipse est *adjutor noster in æternum*, & non est alius E qui pugnet pro nobis &c. Et ista sunt arma justorum.

12. q. 1. ca. Omnis ætas.

9. *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris : ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.*

POSTQUAM superiùs Propheta in persona corporis mystici memoravit arma civium civitatis Dei, & inexpugnabiles, & insuperabiles vires eorum ; hîc memorat arma diaboli, & membrorum ejus, quibus pugnat contra civitatem Dei, & quomodo F de per se sunt vana & frivola, si arma Christi objiciantur.

Arma diaboli, & Tyrannorum.

Unde est advertendum, quòd arma, quæ diabolus & membra ejus objiciebant Martyribus, sunt superbia, & inanis gloria, & avaritia, & voluptates, ut dictum est : quia promittendo honores, & dignitates, & divitias, & voluptates, quæ sunt *pretium* amatorum hujus mundi ; cum his putabant *repellere pretium* fidei à Martyribus : & cùm per ista non potuerunt eos pervertere, tunc adhibuerunt superbiam, & iram, & tormenta. Sed etiam cum his minus potuerunt eos avertere, nec dejicere à firmissimo proposito & statu fidei. Ex quibus patet, quòd omnia ista arma diaboli, & filiorum hominum, sunt vana, & frivola, & misera.

G Ideo dicit Propheta : *Verumtamen vani filii hominum*, confidentes in talibus armis, & ponentes spem suam in bonis temporalibus ; & *mendaces filii hominum*, id est, cives terrenæ civitatis, *in stateris*, & ponderibus, & mercibus suis : quia divitiæ non possunt accumulari in magna quantitate, nisi cum mendacio, & fraude, & rapina, & violentia : quia omnis pecuniosus violentus est raptor, aut fraudulentus in verbis, & ponderibus, & mensuris, & *stateris*, in tantùm *ut ipsi decipiant* alios *in idipsum*, id est, simul & pariter *in vanitate* & mendacio. Et ideo *filii hominum* volentes magnas pecunias con- H gregare, sunt pariter *vani*, & *mendaces*, *ut decipiant in stateris* & ponderibus. Sunt enim *mendaces*, in quantum decipiunt mentes : & sunt *vani*, in quantum propter temporalia corruptibilia & transitoria volunt perdere animam, & felicitatem æternam. Et sic propter *pretium* temporale perdunt æternum & cœleste. Et ideo Martyres fuerunt sapientes, & non *vani*, qui propter temporale noluerunt perdere *pretium* æternum, immò propter illud passi sunt &c. Et ideo Propheta exhortatur omnes, ut fugiant, & contemnant

nant iſta frivola & vana temporalia, quæ non poſſunt beatos facere ſuos poſſeſſores. Et dicit: A

47. d. ca. Sicut hi, & 12. q. 2. Gloria Chriſti.

10. *Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere: divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.*

NOlite *ſperare in iniquitate*, id eſt, nolite amare injuſtitiam & mendacium, nec propter divitias congregandas decipere proximum in menſuris, & ponderibus, & *ſtateris*, nec loqui iniquitatem. Et *nolite concupiſcere rapinas*, nec uſuras, nec aliquid hujuſmodi. Et ſi fortè divitiæ veſtræ affluant & abundent, licèt B bene acquiſitæ; tamen *nolite cor* & ſpem veſtram *apponere* in eis: quia ad uſum dantur, & non ad fruitionem. Unde non prohibetur earum uſus, nec poſſeſsio; ſed abuſus, & nimia affectio cum contemptu rerum ſpiritualium. Quaſi dicat: Primùm quærite *pretium* & præmium cœleſte; deinde utimini cum diſcretione iſtis rebus terrenis, & de neceſsitate: & ne propter eas congregandas proximus lædatur.

De Pœ. d. 1. Omnis qui non diligit. Et 34. q. 1. Odi, & cap. ſeq.

11. *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia: quia tu reddes unicuique juxta opera ſua.* C

EXplicat pretium & præmium utriuſque civitatis, quod dabitur per Deum Judicem utriuſque ſecundùm merita. Unde ait Propheta: *Nolite*, ſupple, *rapinas concupiſcere* cum damno proximi, nec juſtos & innocentes perſequi: nam Deus juſtus *ſemel*, id eſt immobiliter, *locutus* eſt, & ſtatuit irrevocabiliter: & duo hæc audivi. Primò, *quia poteſtas Dei eſt*, id eſt, quòd Deus eſt omnipotens & juſtus, & ſic tribuet unicuique juxta opera ſua, ſcilicet, bonis præmium æternum, & pretium pro laboribus in cœlo: & malis pre- D tium pœnæ in inferno. Secundùm quod audivi, eſt, quòd *tibi Domine* eſt *miſericordia*, ſecundùm quam tribuis pœnitentibus veniam per temporalem pœnitentiam. Et ſic nullum bonum manet irremuneratum, nec malum impunitum.

Nota, de præmio utriuſque civitatis.

Littera Hieronymi habet: *Unum locutus eſt Deus, & duo hæc audivi.* Quaſi dicat: quòd unam locutionem fecit, aut locutus eſt Deus. Sed in illa locutione ego *duo* intellexi, ſcilicet, quòd ibi erant duæ perfectiones, ſcilicet, potentia, ſive juſtitia, & miſericordia. Sed tunc eſt quæren- E dum, quæ eſt illa locutio Dei, in qua David intellexit eſſe in Deo juſtitiam & miſericordiam?

Ad hoc dicunt aliqui, quòd iſta una locutio poteſt eſſe illud quod dixit Dominus ipſi David, 2. *Reg.* 7. de ſuo populo, ſcilicet, quòd ſi iniquè aliquid egiſſet: *arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum: miſericordiam autem meam non auferam, nec diſpergam ab eo.* Ecce quomodo David per unam locutionem intellexit duas perfectiones maximas in Deo ſimul, ſcilicet, juſtitiam, & miſericordiam. Aliqui dicunt, quòd Deus *ſemel locutus eſt* ab æterno. Et ſic produxit unum Verbum, aut Filium tantùm. Poſtea *ſemel locutus eſt* ex tempore dicendo creaturas: F & ſic produxit unum mundum tantùm in ſuis ſpeciebus &c. Poſtea *locutus eſt*, dicendo, & dando Legem: in qua ſunt duo tantùm, ſcilicet, dilectio Dei & proximi, aut juſtitia, & miſericordia: quia ſicut omnia contenta in Lege reducuntur ad dilectionem Dei & proximi; ita præmium obſervatorum Legis eſt juſtitia, quæ dat bonis bona, & malis mala; & miſericordia, quæ dat veniam pœnitentibus. Et ſic temperat juſtitiam. Et ſic *Deus locutus eſt ſemel*, dando unicam Legem. Sed in tota Lege duo intelliguntur, ſcilicet, dilectio Dei & proximi, quia tota Lex reducitur ad dilectionem Dei & proximi, ſive ad juſtitiam & miſericordiam: ex his enim duobus *tota Lex pendet & Prophetæ.* Quaſi G dicat iſte homo, quòd ex tota Lege Dei non intelligo niſi duo, ſcilicet, juſtitiam & miſericordiam, ſive dilectionem Dei & proximi.

PSALMUS LXII.

1. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.*

77. d. ca. Noſce. 23. q. 4. Qui peccat. Et 7. q. 1. cap. Cum perſecutio.

2. *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.*

H 3. *In terra deſerta, & invia, & inaquoſa: ſic in ſancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.*

TITULUS: *Pſalmus David, cum eſſet in deſerto Judæ.* Legitur 1. *Regum* 22. quòd David fugiens à facie *Saul*, divertit in terram *Moab*, & commiſit Regi *Moab* omnes parentes, & conſanguineos,

& sequaces suos, maximè mulieres & pueros in tantùm : quòd quadringenti viri congregati sunt ad eum, & factus est princeps eorum. Et sic David cum illis erat in præsidio Regis *Moab*. Sed *Gad* Propheta dixit ipsi David: *Noli manere in præsidio: sed revertere in terram Juda.* Et sic ex consilio *Gad* reversus est in *Judam* & mansit in deserto apud *saltum Haret* cum maxima afflictione, & inopia, & penuria victualium. Sed ibi fuit multipliciter consolatus ex revelatione Spiritus sancti, ut haberet patientiam: quia post illas persecutiones debebat regnare in maxima prosperitate, & abundantia divitiarum & copia victualium; & quomodo *Saul* cum suis qui eum persequebantur, erant perituri in montibus *Gelboe*, & partim debebant latere per speluncas in inferioribus terræ, & partim mori in ore gladii, & partim duci captivi in prædam vulpium, scilicet, Philisthinorum. Et sic dicunt Hebræi, quòd David fecit hunc Psalmum dum esset in deserto *Judæ* in tali penuria.

In quo Psalmo primò explicat desiderium suum veniendi in prosperitatem regni, & copiam bonorum temporalium sibi promissam. Et in secunda parte Psalmi, scilicet, *Ipsi verò in vanum quæsierunt &c.* prædicit miserabilem exitum ipsius *Saul* & suorum in montibus *Gelboe*, prout sibi fuerat revelatum. Et sic litteraliter exponunt Hebræi moderni istum Psalmum.

Sed licèt ista fuerit materia occasionalis & figurativa unde motus est David ad faciendum istum Psalmum, tamen non est ista materia præcisa, nec est sistendum in ea: quia aliter non pertineret ad Sacram Scripturam, nec iste Psalmus cantaretur in Ecclesia in *Laudibus* omnium divinorum Officiorum post *Matutinas* quotidie, nisi contineret aliquod Sacramentum de Christo & Ecclesia, ut superius dictum est.

Et ideo est dicendum : quòd verum est, quòd David passus est illam inopiam & penuriam in deserto *Judæ* & facta fuit ipsi illa supradicta revelatio de prosperitate & abundantia sui regni, & de miserabili exitu ipsius *Saul* & suorum: sed pro tunc non fecit Psalmum istum; sed postea, dum fuit in prosperitate & quiete in domo sua & regno, & proposuit ampliare divinum cultum : tunc enim frequenter memorabat & in mente volvebat persecutiones, quas passus fuerat: & etiam aliquas revelationes, quas non totaliter intellexerat : & tunc in illa quiete & meditatione illuminabatur & erudiebatur à Spiritu sancto de futuris sacramentis Christi & Ecclesiæ, & sic condebat Psalmos, prout in illis gestis præteritis, scilicet, adversitatibus & prosperitatibus, prævidebat in spiritu persecutiones Christi futuras & Ecclesiæ, & exaltationem regni ejusdem : & sic condebat Psalmos de Christo & Ecclesia.

Et sic ergo est dicendum: quòd David dum esset jam in sua quiete & contemplatione meditando illam penuriam, quam passus fuerat in deserto *Judæ*, & meditando revelationem sibi factam de regno suo, & prosperitate futura, & de miserabili exitu *Saul* & suorum : & cum vidisset totum illud jam fuisse impletum in eo; tunc in tali meditatione fuit multipliciter illuminatus & eruditus à Spiritu sancto, qualiter totum genus humanum erat in maxima penuria bonorum spiritualium, postquam fuerat ejectum ab illa abundantia & felicitate paradisi terrestris, & quomodo per Christum debebamus recuperare majorem abundantiam bonorum spiritualium in hac Ecclesia per gratiam sacramentorum & donorum, & in alia per gloriam. Et prævidit etiam persecutiones Ecclesiæ in Capite & membris, & miserabilem exitum Judæorum, Christi persecutorum : & etiam Tyrannorum, & aliorum Ecclesiæ persecutorum. Et de his fecit hunc Psalmum. In quo tria facit.

Nota de materia hujus Psalmi.

Nam primò explicat desiderium Ecclesiæ bonorum spiritualium & gratiæ ante Christi adventum. Secundò, explicat revelationem & promissionem sibi factam de copia & refectione bonorum spiritualium per adventum Christi. Tertiò, prædicit miserabilem exitum & interitum persecutorum Christi & Ecclesiæ. Secunda ibi: *Sic in sancto apparui tibi.* Tertia ibi: *Ipsi verò in vanum.*

Divisio Psalmi.

Quantum ad primum dicit *Rabbi Hacados*, & multi Hebræorum, quòd ventus Aquilonaris intrabat per fenestram, & movebat chordas psalterii, & ad sonum chordarum excitabatur David ante auroram: & tunc Spiritus sanctus replebat mentem ejus, & erudiebat ipsum de his quæ contemplatus & meditatus fuerat in lecto & strato suo ex parte noctis. Et sic condebat Psalmos de futuris mysteriis profundissimis. Et sic ante lucem diei surgebat ad conficiendos Psalmos ad laudem Dei.

Dicit ergo David in persona totius Ecclesiæ : *O Deus* omnium per creationem, & *Deus meus* per spiritualem cultum, ego excitatus à Spiritu sancto *vigilo de luce*, id est, de diluculo & aurora, *ad* laudandum *te*. Et causa & ratio quare ego de mane surgo & *vigilo* ad laudandum *te*, est, quia *anima mea* & *caro mea* existens, supple, *in* hac *terra deserta, & invia, & inaquosa*, & sterili omnium bonorum spiritualium, *sitivit in te quam multipliciter*, id est, valde & multipliciter desideravit pervenire ad te Christe. In quo explicat *multipliciter* refici, & resocillari, & restaurari per passionem & resurrectionem tuam, & multiplicia Ecclesiastica sacramenta.

David de mane surgebat, & quare.

Unde notanter dicitur : *In terra deserta, & invia, & inaquosa.* Nam ista val-

vallis lacrymarum, in quâ sumus exules & relegati à facie Domini, erat primò *deserta* consortio Angelorum, & erat *invia* ante Christi adventum: quia Lex *Moysi* non deducebat ad perfectum de se, nec poterat nos in gloriam introducere. Et erat *inaquosa*, quia erat sterilis ex inopia gratiæ sacramentorum, quia de se non poterat justificare, ut patet per totum discursum *Epistolæ ad Romanos*, & *Galathas*, & *Hebræos*. Et sic anima existens *in* hac *terra deserta*, *& invia*, *& inaquosa*, & sterili bonorum spiritualium, *sitiebat*, & desiderabat pervenire ad Christum, ut in eo reficeretur.

Nota. Secundò, notanter dicitur, *sitivit quam multipliciter anima mea & caro mea*: quia genus humanum non solùm expectabat refici per Christum quantum ad animam, sed etiam quantum ad corpus. Nam quantum ad animam primò expectabat refici multiplicibus bonis spiritualibus, & liberari à multiplicibus miseriis. Nam per Baptismum expectabat liberari ab originali, & refici gratiâ, & fide, & spe, & charitate: & per Confirmationem septem donis Spiritus sancti repleri: & per Pœnitentiam à mortali liberari, & in gratiam reduci: & per Eucharistiam multipliciter refocillari, & Deo uniri, & vivere &c.

Quantum verò ad corpus, expectabat per resurrectionem Christi ab omnibus miseriis & pœnalitatibus corporalibus liberari, & immortale & glorioſum corpus recuperare. Et sic *anima & caro nostra sitiebat multipliciter* venire ad Christum: quia omnibus istis bonis carebat, existens in illo statu, & *in* illa *terra deserta*, *& invia*, *& inaquosa*. Unde illi in illo statu omnia ista desiderabant, quantum ad gratiam, per adventum Christi: & etiam quantum ad gloriam. Et sic omnia ista adepti sunt sancti Patres per adventum Christi. Nam forsan David, & multi sanctorum Patrum simul surrexerunt cum Christo, ut dictum est *Psal.* 56. Nos autem, quia jam recepimus ista bona spiritualia quantum ad animam, quoad gratiam; tamen adhuc *sitimus* & desideramus omnia ista, quoad corpus & animam per gloriam futuram: quia bona gratiæ hujus status significant & pariunt bona gloriæ in futuro. Et sicut bona temporalia Legis veteris significabant bona gratiæ hujus status; ita bona gratiæ hujus status significant bona gloriæ in patriâ supernâ, nobis per ista bona gratiæ promissa, ut dictum est *Psal.* 22.

Nota quomodo David surgebat à lecto

Sic in sancto apparui tibi. Hîc incipit versus & sententia in Hebræo, & Translatione *Hieronymi*: & est secunda pars, in qua explicat promissionem, & revelationem sibi factam de copia bonorum spiritualium in hac Ecclesia per gratiam, & in supernâ per gloriam. Unde nota, quòd David excitatus à Spiritu sancto, frequenter surgebat à lecto & intrabat tabernaculum Dei, quod tetenderat juxta domum suam, & ibi in illo sanctuario orabat, & contemplabatur divina mysteria, & beneficia sibi collata: & ibi apparebat sibi Spiritus sanctus, & videbat Deum in spiritu: & sic erudiebatur de futuris mysteriis: & sic condebat Psalmos. Et ideo dicit David: O Domine, *sic* & taliter *apparui tibi in sancto*: id est, in sanctuario, & *sancto* tabernaculo, *ut viderem gloriam tuam*. Littera *Hieronymi* est magis clara, quæ dicit: *Sic in sanctuario vidi te, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam*. Ex quo patet, quòd David vidit Deum in spiritu, & per revelationem factam in tabernaculo, & sanctuario Dei, in tantùm, ut per illam visionem & revelationem David videret in spiritu *virtutem* Christi futuram, *& gloriam*, & copiam bonorum, quam Christus nobis erat daturus.

De Pœn. d. 1. Quia divinitatis natura.

4. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.*

Dicit David: Ego vidi in illa visione, *quoniam misericordia tua*, ò Christe, *est melior super* omnes *vitas* hujus mundi, id est, quam vita vegetativa & sensitiva. Sed hîc ponitur *vitas* in plurali; quia per *vitas* intelligit omnes cibos & potus, & refectiones corporales, quæ faciunt ad vitam corporalem corporis. Quasi dicat: Ego novi in spiritu, quòd meliores sunt cibi & potus spirituales, quos nobis debes dare per *misericordiam*, & passionem, & resurrectionem tuam, quàm omnes cibi & potus, & refectiones corporales hujus mundi: quia illi sunt cibi gratiæ & gloriæ, quibus totus homo quoad corpus & animam vivet in æternum, sicut dixit Christus *Samaritanæ*: *Qui bibet hanc aquam, non sitiet in æternum*, *Joan.* 4. Item, *Joan.* 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ideo sequitur, quia tu dabis mihi istos cibos spirituales meliores *super* omnes *vitas*, & cibos corporales.

Ideo *labia mea laudabunt te.*



92.d. ca. 1.Inglor.

5. *Sic benedicam te in vita mea:* A *& in nomine tuo levabo manus meas.*

SEMPER *benedicam te in* hac *vita mea*, agendo gratias, *& levabo manus meas in nomine tuo*, id est, invocabo nomen tuum, quod est *Jesus*, in quo expecto salvari, & consequi omnia bona spiritualia supradicta.

15. disti. Sancta Romana.

6. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.*

B

ANima *mea* replebitur omnibus illis bonis spiritualibus, *sicut* corpus repletur *adipe & pinguedine* corporali, & cibis pinguibus corporalibus. Nam ista bona spiritualia pinguefaciunt animam & corpus pinguedine gratiæ & gloriæ: *&* sic *os meum* tunc *laudabit te labiis* & cantibus *exultationis*, & gratiarum actionis, hîc per gratiam, & in futuro in æternum per cantum gloriæ.

7. q. 1. ca. Denique.

7. *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuisti adjutor meus.*

C

SIC etiam *memor fui tui*, id est, memor ero tui, ô Deus, in hac Ecclesia militanti, & memoriam agam *super stratum*, id est, lectum *meum*, meditando, & contemplando beneficia recepta, & etiam in strato genibus flexis orando. Etiam *meditabor in te in matutinis:* quia surgam ante lucem ad confitendum nomini tuo, & ad laudes tuas decantandum, agendo gratias, quia in omnibus fuisti adjutor meus: quia non solùm me à peccato redemisti, & à fame & miseria liberasti; sed etiam supradictos cibos gratiæ & gloriæ tribuisti. Et sic

D

11. q. 3. Ad mensam.

8. *Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.*

EGO *exultabo* me esse protectum *in velamento alarum tuarum*, & sub protectione misericordiæ tuæ: & *exultabo*, quia *anima mea* relictis cærimoniis legalibus, & relictis idolis, *adhæsit*, & ambulavit *post te*, & tuæ Legi, & præceptis se subjecit: quia *dextera tua* & misericordia *me suscepit* & vocavit ad Fidem & Ecclesiam, & ad veniam, & etiam ad gloriam E in futuro.

9. *Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.* 23. q. 5. §. ult.

HIC prædicit miserabilem exitum persecutorum Christi & Ecclesiæ. Nam primò de Judæis, qui occiderunt Christum, fuerunt factæ tres partes: nam quidam absondebantur per speluncas, ut ait F *Josephus*, de quorum numero fuit ipse unus cum quadringentis. Secunda pars fuerunt mortui. Alia pars fuit ducta, & dispersa in captivitatem per mundum. Ideo ait David in persona Christi & Ecclesiæ: Ego ago gratias, quia *me suscepit dextera tua*, me in Capite à mortuis suscitando, & in membris à persecutoribus liberando.

Verò pro *sed*, *ipsi*, scilicet Judæi, Christi crucifixores, *in vanum quæsierunt animam* & vitam meam delere & annihilare: quia resurrexi in Capite, & liberatus sum in membris. Et sic ipsi manserunt confusi: sed punitio eorum erit tripartita: nam quidam eorum *introibunt in inferiora terræ* per speluncas subterraneas latendo, & fugiendo divinam vindictam factam per G Romanos: & quidam erunt in *manu* & potestate *gladii*: quia decies centena millia mortui sunt, ut ait *Josephus*, in illa strage & obsidione *Hierusalem*, & *Galilææ*, & *Judææ*. Et quidam *erunt partes*, & sortes, & portiones in prædam *vulpium*, id est, Romanorum. Gentes enim armorum dicuntur *vulpes*, quia omnia devorant. Eadem persecutio fuit facta de Tyrannis Gentilibus, ut legitur in *Ecclesiastica Historia*; quia miserabiliter moriebantur: & sic *introierunt in inferiora terræ*: id est, ad infernum quoad animam, & ceciderunt *in manu gladii* per bella intestina; & sic cadavera eorum *fuerunt partes* & cibi *vulpium*, & luporum, & canum, & aliarum H ferarum. Etiam ista pars Judæorum dicuntur *vulpes*, quia fallaces, ex usura, rapinaque viventes, & dolosi: isti ergo persecutores Christi sic punientur, ut dictum est.

Nota quot mortui sunt in obsidione Hierusalem.

**
*

*** ***
*** ***

35.dist.c. Ab exordio.

10. *Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.*

A

VErò pro *sed*: *Rex* Christus *lætabitur in Deo* Patre, sedendo à dextris ejus in gloria, & *omnes* Christiani fideles *qui jurant in eo*, id est, qui promiserunt in Baptismo Fidem, Spem, & Charitatem ipsi Christo, & profitentur Legem Euangelicam, & Christum esse verum Deum, & Messiam, *laudabuntur*, & à Deo acceptabuntur, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam, & non solùm *laudabuntur* à Deo, sed etiam ab hominibus. Judæi verò per B oppositum, & cæteri infideles vituperabuntur, & confundentur, cùm viderint Christum resurrexisse, & universaliter regnare, & fideles *laudabuntur* & gloriabuntur: quia *os* Gentilium, & Judæorum *loquentium iniqua* contra Christum & Ecclesiam *erit obstructum* & obtusum præ confusione, cùm viderint prosperitatem Christi & Ecclesiæ. Unde nota, quòd non dicit, *omnes qui jurant per eum*: quia ut sic, non semper est laudabile: sed dicit, *omnes qui jurant in eo*: quia in Baptismo, & professione fidei Christi, non juramus *per eum*, sed *in eo*; quia in eo ponimus spem nostram, & fidem, & renuntiamus mundo & diabolo. Et nota, quòd iste Psalmus semper cantatur in *Laudibus Matutinis*: eò C quòd David propheticè promittit in hoc Psalmo in persona Ecclesiæ, surgere ante lucem, & in matutinis laudare Deum pro gratiarum actione de beneficiis gratiæ & gloriæ per Christum nobis collatis.

PSALMUS LXIII.

15.distin. Sancta Romana.

1. *Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam.*

TITULUS: *In finem Psalmus David.* D Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum, dirigens nos in Christum, qui est finis Legis. Sed de materia hujus Psalmi dicit *Rabbi Salomon*, quòd David prævidens in spiritu pressuram *Danielis*, quando positus est in lacu leonum, fecit hunc Psalmum in persona *Danielis* deprecantis Deum, ut ipsum liberaret de lacu leonum. Et sic non solùm *Rabbi Salomon*, sed etiam quidam Catholici sequentes eum, exponunt hunc Psalmum ad literam de illa liberatione *Danielis* de lacu E leonum.

Sed qui bene vult contemplari discursum hujus Psalmi, poterit videre, qualiter talis litteralis Expositio est inepta, & extorta, & valde dissona litteræ hujus Psalmi. Item, talis Expositio facit injuriam Prophetæ David, abscondendo, & contemnendo thesaurum absconsum, immò explicatum in hoc Psalmo; in quo propheticè prædicitur confusio & cœcitas populi Judaici in conjuratione facta contra necem Christi: prædicitur etiam sublimitas scientiæ Apostolorum.

Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd David contemplando conjurationem, quam fecit *Saul* cum *Abner* & *Doëg*, & cæteris æmulis contra David, prævidit in spiritu, qualiter concilium Sacer- F dotum, Scribarum, & Pharisæorum debebat conspirare contra Christum, ut ipsum morti traderent, putantes totaliter ipsum delere de terra, ne perderent regnum & sacerdotium. Sed contrarium eis evenit: nam Christus resurrexit, & regnavit generaliter per universum orbem; & ipsi perdiderunt sceptrum, & sacerdotium, & civitatem, & fuerunt dissipati & dispersi: & manserunt confusi & cœci in intelligentia Sacræ Scripturæ, ut dictum est *Psal.* 2.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, *Divisio Psalmi.* fecit hunc Psalmum; in quo duo principaliter facit. Nam primò, prædicit in persona Christi per modum orationis, confusionem, & cœcitatem Judæorum, quæ accidit eis in conjuratione facta contra Christum ex malitiâ, & superbiâ. Secundò, præ- G dicit & explicat altitudinem scientiæ Apostolorum in Sacris Scripturis intelligendis, quam adepti sunt ex humilitate & obedientia. Ibi: *Sagittæ parvulorum.*

Quantum ad primum, quia Christus introducitur ad loquendum, tria facit. Primò, petit liberari ab iniquo concilio & malipolio Judæorum facto contra Christum. Secundò, explicat iniquum concilium & conjurationem factam contra ipsum. Tertiò, prædicit confusionem & cœcitatem Judæorum, ex eorum malitia perpetratam. Secunda ibi: *Quia exacuerunt.* Tertia ibi: *Scrutati sunt iniquitates.*

Quantum ad primum, dicit Christus ad Patrem: O Pater *Deus*, *exaudi orationem meam*, *cùm deprecor* in horto, & in H cruce. Et primò rogo, ut passio mea sortiatur effectum suum, scilicet, ut recipias eam in pretium pro toto genere humano redimendo à perpetua captivitate & morte. Et *eripe animam meam*, id est, vitam meam, *à timore inimici* populi Judæorum, me resuscitando de morte ad vitam. Et etiam *eripe animam meam*, id est Ecclesiam, primò, à *timore inimici* diaboli; secundò, *à timore inimici* cetûs Judæorum, & Tyrannorum.

2. Pro-

86. d. c. Desolatis.

2. *Protexisti me à conventu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem.* A

PRotexisti, id est, protege *me à conventu* Judæorum *malignantium*, id est, à conjuratione & malipolio eorum, & *à multitudine* Judæorum, & Tyrannorum *operantium*, id est, machinantium *iniquitatem* contra me. Et ponitur præteritum pro futuro, sive imperativo, ut frequenter fit in hoc libro. Deinde cùm dicit;

6. q. 1. c. Ex merito.

3. *Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: intenderunt arcum* B *rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.*

11. q. 3. Solum. 6. q. Ex meritò.

4. *Subitò sagittabunt eum, & non timebunt: firmaverunt sibi sermonem nequam.*

EXplicat iniquum concilium, & conjurationem factam contra eum dicens: Domine *protege me* à concilio Judæorum *malignantium: quia* omnes fuerunt congregati contra me, & *exacuerunt, ut gladium linguas suas* contra me, & *intenderunt arcum rem amaram*, id est, mor- C tem, & falsum testimonium cogitarunt. Quasi dicat, quòd sicut Sagittarius intendit arcum & mittit sagittam contra inimicum, aut contra feram; ita Judæi *intenderunt arcum* iniquitatis & malitiæ contra me, *rem amaram*, id est, falsum testimonium: *ut sagittent*, id est, ut sagittarent me *immaculatum*, & purum, & innocentem. Has sagittas falsi testimonii, & mortis miserunt contra me *in occultis* & in absconso; quia me absente tractabant meam mortem. Et sicut mors hujus justi fuit perpetrata *in occultis*, ita etiam in brevi tempore. Quia in die *Mercurii* fuerant congregati in occulto & secreto ante diem Paschæ, *ne fortè tumultus fieret in populo:* sed in die *Jovis* fuit captus, & in D die *Veneris* crucifixus. Ex quo patet, quòd *subitò* & repentè *sagittabunt* istum *immaculatum* & justum, *& non timebunt* Deum, nec mundum in tam sceleratâ & iniquâ sententiâ data contra hominem justum sine peccato. Et sic absque Dei timore isti iniqui *firmaverunt sibi* adinvicem *sermonem*, & consilium, & sententiam *nequam* & iniquam. Et isti iniqui

6. q. 1. c. Deteriores.

E 5. *Narraverunt, ut absconderent laqueos: dixerunt: Quis videbit eos?*

NArraverunt & cogitaverunt, *ut absconderent* & pararent *laqueos* contra Christum, ut caperent ipsum: & *dixerunt* inter se: *Quis videbit eos?* Quasi dicant, Nullus poterit scire, nec videre *laqueos*, quos paramus contra istum hominem. Et sic inopinatè capiemus eum, nec poterit evadere manus nostras: nec etiam aliquis poterit *videre* intentionem nostram: quia putabit populus, quòd ex zelo Legis occidimus istum hominem, qui agit contra Le- F gem. Tunc ergo Judæi *acuerunt, ut gladium, linguas suas* contra Jesum, quando congregati sunt in concilio & dixerunt: *Hic homo multa signa facit: si dimittimus eum, venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem: melius est, ut unus homo moriatur pro populo.* Item, tunc etiam *acuerunt linguas* contra Jesum, quando dixerunt, ipsum esse voracem, & potatorem: Et quando dixerunt *Pilato: Crucifige, crucifige eum*, dicentes eum inimicum Cæsaris, & seditiosum, & Legis violatorem. Item, tunc *intenderunt arcum* in *rem amaram*, quando conjurarunt in necem ejus: & tunc *in occultis sagittarunt eum*, quando congregati sunt in atrio Principis Sacerdotum, ubi vocaverunt eum blasphemum, & alapis cæciderunt, & opprobriis affecerunt. Sed tunc G *in occulto* & secreto *fatigarunt eum* quando in die Mercurii de ejus nece tractarunt, & inde pecunias se daturos promiserunt, & tunc *firmarunt sibi sermonem nequam*, quando falsa testimonia confinxerunt, & coram *Pilato* dignum morte accusarunt. Et tunc *narraverunt ut absconderent laqueos*, quando occasiones mortis Christo paraverunt, & ipsum *capere in sermone* cogitaverunt, dicentes: *Si licèt dari censum Cæsari, an non? Matth.* 22. deinde cum dicit:

4. q. 4. c. Nullus introducatur.

6. *Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio.*

PRÆDICIT confusionem & cæcitatem Judæorum, quam ex malitia & superbia sibi ipsis perpetrarunt. Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd Judæi, sicut ex triplici iniquitate conspiraverunt in necem Christi, scilicet, ex invidia, & odio, & præsumptione: ita pariter incurrerunt triplicem pœnam, id est, confusionem, & captivitatem, & cæcitatem mentis.

Un-

Unde Judæi si depositissent invidiam & odium ante oculos, bene potuissent cognoscere per bona opera & miracula, Christum esse *Messiam* in Lege promissum. Item, hoc idem potuissent cognoscere, si cum charitate & humilitate inspexissent scripturas: sed malitiâ obcœcati, non perscrutati sunt scripturas, nisi ea quæ pro eis faciebant, falsò interpretando scripturas, trahendo eas ad suum malum propositum, scilicet, quòd violator Sabbati dicitur morte puniri: sed noluere intelligere, quomodo sanare infirmos non est violare, immò sanctificare Sabbatum, cùm sit opus misericordiæ. Et sic Judæi non scrutabantur justitiam & veritatem, sed iniquitatem: & ideo *scrutantes* cum tali iniquitate *defecerunt in scrutinio.*

Nota d. Judæis non bene de Christo dijudicantibus.

Item, si investigassent & *scrutati fuissent* scripturas cum charitate & humilitate, reperissent, qualiter Christus erat ille Propheta, quem Deus promiserat *Moysi, Deuteron.* 18. *Prophetam suscitabo de medio fratrum tuorum, & ponam verba mea in ore ejus: loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.* Et sic poterant cognoscere, quòd ex parte Dei loquebatur, & quòd *Moyses* de Christo locutus fuerat.

Item, si cum humilitate *scrutati fuissent scripturas*, reperissent, qualiter Christus non solùm debebat esse filius Dei, sed quòd ipse est Deus, ut patet per omnes Prophetas, & per miracula, quibus poterant cognoscere Christum esse Messiam in Lege promissum. Ideo dixit eis Christus, *Joann.* 5. *Scrutamini scripturas: quia illæ testimonium perhibent de me: & Moyses de me locutus est.* Et ideò quia Judæi noluerunt accedere ad scripturas cum charitate & humilitate, sed cum malitia & præsumptione, & noluerunt *scrutari* veritatem contra Christum; ideo *defecerunt* in *scrutinio* scripturarum facti cœci.

Item, quia *accesserunt ad cor altum* & superbum, cum ad scripturas sine humilitate & charitate accesserunt, immò cum præsumptione eas perscrutari voluerunt: ideo *Deus fuit* ab eis *exaltatus* & absconsus, tollendo, & offuscando eis veritatem, & veram intelligentiam Sacrarum Scripturarum: & sic manserunt cœci usque in finem mundi. Et ideò dicit Propheta in hoc loco: quòd quia Judæi in scriptura *scrutati sunt iniquitates* contra Christum, & non veritatem: ideo *defecerunt* in *scrutinio*: quia numquam ampliùs videbunt veritatem, sed in sua cœcitate permanebunt, non intelligentes sacramenta Dei, quæ latent sub velamine litteræ. Et dat eis rationem quare inest eis ista cœcitas, dicens, quòd quia homo, supple, præsumptuosus *accedet ad cor altum*, id est, cum corde alto, & superbo, & præsumptuoso, non causâ videndi veritatem, sed causâ proterviendi & excusandi suam malitiam; tùnc *Deus exaltabitur*, ne ab eis attingatur, id est, abscondet veritatem ab eis, ne intelligant scripturam.

Unde est iterum advertendum, quod multipliciter Judæi *scrutati sunt iniquitates*, & multipliciter *defecerunt* in *scrutinio*, & manserunt confusi. Primò, *scrutati sunt iniquitates*, quando quæsierunt falsa testimonia contra Christum: sed *defecerunt scrutinio*, cùm illa *testimonia non* fuerunt *convenientia* contra eum, ut ait Euangelista. Item, *scrutati sunt iniquitates*, cum tradiderunt ipsum morti, & crucifixerunt eum, & custodes sepulchro apposuerunt: sed *defecerunt scrutinio*, cùm Christus resurrexit, & sic manserunt confusi, & frustrati in consilio, & desiderio suo: immò oppositum evenit; quia putantes Christum delere, ipsi fuerunt deleti, & dissipati, & captivi, & dispersi. Item, *defecerunt* in *scrutinio* scripturarum, quando in die Pentecostes *Petrus*, & cæteri Apostoli, homines simplices & plebei convicerunt Principes Sacerdotum, Scribas, & Pharisæos, probantes per scripturas, Christum fuisse verùm Messiam & Salvatorem in Lege promissum: ubi fuerunt conversi & baptizati de populo numero tria millia, ut patet *Actuum* 2. & sic Judæi manserunt confusi.

Judæi sunt scrutati iniquitates.

7. *Accedet homo ad cor altum: & exaltabitur Deus.*

De Summa Tri. & Fid. cat. in princ.

Judæi tunc *accesserunt ad cor altum*, quando ex malitiâ, & propriâ præsumptione, & non cum humilitate & charitate, conati sunt scrutari intelligentiam Legis: sed tunc *Deus fuit exaltatus*, quando eis abscondit veritatem scripturæ, & obcœcavit eos, ne intelligant sacramenta Dei in scriptura latentia. Item, tunc *accedit homo ad cor altum*, quando non spiritualiter, sed carnaliter, & tanquam homo carnalis vult sapere in scriptura, & non quærit, quæ spiritualia sunt, sed carnalia, sicut faciunt Judæi, qui omnia sacrificia, & cæteras cæremonias Legis carnaliter & litteraliter conantur sapere: & ideo *Deus exaltabitur* ab eis, ne possint veritatem Euangelicam, quæ in illis legalibus latet, intelligere. Unde in eadem scriptura *littera occidit* eos; sed *Spiritus sanctus vivificat* nos. 2. *ad Corinth.* 3. unde in eadem scriptura nos sumus boni, & Judæi mali, ut inquit *Augustinus*, & Deus obcœcavit mentes eorum, ne luceat in eis Euangelium, postquam malitiâ obcœcavit eos. Ex quibus patet, quòd ex illo iniquo concilio & conjuratione facta contra Christum Judæi incurrunt confusionem, & captivitatem.

8. *Sat-*

11. q. 3. c. Inter.

8. *Sagittæ parvulorum factæ sunt* A *plagæ eorum: & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.*

QUIA superius dixit quòd Scribæ & Pharisæi *defecerunt* in *scrutinio* scripturarum, eò quòd tanquam homines, & superbè, & carnaliter sapientes, voluerunt *accedere ad cor altum*, & profunda mysteria Sacræ Scripturæ: ideo *Deus fuit exaltatus* & elongatus ab eis, ne possent attingere profundam intelligentiam veritatis Sacræ Scripturæ, nec sacramenta Messiæ: ideo hîc ostendit per oppositum, quòd Apostoli & fideles, quia non tanquam homines & carnales voluerunt superbè sapere, B sed tanquam spirituales, & humiles voluerunt effici parvuli & Christum sequi: Ideo eis *datum est nosse mysterium regni Dei*, & secreta sacramenta: & sic vicerunt tumidam & inflatam scientiam Scribarum & Pharisæorum: maximè *Petrus* in die Pentecostes convicit & confudit eos, & probavit per Sacras Scripturas, qualiter Christus erat verus Messias in Lege promissus, & quomodo *oportebat Christum pati, & à mortuis resurgere* pro salute humani generis: & sic illa die convertit quatuor millia hominum, & abierunt Scribæ, & Principes confusi sunt. Etiam Apostoli & Discipuli, postquam receperunt Spiritum sanctum in die *Pentecostes*, profecti sunt per universum mundum, prædicantes Euangelium, & cum *sagittis* Evangelicis penetrarunt corda magnorum Philosophorum, & Principum, & eos jugo fidei subjecerunt. C

Apostoli prædicaverunt per mundum.

Dicit ergo Propheta, quòd *sagittæ*, id est, prædicationes *parvulorum*, scilicet Apostolorum humilium & spiritualium, *factæ sunt plagæ* & vulnera *eorum*, scilicet Scribarum & Pharisæorum, scrutantium iniquitates, & volentium cum superbia & carnaliter, ut homines, *accedere ad cor altum* & profundum Sacræ Scripturæ: *& linguæ eorum*, scilicet Scribarum & Pharisæorum, *infirmatæ* & debilitatæ *sunt contra eos*, id est, contra Apostolos: quia non voluerunt eis respondere in die Pentecostes. Immò *Petrus*, & cæteri confuderunt, & convicerunt eos per authoritates Sacræ Scripturæ, ut patet *Actor.* 2. & 3. per totum discursum illius Libri: D Nam maxima confusio & plaga fuit Scribis & Pharisæis doctis in Lege, quòd ipsi non intellexerint scripturas de Christo loquentes: & quòd Apostoli, qui fuerant simplices & idiotæ, per easdem scripturas probarent Christum esse Messiam, & resurrexisse. Unde *linguæ eorum infirmatæ sunt contra* Apostolos prædicantes, & Sacram Scripturam exponentes.

E 9. *Conturbati sunt omnes, qui videbant eos: & timuit omnis homo.*

36. d. 5. Ecce. & 68. dist. Quorum.

10. *Et annuntiaverunt opera Dei: & facta ejus intellexerunt.*

CONturbati *sunt* & admirati, unde inesset eis tanta sapientia, *& omnis homo timuit* Christum: cum manifestè cognoverunt ipsum esse Deum & Messiam: ideo dixerunt omnes, qui aderant, ipsi F *Petro: quid faciemus?* Petrus & Apostoli responderunt: *Ut agatis pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu. Act.* 3. Et sic Apostoli idiotæ & simplices, quia humiliati sunt, secuti sunt Christum, nolentes carnaliter, sed spiritualiter sapere. Ideo *annuntiaverunt opera Dei*, & mirabilia Christi in Euangelio contenta, & in veteri Testamento latentia, *& facta* & veritatem ejus *intellexerunt*: quam veritatem & sacramenta Scribæ & Pharisæi intelligere non valuerunt propter eorum superbiam & malitiam, & malas & carnales cupiditates. Ex quibus patet, quòd quia Scribæ & Pharisæi *accedere* voluerunt *ad cor altum*: ideo Deus obcœcavit mentes eorum, ne intelligant Euangelium, & ne fulgeat eis illuminatio Euangelii. 2. *ad Corinth.* 4. Apostoli verò & Christiani, quia accesserunt ad cor humile, ideo *annuntiaverunt opera Dei*; & G *facta ejus intellexerunt, & sagittis* Euangelicis alios convicerunt. Et ideo dicit *Augustinus, libr. de Unico Baptismo*: quòd in eadem Lege & scriptura *Judæi* & Infideles efficiuntur mali, carnaliter & perversè intelligendo: Christiani autem efficiuntur boni spiritualiter & catholice sapientes.

11. *Lætabitur justus in Domino,* 92. d. c. 1 in Gloss. *& sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.*

HIC concludit præmium justorum fidelium & simplicium, dicens, quòd omnis *justus*, & fidelis, & humilis *lætabitur in Domino*, cum viderit se illuminatum, & Judæos obcœcatos: & sic *sperabit* & ponet spem & fiduciam in eo. Et *omnes recti corde laudabuntur* ab omnibus nationibus, & maximè à Deo: quia *ille probatus est quem Deus commendat.* Et sic *lætabitur* hîc *justus* per gratiam, & in futuro per gloriam.

Ex supradictis patet, quòd iste Psalmus inep-

ineptè & impropriè poteſt applicari perſecutioni *Danielis*, cùm in eo manifeſtè prænuntietur iniqua conjuratio Judæorum contra Chriſtum, & confuſio, & obcœcatio eorum, & mirabilis prædicatio Apoſtolorum: & ideo iſte Pſalmus cantatur in feſtivitatibus Apoſtolorum, quòd eis conveniat. A

Totus etiam iſte Pſalmus poteſt exponi de perſecutione, & ultimâ victoriâ Eccleſiæ contra Tyrannos. Sæpè enim dictum eſt, quòd quicquid paſſus eſt Chriſtus in Capite, paſſus eſt poſtea in membris & Eccleſia ſua. Unde ſicut Scribæ & Phariſæi machinati ſunt falſa crimina contra Jeſum; ita pariter Principes & Tyranni populi Gentilis congregati ſunt contra Eccleſiam, imponendo nefanda crimina Chriſtianis. De quo fecit *Juſtinus Martyr* Apologiam in defenſionem Chriſtianorum, ut B ait *Euſebius* in *Eccleſiaſtica Hiſtoria*. Sed poſt longam perſecutionem Eccleſia triumphavit de Tyrannis in toto populo Gentili, quia omnis poteſtas ſubjugata eſt jugo Chriſti. Et ſic *ſagittæ* & prædicationes *parvulorum*, Martyrum, & omnium Chriſtianorum *factæ ſunt plagæ* Regum, & Tyrannorum, in tantùm quòd ſtupebant *omnes qui videbant eos*, & *timuit omnis homo*, cùm viderunt conſtantiam Martyrum, & inſuperabilem ſcientiam, & prædicationem eorum: quia *annuntiaverunt opera Dei*, & *facta ejus* mirabilia *intellexerunt*, & alios docuerunt, & convicerunt. Et ideo poſt converſionem *Conſtantini*, & totius populi Gentilis redditâ pace & proſperitate ipſi Eccleſiæ, *lætatus fuit juſtus* populus Chriſtianus *in Domino*, & poſuit C ſpem ſuam in eo: & *laudati*, & honorati *ſunt omnes recti corde*, qui pro Chriſto paſſi ſunt, & qui *recto corde* in Chriſtum crediderunt.

Nota.

PSALMUS LXIV.

De Conſe. d. 1. c. Hi duo.

1. *Te decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Hieruſalem.*

TITULUS in Hebræo: *Victori Canticum David.* In multis Bibliis noſtris reperitur Titulus, *In finem Pſalmus David, Canticum Aggæi, & Zachariæ, & Hieremiæ, & Ezechielis de verbo peregrinationis, & de populo tranſmigrationis, cum inciperent proficiſci*: ſed hoc non reperitur in Hebræo, nec in Translatione *Hieronymi*. Ideo creditur eſſe additum ab aliquo Expoſitore: eò quòd videbatur ſibi, quòd iſte Pſalmus ſit factus in perſona *Aggæi*, & *Zachariæ:* in quo explicarunt deſiderium redeundi in *Hieruſalem*, ad libere offerendum ſacrificia, & cantandum Pſalmos, quando fuit eis data E licentia per *Cyrum*. D

Et ad hunc ſenſum exponunt omnes Hebræi moderni hunc Pſalmum litteraliter de copia & abundantia bonorum temporalium, quam habuerunt Judæi in *Hieruſalem* poſt reditum de captivitate Babylonica. Et ſic redeuntes de captivitate quaſi abhorrentes ſterilitatem *Babyloniæ*, & deſiderantes ubertatem *Hieruſalem*, & terræ promiſſionis, dicebant: *O Deus, hymnus* & oratio *decet* & delectat *te in Sion*: & ſi reduxeris nos, tunc *reddetur tibi votum in Hieruſalem*, quod promiſimus. Nam beatus erit, qui habitabit in atriis templi ſecundi, quod ſumus ædificaturi. Et ibi nos Sacerdotes *replebimur in bonis*, ſcilicet, oblationibus, & decimis domus, & tem- F pli tui: quia *ſanctum eſt templum tuum, & mirabile in æquitate*: quia in eo erit ſedes judicii, ubi judicabunt Sacerdotes. *Viſitaſti*, id eſt, viſitabis *terram* promiſſionis favore fertilitatis, & *inebriabis* imbribus & aquis. Et ſic *multiplicabis locupletare* & ditare *eam*. Et ſic dicunt Hebræi, quòd David prævidens in ſpiritu futuram abundantiam in *Hieruſalem*, & totâ terrâ promiſſionis poſt reditum de captivitate Babylonica, fecit hunc Pſalmum. Et ſic litteraliter præcisè exponunt ipſum.

Sed talis Expoſitio videtur inſufficiens: quia non explicat ſacramentum latens in hoc Pſalmo, nec eſt conſona veritati. Nam poſt reditum de Babylonia, nunquam fuit tanta ubertas fructuum in *Hieruſalem*, quanta hîc memoratur, maximè quia mon- G tana Judææ, in quibus eſt ſita *Hieruſalem*, eſt terra lapidoſa, & ſterilis, & miſerrima reſpectu *Babyloniæ*, quæ eſt terra fœcundiſſima. Secundò, quia tunc iſte Pſalmus non pertineret ad Sacram Scripturam, niſi contineret aliquod ſacramentum de Chriſto Meſſia: nam ſicut dicit *Rabbi Salomon ſuper Zachariam*, omnes Prophetæ locuti ſunt ad tempus Meſſiæ.

Et ideo eſt dicendum, quòd David prævidit in ſpiritu per reditum illius *captivitatis Babyloniæ* adventum Meſsiæ ad Templum ſecundum, & ſic non eſt ſiſtendum in litterâ: ſed ſemper tendendum ad tempus Meſsiæ juxta intentionem Prophe- H tæ, ut ſæpiùs dictum eſt.

Ideo eſt advertendum, ſicut dictum eſt, quòd ſicut Lex vetus fuit figura & imago Legis novæ: ita illa Hieruſalem materialis fuit figura & imago Eccleſiæ, & novæ *Hieruſalem*. Nam ſicut Deus elegit ſibi illud templum & civitatem, ubi ſolum erat licitum immolari & offerri ſacrificia legalia; & ubi ſolum erat Arca Teſtamenti, & cantabantur Hymni & Pſalmi cum illis muſicis inſtrumentis; & ubi ſolum exaudiebantur orationes & deprecationes, ut patet 3. *Regum* 8. & 2. *Paralipomen.* 6.

Not. quòd Ecclesia est in qua offertur verum sacrificium

ita post passionem elegit sibi Ecclesiam à Solis ortu usque ad occasum, in qua offertur verum sacrificium acceptabile, & hymni, & orationes, ut patet *Malachiæ* 1. Item, sicut Lex Moysi in tantùm fuit bona & observanda, in quantum Christus fuit finis ejus, & completa in eo: ita illa Hierusalem materialis in tantùm fuit à Prophetis commendata, in quantum Lex & sacrificia, & omnia legalia in illa debebant finire cursum suum per adventum Christi: quia in illa civitate, & non in alia Christus erat immolandus, & sacrificandus, & crucifigendus, qui fuerat per illa sacrificia veteris Legis figuratus. Et ideo antè non erat alibi licitum sacrificia immolari, nec offerri, nisi in *Hierusalem*, in qua Christus erat pro nobis immolandus: & sic oblato Christo & immolato, omnia alia sacrificia cessarunt.

Item, sicut mortuo Christo tota Lex *Moysi* materialis fuit mortua simul cum Christo: ita & Templum, & *Hierusalem* materialis simul fuit mortua cum Christo: quia nunquam ampliùs in ea fuerunt accepta sacrificia veteris Legis: quia jam impleverant cursum suum in Christo, & mortua fuerant. Et sic dicit *Augustinus*, quòd *cum honore mater nostra Lex & Synagoga sepulta fuit cum Christo.* Item, sicut Christus surrexit in novitate spiritus, & immortalitatis: ita pariter cum Christo surrexit Lex in novitate sensus & spiritus; & ista est Lex Euangelica. Et sic etiam simul cum Christo surrexit *nova Hierusalem*, quæ est Ecclesia. Item, sicut cum Christo non surrexerunt, nisi ea quæ erant de veritate humanitatis cum Verbo; quia non surrexerunt cum eo pœnalitates, nec infirmitates, nec defectus, quos sponte assumpserat ad instrumentum patiendi: quia omnia illa fuerunt simpliciter mortua in cruce; nec illa erant, nec sunt de veritate humanæ naturæ, sed sunt pœnalitates peccato primi parentis inflictæ, ut demonstrat *Augustinus contra Pelagianos*: ita pariter de Lege *Moysi* non surrexit, nisi illud quod erat de veritate ejus, scilicet, veritas Euangelica, quæ in Lege sepulta latebat: sed non surrexerunt cærimonialia, nec criminalia, nec onera Legis importabilia, nec pœnalitates Legis, quia omnia simpliciter fuerunt mortua cum pœnalitatibus, & defectibus, & infirmitatibus corporis Christi; & omnia fuerunt in cruce affixa cum nostro *Chirographo*, quod diabolus contra nos habebat, *ad Colossenses* 2. Ita pariter cum *nova Hierusalem*, quæ surrexit cum Christo, non surrexerunt defectus, nec iniquitas, nec homicidium, nec cœcitas illius Hierusalem materialis: sed surrexit illud quod est de veritate *Hierusalem*. Nam *Hierusalem* interpretatur *pacifica*, & *visio pacis*, quæ per fidem mansit in illa sancta societate Apostolorum simul cum *Virgine Maria*, & aliorum centum viginti, qui manserant in illo Cœnaculo, in quibus solis erat tota Ecclesia Christi: & ideo solum super eos venit Spiritus sanctus congregatos in pace & charitate in monte *Sion*.

Not. quòd Ecclesia surrexit cum Christo.

Et sic mortuâ & reprobatâ *Hierusalem* materiali, surrexit alia *Hierusalem*, & alia *Sion* vera, & spiritualis, & nova: ex quibus sequitur, quòd illa materialis jam ampliùs post Christum non debuit dici *Hierusalem*: quia ablatum est ei sacrificium & hostia: & ipsa non ampliùs dicitur *pacifica*, sed discors & confusa: nec dicitur *visio pacis*, sed cœca: sed Ecclesia Christi, quæ inde orta est, & suscitata, & toto orbe diffusa, est *vera Sion*, quia in ea verus Deus contemplatur & speculatur: & est *vera Hierusalem*, quia in ea perseverat una fides, unum baptisma, una pax & charitas, & una visio pacis; & in ea offertur unum sacrificium, quod in Lege fuerat figuratum: & in ea cantatur verus hymnus, & laudes Deo acceptæ, & orationes exaudiuntur: & sic est verum Templum Dei, in quo Deus realiter habitat in Sacramento Eucharistiæ, & in filiis Ecclesiæ habitat per gratiam. Synagoga verò ampliùs non est domus orationis, sed blasphemiæ: quia Judæi in ea negant Legem & Prophetas, & faciunt Deum mendacem; immò quòd pejus est, ipsi rogant contra seipsos. Nam quando legunt Psalmum 108. & omnes Psalmos, in quibus continentur, & prædicantur punitiones crucifixorum Christi; tunc contra seipsos orant, & sententiam damnationis eorum legunt. Et sic oratio eorum vertitur in peccatum & condemnationem sibi ipsis. Ex quo patet, quòd sola Ecclesia toto orbe diffusa est *vera Hierusalem*.

Synagoga est domus blasphemiæ.

Item patet, quòd *Daniel*, & *Aggæus*, *Zacharias*, & *Malachias* non commendant *Hierusalem*, & secundum Templum per eos ædificandum, ratione sui, nisi in quantum Christus erat in illud secundum Templum venturus, & in eo erat præsentandus *Simeoni*, & ibi erat mira facturus, & nostram redemptionem operaturus. Et ideo dicitur *Aggæi* 2. quòd *major erit gloria hujus secundæ domus, quam primæ.* Et *Malachiæ* 3. dicitur: *Statim veniet ad Templum sanctum suum dominator.* Et sic *Isaias*, & *Hieremias*, & *Ezechiel*, & omnes Prophetæ non commendant *Hierusalem* materialem, nec Templum, sed Ecclesiam, quæ inde erat oritura & nascitura. Et ideo additur in hujus Titulo: *Psalmus cantici Aggæi, & Zachariæ*, id est, David fecit hunc Psalmum in persona *Aggæi*, & *Zachariæ*, & *Hieremiæ*, & *Ezechielis*; eò quòd præviderunt in spiritu Christum venturum in secundum Templum, & in eodem præsentandum, & in illa *secunda Hierusalem* immolandum: & inde *novam*

Hie-

Hieruſalem, ſcilicet, Eccleſiam orituram, & naſcituram, in qua omnia bona ſpiritualia in hoc Pſalmo memorata erant futura. A

Diviſio Pſalmi. Tria ergo facit David in hoc Pſalmo, ſecundumquòd in tribus commendat Eccleſiam Dei, & *novam Hieruſalem*, in quibus præeminet Hieruſalem veteri. Primò, in ſanctitate loci quoad divinum cultum. Secundò, in magnitudine ambitus & poteſtate. Tertiò, in abundantia ciborum, & refectionis ſpiritualis, quæ ſunt Eccleſiaſtica Sacramenta, & dona gratiarum. Secunda ibi: *Exaudi nos Deus ſalutaris.* Tertia ibi: *Viſitaſti terram.*

Cultus divinus conſiſtit in tribus. Quantum ad primum eſt advertendum, quòd cultus divinus in tribus conſiſtit. Primò, in Hymnis, & Pſalmis, & Canticis, in quibus Deus laudatur, & magnificatur in mirabilibus, & beneficiis B ſuis, cum gratiarum actionibus. Secundò, in ſacrificiis & oblationibus. Tertiò, in orationibus, in quibus petuntur beneficia; & in deprecationibus, in quibus petuntur remiſſiones peccatorum, & pœnarum.

In his ergo David commendat Eccleſiam Chriſti. Primò, quia in ea laudes divinæ, & Hymni, & Pſalmi ſunt Deo grati & accepti, cùm dicit: *O Deus*, omnis *hymnus* & laus *decet* & delectat *te in Sion* nova, ſcilicet, in Eccleſia. Nam ſi in eâ noſtra carmina & laudes delectant, & *decent*, & decorant *te*; ſignum eſt quod ſunt tibi grata & accepta. Item, ſecundò dicit, quòd ſacrificium & oblationes ſunt etiam gratæ & acceptæ, cùm ſubdit: *Et tibi reddetur votum* gratum, ſupple, *in Hieruſalem.* C Unde per *votum* intelligit ſacrificium Euchariſtiæ, in quantum fuit in Lege votum, et promiſſum, & expectatum. Dicitur etiam *votum*, quia cum voto & charitate de corde bono, & fide non ficta offertur. Tertiò dicit, orationes & petitiones in hac Eccleſia eſſe Deo gratas, & acceptas, & exaudibiles, cùm ſubdit:

15. diſti. Sancta Romana.

2. *Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.*

EXaudi, id eſt, tanta eſt ſanctitas hujus *novæ Hieruſalem*, quòd non ſolùm in ea laudes erunt tibi gratæ, & ſacrificium acceptum; ſed etiam orationes erunt D tibi acceptæ: & in ea *exaudies* orationem meam, & *omnis caro veniet ad te*, ad adorandum, & orandum, & laudandum, & ſacrificandum in hac nova *Hieruſalem.* Ideo *beatus* erit omnis ille, *quem elegiſti & aſſumpſiſti* per gratiam ad iſtam, & in iſta *Hieruſalem*, & *habitabit in atriis tuis*, & palatiis hujus *Hieruſalem* per gratiam: quoniam poſtea habitabit in ſuperna per gloriam. Nota, quòd ly *beatus quem elegiſti*, priùs intelligitur, & verificatur de E Chriſto Capite, poſtea de quolibet membro. Nam Verbum priùs elegit, & aſſumpſit hominem in perſonalitate & in unitate ſuppoſiti. Secundò, totus Chriſtus elegit & aſſumpſit Eccleſiam in unitate corporis myſtici. Et ſic iſte homo myſticus *habitat in atriis* hujus *Hieruſalem* per gratiam, & in ſuperna Hieruſalem per gloriam. Sed quod tu *exaudies orationem meam* in hac Eccleſia, probo. Nam

3. *Verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos: & impietatibus noſtris tu propitiaberis.* *3. q. 1. c. Nulli.*

F VErba *iniquorum*, id eſt, tentationes dœmoniorum ab *Adam* hucuſque *prævaluerunt ſuper nos*: ſed *tu propitiaberis* peccatis noſtris in virtute ſacrificii, quod in Eccleſia offertur, & orationum, quæ in ea funduntur. Et ſic ergo:

4. *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti: inhabitabit in atriis tuis.* *11. q. 3. Ad menſam.* *24. q. 1. Alienus. De Pœ. d. 6. §. 1.*

5. *Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt Templum tuum, mirabile in æquitate.*

G BEatus *quem elegiſti & aſſumpſiſti* ad hanc Eccleſiam, & omnis qui *habitabit in atriis tuis* ejuſdem: nam omnes habitantes in ea, *replebuntur* bonis ſpiritualibus *domûs tuæ*: eò quòd *Templum* hujus *novæ Hieruſalem eſt ſanctum*, & ſanguine tuo conſecratum, & ſanctificatum, & eſt *mirabile in æquitate* juſtitiæ. Nam ſicut Eccleſia eſt ſancta per ſacramenta; ita eſt *mirabilis* per doctrinam Legis Euangelicæ, quæ præcipit omnem æquitatem & juſtitiam, & jubet omnem virtutem, & prohibet omne vitium.

Nota hæc in Templo facta fuiſſe. Et nota, quòd totum hoc ſupradictum primò fuit impletum in illa *Hieruſalem* & Templo ſecundo materiali. Nam ibi H fuit Chriſtus *Simeoni* præſentatus, & per *Simeonem* decens *hymnus* cantatus, cùm dixit in perſona omnium Patriarcharum & Prophetarum, gratias agendo: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum, in pace.* Item, ibi fuit *hymnus* decens cantatus, quando pueri Hebræorum colligentes ramos olivarum, & ſternentes in via, cantabant, & clamabant ſimul cum Apoſtolis, & cæteris, qui præibant, & ſequebantur, dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini: Oſanna*

filio David. Qui quidem *Hymnus* valde decuit, & delectavit, non solùm Filium, sed etiam Patrem; in cujus nomine Filius veniebat. A

Item, votum Patribus promissum fuit redditum, & oblatum in *Hierusalem*, quando Christus primò fuit *Simeoni* præsentatus in Templo; & quando Christus ingressus est cum tanto honore in die palmarum. Et ultimò, quando oblatus est Patri in Cruce.

Item, tunc exaudita fuit oratio nostra, & totius corporis mystici, quando Christus oravit ut Caput nostrum pro nobis in horto & in cruce: & tunc *fuit exauditus pro sua reverentia*: quia Pater propitiatus est peccatis nostris ex debito ipsius *Adam*, & ibi in cruce Christus sanctificavit & justificavit Templum suum, scilicet, Ecclesiam, B sanguine suo, & reddidit ipsam *sine macula & ruga.* Ex consequenti autem nunc in *nova Hierusalem* inde exortâ & sanctificatâ, quotidie cantatur *Hymnus* decens in *Matutinis: Benedictus Dominus Deus Israel*, & *Hymnus* Virginis Matris *Mariæ: Magnificat anima mea Dominum:* & *Hymnus* Simeonis, *Nunc dimittis:* & omnes *Hymni* David, & aliorum Prophetarum, & Sanctorum novi Testamenti, qui valde *decent* & decorant *Deum*: & redditur, & offertur Sacrificium Eucharistiæ Deo gratum, & per se acceptum: & offeruntur vota & orationes, quibus Deus propitiatur peccatis nostris. Quæ omnia supradicta, scilicet, *Hymni*, sacrificium, & orationes, C sunt accepta in hac Ecclesia, & grata Deo. Omnia autem quæ fiunt in Synagoga, sunt offerentibus mortifera, & Deo abominabilia.

Et nota, quòd notanter dicitur: *Reddetur votum in Hierusalem*: quia quando aliquod promissum datur, *reddi* dicitur. Sed quia Christus promissus est dari *in Hierusalem* per *Aggæum*, & *Zachariam*, & *Malachiam*, ideo quando venit, *redditus* est. Item, non solùm illud *votum*, & promissum *redditum est* nobis, sed etiam Deo *Patri.* Nam sicut *Adam* furto, & contra voluntatem Dei, abstulit fructum prohibitum, & rapuit de ligno; ita Cristus, qui fuit fructus proveniens ab *Adam* secundùm carnem, licèt non per propagationem, *redditus est* in ligno Crucis D Patri, à quo fuit ablatus.

*** ***
*** ***

E 6. *Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè.*

15. distin. Sancta Romana.

7. *Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris sonum fluctuum ejus.*

De Pœn. 2. circa finem.

HIC commendat Ecclesiam & *Hierusalem novam*, quantum ad magnitudinem ambitus, & potestatem à Solis F ortu usque ad occasum. Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd civitas non est congeries lapidum materialium, sed civium multitudo, unius juris & legis consensu sociata: ut inquit *Plato*, & *Cicero.* Et sic Ecclesia toto orbe diffusa maximè & propriè meretur dici *civitas*, eò quòd est congregatio omnium Fidelium, sub una Fide, & Charitate, & Lege Euangelica sociata, & in una petra, qui est Christus, fundata & radicata, & uno muro Fidei septa; & sic non dicitur civitas materialis, sed spiritualis.

Civitas quid sit.

Sed David per ista materialia ducit nos ad cognitionem spiritualium; & sic ponit quatuor nomina partium terræ, per G quæ intelligit quatuor conditiones civium, & Fidelium Ecclesiæ, scilicet, *montes, colles, valles, campi.* Unde sicut ipsa civitas est spiritualis, ita partes ejus sunt spirituales. Unde per *montes* intelligit *Apostolos* & *Martyres*, qui tenent altiorem gradum in Ecclesia: & per *colles* intelligit *Doctores* & *Prædicatores*: & per *valles* intelligit communem & planum *statum conjugatorum*, communem & planam vitam agentium. Quæ quidem quatuor conditiones & status Fidelium repleverunt, & constituerunt Ecclesiam, & ampliaverunt à *Judæa*, & *Hierusalem Palæstinæ*, usque ad fines terræ undique.

Nota de constructione Ecclesiæ.

Hos ergo *montes*, scilicet, Apostolos, primò Christus *præparavit* in *Hierusalem*, H quando eis misit Spiritum sanctum, & armavit, & *induit eos virtute ex alto*, scilicet, septem donis Spiritus sancti; & misit eos ad prædicandum per universum mundum. Et sic armati, & sublimati egressi sunt à *Hierusalem* terrenâ, & peragrarunt mundum, & signis, & miraculis *conturbaverunt profundum maris* hujus mundi, cùm omnes Reges, & Principes, & omnia Regna mundi subjecerunt jugo Christi. Ideo ait David: O Christe *Deus* & *salutaris noster*, id est, Jesus Salvator noster, *exaudi nos*, & veni in carne: quia tu es *spes*, non solùm Judæorum, & illius *Hierusalem* terre-

næ,

næ, sed *omnium finium terræ*, & *longè in mari*, & insulis longinquis, & exinde ipsius maris: quia non solùm salvabis aliquos de Judæis, sed etiam salvabis Gentiles habitantes usque ad *fines terræ*, & longinquas insulas maris. Et sic tu es *spes omnium finium terræ, & in mari longè*, sicut dixit Patriarcha *Jacob*: *Ipse erit expectatio gentium*, Gen.48. Nam tu Christe eris *præparans*, & præparabis, & dispones *montes*, id est, Apostolos *in fortitudine tua* in die Pentecostes & armabis eos septem donis Spiritus sancti. Et sic *accinctos potentia* & tali *virtute*, mittes eos in mundum universum ad prædicandum Euangelium omni creaturæ: & *accinctus tali potentiâ* & *virtute conturbas*, id est, conturbabis *profundum*, & altitudinem, & superbiam *maris* hujus mundi, scilicet principum, & regum; *& conturbabis*, & superabis, & silere facies *sonum* & minas *fluctuum* & persecutionum ejus: quia post minas, tormenta, & persecutionem Tyrannorum vinces eos, & subjicies jugo fidei. Et tunc

11. q.3. c.Ira sæpe.

8. *Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis: exitus matutini & vespere delectabis.*

OMNES *gentes*, & omnes, *qui habitant terminos* mundi, scilicet, *Indi* ab Oriente, & *Æthiopes* ab Austro, & *Scythæ* ab Aquilone, & *Hispani* & *Mauritani* ab Occasu, *turbabuntur*, *& timebunt à signis tuis*, & miraculis, quæ facient Apostoli & Discipuli in nomine tuo: Nam *in nomine tuo dæmonia ejicient*, *linguis loquentur novis*, *serpentes tollent*: unde sic turbati & admirati omnes, convertentur ad fidem. Et sic *exitus matutini & vespere delectabis.*

Not. Hanc expositionem.

Unde est advertendum, quòd hoc potest dupliciter intelligi, scilicet temporaliter, aut localiter. Nam *exitus matutini* temporalis est progressus diei ab aurora usque ad vesperam: & *exitus vespere* est progressus noctis à vespera usque ad auroram. Et sic comprehendit totum diem naturalem viginti quatuor horarum: quia in toto isto spatio semper laudatur Deus per universum Orbem: Nam in die ab aurora usque ad sero, dicuntur Horæ Canonicæ, scilicet, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium. Et postea in nocte celebrantur Horæ nocturnæ usque ad Laudes, in tantum, quòd non est aliquod momentum temporis, quin in eo dicantur *hymni* & laudes Deo, & *reddantur vota* in hac nova *Sion* & *Hierusalem*. Nam quando in nostro hemisphe-

rio est nox, in alio est dies, & è converso: & sic, quando hîc celebrantur Horæ diurnæ, in alio celebrantur nocturnæ; & quando in hoc celebrantur nocturnæ, in alio celebrantur diurnæ, & è converso: sic in hac Hierusalem nunquam vacatur à divinis Laudibus, in quibus valde *delectatur* Deus. Ideo dicit: *Exitus matutini & vespere delectabis*, id est, delectabiles tibi facies: acceptando in hac Hierusalem Laudes, & hymnos, & *vota tibi reddita*. Littera *Hieronymi* dicit: *Exitus matutinos & vespertinos laudantes facies*: & tunc littera est magis clara.

Aliter potest hoc intelligi localiter: Nam per *exitum matutinum* potest intelligi tota terra sita ab ortu Solis; & per *vespertinum* tota terra occidua. Quasi dicat: Omnes terras ab exitu & ortu Solis, usque ad occasum, tibi delectabiles, & *laudantes facies*. Et sic in omnibus terris mundi, & in omnibus horis temporis jugiter cantabuntur tibi *hymni* & Laudes in Ecclesia & *Hierusalem novâ* toto Orbe diffusâ.

Ex quibus patet, quòd ista *Sion* & *Hierusalem nova* erit longè & sine proportione nobilior, & major, & perfectior, quàm illa terrena & materialis, quæ est sita in *Palæstina*. Nam illa est arctata & sita in illo parvo spatio juxta montem *Oliveti*: in quâ non cantabantur hymni & Psalmi, nec offerebantur sacrificia, nisi in aliquibus horis, & certis diebus: nec exaudiebantur orationes, nisi pro præmio temporali: sed hæc *Hierusalem nova* est toto Orbe diffusâ à Solis ortu, usque ad occasum, & ab Aquilone ad Austrum, & in ea ubique, & omni tempore & momento diei & noctis cantantur Laudes & hymni, & offertur verum votum, & sacrificium Eucharistiæ, quæ sunt Deo grata, & accepta, & delectabilia. Hæc est ergo *Sion*, de qua dixit in principio Psalmi: *Te decet hymnus Deus in Sion*. Et sic etiam patet quod ea, quæ dicuntur, non possunt convenire illi *Hierusalem* materiali.

1.q.1. c. Ex catholica.

9. *Visitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.*

HIC commendat *novam Hierusalem* in abundantia refectionis & ciborum spiritualium & bonorum gratiæ, quibus Christus ditavit eam ad nostram salutem. Unde dicit: Tu Christe non solùm ampliasti istam *Hierusalem* usque ad terminos terræ, & in ea voluisti in omni loco, & in omni hora & tempore, *Hymnos* & Laudes cantari, & sacrificium offerri ad tuam delectationem & honorem; sed etiam *visitasti* istam *terram* in tuo adven-

tu,

tu, & *inebriasti*, & rigasti *eam* sapientiâ & doctrinâ tuâ Euangelicâ, & *multiplicasti locupletare* & ditare *eam* divitiis, & A fructibus spiritualibus, quæ sunt Ecclesiastica sacramenta. Nam sicut sapientia & doctrina Euangelica dantur in potum, ita Ecclesiastica sacramenta dantur in *cibum*, & medicinam, & refectionem spiritualem. Et dat modum, quomodo istud flumen sapientiæ venit ad rigandam Ecclesiam, dicens. Nam primò istud *flumen Dei* Spiritus sancti defluxit in *rivos*, id est, in Apostolos. Exinde per Apostolos distillavit in *colles*, scilicet in Doctores, putà, in *Augustinum*, *Hieronymum &c.* Exinde in *valles*, scilicet, in simplices Eremitas, putà, in *Antonium*, & *Hilarionem*: & exinde in *campos*, scilicet, populares fideles, & conjugatos. Et sic repleta est Ecclesia scientiâ Domini à Solis ortu, usque ad occasum. Dicit ergo David:

B

10. *Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est præparatio ejus.*

24. q. 1. *Ex sola.* & 24. q. 1. *Alienus* & c. *Quecumque.*

11. *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: in stillicidiis ejus lætabitur germinans.*

FLumen *Dei*, scilicet Spiritus sancti, *repletum* & plenum *est aquis* sapientiæ & gratiæ sine mensura. Ex quibus *aquis* tu Christe *parasti cibum* & potum *illorum* Apostolorum, & fidelium, id est, C instituisti sacramenta Ecclesiastica ad *cibum* illorum, & omnium fidelium: *quoniam ita* & talis *est præparatio ejus* & dispositio, id est, isto modo defluxit *flumen* sapientiæ Spiritus sancti in fideles. Nam primò implesti *rivos*, id est, Apostolos; & sic *inebrians* istos *rivos*, & replens in die Pentecostes, exinde *multiplica*, id est, multiplicasti *genimina ejus*, id est, omnes fideles, & filios Ecclesiæ per Baptismum regeneratos. Et Ecclesia *germinans* filios suos ex fonte Baptismi, *lætabitur in stillicidiis* ejus, pluviis distillantibus ex isto *flumine* manante ex latere Christi, à quo trahunt virtutem Ecclesiastica sacramenta, & etiam ex *flumine* D gratiæ Spiritus Sancti: & sic Ecclesia *lætabitur* in frequentia & multitudine filiorum regeneratorum.



E 12. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur ubertate.*

De Pœn. d. 6. §. 1.

TUNC etiam ex isto flumine *benedices*, id est, benedictionem abundantiæ, & fertilitatis gratiæ largieris *coronæ*, id est, circulo, & revolutioni, & progressui *anni benignitatis tuæ*, & misericordiæ, qui est status, & tempus Legis Gratiæ. Unde nota; quòd sicut tempus Legis veteris dicebatur *annus* & *dies sterilitatis*, quia non germinabat fructus gratiæ & justitiæ: ita per oppositum tempus, & status Legis Euangelicæ dicitur *annus benignitatis* & misericordiæ, & gratiæ: quia *germinat*, & fructificat, & justificat non solum à peccato, sed dat fructus meritoF rios vitæ æternæ: in tantum quòd *campi tui repleti sunt ubertate* sacramentorum spiritualium.

13. *Pinguescent speciosa deserti: & exultatione colles accingentur.*

12. q. 1. *Exemplū.* 11. d. c. *Quis*, in fine.

14. *Induti sunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.*

G

ARVA *deserti* populi Gentilis, facta *speciosa* per Baptismum, *pinguescent* pinguedine sacramentorum & gratiarum: & *colles*, scilicet, Doctores, *accingentur*, & armabuntur, & induentur *exultatione* sapientiæ & doctrinæ Euangelicæ. Nam major pars Doctorum Ecclesiæ fuerunt orti ex populo Gentili: ut putà, *Origenes*, *Eusebius*, *Cyprianus*, *Augustinus*, *Ambrosius*, *Hieronymus &c.* Et etiam *arietes ovium*, qui fuerunt Prælati, & Pastores Ecclesiæ, *induti sunt* vellere copioso multiplicis lanæ, ex qua contexti sunt multi libri, exponentes, & declarantes Sacram Scripturam utriusque Testamenti: H quibus pannis nos defendimus à frigoribus & ventis Hæreticorum, & Infidelium, ut patet de *Augustino*, qui scripsit contra omnes Hæreses, & defendit Ecclesiam, & cooperuit ab incursibus *Arianorum*, & *Manichæorum*, & *Pelagianorum*, & aliorum *Hæreticorum*. Quæ quidem abundantia, & ubertas tota provenit ex illo *flumine* Spiritus sancti defluxo in *rivos* Apostolorum, & exinde in Doctores.

Doctores Ecclesiæ, quomodo vestierunt fideles suis doctrinis.

Item, vellus, quo *induti sunt arietes*,

tes, scilicet Prælati Ecclesiæ, est Ecclesiastica potestas proveniens ex illo *flumine*. Et ex iisdem rivis, *valles*, id est, A fideles simplices irrigati, *abundabunt frumento*, & omni cibo spirituali nutrientur. Et sic *clamabunt* & *dicent hymnum* laudis & lætitiæ, agendo gratias Deo Patri, & Domino nostro Jesu-Christo pro tantis beneficiis receptis in hâc *nova Hierusalem* per adventum Domini nostri Jesu-Christi: & talis *hymnus decebit* & delectabit *Deum* in hâc nova *Sion*; & tale *votum* & sacrificium *Eucharistiæ reddetur* Deo in hâc *nova Hierusalem*, quòd erit Deo gratum, & acceptabile, & delectabile, sicut dictum est in principio Psalmi.

Ex supradictis patet, quod iste Psalmus impropriè potest exponi de abundantia *Hierusalem terrenæ* & materialis. Nam nunquam ibi post reditum de *Babylonica* B *captivitate*, fuit tanta abundantia, quanta hîc memoratur, cum de se sit terra sterilis & sicca: immò fuit tanta penuria tempore *Nehemiæ*, dùm Templum, & Civitas reædificabatur, quòd patres cogebantur vendere & locare filios pro cibis. Et ideo Beatus *Hieronymus* in *Epistola ad Bardanum*, invehitur contra Judæos, & dicit, quòd ista *Sion* & *Hierusalem*, & terra in hoc Psalmo memorata, est Ecclesia, & cultores ejus sunt Apostoli. Et demonstrat, quòd ea quæ sunt dicta hîc, & alibi de terra promissionis, non potest convenire *Palestinæ*: tùm propter sterilitatem terræ: tùm propter arctum spatium loci: quia à *Dan* usque *Bersabee* vix sunt centum & septuaginta milliaria in longitudine: & à *mari magno* usque ad *Jordanem*, quæ est ejus latitudo, & etiam usque ad mon- C tem *Galaad*, vix sunt septuaginta milliaria. Et ideo dicit, quòd *pudet eum mensurare longitudinem & latitudinem illius terræ propter Ethincos*, id est, Gentiles & Paganos: quia *videtur minimum spatium, respectu tantorum rumorum*

Ex quibus patet, quòd Propheta in hoc Psalmo commendat hanc *novam Hierusalem*, quæ ex illa veteri fuit orta. Primò, quia in hac cantantur *hymni* Deo delectabiles & accepti. Secundò, quia in hac offertur verum & acceptum sacrificium, & *votum Eucharistiæ*, quod in illa minimè offerebatur. Tertiò, quia in hac exaudiuntur orationes, & in illa non, cùm sit D totaliter mortua & reprobata. Quartò, quia ista est ampliata, & diffusa toto orbe terrarum usque ad fines terræ: & illa est arctata & finita in illo parvo & arcto loco, & monte lapidoso. Quintò, quia in hoc loco & parte hujus *novæ Hierusalem* offertur sacrificium *Eucharistiæ*; sed sacrificia veteris Legis non offerebantur, nisi in illa parva civitate & Templo. Sextò, quia in hac offertur jugiter sacrificium in omni hora, & tempore, & cantantur *hymni* & E Laudes: in illa autem civitate non, nisi in certis horis diei. Septimò, quia ista abundat ubertate infinita bonorum & refectionis spiritualis: & illa tantùm paucorum temporalium & corporalium. Et ista abundat frequentiâ civium: illa caret.

Ultimò est advertendum: quòd sicut Lex vetus erat imago Legis Euangelicæ; & illa *Hierusalem materialis* erat imago Ecclesiæ Christi: ita ista Ecclesia & *Hierusalem nova* est imago *Hierusalem cœlestis*: Nam omnes cives, qui in hac vivunt per gratiam, & perfruuntur his bonis spiritualibus gratiæ, expectant vivere in illa, & perfui bonis gloriæ. Nam sicut per bona temporalia Legis veteris, intelliguntur bona gratiæ futura in Lege nova; ita per bona gratiæ intelliguntur bona gloriæ: quia illa sunt causa istorum, ut dictum est F *Psalm.* 22. & *Psalm.* 62.

Et ideo totus iste Psalm. sicut expositus est de abundantia bonorum gratiæ hujus *Hierusalem*: ita potest exponi de ubertate bonorum gloriæ illius *Cœlestis*. Immò Deus magis delectatur in *Hymnis* & Laudibus, qui cantantur in illa *Sion* & *Hierusalem* cœlesti; & magis sunt beati, qui habitant in illa domo cœlesti: quia in sæcula sæculorum laudabunt Deum, & fruentur bonis gloriæ.

Etiam iste Psalmus cantatur in *Laudibus Officij Defunctorum*, in quantum fideles, qui sunt in Purgatorio detenti, qui jam fuerunt refecti in hac *Hierusalem* bonis gratiæ, desiderant liberari, ut perfruantur bonis gloriæ in *cœlesti Hierusalem*: & ita nos agendo gratias de bonis spiritualibus gratiæ, quibus reficimur in G hac *Hierusalem*, cantamus hunc Psalmum, desiderantes perfrui bonis gloriæ in illa *Cœlesti*, & hymnos gloriæ, cum beatis cantare.

Not. de Civitate Hierusalem.

Not. Quòd Ecclesia est Hierusalem.

Lex Vetus imago Legis Euangelicæ: n

Psalmus LXV.

1. *Jubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.*

d. 92. c. in Gloss. 99. a.

H TITULUS secundùm *Hieronymum*, *Victori Canticum Psalmi.* In Bibliis nostris reperitur: *in finem. Canticum Psalmi Resurrectionis*: sed hoc forsan additum est ab aliquo authore putante, hunc Psalmum fuisse factum pro gratiarum actione de beneficio Resurrectionis. Sed in Titulo secundùm *Hebræum*, nec apparet materia, nec author hujus Psalmi, sed dicit *Rabi Salomon*, quòd iste Psalmus factus est pro gratiarum actione, quam aget populus Judæorum in adventu sui Messiæ, qui

qui debet eos liberare de captivitate, in qua nunc sunt sub diversis Regibus, & Principibus Christianorum, & Saracenorum: & sic exponunt hunc Psalmum. Sed iste cœcus, & perfidus verum dicit, quòd in hoc Psalmo memoratur *jubilatio*, quam populus Dei erat acturus post liberationem factam per Messiam: sed pertinaciter protervit & delirat, in quantum illud, quod est jam præteritum, expectat futurum per falsum Messiam, quem adhuc frustra expectant.

Materia hujus Psalmi.

Et ideo est dicendum, quòd David prævidens in spiritu liberationem totius generis humani de captivitate peccati, quæ facta est per Christum, condidit hunc Psalmum in persona Christi & Ecclesiæ; in quo invitat populum Gentilem ad jubilandum Deo pro gratiarum actione, eò quòd reprobatis, & obcœcatis Judæis, venit ad agnitionem fidei & veritatis. Unde primò facit quod dictum est: secundò promittit vota. Ibi: *Introibo in domum &c.*

Quantum ergo ad primum dicit Propheta: O vos gentes, & *omnis terra* populi Gentilium, qui secuti estis Christum, *jubilate*, & cum jubilo & lætitia agite gratias *Domino* nostro Jesu-Christo: & *dicite Psalmum* lætitiæ *nomini ejus*, per quem salvati, & liberati estis: & *date gloriam laudi ejus*, qui (reprobatis Judæis) vos ad suam fidem elegit.

Trinitas Trin. & Fide Cathol. c. Damnamus.

2. *Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.*

DIcite sic *Deo*: O Domine Jesu, *quàm terribilia sunt opera tua*, quæ fecisti in nostra redemptione! quia Sol eclypsatus est in plenilunio contra naturam, & tenebræ factæ sunt super universam terram à sexta usque ad nonam, in tua Passione. Et introisti infernum, & portas æreas, & vectes ferreos confregisti, & inde fideles veteris Testamenti eduxisti, & de sepulchro resurrexisti; in qua resurrectione terræmotus factus est magnus, & exterriti sunt custodes &c. Et totum hoc factum est *in multitudine virtutis tuæ*, qui es Dominus cœli, & terræ, & inferni. Et ideo non solùm terram, & infernum, sed etiam cœlum movisti: quia Angelus Domini descendit de cœlo, & revolvit magnum lapidem &c. Sed *inimici tui* Judæi semper *mentientur* contra te; qui pecunia corruperunt custodes, ut dicerent, te non surrexisse, sed corpus ab Apostolis ablatum fuisse. Et etiam *mentientur tibi* Judæi, non recipientes te, cùm sis verus Messias in Lege Patribus & Prophetis promissus: & ideo non solùm *mentientur tibi*, sed etiam toti Sacræ Scripturæ.

3. *Omnis terra adoret te, & psallat tibi: Psalmum dicat nomini tuo.*

92. d. c. 1. In glo.

POstquam Judæi *inimici tui mentientur tibi*, te non recipientes; ideo reprobatis illis, *omnis terra* Gentilium *adoret te* tanquam Deum & hominem, *& psallat tibi*, laudes decantando, & *Psalmum dicat nomini tuo*, quod est *Jesus*, profitendo te verum Redemptorem & Messiam. Deinde Propheta conversus, non solùm ad populum Gentilem, sed ad omnes Fideles de Limbo liberatos, dicit:

4. *Venite, & videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum.*

6. q. 1. ca. Si omnia. De Consc. d. 2. cap. Revera.

5. *Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso.*

6. *Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super gentes respiciunt: qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.*

OVos Fideles redempti & liberati, *venite & videte opera* redemptionis Domini nostri Jesu-Christi: quoniam *terribilis* est *in consiliis*, & sapientiâ, & doctrinâ *super* omnes *filios hominum*. Nam sicut *Moyses* eduxit populum Israel de Ægypto in signis terribilibus & portentis, & siccavit Mare Rubrum, & divisit in divisiones, & *convertit mare in aridam* terram, id est, ostendit terram aridam per divisionem, per quam Israel transivit, & liberatus est de manu Ægyptiorum; & postea convertit retrorsum flumen Jordanis, & Israel *transivit*, & introivit sicco *pede* in terram promissam: ita pariter, & ampliùs, Christus cum majoribus signis, & motibus cœli, & maris, & terræ, & inferni, eduxit sanctos Patres de tenebris inferni: & totum genus humanum de tenebris peccatorum: & *mare* & fluctus inferni *convertit in aridam* terram, & divisit, & fugavit dœmones, & liberavit sanctos Patres. Et postea per aquas, & in flumine baptismali remisit aquas peccatorum: & sic transivimus *pede* sicco, & abluti à sorde pec-

peccati, intravimus Ecclesiam, *in quâ lætabimur in ipso* Christo, hîc per gratiam, & in patriâ per gloriam. Itaque sicut sancti Patres fuerunt liberati de tenebris inferni: ita populus Gentilis fuit liberatus de tenebris idolorum, & translatus ad Fidem, & Ecclesiam per *flumen* baptismale. A

Ex quibus patet, quòd Christus est Deus, *qui dominatur in æternum in virtute sua*, in cœlo, & in terra, in inferno, & in mari: & *oculi ejus respiciunt super gentes*, & eis præstitit hæreditatem gratiæ, & gloriæ. Ideo Judæi, *qui* negant & *exasperant* Christum, *non exaltentur in semetipsis*; immò dejiciantur & subjiciantur in captivitatem temporalem sub principibus hujus mundi, & æternam sub diabolo, postquam noluerunt liberari per Christum. Et etiam non *exasperent*, nec murmurent: quia ipsi se indignos fecerunt divinæ gratiæ. B

7. *Benedicite gentes Deum nostrum: & auditam facite vocem laudis ejus.*

92. d. c. 1. Inglor.

8. *Qui posuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.*

HIC incipit secunda pars. Ergo vos *gentes benedicite Deum nostrum*, Dominum Jesum Christum, *& auditam facite vocem laudis ejus*: & prædicate eum, & gratias agite ipsi Christo, *qui posuit* & eduxit *animam meam ad vitam* gratiæ, & gloriæ per Fidem; *& non dedit pedes meos in commotionem*, nec permisit *pedes* à Fide commoveri, sicut Judæi moti sunt à Fide, & veritate. Unde per *pedes* intelligit hîc fundamentum Fidei, quâ in hoc mundo peregrinamur, & ad patriam tendimus. Nam sicut per *pedes* materiales gradimur per istam terram: ita spiritualiter per Fidem, tanquam per *pedes* ambulamus in Ecclesia: quia ipsa est *pes*, & fundamentum omnium aliarum virtutum. C

D 9. *Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.*

6. q. 1. Sunt plurimi. De Pœn. d. 2. §. Opponitur.

10. *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra.*

11. *Transivimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refri-* E *gerium.*

PROBO, quòd permisisti non commoveri *pedes meos* Fidei, immò firmasti: *Quoniam* tu *Deus nos probasti*, & *nos examinasti igne*, & irâ, & crudelitate Tyrannorum per diversa tormenta, *sicut argentum examinatur* multo igne: & *induxisti*, id est, induci permisisti, *in laqueum* tentationis: & *posuisti tribulationes* tormentorum *in dorso nostro* per multa tempora: quia à Resurrectione Christi usque ad *Constantinum* duravit persecutio Tyrannorum. Et *imposuisti homines super capita nostra:* quia *Maximianus*, & *Diocletianus* promulgarunt edictum: *Si quis Christum profiteretur*, *bonis fisco destinatis*, *capitali sententiâ puniretur*. In tantùm ergo fuimus afflicti, quòd per totum istud tempus *transivimus per ignem & aquam* tormentorum, & persecutionum; sed tandem *eduxisti nos in refrigerium* & quietem per conversionem *Constantini*, in quo quievit Ecclesia: & etiam *eduxisti* Martyres *in refrigerium* & fruitionem gloriæ post tot tormenta: quasi vellet concludere: Ergo *benedicite gentes* Christum de tot beneficiis receptis: Primò, quia fuistis liberati ab idololatria. Secundò, quia plures Martyres fuerunt de populo Gentili. Tertiò, quia tota Ecclesia mansit in populo Gentili, Judæis reprobatis. F

12. *Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea,* G *quæ distixerunt labia mea.*

17. q. 1. Sunt quædam. De Consec. d. 4. cap. Prima.

HIC promittit reddere vota post gratiarum actiones. Unde dicit *homo mysticus*: Postquam fuero liberatus de persecutione Tyrannorum, & *Constantinus* reddiderit pacem Ecclesiæ; ego tunc liberè potero exercere divinum cultum, & *introibo in domum tuam*, scilicet, Eccle-

siam, *in holocaustis*, & sacrificiis: quod erit *cor contritum & humiliatum.* Nam *holocaustum* in Lege veteri erat sacrificium, A quod totum igni consumebatur ante altare: ita pariter in Lege nova, *cor contritum & humiliatum* dicitur holocaustum totum igne charitatis crematum, nil remanens de peccato, sed totum in Deum conversum: & hoc est verum *holocaustum* Christianorum. Et ideo sequitur: *Reddam tibi Deus vota mea*, scilicet, promissa voluntaria, *quæ labia mea distinxerunt*, & expressérunt. Unde vota quæ vovimus, & Deo promisimus, & professi fuimus in Baptismo, fuerunt fides, spes, & charitas de corde bono, & conscientia pura, & observantia Legis Euangelicæ. Ista ergo sunt *vota*, *quæ distinxerunt*, & expressérunt, & promiserunt labia nostra in Baptismo; & B hæc tenemur reddere semper sponso nostro Christo tanquam debita.

[17. q. 1. *Sunt quædam.*

13. *Et locutum est os meum, in tribulatione mea.*

Dicit Ecclesia: Etiam *reddam tibi* illa *vota* & promissa, quæ *locutum est os meum in tribulatione mea.* Nam quando eram in illa dira persecutione Tyrannorum, fugiendo per montes & speluncas, & non poteram liberè Deo sacrificare: tunc promisi per *os meum* multa *vota*, si liberaret me de illa persecutione. Postquam ergo fuero, & sum liberata, volo *reddere*, non solùm *vota mea*, *quæ distinxerunt labia mea* in Baptismo; sed etiam C illa *vota*, *quæ locutus est*, & promisit *os meum in* illa *tribulatione* & persecutione.

Extra de Voto, cap. Perpetuas

14. *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis.*

Et *offeram tibi holocausta medullata.* Unde nota, quòd in Lege veteri offerebantur arietes pingues, & boves, & hirci, & toti cremabantur in holocaustum: & ille fumus pinguedinis ascendebat in cœlum &c. Sed jam dictum est *Psalmo* 48. D quòd talia sacrificia jam non sunt accepta in Lege nova: & quòd de se non erant bona, nec munda, nec propria, sed aliena. Sed in Lege novâ offeruntur sacrificia, quæ per illa figurabantur. Nam per *agnum matutinum* & *vespertinum*, qui totus in holocaustum crematur, intelligitur Christus, qui totus in cruce igne charitatis crematus est, & totum se Deo Patri pro toto mundo obtulit: & illud *holocaustum* quotidie in Ecclesia offertur in memoriam illius passionis, & reconciliationis populi cum Deo Patre. Et per *arietes* intelliguntur Sacerdotes, qui supradictum *holocaustum* offerunt *cum incenso* & devotione, qui simul offerunt seipsos. Et per *boves & hircos* oblatos, intelliguntur pœnitentes, qui à superbia & petulantia bovina, & fœditate hircina mortificatos, seipsos sanctos, & immaculatos offerunt Deo.

E

Dicit ergo: Ego tunc *offeram tibi holocausta medullata* & pinguia pinguedine & abundantiâ gratiæ, quod est Sacramentum *Eucharistiæ*: & hoc *holocaustum offeram tibi cum incenso* & devotione *arietum*, scilicet, Sacerdotum, qui sunt ductores ovium: & *offeram tibi boves*, id est, pœnitentes, à superbia mortificatos, F *cum hircis*, id est, cum pœnitentibus, ab hircina fœditate & luxuria mortificatis, & mundatis, sicut dictum est *Psalmo* 50. *in tertia Expositione.* Et etiam per ista tria animalia occisa intelliguntur Martyres, & Confessores, & Virgines, ut dictum est ibidem: quæ quidem *holocausta* jugiter offeruntur in Ecclesia. Et omnia ista obtulit Christus in cruce: nam primò, ipse fuit *aries* et ductor populi, et gregis Christiani: et fuit *vitulus* sine jugo peccati: et fuit *hircus*, non de se, sed quia peccata omnium membrorum secum crucifixit.

15. *Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* *Dist. 56. Nasci.*

G

Ecclesia prorumpens in gaudium, convocat omnes ad congaudendum secum, dicens: *Venite omnes* fideles, *& videte*, *quanta* beneficia superiùs exposita, *Dominus fecit animæ meæ.*

16. *Ad ipsum ore meo clamavi, & exaltavi sub lingua mea.* *Dist. 49. cap. ult. Joann. 9. Et de Cons. d. 1. Quoniam autem. 3. q. 7. In gravibus.*

17. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.*

H

18. *Propterea exaudivit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.*

Et ideo *ore meo clamavi*, et clamabo *ad ipsum* septies in die, gratias agendo in Divinis Officiis, *& exaltabo sub lingua mea.* Nam *si* pro *quia*, *non aspexi iniquitatem in corde meo*; ideo *exaudivit* me *Dominus*: quia si aspexissem iniquitatem, non exaudisset me, quia peccatores Deus non

non exaudit, sed justos. Sed quia ego mortificatus à peccato, obtuli cor contritum & humiliatum, *propterea exaudivit Deus, & intendit*, & satisfecit *voci deprecationis meæ*, adimplendo quod petebam.

11.q.4.c. Ad mensam.

19. *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me.*

BEnedictus sit ergo *Deus*, & gratias ago ipsi, *qui non amovit*, id est, non renuit, nec repulit *orationem*, id est, petitionem orationis meæ, *nec misericordiam suam amovit à me.* Nam per suam misericordiam me audivit, & complevit petitionem orationis meæ: nam primò, per misericordiam suam venit in carne, & liberavit me à peccatis, & per Ecclesiastica sacramenta; & postea liberavit me à persecutione Tyrannorum: & sic expecto liberari de carcere corporis hujus, & esse cum Christo. Amen.

PSALMUS LXVI.

93.d.Diæni.

1. *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.*

De Pœ.d. 1. c. Sertens.

2. *Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.*

TITULUS: *Ad victoriam*, sive *In finem, In Hymnis, Psalmus cantici David.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum, dirigens in Christum & Ecclesiam, qui est *finis Legis omni credenti ad justitiam*, *ad Rom.*10. Et exprimitur modus quo cantabatur in Templo ex præcepto David: quia in organis musicis cum cantico & voce humana. Nam ita *Terentius* in titulis Comœdiarum exprimit organa, & musica instrumenta, quibus comœdiæ cantabantur; cùm dicit: *Acta Ludis Megalensibus tibiis duabus &c.* Ita David, velut verus & spiritualis Poëta, & *egregius Psaltes Israel* in Titulis suorum Psalmorum exprimit genera musicorum, & modum cantandi. Nam secundùm sacramenta in Psalmis contenta, dabat modum cantandi, ut cantus corresponderet sacramento. Sed quia iste Psalmus continet altissima mysteria, scilicet, mysterium adventus Christi, & mysterium Trinitatis: ideo voluit ut cantaretur cum organo, & cantu, sive voce humanâ junctâ organo: & sic simul notificabatur unito Verbi cum carne, & lætitia adventus Christi: & cantabatur cum toto conatu vocum ad finem, ad denotandum altissimum mysterium Trinitatis, id quo circà factus fuit.

De materia hujus Psalmi.

Iste Psalmus parvus in verbis, & maximus in sententia, dividitur in duas partes: nam in prima *homo mysticus*, sive Ecclesia, petit Salvatorem, ut veniat in carne, ut salvet mundum per misericordiam & passionem. Secundò, quia licèt ista Incarnatio terminetur ad Filium; tamen efficienter fit à tota Trinitate: ideo in ultimo versiculo invocat, & exprimit omnes tres personas per mysterium Trinitatis, ibi: *Benedicat nos Deus.*

Actus redemptionis attribuitur Patri.

Quantum ad primum est notandum, quòd actus misericordiæ, & nostræ redemptionis primò & principaliter attribuitur Patri, & toti Trinitati efficienter: sed instrumentaliter, & meritoriè attribuitur humanitati Christi; eò quòd illa facta est nostra justificatio, & punitio nostri sceleris: & sic totus Christus dicitur Redemptor & Salvator. Sed quia in illa humanitate Deus Pater fuit nobis notificatus, in quantum Christus per humanitatem nobis loquebatur, & prædicabat, & revelavit divinitatem, & notificavit voluntatem Patris in Lege Euangelica: ideo Christus dicitur *vultus* & *facies* Patris in Scriptura: quia *per vultum & faciem notitia designatur*, ut ait *Gregorius super Ezech.* nam unaquæque res per faciem & vultum cognoscitur.

Ideo ait David in principio hujus Psalmi: *Deus* Pater, supple, *misereatur nostri:* quia per magna tempora ab *Adam* hucusque, fuimus in miseria & captivitate peccati: *Et benedicat nobis*, absolvendo nos à maledictione sententiæ datæ in *Adam.* Sed quia talis misericordia & benedictio non poterat nobis dari, nisi per Incarnationem Filii Dei, qui est *Verbum*, & *Vultus* Patris, per quem Pater & sua voluntas nobis debebat notificari; ideo sequitur: *Illuminet vultum suum super nos*, id est, ostendat nobis Filium suum in humanitate, qui est *lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quasi dicat: *Per vultum suum*, scilicet, Filium suum incarnatum, illuminet nos, dando Legem Euangelicam: & sic *misereatur nostri*, non solùm per doctrinam, sed etiam per mortem & passionem, à miseria & maledictione relevando: *ut* per ipsum Filium tuum *cognoscamus in terra viam tuam*, scilicet, Legem Euangelicam, quæ est via pervenientium ad te, & ipsemet Filius tuus *est via, veritas, & vita*; & sic cognoscendo ipsum, cognoscemus *viam tuam:* quia *nemo potest venire ad Patrem, nisi per* Filium. Et etiam, *ut* cog-

cognoscamus Christum *salutare tuum*, & medicum salutis, non solùm in Judæa, sed *in omnibus gentibus*, ut sit universalis redemptor. Nam per ipsum filium tuum, tanquam per *faciem* & *vultum*, te omnes cognoscemus : Ergo mitte eum, ut te omnes cognoscamus. A

3. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

DEUS, *omnes populi confiteantur tibi* confessione fidei, & *omnes populi confiteantur tibi* in confessione laudis. Quasi dicat: Taliter cognoscamus *salutare tuum in omnibus gentibus*, ut omnes populi Gentiles, qui hucusque fuerunt falsæ superstitioni Idolorum dediti, deinde te verum Deum Trinum & Unum, & Incarnatum confiteantur, adorent, & laudent. B

4. Lætentur & exultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

GENTES sic conversæ *lætentur & exultent : quoniam* tu *judicas populos in æquitate* per Legem Euangelicam: quia non præcipis, nisi omnem virtutem, & æquitatem, & justitiam : & non es acceptator personarum ; quia ita æquè salvas Gentiles, sicut Judæos, *& dirigis gentes in terra* per Legem Euangelicam, sicut direxisti Judæos. Nam licèt prædicaveris Judæis, & direxeris eos, tamen postea misisti Apostolos ad prædicandum & dirigendum Gentiles in *via Dei*: & sic patet, quòd *judicas in æquitate*. Quasi dicat: quòd ita lætabuntur Gentiles, sicut Judæi in tuo adventu : quia æquè omnibus dabis Legem, & omnes redimes. C

5. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

QUasi dicat : Non solùm *confiteantur tibi populi*, quia tu es Deus & Messias & Salvator & Judex æquus, & Legifer : sed etiam quia es verus tutor & gubernator & dator bonorum temporalium : Nam per te *terra dedit fructum suum* ad humanam sustentationem, & ad vitæ alimentum : quia *omnia à te expectant, ut des fructum in tempore &c.* D

Sed ista Expositio licèt contineat veritatem, in quantum omnia ista temporalia dantur à Deo : tamen non credo, quòd ista sit intentio Prophetæ in hoc loco : immò hîc exprimit mysterium Incarnationis, & Nativitatis Christi de *Virgine Maria* sine viro, sed solo opere Spiritus sancti. Quasi dicat : *Confiteantur tibi omnes populi*, & firmiter credant, quòd *terra*, id est, Virgo Maria, quæ respectu Dei dicitur *terra*, *dedit fructum suum*, id est, peperit Christum, Patriarchis, & Prophetis diu promissum & expectatum, de quo fructu ait *Isai.* 53. *Et erit sicut virgultum coram eo : & sicut radix de terra sitienti.* Idem *cap.* 45. *Rorate cœli desuper & nubes pluant justum : aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Quasi dicat: quòd sicut *terra* ex sola influentia cœli germinat virgultum & fructum : ita *Virgo Maria* sine coitu viri, sed ex solo opere Spiritus sancti, & influentiâ supernâ germinavit Christum Salvatorem, & fructum benedictum : cum cæteri fructus fuerunt in *Adam* maledicti descendentes per generationem. Ideo solus iste fructus nos poterat benedicere. E F

Mysteriũ Incarnationis.

6. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus : & metuant eum omnes fines terræ.

Matt. 10.

IN hac secunda parte explicat mysterium trium Personarum in unâ essentiâ divina & substantiâ. Nam quia superiùs memoravit duas Personas divinas, scilicet, Patrem, à quo petiit *misericordiam* & *benedictionem*; & Personam Filii, intellectam per *vultum*, per quem facta est nobis *misericordia*, & data *benedictio*, & salus, & Lex; sed ne putaremus esse tantum duas personas *in divinis* : ideo explicat omnes tres, ut simul comprehendat Personam Spiritus Sancti, triplicando hoc nomen *Deus*, licèt implicitè facta sit memoria de Spiritu sancto, cùm dixit: *Terra dedit fructum suum*, quasi opere Spiritus sancti, supple: ideo hîc intendit dicere, quòd licèt *misereri* & *benedicere* pertineat ad Patrem per Filium, qui est *vultus ejus* : tamen non excluditur Spiritus sanctus, qui disponit corda nostra ad *misericordiam*, & *gratiam* recipiendam. Dicit ergo : *Benedicat nos Deus* Pater, & *Deus noster*, scilicet Filius, & *benedicat nos Deus*, scilicèt, Spiritus sanctus, animam nostram disponendo. Sed ne quis putaret, quòd istæ tres Personæ sunt distinctæ in essentia & substantia; ideò sequitur : *Et metuant eum*, id est, ipsum unum solum Deum, *omnes fines terræ*. Quasi dicat, licèt istæ sint tres Personæ personaliter & relativè distinctæ : tamen sunt una tantum Essentia & Substantia, & unus solus Deus, Trinus G

Not. de Trinitate.

in

in personis, & Unus in essentia. Unde per ly *Deus*, *Deus*, *Deus*, non notificatur, quòd sint tres Dii; sed tres Personæ; A quarum quælibet est æquè & perfectè Deus, quia eâdem Deitate, qua Pater est Deus, eâdem numero Filius, & Spiritus sanctus est Deus: & sic non est nisi unus Deus.

Item eâdem entitate & essentiâ, qua Pater est *ens*, eâdem Filius, & Spiritus sanctus est *ens*: & sic non est nisi *unum ens* absolutum, ut ait *August. contra Maximinum*: licèt sint tria suppositа relativa. Item, Pater non est Deus paternitate, sed deitate: & Essentia & Substantia dicitur *ens*, & *Deus*: & hanc eamdem communicat Filio, & ambo eandem communicant Spiritui sancto: & sic omnes tres personæ sunt *unus Deus*, *& unum ens*, *unum aliquid*: quia *relativa non sunt aliquid* secundùm *Aristotelem*, & *Augustinum*, sed *ad* B *aliquid*. Et ideo licèt sint tria *ad aliquid*, sive *tria relativa*, tamen non sunt nisi *unum ens*, & *unum aliquid*, & *unus Deus*, sumendo *ens* & *aliquid* nominaliter. Sed proprium nomen Dei est *ens*, sive *essentia*, vel *substantia*, quod idem dicunt in Deo: & ideo opera essentialia *ad extra* sunt indivisa *in divinis*. Nam tota Trinitas dicitur *Creatrix*; licèt quandoque scriptura distinguat modum in personis. Nam Pater creavit mundum per Verbum in Spiritu sancto: & sic Patri attribuitur authoritas *misericordiæ*, & Filio dispensatio ejusdem; quia per Filium misertus est nobis; & Spiritui sancto attribuitur sanctificatio; quia sicut Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum: ita per ipsum inspirant nobis sanctificationem & gratiam. Et ideo in orationibus petimus Patrem per Filium, C in unitate Spiritus sancti: quia sic explicatur ordo emanationum divinarum Personarum. Et nos non timemus, nec metuimus, nec adoramus tres Deos, sed Unum Deum colimus in Essentia & Substantia, & Trinum in personis: cujus opera *misericordiæ* & *salutis* circa nos facta, satis explicantur in hoc parvo Psalmo.

Tota Trinitas dicitur Creatrix.

Et nota: quòd David non solùm notificat nobis unitatem divinæ substantiæ cum trinitate Personarum per hoc nomen singulare *eum*, quando dicit: *Metuant eum &c.* sed etiam per hoc verbum singulare, *benedicat*; cum dicit: *Benedicat nos Deus, Deus noster &c.* Ad denotandum, quòd licèt tres personæ realiter distinctæ concurrant ad benedicendum nos; tamen unicus D est actus earum *ad extra*, tanquam ab uno principio substantiali, in quo sunt unum: quia opera Trinitatis sunt indivisa *ad extra*. Ideo tales actus essentiales communiter proferuntur in scriptura per verba singularis numeri: ut *Gen.* 1. *In principio Deus creavit cœlum & terram*; sed quandoque proferuntur per verbum plurale, ut ibidem: *Faciamus hominem ad imagi-*

Actus triũ personarum ab extra est unus.

nem &c. per quod denotatur pluralitas E personarum cum unitate substantiæ.

Secus autem est de productione Spiritus sancti, qui licèt spiretur à Patre & Filio tanquam ab uno principio, prout determinatum est in *Concilio Lugdunensi*: tamen Doctores Catholici semper consueverunt dicere cum verbo plurali, quòd Pater & Filius producunt, aut spirant Spiritum sanctum. Et hoc fit quadruplici ratione, ut potest colligi ex dictis *Augustini*. Primò, quia talis actus non est essentialis, sed personalis & notionalis. Secundò, quia licèt Pater & Filius spirent Spiritum sanctum tanquam unum principium propter unicam virtutem spirativam, in qua non opponuntur, sed uniuntur: tamen Spiritus sanctus procedit ab eis tanquam à duabus personis se mutuo diligen- F tibus: quia Spiritus sanctus non est Patris solius, nec Filii solius, sed amborum: Et ideo *quandam*, *quâ se Pater & Filius diligunt*, *insinuat nobis charitatem*, ut inquit *August.* Et sic simul denotat in eis pluralitatem & unitatem, in quantum est nexus amborum. Tertiò, hoc fit ad notificandam trinitatem Personarum cum unitate substantiæ. Quartò, ut videatur conformari Salvatori nostro, qui dixit: *Pater & Ego unum sumus*, cum verbo plurali. Et ideo de hac ineffabili Trinitate cum grandi timore & tremore loquendum nobis est, semper verba nostra Catholicæ Fidei subjiciendo.

Psalmus LXVII.

G

1. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus: & fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.*

1. q. 4. c. Homin. §. E contra.

HUIC Psalmo præponitur talis Titulus, scilicet, *In finem*, sive *Ad victoriam Psalmus Cantici ipsi David*: per quod patet, quòd David fecit hunc Psalmum, dirigens in Christum, & Ecclesiam, qui est finis Legis: & præcepit ipsum cantari in Templo cum instrumento musico, cum toto conatu vocum: eò quòd ille populus cum magno clamore & desiderio vocabat Christum, ut veniret ad Ecclesiam H suam, ut patebit.

Unde est advertendum, quòd iste Psalmus est difficilior inter omnes ad intelligendum & exponendum. Primò, propter scabrositatem & diversitatem translationum. Secundò, quia utitur communiter vocabulis metaphoricis. Tertiò, quia utitur multis figuris grammaticalibus. Ideò est difficilis ad construendam & ordinandam litteram. Et est magna diversitas, non so-

solùm inter Catholicos, sed etiam inter Hebræos in exponendo, & ordinando particulas hujus Psalmi, licèt omnes Hebræi A conveniant pro majori parte in Expositione ejus, quantum ad materiam. Dicunt enim, quòd David in hoc Psalmo agit gratias Deo pro beneficiis, quæ recepit ille populus in exitu Ægypti, & in tota illa peregrinatione per desertum, usque ad ingressum terræ promissæ inclusivè. Et sic exponunt hunc Psalmum litteraliter absque aliquo sacramento.

Sed in tali Expositione præcisè litterali Judæi cœci & obstinati multipliciter errant. Primò, quia minuunt dignitatem Prophetæ. Nam sequeretur, quòd David non esset Propheta in hoc Psalmo, nec indiguisset lumine Spiritus sancti: quia unusquisque ex proprio lumine potest narrare historiam præteritorum gestorum: quod est B contra sacramentum Tituli hujus Psalmi. Nam dicit Rabbi *Cambi*, quòd ubicumque in Psalmo ponitur Titulus, *In finem:* ibi ponitur & clauditur aliquod magnum mysterium de futuro Rege Messia. Item secundò, quia multa inseruntur in hoc Psalmo, quæ sunt præter illam historiam. Item tertiò, quia loquitur multotiens per verba de futuro, ut patebit. Ergo aliquid aliud intendit dicere David præter historiam in hoc Psalmo. Et ideo est magis credendum Apostolo Paulo, qui *ad Ephes.* 4. exponit scripturam hujus Psalmi de donis gratiarum, quæ acceperunt Apostoli in missione Spiritus sancti in die Pentecostes, allegando illud: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in homini-* C *bus.*

De materia hujus Psalmi.

Et ideo est dicendum, quòd Propheta David considerando & contemplando totum discursum filiorum Israel ab exitu Ægypti, usque ad ingressum terræ promissæ, prævidit in spiritu totum discursum Ecclesiæ à resurrectione Christi, usque ad ejus prosperitatem tempore *Constantini*, & etiam usque ad *Judicium*. Unde per hoc, quòd Moyses eduxit illum populum de Ægypto *in manu forti, & brachio excelso* transvexit eum per Mare Rubrum, submerso *Pharaone*, & exercitu suo; de qua victoria ille populus cantavit illud Canticum triumphale, scilicet, *Cantemus Domino gloriosè*: prævidit David in spiritu, qualiter Christus in sua resurrectione, con- D fractis portis Inferni, debebat educere vinctos, & captivos Patres, & fideles veteris Testamenti, & introducere eos in cœlum: de quo triumpho Angeli debebant cantare Canticum triumphale.

Item, per hoc quod Deus *pluit manna* in deserto ad refectionem illius populi: & *dedit Legem Moysi in monte Sinai* cum igne & tonitruis; prævidit David, qualiter Christus debebat dare Ecclesiæ suæ Sacramentum *Eucharistiæ* ad refectionem spiritualem: & in die Pentecostes debebat pluere super Apostolos pluviam do- E norum, & gratiarum spiritualium.

Item tertiò, per hoc quod *Moyses* ex præcepto Dei fabricavit Tabernaculum, & Arcam; & divisit Levitis omnia officia Tabernaculi, ut patet *Numerorum* 4. prævidit, qualiter Christus debebat spiritualiter fabricare Ecclesiam sponsam suam, & ornare, & dotare eam ornamentis diversarum virtutum, & officiorum, & sacramentorum.

Item quartò, per hoc quod ille populus ex præcepto Dei interfecit *Regem Basam*, & omnes Reges *Chanaam* cum omnibus habitatoribus, propter scelera eorum; prævidit David, qualiter ex præcepto Dei *Titus* cum exercitu *Romano-* F *rum* debebat intrare per *Basan* in terram promissionis, & destruere *Hierusalem*, & omnes habitatores ejus, in vindictam mortis Christi.

Item quintò, per hoc quod ille populus introivit per *Jordanem* cum duodecim ducibus, & cum Arca Domini; ad cujus præsentiam, & voces Sacerdotum & Levitarum, corruerunt muri *Jericho*. Et exinde in virtute D mini existentis in Arca, capta fuit tota terra, & subjecta divino cultui; prævidit David in spiritu, qualiter reprobatis & destructis Judæis, Apostoli debebant ingredi ad populum Gentilem per prædicationem, & in virtute nominis *Jesu*, quod in ore ferebant, cum magnis signis & miraculis debebant subjicere totum populum Gentilem jugo Fi- G dei Christi, à Solis ortu usque ad occasum.

Divisio Psalmi.

Omnia ergo supradicta prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum, in quo octo facit. Nam primò, excitat Christum, ut resurgat à mortuis, & omnes fideles, ut celebrent cum lætitia Christi resurrectionem. Secundò, invitat & excitat omnes Angelos, & omnes fideles redemptos, ad cantandum Canticum triumphale pro victoria, quam Christus habuit de diabolo, & de morte, per suam resurrectionem & ascensionem. Tertiò, explicat dona gratiarum, & ornamenta, quibus Christus dotavit & ornavit Ecclesiam sponsam suam. Quartò, explicat qualiter omnia ista dona Christus accepit à Patre in sua ascensione. H Quintò, explicat quomodo Christus meruit accipere illa dona per mortem suam & passionem. Sextò, explicat & prædicit punitionem Judæorum factam in vindictam mortis Christi. Septimò, explicat & prædicit, qualiter reprobatis & destructis Judæis, Apostoli ingressi sunt ad populum Gentilem, ex cujus conversione Ecclesia fuit ampliata per totum orbem. Octavò, agit gratias, & excitat totam Ecclesiam, ad agendum illas pro omnibus beneficiis supradictis acceptis. Secunda ibi: *Cantate Deo.*

Deo. Tertia ibi: *Deus cùm egredereris.* Quarta ibi: *Currus Dei.* Quinta ibi: *Benedictus Deus.* Sexta ibi: *Verumtamen confringet.* Septima ibi: *Viderunt ingressus tuos.* Octava ibi: *Regna terræ cantate.*

Quantum ad primum est advertendum, prout legitur *Numer.*10. quòd postquam *Moyses* receperat Legem, & fabricaverat Tabernaculum cum Arca, & erexerat ipsum, & *columna nubis* simul cum Tabernaculo, incepit moveri; tunc *Moyses* cum Levitis cantarunt primum versum hujus Psalmi, scilicet: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.* Et sic quandocumque Arca Domini movebatur de aliquo loco & mansione, semper repetebant hunc versum, & omnes inimici fugiebant à facie eorum; in tantum, quod talis irruit timor super omnes habitatores illius terræ circunstantis, ut omnes fugerent à facie Tabernaculi, usquequò Arca introducta fuit in terram promissam, & collocata in *Silo*, ut patet per totum discursum *Libri Numeror. & Josue.* In quo Tabernaculo facta sunt multa mirabilia: nam à facie ejus victus & fugatus fuit *Amalec*, & *Moab*, & *Basan*, & *Jordanis* conversus retrorsum, & omnia regna *Chanaam* subjecta fuerunt. Per quæ prævidit David, qualiter Christo resurgente, Infernus erat expoliandus, & diabolus à facie Christi fugandus: & etiam qualiter à facie nominis *Jesu*, quod Apostoli portabant in ore, & Arcâ Euangelicâ, tota terra debebat tremere, & omnia Idola erant prosternenda, & omnia regna terræ Christo subjicienda.

Nota de motione Arcæ &c.

Hæc ergo prævidens David in spiritu, incipit hunc Psalmum cum verbis *Moysi*, & excitat Christum, ut resurgat à mortuis de sepulchro, & expoliet Infernum, dicens: *Exurgat Deus* & homo de sepulchro, sicut surrexit, quando liberavit Israel de Ægypto: & intret Infernum, & fugiant diaboli *inimici ejus*; & reducat exinde fideles veteris Testamenti. Et non solùm fugiant diaboli *à facie ejus*, sed etiam Judæi *inimici ejus*, qui oderunt & crucifixerunt eum, fugiant, videntes eum resurrexisse.



2. *Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.*

De Consec. d. 3. cap. ult. & 23 q. 5. §. ult.

SICUT *fumus deficit, & cera fluit à facie ignis*: ita tàm Judæi, quàm diabolus, *pereant*, & fugiant *à facie* Christi *Dei* & hominis, post suam resurrectionem: & omnes fideles veteris Testamenti liberentur de Inferno per resurrectionem,

3. *Et justi epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.*

De Consec. d. 5. cap. Jejunium.

OMNES *justi* fideles novi Testamenti liberati à peccato, & à jugo Legis veteris, *exultent in conspectu Dei*, se fuisse liberatos: *& delectentur in lætitia* in Lege Euangelica, per quam intelligunt mysteria veteris Legis & Prophetarum. Unde Christiani, qui Christum receperunt, *epulentur* in esu sacramentorum, & ciborum spiritualium Euangelicæ doctrinæ: *& delectentur in lætitia* in ejus intelligentia, sicut filii Israel epulati sunt in *Azymis*, & *Agno Paschali* in exitu Ægypti. Deinde cùm dicit:

4. *Cantate Deo, Psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.*

De Pœ. d. 1. Omnis, qui non diligit.

INVITAT, & excitat David Angelos, & omnes fideles redemptos & liberatos de captivitate diaboli, ad cantandum Christo Canticum triumphale, pro victoria quam habuit de diabolo, per expoliationem Inferni, & de morte, per resurrectionem, prout prævidit per liberationem filiorum Israel de Ægypto.

Nota de exitu Ægypti.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd quinque fecit Moyses in figura Christi in illo exitu Ægypti. Primò, fecit multa signa in virtute Nominis Dei *Tetragrammaton.* Secundò, interfecit omnia primogenita Ægypti. Tertiò, liberavit omnes filios Israel de illa morte per sanguinem *Agni.* Quartò, eduxit tres conditiones hominum de illa captivitate. Quintò, congregavit totum illum populum sub una lege & societate in terra promissionis, qui antea erat dispersus per Ægyptum. Et ideo postquam fuit liberatus de Ægypto, & de peri-

riculo Maris Rubri, cantavit illud trium phale: *Cantemus Domino gloriosè*, pro gratiarum actione. A

Sed quia omnia illa fecit *Moyſes* in figura Chriſti; ideo Chriſtus, cui eſt Nomen Domini *Tetragrammaton*, ſcilicet, *Jeſus*, alia quinque fecit in expoliatione Inferni, & ſua reſurrectione, quæ fuerunt multo majora. Primò, in ſua paſſione, quando deſcendit ad Inferos, factus eſt terræmotus per univerſam terram, & Sol obſcuratus eſt. Secundò, confregit Infernum, & triumphavit de diabolo. Tertiò, expoliavit Infernum, & liberavit ſanctos Patres. Quartò, triumphavit de morte: quia per reſurrectionem, mortem vicit & ſuperavit. Quintò, cum magno triumpho ſanctos Patres in cœlum introduxit, & *in domo* unius gloriæ congregavit; de quo triumpho Angeli Canticum triumphale cantarunt, dicentes: *Quis eſt iſte qui venit de Edom? Iſai.*63. B

Chriſtus hæc fecit in expoliatione inferni, & ſua reſurrectione.

Hæc ergo prævidens David in ſpiritu, excitat Angelos, & fideles redemptos ad cantandum triumphum Chriſto in ſua Aſcenſione, dicens: O vos Patres veteris Teſtamenti, ab inferno liberati: & vos fideles novi Teſtamenti de tenebris redempti, qui per aquas Baptiſmales Mare Rubrum tranſiſtis, & ad littus ſalutis per Chriſtum perveniſtis, *Cantate Deo*, & *Pſalmum dicite nomini ejus*, quod eſt *Jeſus*, ſignificatum per nomen quatuor litterarum: quia melius poteſtis vos cantare in iſta redemptione, quàm filii Iſrael poſt tranſitum Maris Rubri: quia de majori captivitate & morte eſtis liberati per Chriſtum. Nam illi fuerunt liberati de captivitate & morte temporali, vos autem de morte æterna. Et vos Angeli, non prohibeatis ingreſſum ejus in cœlum: immò *facite ei iter*, & date locum: quia licèt Deus relegaverit hominem à paradiſo & privaverit ipſum cœleſtibus manſionibus propter peccatum, tamen Chriſtus multis rationibus meretur intrare cœlum cum ſuis fidelibus liberatis & redemptis. C

Chriſtus meruit intrare cœlum.

Primò, quia *Dominus eſt illi nomen*, id eſt, quia *Jeſus* eſt nomen ejus ſignificatum per *Nomen Domini Tetragrammaton*, quod eſt nomen ſummæ potentiæ, & ſapientiæ, & miſericordiæ, & juſtitiæ, ut dictum eſt *Pſal.*8. Ergo ipſi debetur cœlum in hæreditatem.

Secundò, quia ipſe *aſcendit ſuper occaſum*, id eſt, ſuperavit & vicit mortem per reſurrectionem. D

Tertiò, debetur ipſi triumphus: quia ipſe triumphavit de diabolo, & turbavit, & fugavit eum, & liberavit ſuos fideles: eò quòd eſt *Pater orphanorum*, & *Judex viduarum*. Ideo *exultate in conſpectu ejus* in iſto triumpho: quia principes inferni *turbabuntur à facie ejus*, ſcilicet Chriſti, *Patris orphanorum*, & *Judicis viduarum*.

Nam ad eum pertinet defendere fideles E ſuos *orphanos*, & ejectos, & animas *viduas* à Deo per peccatum deſertas.

Item quartò, debetur ipſi triumphus, & debetis exultare: eò quòd *eduxit vinctos in fortitudine* de inferno, & etiam *eos qui exaſperant*, id eſt, *Latronem*, & *Paulum*, & multos alios, qui ante *exaſperabant* contra eum, liberavit, & eduxit de morte perpetua. Etiam eduxit multos *qui habitabant in ſepulchris*: quia multi *ſurrexerunt* cum Chriſto de ſepulchris, & *venerunt in ſanctam civitatem*, & *apparuere multis*, *Matth.*27.

Item quintò, debetur Chriſto triumphus; eò quòd omnes, quos de Inferno, & de peccato liberavit, *fecit habitare in loco ſancto*, ſcilicet, in *domo unius moris*, & unius gloriæ, & charitatis. Et eſt figura, quæ dicitur *hiſteron proſteron*, id eſt, *tranſpoſitio ſententiæ*. Nam priùs Chriſtus *eduxit vinctos* de Inferno, & de peccato, & poſteà *fecit eos habitare in loco ſancto ſuo*. F

Ex quinque ergo rationibus ſupradictis probat Propheta, quòd Chriſto debetur triumphus, & hæreditas in cœlo. Primò, quia Nomen ejus eſt *nomen Domini*, quod eſt *Jeſus*. Secundò, quia triumphavit de morte. Tertiò, quia turbavit, & fugavit diabolum, & triumphavit de eo. Quartò, quia *eduxit vinctos* de Inferno. Quintò, quia congregavit eos *in loco ſancto ſuo*, & in domo unius moris.

Solus Chriſtus nomen Dei debebat revelare.

Ad quorum intelligentiam eſt primò notandum, quòd omnes Patriarchæ & Prophetæ ideo deſiderabant Chriſtum videre, quia ſciebant in ſpiritu, quòd ſolus Chriſtus debebat revelare Nomen Do- G mini *Tetragrammaton*, quod nulli Patrum antiquorum fuerat revelatum. Et ideo dicunt Judæi moderni, quòd Meſſias, quem falsò expectant, debet habere ſecum illud *Nomen*, & ſcire proprietates ejus: in cujus virtute debet facere multa miracula, & ſubjicere totum mundum. Cum ergo ſecundùm veritatem Chriſtus Salvator noſter non ſolùm habuerit illud Nomen, immò ipſe erat *Nomen Domini*, quod eſt *Jeſus*, ut probatum eſt *Pſalmo* 8. ideo habet poteſtatem in cœlo, & in terra, & in inferno; & per conſequens debetur illi triumphus. Ideo dicit David: *Cantate ei*, & *pſallite illi*: quia *Dominus* H *nomen illi.*

Secundò eſt notandum ſecundùm Apoſtolum 1. *ad Corinthios* 16. quòd mors ante reſurrectionem Chriſti dicebatur victrix omnium, et ideo dicebatur *occaſus vitæ*. Nam ſicut mundus perdit lucem per occaſum Solis; ita homo perdit vitam per mortem. Et ideo dicebatur *finis omnium terribilium*, ut patet 1. *Ethicorum*; quia de omnibus magnis et parvis triumphabat: quia ultra mortem non erat aditus,

Mors vitæ occaſus.

ne-

neque tranſitus. At Chriſtus reperit aliam vitam poſt mortem, quando reſurrexit ad vitam glorioſam: et ſic triumphavit de morte, quia devictâ morte, reſeravit nobis aditum ad aliam vitam per ipſam mortem. Et ſic mors, quæ erat finis omnium terribilium, facta eſt nobis pervia ad aliam vitam. Et ideo dicit David, quòd Chriſto debetur triumphus in cœlo, eò quòd *aſcendit ſuper occaſum*, id eſt, ſuper mortem, quando reſurrexit. Unde ſicut Chriſtus aſcendit ſuper occaſum mortis, ita meruit *aſcendere ſuper occaſum* cœli, id eſt, ſuper primum mobile, quod dicitur *cœlum occaſus*, eò quòd motu proprio movetur ad occaſum, cùm cæteri cœli moveantur motu obliquo, & quaſi contrario ſuper polos Zodiaci.

Unde eſt advertendum, quòd hîc latet maximum ſacramentum: nam ſicut Sol per raptum primi mobilis tendit ad occaſum præter motum proprium, & quaſi contra naturam ſui, & poſt occaſum cauſat noctem per abſentiam ſuam in noſtro hemiſphærio; & tamen dum fertur per aliud hemiſphærium inferius, ſemper lucet, & cauſat diem in alio hemiſphærio inferiori, quia nunquam in ſe perdit lucem, ſed peragrato alio hemiſphærio, apparet ſuper noſtrum hemiſphærium & orizontem, & ſic cauſat nobis diem clarum & lætum, quia non manet in illo occaſu, immò tranſcendit ad auroram & diem: ita Chriſtus contra juſtitiam, & præter merita ſua, raptus & ductus eſt ad occaſum mortis per Judæos; & corpus ejus fuit clauſum, & ſigillatum in ſepulchro: quia putabant Judæi, Chriſtum totaliter occidiſſe victum morte corporali, & nunquam reverſurum, nec rediturum. Sed licèt Chriſtus verè fuit mortuus; tamen ejus anima, Verbo perſonaliter unita, deſcendit ad aliud hemiſphærium, ſcilicet, ad Infernum, nunquam amittens, nec perdens ſuum lumen, cauſans lucem & diem ſanctis Patribus in Limbo, ubi Chriſtus, tanquam *Pater orphanorum*, & *Judex viduarum* animarum ſedit per quadraginta horas, & condemnavit diabolum tanquam Tyrannum; à cujus facie fugerunt omnes dœmones: & ipſe *eduxit* prædam antiquam, & *vinctos* Patres de Limbo Inferni. Et ſic anima Chriſti cum tali triumpho reverſa eſt ad corpus, & reſurrexit Chriſtus ad diem & vitam glorioſam: & ſic incepit dies gratiæ in Eccleſia. Ex quo patet, quòd Chriſtus aſcendit ſuper occaſum mortis: & ideo meruit aſcendere ſuper occaſum cœli primi mobilis uſque ad cœlum Empyreum. Et ideo dicit David, quòd Chriſto debetur triumphus: eò quòd aſcendit non ſolùm ſuper occaſum mortis, ſed etiam ſuper occaſum cœli.

Iterùm eſt notandum, quòd Chriſtus tres conditiones hominum *eduxit* de Inferno, ſcilicet, *vinctos* Patres, & omnes fideles veteris Teſtamenti, qui ibi vincti tenebantur, propter peccatum primi hominis. Secundò, *eos qui exaſperant*, ſicut fuit *Latro*, qui anteà improperando, *exaſperabat* Chriſtum in cruce: ſed quia correctus & illuminatus dixit: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*, ideo Chriſtus liberavit eum, dicens: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Tertiò, quoſdam non ſolùm liberavit de Inferno, ſed etiam ſuſcitavit de ſepulchro, & ſurrexerunt cum eo, ut dictum eſt. Et ideo dicit David:

Hos Chriſtus de Inferno eduxit.

5. *Exultate in conſpectu ejus: turbabuntur à facie ejus, patris orphanorum, & judicis viduarum.*

15. q. 1. *Revertimini.*

6. *Deus in loco ſancto ſuo: Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.*

24. q. 1. *Omnibus.*

Exultate in conſpectu ejus, qui eduxit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos qui exaſperant, id eſt, *Latronem*, & alios qui *habitabant in ſepulchris.* Hoc etiam poteſt intelligi de liberatione à jugo Legis: nam Chriſtus quoſdam liberavit, ſcilicet, Apoſtolos, & cæteros converſos de Judaiſmo, qui erant ligati, & *vincti* jugo & vinculo Legis: & ſic eos liberavit, & abſolvit à tali jugo Legis. Secundò, liberavit quoſdam *exaſperantes* contra Chriſtum, ſicut fuit *Paulus*, & *Reges* qui perſequebantur Eccleſiam. Tertiò, liberavit quoſdam *de ſepulchris* peccatorum, ſicut *Magdalenam*, & *Matthæum*, & alios peccatores: & ſic de omnibus poteſt intelligi ille verſiculus. Nam primas tres conditiones hominum *eduxit* Chriſtus de Inferno, & *fecit eos habitare in domo unius* gloriæ: & alias tres eduxit de vinculo peccatorum, & infidelitatis, & fecit eos *habitare in domo unius moris*, & fidei. Primò, omnes qui ſunt *unius* fidei, facit habitare in hac Eccleſia. Secundò, facit eos habitare per *unam* gloriam in cœlo.

* * *
* *

25. diſt. Qualis. & 1. q. 1. Ita fit.

7. *Qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.*

NOTANDUM, quòd *Moyſes* tres conditiones hominum *eduxit* de Ægypto. Nam primò, eduxit quoſdam *vinctos* de captivitate. Secundò, quoſdam *exaſperantes*, qui nolebant exire. Tertiò, *eduxit* quoſdam de *ſepulchris*, ſcilicet oſſa *Joſeph*, & Patriarcharum: & omnes iſtos, qui erant diſperſi per Ægyptum, *eduxit*, & congregavit *in domo unius moris*, dando eis unam Legem, & ritum colendi Deum. Ita pariter Chriſtus tres conditiones hominum liberavit & congregavit in Eccleſia. Nam primò, abſoluit *vinctos* Judæos à vinculo & jugo Legis. Secundò, *eduxit* ab Idololatria Gentiles *exaſperantes* & perſequentes Eccleſiam. Tertiò, traxit multos de *ſepulchris* peccatorum, ſicut *Magdalenam*, & *Matthæum*. Et omnes iſtos congregavit *in domo unius moris*, & Legis Euangelicæ. Congregavit ergo Chriſtus Eccleſiam ſuam ex Judæis vinctis, & Gentilibus, & peccatoribus ſub una Lege. Deinde cum dicit:

Pſ. 77.

Sapient. 16.

8. *Deus cùm egredereris in conſpectu populi tui, cùm pertranſires in deſerto:*

Exod. 16.

9. *Terra mota eſt, etenim cœli diſtillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſrael.*

De Conſ. d. 2. Ubi pars.

10. *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt: tu verò perfeciſti eam.*

23. q. 7. c. Jam verò.

11. *Animalia tua habitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua pauperi, Deus.*

IN hac tertia parte prædicit & explicat bona ſpiritualia, quæ contulit Chriſtus Eccleſiæ ſponſæ, & ornamenta, quibus eam dotavit & ornavit, figurata per bona, quæ ille populus recepit à Deo in deſerto, & illo itinere.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum: quòd quinque bona inter cætera contulit Deus illi populo in Deſerto. Nam primò Deus pluit eis manna de cœlo, cùm jam deficerent fame. Secundò, dedit eis Legem in monte *Sinai*, per quam dedit eis cognitionem Dei. Tertiò, præcepit fieri Tabernaculum, & ornavit ipſum, & diviſit ſpolia ejus filiis Levi, ſcilicèt *Cahatytis*, & *Gerſonitis*, & *Meratitis*, ut patet *Numer.* 4. Quartò, diviſit & diſtribuit gradus Sacerdotum & Miniſtrorum. Quintò introduxit illum populum, & Tabernaculum, & collocavit ipſum in montibus pinguibus terræ promiſſionis.

Not. Bona quæ cõtulit Deus in deſerto.

Sed quia omnia illa facta ſunt in figura Chriſti, & Eccleſiæ Sponſæ ſuæ: Ideo Chriſtus volens implere ſcripturas, alia quinque, vel ſex dedit Eccleſiæ ſponſæ ſuæ poſt reſurrectionem, & poſtquam liberaverat eam de captivitate peccati, & congregaverat eam ex Judæis, & Gentilibus, & peccatoribus. Primò, dedit ei ſacramentum *Euchariſtiæ* ad refectionem ſpiritualem. Secundò, dedit Apoſtolis Spiritum ſanctum, per quem receperunt dona gratiarum ad intelligendas ſcripturas, & hoc in die Pentecoſtes. Tertiò, dedit eis dona virtutum moralium & theologalium ad ornatum. Quartò, diviſit gradus ſanctitatis in Eccleſia ſecundùm diverſitatem virtutum. Quintò, diſtribuit Eccleſiæ gradus ordinum, miniſtrorum & officiorum. Sextò, conſtituit & fundavit Eccleſiam in monte pingui ſacramentorum, ad nutritionem ſpiritualem: in quo monte paſcuntur oves Chriſti pinguedine Eccleſiaſticorum ſacramentorum.

Chriſtus ſex dedit Eccleſiæ.

Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, apoſtrophando dicit ad Chriſtum: O Chriſte, Deus & homo, ſicut *cum tranſires in deſerto, cœli diſtillarunt* manna, & *terra mota eſt à facie Dei Iſrael, & Dei Sinai*, quando dediſti Legem *Moyſi*: Ita pariter cùm tu *egredereris* pro *egredieris* & exibis incarnatus in conſpectu populi tui Chriſtiani, *ſegregabis*, id eſt, ſegregatim ſparges & diffundes *pluviam* bonorum ſpiritualium *voluntariam*, id eſt, toti populo optatam, & deſideratam, & gratam ipſi *hæreditati tuæ*, ſcilicet populo chriſtiano: quæ licèt ante eſſet *infirmata*, & fragilis, & debilitata per peccatum, & ex defectu gratiæ; verumtamen *tu perfeciſti*, & confortaſti, & fortificaſti *eam* per eſum ſacramenti *Euchariſtiæ*, & aliorum bonorum ſpiritualium. Et ideo omnia *animalia tua*, ſcilicet, omnes fideles, qui ſunt oves paſcuæ tuæ, *habitabunt* ſimul *in ea* hæreditate & Eccleſia tua, ſub una fide & charitate: eò quòd tu Deus *paraſti pauperi* populo tuo iſtum cibum ſacramentalem cum magno ſapore & *dulcedine* ſpirituali: quia reficit & *lætificat* mentem & *cor hominis* propter ineffabilem *dulcedinem* ſuam.

Ex

Ex hac littera patet, quòd David non solùm loquitur hîc præcisè historialiter de illa pluvia *Mannæ* facta in deserto, nec A de pluvia ignis & nubis facta in monte *Sinai* in datione Legis: quia illa mysteria jam erant facta tempore David per quadringentos annos ante: hîc autem loquitur de futuro, dicens: *Cum egredieris*, id est, cum exibis, *segregabis pluviam hæreditati tuæ*, scilicet, in die Jovis sancta, quando institues sacramentum *Eucharistiæ*, distribuendo illud Apostolis, & post illos omnibus fidelibus. Et in die Pentecostes, quando sparges *pluviam* donorum, & gratiarum in linguis igneis. Ex quo patet, quòd cum dicitur, *Terra mota est à facie Dei Israel*, non dicitur ad historiam principaliter, sed ad figuram. Quasi dicat: quòd sicut tunc *Terra mota est à facie Dei Sinai* in datione Legis, B quando pluit, & *cœli distillaverunt* Manna in deserto à facie Dei Israel; ita *cœli distillaverunt* dona gratiarum in monte *Sion*, quando *segregavit pluviam* spiritualem super Apostolos. Et hæc est vera intelligentia hujus partis, quam cœci & obstinati Judæi capere non possunt, nescientes distinguere inter figuram & figuratum, nec applicare figuram figurato. Deinde cùm dicit:

11. q. 3. *Ira sæpe.* & 8. q. 1. *Olim.*

12. *Dominus dabit verbum Euangelizantibus, virtute multa.*

Et. c. in scripturis.

13. *Rex virtutum dilecti dilecti:* C *& speciei domus dividere spolia.*

EXPLICAT magis quod dictum est, & ostendit, qualiter ex supradicta *pluvia* spirituali diffusa super Apostolos, dedit Ecclesiæ dona sapientiæ & doctrinæ, & dona omnium virtutum, & aliarum gratiarum.

Ad cujus intelligentiam est notandùm, sicut dictum est in *Prologo*, *tractatu* 3. *in sexto principio*; quòd debet præsupponi ad intelligendum Sacram Scripturam, quòd Christus non solùm est *mediator Dei &* D *hominum* in reconciliando & intercedendo, sed etiam est medius interpres inter nos & Patrem, quia declaravit nobis voluntatem Patris, & interpretatus est nobis Legem veterem, ejus verum intellectum aperiendo. Est etiam Christus, ut ibi dictum est; verus & proprius procurator, rector, & dispensator omnium virtutum, & donorum, & bonorum spiritualium Dei Patris dilecti sui: quia ad solum ipsum pertinet dispensare, & distribuere omnia bona gratiæ, & gloriæ Patris dilecti sui.

Christus dispensator virtutum gratiæ.

Nam primò dedit bona gratiæ, quando dixit: *Accipite Spiritum sanctum.* Item, E hoc demonstratur in *parabola talentorum*, *Matth.* 25. quia *uni dedit quinque talenta* per quæ denotantur dona gratiæ: & *alteri dedit duo*: per quæ denotantur bona naturæ; & *alteri dedit unum*: per quod intelliguntur bona temporalia. Et etiàm ipsemet Christus dat, & dabit bona gloriæ, quando dicit: *Euge serve bone &c.* Item, *Luc.* 21. dicit: *Vado vobis parare locum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno Patris mei.* Ex quo patet, quod sicut Christus est dispensator bonorum gratiæ; ita est dispensator bonorum gloriæ Patris dilecti sui.

Est ergo advertendum, quòd Christus, qui est Dominus, rector, & dispensator virtutum, & bonorum Patris, septem F bona dispensavit & distribuit Ecclesiæ sponsæ suæ. Primò, sacramentum *Eucharistiæ*, quod est bonum omnium bonorum, de quo dictum est, quòd in eo continetur realiter Christus Deus & homo, & per consequens tota Trinitas, scilicet, Pater, & Spiritus sanctus per consubstantialitatem ad Verbum. Secundò, distribuit bona sapientiæ & doctrinæ. Tertiò, bona virtutum omnium gratiarum. Quartò, bona graduum sanctitatis. Quintò, bona graduum prælationum & ordinum. Sextò, bona pinguedinis gratiæ sacramentorum. Septimò, bona pinguedinis gloriæ.

Christus septem bona dispensavit Ecclesiæ.

Dicit ergo Propheta in his duobus versiculis, sub una copulativa constructione, quòd Dominus Jesus-Christus *Rex* G *virtutum dilecti*, id est, rector, & dispensator virtutum, & gratiarum, & bonorum *dilecti* Patris, dabit verbum Apostolis Euangelizantibus *virtute*, id est, cum *virtute multa*, ad prædicandum & intelligendum Sacras Scripturas. Et intelligit per *verbum* omnia dona Spiritus sancti, quæ Christus dedit Apostolis in die Pentecostes, scilicet donum sapientiæ & intellectus ad intelligendas scripturas: & donum consilii & fortitudinis, ad tolerandas persecutiones: & genera linguarum ad prædicandum Euangelium omni creaturæ: & dedit eis virtutem ad sanandos infirmos, ut patet *Matth.* 10. & *Luc.* 10. & *Marc. ult.* & ideo dicit, quòd dabit *verbum Euan-* H *gelizantibus* Apostolis, & Martyribus, cum *multa virtute* miraculorum & signorum. Item, iste Christus rector & dispensator *virtutum dilecti* Patris sui: non solùm dabit *verbum Euangelizantibus*; sed etiam dabit *dividere spolia speciei domus* dilecti Patris, id est, dabit Apostolis & Prælatis potestatem *dividere*, id est, dividendi *spolia*, & ornamenta speciei, id est, pulchritudinis *domus* dilecti Patris, supple; quæ est Ecclesia, de qua dicit Christus: *Domus Patris mei, domus orationis est.* Et intelligit David per *spolia speciei*

ciei domus omnia dona virtutum & gratiarum, quæ ſunt ornamenta, & pulchritudo *domus* Dei Patris, quæ eſt Eccleſia: A de quibus ornamentis dixit ſuperius *Pſalm.* 54. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circundata varietate.* Item, *Omnis gloria filiæ regis ab intus in fimbriis aureis, circum amicta varietatibus:* de quibus etiam ornamentis & *ſpoliis* habetur in *libro Canticorum* per totum. Hæc ergo ſunt *ſpolia* & ornamenta ſpeciei & pulchritudinis *domus dilecti* Patris Chriſti.

Et ideo eſt advertendum in conſtructione, & ordinatione litteræ horum duorum verſiculorum, quod ex duobus verſibus fit una copulativa conſtructio: quia ly *Dominus* primi verſus ordinatur cum ly *Rex virtutum* ſecundi verſus: iſto modo, ſcilicet, Dominus Jeſuſ-Chriſtus *Rex:* id eſt, rector *virtutum dilecti* Patris ſui, ſupple, *dabit verbum Euangelizantibus virtute multâ, & dabit dividere ſpolia ſpeciei domus dilecti.* Ita quòd primus genitivus, ſcilicet *dilecti*, ordinatur cum ly *virtutum*, & ſecundùs genitivus, ſcilicet *dilecti*, ordinatur cum ly *ſpeciei domus*, id eſt, *domus dilecti* Patris Chriſti. Et etiam cauſatur amphibolica conſtructio in ly *ſpeciei domus*: ut ſi dicatur, *dividet ſpolia domus*, vel *ſpolia domus ſpeciei*, id eſt, domus pulchritudinis: Et in hoc nulla eſt vis, nec improprietas. Poteſt etiam cauſari figura, quæ dicitur *Hendiadis* inter illa duo ſubſtantiva, ſcilicet, *domus ſpeciei*, id eſt, *ſpolia domus ſpecioſæ.* Et ſic totum poteſt ſalvari, quocumque modo ordinetur littera ſecundùm modos C ſupradictos.

Littera autem *Hieronymi* juxta punctuationem Hebraicam habet, ſic: *Leges virtutum fæderabuntur, fæderabuntur,* ſive *movebuntur, movebuntur & ſpecies domus dividet ſpolia:* & tunc eſt ſenſus ſecundùm aliquos, ſcilicet, quòd Reges terræ congregabuntur ſub una fide in una Eccleſia, & *dividentſpolia*, id eſt, dona, & ornamenta dabunt Eccleſiæ, ſicut factum eſt per converſionem *Conſtantini Imperatoris &c.* Sed licèt hoc fuerit verum, tamen hoc non ſonat iſta littera, nec præcedens, nec ſubſequens. Ideo eſt magis tenenda ſupradicta ſententia, quia eſt magis conſona & majora continens ſacramenta. Deinde cùm dicit:



D 14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.*

Diſt. 86. c. Ad hoc Et. 93. d. c. A Subdiacono.

PRÆDICIT, & explicat diverſitatem graduum Eccleſiæ quantum ad ſanctitatem: quos gradus Chriſtus diſtribuit ad ornatum & decorem Eccleſiæ ſponſæ ſuæ.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd David appellat Eccleſiam Chriſti quinque nominibus. Nam primò, appellat eam *populum Dei* in quantum eſt congregatio fidelium. Secundò, appellavit eam *hæreditatem Chriſti*, in quantum ad E ejus cives pertinet iſta hæreditas per gratiam, & in alia per gloriam. Tertiò, appellavit eam *domum ſpeciei* & pulchritudinis, propter jam dicta ſuperius. Quartò, appellat eam *montem Dei pinguem*, & *coagulatum*, ut patebit infra. Quintò autem appellat eam in hoc verſu *columbam pennæ deargentatæ*, ſive *columbam deargentatam*; variis coloribus coloratam: & hoc propter varietatem graduum ſanctorum, & ſtatuum perfectorum virorum, qui quieſcunt, & ſunt, & fuerunt in ea.

Eccl. appellatur quinque nominibus.

Nam ſicut columba conſtat ex pennis & plumis diverſorum colorum, quibus pennis volat ex uno termino ad alium: ita pariter Eccleſia conſtat ex diverſitate graduum ſanctorum & perfectorum viro- F rum, quos Chriſtus conſtituit in Eccleſia ſecundùm diverſos gradus virtutum. Nam ſecundùm *Apoſtolum* 1. *ad Corinth.* 12. *Alios fecit Agoſtolos, alios Euangeliſtas, alios Prophetas, alios Doctores, alios Martyres, alios Confeſſores, & alios continentes &c. Et hoc diſtribuit unus & idem ſpiritus, prout voluit.* Nam per virtutem Caſtitatis fecit *Virgines*, & *Continentes*: & per virtutem Sapientiæ & Intellectus fecit *Doctores*, & ſic de ſingulis. Et ſic Eccleſia facta eſt quaſi una *columba* ornata virtutum & gratiarum varietate: cujus duæ alæ ſunt *Fides* charitate formata, & *Spes* bonorum cœleſtium: quibus alis ipſa volat inter duos terminos, ſcilicet à terra in cœlum: *pennæ* autem *virides* ejus G ſunt *Confeſſores* & *Doctores*, qui volant in cœlum per contemplationem & pœnitentiam: *pennæ* verò *albæ*, ſunt *Virgines*, & *Continentes*, qui volant per caſtitatem & puritatem; *pennæ* autem *rubeæ in pallore auri, ſunt Apoſtoli & Martyres*, qui ardore charitatis per martyrium in cœlum evolarunt. Unde *pennæ rubeæ* ſive *auratæ* dicuntur eſſe in dorſo hujus columbæ: eò quòd Martyres ſupra dorſum martyrium, & perſecutiones propter Chriſtum tolerarunt, ex charitate & dono fortitudinis,

nis, & aliarum virtutum. Hæc eſt ergo cauſa quare David Eccleſiam Chriſti appellat *columbam*, & in toto iſto verſu utitur vocabulis metaphoricis propter ſimilitudinem. A

Eccleſia dicitur columba.

Unde ſunt valde notanda vocabula hîc poſita: nam per *columbam* intelligit *Eccleſiam*, propter rationes jam dictas: & per *cleros* intelligit *terminos*, inter quos volat iſta columba, ſive hæreditates. Nam *cleros* Græcè idem eſt, quod *ſors* Latinè. Sed quia termini hæreditatum, ſive ipſæ hæreditates dividebantur per ſortes, ut patet in *libro Joſue*: ideo in Scriptura termini, & ipſæ hæreditates dicuntur *ſortes* frequenter. Et ideo David in hoc loco per *cleros* intelligit *terminos*, ſive *hæreditates*.

Columba in Eccleſia volat &c.

Sed nunc eſt videndum, quæ ſunt *hæreditates*, ſive *termini*, inter quos volat iſta columba? Ad quod eſt dicendum, uno modo: *quòd termini*, inter quos B volat iſta columba, ſunt *duo Teſtamenta*, ſcilicet, vetus, & novum, quorum medium fuit Chriſtus, qui fuit finis illius, & principium hujus: quia ad ipſum tendebant & volabant Patres, & omnes fideles veteris Teſtamenti, & per ipſum tranſierunt ad vitam. Et ſic iter & ſpatium medium inter Teſtamentum vetus & novum fuit Chriſtus, & veritas Euangelica, quæ in Chriſto fuit completa. Et fideles non poſſunt venire, nec poterunt pervenire de Lege ad gratiam, niſi volando & tranſeundo per Chriſtum: nec nos poſſumus pervenire ad cognitionem veritatis Legis veteris, niſi volemus ad Euangelium, tranſeundo per Chriſtum, in quo omnia fuerunt completa: ideo qui vult videre veritatem, non C ſiſtat, nec maneat in illo termino, ſicut faciunt Judæi: ſed oportet, quòd tranſeat & volet ad alium terminum per medium, qui eſt Chriſtus, & veritas Euangelica. Et ſic *Auguſtinus* & *Hieronymus*, & omnes ſacri Doctores ab uno Teſtamento in aliud volabant, tranſeundo per Chriſtum & veritatem Euangelicam. Ideo ait Chriſtus, *Matth.* 13. quòd *omnis Scriba doctus in regno cœlorum ſimilis eſt patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.* Et ſic patet uno modo, quid eſt volare inter *terminos* hujus *columbæ*, & quid eſt *dormire* per contemplationem.

Eccleſiæ duæ.

Alio modo *termini* inter quos volat iſta *columba*, ſunt *duæ Eccleſiæ*, ſcilicet, D iſta inferior per gratiam, & ſuperior per gloriam. Nam iſta *columba* ſemper volat, ferendo & vehendo fideles ab iſta Eccleſia & hæreditate ad illam ſuperiorem. Etiam per iſtos duos *terminos* intelligitur *cœlum* & *terra*, inter quos quieſcit Eccleſia Chriſti. Nam Eccleſia eſt ſuper terram, quia omnia terrena contemnit & tranſcendit ponens ſuam ſpem in bonis cœleſtibus: & *dormit*, & quieſcit per contemplationem inter cœlum & terram; quia eſt ſupra terram, & infra cœlum; quia nondum perE venit ad ſtatum gloriæ: & ideo ejus cives dicuntur viatores ad illam patriam jam elevati à terrenis. Et ſic patet, quòd omnes fideles & juſti hujus Eccleſiæ dicuntur *dormire inter duos* terminos hujus *columbæ*, & dicuntur *pennæ* ejuſdem.

Dormire inter medios cleros

Dormire ergo *inter medios cleros* hujus *columbæ*, nil aliud eſt, niſi inter duo Teſtamenta contemplari, & ab uno ad aliud per contemplationem diſcurrere, & unum cum alio concordare: aut contemptis rebus terrenis, in ſola contemplatione divinæ Legis, & in ſpe divinorum conquieſcere, & ſecundùm Legem Euangelicam vivere: & myſteria novi Teſtamenti per figuras, & Prophetas, & auctoritates veteris Teſtamenti approbare. Et hoc eſt quod intendit dicere David in iſto verſiculo.

F Poteſt etiam deſcribi iſta *columba* magis diſtinctè ſecundùm omnes ſuas partes. Nam Eccleſia dicitur columba metaphoricè propter ejus manſuetudinem & munditiam. Caput hujus columbæ eſt Chriſtus, à quo deſcendit omnis ſenſus ſpiritualis, & motus ad ſua membra, ut frequenter dictum eſt. *Collum* ejus eſt *Virgo Maria*, per quam deſcendunt ad nos omnes gratiæ per ejus interceſſionem: nam ſicut Chriſtus eſt mediator inter homines & Deum: ita *Virgo Maria* eſt *mediatrix* inter nos & Chriſtum. Iſta *Columba* habet alas, & dorſum, & partes inferiores. *Pennæ* alarum ſunt *deargentatæ*, & albæ: *pennæ* dorſi ſunt *rubeæ* & *pallidæ*, quaſi *deauratæ*. *Pennæ* verò inferiores ſunt quæG dam *virides*, & quædam medio colore, & quaſi diverſis coloribus coloratæ. Et ideo *pennæ rubeæ* & *pallidæ*, ſive *deauratæ* dorſi hujus *columbæ*, ſunt *Apoſtoli*, & *Martyres* ardore charitatis fulgentes, qui primum & altiorem locum tenent in Eccleſia, ſicut aurum inter metalla: & ideo ponuntur in dorſo Eccleſiæ. *Pennæ* autem *deargentatæ* & *albæ* alarum, ſunt *viri ſancti*, & *mulieres virgines*, & *contemplativi*, qui totaliter iſta terrena contempſerunt propter cœleſtia: & ideo ponuntur in alis *columbæ*; quia per puritatem volant ad cœlum, & ſic tenent ſecundum locum in Eccleſia. *Pennæ* verò *virides*, ſunt ſancti Dei *Confeſſores*, qui licèt non pervenеH runt ad rubedinem, & palledinem martyrii; tamen in viriditate fidei & ſpei radicati, fecerunt ſemper fructus bonorum operum: & ideo collocantur iſtæ *pennæ virides* quandoque in cauda, quandoque prope alas *columbæ*. Cæteræ autem plumæ, quæ ponuntur ſub alis, & in partibus inferioribus hujus *columbæ*, mediis & diverſis coloribus coloratæ, ſunt omnes Chriſti fideles, tàm conjugati, quàm ſimplices, & diverſorum ſtatuum & conditionum

Maria dicitur columba.

Chriſ-

Christiani viventes sub Lege Euangelicâ: qui licèt frequenter cadant per peccatum, tamen semel in anno, vel finaliter surgunt per pœnitentiam. Omnes ergo supradicti status fidelium dicuntur dormire & quiescere in hac *columba*.

Termini columbæ.

Ista *columba* habet *cleros*, id est, *terminos* intrinsecos & extrinsecos. *Termini intrinseci*, sunt *alæ*, & ejus partes extremæ: sed *termini extrinseci*, sunt *cœlum & terra*. Et ipsa *Columba* tenet medium inter cœlum & terram. Nam licèt nondum attingat, nec possideat cœlum in re; tamen jam tenet in spe: & licèt sit in terra, tamen non vivit secundùm terram; immò est elevata à sollicitudine terrenorum, & in spe futurorum vivit secundùm Deum: & ideo tenet medium inter cœlum & terram. Et ideo fideles dicuntur *dormire inter medios cleros*, id est, inter medios terminos hujus columbæ, inter cœlum & terram. Unde vita Christiani dicitur *dormitio*, respectu vitæ hominum mundanorum. Nam dum mundani fluctuant & laborant solliciti circa honores & divitias acquirendas, & cætera temporalia exercenda; Christiani *dormiunt* & quiescunt in contemplatione, & spe bonorum cœlestium. Et ideo *Psalmo* 4. dixit vir justus, quòd mundani *à fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt*; ego autem *in pace in idipsum dormiam & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me*, prout ibi fuit declaratum. *Dormire* ergo *inter medios cleros*, sive *terminos* hujus *columbæ*, nihil aliud est, nisi contemptis rebus terrenis vivere in Ecclesia, & requiescere per contemplationem bonorum cœlestium.

His habitis, est deveniendum ad constructionem litteræ hujus versus, quæ difficilis est, non solùm propter vocabula metaphorica, sed etiam propter istam dictionem *si*, quæ præponitur in oratione. Nam ista dictio *si*, uno modo potest esse conjunctio causalis: alio modo adverbium optandi. Si autem est conjunctio causalis, hoc potest esse dupliciter. Nam aut connotat causam efficientem, aut finalem? Non primum: quia *dormire inter medios terminos* hujus *columbæ*, non est causa efficiens ejus quod præcedit, nec subsequitur in littera. Notat ergo causam finalem: & tunc ponitur pro *ut*; ut sit sensus: *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute: dabit dividere spolia speciei domus dilecti, si dormiatis*, id est, *ut* vos fideles *dormiatis* & quiescatis *inter medios cleros* hujus &c.

Termini extrinseci hujus *columbæ*, sunt *duo Testamenta*; vel *fides, spes*, & *charitas*, quæ sunt parietes Ecclesiæ. Et tunc est sensus: *Utinam dormiatis*, & quiescatis *inter duo Testamenta*, per contemplationem, & studium, & meditationem: aut *inter fidem, spem, & charitatem*, per operationem & contemplationem: eò quòd Ecclesia est media inter duo Testamenta, & inter has virtutes sepîtur & clauditur. Potest etiam ly *pennæ deargentatæ* esse vocativi, sive nominativi casus; & tunc est sensus: Dominus *rex virtutum divisit spolia* Ecclesiæ; & vos *pennæ deargentatæ*, id est, fideles contemplativi, puri, & mundi, & leves ab onere terreno, *dormiatis* & quiescatis *inter medios terminos* hujus *columbæ*, & *inter posteriora dorsi ejus*, fulgentes *in pallore auri*. Et sic semper redditur sententia intelligibilis. Littera autem *Hebraica* secundùm punctuationem Thalmudistarum habet sic: *Si jacueritis inter sterquilinium alæ columbæ cooperta argento, & pennæ ejus in viridi pretioso.* Sed jam dictum est, quòd tali interpretationi non est fides adhibenda: quia quandoque tollit sacramentum, & verum intellectum scripturæ, & prophetiæ.

15. *Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis.* — *77. d. In singulis, & c. seq.*

16. *Mons coagulatus, mons pinguis: ut quid suspicamini montes coagulatos?* — *33. q. 4. Sicut excellentiã.*

17. *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.* — *Et 50. d. cap. In capite.*

QUIA superiùs David ostendit, qualiter Christus ornavit Ecclesiam suam multiplici & vario ornamento virtutum, & graduum Sanctorum: hîc ostendit, qualiter distribuit in ea diversitatem graduum, ordinum, & officiorum, & Prælatorum ad ministrandum Ecclesiastica sacramenta, & ad exercendum potestatem jurisdictionis: & ostendit etiam, quem effectum & fructum efficiunt Ecclesiastica sacramenta. Unde dicit, quòd propter hoc Christus *Rex* cœlestis contulit Ecclesiæ sacramenta, & ordinavit in ea Ministros, & Sacerdotes, dans eis potestatem Ordinis: & constituit in ea Prælatos, conferens potestatem jurisdictionis, ut per sacramenta mundarent homines à peccato, & purificarent eos; & per potestatem jurisdictionis absolverent eos à quocumque vinculo excommunicationis.

Dicit ergo David: quòd ideo Christus ornavit Ecclesiam *Columbam* ornamento vario virtutum & officiorum, quia *dum* Christus *Rex cœlestis discernit*, & distribuit

buit *Reges*, id est, Rectores, & Sacerdotes, & Prælatos ad regendum *super eam*: tunc homines recipientes sacramenta, mundabuntur, & *dealbabuntur nive* & puritate gratiæ ab omni nigredine peccatorum *in Selmon.* A

Mons Selmon.

Ad cujus intellectum est advertendum, quòd in terra promissionis est quidam mons appellatus *Selmon*, qui interpretatur *umbrosus*, eò quòd semper apparet umbrosus & niger, ad differentiam *Libani*, qui semper apparet albus propter frequentiam nivium: sed cum aliquando ningit super montem *Selmon*, tunc apparet albus sicut *Libanus*: per quod figurabatur Gentilitas, quæ antè erat nigra, & umbrosa tenebris peccatorum sicut *Selmon*; sed postea fuit dealbata nive gratiæ Baptismalis, & aliorum sacramentorum; & sic facta est alba sicut *Libanus*. Et hoc est quod intendit B dicere David. Unde ait, quòd *dum* Christus *Rex cœlestis discernit* & distinctè distribuit *Reges*, id est, Rectores, & Sacerdotes, & Prælatos *super* istam *columbam*, scilicet, Ecclesiam; tunc Gentiles, & omnes peccatores habitantes *in Selmon*, id est, in umbra peccatorum, *dealbabuntur nive* gratiæ Baptismalis, & aliorum sacramentorum, & mundabuntur ab omni maculâ, & vinculo peccati. Unde sicut Gentilitas antè erat umbrosa, & sterilis sicut *Selmon*, postea per Apostolos facta est fertilis, & pinguis ad pascua sicut *Libanus*, postquam nives Baptismales, & aliorum sacramentorum ceciderunt super eam. Et ideo subdit: quòd *mons Dei*, quæ est Ecclesia, non est C mons sterilis sicut *Selmon*; immò est *mons pinguis* pinguedine multorum sacramentorum, ad pascendas oves Christi ad refectionem spiritualem. Et subdit: quòd Ecclesia non solùm est *mons pinguis*, sed etiam *mons pinguis*, & *coagulatus*.

Ad cujus evidentiam est valde advertendum, secundùm *Aristot.* 4. *Met.* quòd *coagulatio causatur ex nimia pinguedine & viscositate*: & ideo omnia pinguia & viscosa faciliùs sunt coagulabilia, sicut oleum, & lac, & mel: eò quòd partes faciliùs cohærent, & connectuntur. Et Ecclesia per similitudinem dicitur *mons pinguis*, & *coagulatus* pinguedine sacramentorum, & coagulo fidei & charitatis: quia gratiâ & charitate fideles simul cohærent, & pascuntur in unâ Ecclesiâ pinguedine D sacramentorum, & Euangelicæ doctrinæ. Littera *Hieronymi* habet: *Mons excelsus, mons pinguis*, quod idem est. Nam non solùm Ecclesia est *mons pinguis* pinguedine sacramentorum, & doctrinæ: sed etiam est *mons excelsus* altitudine, & celsitudine dignitatis, & contemplationis. De quo *monte* dicitur *Isai.* 2. *Erit præparatus mons domus Domini elevatus super omnes colles &c.* De quo etiam *monte pingui, & coagulato*, & *excelso*, dicitur *Ezech.* 34.

Ecclesia mons dicitur.

In pascuis uberrimis pascam oves meas: & in montibus excelsis Israel erunt pascua eorum &c. Deinde cùm dicit: *Ut quid suspicamini?* Increpat Judæos modernos cœcos, & obstinatos. E

Ad cujus intellectum est advertendum, quòd Judæi, sicut sunt carnales, & mundani, non percipiunt spiritualia, sed solùm temporalia, & corporalia: & sic non intelligunt Sacram Scripturam nisi ad sensum litteralem: & sic putant, quòd illa terra, quam Deus promisit cultoribus suis fluentem lacte, & melle, & oleo, & vino, non est alia terra, nisi terra *Chanaam* & *Palæstinæ*, ubi per magna tempora patres sui habitarunt: & ideo ad solam illam desiderant reverti. Et non propter aliud desiderant falsum Messiam, nisi ut reducat eos in illam terram, ubi est *Hierusalem* F terrena, ut in Templo possint offerre oblationes & sacrificia animalium brutorum: & sic putant & suspicantur, in illa terra esse montes pingues, de quibus Deus locutus est Patriarchis & Prophetis, & in solis illis ponunt spem suam.

Nota.

David ergo prævidens in spiritu cœcitatem istorum, increpat eos, dicens: O Judæi cœci & obstinati, *ut quid*, id est, quare, *suspicamini*, & existimatis *montes* terræ *Chanaam* & *Palæstinę*, scilicet, montem *Oliveti*, & *Carmeli*, & *Hermon*, & alios montes illius terræ, esse *montes coagulatos & pingues*, de quibus locuti sunt Prophetæ, & in quibus Deus habitat? Quasi dicat: Vana & falsa est suspicatio G vestra & existimatio, quia *montes pingues & coagulati*, quos Deus fidelibus suis promisit, non sunt corporales, nec temporales; sed spirituales, & æterni. Et ideo veri *montes* & *pingues* sunt ista Ecclesia, in qua Deus habitat per gratiam, & superna, in qua Deus in æternum habitat per gloriam. Nam ista Ecclesia toto orbe diffusa est ille *mons*, *in quo Deo est beneplacitum habitare in eo* per gratiam. *Etenim*, id est, *certè*, *Deus habitabit in eo in finem*, id est, usque ad finem mundi habitabit in isto per gratiam, & in illo superno *habitabit in finem*, id est, in æternum per gloriam. Quasi dicat: quòd Deus *habitavit* in illa *Hierusalem*, & *Templo*, & *Arca* per aliquod tempus in figura ante Incarnationem: sed post mortem, & passionem, & resurrec- H tionem, jam ampliùs non habitat in illo monte terreno; sed in sola Ecclesia toto orbe diffusâ habitat per gratiam, & in cœlo per gloriam. Ergo iste *mons pinguis* Ecclesiæ est desiderandus, ut in eo pascamur Ecclesiasticis sacramentis per gratiam: & supernus *mons* est appetendus, ut illis pascuis uberrimis fruamur per gloriam.

Ex supradictis patet, quibus bonis spiritualibus ornavit Christus Ecclesiam suam, & quomodo propter diversitatem bonorum spiritualium, quibus est referta & ditata, for-

sortitur diversa nomina: quia dicitur & appellatur *hæreditas Christi*, *& sponsa*, *& domus speciosa*, *& columba*, *& mons pinguis & coagulatus*, *& excelsus*. Patet etiam, A quomodo *montes Chanaam*, nec *montes* terreni, nec synagoga, nec delubra & templa Gentilium, nullo modo possunt dici *montes pingues* & *coagulati*: quia pascua eorum sunt corruptibilia, & transitoria, & Deus non habitat in eis per gratiam, nec per gloriam: & per consequens in eis nullus potest Deo frui, nisi in sola Ecclesia ista per gratiam, & in superna per gloriam. Ergo isti sunt *montes* in scriptura promissi.

Mons pinguis est Christi humanitas.

Item, *mons pinguis*, verus, *coagulatus*, & *excelsus*, *in quo Deus habitabit* in æternum in unitate Personæ, est humanitas Christi. Et ideo tota pascua, & fruitio B Beatorum consistit in visione Personæ Christi, qui est Verbum Patris: in quo est tota Trinitas essentialiter, & substantialiter, & inseparabiliter. Sic nemo potest videre, nec frui Filio quin videat, & fruatur Patre, & Spiritu sancto, ut ait Christus, *Joann.* 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Item, 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Jesum-Christum.* Et ideo iste est verus *mons pinguis*, pascualis, & fruibilis, de quo ultimate loquitur scriptura: quia iste fecit Ecclesiam pinguem & coagulatam.

Ephes. 4. b.

De Summa Trin. & Fide Catholica damnamus.

C 18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in* Sina, *in sancto.*

19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus.*

HÆC est quarta pars principalis, in qua ostendit David, qualiter Christus accepit à Patre omnia bona spiritualia supradicta, ut distribueret ea Ecclesiæ sponsæ suæ: & hoc accepit in die Ascensionis. Unde licèt hoc habuerit Christus à primo instanti suæ Conceptionis, etiam in quantum homo ratione unionis: tamen hoc apparuit manifestè in die Ascensionis: quia tunc accepit possessionem regni cœlestis, in quantum homo, pro se & membris. Et ideo dixit in ascensu suo: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, *Matth. ult.* Et ideo describitur hîc modus ascensionis Christi cum triumpho.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd *Angeli* in scriptura frequenter nominantur *currus Dei*, in quibus Deus sedere dicitur. Unde primò *Paralip.* 28. D Deus præcepit *Salomoni*, ut faceret Cherubim ad modum quadrigæ, super quæ Cherubim Deus sederet. Item, *Psalm.* 17. dictum est: *qui sedes super Cherubim, & ambulas super pennas ventorum.* Item, *Psalm.* 98. *qui sedes super Cherubim moveatur terra.* Et sic etiam dicitur *Deuter.* 33. quia *Dominus de Sinai veniet, & cum eo sanctorum millia*, id est, cum multis millibus Angelorum, ut glossant Hebræi, & sic patet, quòd in scriptura *Angeli* frequenter dicuntur *currus Dei.*

Angeli dicuntur Dei currus.

Et intendit dicere David in hoc passu, quòd sicut Deus descendit, & fuit in monte *Sinai* super millia Angelorum; ita Christus Deus incarnatus ascendit in E cœlum sedens super multa millia Angelorum, tanquam super multa millia *curruum.* Nam sicut *Romani* duces habitâ victoriâ de aliqua provincia, intrabant *Romam* cum triumphali curru, & antè & retrò currum præcedebat & subsequebatur caterva captivorum, & præda recuperata, ut patet de *Camillo*, qui retulit *Romam* vexilla recuperata, quondam ablata: ita pariter Christus, devicto diabolo, & expoliato Inferno, & recuperatâ prædâ captivorum, quondam ablatâ, & tyrannicè in Limbo diu detenta, super currum triumphalem *multorum millium Angelorum* intravit cœlum, secum ferens recuperatam *captivitatem* Sanctorum Patrum. Et sic F accepit sedem in cœlo pro se & suis: quia sedet à dextris Patris, *Marc. ult.* à quo Patre accepit omnem potestatem: & factus est universalis distributor bonorum, & omnium *virtutum dilecti* Patris sui: & ista dona *accepta* à Patre dedit & distribuit *hominibus.* Primò, Apostolis in die Pentecostes, & postea omnibus Martyribus, & Doctoribus, & Fidelibus distribuit per successionem temporis.

Hoc est ergo, quòd intendit dicere David in hoc passu, licèt verbis duris & intricatis. Unde ait, quòd sicut *currus Dei* fuit *multiplex decem millium in Sinai in sancto*, id est, in monte sancto *Sinai*, ubi fuerunt multa *millia* Angelorum, supple, *lætantium*, cum Deus dedit Legem in monte *Sinai*, ut dictum est *Deut.* G 33. Ita tu pariter Christe Deus & homo, *ascendisti in altum* cœlum cum multis *millibus currum* Angelorum *lætantium* cum magno triumpho, & *cepisti* & tulisti tecum captivam *captivitatem* Sanctorum Patrum, ab inferno abstractam & recuperatam; propter quam victoriam meruisti talem triumphum, & sedisti à dextris Patris, à quo accepisti universalem potestatem, & *accepisti dona hominibus*, tuis fidelibus distribuenda & dispensanda in die Pencostes, & in omni tempore futuro: quia distribuis dona gratiæ fidelibus tuis in hac Ecclesia

Christus honor Patris distributor.


clesia, & bona gloriæ in cœlesti. Et non solùm accepisti illa dona pro Patribus & Fidelibus veteris Testamenti quos de Limbo liberasti, nec solùm pro Apostolis, & cæteris, qui te in principio receperunt; sed etiam *accepisti* potestatem & dona, ut Gentiles non credentes, quia numquam habuerant Legem, hæreditarent Dominum Deum conversi ad fidem: unde Salvator ait, *Joann. 17. Pater non pro his rogo tantum, sed pro omnibus, qui credituri sunt.* Littera *Hieronymi* habet sic: *Currus Dei innumerabilia millia millium lætantium: Dominus in Sinai in sancto.* Et tunc littera est magis plana. Quasi dicat: quòd currus Dei ita est innumerabilis, quod sunt *millia millium* Angelorum *lætantium:* quia *Dominus* fuit in eis tanquam in curribus *in* monte *sancto Sinai.*

Nostra autem littera debet sic construi, scilicet, quòd *currus Dei* fuit & est *multiplex decem millibus*, id est, plus *decem millibus*: quia multa *millia* Angelorum *lætantium* fuerunt, & *Dominus* fuit *in eis* curribus Angelorum *in sancto monte Sinai*, quando dedit Legem *Moysi.* Et conversus ad Christum dicit: O Christe, Deus, sicut quando data est Lex in monte *Sinai*, *currus Dei* fuit *multiplex*, & innumerabilis, scilicet, *millia millium* Angelorum *lætantium*: & *Dominus* fuit *in eis* curribus *in sancto* monte *Sinai*, quia fuit plus *decem millibus*, id est, plusquam *decem millia:* ita tu cum innumerabilibus curribus Angelorum *ascendisti in altum* cœlum, & *cepisti*, & tecum tulisti *captivitatem*, id est, prædam captivam, quam de Limbo liberasti: & ideo in præmium tantæ victoriæ, *accepisti* à Patre *dona hominibus* distribuenda.

16. q. 2. Visis. Et 23. q. 1. Quid culpatur.

20. *Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.*

Etenim, id est, *insuper* tu accepisti potestatem ad faciendum *non credentes*, scilicet Gentiles & alios Infideles *habitare*, id est, frequenter habere *Dominum* in *Deum*, scilicet, ut esses eis in Deum, & ipsi tibi in populum: quia *dedisti eis potestatem filios Dei fieri* per regenerationem.



E 21. *Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.*

De Cons. d. 1. c. Accesserunt.

POSTQUAM superiùs explicavit, qualiter Christus accepit à Patre omnia bona spiritualia hominibus distribuenda: in hac quinta parte ostendit, quibus meritis Christus meruit illa dona accipere pro suis distribuenda: & dicit, quòd hoc meruit Christus per suam mortem & passionem, per quam nos redemit; & ideo meruit dici salvator omnium. Dicit ergo: *Benedictus* sit *Dominus* noster Jesus-Christus F *die quotidie*, id est, per singulos dies, ut habet littera *Hieronymi.* Nam ipse *faciet prosperum iter* & viam *salutarium nostrorum*, id est, nostrarum salvationum.

22. *Deus noster, Deus salvos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.*

De Cons. d. 2. Iteratur.

CHRISTUS *Deus noster* est *Deus faciendi salvos* homines: quia est salvator hominum, juxta proprietatem sui nominis, quod est *Jesus*, id est, *Salvator.* Et subdit causam quare dicitur salvator hominum, & quomodò salvavit homines, dicens, quòd causa quare salvavit, & precium nostræ redemptionis & salutis fuit, G quia *Domini* Dei *exitus mortis*, scilicet, quia *exitus Domini* Dei Jesu-Christi fuit *exitus mortis:* quia per mortem exivit ab hoc mundo, ut nos à morte perpetua liberaret, & salvaret: quia *mortem nostram moriendo* primò *destruxit* per exitum mortis: sed post tres dies *vitam nostram resurgendo reparavit.* Et ideo dicitur *Deus salvos faciendi*, & Salvator hominum, & *Deus salutarium nostrorum.* Et fecit *iter prosperum* in hac via per gratiam sacra- H mentorum, quæ fluxerunt à passione suâ, & in cœlum per gloriam, quam meruit hominibus distribuere per merita suæ passionis. Littera *Hieronymi* habet: *Domini Dei mortis egressus;* & tunc est littera magis plana.

Christui Salvatori.

Est ergo sensus hujus partis, quòd quia *exitus Domini* nostri Jesu-Christi, fuit *exitus mortis*, id est, quia se humiliavit usque ad mortem, & voluit recipere in se mortem, cùm non obligaretur: ideo destruxit nostram mortem: & cùm mors esset finis omnium, & erat nobis iter flebile ad Infernum; ipse Christus recipiendo mortem, *fecit nobis iter prosperum* per ipsam ad vitam æternam: quia ipsa quæ

ante erat *iter* ad aliam mortem æternam propter peccatum, facta eſt *iter proſperum* ad vitam æternam per mortem Chriſti. Item, cùm cœlum nobis eſſet clauſum, Chriſtus fecit ipſum nobis pervium in ſua aſcenſione: & via cœleſtis, quæ nullius fuerat trita veſtigio, facta eſt nobis nota; & Chriſtus fecit nobis *iter proſperum* per cœlum ad vitam æternam: & totum hoc meruit propter ſuam mortem & Paſſionem: & ſic meruit dici *Deus ſalvos faciendi*, & *Deus ſalutarium noſtrorum.*

Argum. Extra de Baptiſmo c. Majores

23. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.*

POSTQUAM ſuperiùs David oſtendit, qualiter Paſſio Chriſti fuit cauſa noſtræ ſalutis, & *fecit nobis iter proſperum* ad vitam æternam: in hac ſexta parte oſtendit, qualiter illa eadem Paſſio Chriſti fuit ſcandalum, cauſa damnationis corporis & animæ, & cauſa captivitatis & deſtructionis Judæis cœcis & obſtinatis. Nam Judæi in occidendo Chriſtum incurrerunt iram, & indignationem Dei, & ſententiam utriuſque mortis, propter mortem juſti: ſed adhuc Chriſtus expectavit eos ad pœnitentiam per quadraginta annos, ne ſua Paſſio eſſet eis inutilis. Sed quia noluerunt cognoſcere reatum ſuum, nec converti ad Chriſtum, immò voluerunt in ſua perfidia & obſtinatione permanere, perſequendo Apoſtolos & Eccleſiam: ideo Chriſtus miſit *Titum* contra eos cum exercitu Romanorum, qui cepit & deſtruxit omnes civitates *Galilææ*, & *Palæſtinæ*, & finaliter obſedit *Hieruſalem*, verticem & caput totius regni: & poſt longam obſidionem, & ſtragem, & inediam cepit, & combuſit Templum, & arcem, & præſidium, & totam civitatem & muros à fundamentis evertit: in qua obſidione mortua ſunt fame & gladio decies centena millia, ut inquit *Joſephus*, *libro de Bello Judaico*: quæ quidem ſtrages facta eſt, ut ipſe inquit, in vindictam mortis *Jeſu Nazareni*, aut *Joannis Baptiſtæ*, aut *Jacobi Juſti.*

Judæorum punitio.

Sed *Rabi Samuel* manifeſtè probat, quòd illa ſtages potius facta eſt in vindictam mortis Chriſti, qui fuit magis juſtus & dignus, propter ſanctitatem vitæ, & magnitudinem miraculorum. Et hoc prædicit David: unde ait: quòd licèt *exitus* & egreſſus *Domini* noſtri Jeſu-Chriſti fuit *exitus mortis*, per quam nos ſalvavit, & de morte perpetua à captivitate liberavit: *Verumtamen* Chriſtus in vindictam mortis ſuæ *confringet capita* Judæorum *inimicorum*, & crucifixorum *ſuorum*, ſcilicet, Scribarum, & Phariſæorum, & Sacerdotum, qui fuerunt *capita* in conſilio & conjuratione contra ipſum. Et *confringet verticem capilli* ſucceſſorum illorum, *perambulantium* & perſeverantium *in delictis ſuis*, & in obſtinatione & malitia ſua.

Nota.

Unde eſt advertendum: quòd ſicut Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Phariſæi erant *capita* civitatis *Hieruſalem*: ita *Hieruſalem* erat *caput*, & *capillus* totius regni: & Templum, & fortalicium, & præſidium erat *vertex* civitatis: & omnia iſta fuerunt penitus combuſta & deſtructa &c. Et ideo per *verticem capilli* intelligit Templum, & præſidium, & turres altiores civitatis. Nam ſicut *Hieruſalem* erat *capillus* & *caput* aliarum civitatum & oppidorum regni; ita Templum, & præſidium, & turres erant *vertex*, & etiam *capilli* civitatis: quæ omnia fuerunt deſtructa.

Item etiam, per *verticem capilli* poteſt intelligi ſuperbia, & regnum, & Sacerdotium Judæorum, quæ omnia fuerunt confracta. Item, notanter dicit: *Verticem capilli perambulantium in delictis*: per quos intelligit ſucceſſores crucifixorum Chriſti, permanentes, & *perambulantes*, & perſeverantes in eadem malitia & obſtinatione: quia non ſolùm Chriſtus *confregit capita* crucifixorum *ſuorum* (quia *Pilatus* & *Herodes* mortui ſunt in exilio in Gallia; & *Anna*, & *Caiphas* mortui ſunt in multis miſeriis & ſeditionibus, quæ factæ ſunt in *Hieruſalem* in illis quadraginta annis, ut ait *Joſephus*) ſed etiam Chriſtus *confregit* ſucceſſores illorum & filios, qui voluerunt in eadem obſtinatione & malitia *perambulare* & permanere. Et ſic Chriſtus quotidie *confringit verticem* & malitiam modernorum Judæorum, in eadem obſtinatione *perambulantium*, & perſeverantium: quia continuè expoliantur, & verberantur, & interficiuntur & ſunt in perpetua ſervitute.

Deinde cùm dicit:

* * * *
* * *
*



24. *Dixit*

24. *Dixit Dominus : Ex Basan convertam : convertam in profundum maris.*

25. *Ut intingatur pes tuus in sanguine : lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.*

1. q. 4. c. Homini, qui, §. E contra. Et 15. q. 1. ca. Non est.

EXPLICAT modum supradictæ stragis, & excidii civitatis, & totius regni. Ad cujus intelligentiam est notandum, secundùm *Josephum*, quòd sicut filii Israel venientes in terram *Chanaam*, non intrarunt per *Palæstinam*, quæ est contigua cum Ægypto, sed circumdederunt per desertum & montem *Seir*, & *Moab*, & destructâ terrâ *Basan*, intraverunt per *Jordanem* ab Oriente : & sic destruxerunt *Jericho*, & omnes civitates, & obtinuerunt totam terram à *Jordane & Basan usque ad profundum Maris Mediterranei* Occidentalis, ut patet per totum discursum *libri Josue* : ita pariter dicit *Josephus*, quòd postquam *Titus* cum exercitu suo venit in *Syriam*, misit in Ægyptum, ubi erat quædam Legio militum Romanorum, scilicet, sex millia, & quingenti sexaginta sex equitum : quæ quidem Legio eodem itinere circuivit totam *Palæstinam*, & *Judæam*, & *Mare Mortuum*, & per terram *Basan* intraverunt *Jordanem* : & inceperunt vastare, & destruere omnes civitates & oppida Judæorum : & sic vastando venerunt à *Basan* usque ad *Joppem*, & *Cæsaream*, & *Gazam*, quæ erant civitates sitæ in littore Maris Occidentalis ; & sic destruxerunt, & ceperunt primò totam *Galilæam* & *Judæam* : ultimò autem obsederunt *Hierusalem* : & tandem post longam obsidionem & famem ceperunt eam vi armorum, & trucidarunt omnes Principes Sacerdotum, & Scribas, & Pharisæos, & Principes populi, & omnes cives, & populares, & plebejos : in tantum quòd omnes plateæ, & vici, & domus *Hierusalem* fluebant cruore & sanguine occisorum.

Et hoc est quod intendit dicere hîc David, prout vidit in spiritu. Unde ait : O Domine Jesu-Christe, *Dominus* Pater tuus *dixit*, & proposuit, & præcipiendo *dixit:* Ego *convertam*, & deducam legionem militum Romanorum *ex* Ægypto per desertum usque ad *Basan*, quæ est à parte Orientis, & *ex Basan convertam* exercitum, & legionem Romanorum versus Occasum, destruendo & vastando civitates Judæorum usque ad *profundum maris*, id est, usque ad *Joppem*, & *Gazam*, & cæteras civitates sitas in littore Maris Mediterranei, & captis omnibus civitatibus, tandem obsidebitur, & capietur, & destruetur *Hierusalem*, in qua effundetur tantus sanguis occisorum, quòd Romani non calcabunt nisi sanguinem Judæorum : in tantum *ut pes tuus intingatur in sanguine*, & etiam *lingua canum tuorum* militum *intingatur*, & satietur *ab ipso sanguine* effuso *ex* Judæis *inimicis* tuis. Et hoc justo Dei judicio factum est : ut sicut Judæi *intinxerunt* pedes Christi sanguine, ipsum crucifigendo ; ita Christus intinget pedes suorum militum in sanguine Judæorum. Et etiam quia Judæi tanto desiderio sitiverunt sanguinem Christi, ideo *canes* linxerunt, & satiati sunt sanguine eorum. O ergo *altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

Ad majorem autem evidentiam eorum, quæ dicit in hac particula, est advertendum : quòd sicut Judæi multipliciter *perambulant*, & perseverant in delictis & sceleribus suis contra Christum : ita multipliciter & jugiter Christus *confregit*, & confringit continuè *capita* Judæorum *inimicorum suorum*. Nam sicut semper perseverant in sua iniquitate & malitia : ita Christus semper perseverat in puniendo eos. Unde licèt multa peccata fuerint annexa peccato Judæorum ; tamen fuerunt duo principalia, scilicet, sacrilegium, & blâsphemia : quia fecerunt Deum mendacem, & Legem, & Prophetas : & homicidium injustum ; quia ipsum justissimum occiderunt, sicut patebit *Psalmo* 81. Sed graviora facta sunt ista duo peccata per obstinationem & perseverantiam, quam per primam commissionem & perpetrationem. Unde non suffecit Scribis & Pharisæis, quod Deum negaverunt, & Legem, & Prophetas, negando Christum, & ipsum occiderunt ; sed, quod gravius & deterius est, in eadem infidelitate permanserunt, & permulta mendacia suæ falsæ doctrinæ addiderunt : in quibus tenebris *perambulant* & perseverant obstinati, ut patebit *Psalmo sequenti*, & *Psalmo* 81.

Christus Judæorũ capita cõfregit.

Et non solùm *perambulant* & perseverant in eadem cœcitate & infidelitate ; sed in eodem homicidio contra Christum, & suos fideles : quia non sufficit eis, quod patres eorum occiderunt Christum, sed etiam ipsi desiderant ipsum occidere in membris suis ; immò quolibet anno crucifigunt aliquem Christianum : & si non possunt habere hominem, crucifigunt aliquod aliud animal ex desiderio crucifigendi Christum, prout pluries compertum est ex eorum confessione in diversis partibus mundi. Unde in anno septingentesimo decimo octavo congregati Judæi in civitate *Beryti* in una domo ceperunt quamdam imaginem ligneam crucifixi, & primò flagellaverunt eam ; & iterùm cum omnibus

Nota quoꝫ modo quo libet anno Judæi crucifigunt unũ Christianum.

opprobriis & injuriis crucifixerunt eam, & lanceâ per latus transfixerunt : à quo A miraculosè exivit magna copia ſanguinis, in tantum quòd exivit per rimulas portarum in viam publicam : quo miraculo viſo omnes illi Judæi ſpontè venerunt ad Baptiſmum, miraculum prædicantes : de quo myſterio celebratur feſtum paſſionis Imaginis in quibuſdam Eccleſiis.

Nota exẽplum.

Item, anno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto congregati Judæi in die Paſchæ in Synagoga, ceperunt quemdam juvenem vocatum *Ricardum* in civitate Pariſienſi, quem cum omnibus opprobriis quondam Chriſto factis crucifixerunt: quo ſcelere comperto, Rex *Franciæ* omnes Judæos ex ſuo regno præcepit relegari : de quo exilio obtinuerunt poſteà indulgentiam, & fuerunt ab exilio precibus B revocati.

Sed iterùm poſt aliquot annos in eadem civitate, quidam Judæus emit pecuniis à quadam paupercula muliere hoſtiam conſecratam, quam in communione latentèr abſconderat : hanc hoſtiam cepit ille Judæus, & in cacabo diu decoxit : & exinde abſtractam ſupra incudem malleo, & gladio multipliciter percuſſit : ex cujus vulnere copia ſanguinis exivit, & quaſi totam domum uſque ad feres implevit : quo ſcelere comperto, & per civitatem & regnum divulgato, per omnes partes *Franciæ* Judæi fuerunt expoliati, & partim trucidati, & combuſti, & cæteri irrevocabiliter à toto regno expulſi uſque in hodiernum diem. Quæ quidem hoſtia oſtenditur hodie in teſtimonium in Eccleſia ſancti C *Joannis de Gravia.*

Item, per idem tempus apud *Cæſaraugustam* civitatem *Hiſpaniarum*, congregati Judæi in die Paſchæ, quemdam puerum vocatum *Dominicum*, cum omnibus opprobriis Chriſti, crucifixerunt, cujus ſepulchrum in eadem civitate uſque in hodiernum diem oſtenditur.

Exemplũ.

Item, anno Domini milleſimo tercenteſimo ſeptuaginta novem Judæi in *Alemania* omnes aquas potabiles veneno mortifero infecerunt: propter quod magna pars eorum fuit combuſta & trucidata.

Item, anno Domini milleſimo quatuorcenteſimo ſexageſimo octavo in noſtris temporibus, congregati Judæi in civitate *Tridenti*, quemdam puerum *Simeonem* vo- D catum, cum omnibus opprobriis crucifixerunt: quæ res fuit nota per totam Italiam, & Germaniam, & Galliam : qui quidem, ut Sanctus ſignis & miraculis claret.

Et per idem tempus, & Pontificatus *Domini Sixti*, ſimile ſcelus commiſerunt Judæi in civitate *Bertona*, crucifigendo quemdam puerum vocatum *Joanninum:* quo ſcelere comperto, multi Judæi fuerunt interfecti, & domus eorum diſſipatæ.

Item, hoc eodem tempore apud *Se-* E *pulvedam* oppidum *Hiſpaniæ*, Judæi congregati in die Paſchæ, crebris flagellis, & ictibus occiderunt quemdam puerum Chriſtianum cum omnibus opprobriis Chriſti, cujus ſceleris notitia venit ad Dominum *Joannem* Epiſcopum *Segobienſem*, qui facto proceſſu, omnes illos Judæos tradidit Curiæ ſæculari: contra quos inſurrexerunt omnes ruſtici, & mulieres, & multos eorum ſuſpenderunt, & alios variis tormentis afflixerunt : quæ res nota fuit noſtris diebus per totam *Hiſpaniam.* Ex quibus patet, quòd talia ſcelera non poſſunt eis provenire, niſi ex illo grandi peccato parentum, quorum ſunt jugiter imitatores; quia talia facta non ſunt humana, ſed beſtialia, & belluarum ſimilia, propter quæ F jugiter affliguntur, & trucidantur, & expoliantur, & nunquam ex talibus ſceleribus valent corrigi, ſed ſemper in eadem cœcitate & obſtinatione *ambulare*, & perſeverare: nec ceſſant *ambulare in delictis ſuis.*

Ideo Chriſtus jugiter & ſucceſſivè concutit & conterit *capita* eorum, *verticem capilli*, & ſuperbiæ, & odii, & malitiæ, & iniquitatis eorum; & *convertit* malitiam eorum *in profundum maris* perſecutionis: & in trucidationibus & cædibus eorum, *canes* lingunt ſanguinem eorum, in vindictam Chriſti, quem ſemper putant & deſiderant perſequi. Sed clariùs dicet hoc David *Pſalmo ſequenti*, & magis declarabitur *Pſalmo* 81.

Et nota, quòd multi ſancti Doctores G antiqui exponunt prædictos duos verſus quaſi per oppoſitum : quaſi dicat Deus: Ego *convertam* fideles meos *ex Baſan*, id eſt, ex infidelitate & confuſione peccatorum. Et dicat corpus myſticum: *Ut pes tuus*, ô Deus, id eſt, Martyres tui *intingantur in ſanguine* propter te: & *lingua canum tuorum*, id eſt, Prædicatorum & Doctorum, ſit à teipſo directa &c. quæ quidem Expoſitio, licèt poſsit habere bonum ſenſum: tamen videtur mihi extorta, & extranea ab ipſa littera : & ideo videtur magis conformis litteræ Expoſitio ſupradicta, exponendo eam de punitione crucifixorum Chriſti. Nam in verſu præcedenti dicitur: *Domini Domini exitus mortis*, per quod H denotatur paſsio Chriſti. Et indè ſubdit: *Verumtamen Dominus confringet capita inimicorum ſuorum, & verticem capilli perambulantium in delictis ſuis :* per quod explicatur punitio crucifixorum Chriſti, & ſuorum ſucceſſorum, ut dictum eſt.

*** ***
*** ***

De Consec. d. 2. Christus, & 2. cap. Sed. 93. d. Legimus, & 1. quæ. 1. Multę.

26. *Viderunt ingressus tuos Deus,* A *ingressus Dei mei : Regis mei, qui est in sancto.*

27. *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvenculârum tympanistriarum.*

AD cujus intellectum est advertendum, ut patet *Actuum* 13. quòd obstinatio populi Judaici fuit causa conversionis populi Gentilis. Nam videntes Apostoli cœcitatem & obstinationem Judæorum, dixerunt: *Vobis oportebat prædicari verbum Dei : sed quia indignos vos fecistis, ideo convertimur ad gentes.* Hoc B ergo prævidens David in spiritu, postquam superiùs meminit reprobationem, & destructionem Judæorum, factam in vindictam mortis Christi : in hac septima parte prædicit conversionem Gentilium, & dilatationem, & ampliationem Ecclesiæ, factam in populo Gentili per totum orbem. Nam reprobatis Judæis, tunc Apostoli ingressi sunt ad populum Gentilem, quem totum subjecerunt jugo Christi; sicut *Josue*, & filii Israel ingressi sunt terram promissam, & subjecerunt eam cultui divino. Nam ille *ingressus* fuit figura hujus.

Nota de conversione Gentilium.

Unde legitur *Josue* 4. quòd *Josue* ex præcepto Dei elegit duodecim principes super duodecim Tribus, qui præcederent Arcam Domini : ad cujus præsentiam aquæ *Jordanis* conversæ sunt retrorsum, unde illi duodecim principes abstraxerunt duo- C decim lapides, & posuerunt in castris, in memoriam illius miraculi. Et tulerunt alios duodecim lapides de terra, quos posuerunt in medio fluminis; supra quos transierunt filii Israel per medium fluminis pede sicco, & ingressi sunt terram promissionis isto ordine. Primò, præcedebant illi duodecim principes. Secundò Levitæ, psallentes in tubis, & organis, & cæteris musicis instrumentis. Tertiò, Sacerdotes portantes Arcam Domini. Ultimò, sequebantur Arcam puellæ cum tympanis, tympanizantes, & cantantes laudes Domini, & victorias, & triumphos, & miracula, & signa, quæ Deus fecerat pro eis. Et postea, D sequebatur totum residuum populi. Arca autem portabatur in medio Levitarum per Sacerdotes. Et sic Levitis clangentibus tubis, & populis vociferantibus, lustrarunt septem diebus civitatem *Jericho :* in tantum quòd finaliter ceciderunt muri, & capta fuit civitas, & dissipata. Et sic isto ordine postea illi duodecim principes cum Arca processerunt per totam terram, & subjecerunt sibi eam ; quia nullus potuit

Figura Apostolorum.

resistere : immò omnes Reges & populi E Chananæorum fuerunt victi & prostrati à facie Domini existentis in Arca. Et sic *Josue* cum illis duodecim principibus, omnes illos populos delevit, aut tributarios fecit, & omnia Idola eorum confregit, & Arcam ibi collocavit.

Considerans ergo David, & contemplando omnia ista supradicta mysteria, prævidit in spiritu per revelationem, qualiter Christus debebat eligere duodecim Apostolos, quos *constituit Principes super omnem terram* : & qualiter reprobatis Judæis, isti duodecim *Principes* debebant ingredi ad populum Gentilem, portantes hoc nomen *Jesum* in Arca Euangelica per aquas Baptismales, super duodecim lapides Articulorum Fidei : & qualiter omnes Reges & *Principes* terræ, & populi Gentilium debebant cadere à facie hujus nominis F *Jesu* ; & clangentibus & vociferantibus Apostolis tubis & prædicationibus Euangelicis, debebant rumpi, & frangi, & ruere omnia Idola & templa Gentilium; & sic tota Ægyptus & Æthiopia, & omnia regna mundi debebant subjici jugo Christi.

Item, per hoc quòd puellæ cantantes cum tympanis sequebantur Arcam cum Levitis, & aliis de populo Israel, prævidit David in spiritu, qualiter non solùm illi duodecim Apostoli debebant prædicare; sed etiam multi Martyres & puellæ, & virgines debebant prædicare Euangelium, & mori pro confessione nominis *Jesu*, & convertere alias gentes.

Unde etiam patet, quòd duodecim Apostoli non solùm fuerunt figurati per illos duodecim principes, quos elegit *Jo-* G *sue*, ut præcederent Arcam, & exercitum Domini ad subjiciendos populos; sed etiam fuerunt figurati per duodecim Patriarchas filios *Jacob*. Nam sicut *Jacob* genuit duodecim filios, qui postea carnaliter generarunt unusquisque multos filios, ex quibus fuit multiplicatus totus ille numerosus populus, per duodecim Tribus distinctus, qui possedit totam illam terram : ita pariter Christus regeneravit duodecim filios spirituales per regenerationem Baptismalem: qui postea divisi per duodecim partes mundi, regenerarunt totum populum Christianum per Baptismum, ex quibus duodecim descendit tota Ecclesia Fidelium : qui qui- H dem duodecim Apostoli introduxerunt populum Gentilem in Ecclesiam per *flumen Baptismi*, supra duodecim Articulos Fidei, sicut *Josue*, & illi duodecim *Principes* præcedentes introduxerunt omnes filios Israel per aquam *Jordanis*, supra illos duodecim lapides in terram promissionis. Hoc est ergo quod intendit dicere David in hac parte.

Unde ait: O Christe Deus, sicut populi Chananæorum tunc *viderunt ingressus*

tuos

tuos in terram Chanaam ; ita pariter totus populus Gentilis *viderunt ingressus* Jesu-Christi *Dei mei & Regis mei*, *qui est in sancto*, id est, qui habitat in templo humanitatis per unitatem personalem. Quasi dicat : quod sicut Chananæi *viderunt ingressus Dei* existentis in Arca, à cujus facie omnes ceciderunt : ita pariter omnes populi Gentilium *viderunt ingressus Dei mei* Jesu-Christi, *qui est* & habitat *in sanctuario* humanitatis, & *in sanctuario* Legis Euangelicæ, & *in sanctuario* sacramentorum. Nam in *Eucharistia* Christus habitat realiter & personaliter ; & in aliis sacramentis sacramentaliter, quippè quæ realiter continent virtutem Passionis Christi, ut dictum est.

Et notanter dicuntur *ingressus* in plurali. Nam sicut illi duodecim *Principes* cum suis Tribubus intrarunt per duodecim alveos Jordanis : ita pariter duodecim Apostoli intrarunt totum Orbem per duodecim partes. Nam unusquisque accepit suam provinciam in sortem. Et sicut illi dudecim Principes Tribuum *præveniebant* cum Levitis canentibus, & cum puellis tympanizantibus ante Arcam : ita pariter duodecim Apostoli, *Principes* exercitus Domini Jesu-Christi Regis nostri, *prævenerunt conjuncti* Martyribus, & Doctoribus prædicantibus nomen Christi & Euangelium, *in medio juvencularum tympanistriarum*, scilicet, in medio Virginum publicè confitentium Christum. Nam sicut Apostoli dicuntur *tybicines*, seu *tubicines*, canentes ante Arcam Christi in isto ingressu ; eò quòd prædicabant & præconizabant Euangelium : ita Martyres dicuntur *psallentes* ; quia ad sonum & prædicationem Apostolorum, ipsi confitentes psallebant Christum. Et ita etiam Virgines dicuntur *tympanistriæ* ; eò quòd cum audacia & fiducia confitebantur publicè fidem Christi ante Reges & Præsides : ad quarum confessionem multi populi convertebantur, & ipsæ etiam prædicabant Euangelium.

Apostoli per totum Orbem prædicarunt.

Nam *Beata Magdalena* prædicavit in *Marsilia*, & convertit Regem & Reginam cum toto populo. Item, *Beata Lucia* convertit matrem suam, & fuit causa, ut converteretur tota insula *Siciliæ* post mortem suam : nam ante disputaverat fidem Christi coram *Paschasio*. Item, *Beata Cæcilia* cantantibus organis in die suarum nuptiarum, ipsa Domino decantabat, dicens : *Fiat Domine cor meum, & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Et ita pariter *Beata Catharina* disputavit de Fide Christi coram *Maximino* cum Doctoribus, & vicit & confudit omnes. Et ideo Virgines fideles dicuntur *tympanistriæ* Christi. Sed inter omnes *Virgo Maria* per excellentiam fuit *tympanistria* Christi, quæ cantavit illud Canticum novum super omnia Cantica, scilicet, *Magnificat anima mea Dominum &c.*

Et sic patet, quòd tres conditiones fidelium subjecerunt mundum jugo Christi, scilicet, *Apostoli* tubicinantes Euangelium, & *Martyres*, & Doctores psallentes & publicè confitentes Christum, & *Virgines* tympanizantes. Sed quia Apostoli, & Martyres, & Virgines non intrarunt, nec introduxerunt alios in Ecclesiam nisi per aquas Baptismales, & per confessionem duodecim articulorum Fidei, ideo David invitat omnes christianos ad Baptismum & confessionem. Unde ait:

28. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel.*

24. q. 3. alienus & c. Quicumque.

OVos christiani regenerati *de fontibus* Baptismalibus *Israel*, scilicet, Ecclesiæ, *benedicite Domino Deo*, & homini Jesu-Christo, *in Ecclesiis* & congregationibus fidelium. Quasi dicat : Vos Gentiles, in illo *ingressu* Apostolorum regenerati *de fontibus* Baptismi, confitemini Fidem articulorum *Domino Deo* nostro Jesu-Christo, relictis Idolis. Et sic eritis effecti *filij Israel* secundùm spiritum, per Apostolos regenerati, qui erant filii Israel, non solùm secundùm spiritum, sed etiam secundùm carnem. Deinde cùm dicit:

29. *Ibi Benjamin adolescentulus, in mentis excessu.*

d. 11. c. Ecclesiastica & c. Catholica.

EXplicat, qui fuerunt illi *Principes*, & duces, qui ingressi sunt ad subjiciendum populum Gentilem, & dicit, quòd omnes illi Apostoli & duces, licèt potuerint esse ex omnibus duodecim Tribubus secundùm carnem : tamen principaliter fuerunt de quatuor Tribubus scilicet de *Tribu Benjamin*, & *Juda*, & *Zabulon* & *Nephtali*. Et hoc dicit David, prout prævidit in spiritu prophetico, per ea verba, quæ dixit *Jacob*, *Genes.* 49. Unde quando *Jacob* venit ad *Benjamin*, dixit super eum : *Benjamin lupus rapax, mane comedet*, aut rapiet, *prædam*, *& vespere dividet spolia.* Hoc quippe fuit impletum in *Beato Paulo*, qui fuit de Tribu *Benjamin*, ad *Phil.* 3. ipse etiam primò fuit lupus rapax, quando persequebatur Ecclesiam Dei, 1. *ad Corinth.* 15. sed postea *raptus usque ad tertium cœlum, vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui*, 2. *ad Corinth.* 13. 2. *Actor.* 9. Unde in illo raptu vidit divinam Essentiam, & inde rapuit & comedit prædam spiritualium mysteriorum, in illo mane, & luce suæ conversionis : ibi etiam comedit

&

& cibatus fuit illo pane vitæ, doctrinæ, & intellectus, & aquà ſapientiæ fuit potatus, ut cæteris poſſet *dividere ſpolia* ſapientiæ. Nam in divina Eſſentia, quaſi viſione matutinâ, *vidit* illa *arcana quæ non licet homini loqui*: ſed *veſpere diviſit ſpolia* myſteriorum, quæ ibi viderat. Nam doctrina *Pauli*, quam toti mundo diviſit, fuit quaſi *cognitio veſpertina*, reſpectu viſionis quam habuit de divina Eſſentiâ, & eorum quæ fuerunt illi oſtenſa in ea.

Et ideo dicit, quòd *mane comedet prædam, & veſpere dividet ſpolia*, id eſt, *viſione matutinâ* videbit divina myſteria in divina Eſſentia: ſed *doctrina veſpertinâ* dividet & annuntiabit mundo divina *arcana*, quæ fuerant ipſi revelata in illo raptu per *viſionem matutinam*. Item, *Beatus Paulus* in *veſpere*, id eſt, uſque ad finem mundi, *dividet ſpolia* divinorum *arcanorum*, quæ rapuit & vidit in divina Eſſentia: quia continuè leguntur Epiſtolæ ſuæ in omnibus Eccleſiis mundi: quàm doctrinam habuit *Paulus* in illo raptu, & *mentis exceſſu*. Nam cognitio rerum in Deo, dicitur *matutina*: ſed cognitio rerum in ſeipſis, dicitur *veſpertina*, ut ait *Auguſtinus* 11. *de Civitat.* & 12. *ſup. Euang.*

Cognitio matutina quid ſit.

Hoc eſt ergo, quòd intendit dicere David in hac parte: Unde dicit, quòd ibi in illo *ingreſſu* ad prædicandum, & convertendum, & ſubjiciendum populum Gentilem, erit dux & princeps *Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu*, id eſt, ille, qui *raptus fuit uſque ad tertium cœlum*, qui *vidit arcana Dei*: quæ quidem *arcana* de Chriſto & Eccleſia prædicavit in populo Gentili principaliter.

30. *Principes Juda duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali.*

11. d. c. Eccleſiaſticarum.

ITEM, ibi erunt *Principes Juda*, ſcilicet, *Joannes*, & *Jacobus*, & *Simon*, & *Thadæus*, & *Jacobus* de Tribu Juda, erunt *duces eorum*, ſcilicet populi Gentilis. Item, ibi erunt *duces eorum Principes Zabulon*, ſcilicet, *Petrus*, & *Andræas*, & *Philippus*, qui fuerunt de Tribu *Zabulon*, habitantes in *Bethſaida*. Item, ibi fuerunt *duces* in illa expeditione & ſacro exercitu *Principes Nephtali*, ſcilicet, *Matthæus* & *Bartholomæus* & *Thomas*, qui fuerunt de Tribu Nephtali ſecundùm quoſdam. Quidam etiam dicunt quòd *Mathias*, & *Lucas* fuerunt de iſta Tribu. Et ſic etiam eſt dicendum, quòd de omnibus decem Tribubus fuerunt Apoſtoli, & Diſcipuli. Sed principaliter ex ſupradictis quatuor Tribubus fuerunt quaſi omnes Apoſtoli, qui totum Orbem peragrarunt ad prædicandum Euangelium Chriſti, ideo hos principaliter nominat hic David.

Dubium.

Not. de Paulo.

Sed hîc dubitatur, putà, quare Propheta David in hac parte præferat ipſum *Paulum* cæteris Apoſtolis & *Principibus* Eccleſiæ? Primò, quia explicat *mentis exceſſum* quem habuit *Paulus* in illo raptu, & non explicat *mentis exceſſum* quem habuerunt cæteri Apoſtoli in die Pentecoſtes, quando receperunt Spiritum ſanctum. Item ſecundò, quia priùs memorat *Paulum* ſub nomine *Benjamin*, quam cæteros Apoſtolos: & ſic videtur quòd præferat eum cæteris in dignitate, cùm fuerit poſterior tempore in Apoſtolatu: maximè quia idem David dixit de Apoſtolis, *Pſalm.* 46. *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham, quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati ſunt.* Ex quo patet, quòd cæteri Apoſtoli non minus elevati ſunt uſque ad tertium cœlum, quam *Paulus*.

Reſponſio.

Ad hoc reſpondetur: quòd cauſa quare David fecit ſpecialem mentionem de raptu *Pauli* in hoc loco, eſt, ut oſtendat quòd *Paulus* non fuit expers à receptione Spiritus ſancti. Nam ſicut Apoſtoli receperunt Spiritum ſanctum in die Pentecoſtes: ita pariter *Paulus* recepit ipſum in illo raptu & *mentis exceſſu*, ut eſſet Doctor gentium &c. Nec eſt negandum, etiam *Beatum Joannem* attigiſſe hunc tertium gradum raptus, quando *ſupra pectus Domini in cœna recubuit*, ubi potavit fluenta illius fontis profundiſſimi. Quia aliter non ita altius intonuiſſet, cùm dixit: *In principio erat Verbum &c.*

Not. de Joannis raptu, & Apoſtolorum.

Item, nec eſt negandum, omnes alios Apoſtolos ſimul cum *Virgine Maria* conſecutos fuiſſe, & aſcendiſſe *uſque ad* illud *tertium cœlum* in die Pentecoſtes per raptum Spiritus ſancti, & per elevationem intellectus ad ſuperna. In quo raptu & viſione fuit impreſſa in mentibus Apoſtolorum tota Sacra Scriptura cum ejus vera intelligentia. Unde *Petrus* illico poſt receptionem Spiritus ſancti, & poſt illum raptum incepit diſputare cum Scribis & Phariſæis, & Principibus Sacerdotum, allegando ſcripturas, quas numquam noverat, dando veram intelligentiam: unde abierunt convicti & confuſi Phariſæi; & *converſa ſunt tria millia in illa die*: ut patet *Actuum* 3. & per totum diſcurſum Actuum Apoſtolorum, & per hiſtorias eorum. Unde nuſquam legitur quòd Apoſtoli legerent in libris; quia quod ſemel legerunt in illo ſacro libro Spiritus ſancti in illo *raptu*, numquam poſtea ſunt obliti. Quæ quidem viſio fuit multò altior & perfectior, quam illa quam habuit *Moyſes*.

Quòd autem talis viſio altiſſima fuerit ne-

neceſſaria omnibus Apoſtolis ſecundùm exigentiam ſuæ legationis, probatur. Nam A
ſi fuit neceſſarium *Moyſi* habere talem viſionem divinæ Eſſentiæ, ſaltèm in quantum Deus eſt unus, & principium omnium creaturarum: eò quòd Deus mittebat ipſum ad prædicandum unum ſolum Deum, Creatorem, & Gubernatorem omnium, prout dictum eſt *in Prologo*: Ergo à fortiori erat neceſſaria omnibus Apoſtolis talis viſio; eò quòd debebant prædicare, & explicare toti populo Gentili, & toti mundo articulum Trinitatis, & Incarnationis, & noſtræ redemptionis, & glorificationis &c. Nam *Auguſtinus*, non propter aliud probat *Moyſen* & *Paulum* vidiſſe divinam Eſſentiam, niſi quod ille fuit primus Doctor Judæorum; & *Paulus* primus Doctor Gentium. Sed manifeſtum B
eſt, quòd omnes Apoſtoli fuerunt primi Doctores Gentium, & totius mundi. Nam *Bartholomæus*, & *Thomas* prædicarunt apud *Indos*; & *Matthæus* in *Æthiopia*; & *Andræas* in *Syria*, quò nunquam profectus eſt Beatus *Paulus*.

Sed cauſa quare David præponit *Paulum* cæteris Apoſtolis in hac parte, & explicat ejus raptum, & non aliorum, eſt iſta. Nam jam ſuperiùs aſſeruit Apoſtolos omnes conſecutos fuiſſe ſimilem viſionem, cùm dixit: *Aſcendit in altum, & dedit dona hominibus*: & quando dixit, *Pluviam voluntariam ſegregabis hæreditati tuæ &c.* ut dictum eſt. Sed quia dubitaret aliquis, an *Paulus* receperit Spiritum ſanctum? ideo explicat raptum ſuum, ut C
oſtendat, eum recepiſſe Spiritum ſanctum cum donis ſuis in illo raptu, ſicut cæteri Apoſtoli receperant in die Pentecoſtes. Ideo dicit: *Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu*, id eſt, in illo *raptu*, qui factus fuit cum *mentis exceſſu*, & quadam extaſi & elevatione uſque ad divinam Eſſentiam per modum tranſeuntis. Illud ergo idem, & eadem arcana quæ vidit *Paulus* in illo *raptu*, potuerunt videre omnes Apoſtoli, quando *factus eſt de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis*: quia tunc, tanquam *dii fortes terræ vehementer* ſupra humanam facultatem *elevati ſunt uſque ad tertium cœlum*, multò magis quam *Moyſes*, quibus Chriſtus non tanquam ſervis, ſed tanquam amicis, *nota fecit eis quæcumque au-* D
divit à Patre, prout promiſerat eis, *Joannis* 15.

Apoſtoli manè præ dam comederunt.

Et ſic patet, qualiter omnes Apoſtoli *manè comederunt prædam*, ſicut *Paulus*. Nam quaſi quadam *viſione matutina* fuerunt cibati *pane vitæ & intellectus* in illa receptione Spiritus ſancti: ſed poſteà *veſperè diviſerunt ſpolia* toti mundo. Nam cognitio, quam tota Eccleſia habuit de rebus divinis ab Apoſtolis, fuit quaſi *veſpertina*, reſpectu notitiæ quam ipſi habuerunt à Chriſto per Spiritum Sanctum in illa
E die.

Et ideo David, ut oſtenderet, quòd non ſolùm Apoſtoli receperunt Spiritum ſanctum cum donis ſuis, quando Chriſtus *aſcendit in altum*, & *dedit dona hominibus* in die Pentecoſtes, ſed quod etiam *Apoſtolus Paulus* recepit eadem dona in illo raptu; ait, quòd *ibi* fuit aggregatus in illa ſocietate *Paulus in mentis exceſſu*, ad prædicandum populo Gentili cum cæteris &c.

Item, ut David oſtenderet, quòd illud idem quod operatus eſt Chriſtus ipſi *Paulo* in illo *raptu*, operatus eſt & cæteris Apoſtolis in die Pentecoſtes, ſubdit: *Manda Deus virtuti tuæ: confirma Deus hoc quod operatus es in nobis &c.* Ideo ait Paulus: *Qui operatus eſt Petro* F
in Apoſtolatum, operatus eſt & mihi, ad Galathas ſecundo. Et ſic patet, quòd id quod operatus eſt Chriſtus Apoſtolis in die Pentecoſtes, operatus eſt etiam *Paulo* in illo raptu, & è converſo.

Si autem omnes Apoſtoli receperint dona Spiritus ſancti ſecundùm magis, aut minus, hoc non eſt nobis diſputandum, ſed relinquendum determinationi Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Nam ego non reperio aliquam rationem, nec Scripturam contradicentem ſupradictæ poſitioni. Dignitas enim Apoſtolica eſt tàm grandis & ſuprema in Eccleſia, quòd poſt dignitatem *Virginis Mariæ*, nulla major eſt ipſi
G conferenda. Et ideo dicti ſunt *Principes* & *Duces* Eccleſiæ, & triumphatores de diabolo, & toto mundo.

Sed cauſa quare David in hoc loco præponit *Paulum* ante alios Apoſtolos, eſt, non ratione dignitatis, ſed quia primus cum *Barnaba* fuit miſſus ad prædicandum populo Gentili: ut patet *Actuum* 13. Sed cauſa quare *Paulus* magis fuit miſſus ad Gentiles, quàm ad Judæos, fuit, ne diceretur quod *Paulus* conviciſſet Judæos propter peritiam, quam habebat de Lege & Prophetis; ſed *Petrus*, qui nunquam noverat litteras, miſſus eſt ad Judæos, qui eos convicit per Scripturam Legis & Prophetarum in die Pentecoſtes: per quod viſum eſt, quòd illa ſcientia non erat humanitùs acquiſita. Deinde cùm dicit:



34. q. 1. c. Loquit. & c. Omnibus. De Consec. d. 3. cap. Tribus, in fine.

31. *Manda Deus virtuti tuæ : confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* A

32. *A Templo tuo in Hierusalem, tibi offerent reges munera.*

EST advertendum, quòd quia David prævidit in spiritu, qualiter primò Judæi, deinde Reges & Imperatores, & principes populi Gentilis, & etiam Tyranni, & Hæretici debebant multipliciter impedire istam expeditionem, & prædicationem Apostolorum resistere, & Ecclesiam persequi, & multos martyrio coronare, B sicut fuit *Nero*, & *Domitianus*, & *Galienus*, & *Decius*, & *Diocletianus*, & cæteri Tyranni: sed quia prævidit etiam in spiritu, qualiter finaliter Ecclesia debebat primò de populo Judæorum, deinde de toto populo Gentili triumphare, & ipsum jugo Christi subjicere per conversionem *Magni Constantini*; & hoc in virtute nominis Christi *Jesu*, & in virtute Spiritus sancti, quem Apostoli receperunt in *Hierusalem* in die Pentecostes, quem etiam receperunt postea invisibiliter Martyres, & Doctores. Hoc ergo prævidens David in spiritu, apostrophat ad Christum, dicens:

O Christe *Deus*, *manda* & præcipe *virtuti tuæ*, id est, excita virtutem nominis tui *Jesu*, quod nomen Apostoli & fideles portabunt in candelabro Euangelico C ante Reges & Præsides; & perfice & *confirma hoc*, *quod operatus es in nobis à Templo tuo in Hierusalem.* Nam ibi creasti Templum & Ecclesiam tuam in monte *Sion* in illa sancta societate, ubi erant duodecim Apostoli cum *Maria Matre tua*, & turba virorum & mulierum centum viginti congregati, super quos misisti Spiritum sanctum, & distribuisti eis dona gratiarum ad prædicandum Euangelium, & intelligendas Scripturas, & ad resistendum Tyrannis & Hæreticis, & ad perferendas persecutiones & tormenta: Ergo *confirma* ista dona & opera in Apostolis, & Martyribus, & Doctoribus, ut vincant & convertant Tyrannos, & Imperatores, & Reges terræ, qui antè persequebantur. D Nomen tuum, & Ecclesiam tuam: posteà conversi *offerant tibi munera* in Ecclesia tua post conversionem magni *Constantini.*

Nota. Omnia autem ista fuerunt completa: nam *Constantinus* conversus & baptizatus per *Silvestrum*, publicavit edictum per totum imperium, ut omnes Christiani liberè possent ædificare Ecclesias: & primò dedicavit *Ecclesiam Salvatoris* in Palatio suo *in Laterano*, quam multis donis & muneribus dotavit: immò *Romam* cum tota *Italia* Pontifici Romano, & Ecclesiæ Christi E donavit. Et ipse sedem suam Imperialem in Græcia apud *Bizantium* dedicavit, ubi Ecclesiam & Templum miro artificio ædificavit, quam *Sanctam Sophiam*, id est, Sapientiam in honorem Christi appellavit. Et exinde omnes Reges terræ ad exemplum Imperatoris baptizati, confractis Idolis, omnia Templa in Ecclesias fecerunt consecrari, in quibus magna munera continuè offerebant.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, dicit: *Tibi offerent Reges munera.* Quasi dicat: O Christe, *confirma* Ecclesiam, quam *operatus es*, & ædificasti *in nobis à Templo tuo in Hierusalem*, scilicet, ab illa congregatione ibi congregata, *à* quo *Templo* & congregatione Ecclesia fuit diffusa F per totum orbem: ideo Ecclesia dicta est *Hierusalem*, quia inde fuit orta. *Confirma* ergo eam, & in ea *offerent Reges munera*, tanquam subjecti & devoti. Et ut hoc possit fieri, & in effectum deduci,

3. q. 7. Quid sine & c. Judicet, & ca. Postulastis.

33. *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos qui probati sunt argento.*

INcrepa, inquit, *feras arundinis* & silvarum, qui sunt Imperatores & Tyranni, dicti *feræ* & *leones silvarum*, à ferocitate & crudelitate, qui volunt nomen G tuum extinguere, & tuam Ecclesiam extirpare: sicut fuit *Nero*, & *Diocletianus &c.* Isti dicti sunt *feræ arundinis*, quia licèt essent feroces, ut leones, & ursi: tamen eorum potestas erat *arundinea*, & vana: quia tantum *supra corpus*, *animam autem non poterant occidere*, & tandem male finierunt vitæ eorum, & eorum potestas evanuit, tanquam *arundo vento agitata*: ut patet de *Nerone*, & *Domitiano*, *Severo*, & *Diocletiano* in *Ecclesiastica Historia.* Et subdit: *Congregatio taurorum*, id est, *increpa* istas *feras*: quia facta est *Congregatio taurorum*, id est, Imperatorum, & Tyrannorum *in vaccis populorum*, id est, minoribus de populo. Nam populares sequebantur Imperatores, & Reges, & H Tyrannos ad persequendum Ecclesiam, sicut *vaccæ* sequuntur *tauros*, & oves sequuntur arietes. Ita ergo isti Tyranni feroces sicut leones & tauri, simul cum popularibus persequebantur Christianos, *qui probati sunt argento* fidei, id est, purificati in fide, sicut argentum in igne. Et hoc faciebant Tyranni, *ut excluderent eos* à fide Christi. Et ideo dicit Propheta:

8. q. 1. Si omnia, & 50. d. ca. Absit.

34. *Dissipa gentes, quæ bella volunt : venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo.*

A

O Christe, *increpa* istas feroces bestias, & tauros, & comprime ferocitatem, & infidelitatem eorum : & *dissipa gentes, quæ bella volunt* committere contra Ecclesiam, & destruere eam: quibus dissipatis, & infidelitate eorum destructâ, & fide in eis constructâ & insertâ, tunc *venient legati ex Ægypto* ad Ecclesiam, ut recipiant fidem, & faciant illi obedientiam. Et tota Æthiopia, quæ est maxima regio inter Tropicos, *præveniet*, & præmittet *manus ejus*, id est, elevabit *manus Deo*, ad obediendum Christo, & recipiendum fidem ejus. Unde per *Æthiopiam* & *Ægyptum* subintelligit, & comprehendit totum populum Gentilem, & omnia regna mundi, per novam regulam *de specie & genere* positam *in Prologo*. Sed specialiter memorat *Ægyptum*, & *Æthiopiam* : eò quòd Ecclesia priùs floruit in *Ægypto* per *Marcum*, ubi maxima multitudo Christianorum incepit vivere secundùm Euangelium in fide Christi, in continuo studio Sacrarum Scripturarum, in hymnis, & orationibus : in quâ *Ecclesia Alexandrina* multi postea floruerunt Doctores successores *Marci* : in tantùm quòd illa Ecclesia mittebat Episcopos per partes mundi, ad instruendos fideles, ut ait *Eusebius in Ecclesiastica historia*.

B

C

Ecclesia priùs in Ægypto floruit per Marcum.

Et ideo dicit Propheta, quòd *ex Ægypto venient legati* & Doctores per omnes partes mundi, ad convertendos & instruendos populos in fide. Item dicit, quòd *Æthiopia præveniet manus Deo*, quia citiùs conversa est per *Matthæum*. Et quia continuè ex *Æthiopia* veniunt multæ *manus* & societates ad visitandum *Sepulchrum Christi in Hierusalem* : per quas duas Provincias subintelligit omnia regna mundi. Ideo subdit agendo gratias.



93. d. ca. 1. In glor.

D 35. *Regna terræ cantate Deo : psallite Domino:*

36. *Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli, ad orientem.*

O Cætera omnia *regna terræ cantate Deo*, & *psallite Domino* Jesu-Christo, quia relictâ spurcitiâ & superstitione Idolorum, perveniistis ad agnitionem veritatis, & recepistis fidem Christi. Ideo *psallite* Christo *Deo* & homini, qui tan-
E quam victor & triumphator *ascendit super cœlum cœli*, id est, super cœlum *Empyreum*, quod dicitur *cœlum cœli*, *ad orientem*, id est, reversus est ad Patrem, unde ortus est, & exivit, & venit in mundum quando incarnatus est, prout ipse dixit, *Joann.* 15. *Exivi à Patre, & veni in mundum, & iterum relinquo mundum & vado ad Patrem unde exivi.* Ideo littera *Hieronymi* habet: *Qui ascendit ad principium*: eò quòd Pater est principium non de principio, & est principium productivum Filii. Ideo ait David : O vos fideles in Christo regenerati *psallite* Christo, *qui* habitâ victoriâ de mundo & diabolo, *ascendit super* omnes cœlos, immò super cœlum *Empyreum*, usque ad Patrem, & sedet à
F dextris ejus, à quo accepit omnem potestatem in cœlo, & in terra, & in inferno. Et ideo subdit:

37. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel : magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.*

De Pœn. d. 3. §. Quærendum.

MITTET Spiritum sanctum in Apostolos, & *dabit voci suæ vocem virtutis*, id est, dabit virtutem, & dona gratiarum, & genera linguarum Apostolis, ut
G prædicent *vocem* Euangelicam, quæ est vox Christi, ut *prædicent Euangelium omni creaturæ*. Et David conversus ad Apostolos & omnes fideles, dicit : O Apostoli, *date gloriam Deo super Israel*, id est, prædicate Euangelium, & omnia mirabilia opera Christi super totam Ecclesiam : & *magnificentia ejus, & virtus ejus* sit *in nubibus*, id est, usque ad nubes; vel *in nubibus*, id est, *in Apostolis*, qui dicuntur *nubes*, *Isai.* 60. *Qui sunt hi qui ut nubes volant? &c.* Item, hoc potest referri ad *Angelos*, qui receperunt Christum in nube in die Ascensionis, & annuntiantes universa-

ſalem poteſtatem Chriſti, dixerunt: *Viri Galilæi, quid admiramini aſpicientes in cœlum?* quia *hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis, ſic veniet* in poteſtate magna ad judicandum mundum, *quemadmodum vidiſtis eum euntem &c.* Et ideo concludit: A

De Conſe. d. 5. c. de Spiritu S.

38. *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael ipſi dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ: benedictus Deus.*

Mirabilis erit Chriſtus *Deus in ſanctis ſuis* Apoſtolis, & Martyribus, & Doctoribus: quia ad prædicationem eorum *dabit fortitudinem* fidei, & *virtutem* ſpei, & charitatis, & aliarum gratiarum *plebi ſuæ* fideli: quia omnes Gentiles convertentur ad fidem, & Eccleſia Chriſti dilatabitur per omnes partes mundi uſque ad terminos terræ: quod non fiet fortitudine armorum, nec viribus humanis: nec per Principes & Imperatores; ſed per homines ſimplices, & plebejos, & piſcatores vincet Chriſtus Reges, & Philoſophos, & Imperatores in ſola virtute nominis *Jeſu*, quam receperunt cum Spiritu ſancto. Ergo *benedictus Deus*, qui per tales ſimplices voluit ſuam omnipotentiam demonſtrare, & Eccleſiam magnificare. B

Concluſio Pſalmi. Ex toto iſto Pſalmo recolliguntur viginti quatuor propheticæ Concluſiones.

Prima concluſio: quòd reſurgente Domino, & deſcendente ad inferos, infernus fugit turbatus à facie ejus: eò quòd expoliavit eum, & judicavit diabolum ad pœnam æternam. C

Secunda concluſio: quòd Chriſtus aſcendit ſuper occaſum mortis, quia triumphavit de morte in ſua reſurrectione: ita meruit aſcendere *ſuper occaſum* cœli, id eſt, ſuper cœlum aqueum, quod eſt primum mobile, ab oriente ad occaſum.

Tertia concluſio: quòd Chriſtus tres conditiones hominum eduxit ab inferno, ſcilicet, vinctos, & latronem exaſperantem, & quoſdam de ſepulchro, qui cum eo ſurrexerunt: ita pariter tres conditiones eduxit de tenebris peccatorum. Nam Judæos abſolvit à vinculis Legis, & Gentiles exaſperantes duxit ad fidem, & omnes eduxit de ſepulchris peccatorum. D

Quarta concluſio: quòd Eccleſia Chriſti dicitur *domus unius moris*, eò quòd omnes fideles vivunt in ea unanimiter, ſub una fide, & una Lege Euangelica ſociati.

Quinta concluſio: quòd ſola Eccleſia dicitur verè *populus Dei*, eò quòd eſt concors multitudo hominum in una Lege ſociata. E

Sexta concluſio: quòd ſola Eccleſia dicitur *hæreditas Dei*, eò quòd ejus cives pertinent ad cœleſtem hæreditatem, & à Deo poſſidentur per gratiam.

Septima concluſio: quòd ſola Eccleſia dicitur *ovile Chriſti*, eò quòd in eo habitant animalia, & oves Chriſti paſcentes paſcua Eccleſiaſticorum ſacramentorum.

Octava concluſio: quòd Chriſtus rector, & diſpenſator virtutum, & donorum *dilecti Patris* ſui, *dedit verbum* Apoſtolis *euangelizantibus* cum *multa virtute* miraculorum.

Nona concluſio: quòd Chriſtus diſpenſator bonorum *dilecti Patris* ſui, *diviſit ſpolia virtutum*, & gratiarum domui ſpecioſæ Patris ſui, ſcilicet, Eccleſiæ ſponſæ ſuæ. F

Decima concluſio: quòd Eccleſia eſt *columba* habens *pennas deargentatas*, & *dorſum in pallore auri* per diverſos gradus virtutum & ſanctitatis, & ſecundùm diverſos gradus Sanctorum, qui figurantur per diverſitatem pennarum columbæ.

Undecima concluſio: quòd Chriſtus ornavit Eccleſiam ſponſam ſuam diverſis gradibus Ordinum, & Prælatorum, & Rectorum, & Officiorum, ad purgandos, & dealbandos peccatores.

Duodecima concluſio: quòd ſola Eccleſia eſt *mons pinguis* pinguedine ſacramentorum, in qua paſcuntur oves Chriſti in paſcuis uberrimis ſacramentorum.

Decimatertia concluſio: quòd Deus in ſola iſta Eccleſia habitat per gratiam, & in ſuperna per gloriam. G

Decimaquarta concluſio: quòd Chriſtus in ſua Aſcenſione accepit omnia dona à Patre, omnibus diſtribuenda.

Decimaquinta concluſio: quòd Chriſtus moriendo deſtruxit mortem, & reſurgendo fecit eam nobis perviam, ut eſſet nobis per eam iter ad vitam: & aſcendendo *fecit nobis iter proſperum* per cœlum ad gloriam.

Decimaſexta concluſio: quòd *exitus* Chriſti ab hac vita fuit per mortem. Ideo meruit omnia ſupradicta dona à Patre recipere, & totum genus humanum liberare, & ſalvare.

Decimaſeptima concluſio: quòd deſtructio & punitio Judæorum facta eſt in vindictam mortis Chriſti, unde perdiderunt Regnum, & Sacerdotium. H

Decimaoctava concluſio: quòd ſicut exercitus filiorum Iſrael circuivit terram promiſſionis per deſertum, & *montem Seir*, & intravit per *Baſan* & *Jordanem*, & vaſtavit omnes civitates *Chanaam* cum regibus & habitatoribus ſuis: ita pariter per eandem partem introjerunt copiæ *Romanorum*, & deſtruxerunt omnes civitates,

à *Baſan* uſque ad *mare Occidentale*, & ultimò combuſerunt, & everterunt *Hieruſalem*, & trucidarunt unam partem habitatorum, & alteram captivaverunt; & A tinxerunt pedes ſuos ſanguine occiſorum, & canes linxerunt, & ſatiati ſunt ſanguine *Judæorum*, quod totum factum eſt in vindictam mortis Chriſti. Ex quo patet, quòd vaſtatio *Chananæorum* fuit figura vaſtationis Judæorum.

Decima nona concluſio: quòd *ingreſſus* filiorum Iſrael fuit figura *ingreſſus* Apoſtolorum ad populum Gentilem. Nam ſicut in illo *ingreſſu* Joſue elegit duodecim principes, ſed unum de qualibet Tribu, qui præcederent Arcam cum Levitis tubicinantibus & pſallentibus, & puellis tympanizantibus, & ſic tranſierunt *Jordanem* cum Arca, & ſubjecerunt totam terram B cum Regibus ſuis: ita pariter Chriſtus elegit duodecim Apoſtolos ex eiſdem duodecim Tribubus, qui portantes hoc nomen *Jeſus* in Arca Euangelica, intraverunt per populum Gentilem, & ſubjecerunt omnia regna mundi jugo Chriſti.

Vigeſima concluſio: quòd ſicut ex illis duodecim Patriarchis filiis *Jacob* multiplicatus fuit totus populus Iſrael per generationem carnalem: ita ex duodecim Apoſtolis regeneratis à Chriſto, multiplicatus eſt totus populus chriſtianus per regenerationem ſpiritualem & baptiſmalem.

Vigeſima prima concluſio: quòd omnes Chriſtiani ſunt ſemen *Abrahæ*, & *Filii Iſrael* ſecundùm promiſſionem & ſpi- C ritum, & ſic tota Eccleſia Chriſti eſt verus *Iſrael*, Judæis reprobatis.

Vigeſima ſecunda concluſio eſt: quòd virtus hujus nominis *Jeſu*, & virtus Spiritus ſancti, quam Diſcipuli receperunt in monte *Sion* in *Hieruſalem* in die Pentecoſtes confregit & repræſſit ferocitatem & crudelitatem Imperatorum, & Tyrannorum Eccleſiam perſequentium: in tantum quòd Apoſtoli & Martyres, & Doctores triumpharunt de eis, & de toto populo Gentili, & ſubjecerunt omnia regna terræ jugo Chriſti: & *Ægyptus* & *Æthiopia*, & totus populus Gentilis receperunt fidem Chriſti per converſionem *Conſtantini*: in tantum, quòd reges terræ, qui ante perſequebantur Eccleſiam, poſtea obtulerunt munera Chriſto in Ec- D cleſiis quas conſtruxerunt.

Deus in ſanctis ſuis mirabilis.

Vigeſima tertia concluſio: quòd Chriſtus fuit *mirabilis in ſanctis ſuis* Apoſtolis. Nam per homines ſimplices & piſcatores vicit, & lucratus eſt Philoſophos, & Imperatores. Unde majoris virtutis fuit fides, & gratia Apoſtolorum, quam ſcientia Philoſophorum, & fortitudo & potentia Regum & Imperatorum.

Vigeſima quarta concluſio eſt: quòd iſte Pſalmus non poteſt præciſe intelligi de illo egreſſu Iſrael de Ægypto, & peregrinatione per deſertum, ſicut cœci Judæi exponunt. Nam ſi David non loqueretur propheticè in hoc Pſalmo, tunc E non eſſet Propheta, ſed Hiſtoriographus narrans ſolam hiſtoriam. Item, multa interceſſerunt in hoc Pſalmo, quæ nullomodo conveniunt illi hiſtoriæ. Nam hîc Propheta loquitur de futuro, dicens: *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ.* Ergo non loquitur de pluvia Mannæ factâ in deſerto. Item, Deus non dedit illi populo *verbum Euangelizantibus virtute multa*, ſicut hîc dicitur: nec Deus accepit ab alio *dona* in *monte Sina hominibus* diſtribuenda, nec *exitus mortis*, ſicut hîc dicitur: nec *Ægyptus* miſit *legatos* ad illum populum: nec *Æthiopia prævenit* tunc *manus Deo:* nec *regna* F *terræ cantarunt Deo Iſrael* laudes: nec crediderunt Deo, nec fuerunt ſubjecta illi populo, ſicut in hoc Pſalmo memoratur: ergo ſequitur, quod David ad litteram loquitur de Chriſto & Eccleſia ſponſa, prout expoſitum eſt. Sed quia David in hoc Pſalmo, & cæteris aliquando utitur figura pro figurato in vocabulis: ideo deſcipiuntur miſeri & cœci Judæi, non percipientes ſacramenta Dei, quomodò omnia illa myſteria facta ſunt in figura Chriſti & Eccleſiæ: & quomodò illa *domus ſpecioſa* & *columba deargentata*, & *mons pinguis* eſt Eccleſia ſponſa Chriſti: & quomodò David prævidens in ſpiritu omnia myſteria Euangelica, per illa myſteria ve- G teris Legis, fecit hunc Pſalmum & alios propheticè de Chriſto & Eccleſia.

Ex toto diſcurſu hujus Pſalmi patet, quòd *Salomon* ex hoc *Pſalmo*, & 44. ſumpſit materiam ad condendum *librum Canticorum*: eadem enim eſt materia in magna parte, niſi quod mutavit ſtylum. Nam in illo libello nil aliud facit, niſi quòd ſub metaphora ſponſi & ſponſæ deſcribit totum diſcurſum Eccleſiæ ab Incarnatione uſque ad ejus proſperitatem poſt converſionem *Conſtantini*: in hoc autem David idem facit, niſi quòd incipit à Reſurrectione Chriſti, quando Lex Euangelica incepit promulgari, & quando Eccleſia fuit per Chriſtum dotata. Et ideo *Salomon* quandoque utitur eiſdem vocabulis: quia H Eccleſiam appellat *columbam*, & *ſpecioſam* & *ornatam* diverſis ornamentis: & quandoque ponit vocabula illis correſpondentia. Nam *hortus irriguus* idem eſt quod *mons pinguis &c.* Ideo nemo miretur, ſi tantum volui immorari in Expoſitione hujus Pſalmi, eo quòd eſt durus & ſcabroſus propter vocabula metaphorica, & figuras grammaticales. Et ideo potius volui ſatisfacere ſimplicibus Sacerdotibus & fidelibus, ſingula pluries iterando, quam cum peritis profunda diſputando.

PSAL-

Psalmus LXVIII.

De Consec. d. 11. cap. Cum omne Ps. 11. a.

1. *Salvum me fac Deus : quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.*

2. *Infixus sum in limo profundi: & non est substantia.*

3. *Veni in altitudinem maris : & tempestas demersit me.*

Titulus secundùm *Hieronymum Victori* super *rosas* sive *liliis David.* Dicit *Cambi*, quod David fecit hunc Psalmum in persona totius populi existentis in hac captivitate ; eò quòd habitat inter fideles, sicut *rosa inter spinas*: & allegat illud Canticorum: *Sicut rosa inter spinas, sic amica mea inter filias* : & dicit, quòd loquitur totus populus Judaicus tanquam una persona.

Sed iste cœcus manifestè mentitur: quia ea quæ dicuntur in hoc Psalmo, non possunt convenire illi populo obstinato, propter jam supradicta ; maximè quia nullibi Passio Christi est magis manifesta, quam in hoc Psalmo. Et ratio est, quia hîc Propheta magis videtur Euangelista, quam Propheta, & magis videtur texere historiam Passionis Christi, quam prophetiam. Item, magis est credendum *Beato Petro*, qui *Actorum* 1. allegat scripturam hujus Psalmi contra crucifixores Christi, dicens: *Fiat habitatio eorum deserta : & non sit qui inhabitet.* Item, magis est credendum *Beato Joanni Euangelistæ*, qui asserit, hunc Psalmum esse factum in persona Christi, allegando illum versum: *zelus domus tuæ comèdit me, Jo.* 2

Not. per rosam vel lilium Christum intelligi.

Ideo est dicendum: quòd ubicumque ponitur *rosa*, sive *lilium* in scriptura semper primò intelligitur Christus, qui fuit *speciosus* sine labe peccati *inter filios hominum*, ut dictum est *Psalmo* 44. & fuit pulcher inter peccatores, *sicut rosa inter spinas* : quia solus ipse secundùm naturam non fuit punctus spinis peccatorum Adæ, & aliorum hominum. Et ideo *sicut rosa*, quæ est pulcherrima florum, nascitur inter spinas, in se non habens spinas, sed pulchrum odorem & colorem : ita Christus inter spinas peccatorum hominum &c. Ex consequenti intelligitur Ecclesia: nam quod Christus habet per naturam, Ecclesia habet per gratiam derivatam à Capite suo Christo. Nam cum ipsa esset spinosa in filiis ; tamen Christus per Passionem suam & sacramenta amovit spinas peccatorum, & reddidit ipsam pulchram sine macula & ruga: & fecit ipsam *rosam* : quæ quidem Ecclesia hodie est inter cæteros populos infideles *sicut rosa inter spinas* : ut patet, *Canticorum* 2.

Secundùm verò Septuaginta Titulus hujus Psalmi est iste : *In finem pro his, qui commutabuntur, ipsi David.* Ad cujus intellectum est advertendum, quod *commutatio*, idem est quod *cambium*, sive *venditio* & *emptio*, ut putà, quando una res ex una qualitate, sive conditione mutatur in aliam : sive quando pro una re commutatur, & datur alia. Et sic dicimus, quòd omnes Christiani & fideles *sunt commutati.* Nam primò erant peccatores, & in potestate diaboli ; sed per Passionem Christi *sunt commutati* de peccato ad gratiam, & captivitate in libertatem. Item, *sunt commutati* pro Passione. Nam Christus dedit vitam suam in cruce pro eis : & sic per Passionem suam redemit omnes nos. Et sic dicit *Augustinus*, quod *in Baptismo nil aliud facit Ecclesia, nisi quod emit illum parvulum baptizatum pretio Passionis Christi, & liberat ipsum à captivitate.* Et sic Passio Christi fuit quædam *commutatio* : & omnes redempti *sunt commutati* pro Passione Christi ; quia Christus dedit Passionem suam Patri, ut nos à captivitate redimeret. Et quia David describit totam Passionem Christi in hoc Psalmo, quam Passionem Christus dedit Patri pro nobis in cruce: ideo *Esdras* præposuit in Titulo : *pro rosis*, sive *pro his* christianis, *qui commutabuntur*, id est, David fecit hunc Psalmum in persona Christi, & dirigit ipsum in Christum, qui est finis Legis, qui dedit & obtulit Passionem suam, in hoc Psalmo memoratam, *pro his* fidelibus, qui redimentur: *rosæ* & *lilia inter spinas* infidelium.

Fideles dicuntur commutati.

Passio Christi dicitur commutatio.

Unde est etiam advertendum, sicut sæpius dictum est, quòd quidquid passus est Christus in Capite, passus est postea in membris : & ideo iste Psalmus primò, competit Christo, & ex consequenti toti Ecclesiæ. Sed quia tàm in Christo, quàm in Ecclesia, ista quatuor fuerunt per ordinem ; primò, persecutio & Passio ; secundò, liberatio ; tertiò, punitio persecutorum ; quartò, prosperitas Christi, & regni, & Ecclesiæ ubi divinus cultus fuit ampliatus : ideo quatuor facit Christus in hoc Psalmo per ordinem. Nam primò, exponit querelam suam narrando totam suam persecutionem & Passionem. Secundo, petit liberari. Tertiò, petit ultionem de persecutoribus. Quartò, promittit gratiarum actiones per divinum cultum. Secunda ibi: *Ego verò orationem.* Tertia ibi : *Fiat mensa eorum.* Quarta ibi : *Laudabo nomen Dei.*

In Christo & Ecclesia quatuor fuerunt.

Quan-

Quantum ad primùm, duo facit Christus : Nam primò, exponit querelam sive querimoniam ante Patrem. Secundò, petit fructum, sive nostram redemptionem pro meritis suæ Passionis. A

Persecutio comparatur periculo aquarum.

Quantum ad primum est advertendum : quòd vehemens persecutio comparatur *periculo aquarum* communiter in Sacra Scriptura. Nam sicut excedens aqua submergit hominem sine defensione, ita & vehemens persecutio. Sed triplex est *periculum aquarum* : unum in torrente, sive flumine tempore magnarum pluviarum. Secundò, potest quis periclitari in aliquo lacu profundo & limoso, sive cænoso. Tertiò, in tempestate maris. Ita reperitur triplex persecutio, scilicet, *populi*, & *hypocritarum*, & *regum*. Nam B persecutio & furia populi, comparatur furiæ torrentis. Nam sicut torrens tempore pluviarum trahit arbores ; & omnia quæ sunt in ripa, & exit extra alveum, sed in brevi cessat ejus furia : ita furia populi contra aliquem invehitur usque ad mortem : sed completâ furiâ, pœnitet eum fecisse : unde incipiente uno in populo, omnes sequuntur.

Item, *persecutio hypocritarum* comparatur lacui profundo & limoso, qui licèt non mittat fluctus manifestos, tamen si absorbet hominem, non potest inde exire. *Persecutio* autem *regis* comparatur *fluctibus maris* : quia rex & princeps manifestè persequitur, & cum magno impetu.

Omnia ergo ista tria genera persecutionum passus est Christus : Nam primò, C passus est *persecutionem hypocritarum*, scilicet Scribarum & Pharisæorum, quorum malitia fuit profunda & limosa : quia sub zelo Legis processerunt contra justum occultè : *ne fortè tumultus fieret in populo*. Secundò, passus est à populo : nam populus videns intentionem Scribarum & Pharisæorum, furiosè, & absque deliberatione moti sunt contra Christum, dicentes : *Crucifige*, *crucifige eum* : sed in brevi pœnituit eos, postquam fuit crucifixus. Nam videntes signa facta, scilicet tenebras super terram &c. reversi sunt in civitatem *percutientes pectora sua*, *Luc.* 23. Tertiò, Christus passus est à *Pilato*, qui manifestè ipsum flagellavit, & D sententiam mortis executioni mandavit. Sic ergo David istas tres persecutiones comparat *tribus periculis aquarum*.

Nota.

Dicit ergo Christus per os David: O Pater, *salvum me fac* in hac Passione: *quoniam aquæ persecutionum intraverunt usque ad animam meam*. Nam quædam persecutiones non attingunt, nisi usque ab bona temporalia : quædam verò usque ad corpus ; ut cum quis patitur infirmitates & dolores : sed istæ meæ persecutiones *intraverunt usque ad animam meam*: quia realiter mortuus sum, & separata est E anima à corpore in cruce. *Intraverunt* ergo *aquæ usque ad animam meam*, id est, usque ad separationem animæ à corpore : quia passus sum tres terribiles persecutiones. Nam primò, *intraverunt aquæ* torrentis furiosi *usque ad animam meam*, quando totus populus fuit commotus, dicens : *crucifige &c.*

Sed secunda persecutio, sive periculum, fuit pejus. Nam *infixus sum in limo profundi* Scribarum, & Pharisæorum, & Sacerdotum : quia in malitia inveterata eorum *infixus est* pes meus & exinde non potui exire sine morte, usquequò in me *non fuit substantia*, id est, vita : quia numquam cessavit eorum limosa & occulta malitia usque ad mortem meam. Dicun- *Hypocrita dicitur lacus limosus.* F tur enim *hypocritæ*, & Scribæ, & Pharisæi *lacus limosus*, & *profundus*, propter profundam iniquitatem, & malitiam, & avaritiam.

Item, non solùm *infixus sum in limo profundi* Pharisæorum, & Scribarum; sed etiam *tempestas maris*, & furiæ, & potestatis ipsius *Pilati* Procuratoris Imperatoris *demersit me*, ad mortem crucis judicando & destinando. Et sic incidi in triplex periculum *aquarum persecutionum*, scilicet, furiosi torrentis, populi clamantis, *crucifige*, & limosi profundi lacus Sacerdotum, & Scribarum, & Pharisæorum machinantium in mortem meam, & conspirando, improperando mihi peccata Legis. Et incidi etiam in *tempestatem maris* furiosi *Pilati*, ferentis & promul- G gantis in me sententiam mortis : & iste demersit me in sepulchro & morte.

4. *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ : defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* *Job. 9. Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23.*

Nota, quòd supradicta pericula fuerunt ita magna, quòd Christus nullum habuit adjutorem, nisi Deum Patrem. Ideo ad ipsum clamavit, ut eum liberaret, sed quomodo *fuit exauditus semper* H *pro sua reverentia*? Et quomodò illa verba orationis sunt intelligenda ad sensum *in quo fiunt*, & non ad sensum *quem faciunt*? dictum est *Psalm.* 2. & 21. ideò dicit Christus *Laboravi* in Templo, & per Synagogas, vocando eos ad fidem. Secundò, in captione, quando dixi: *Tanquam ad latronem &c.* Tertiò, in horto, quando ter oravi. Quartò, in cruce, quando pro persecutoribus exoravi : & *clamans* sic præ nimio labore *fauces meæ raucæ factæ sunt*, id est, omnia membra mea debilitata sunt, & viribus

eva-

evacuata usque ad mortem : & *oculi mei defecerunt*, id est, lassati sunt, & clausi per mortem : *dum spero*, & sperabam *in Deum meum* Patrem. *Spero*, dico, ut mea membra liberaret : & calix meus ad eos transiret eodem modo quo dictum est *Psalm.* 21. & sperabam etiam quod Judæi convincerentur, & cognoscerent veritatem. A

Ps.39.c. Joh. 19. Matth. 27.

5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.*

Luc. 23. Marc. 15

6. *Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injustè : quæ non rapui tunc exolvebam.* B

IPSI Judæi *qui oderunt me gratis*, sine demeritis meis, *multiplicati sunt* contra me *super capillos capitis mei :* quia plures fuerunt persecutores, quam capilli capitis mei : & isti fuerunt populares, decepti à Sacerdotibus : & omnes isti tàm Pharisæi, quàm populares, qui persecuti sunt me injustè, sine causa & demeritis meis, *confortati*, & *multiplicati*, & fortificati sunt contra me, falsa crimina imponendo.

Quæ non rapui. Hîc probat quòd injustà passus est. Nam nullus punitur justè nisi ex propriis demeritis, sed Christus numquam demeruit, nec peccavit, sed passus est pro peccato primi parentis, & pro peccatis nostris præteritis & futuris. Nam Adam rapuit fructum à ligno vetito : sed Christus passus est, ut nos liberaret. Et ideo ait : *quod non rapui, tunc*, scilicet, in cruce, *exolvebam* pro omnibus, supple. C

Adam commisit duplicem rapinam.

Sed est advertendum, quòd duplicem rapinam commisit Adam. Nam primò, rapuit fructum prohibitum. Secundò, voluit rapere divinitatem, volendo se esse similem Deo : & ideo perdidit felicitatem, ut inquit *Augustinus*, & ideo Deus factus est homo, ut hominem redimeret.

Sed est advertendum, quod Passio Christi uno modo potest dici justa : alio modo injusta. Dicitur enim *injusta*, ratione actorum : quia mala voluntate Judæorum perpetrata fuit, sine causa & de merito Christi. Ideo dicit : *qui oderunt me gratis* & *injustè*. Secundò, dicitur *injusta*, ratione personæ Christi : quia talem mortem non merebatur, cum esset justus : ideo ait : *quæ non rapui tunc exolvebam*, patiendo pœnam latronis, cùm non essem latro. D

Sed illa Passio fuit *justissima*, ratione delicti primi parentis, quod talem punitionem merebatur : sed quia Christus voluit effici Caput fidelium, & pati pro membris, ut nos omnes liberaret : tunc ratione nostri illa Passio fuit justissima, & modus redimendi debitus, & congruus, ut inquit *Augustinus* 11. *de Trinitat. cap.* 13. Et ideo in illa Passione nostra justitia facta est : & nos ibi fuimus justificati, & nostrum debitum persolutum : quia pœnas, quas nos pendere & persolvere tenebamur, de jure persolvit Christus pro nobis, licèt hoc fuerit factum malâ voluntate Judæorum. Ideo subdit Christus. E

7. *Deus tu scis insipientiam meam : & delicta mea à te non sunt abscondita.* F

De Pecc. d. 5. cap. Consideret. §. Fleret.

IN Translatione *Hieronymi* dicitur : *Tu scis stultitiam meam : & peccata mea à te non sunt abscondita.* Quæ quidem littera dupliciter potest intelligi : uno modo *Ironicè* & per *Antiphrasin*, ut filius dicat : O Pater, *tu scis insipientiam meam*, quia nulla est : *& delicta mea*, quæ numquam feci. Quasi dicat : tu scis, quòd numquam peccavi.

Alio modo hoc potest intelligi assertive, retorquendo stultitiam & peccatum in Adam, qui putavit rapere divinitatem, & perdidit felicitatem, ut inquit *Augustinus*. Sed hoc potest adhuc dupliciter intelligi : uno modo prout Christus peccata ipsius Adam & nostra dicit esse sua, non quoad culpam, sed quoad pœnam : & hoc tanquam advocatus, & procurator, & fidejussor, & pastor, & Dominus, & sponsus, & caput, sicut dictum est *Psalmo* 17. & 21. Alio modo ista locutio potest intelligi per *Metonymiam*, in quantum effectus nominatur nomine causæ. Sicut dicitur 1. *de Anima*, quòd *ira est accensus sanguinis circa cor* : & in *secundo ejusdem*, quod *gustus est quidam tactus*, id est, fit ex quodam tactu &c. Quæ quidem locutiones & prædicationes dicuntur *causales*, quæ frequenter fiunt in Sacra Scriptura. Ita ergo Christus, omnes pœnalitates, quas pro nobis assumpsit, & pœnas, quas pro peccatis nostris pertulit, appellat *peccata*, in quantum fuerunt causatæ in eo ex peccatis nostris. Et sic famem, & sitim, & flagella, & crucem, & mortem suam, quam pro stultitia & peccato Adæ, & omnium nostrum substinuit, dicit *peccata sua* nomine causæ. Ita etiam per oppositum *causa* nominatur nomine *effectus* in Scriptura. Et sic Paulus *concupiscentiam* appellat *peccatum*, *ad Rom.* 7. cùm dicit : *Non operor ego, sed quod habitat in me peccatum* : eò quòd illa concupiscentia, & G H

Nota.

Not. Quomodo sæpe causa appellatur nomine effectus ut concupiscentia peccatum.

lex

lex membrorum efficit peccatum per conſenſum: quia ipſa non eſt peccatum formaliter, ſed efficienter, in quantum efficit peccatum in anima, ut ait *Beatus Jacobus, cap.*1. quòd *unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: concupiſcentia autem cum conceperit, parit peccatum; peccatum autem cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Et ſic peccatum etiam dicitur *mors*, in quantum efficit mortem. Ita etiam Sacra Scriptura per eamdem rationem & modum, non ſolùm pœnalitates & pœnas Chriſti appellat *peccata;* ſed etiam ipſum Chriſtum dicit *factum peccatum*, 2. *ad Cor.*5. Unde ait Apoſtolus, quòd Deus Pater *eum*, ſcilicet, Chriſtum, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

Bona inductio.

Ad cujus intellectum eſt advertendum, quòd quando ſuſpenditur latro, aut punitur aliquis reus, non intendit lex naturam hominis delere, ſed furtum, aut quodlibet crimen in eo: & ideo furtum, aut crimen eſt illud quod ſuſpenditur in illo: & ſic illa punitio & ſuſpenſio dicitur *peccatum*, in quantum eſt effectus peccati, & criminis commiſſi. Cùm ergo Chriſtus fuit crucifixus & punitus pro peccatis noſtris, ſcelera, & peccata noſtra fuerunt in illo crucifixa, & punita, ſicut ait Apoſtolus, *ad Rom.*6. quòd *in Chriſto vetus homo crucifixus eſt: & omnes fuimus crucifixi, & conſepulti in eo.* Et *ad Coloſenſ.* 2. dicit, quòd *Chirographum quod contra nos erat, fuit affixum cruci cum eo.* Item, *Iſai.*53. dicitur, quòd *Deus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum: & languores noſtros ipſe tulit &c.* Quaſi dicat, quòd in eo crucifixit iniquitates & peccata, & per conſequens illa crucifixio effectivè poteſt dici *peccatum noſtrum*, id eſt, ſacrificium pro peccato noſtro; & hoc per figuram quæ dicitur *Metonymia.* Ita ergo eſt intelligendum, quando *Apoſtolus* dicit, quòd Pater *fecit Chriſtum Filium ſuum peccatum*, id eſt, crucifixum, & punitum, & paſſum pro peccato, in quantum in eo crucifixit, & punivit peccatum noſtrum. Item, *fecit ipſum peccatum*, id eſt, mortalem & paſſibilem pro peccato, in quantum mors, & paſſio, & pœna ejus fuit effectus noſtri peccati. Item, Deus Pater *fecit Chriſtum pro nobis peccatum*, id eſt, ſacrificium pro noſtro peccato, in quantum fuit factus ſacrificium & oblatio pro noſtro peccato, ſicut dictum eſt *Pſal.*39. Et ſic etiam dicitur *Oſeæ* 4. quòd *Sacerdotes comedebant peccata populi*, id eſt, ſacrificia, & oblationes, quæ fiebant pro peccatis populi. Et ſic Chriſtus in hoc loco & Pſalmo *peccata noſtra* dicit *ſua*, non quoad culpam, ſed quoad pœnam: in quantum ſua mors & paſſio fuit effectus cauſatus ex peccatis noſtris in ipſo.

Nota.

Pater fecit Filium ſuum peccatum.

Et ideo ait: O Pater, *tu ſcis inſipientiam meam*, id eſt, pœnam quam patior propter inſipientiam ipſorum primorum parentum. Et *peccata mea*, id eſt, pœnalitates quas aſſumpſi, & pœnæ quas patior, *à te non ſunt abſconditæ*: quia non patior pro me, ſed pro peccatis filiorum Adam, qui *rapuit* fructum prohibitum. Et ideo *quod non rapui* in Adam, *tunc exolvebam* in cruce: quia obtuli me in ſacrificium pro peccato ipſius Adam, & omnium filiorum ſuorum.

8. *Non erubeſcant in me qui expectant te Domine, Domine virtutum.*

De Conſ. d. 4. *Omnes; & c. Quæris à me. Et* 28. *q.*1. *c. Ubi & ad Ro.* 10.

9. *Non confundantur ſuper me, qui quærunt te, Deus Iſrael.*

IN hac ſecunda parte petit Chriſtus fructum ſuæ paſſionis, ſcilicet, per ſuam paſſionem membra ſua liberari. Nam ſicut per ſuam reſurrectionem nos glorificavit, ita per paſſionem nos à morte perpetua & captivitate liberavit. Ideo priùs petit captivos redimi per paſſionem, dicens: O Pater *Deus Iſrael*, poſtquam tu ſcis, & *à te non eſt abſconditum*, quòd ego patior pro *inſipientia* & *delictis* membrorum meorum: ergo fac, ut illi ſancti Patres, *qui expectant* in Limbo, *non erubeſcant*, nec fruſtrentur deſiderio ſuo: ſed da mihi facultatem, ut inde poſſim eos liberare, quia per magna tempora expectaverunt Meſſiam in Lege promiſſum, & meam mortem & paſſionem, per quam expectant liberari. Item, fac etiam, ut Prophetæ *non erubeſcant*, nec mendaces inveniantur: qui per meam paſſionem genus humanum redimi prædixerunt: Ergo imple quod per eos promiſiſti, aliter *erubeſcent* & *confundentur.* Item, omnes vivi *qui quærunt te*, & deſiderant pervenire ad te per me, & volunt ſalvos fieri, *non confundantur in me.* Nam ego promiſi omnibus credentibus vitam æternam, & per meam paſſionem liberari: ergo fac ut mea paſſio ſit eis fructuoſa, *ne confundantur*, aut decipiantur & defraudentur in fide ſua, poſtquam ego feci debitum meum, & fui tibi obediens uſque ad mortem crucis, & implevi omnia dicta Prophetarum. Ergo juſtè debeo prædam recuperare, poſtquam in me eos juſtificavi, & pro eis ſolvi, & punitio in me facta eſt. Et hoc probo:

*** *** ***

10. *Quo-*

De Conse. d. 2. cap. Iteratur.

10. *Quoniam propter te sustinui opprobrium : operuit confusio faciem meam.* A

PROpter *te*, id est, ut tibi satisfacerem pro eis, & ut tibi obedirem, & nomen tuum & veritatem defenderem, *sustinui opprobrium.* Nam Judæi vocabant me voracem & dœmoniacnm, & samaritanum. Ideo *confusio operuit faciem meam*, cùm ministri *Pilati* velarunt faciem meam, & cædentes caput meum, dicebant: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? &c.*

11. q. 3. Abiit.

11. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* B

Joan. c. 2. Ro. 15. a.

12. *Quoniam zelus domus tuæ comedit me : & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

EXtraneus *factus* & reputatus *sum* fratribus meis Judæis de Tribu Juda: *& peregrinus filiis* Synagogæ *matris meæ*, scilicet, Sacerdotibus, & Scribis, & Pharisæis: quia non tanquam Messiam me receperunt, sed tanquam *peregrinum*, & *extraneum*, & malefactorem flagellaverunt & crucifixerunt. Et hoc fecerunt : *Quoniam zelus domus tuæ comedit me.* C Nam quia ejeceram ementes & vendentes de Templo, zelans honorem domus Dei: & quia prædicabam contra eorum avaritiam, ideo *opprobria* Judæorum *exprobrantium* & blasphemantium *tibi*, *ciderunt super me.* Nam quia eos reprehendebam de opprobrio Dei & blasphemia : ideo eorum ira *cecidit*, & redundavit *super me :* & sic opprobria tibi facta resilierunt super me quoad pœnam: quia hæc fuit causa quare occiderunt me.

Nota.

Alio modo potest exponi quoad æstimationem injuriæ; ut sit sensus: Quare sum factus odiosus & *extraneus* Judæis? Respondet: *Quoniam zelus domus tuæ comedit me*, & penetravit me : & exponit quo- D modo : quia *opprobria* Judæorum *exprobrantium tibi*, *ciderunt* & resilierunt etiam *super me* : quia irreverenter tractabant & prophanabant Templum Dei. Hoc cecidit mihi in injuriam: quia injuriam factam Templo Dei, magis mihi ad injuriam reputavi : quia meas injurias, & opprobria mihi facta patienter tolerabam : sed opprobria facta Deo, quæ offendebant divinitatem, tolerare non volui. Quod patet, quia E ementes & vendentes de Templo ejeci: & indè moti sunt Judæi, & Scribæ, & Pharisæi contra me.

Ex quibus patet, quòd dupliciter opprobria facta Deo Patri, ceciderunt super Christum. Primò, in quantum ea noluit tacere, nec tolerare, sed magis quam propria reputare. Secundò, quia propter hoc ipsum occiderunt. Unde omnes Apostoli post receptionem Spiritus sancti per hunc versum cognoverunt totum hunc Psalmum esse factum litteraliter de Christo, ut patet *Joann.* 12.

De Conse. d. 5. cap. Non dico in glo.

13. *Et operui in jejunio animam meam : & factum est in opprobrium mihi.* F

NOta, quòd Passio Christi multipliciter, & pro multis peccatis nostris satisfecit. Ideo fuit necesse, ut multiplicem pœnitentiam in se contineret. Primò, asperitatem vitæ quoad jejunium, & carnis macerationem per cilicium. Secundò, labores itinerum. Tertiò, convitia, & opprobria in verbis. Quartò, irrisionem. Quintò, verbera. Sextò, vulnera. Septimò, mortem in Cruce. Ideo Christus postquam ostendit superiùs Patri, qualiter satisfecit pro nobis tolerando opprobria; nunc in his duobus versiculis ostendit, qualiter satisfecit, & passus est macerationem carnis per jejunium, & cilicium, dicens: *Et operui in jejunio animam*, & vitam *meam*: quia jejunavi quadraginta diebus, & G quadraginta noctibus, ut satisfacerem pro peccato gulæ ipsius Adam, & omnium aliorum: & tamen hoc *factum est in opprobrium mihi*, quoniam Judæi me voracem, & vini potatorem vocabant.

De Conse. dist. 5. Ne tales.

14. *Et posui vestimentum meum cilicium : & factum sum illis in parabolam.*

POsui *vestimentum meum cilicium* : quia indutus eram cilicio aspero, macerando carnem meam pro peccato carnis eorum: & tamen non fuit acceptum apud eos, immò *factus sum illis in parabolam*, & proverbium.

11.q.3.c. Quando.

15. *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta: & in me psallebant, qui bibebant vinum.*

A *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta.* Nam per aliqua tempora duravit, quòd gentes & vicini sedentes in portis suis, variè loquebantur de Passione mea. Nam quidam dicebant, quòd ex meis demeritis fueram flagellatus & crucifixus, vocando me seditiosum, & blasphemum, & violatorem Sabbati &c. *Et qui bibebant vinum* in tabernis *psallebant in me*, id est, cantilenas cantabant contra me. Hoc forsan dicit, quia illi ministri Pontificum, qui communiter erant & sunt histriones, & homines prophani, & discurrebant per tabernas, composuerunt aliquas cantilenas contra Christum, ut complacerent Scribis, & Pharisæis, & Pontificibus; & cantabant per tabernas & plateas, ut ostenderent populo, quòd benè meritò Christum crucifixerant. Immò surrexit proverbium vulgare inter eos: nam dicebat unus alteri: *Cave ne eveniat tibi sicut Jesu Nazareno, qui se Deum faciebat:* sed *Deus, nec ipse se potuit de cruce liberare*: & sic Christus agitabatur in opprobriis & parabolis per portas, & tabernas, & plateas. Et ideo ait: *Adversum me loquebantur &c.*

15.d.cap. Sancta.

16. *Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.*

HÆC est secunda pars principalis, in qua Christus petit liberari per Resurrectionem. Et duo facit: nam primò, petit liberari. Secundò, adducit rationes & persuasiones. Ibi: *Exaudi me Domine.*

Quantum ad primum est notandum, quòd tempus Passionis, & totum tempus gratiæ dicitur *tempus beneplaciti*, & acceptum Deo ad exaudiendum. Nam primò, Pater exaudivit Christum pro nobis propter merita Passionis. Secundò, ex consequenti exaudivit nos, *Isai.* 54. *Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tibi.* Item, 2. *ad Cor.*6. *Ecce nunc tempus acceptabile &c.* Dicit ergo Christus: *Ego verò*, ò *Domine* Pater, *ad te* dirigo, supple, *orationem meam* in hoc tempore Passionis & gratiæ; quia est tempus *beneplaciti* & acceptabile tibi, supple, & tempus salutis.

De Conse. d. 5. Non mediocriter.

E 17. *In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.*

QUASI dicat: quòd tempus Passionis & gratiæ dicitur *tempus misericordiæ* ex parte Patris, & *tempus veritatis salutis nostræ* ex parte Filii. Nam quæcumque Deus Pater misericors promisit ad salutem nostram, fuerunt impleta per Christum in Passione: quia tunc fuerunt verificata divina mysteria Patriarcharum, & dicta Prophetarum de salute, & de redemptione nostra.

42. disti. Quod dicit.

F 18. *Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab his qui oderunt me: & de profundis aquarum.*

QUONIAM superiùs conquestus est se *infixum in limo profundi* malitiæ Judæorum, & demersum in sepulchro & inferno per mortem: ideo petit liberari per Resurrectionem. Dicit ergo: O Pater, *eripe me de luto* potestatis Judæorum, & *de luto* inferni: *ut non infigar*, G id est, non diu permaneam in inferno, nec in sepulchro, sed tertia die resurgam: & *libera me ab his* Judæis, *qui oderunt me.* Nam postquam resurrexero immortalis, non ampliùs habebunt in me potestatem: immò erunt subjecti sub pedibus meis &c. Et *libera me* etiam *de profundis aquarum*, id est, quarumlibet persecutionum & periculorum, tàm inferni, quàm Judæorum, & Gentilium; & tàm in membris, quàm in capite.

De Pæ.d. 1.cap.Non luissent.

19. *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me* H *puteus os suum.*

NON *me demergat*, & totaliter extinguat *tempestas aquæ*, & furiæ Tyrannorum. Unde nota, quòd quosdam *demersit tempestas aquæ*: quia mortui sunt morte corporali; & quosdam absorbuit profundum inferni, scilicet, Purgatorium, & Limbus: sed inde sunt per Christum liberati: & super quosdam *puteus* inferni clausit & *ursit os suum*, quia nunquam inde exierunt, sicut *Judas*, & cæteri damnati: de omnibus ergo his petit Christus liberari. Unde dicit: *Non me demergat* to-

ta-

taliter *tempeſtas aquæ* in mortem, ſed in brevi reſurgam: *nec profundum* Purgatorii, aut inferni *abſorbeat me*: quia non deſcendo in infernum, ut ibi purger, & diu maneam; ſed ut & ipſum expoliem, & liberem captivitatem ſanctorum Patrum. A

Ex hoc patet, quòd Chriſtus non propriè fuit ſubmerſus, nec *abſorptus*, nec clauſus in inferno: quia tanquam judex, & triumphator, & liberator intravit: & ideo in brevi cum triumpho & præda exivit. Et ſic infernus non potuit ipſum *abſorbere*, nec claudere os ſuper eum: immò compulſus eſt infernus reddere prædam tyrannicè diu detentam.

Hoc idem poteſt moraliter intelligi. Nam *tempeſtas aquæ* tentationis primò demergit peccatorem per propoſitum, cum proponit peccare. Secundò, *abſorbet* ipſum in profundo, quando actualiter committit, & diu in peccato perdurat: ſed ſuper illum infernus claudit *os ſuum*, qui in peccato ſine pœnitentia moritur: & ſic Chriſtus ab omnibus his tribus gradibus peccati petit liberari in ſuis membris, quia ipſe in capite ſecundùm naturam fuit immunis. B

De Pœ. d. 1. Quia divinitatis natura

20. *Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundùm miſerationum tuarum reſpice in me.*

47. d. Sicut hi.

21. *Et ne avertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.* C

12. q. 2. Gloria.

22. *Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.*

23. q. 4. Duo.

23. *Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reverentiam meam.*

23. q. 3. Sex directorie.

24. *In conſpectu tuo ſunt omnes* D *qui tribulant me: improperium expectavit cor meum, & miſeriam.*

HIC adducit quatuor rationes perſuaſivas ad inclinandum Deum Patrem ad miſericordiam, ut liberet eum. Prima ratio ſumitur ex parte miſericordiæ Dei: ſecunda ex parte puritatis & innocentiæ Chriſti: tertia, quia non eſt alius qui poſſit eum liberare: quarta, propter ſufficientem ſatisfactionem factam. Dicit ergo primò: *Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua*, quæ neſcit deficere afflictis: *& reſpice in me ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum*: quia jam conſueviſti miſereri afflictis, ut patet per totum diſcurſum Sacræ Scripturæ. Item, moveat miſericordiam tuam puritas & innocentia mea, *& ne avertas faciem tuam à puero tuo* ſine peccato: & ideo *exaudi me velociter*, *quoniam tribulor* à Judæis: & *intende animæ*, & vitæ meæ, *& libera eam*, *propter inimicos meos*, id eſt, ab inimicis meis, *eripe me*: quia *tu ſcis improperium meum* mihi factum, *& confuſionem meam*, *& reverentiam*, id eſt, dignitatem & puritatem *meam*: & per conſequens, quia injuſtè paſſus ſum, & ſic me debes citiùs liberare. Littera *Hieronymi* habet, *ignorantiam meam*; quod idem eſt: & hoc tu non potes ignorare; quia *in conſpectu tuo* & cognitione *ſunt omnes qui tribulant me*, tàm manifeſtè, quàm occultè: & ſcis, qualiter *cor meum expectavit* & ſuſtinuit opprobrium *& miſeriam*: quia non ſolùm me afflixerunt in verbis, inferendo opprobria, ſed verberibus flagellando: ergo miſerere. E F

25. *Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inveni.* *Joan. 28. Matt. 26. Joan. 19. Mat. 27. Marc. 15. Lucæ 23.*

26. *Et dederunt in eſcam meam* G *fel: & in ſiti mea potaverunt me aceto.*

TERTIA ratio ſumitur: quia non habeo alium adjutorem, niſi te. Nam ego *ſuſtinui*, id eſt, expectavi aliquem, *qui ſimul contriſtaretur mecum*, & compateretur mihi, & condoleret meæ miſeriæ, *& non fuit* aliquis: & expectavi etiam, *qui me conſolaretur*, *ſed non inveni* aliquem conſolantem; ſed bene inveni affligentes. Nam dum petii potum in cruce ex nimia ſiti, tunc *dederunt mihi fel in eſcam meam*, id eſt, in cibum, *& potaverunt me aceto in ſiti mea*, ut patet *Matt.* 27. quia *acetum felle mixtum dederunt mihi bibere*. Et ſic patet, quòd ſufficienter ſatisfeci pro peccato primi parentis. Nam quia ille guſtavit dulcedinem cibi prohibiti in paradiſo ultra voluntatem Dei, propter quod totum genus humanum erat ad mortem condemnatum: ideo in ſatisfactionem illius furti & inobedientiæ ego ſponte guſtavi amaritudinem in cruce. Ex quibus patet, quòd ſufficienter eſt facta ſatisfactio pro peccato ipſius Adam. Nam H *Chriſtus ſatisfecit pro nobis.*

quia ille fuit rebellis & inobediens Deo & superbus, ego factus sum humilis & obediens Patri usque ad mortem. Et quia ille fuit blasphemus, ego jam sustinui opprobria: & quia ille voluit rapere divinitatem, ego jam fui spinis coronatus: & quia ille fuit latro, rapiendo fructum ex ligno, ego jam fui flagellatus, & reddidi fructum ex ligno crucis, cùm fui crucifixus: & sic *quod non rapui, tunc exsolvebam.* Et quia ille fuit homicida, quia se & totum genus humanum in mortem præcipitavit: ideo ego innocens volui pro toto genere humano mortem assumere, & satisfacere. Quasi dicat in tota ista prima & secunda partibus: libera me, postquam ego sufficienter satisfeci, & resuscita me.

1. q. 4. Homini. Et 23. q. 5. §. ult.

27. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.*

IN hac tertia parte Christus petit ultionem de crucifixoribus. Ad cujus intellectum est notandum, quòd sicut Judæi multipliciter afflixerunt Christum: ita multiplici pœna punivit eos: & sicut Judæi addiderunt Christo dolorem super dolorem, & *apposuerunt iniquitatem super iniquitatem* contra eum: ita Deus addidit Judæis pœnas super pœnas correspondentes peccatis & sceleribus eorum.

Judæorum punitio.

Nam primò, sicut Judæi rebellarunt contra Christum Regem & Messiam in Lege sibi promissum, quando dixerunt: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*: ita pariter Deus permisit ut milites *Romanorum*, qui erant cum præsidibus, qui fuerunt in *Hierusalem* per quadraginta annos post Passionem Christi, inferrent eis tot opprobria, & vituperia, & afflictiones: in tantùm quòd fuerunt compulsi rebellare contra Cæsarem & Romanos, quæ fuit causa destructionis eorum. Item secundò, sicut tempore Paschæ prendiderunt Christum: ita tempore Paschæ, quando de omnibus partibus erant in *Hierusalem* congregati, fuerunt obsessi per *Titum* & *Vespasianum*. Item tertiò, sicut in die Paschæ crucifixerunt Christum, & dederunt ei fel in escam, & acetum in potum: ita cum dolore & amaritudine obsessi comederunt Pascha in illa obsidione. Item quartò, sicut posuerunt velum Christo ante faciem, dicendo: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* ita fuerunt velati ignorantia & cœcitate mentis, ne intelligerent sacramenta & secreta Scripturarum. Item quintò, sicut imposuerunt crucem super humeros Christi, ut portaret eam usque ad *Calvariæ* locum: ita Deus posuit super eos jugum servitutis & captivitatis, ut ubique sint subjecti Dominis mundi. Item sextò, sicut ipsi effuderunt furorem sententiæ super Christum, dicentes: *Crucifige, crucifige*: ita Christus effudit super eos iram indignationis suæ in corpore & anima, inferendo eis multiplicem miseriam: quia quasi quolibet anno moventur populi contra eos, & expoliant & trucidant eos. Item septimò, sicut ejecerunt Christum extra Civitatem ad crucifigendum: ita fuerunt ejecti à sua Civitate & Regno, & dispersi per totum mundum, Civitate & Templo destructo. Item octavò, sicut voluerunt Christum delere de mundo, ipsum occidendo: ita fuerunt deleti de libro viventium & justorum, & scripti in libro mortis æternæ, manentes in sua obstinatione & damnatione. Item nonò, sicut *addiderunt dolorem super dolorem* Christo: ita Deus addidit afflictionem super afflictionem in illis quadraginta annis, & semper. Item, sicut imposuerunt iniquitatem super iniquitatem contra Christum; quia super opprobria & invidiam *addiderunt* falsos testes contra Christum: ita Deus apposuit eis iniquitatem super iniquitatem, permittendo ut super peccatum necis Christi adderent obstinationem, ut in corpore & anima jugiter puniantur. Et hoc est quod intendit dicere Christus per os David in hac tertia parte hujus Psalmi, petens ultionem de Judæis crucifixoribus suis & successoribus eorum.

Unde ait: O Pater, quia Judæi *dederunt mihi fel in escam meam, & in siti mea potaverunt me aceto* in cruce in die Paschæ: ergo fac, ut in ultionem tanti sceleris *fiat mensa eorum* & convivium Agni Paschalis *in laqueum & scandalum coram ipsis* in eodem die Paschæ. Hæc autem petitio fuit impleta: nam cum Judæi ex omnibus partibus mundi essent congregati in *Hierusalem* in die Paschæ, intraverunt copiæ Romanorum ex parte Orientali per *Jordanem*, & subitò obsederunt *Hierusalem*, ut dictum est *Psalmo præcedenti*: quæ quidem obsidio duravit usque ad mensem Augusti, ut inquit *Josephus*. Et sic sunt capti tanquam in laqueo & reti. Ex quo patet, quòd *mensa* Agni Paschalis fuit conversa eis *in laqueum & scandalum*, in retributionem, & ultionem mortis Christi, quem in die Paschæ crucifixerunt, & ei *fel in escam* præbuerunt, & ipsum *aceto potaverunt*.



Rom. 11. & 37. d. cap. Fi.

28. *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.* A

29. *Effunde ſuper eos iram: & furor iræ tuæ comprehendat eos.*

ITEM, quia in tali die velarunt faciem Chriſti, dicentes: *Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt iſte qui te percuſit? &c.* ideo *obſcurentur oculi* mentis *eorum*, *ne videant* ſacramenta Dei in Lege & Prophetis: ſed velum ignorantiæ & cœcitatis ſit ſuper oculos eorum, ne intelligant B veritatem Scripturarum: & ſic non ſolùm puniantur in corpore, ſed multò magis in mente. Item, ſicut impoſuerunt crucem ſuper me: ſic tu Pater *incurva* & ſubjice ſemper *dorſum eorum* jugo ſervitutis, non ſolùm ſpiritualis, ſed etiam temporalis: ut ubique ſint ſubjecti & captivi, diſperſi per omnes nationes.

Actuum 1. Et. 23. d. c. 1. In fine.

30. *Fiat habitatio eorum deſerta: & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.*

SICUT ejecerunt me extra civitatem ad C crucifigendum: ita *fiat habitatio eorum deſerta* & deſtructa, & ejiciantur de habitationibus ſuis, partim diſperſi & captivi per mundum: *& in tabernaculis ſuis* ipſius Hieruſalem *non ſit* aliquis eorum, qui ampliùs *inhabitet*: ſed ſint exules in æternum. Et hoc fiat juſto Dei judicio.

23. q. 4. Qui ſecundum.

31. *Quoniam quem tu percuſiſti perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

ME *quem tu percuſiſti*, & pro mundo percuti ex miſericordia permiſiſti, ipſi malâ & iniquâ voluntate & invidiâ & odio *perſecuti ſunt* uſque ad mor- D tem, ſuperaddendo mala malis: quia ſuper opprobria *addiderunt* falſa teſtimonia, & poſtea alapas, & poſtea flagella, & poſtea mortem: & ſic *addiderunt ſuper dolorem vulnerum meorum*: nam ſicut *addebant* mihi dolorem *ſuper dolorem* corporalem, & vulnus ſuper vulnus: ita addebant ſibi ipſis dolorem *ſuper dolorem* ſpiritualem, & vulnus ſuper vulnus peccati. Et ſic addiderunt peccata peccatis.

E 32. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum: & non intrent in juſtitiam tuam.* *23. q. 5. §. Ultion.*

OTu pater, *appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum*, non affective, ſed permiſsivè, id eſt, non des eis gratiam, ut cognoſcant peccatum ſuum: ſed maneant ſemper in eadem obſtinatione & cœcitate; & ſic *apponent* obſtinationem & cœcitatem ſupra primum peccatum, *ut numquam intrent in juſtitiam tuam*, id eſt, quòd numquam per miſericordiam juſtificentur, ſine qua pœnitentia peccator non poteſt juſtificari, nec in juſtitiam reduci. Et nota, quòd ſicut Judæi *addi-* F *derunt* dolorem corporalem ſupra dolorem ipſi Chriſto, & vulnus ſupra vulnus: ita pariter Chriſtus, non ſolùm addidit eis dolorem & vulnus ſpirituale peccati ſupra vulnus, & dolorem, & culpam: ſed etiàm addidit dolorem & pœnam corporalem ſupra pœnam. Nam ſupra obſidionem addidit famem & inediam, deinde deſtructionem civitatis & Templi, & trucidationem majoris partis, & captivitatem & diſperſionem aliorum. Item, ſicuti ipſi addiderunt peccatum, & iniquitatem contra Chriſtum quoad culpam: ita Chriſtus addidit eis & *appoſuit iniquitatem ſuper iniquitatem* quoad pœnam temporalem & æternam: nam duplici pœnâ puniuntur, G ſcilicet pœnâ ſervitutis & captivitatis temporalis, & pœnâ culpæ, & obſtinationis, & cœcitatis ſpiritualis. Et ideo dicit: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum*, id eſt, pœnam duplicem pro iniquitatibus eorum. Et ideo ſubdit: *Non intrent in juſtitiam tuam*, ſupple per pœnitentiam, ſed ſemper maneant obſtinati. Ideo ſubditur.

33. *Deleantur de libro viventium: & cum juſtis non ſcribantur.* *De Pœn. d. 4. c. In domo.*

AD cujus intellectum eſt notandum, quòd *liber vitæ* ſive *viventium* dupliciter ſumitur in Sacra Scriptura: nam H unus *liber* dicitur divinæ prædeſtinationis, ſecundùm æternum propoſitum; & tunc nihil aliud eſt niſi divina voluntas beneplaciti, quæ ab æterno propoſuit gratiam juſtis præparare, & eos elegit, & in ſuo libro aſcribendos & juſtificandos propoſuit: in quo *libro* ab æterno primo fuit ſcriptus *Chriſtus homo*, & *Virgo Maria*, & omnes *Apoſtoli* & *juſti*. Secundus liber dicitur *liber vitæ*, ſecundùm præſentem diſpoſitionem: & iſte eſt conſcientia cujuslibet juſti, diſpoſita per gratiam: & *Liber vite multiplex.*

iſte

iste *liber* non est in Deo nisi objectivè, in quantum Deus perspicit in anima justi similitudinem suæ bonitatis, per quam justus est Deo gratus & acceptus secundùm præsentem dispositionem. Et de isto *libro* multi noviter *delentur* per peccatum, & in eo noviter scribuntur per novam gratiam. A

Ita pariter est duplex *liber mortis*: unus dicitur secundùm æternum propositum, in quo Deus ab æterno novit reprobandos & obstinandos, & æternaliter puniendos: & alter dicitur *liber mortis*, secundùm præsentem dispositionem, in quo sunt scripti peccatores temporaliter, secundùm quod sunt extra gratiam in peccato. Et isti duo libri mortis nullo modo sunt in Deo nisi objectivè, secundùm quod in eis novit Deus culpam & deformitatem secundùm præsentem dispositionem. Differt ergo *liber vitæ*, secundùm B æternum propositum à libro vitæ secundùm præsentem dispositionem: nam ille est solùm in Deo: iste autem in conscientia hominis. Item, ab illo semel ab æterno scriptus nullus deletur: ab isto multi delentur per peccatum, sicut in eo multi noviter scribuntur per gratiam. Item, *liber vitæ* secundùm propositum æternum differt ab utroque libro mortis: nam ille liber est solùm in Deo, cùm sit divina voluntas, quæ est sola causa omnium prædestinatorum; sed *liber mortis*, tàm primus, quàm secundus, nullo modo est in Deo, nisi objectivè secundùm *præscientiam*, eò quòd Deus non est causa obstinationis, nec peccati alicujus, per quod scribitur in libro mortis & reprobationis. & ideo talis *liber mortis* nihil aliud est, C nisi conscientia hominis subjecta peccato à Deo deformi. Unde de his duobus libris, scilicet, mortis & vitæ dicitur *Apocalyps.* 20. quòd in die Judicii *mare & infernus dedit mortuos suos & aperti sunt libri ante Judicem: & apertus est alius liber, qui est vitæ: & judicati sunt mortui ex his quæ erant scripta in libris. Et qui non est scriptus in libro vitæ, missus est in stagnum ignis.* Ex supradictis patet, quod *liber vitæ* prædestinatorum est tantùm unus, in quo sunt scripti ab æterno soli electi & justi: eò quòd est ipsa æterna voluntas; sed alii *libri* tàm *mortis*, quàm *vitæ* secundùm præsentem dispositionem, sunt multi: quia unaquæquæ D conscientia & anima hominis est *liber* suorum operum, secundùm quæ opera salvantur, vel damnantur. De quo *libro* quis potest deleri per peccatum, aut in eo scribi per gratiam. Et de isto secundo *libro viventium* secundùm præsentem dispositionem petit Christus per Prophetam, quod *deleantur Judæi*, propter peccatum necis Christi, & quòd nunquam rescribantur in eo per pœnitentiam, sed semper maneant obstinati.

Liber prædestinatorum.

Sed est advertendum, quòd ista locutio licèt procedat per modum petitionis; E tamen non est locutio, nec petitio affectiva, sed prophetica, & prænuntiativa: quia Christus, sicut non venit damnare, sed vocare peccatores ad pœnitentiam: ita nunquam petit à Patre damnationem, sed salutem. Ideo in hac parte, quia ab æterno prævidit Judæos obstinatos in quantum Deus; ideò prædicit eorum futuram damnationem in corpore & anima. Quomodò autem peccatum Judæorum est gravissimum omnium peccatorum, & per omnia simile peccato diaboli, patebit *Psal.* 81. & *Psalm.* 108.

34. *Ego sum pauper & dolens salus tua Deus suscepit me.* 12. q. 2. c. Gloria Episc. F

IN hac quarta parte Christus agit gratias Patri suo de liberatione sua per resurrectionem, explicando fructum suæ Passionis. Dicit ergo: *Ego sum* & fui *pauper* in tota hac peregrinatione: quia in aliena casulâ & præsepio natus, & in alienis ædibus receptus, & hospitatus, & pastus, & in alieno sepulchro sepultus: & fui etiam *dolens*: quia multiplicibus doloribus & flagellis affectus. *Et* tamen *salus tua suscepit me* de sepulchro, me ad vitam gloriosam suscitando. Ideo agendo gratias pro tanto beneficio,

35. *Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude.* 92. d. c. 1. in Glor. G

FESTIVITATES annuales, & divina officia celebrando, & septies in die horas canonicas recitando. Deinde cùm subdit.

36. *Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem & ungulas.* De Consec. d. 2. c. Nihil.

H DICIT: Non solùm dicam tibi laudes *septies in die*, quod pertinet ad primam partem; sed etiam offeram tibi sacrificium per se sufficiens & acceptabile, scilicet sacramentum *Eucharistiæ*, in quo offertur Agnùs immaculatus; quod pertinet ad secundam partem *Latriæ*. Ideo ait: tunc *Placebit Deo super vitulum novellum*, id est, sacrificium *Eucharistiæ*, quod offeram in Lege gratiæ, *placebit Deo super vitulum novellum*, id est, multò magis placebit Deo sacrificium *Eucharistiæ*, quam *vitulus novellus*, *cornua* pro-

du-

ducens & ungulas, qui offerebatur in veteri Testamento. Nam ille tantum offerebatur in figura ; sed iste, qui est *mediator Dei & hominum*, offertur in re & veritate. Nam ille *vitulus* non continebat realiter Christum, sicut continet hoc sacrificium : ideo illud non justificabat, nec erat Deo per se acceptabile, sicut istud quod est de se justum & validum *de opere operato*. Et ideo hoc sacrificium est, in quo Pater sibi complacet, & recipit ipsum in pretium pro peccatis nostris &c.

Nota.

Iste versiculus potest etiam intelligi aliter intelligendo per *vitulum novellum*, ipsum Christum tunc in cruce, & quotidie in altari oblatum, ut sit sensus : *Et* tunc, tempore gratiæ, *placebit Deo*, id est, erit Deo placitum super Christum *vitulum novellum*, figuratum per *vitulum* antiquum veteris Legis. *Vitulum novellum*, dico, *cornua producentem & ungulas* : *cornua* dico, id est, victoriam, & dominium, & universalem potestatem habentem in cœlo & in terra, & in omnibus abyssis, ad salvandos & sublimandos fideles. *Et producentem ungulas*, ad aperiendum infernum, & confringendos vectes ferreos & portas æreas, & ducendos Sanctos Patres de Limbo, & ad carpendum & conterendum diabolum & membra ejus : & hæc cornua, & has ungulas produxit Christus in cruce, quibus aperuit infernum, & penetravit cœlum, & dejecit diabolum foras, & aperuit nobis scripturas.

37. *Videant pauperes & lætentur : quærite Deum, & vivet anima vestra.*

14. q. 1. c. Quia ex sola.

HIC Propheta exortatur populum fidelium & universalem Ecclesiam ad recipiendum Christum, & ut cum devotione recipiant supradictum sacrificium. Unde ait : *Videant pauperes* Christi imitatores, & mundi contemptores, Christum in suo adventu, & *videant* hoc sacrificium jugiter in Ecclesia celebrari, & *lætentur* se esse redemptos per Christum in ara crucis immolatum. Et conversus Propheta ad fideles Ecclesiæ, apostrophat dicens : O fideles, *quærite Deum* Christum in suo adventu in hoc sacrificio, *& vivet anima vestra* vitâ gratiæ, si devotè & spiritualiter sumpseritis ipsum : quia ipse dicit. *Jo. 6. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem : & qui manducat me, ipse vivet propter me : & qui manducat hunc panem, vivet in æternum : quia hic est panis, qui de cœlo descendit*, à Patriarchis & Prophetis diu desideratus. Et ratio est, quòd *lætentur* omnes *pauperes* & fideles in Christo.

38. *Quoniam exaudivit pauperes Dominus : & vinctos suos non despexit.*

1. q. 1. Sacerdos. 33. q. 4. Duo.

EXaudivit *pauperes*, Christum expectantes, *& non despexit vinctos suos* qui erant in Lymbo inferni detenti, quos Christus liberavit. Nam cum *cornibus* crucis diabolum vicit & dejecit, & cum *ungulis* suæ potentiæ infernum aperuit & confregit, & vinctos Patres inde eduxit. Ergo

39. *Laudent illum cœli & terra, mare, & omnia reptilia in eis.*

15. q. 1. c. Reverti-mini.

LAudent *illum cœli*, id est, Angeli, quia Christus eorum ruinam reparavit, & *laudet eum terra*, id est, homines redempti : & *laudet ipsum mare*, id est, omnes insulæ : & *omnia reptilia*, id est, omnes habitantes & gradientes in eis, scilicet, in mari & terra : quia generaliter omnes sunt redempti : quia usque ad omnes insulas maris pervenit Euangelica prædicatio.

Et sic omnes creaturæ intellectuales laudent Deum, & agant Christo gratias pro beneficio redemptionis, *Apoc. 5. Nam omnes Angeli stabant in circuitu Throni dicentes : dignus est Agnus, qui occisus est accipere gloriam & honorem &c. & Turba magna quam dinumerare nemo poterat, clamabant : Benedictio & claritas &c.* Deinde cùm dicit :

40. *Quoniam Deus salvam faciet Sion : & ædificabuntur civitates Juda.*

24. q. 1. Alienus & c. Quæ cumque.

DAT causam quare Christus est laudandus & adorandus, & dicit : Ideo *Laudent illum cœli & terra, quoniam ipse salvam faciet Sion*, id est, Ecclesiam toto orbe diffusam, in qua Deus speculatur & contemplatur : & per ipsum Christum *ædificabuntur civitates Juda*, id est, Ecclesiæ, quæ verè dicitur *Juda*, eò quòd sola ipsum Deum confitetur, ut frequenter dictum est.

* * * * * * * * * * * *

90. d. c. Legimus.

41. *Et inhabitabunt ibi: & hæreditate acquirent eam.* A

FIDELES Christum confitentes *habitabunt ibi* in hac *Judæa* & civitatibus ejus, & *hæreditate acquirent eam.* Nam Judæis secundùm carnem ejectis, soli Judæi secundùm spiritum & promissionem *habitant* in Ecclesia ista per gratiam, & *acquirent* supernam, in æternam hæreditatem. Et isti fuerunt Apostoli & Discipuli, qui christum confessi sunt, & ædificaverunt Ecclesiam sanguine suo, & miraculis, & doctrinis, & exemplis: & has *civitates* & Ecclesias reliquerunt nobis in hæreditatem. Et ideo sequitur:

B

24. q. 1. c. Quia ex & de Pœ. d. 6. §. 1.

42. *Et semen servorum ejus possidebit eam; & qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.*

SEMEN *servorum ejus*, id est, populus Christianis, qui est *semen* Apostolorum *servorum* Christi, *habitabunt in ea.* Nam populus christianus est *semen* Apostolorum, per Baptismum in Christo regeneratum, & omnes fideles *qui diligunt nomen Dei*, quod est *Jesus*, *habitabunt* in hac Ecclesia per gratiam, & in superna per gloriam.

Et nota, quòd ly *semen servorum ejus*, non solùm potest referri ad Apostolos, sed etiam ad Patriarchas, scilicet, *Abraham*, C *Isaac*, & *Jacob*, & *David.* Nam totus populus christianus est semen *Abrahæ* & *Israel* secundùm spiritum & promissionem, ut patet ad *Rom.* 9. & 11. ut supradictum est in *Prologo*, *tract.* 4. Nam sicut *Jacob* genuit duodecim Patriarchas, per quos carnaliter generavit & multiplicavit totum illum populum: ita Christus, qui est verus *Jacob*, regeneravit spiritualiter duodecim Apostolos, qui fuerunt duodecim Patriarchæ, per quos Christus regeneravit, & multiplicavit per Baptismum totum populum christianum. Et ideo populus Christianus dicitur *semen Abrahæ*, *Isaac*, & *Jacob* secundùm promissionem & spiritum, & dicitur *semen Apostolorum* per regenerationem Baptismalem: & ideo quandocumque D in Sacra Scriptura memorantur duodecim *Tribus Domini*, sive *Israel*, semper intelligitur populus Christianus, per illos duodecim Apostolos & spirituales Patriarchas regeneratus, & principiatus, & multiplicatus, ut dictum est *Psalmo præcedenti.* Et ideo isti duodecim Patriarchæ spirituales *judicabunt duodecim Tribus Israel* carnales in die Judicii, simul cum Christo assistentes, ut ait Salvator, *Matth.* 19. Ex supradictis patet, quòd David in hoc Psalmo magis videtur Euangelista, quam E Propheta: quia magis videtur historiam Passionis Christi contexere, quam prophetiam pronuntiare.

Ex toto isto Psalmo, possunt recolligi sexdecim conclusiones. *Prima conclusio*: quòd triplici persecutione Christus fuit afflictus in sua Passione, scilicet, Scribarum & Pharisæorum, & populi Gentilis, & Pilati. *Conclusio Psalmi.*

Secunda conclusio: quòd aquæ persecutionum Christi intrarunt usque ad separationem animæ à corpore.

Tertia conclusio: quòd Christus in sua Passione nullum habuit publicum adjutorem de suo populo.

Quarta conclusio: quòd Christus in sua Passione exolvit quod nunquam rapuit: quia F pro duobus furtis ipsius Adam persolvit pretium in cruce. Primò, quia Adam rapuit fructum prohibitum de ligno scientiæ boni & mali. Secundò, quia voluit rapere divinitatem.

Quinta conclusio: quòd quandoque in scriptura pœnalitates & pœnæ Christi appellantur peccata, non formaliter, sed causaliter per *Metonymiam*, in quantum fuerunt effectus nostrorum peccatorum. Vel dicuntur peccata, non quoad culpam, sed quoad pœnam, in quantum Christus passus est pro peccatis nostris.

Sexta conclusio: quòd Christus substinuit opprobrium & Passionem: Primò, ut obediret Patri. Secundò, ut nos à morte liberaret: & sic propter nos *factus est extraneus fratribus suis* Judæis.

G *Septima conclusio*: quòd Christus propter zelum domus Dei visus est extraneus & odiosus Scribis & Pharisæis.

Octava conclusio: quòd totum tempus ab adventu Christi usque ad judicium, *est tempus acceptabile, & dies salutis.*

Nona conclusio: quòd Christus sufficienter satisfecit Patri pro nobis, per jejunium, & labores, & mortem, & Passionem.

Decima conclusio: quòd sicut Judæi multipliciter afflixerunt Christum, ita multiplici pœnâ sunt puniti correspondente sceleribus eorum.

Undecima conclusio: quòd sicut Judæi *addiderunt* Christo *dolorem super dolorem*, & *vulnus supra vulnus*: ita eis H Deus addidit pœnam temporalem supra pœnam.

Duodecima conclusio: quòd sicut Judæi *apposuerunt* iniquitatem contra Christum quoad culpam: ita Christus *apposuit* eis iniquitatem obstinationis super iniquitatem peccati.

Tredecima conclusio: quòd sacrificium *Eucharistiæ*, in quo offertur Christus, est Deo magis placitum, quàm *vitulus novellus*, & quælibet sacrificia veteris Legis, & etiàm Deus Pater magis acceptat *vitulum*

no-

novellum novi Testamenti, qui est Christus in Altari, quàm *vitulum* antiquum, qui offerebatur in lege: eò quòd Christus *vitulus novellus* figurabatur per illum *vitulum* antiquum, qui in figura hujus offerebatur in lege. A

Quartadecima conclusio: quòd non erant Christum recepturi, nisi soli pauperes, id est, ista terrena contemnentes, qui est populus Christianus.

Quintadecima conclusio: quòd *Judæa* & *Sion* & *Hierusalem*, quam Messias erat salvaturus, & ædificaturus, est Ecclesia toto orbe diffusa, quæ Christum confitetur esse Deum, & contemplatur, & videt per Fidem.

Sextadecima conclusio: quòd *semen Christi* & Apostolorum *servorum ejus*, qui est populus Christianus in Christo per Baptismum regeneratus, erat possessurus istam *Judæam* & *Sion* toto orbe diffusam, & in ea debebat habitare, in hac per gratiam, & in futuro per gloriam. B

Psalmus LXIX.

7. q. 1. c. Cum ve-ro.

1. *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.*

Titulus: *Victori*, sive, *In finem, Psalmus David. Ad recordandum.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum dirigens nos in Christum & Ecclesiam, qui est finis Legis, sed additur, *Ad recordandum*, in quantum in eo recordantur, & memorantur afflictiones & passiones Christi & Ecclesiæ. Vel forsitan C quia iste Psalmus frequenter recitabatur in Templo, maximè propter primum versum, qui festinanter petit auxilium à Deo, quo continuè indigemus. Item, hoc etiam additum est, quia David prævidit in spiritu, quòd iste primus versus erat cantandus quotidie in Ecclesia in principio omnium Horarum. In quo Psalmo introducitur Christus, & etiam Ecclesia, petens festinanter liberari ab afflictionibus & persecutionibus. Unde tria facit: Nam primò, petit liberari. Secundò, petit punitionem persecutorum. Tertiò, præmium fidelium. Secunda ibi: *Confundantur*. Tertia ibi: *Exultent & lætentur*. Dicit ergo Christus: D *O Deus* Pater, *intende in adjutorium* & auxilium *meum*: &, ò *Domine festina* & accelera *ad adjuvandum me*, ut sit brevis mea resurrectio in tertia die.



2. *Confundantur, & revereantur, qui quærunt animam meam.* E 4. q. 1. c. Homini.

Nota, quòd totum residuum hujus Psalmi est *diapsalma*, pars ultima Psalmi 39. ubi sufficienter literaliter de Christo quoad humanitatem expositum est: ideo breviter est transeundum. Dicit enim Christus: O Pater, *festina ad adjuvandum* & resuscitandum me: ut *confundantur, & revereantur*, id est, verecundentur Judæi *qui quærunt mihi mala*: sive *qui quærunt animam meam* & vitam: quia per mortem putant, me numquam resurgere, sed totaliter extingui & deleri. Et sic videntes me resurgere & regnare,

3. *Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.* F Supr. 19. b.

Avertantur retrorsum, id est, cadant à dignitate & Sacerdotio, *& erubescant* dispersi per mundum & subjecti omnes prædicti Judæi, *qui* semper *mihi volunt* & desiderant *mala*, &

4. *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.* 23. q. 5. §. ult.

Id est; qui lætabantur in morte mea, & putabant se iram Dei evasisse, *erubescentes* de resurrectione & exaltatione mea, *avertantur* & cadant à dominio *statim*: & sint captivi & subjecti omnibus nationibus: maximè *erubescant* illi *qui dicebant*: G *Si Filius Dei &c.* Sed per oppositum

5. *Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te; & dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.* 11. q. 3. c. Senti. & c. Inter verb.

Fideles *qui quærunt te* per fidem, *exultent & lætentur*, hic per gratiam, & in futuro per gloriam: & *omnes qui diligunt salutare tuum*, id est, qui receperunt Messiam Jesum Filium tuum, gra- H tias agentes de beneficio redemptionis, *dicant semper*, *Magnificetur Dominus*, qui redemit nos. Et sic magnificabunt Deum in beneficiis suis in omnibus Horis de Officiis Canonicis nocturnis, pariterque diurnis. Et concludit finem cum principio Psalmi, cùm subdit.



22. q. 2. a. Gloria Episcopi.

6. *Ego vero egenus & pauper sum: Deus adjuva me.* A

7. *Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.*

PAuper *sum*, destitutus parentibus, & amicis, & bonis temporalibus: quia in alieno sepulchro sepultus sum: ideo *Deus adjuva me, & ne moreris*, nec tardes me resuscitare: *quia tu solus es adjutor & liberator meus.*

Est tamen advertendum, quòd totum hoc quod dicit Christus in hoc Psalmo in persona capitis in quantum homo, dicit etiam in persona totius Ecclesiæ: quicquid enim passus est primò in capite, postea passus B est in membris; & sicut ipse liberatus est per resurrectionem: ita Ecclesia surrexit à persecutione, & liberata est per conversionem Constantini, ut sæpius dictum est: ideo totus iste Psalmus potest exponi de tota Ecclesia.

Psalmus LXX.

Supr. 30. 11. q. 3. c. ad Mensam.

1. *In te Domine speravi non confundar in æternum: in justitia tua libera me, & eripe me.*

Iste Psalmus apud Hebræos est omnino sine Titulo: ideo dicunt quidam eorum, quòd iste Psalmus, est idem cum præcedenti. Sed oppositum tenet annotatio C Psalmi secundùm eos antiqua, in qua Psalmus præcedens annotatur 69. & iste annotatur 70. Sed quia in quibusdam Bibliis Latinis reperitur iste Psalmus *pro filiis Jonadab*: ideo creditur hoc esse additum ab aliquo Expositore: eò quòd iste Psalmus loquitur de peregrinatione Ecclesiæ ab *Adam* usque ad *Antichristum*, quæ figurabatur per *filios Jonadab*, qui semper peregrinabantur, ut patet.

Ecclesiæ discursus ab Adam &c.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd totus discursus Ecclesiæ ab Adam usque ad *Antichristum* consideratur, & mensuratur per septem ætates, quarum tres discurrerunt ab *Adam* usque ad *Christum*: & exinde quatuor usque ad finem mundi. D Nam *Adam mysticus* peregrinatus est à suo lapsu & exilio sub servitute peccati, & jugo Legis per totam infantiam, & pueritiam, & adolescentiam usque ad Christum, in quo fuit salvatus & redemptus à servitute peccati, & absolutus à jugo Legis. Sed post Ascensionem Christi in sua juventute, postquam à Christo fuit redemptus & regeneratus, confestim incidit in persecutionem Tyrannorum, & Paganorum, de qua E fuit liberatus per conversionem magni *Constantini*: sed ilico in sua virilitate incidit in persecutionem Hæreticorum, maximè *Arianorum*, de qua fuit liberatus per *Augustinum*, & cæteros Doctores usque ad tempora *Justiniani*: sed in senectute incidit in persecutionem *Mahometi*, in qua modò est, de qua expectat liberari; sed in senio cum tremore expectat persecutionem *Antichristi*, de qua sperat liberari per Christum.

Omnia ergo ista considerans & prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum in persona Ecclesiæ: in quo quinque facit. Nam primò, cum firma spe petit liberari, & salvari, & redimi per Christum de servitute & captivitate peccati in suo primo adventu. Secundò, petit liberari in sua juventute de persecutione Paganorum, F & in sua virilitate de persecutione Hæreticorum. Tertiò, petit liberari in sua senectute de persecutione *Saracenorum* & omnium *Mahometanorum*. Quartò, petit liberari in senio de persecutione *Antichristi*. Quintò, promittit agere gratias in finem. Secunda ibi: *Deus eripe me de manu peccatoris*: Tertia ibi: *Ne projicias me in tempore senectutis*: Quarta ibi: *Quoniam non cognovi litteraturam*: sive ibi: *& usque in senectam & senium*: Quinta ibi: *Deus quis similis tibi?*

Divisio Psalmi.

Quantum ad primum est advertendum, quòd sicut *Fides* est quædam virtus Theologica, & habitus infusus elevans intellectum ad firmiter credendum articulis revelatis; & *Charitas* est alia virtus Theologica & habitus infusus, elevans & roborans G voluntatem ad amandum Deum creditum, propter se, & proximum propter Deum: ita pariter *Spes* est quædam virtus Theologica, & habitus infusus elevans voluntatem ad firmiter sperandum bona spiritualia futura, credita, & amata, & promissa, ad contemnendum omnia terrena. Ex quo patet, quòd *Spes* præsupponit *Fidem*, & *Charitatem*, & promissionem in hac vita: quia non speramus nisi bona spiritualia credita, & amata, & in futurum promissa, propter quæ contemnimus omnia bona terrena, & patimur, & aggredimur mala terribilia, putà, omnem persecutionem, & mortem in virtute hujus *Spei*, & pacienter omnia toleramus.

Not. *quid sit Fides, Charitas, & Spes.*

H Sed quia quando *Adam* fuit expulsus à terrestri paradiso in hanc peregrinationem, fuit ipsi promissus Christus ex sua progenie, qui debebat ipsum redimere, & salvare, & liberare à servitute peccati, & sanare, & sublevare ab omni miseria: quæ quidem promissio fuit confirmata in *Abraham*, & *Isaac*, & *Jacob*, & *Moyse*, & specialiter facta ipsi David: ideo cum spe in persona totius *corpus mystici* in prima parte hujus Psalmi petit Christum, ut veniat in carne ad salvandum & redimendum, & li-

liberandum ipſum à ſervitute peccati, & à jugo legis, & ab omni miſeria, ſicut omnibus Patriarchis & Prophetis fuit promiſſus. Et ideo dicit: O *Domine* Jeſu Chriſte, *in te ſperavi*, poſtquam mihi fuiſti promiſſus: ideo fac ut *non confundar in æternum*, & ne ſim fruſtratus in mea ſpe, & in tuis promiſsis: ideo veni in carne, & *libera me* ab omni miſeria, & *eripe me* de hac captivitate & ſervitute peccati, in quam incidi per inobedientiam, & eſum cibi prohibiti. A

2. *Inclina ad me aurem tuam, & ſalva me.*

44. dist. cap. Sicut hi.

INclina *aurem tuam* orationibus & precibus meis, & *ſalva me* ab omni peccato perſonaliter commiſſo. Et etiam *inclina aurem*, id eſt, humanitatem & carnem tuam, & *ſalva me*, tolerando mortem & paſsionem in ipſa tua humanitate & carne: quæ quidem humanitas tua aſſumpta, dicitur *auris tua*, cum qua, ſive per quam nos audiſti: & dicitur *oculus tuus*, cum quo, & per quem nos vidiſti: & *lingua tua*, per quam nobis es familiariter locutus. Et dicitur *inſtrumentum*, per quod nos ſalvaſti & redemiſti, mortem patiendo. B

3. *Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum: ut ſalvum me facias.*

11. q. 3. c. ad Mensam.

VEni ergo Chriſte in carne, & *eſto mihi*, non ſolùm *in Deum* redemptorem, ſed *in Deum protectorem*, *ut ſalvum me facias*: quia non ſufficit, quòd ſis homo ad patiendum, ſed quòd etiam ſis Deus ad ſalvandum: quia ſoli Deo competit ſalvare, & ſalutem & vitam æternam ſine defectu conferre, ut dictum eſt *Pſalmo* 8. Ergo oportet quod ſis Deus, ut in divinitate ſit poteſtas & authoritas ſalvandi, & remittendi peccata: & quod ſis homo, ut in humanitate ſit habilitas patiendi, & pretium & meritum redimendi ratione unionis. Et ſic cum tali perſonali unione eris Salvator & Redemptor. Et ideo diceris *Jeſus Chriſtus*, Deus & homo Salvator. Veni ergo Chriſte in carne, & libera me de ſervitute peccati, & jugo legis per mortem & paſsionem: & poſtea *eſto mihi in Deum protectorem*, & *in locum*, & caſtrum, & oppidum bene *munitum* vallo articulorum fidei, & muratum muro ſpei, & charitatis, & obſervantia præceptorum, & opulentum gratiâ, & copiâ Eccleſiaſticorum Sacramentorum, *ut* ſic in iſto oppido bene munito *ſalvum me facias* ab omnibus inimicis infeſtantibus. C D

4. *Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.*

24. q. 1. cap. Quæ dignior.

NAM tu es illa petra firma, ſupra quam fundata eſt tota Eccleſia, quam vallaſti vallo articulorum, & muraſti muro præceptorum, & repleſti copiâ Sacramentorum: & ideo *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, *Matth.* 16. nec flumina tentationum, nec venti perſecutionum poterunt ipſam diruere: *Fundata enim erit ſupra petram*, *Matth.* 7. Et ſic erit *in domum refugii*, & *in locum munitum* omnibus fidelibus habitantibus in ea: tùm ratione fundamenti; quia flumina tentationum & hæreſum non poterunt ipſam evellere, nec eradicare: tùm ratione immutationis; quia nulli venti perſecutionum poterunt ipſam expugnare. Deinde cùm dicit: E F

5. *Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui:*

24. dist. c. Quod dicit.

PEtit liberari à perſecutione Paganorum & Hæreticorum. Ad cujus intellectum eſt notandum: quòd Eccleſia Chriſti in ſua juventute, primò, fuit ilico afflicta poſt Aſcenſionem, à Judæis ſcientibus legem. Secundò, fuit infeſtata à Paganis Gentilibus neſcientibus legem. Tertiò, in ſua virilitate fuit vexata ab hæreticis ſcientibus utrumque Teſtamentum. Et ideo iſte *homo myſticus* ab his tribus perſecutoribus petit liberari in hac ſecunda parte: unde per *agentem contra legem* intelligit populum Judaicum, legem veterem ſcientem: per *peccatorem* intelligit populum Gentilem: & per *iniquum* intelligit cœtum & conventiculum Hæreticorum. Dicit ergo: O Chriſte *Deus eripe me de manu* & poteſtate *peccatoris*, populi Gentilis, & Tyrannorum. Et *eripe me* etiam de manu populi Judæorum *agentis* ſcienter & manifeſtè *contra Legem* Dei; & ſic peccat ex malitia: & *eripe me* etiam de manu cetûs *iniqui* Hæreticorum, qui ex iniquitate & perfidia perſequuntur Catholicos contra omnem charitatem: ſicut fuerunt *Ariani*, quorum perſecutio ſuperavit omnes perſecutiones Tyranorum, ut ait *Ruffinus* & *Caſiodorus*. Dicit ergo Eccleſia: O Chriſte, *eripe me de* his tribus perſecutoribus. G H

24.q.1.c. Paratus.

6. *Quoniam tu es patientia mea Domine : Domine spes mea à juventute mea.*

A

PAtientia *mea*, id est, exemplum patientiæ : quoniam tu prædicando, & pro nobis innocens patiendo, dedisti nobis exemplum patientiæ : & tu es *spes mea à juventute mea* : quia Ecclesia incœpit à Christo, & ab eo didicit exemplum patientiæ in adversis, & cepit spem ex Christi resurrectione : quia sicut resurrexit, ita speramus resurgere. Ideo sub tali spe Martyres sponte tolerabant mortem & persecutiones. Et ideo subdit:

21.q.1.c. Ad mensam.

7. *In te confirmamus sum ex utero : de ventre matris meæ tu es protector meus.*

B

NOTA, quòd triplex est *uterus* Ecclesiæ. Primus dicitur *latus Christi*, unde orta est Ecclesia, & virtus Sacramentorum. Secundus dicitur *flumen Spiritus sancti*, unde fluxerunt dona gratiarum in die Pentecostes, ubi fuerunt Apostoli, & tota Ecclesia armata & confirmata, & unde habuit originem in scientia. Tertius *uterus* est fons sacri Baptismatis, unde particulariter regeneramur : sed tàm Baptismus, quàm missio Spiritus sancti, procedit à Christo. Et sic *primus uterus* est Christus: primo à suo ore exivit fons Euangelicæ sapientiæ, quæ postea per dona Spiritus sancti fuit Apostolis & toti Ecclesiæ suggesta & distributa, & à suo latere exivit sanguis & aqua, unde habuit virtutem Baptismus, & omnia sacramenta. Et ideo dicit iste *homo mysticus* : O Christe sponse, *tu es patientia & spes mea* : quia *in te confirmatus sum* ; primò *ex utero* tui lateris, à quo *exivit sanguis & aqua*. Secundò *ex utero* Spiritus sancti, quem misisti in Apostolos, & totam Ecclesiam ad suggerendam Sacram Scripturam. Tertiò, *tu es protector meus de ventre* Ecclesiæ *matris meæ*, ex qua in Baptismo fui regeneratus : nam ibi recepi particulariter fidem, spem, charitatem, & gratiam : postea particulariter fui in Ecclesia ab ipso confirmatus, ubi recepi septem dona Spiritus sancti ad debellandum inimicum : & sic ex Baptismo & Confirmatione *tu es protector meus* : quia ibi dedisti ista arma ad protegendum me, & inde provenit mihi salus & protectio.

C

D

* *
*

Triplex uterus Ecclesiæ.

De Consec. d. 2. Accesserunt in glo.

8. *In te cantatio mea semper : tamquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.*

E

O Domine, licet ego *sim factus prodigium multis*, quia per fidem quam in utero matris Ecclesiæ recepi, confiteor te meum sponsum, & caput, & dominum ; & quia veneror & adoro Crucem, in qua passus es : ideo Judæi & Pagani scandalizantur, & reputant me quoddam *prodigium* monstruosum & fatuum, irridentes me, quia adoro hominem crucifixum, & dejectum. Sed ista Crux, quæ est scandalum Judæis, & *prodigium* Gentilibus, est mihi ad gloriam & salutem : & F ideo *in te* Christe *est semper cantatio mea* in hymnis & canticis : quia de tua Incarnatione, & Morte, & Passione, & Resurrectione, & Cruce celebrabo festivitates, & cantabo hymnos. Et etiam inter tormenta est *in te cantatio* & confessio *mea* fidei : quia *tu* eris semper *adjutor fortis* in omnibus tribulationibus. Ergo

15.q.1.c. Revertimini.

9. *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam ; tota die magnitudinem tuam.*

IMmò ex tua gratia *replebitur os meum laude*, *ut tota die* usque ad judicium *cantem* in Ecclesia & prædicem in publico G *gloriam tuam*, quam accepisti in tua resurrectione : *& magnitudinem* & universalem potestatem, quam accepisti in tua ascensione. Et etiam cantabo & prædicabo *gloriam* tuæ deitatis, *& magnitudinem* tuorum miraculorum, & tuæ potestatis, quæ in Euangelio memorantur.

24.q.1.c. Quæ dignior.

10. *Ne projicias me in tempore senectutis : cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

QUIA superiùs Ecclesia fuit *liberata* à juventute *de manu peccatoris*, *& contra Legem agentis & iniqui*, scilicet, de persecutione Judæorum & Tyrannorum per *Constantinum* : de persecutione Hæreticorum iniquorum per *Justinianum* & *Belisarium*, qui totaliter delevit *Uvandalos Arianos* in *Africa* : hìc petit liberari de persecutione *Saracenorum*, quæ incœpit in senectute Ecclesiæ, scilicet, tempore *Heraclii*.

H

Unde est advertendum : quòd sicut in senibus incipit deficere calor naturalis, & abundat frigiditas, & debilitantur membra,

bra, & ſic omnia quæ comedunt, convertuntur in malos & indigeſtos humores, quos per os, & nares, & oculos emittunt ſenes; & ſic ſpernuntur, & vilipenduntur, & habentur in faſtidio: ita pariter dicit Chriſtus erit in noviſſimis diebus, & circa tempora *Antichriſti:* quòd erunt *homines amantes ſeipſos*, & *frigeſcet omnis charitas*, & *abundabit iniquitas*: unde ſequenter rapinæ, & adulteria, & odia, & bella, & jurgia, & ſimonia, & ſuperbia, & vanitas, & profanatio in Eccleſia, & novæ ſectæ propter ambitionem, & dedignationes & invidias; & propter peccata Chriſtianorum & diviſiones prævalebunt Infideles, & conculcabunt Eccleſiam.

Nota de antiquitate mundi.

Hoc autem incœpitâ principio ſenectutis Eccleſiæ tempore *Heraclii.* Nam tunc ſurrexit Pſeudo-propheta *Mahometus* in *Arabia*, cujus ſecta occupavit totam *Syriam* & *Meſopotamiam* & *Africam* & *Ægyptum*, ut dicetur *Pſalmo* 73. cujus ſectæ adhæſerunt *Turci*, anno Domini 1040. qui occupaverunt totam *Perſiam* & *Mediam*, & omnes *Armenias*, & totam *Aſiam Minorem*, quæ modò dicitur *Anatolia*: & noſtris temporibus occuparunt totam *Græciam* & *Meſiam*, & ritui Mahometico ſubjecerunt, poſtea anno Domini 1222. ſurrexerunt *Tartari* idololatræ à partibus Aquilonaribus ultra montem *Imanum*, & conſtituerunt ſibi *Giſcham* in Regem, & expulſo *Joanne Presbytero*, omnes tres *Indias* obtinuerunt: qui quidem *Giſcha* miſit duos filios cum infinita multitudine Tartarorum, quorum unus occupavit totam *Syriam* citra *Imanum* uſque ad *Meotidam paludem*, & fines *Rutenorum Ungariæ*. Et alter occupavit totam *Aſiam*, & *Parthiam*, & *Mediam*, & *Perſiam*: qui omnes vivunt ſub maledictâ ſectâ Mahometicâ. De quorum origine, tàm *Saracenorum*, quàm *Turcorum*, quàm *Tartarorum* dicetur inferius *Pſalmo* 82.

Mahometus.

Ex quibus patet, quòd *Saraceni*, qui hodie poſſident totum reſiduum mundi cum *Tartaris* idololatris & cæteris *Mahometanis*, non obtinuerunt in viribus ſuis; ſed ex defectu fidei & charitatis Chriſtianorum, propter diviſiones, & diſcordias, & ſectas eorum. Nam *Jacobitæ*, & *Neſtoritæ* maluerunt eſſe ſub *Saracenis*, quàm ſub Imperatore, & Pontifice Romano; & ipſimet ſponte ſe Infidelibus ſubjecerunt, & contra Catholicos eos vocaverunt in auxilium: & ſic vivunt hodie ſub ditione eorum.

Ab Heraclio uſque modo ſeneſcit Eccleſia.

Ex quibus patet: quòd ab *Heraclio* Imperatore uſque ad tempora noſtra, incœpit Eccleſia ſeneſcere, & in ea virtus continuè perſeveravit deficere, & fides, & charitas decreſcere, & minui, & refrigeſcere. Sicut autem fides & charitas decrevit, ita decrevit & perſeveravit minui imperium & dominium, uſquequò tota Eccleſia pro majori parte fuit ſub Infidelibus conculcata: quia non remanet niſi iſta parva particula in hoc angulo mundi: in qua etiam ſunt continuæ diſcordiæ, & bella, & ſeditiones, ut patet.

Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, dicit in perſona Eccleſiæ: O Chriſte, qui *ex utero* lateris tui, & *ex utero* baptiſmali regeneraſti me ab infantia, & me liberaſti in juventute mea de rabie Judæorum & Tyrannorum: rogo, *ne projicias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus*, ſcilicet, cum frigeſcet omnis charitas, & abundabit iniquitas. Nam ſicut humor radicalis cum naturali calore, eſt illa virtus, quæ conſervat vitam in corpore, & auget corpus: ita fides formata charitate conſervavit, & augmentavit Eccleſiam, ſcilicet, fides Apoſtolorum, & Martyrum, & Doctorum, & cæterorum fidelium, & conſervavit eam in eſſe: ſed cùm incœpit deficere virtus fidei, tunc incœpit deficere & ſeneſcere Eccleſia. Dicit ergo: *Ne projicias me* totaliter, nec ſubjicias ſub jugo Infidelium & Saracenorum *in tempore* meæ *ſenectutis*, *dum defecerit virtus* & fortitudo & charitas *mea*, id eſt, inter meos filios Chriſtianos: *& ne derelinquas me*, id eſt, ne ſubtrahas totaliter auxilium tuum & gratiam à me, ut poſſim tolerare & repellere impetum inimicorum & infidelium, ne totaliter deleatur Eccleſia.

11. *Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum,*

Joan. 11. Matth. 22. Matth. 21.

12. *Dicentes: Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum: quia non eſt qui eripiat.*

INimici *mei* Saraceni & Infideles, videntes victoriam quam quotidie habent contra me, putant quòd totaliter me dereliquiſti. Et ſic putant, quòd ſecta eorum eſt melior & verior, quàm fides mea. Et ideo *dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant*: id eſt, inſidiantes, qui obſervabant perdere animam & vitam meam, *fecerunt conſilium in unum*, & congregati ſunt contra me, *dicentes: Deus* jam *dereliquit* iſtum populum Chriſtianum: ideo *perſequimini eum*, poſtquam Deus reprobavit, *& comprehendite*, & ſubjicite *eum: quia non eſt qui*

qui eripiat eum de manu nostra. Sed licèt Saraceni & Infideles temere dicant:

A

[11. q. 1. *Ad mensam.*

13. *Deus ne elongeris à me : Deus meus in auxilium meum respice.*

[23. q. 5. § *ultimo.*

14. *Confundantur , & deficiant detrahentes animæ meæ : operiantur confusione , & pudore qui quærunt mala mihi.*

TU *Deus* & sponse Christe , rogo , *ne elongeris à me* , nec subtrahas gratiam : sed *respice* & intende *in auxilium meum* : immò *confundantur* Saraceni & B Infideles *detrahentes* & exprobrantes *animæ* & vitæ *meæ* ; & frustrati desiderio suo , & intentione , *operiantur confusione* sua *& pudore qui quærunt* animam meam, & totam Ecclesiam penitus delere : nec quod desiderant impleatur.

[15. q. 1. *Revertimini.*

15. *Ego autem semper sperabo : & adjiciam super omnem laudem tuam.*

SI quod oro facis , *semper in te sperabo* , non perdendo fidem nec spem: *& adjiciam super omnem laudem tuam,* C nova carmina , & nova officia cantando & componendo in laudem tui pro gratiarum actione. Et sic

[D. 88. c. *Quoniam & c. Clericus.*

16. *Os meum annuntiabit justitiam tuam , tota die salutare tuum.*

ID est , *Jesum tuum* : prædicabo enim salutem quam mihi feciſti : quia de Infidelibus me liberasti. Littera *Hieronymi* habet : *Tota die Jesum tuum* : & tunc est magis clarum.

Ex his versibus supradictis sit , quòd D Ecclesia non debet totaliter deficere in hac senectute in qua est : quia nec *Saraceni* totaliter conculcabunt , nec subjicient eam : immò ista secta Saracenorum priùs debet gladio perire & confundi , & aliqua pars Ecclesiæ debet manere in libertate & præservari , & usque ad senium pervenire , scilicet , usque ad tempora Antichristi , ubi erit major copia Martyrum, & major persecutio & sævior , ut patebit.

Et dicunt etiam aliqui : quòd Ecclesia ante tempora Antichristi , & ante senium suum , debet canonizare omnes Patres veteris Testamenti , scilicet , *Adam*, *Noe* , *Abraham* , *Isaac* , & *Jacob &c.* & cantare de eis nova officia & hymnos. Ex E quo patet , quòd usque ad tempora Antichristi in aliqua parte mundi debet Ecclesia in sua libertate permanere , extinctâ sectâ Saracenorum.

[D. 88. c. 2. & cap. Elicieni, & c. Quoniam.

17. *Quoniam non cognovi literaturam , introibo in potentias Domini : Domine memorabor justitiæ tuæ solius.*

POstquam superiùs iste *homo mysticus*, sive Ecclesia , petit liberari à persecutione Saracenorum facta in senectute, hîc petit liberari à persecutione Antichristi futura in senio & decrepitu mundi & F Ecclesiæ , scilicet , in novissimis diebus.

Ad cujus intelligentiam est advertendum , quòd secta Saracenica , quæ infestavit Ecclesiam in senectute , cùm de se sit falsa , & bestialis , & voluptuosa ; ideo tres generationes mundi bestiales adhæserunt ipsi sine difficultate , scilicet *Arabes*, & *Tartari* , & *Turci* : qui omnes erant bestiales sine scientia & ratione , pastores sequentes armenta boum , & pecorum, & camelorum , & greges ovium , & hircorum : ideo non potuerunt subjicere christianitatem cum scientia nec ratione, cùm nulla sit in illa falsa secta ; sed infestarunt Ecclesiam cum armis. Sed Anti- G christus , eò quòd habet attrahere ad se de omnibus nationibus , scilicet , Judæis , & Saracenis , & Christianis , quæ quidem nationes jam sunt magis callidæ & astutæ: ideo Antichristus multipliciter attrahet eos, scilicet , cum scientia , & largitate pecuniarum , & donorum , eò quòd omnes homines , cujuscunque conditionis sint, sunt dediti avaritiæ. Et ideo cum scientia litterali judaica attrahet Judæos : cum scientia negotiandi , scilicet , cum Jure civili , & cum Arte Nigromantiæ ad inveniendos thesauros , & cum arte fabrili ad fodienda metalla , attrahet avaros Christianos , & Saracenos &c. Et ideo magis utetur scientiis humanis supradictis , ad attrahendum Christianos avaros , & Sara- H cenos.

Nota de secta Saracenorum.

Nota, Antichristus utetur scientiis.

Sed ad confundendum Christianos Ecclesiasticos utetur scientiâ naturali , & Metaphysicâ , & scientiis Matemathicis, & maximè litteraturâ & glossis Judaicis, & litterâ veteris Testamenti : & sic faciliter vincet & decipiet Christianos. Et hoc accidet , quia circa tempora Antichristi erit multum debilitatum studium Theologiæ. Nam cum omnes studeant avaritiæ, ideo erit maxima copia Jurisperitorum, & Notariorum , & cæterarum scientiarum & artium de pane quærendo ; quæ omnes dicuntur *scientiæ litteraturæ* , & *negotiationis*.

Item,

Item, quia in Ecclesia non dabuntur, nec conferentur beneficia, nisi magnatibus & litigiosis, & ex favore regum & magnorum prælatorum: ideo contemnetur Theologia, & omnes Ecclesiastici dabunt operam Juri Canonico, & Civili: & sic Theologia contemnetur. A

Unde nota, quòd omnis scientia vel est litteralis, vel spiritualis. Scientia litteralis est illa, quæ est solùm gratiâ sui, id est, ad solum sensum litteralem, & prout per terminos importatur intelligenda. Scientia vero spiritualis est ista, quæ non est principaliter gratiâ sui, id est, secundùm sensum litteralem solum intelligenda: sed in qua ultra sensum litteralem, alius sensus spiritualis ibi clausus est quærendus, & intelligendus. Primo modo sunt omnes scientiæ sæculares & humanæ, scilicet, humanitus adinventæ: quæ sunt B in triplici genere. Nam quædam sunt rationales, sicut *Grammatica*, *Logica*, *Rhetorica*, *Poetica*, *Oratoria*: & quædam sunt reales & speculativæ, sicut *Mathematica*, & *Physica*, & *Metaphysica*: & quædam sunt practicæ, sicut sunt morales, & factivæ artes. Omnes ergo istæ scientiæ supradictæ dicuntur litterales: eò quòd considerant solam *litteraturam*, id est, sensum litteralem, & nil aliud ultra considerant.

Duplex scientia, scilicet, litteralis & spiritualis.

Sed sola scientia, sive Lex Divina veteris Testamenti dicitur scientia spiritualis; eò quòd non est gratiâ sui, sed alterius: id est, ad alterum sensum intelligenda, scilicet, ad spiritualem: qui quidem sensus spiritualis est triplex, scilicet C *Allegoricus*, *Moralis*, & *Anagogicus*, ut dictum est *in Prologo*. Et ideo vetus Testamentum non propriè dicitur *scientia*, sed *propositio*, sive *parabola*. Sed Lex Euangelica non solùm dicitur *scientia*, id est conclusio scientifica, sed etiam propriè dicitur ipsa *veritas*.

Lex Divina dicitur scientia spiritualis.

Ex hoc ergo patet cæcitas Judæorum, qui vetus Testamentum putant *scientiam litteralem*, nolentes intelligere in eo, nisi solam *litteraturam*, & gratiâ sui, cum non sit scientia litteralis, sed parabola &c. Sed magis est vituperanda perversitas Ecclesiasticorum quorumdam, qui contemnentes divinam scientiam utriusque Testamenti, convertuntur ad fabulas & scientiam Oratoriam, & mundanas ne- D gotiationes.

Utramque ergo perversitatem, scilicet, tàm quorumdam prælatorum Ecclesiæ, quàm Judæorum execratur & exhorret David, cùm dicit: *Quoniam non cognovi litteraturam &c.* propter causas & litigia beneficiorum. Item, quia ex abundantia bonorum temporalium erunt in otio & fastu altiori constituti, abhorrentes & contemnentes scientiam Theologiæ: eò quòd prohibet omne vitium, & præcipit omnem virtutem, & persuadet contemnere terrena, & amare cœlestia. Ideo dabunt operam litteris humanis, E & delectabilibus, & urbanis: scilicet, operibus *Ciceronis*, & *Quintiliani*, & *Virgilii &c.* Et sic deficiet scientia Sacræ Scripturæ; quam jam videmus defeciſſe, non solùm in sæcularibus, sed etiam in Religiosis, qui non curant, nisi audire aliquas quæstiones & curiositates, ut ad tempus appareant & efficiantur Magistri in Theologia. Sed in Sacra Scriptura, ubi est veritas Sacræ Scripturæ novi & veteris Testamenti, pauci sciunt, nec adhibent studium. Ideo veniet Antichristus, homo callidus, & sciens propositiones, ut patet *Dan.* 8. & 11. *cap.* & sic superabit simplices & ignaros Christianos, & attrahet libenter Judæos cum solo sensu F litterali Scripturæ veteris Testamenti. Et hoc fiet justo Dei judicio: quia postquam veram scientiam repulimus, & conversi sumus ad fabulas, ideo Deus repulit jam nos, ut Infideles & bestiales prævaleant, & dominentur toti orbi.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, ait in persona paucorum, in quibus manebit fides tempore Antichristi: ò Domine Jesu, *quoniam* ego *non cognovi litteraturam*, sive *negotiationem*, ut habet alia littera, id est, scientias humanas, quæ tantùm litteraliter sapiunt ad lucrum & fastum honoris, & ad lucrum bonorum temporalium; immò tales scientias negotiativas contempsi. (In Hebræo habetur: *non cognovi numerum*: sed ista interpretatio non est nobis servanda: sed meliùs G dicitur secundùm *Septuaginta*, *Non cognovi litteraturam*) nec cognovi tantùm litteraturam Scripturæ veteris Testamenti quia nolui in littera tantùm sistere, nec in ea spem & finem constituere; sed ad sensum spiritualem ultra transire: ideo, & immò per sensum spiritualem *intrabo in potentias* & secreta mysteria *Domini*, ibi in litteratura clausa & figurata; quia vetus Testamentum nil aliud est, nisi occultatio novi: & sic non curabo de litteratura, sed de *potentia* tuâ & justitiâ tuâ solùm ibi clausâ.

Litteratura, id est, scientia humana.

Unde Euangelium, sive veritatem Euangelicam clausam in litteraturâ veteris Testamenti vocat *potentias Domini*, & *justitiam*; eò quòd ibi continentur miracula, H & mirabilia opera, quæ Christus fecit in sua prædicatione, & nostra redemptione, per quam sumus justificati: & continetur victoria resurrectionis, & triumphus ascensionis: & istas *potentias* & *justitiam* solum considerat principaliter Ecclesia in litteratura veteris Testamenti, & hoc prædicat & confitetur in novo: quia ista docuit Christus Apostolos suos, quando *aperuit eis sensum & Scripturas* veteris Testamenti, ut patet *Luc.* 24. &

hoc

hoc idem suggessit eis Spiritus sanctus in die Pentecostes. Ideo illico disputarunt cum Scribis & Pharisæis, & convicerunt A eos, ut patet *Actor.* 2. *&c.* Et ideo subdit:

24. q. 1. *Audivimus.*

18. *Deus docuisti me à juventute mea: & usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.*

TU *Deus* hæc *docuisti me à juventute*, & infantia, & pueritia *mea*, quando aperuisti mihi sensum & scripturas illicò post resurrectionem, & in die Pentecostes, & per tres annos prædicando: & ideo semper prædicabo & *pronuntiabo usque nunc mirabilia* opera *tua*. B

De Confe. d. 5. de Spiritu sancto.

19. *Et usque in senectam & senium: Deus ne derelinquas me.*

ROGO *ne derelinquas me usque in senectam & senium*: id est, usque ad tempora *Antichristi*: nec per totam persecutionem *Antichristi*, quæ fiet in meo senio & senecta: quia tunc magis indigebo tuo auxilio & gratia & lumine: tùm propter calliditatem, & malitiam, & scientias humanas illius filii perditionis; tùm propter crudelitatem: quia illa persecutio superabit omnes alias præteritas, C ut ait *Augustinus*.

Differentia inter senectam & senium

Est autem advertendum: quòd inter senectutem, sive *senectam & senium* hoc interest. Nam senectus, sive *senecta* dicit ætatem sexagenariam, in qua sensus hominis, & virtus corporalis incipit deficere: sed *senium* dicit ætatem octogenariam, ubi pro majori parte jam defecit virtus, & emergunt omnes infirmitates & dolores, ut patet *Psalmo* 88. Ideo in Ecclesia novi Testamenti assignantur tres status universales, scilicet, juventus usque ad *Justinianum*, in qua regnavit & floruit fides, & charitas, & scientia, sive sapientia in Ecclesia; & sic fuit multitudo Martyrum & sacrorum Doctorum, & sanctorum Confessorum. Secundò, incœpit senectus, in qua defecit charitas, sed vi- D guit & floruit scientia, maximè in *Francia*, & *Anglia*, & *Alemania*, & etiam in *Italia*. Nam ab anno Domini millesimo usque ad trecentesimum fuit *Hugo de Sancto Victore*, & *Magister Sententiarum*, & *Beatus Thomas de Aquino*, qui Scholastico & disputativo stylo scripserunt. Nunc autem anno 1484. jam Ecclesia est in senio, ubi non solùm defecit & friguit fides & charitas; sed sacra scientia defecit & contemnitur, & pompa & vanitas crescit & avaritia in Ecclesiasticis; & discordia, & iniquitas abundat in laicis, & per singulos dies perdimus & decrescimus, & infideles prosperantur. Sed E quia in paucis manebit fides, & charitas, & spes, & aliqua scientia, & vera intelligentia spiritualis Sacræ Scripturæ in hoc senio: ideo ait Propheta in persona Ecclesiæ: *Usque in senectam & senium, Deus ne derelinquas me*: id est, ne totaliter desistas dare mihi fidem formatam, & intelligentiam Sacræ Scripturæ veram.

De Pœn. d. 2. §. Quæritur. Post medium.

20. *Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est.*

21. *Potentiam tuam, & justitiam tuam Deus usque in altissima, quæ fecisti magnalia: Deus quis similis tibi?* F

NE, inquam, *derelinquas me*, ut possim instruere simplices fideles, & resistere sequacibus *Antichristi*. Et exponit seipsum, dicens: *Donec annuntiem brachium tuum*, scilicet potentiam tuam, & justitiam tuam, id est, Legem Euangelicam possim audacter prædicare, & confiteri, in qua manifestatur *tua potentia, & justitia usque in altissima magnalia,* G *quæ* tu Christe *fecisti* in miraculorum operatione in nostra redemptione, & patrum à Limbo liberatione, & in tua ascensione, & Spiritus sancti missione: quia omnia ista publicè prædicabo contra *Antichristum* & suos.

Et etiam totum hoc potest referri ad miserabilem exitum *Antichristi*. Nam postquam *Antichristus* fuerit miserabiliter coram omnibus suis sequacibus per Angelum dejectus & interfectus, ut ait *Apostolus*, 1. *ad Thes.* 5. tunc omnes Judæi, & cæteri sequaces *Antichristi*, visâ eorum deceptione, & cognitâ veritate, omnes ad Christum convertentur, & sic *tunc omnis Israel salvus fiet. Ad Rom.* 11. quia tunc auferetur velamen ab eo, 2. *Ad Corinth.* 3. tunc etiam complebitur illud H *Oseæ* 3. *Post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum.* Et tunc omnes Judæi conversi quærent Christianos per montes & latibula absconsos, ut baptizent & instruant eos in Fide Euangelica: & sic *fiet unum ovile & unus pastor*, & Christiani publicè & libere prædicabunt non solùm Legem Euangelicam, sed *magnalia quæ fecerit Deus* contra filios perditionis: & quomodo Ecclesia erit mirabiliter liberata, *& iterum de abyssis terræ* & persecutionum li-

be-

berata & resuscitata. Ideo subdit : *O Deus quis similis tibi* in tot & tantis magnalibus ? Quasi dicat : nullus.

12. q. 1. c. Exemplii, & 23. q. 4. Quantus, & c. Quædam, & de Cõsec. d. 4. c. Est.

22. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas : & conversus vivificasti me : & de abyssis terræ iterum reduxisti me.*

23. *Multiplicasti magnificentiam tuam : & conversus consolatus es me.*

24. *Nam & ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam : Deus psallam tibi in cithara sanctus Israel.*

QUantas tribulationes quondam *ostendisti mihi multas & malas* in persecutione Tyrannorum & Hæreticorum in mea juventute, & Saracenorum, & Tartarorum, & Turcarum in mea senectute, & Antichristi nunc in meo senio. Sed tandem nunc *conversus* ad pietatem & misericordiam *vivificasti me* per interitum Antichristi : *& iterum reduxisti me de abyssis terræ.* Sicut ergo *multiplicasti magnificentiam tuam, & conversus consolatus es me* post tot tribulationes : ita *confitebor tibi veritatem tuam*, scilicet, Legem Euangelicam, & omnia mirabilia quæ fecisti in hac ultima conversione fidelium : & psallam *in Psalmis* & instrumentis musicis, scilicet, in psalterio decem chordarum, & cæteris musicis instrumentis, prout significant omnia mysteria Christi. Et specialiter *psallam in cithara*, id est, cum fide, spe, & charitate *tibi* qui es *sanctus Israel :* quia tunc omnes nationes erunt verus Israel secundùm spiritum & promissionem. Et sic

15. d. c. Sancta Romana.

25. *Exultabunt labia mea cùm cantavero tibi ; & anima mea, quam redemisti.*

EXultabunt *labia mea* & anima mea : quia simul in corpore & anima exultabo, *cùm cantavero tibi* & prædicabo mirabilia tua.

*** ***
*** ***

26. *Sed & lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam : cùm confusi & reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.*

15. q. 1. Reverti-mini.

LIngua *mea tota die meditabitur*, id est, meditando cantabit *justitiam tuam*, cùm Antichristus, & omnes ejus sequaces, *qui quærunt mala mihi, fuerint confusi*, & convicti, *& reveriti*, id est, cum maxima verecundia & timore superati. Quæ lætitia, & prædicatio, & celebratio officiorum durabit usque ad Judicium per aliquod tempus, quòd nobis incertum est.

Nota, quòd secundùm eos qui dicunt, quod illicò post interitum Antichristi, post paucos dies incipient signa horribilia præcedentia Judicium universale, tunc ab illo loco, *Conversus vivificasti me*, usque ad finem Psalmi, est intelligendum de lætitia Beatorum, quæ fiet in patria post Judicium : ut sit sensus iste : Ego eram resolutus, & incineratus & putrefactus : sed *iterum reduxisti me de abyssis terræ*, in qua eram sepultus, & suscitasti me in corpus glorioſum, & ad tuum regnum duxisti. Ideo ibi *confitebor tibi in vasis Psalmi* gloriæ &c. & *cùm cantavero tibi* canticum gloriæ, *labia mea* corporis glorificati, & *anima mea quam redemisti* ab omni miseria, *exultabunt* in beatitudine & felicitate perfecta : & cum omnes persecutores *qui quærebant mala mihi, fuerint confusi, & reveriti* in inferno, postquam dixeris eis : *Ite maledicti in ignem æternum &c.* tunc *lingua mea meditabitur justitiam tuam* in illa cœlesti gloria &c.

Signa judicii sequẽtur post mortem Antichristi.

Totus etiam iste Psalmus potest moraliter exponi pro quolibet justo & viatore, qui petit liberari de lascivia, & omnibus vitiis juventutis, & ab avaritia senectutis : & ut non derelinquatur à divino auxilio in senio inter multitudinem dolorum & infirmitatum : sed Deus det nobis virtutem & patientiam ad tolerandum patienter.

PSALMUS LXXI.

1. *Deus judicium tuum regi da : & justitiam tuam filio regis.*

23. q. 4. c. Regũ est.

HUIC Psalmo præponitur talis Titulus in Hebræo : *In Salomonem.* Propter hunc Titulum dicit *Hieronymus in Prologo* secundùm opinionem Magistri sui *Barrabam*, quòd Salomon fecit hunc Psalmum. Sed oppositum probatur : nam in fine hujus Psalmi, eò quòd fuit ultimus

quem fecit David, & ultimus collocatus in Psalterio antiquo, ut patebit, supponitur talis descriptio: *Defecerunt laudes David filii Jesse:* ex quo patet, quòd David fecit hunc Psalmum, & alios. Item ipsemet mutavit opinionem: Unde *in sermone de Assumptione Virginis* dicit: *Hoc quippe est quod canit David: Descendet sicut pluvia in vellus &c.* Ex quo patet, quòd *Hieronymus* se correxit, & cognovit, quòd David fecit hunc Psalmum.

Multi etiam alii Hebræorum modernorum dicunt, quòd David fecit hunc Psalmum, rogando, & petendo prosperitatem regni *Salomonis* filii sui, ut sibi fuerat promissum 2. *Reg.* 7. & ideo præponitur, Titulus *In Salomonem.* Sed hoc est manifestè falsum: nam ea quæ memorantur in hoc Psalmo, nullo modo possunt convenire *Salomoni*, nec in eo fuerunt completa: nec alicui homini puro possunt convenire; putà, *Descendet sicut pluvia in vellus:* &, *Dominabitur à mari usque ad terminos orbis terrarum:* &, *Ante solem nomen ejus:* &, *Adorabunt eum omnes reges &c.* Et ideo est magis credendum *Augustino*, qui dicit, quòd David fecit hunc Psalmum de Christo, & ejus regno futuro figurato per Salomonem.

Materia hujus Psalmi.

Ad cujus intellectum est primò notandum, quod iste Psalmus fundatur super promissione facta ipsi David de filio suo, & ejus regno æterno, 2. *Reg.* 7. quam promissionem non intellexit David de *Salomone*, & ejus regno temporali; sed de Christo Messia in Lege promisso, & ejus Regno perpetuo, prout sibi clarè postea fuit revelatum, ut ipsemet testatur 2. *Reg.* 23. cum dicitur: *Hæc sunt verba novissima, quæ dixit David filius Isai: cui constitutum & revelatum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel &c. Spiritus Domini per me locutus est: & sermo ejus per linguam meam &c.* Hoc idem patet *Psalmo* 88.

Ex quibus patet, quòd David non credidit, nec expectavit illam prophetiam impleri in *Salomone* carnali, nec in regno ejus temporali: sed in solo Christo, & Regno ejus æterno & universali. Sed bene hoc prævidit David in figura per *Salomonem* & regnum ejus. Nam sicut Scriptura veteris Testamenti non est gratiâ sui, sed via in Christum, qui est finis Legis; & omnia gesta in Lege veteri sunt quædam litteraturæ, & signa, & parabolæ, & propositiones, ex quibus eliciuntur mysteria Christi & Ecclesiæ, & totius novi Testamenti, ut dictum est: ideo sicut *Templum Salomonis* fuit figura Corporis Christi, & totius Ecclesiæ: ita *Regnum Salomonis* fuit quædam figura, & litteratura, & exemplar, in quo David prævidit totam prosperitatem regni Christi futuri, prout fuerat sibi revelatum. Unde legitur 3. *Reg.* 1. & 2. *cap.* quòd David ad interces-

Nota figuram de Christi Incarnatione.

sionem *Bethsabee* matris *Salomonis:* & etiam commento *Nathan* Prophetæ, intronizavit *Salomonem* in solio regio, & constituit ipsum successorem suum in regno, & fecit ipsum equitare super mulam suam per civitatem, & præcepit ipsum ungi in *Gihon*, & buccina intonuit, & totus populus clamavit: *Vivat Rex Salomon.*

In hoc ergo mysterio *Regni Salomonis* prævidit David in spiritu, sicut etiam jam sibi multotiens fuerat revelatum, qualiter de carne sua per lineam *Salomonis* erat Christus nasciturus: quem Deus Pater debebat à dextris suis intronizare in regem universalem totius mundi, cujus erat egressus ante solem & ab æterno secundùm divinitatem: qui erat operaturus nostram redemptionem, & omnia quæ continentur in hoc Psalmo.

Et ideo *Cambi*, tanquam ab ipsa veritate coactus, videns quod ea quæ in hoc Psalmo memorantur, non fuerunt impleta in *Salomone*, dicit, quòd David fecit hunc Psalmum in suo senio & decrepitu, dum jaceret in lecto: & quòd fuit ultimus Psalmus quem fecit: & cum hoc Psalmo sigillavit & complevit Librum Psalmorum: & quòd non loquitur in hoc Psalmo de *Salomone* filio suo, qui post ipsum regnavit; sed loquitur de illo *Salomone*, qui in *Canticis* memoratur, de quo dicitur: *Mille tui pacifici &c.* scilicet, de Messia in Lege promisso. Sed decipitur iste miser obstinatus, quia dicit, quòd omnia ista habent impleri in Messia futuro.

Est ergo intelligentia hujus Tituli, quòd David fecit hunc Psalmum *In Salomonem*, id est, postquam vidit filium suum *Salomonem* intronizatum, & regnantem temporaliter: per quod prævidit Regnum Christi futuri, qui est *verus Salomon*, & *pacificus*, & pacificans in sanguine suo, figuratus per primum *Salomonem* terrenum: de quo vero Salomone & ejus regno facta fuerat promissio 2. *Reg.* 7. in qua promissione octo fuerunt promissa ipsi David, quæ omnia simul, nec etiam particulariter possunt convenire, nec fuerunt impleta in *Salomone* terreno; sed in Christo *vero Salomone.*

Christus verus Salomõ fuit.

Primò: quòd ille Rex erat nasciturus post mortem & sepulturam ipsius David. Secundò, de carne sua. Tertiò, quòd erat futurus rex. Quartò, ejus regnum æternum. Quintò, ædificaturus universalem Ecclesiam. Sextò, Filius Dei. Septimò, Judex universalis. Octavò, misericors: quæ omnia impleta sunt in Christo, ut memorantur in hoc Psalmo.

Psalmi divisio.

Et ideo David sex principaliter facit in hoc Psalmo: nam primò agit de universali judiciaria potestate hujus magni regis Christi. Secundò, de ejus perpetua duratione & æternitate. Tertiò, de ejus mi-

mirabili Incarnatione & Nativitate. Quartò, de perpetua pace, & justitia. Quintò, de ejus regni magnitudine. Sextò, de ejus A cultu & Latria. Secunda ibi: *Et permanebit cum sole.* Tertia ibi: *Descendet sicut pluvia.* Quarta ibi: *Orietur in diebus.* Quinta ibi: *Et dominabitur.* Sexta ibi: *Et adorabunt eum.*

Quantum ergo ad primum, videns David filium suum *Salomonem* intronizatum & regnantem, qui erat figura regni Christi, desiderans accelerari figuratum, dicit ad Deum Patrem: *O Deus, da judicium tuum* & universalem potestatem judicandi *regi* Christo: *& da justitiam tuam*, id est, sapientiam Christo *filio regis* æterni secundùm divinitatem, & *filio* meo secundùm carnem, id est, introniza eum, & trade illi universalem potestatem in cœlo, & in terra, & in omnibus abyssis: B sicut ego intronizavi filium meum *Salomonem*, & tradidi ei *judicium*, & *justitiam*, & universalem potestatem: & constitui ipsum regem & successorem in regno meo. Quasi dicat: postquam impleta est figura in filio meo *Salomone*: fac ut impleatur figuratum in filio tuo & meo Christo, sicut mihi facta est promissio: & *da judicium & justitiam regi* Christo *filio regis* æterni, & meo.

23. q. 4. *Si Ecclesia, in fine.*

2. *Judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio.* C

INtelligit per *justitiam* ipsam regiam potestatem, sive ipsam Legem Euangelicam: & per *judicium* intelligit ipsam executionem, quam Christus in quantum homo accepit à Patre: quia *potestatem dedit Filio judicium facere: quia Filius hominis est*, *Joann.* 5. Item dicit: *Da judicium regi Filio regis, judicare*, id est, ad judicandum: quia nec Hebræus, nec Græcus habet *Gerundia*: sed ponitur *Infinitivum* pro *Gerundio*. Item dicit: *Judicare populum tuum in justitia*, id est, per Legem Euangelicam populum tuum justificare: *& pauperes tuos in judicio:* id est, D in judicio eos præmiare.

Item nota, quòd per *pauperes* intelligit omnes Christianos: quia contemnunt ista terrena propter cœlestia. Et maximè intelligit *Apostolos*, qui *relictis omnibus secuti sunt Christum*. Et sic etiam ly *judicare*, potest construi à parte post de ly *Apostolos*: ut sit sensus: da, & concede *pauperes* Apostolos *judicare*, & sint judices in judicio judicantes cæteros in hoc mundo: & in judicio *judicantes duodecim tribus Israel*. Nam Apostoli fuerunt in hoc mundo *judices* & *principes* constituti super omnem terram: quam potestatem Christus eis tradidit, cùm dixit: *Ite in mundum universum: & prædicate Euangelium &c. Marci ultim.* Item cùm dixit: E *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittentur eis, Joann.* 20. Item cùm dixit: *Quæcunque ligaveritis super terram, Matth.* 18. Item quando *dedit eis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, &c. Matth.* 10. & *Luc.* 10. Ex quo patet, quòd David non solum petit, ut Deus tradat potestatem Christo; sed etiam, ut Christus communicet ipsam potestatem Apostolis, ad judicandum in judicio pœnitentiali; & non solum in judicio discretionis, sed etiam in judicio examinationis, & præmiationis, & punitionis. Ideo sequitur:

F 3. *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam.*

2. q. 7. *Testes*, §. *Christus.*

PER *montes* intelligit Apostolos. Nam *Apostoli* dicuntur *pauperes*, in quantum contemptis his terrenis, secuti sunt Christum: sed dicuntur *montes* propter altitudinem & eminentiam sapientiæ & scientiæ, & potestatis Ecclesiasticæ, quam à Christo acceperunt.

Apostoli sunt montes.

Unde est advertendum secundùm *Gregorium in sermone de Apostolis*: quòd Apostoli dicuntur *montes* in Scriptura secundùm quandam similitudinem, eò quòd tenent medium inter nos & Christum, qui est sol G justitiæ. Nam sicut *montes* de mane primò illuminantur à Sole, & ex montibus reverberat, & reflectitur lumen ad valles inferiores: ita pariter *Apostoli* in mane & in principio Ecclesiæ, primò susceperunt lumen á Christo, qui est *Sol justitiæ*: & sic per quandam reflexionem & reverberationem lumen Euangelicum pervenit ab *Apostolis* ad nos. Item dicit *Gregorius*, quòd sicut oculus noster carnalis non potest aspicere lumen in sole propter sui excellentiam, sed aspicit ipsum lumen solis in montibus illuminatis à sole: ita nos non possumus aspicere oculo mentis lumen Euangelicum in Christo, propter sui excellentiam, & nostram infirmitatem: sed totus H populus Gentilis vidit lumen Euangelicum in Apostolis prædicantibus; & nos jugiter videmus idem lumen in Scriptura Apostolorum & Euangelistarum, prout ipsi susceperunt à Christo.

NOTA.

Et sic est dicendum, quòd visio quam habuerunt Apostoli de lumine Euangelico in illo raptu in die Pentecostes, fuit quasi *matutina* respectu visionis, quam nos habemus nunc de eodem lumine per fidem & Scripturam, sicut dictum est *Psalmo* 67. Et sic patet, quare Apostoli dicuntur *montes* in Scriptura, eò quòd susceperunt lumen sapientiæ à Christo, quasi *vi-*

sione matutina, sicut *montes* illuminati à Sole: & nos suscepimus ab eis quasi *visione vespertina.*

Et hoc est, quod petit David in hac parte, scilicet, quòd Apostoli *suscipiant* lumen à Christo in suo adventu, & communicent universo mundo: ideo dicit: O Pater, veniat Messias Filius tuus, & *da* ei *judicium & justitiam*, ad judicandum populum &c. ut *montes*, id est Apostoli, *accipiant* ab eo *pacem*, id est, Legem Euangelicam, quæ pacificat, & reconciliat homines & populum cum Deo. *Et colles*, id est Doctores, *accipiant justitiam*, id est, Legem illuminantem & justificantem ab Apostolis. Nam Apostoli acceperunt primò Legem, & potestatem, & lumen à Christo: & Discipuli & Doctores acceperunt ab Apostolis. Nam Apostoli majores imposuerunt manus super *Barnabam* & *Marcum*, & miserunt eos ad prædicandum, ut patet *Actor.* 13. & sic *Paulus* constituit *Timotheum* & *Titum* Episcopos &c. Dicit ergo: *Accipiant montes*, id est, Apostoli, *pacem populo*, id est, Legem Euangelicam *pro populo*, & annuntient populo. *Et colles*, scilicet, cæteri Discipuli & Doctores *accipiant justitiam* ab Apostolis, id est, eandem Legem justificantem, ut declarent cæteris; sicut fecit *Augustinus*, & *Hieronymus &c.*

2.q.2.Gloria Episcopi.

3. *Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.*

Duplex Christi judicium.

Nota quòd duplex est *judicium* Christi. Unum dicitur *judicium discretionis*, & alterum *examinationis.* In primo adventu Christus judicavit judicio discretionis, in quantum discrevit granum à paleis de Lege veteri, & collegit granum Sacramentorum, & repudiavit cærimonias: & posuit terminum figuris, & patefecit veritatem; & elegit & separavit & discrevit Apostolos, & cæteros fideles ab infidelibus, & promisit præmium observatoribus, & pœnam transgressoribus. Et sic *judicium discretionis* fuit quædam electio, & discretio veritatis à figura, & bonorum à malis. Sed *judicium examinationis* fiet in secundo adventu, ubi examinabuntur facta hominum, & unusquisque recipiet prout gessit: & de utroque judicio ait David.

Unde quando iste Rex Messias veniet in primo adventu, *judicabit*, id est, eliget, *pauperes populi*, id est, Apostolos, qui fuerunt de pauperibus & infimis populi Judæorum: *& salvos faciet filios pauperum*: id est, filios regeneratos, & sequaces istorum Apostolorum pauperum: quia non salvabit superbos, nec divites hujus mundi, sed solùm *pauperes* spiritu, id est, mundi contemptores, ponentes spem suam in cœlestibus, & humiles remittentes proprias injurias, & patienter tolerantes, & simplices, & mites. Sed per oppositum *humiliabit* & dejiciet & prosternet omnem *calumniatorem.*

Unde per calumniatorem intelligit primò diabolum, qui est pater & caput omnis fraudis, & calumniæ, & mendacii, & superbiæ, & omnis peccati: & exinde intelligit omnia membra sua, scilicet, omnes mendaces, *calumniatores*, superbos, avaros, fornicatores &c. Unde sicut in primo adventu elegit ad se pauperes, & humiles, & justos, & his promisit beatitudinem regni cœlestis, cùm dixit, *Matth.* 5. *Beati pauperes spiritu: beati mites &c.* ita superbis & avaris comminatus est pœnam: cùm dixit: *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem*, *Matth.* 7. & sic post ultimum judicium *ibunt hi in ignem, & illi boni in vitam æternam*, *Matth.* 25. Unde per *calumniatorem* intelligit omnem hominem mundanum & peccatorem. Nam qui vivit secundùm mundum, non vivit nisi in calumnia & fraude. Unde omnis superbus conatur cum calumnia omnes alios deprimere & subjicere; & avarus cum calumnia alios defraudare; & luxuriosus cum calumnia omnes mulieres decipere &c.

Not. quomodo peccator judicabitur.

Pauperes spiritu sit justi.

Et per *pauperes* spiritu intelligit omnes justos: nam si quis est pauper spiritu, est contemptor hujus mundi: aliter non est verus Christianus. Et ideo ubicumque in Sacra Scriptura nominantur pauperes, intelliguntur Christiani, & populus Christianus; quia solus populus Christianus verè contemnit felicitatem mundanam & temporalem, eò quòd expectat felicitatem æternam in cœlo, quam non potest consequi, nisi contemnat terrenam. Unde solus Christus fuit primus qui fecit hoc *judicium*, & hanc discretionem, qui vitam pauperum elegit & docuit, & felicitatem futuram promisit: cùm in Lege veteri bona mundana promitterentur. Unde numquam divitiæ fuerunt in Lege veteri prohibitæ: nec regnum cœlorum fuit eis explicitè promissum, sed bona temporalia in figuram bonorum spiritualium. Ideo immediatè desiderabatur Christus Messias in Lege promissus, qui omnia ista habebat discernere, & veritatem Legis docere, & viam in cœlum demonstrare: & sic Christus dicebatur *Finis* illius *Legis*, in quem omnia dirigebantur, & gratiâ cujus gerebantur, & in quem omnia tendebant, tamquam in finem in quo terminarentur, & in eo cursum finirent, & ab eo perfectionem acciperent. Et hoc petit & desiderat David cum cæteris Patriarchis & Prophetis in hoc Psalmo.

Paupertatem elegit Christus.

Tria ergo prædicit David in hoc versu.

ſu. Primò, quòd Meſſias debebat eligere pauperes, id eſt, Apoſtolos. Secundò, ſalvare *filios pauperum*, id eſt, per Apoſtolos omnes regeneratos beatificare, & à peccato liberare per Baptiſmum. Tertiò, *humiliare*, & dejicere diabolum *calumniatorem*, qui totum mundum decipiebat per idololatriam. Et ſic debebat idololatriam de mundo delere. Et etiam debebat dejicere omnem *calumniatorem*.

35. d. c. Ab ex ordio.

4. *Et permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione & generationem.*

HIC deſcribit hujus Magni Regis æternitatem. Nam diceret aliquis: Tu David dicis, quòd iſte Rex erit filius tuus, & naſcetur poſt te, cùm dormieris cum patribus tuis: ergo erit finitus & temporalis, & per conſequens parvæ potentiæ. Ad hoc reſpondet David, dicens, quòd non. Nam Chriſtus erit æternus, & coæternus Patri, & ideo *permanebit cum Sole* æternaliter *à parte poſt*, non ſolùm ſecundùm divinitatem, ſed etiam ſecundùm humanitatem. Nam licèt ſecundùm humanitatem habuit principium: tamen adhuc erit æternus, & manebit, & durabit æternaliter cum Sole *à parte poſt*: ſed iſte Chriſtus etiam eſt æternus *à parte ante* ſecundùm divinitatem. Probatur. Nam fuit *ante Lunam*, & per conſequens *ante Solem* & omnes ſtellas, & ante cœlum & terram. Hoc probatur. Nam ipſe Chriſtus eſt illud Verbum per quod facta ſunt omnia iſta. Nam Pater per hoc Verbum dixit: *fiat lux*, & *fiat firmamentum*, & *fiant duo luminaria*. Nam ſi Deus Pater non habuiſſet iſtud Verbum, non potuiſſet loqui, nec dicere omnia iſta creata *ad extra*. Ergo iſtud Verbum per quod facta ſunt omnia, ſcilicet cœlum, & luna, & ſol, præcedit cœlum, & ſolem, & lunam: ſed nihil præcedit cœlum & tempus, niſi ſolus Deus, & ſua æternitas: ergo Chriſtus eſt Deus, & æternus. Et ſic ergo *permanebit* æternaliter *cum Sole*, & fuit æternaliter *ante Lunam*, & erit ſemper *in generatione & generationem*: & ſic eſt poſſibile quòd ſit natus æternaliter à Patre ſecundùm divinitatem, & naſcatur temporaliter ex matre ſecundùm carnem.

Not. quomodo Chriſtus eſt filius David & dicitur æternus.

Et nota, quòd comparat humanitatem Chriſti ipſi *Soli*, eò quòd caro Chriſti poſt reſurrectionem facta eſt incorrupta & clara ſicut ſol: ideo *permanebit cum Sole*, id eſt æternaliter, & clara ſicut Sol. Item cùm ſubdit: *& ante Lunam*, ly *ante* poteſt teneri comparativè, dicendo exceſſum. Quaſi dicat, quòd Chriſtus ſemper erit lucidus ſicut Sol, in ſe habens fontem lucis ut ſic: & *ante Lunam*, id eſt, nobilior, quàm Luna, quæ non habet lucem à ſe, ſed à Sole: & ſic in illa cœleſti gloria Chriſtus ſe habet ut ſol; cæteri autem Beati ſe habent ut Luna, quia receperunt lumen gloriæ à Chriſto, qui lucet omnibus, ut patet *Apocal.* 22. Et ſic Chriſtus manebit lucidus *cum Sole*, *& ante Lunam*, id eſt, ſupra Lunam. Et non ſolum hoc verificatur de illa Eccleſia triumphanti, ſed etiam in iſta militanti, in qua Chriſtus eſt *Sol juſtitiæ*, de cujus plenitudine tota Eccleſia, quæ dicitur *Luna*, & omnes nos luminis & gratiæ ſufficientiam accepimus, & in ejus lumine ambulamus. Et ſic Chriſtus ſemper eſt *Sol ante*, id eſt ſupra *Lunam*.

Sol eſt Chriſti humanitas.

5. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.*

De Conſ. d. 3. c. ult.

QUIA dictum eſt, quòd Chriſtus eſt æternus ſecundùm deitatem, & temporalis, in quantum habuit principium ſecundùm humanitatem; ideò hìc explicat mirabilem modum ſuæ Incarnationis: & oſtendit, quòd in Chriſto non ſolum erat humanitas & caro, quam accepit ex Virgine, ſed etiam erat in eo divinitas, quam ab æterno habet à Patre, & in qua deſcendit de cœlo in uterum virginalem: & alludit ad myſterium pluviæ *Gedeonis*.

Modus Incarnationis.

Unde legitur *Judicum 6. cap.* quòd cùm *Gedeon* vellet ire contra *Madianitas*, ut liberaret populum Iſrael à tributo, & captivitate, & ſervitute, Deus dedit illi hoc ſignum. Nam poſuit unum vellus arietis, ſive ovis in area, & de mane reperit ipſum complutum rore cœli. Deſcenderat enim ros de cœlo ſuper vellus, & nihil roris cecidit ſuper terram; immò reperit totam aream ſiccam: & tunc cepit vellus, & expreſſit ipſum, & implevit pelvim aquâ ex vellere preſſo. Et iterum dedit ei Deus aliud ſignum victoriæ ſuæ futuræ. Nam alio mane reperit totam aream complutam, & vellus ſiccum in medium areæ.

Not. figuram de vellere.

Per primum ſignum fuit figuratum, quòd ſicut ille ros deſcendit de cœlo de mane ſine ſtrepitu & læſione velleris: ita Filius Dei erat deſcenſurus in uterum *Virginis Mariæ* abſque læſione virginitatis, mirante naturâ: quod myſterium Incarnationis eſt nobis incomprehenſibile, & inſenſibile, & ineffabile. Et poſtea, ſicut illa aqua exivit viſibilis ab illo vellere, & apparuit viſibilis in pelui abſque læſione & corruptione velleris: ita Chriſtus exivit de utero virginali abſque læſione virginitatis Mariæ, & apparuit viſibilis in mundo cum hominibus converſatus, & expreſſit nobis rorem ſuæ doctrinæ, & gratiæ. Et etiam

de

de illo vellere suæ humanitatis expressit in cruce totum suum sanguinem in redemptionem pro nobis : & hoc apparuit in secundo signo. Nam sicut tota area sequenti mane apparuit compluta, vellere manente sicco : ita manente vellere, id est, corpore Christi sicco, & exsangui, & ex hausto sanguine suo ; tota area Ecclesiæ, quæ antè fuerat sicca, tunc fuit compluta & purpurata ; de quo sanguine omnia Sacramenta traxerunt virtutem.

Per vellus etiam intelligitur populus Judæorum.

Et sicut per primum vellus intelligitur humanitas Christi, in quam Verbum descendit ; ita per secundùm vellus intelligitur totus populus Judæorum, de quo carnem Christus assumpsit, & in quem principaliter venit, & cui principaliter prædicavit, & super quem rorem suæ prædicationis effudit. Sed quia ille populus indignum se fecit, & rorem prædicationis Euangelicæ abjecit & contempsit ; ideo mansit siccus, & vacuus aquâ gratiæ, & rore Euangelico : & Apostoli effuderunt & pluerunt rorem & pluviam Euangelicam per totam aream populi Gentilis per totum orbem : & sic illa area fuit compluta, vellere Sinagogæ manente sicco. Et hoc intendit dicere David in hoc versu.

Unde dicit : non miretur aliquis, nec dubitet, quomodo iste Rex sit æternus, & nascatur temporaliter in terris. Nam licèt ab æterno sit Deus procedens à Patre : tamen ex tempore descendit in uterum Virginis, & unitus est humanitati, & natus est ex Matre, *sicut pluvia descendit in vellus* Gedeonis, & fuit inde aqua expressa absque læsione velleris, ut dictum est. Et descendit etiam Verbum Dei rorans sapientiam Euangelicam, & gratiarum dona super terram ; *sicut stillicidia* & guttæ pluviales cadunt & descendunt *super terram* : ita pluvia Euangelica cecidit super Apostolos & totam Ecclesiam. Ex quo patet mysterium Incarnationis, & mysterium sapientiæ & gratiæ infusionis esse mirabile & incomprehensibile. Patet etiam quod Christus non est homo tantùm & Rex terrenus, sed Deus cœlestis : quia *descendit* de cœlo *sicut pluvia in vellus*. Et patet etiam, quòd doctrina Euangelica non est humana, sed divina & cœlestis : quia descendit à Deo in Apostolos *sicut stillicidia stillantia super terram.*

Baruch. 5. Qui est Deus pacis, 2. Thessal. 3.

6. Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis : donec auferatur luna.

QUIA dixit, quòd Christus, id est Verbum, descendit in uterum Virginis, & in carnem sibi unitam *sicut pluvia descendit in vellus*, & divina sapientia *descendit sicut stillicidia &c.* quæreret aliquis : quem fructum fecit illa pluvia, sive illud semen Verbi in utero virginali ? Respondet David, & dicit : quòd ex illo descensu Verbi divini in carnem, sive in uterum Virginis *orietur in diebus ejus*, scilicet Christi, *justitia, & abundantia pacis.* Quia ex illa benedicta pluvia Incarnationis orta est justitia, id est, Christus *Sol justitiæ, & abundantia pacis.* Ideo Angeli cantarunt : *Gloria in excelsis &c.* Et durabit ista pax *& abundantia pacis*, & justitiæ Legis Euangelicæ, & gratiæ & justitiæ, *donec auferatur luna*, id est, in æternum : quia *luna* numquam auferetur, nec corrumpetur. Et sic ly *donec* tenetur indeterminatè.

Item, ex illa *pluvia* gratiæ & Legis Euangelicæ, quam Christus pluit & distillavit super Apostolos & Ecclesiam suam, *orietur justitia* : quia pacificavit & reconciliavit nos cum Deo, & justificavit nos à peccato. Item, illa *pluvia & stillicidia*, quæ emanavit ex latere Christi, induxit in nobis *justitiam & abundantiam pacis*, conferendo virtutem Sacramentis ad justificandum peccatores : & hoc durabit *donec auferatur luna*, id est, usque ad diem Judicii durabit Lex Euangelica, & executio Sacramentorum, quando sol & luna & omnes cœli quiescent à motu suo. Unde *luna* non auferetur secundùm substantiam, sed auferetur & cessabit ejus motus, & cursus cæterorum astrorum : & ideo Lex Euangelica dicitur *Testamentum æternum* : quia non expectatur alia Lex post eam. Et sic simul cessabit exercitium Legis Euangelicæ cum motu cœlorum & astrorum : sed effectus Legis Euangelicæ, & fructus ejus erit æternus, scilicet, cœlestis fruitio & beatitudo. Et ideo dicit *Cassiodorus*, quòd Ecclesia comparatur lunæ : eò quòd crescit & decrescit secundùm aspectum & favorem solis justitiæ ; qui est Christus illuminans Ecclesiam per gratiam & favorem.

Expressit Christus suum vellus dupliciter.

Dupliciter ergo Christus expressit suum vellus. Primò, *vellus humanitatis* in torculari crucis, à quo *exivit sanguis & aqua* : & implevit pelvim Ecclesiæ & Sacramentorum. Secundò, expressit *vellus divinitatis* : & exivit doctrina Euangelica, & septem dona Spiritus sancti : & complevit & roravit totam aream Ecclesiæ à solis ortu usque ad occasum. Ex qua *pluvia* & imbre *orta est justitia, & abundantia pacis.* Et nota, quòd *Gedeon* non in multitudine hominum, nec vi armorum, sed in virtute Dei in sono tubarum vicit *Madianitas* & *Amalecitas*, & omnes Orientales nationes : quibus superatis, fuit *abundantia pacis* in Israel : ita Christus non virtute humanâ, sed divinâ, superavit diabolum : & Apostoli in sono buccinæ & tubæ Euangelicæ subjecerunt Christo totum orbem : & sic fuit *abundantia pacis* in tota Ecclesia.

7. *Et*

4. Reg. 4.

7. *Et dominabitur à mari usque ad mare; & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* A

Descriptio terræ habitabilis.

IN hac parte prædicit universale imperium & dominium hujus magni Regis Christi. Unde est notandum, quòd *Megasthenes*, & *Strabo*, & *Plinius*, & quidam alii Cosmographi dupliciter describunt & dividunt totam nostram terram habitabilem. Uno modo accidentaliter per unum mare Mediterraneum, & duo flumina. Nam cum tota nostra quarta habitabilis sit undique circumdata Mari Oceano secundùm eos: tamen per fretum Gaditanum ab Occidente intrat Mare Mediterraneum, procedens versus ortum usque ad *Syriam*, relinquens *Africam* ad dexteram, & *Europam* ad sinistram: quod quidem mare finitur & terminatur in famosissimam & antiquam Civitatem *Tyri*, quondam emporium famosissimum in *Syria*. Ideo dicitur *Mare Tyrrhenum* separans *Europam* ab *Africa*, & recipiens *Nilum* fluvium venientem à montibus *Æthiopiæ* & æquinoctiali: qui quidem *Nilus* dividit *Africam* ab *Asia*. Rursus istud mare *Tyrrhenum* intrat versus Aquilonem per *Hellespontum* & *Propontidem* inter *Græciam* & *Phrygiam*: & post *Constantinopolim* aperitur in vastum & magnum sinum, quod dicitur *Mare Ponticum*, sive *Euxinum*, quod recipit magnum fluvium *Tanaim* venientem à montibus *Riphæis*, & *Meotim paludem* à parte Aquilonari. Et sic *Thanais* cum *Ponto* & *Ellesponto* dividunt *Europam* ab *Asia*. Ex quo patet, quòd quicquid est à Mari *Tyrrheno* versus partem Aquilonarem pertinet ad *Europam*: & quicquid est ab eodem Mari *Tyrrheno* versus Austrum, pertinet ad *Africam*, & rursum quicquid est ultra *Nilum* & Mare *Tyrrhenum* & *Pontum*, & *Tanaim* versus ortum usque ad terminos terræ, pertinet ad *Asiam*: & sic *Asia* manet multò major & longior & amplior, quam *Europa* simul cum *Africa*. Ista autem descriptio terræ nostræ habitabilis clariùs patebit *Psalmo* 103. secundùm veram descriptionem *Ptolomei*.

Sed quia omnes istæ tres partes principales mundi, scilicet, *Asia*, *Africa*, & *Europa* receperunt jugum & fidem Christi: ideo dicit David, quòd iste Christus Rex Messias *dominabitur* toti orbi *à mari* Mediterraneo *usque ad* utrumque *mare* Oceanum, scilicet, *usque ad Australem*. Et sic comprehendit totam *Africam*: usque ad mare Aquilonare. Et sic comprehendit totam *Europam*: & etiam *dominabitur* ab utroque *flumine*, scilicet, Nilo & Tanai, *usque ad terminos orbis terrarum*, versus ortum, supple: & sic comprehendit totam *Asiam*. Et sic patet secundùm istam divisionem & descriptionem terræ, quòd Christus toti orbi erat dominaturus. E

Dividit Plinius terrã habitabilẽ.

Secundo modo *Plinius*, & cæteri Cosmographi dividunt & describunt orbem naturaliter secundùm aspectum cœli: & sic dividunt ipsam terram habitabilem in tres partes. Unde totam terram quæ est inter Tropicos usque ad tertium clima exclusivè, appellant *Æthiopiam*: eò quòd est calida, & gignit homines nigros: & ista est major pars terræ habitabilis, ratione latitudinis & longitudinis, ut potest patere intuenti.

Aliam extremitatem terræ post sextum clima ad Aquilonem appellant *Scythicam*, & totam terram contentam in quatuor climatibus inter mediis vocant *Tyrrhenam* sive *Elysiam*: eò quòd favorabilior F & convenientior vitæ & habitationi hominum. Et in hac media parte mundi viget sapientia & scientia, & artes, & leges, & optimi & humani mores hominum: cæteri omnes, tàm *Scythæ*, quàm *Æthiopes* reputantur barbari, & Nomades, & pastores semper errantes, & vagantes, & mutantes loca: *Æthiopes*, propter ardorem & æstum Solis: & *Scythæ*, propter glaciem & frigus: sed omnes istæ tres partes, & generationes mundi venerunt ad jugum & Fidem Christi, ut patebit. Ideo subdit David, & probat per singula, dicens:

Ut patet in gloss. Matth. 4.

8. *Coram illo procident Æthiopes: & inimici ejus terram lingent.* G

CORAM *illo*, scilicet, Christo, *procident* adorando ipsi *Æthiopes*, *& inimici ejus*, scilicet, Scythæ *terram*, id est, vestigia Christi, *lingent*, & adorabunt, & osculabuntur. Unde notanter dicitur: *Coram illo procident Æthiopes*: quia procidentes in terram adorant semper, & adorant Christum cum majori devotione & prostratione quam Latini. Item *Scythas* dicit *inimicos*; eò quòd erant bestiales, & feroces, & inhumani, & *inimici* nominis Christi. Sicut fuerunt *Gothi*, & *Hunni*, & *Vandali*, & *Alani*: sed postea fue- H runt boni Christiani. Qui dicuntur *terram lingere*: quia vestigia Sacerdotum, & Sanctorum, & limina Ecclesiarum osculantur, sicut faciunt *Ungari*, qui veniunt de stirpe *Hunnorum* & *Scitharum*.

Etiam per ly *inimici* possunt intelligi omnes Reges & Tyranni Gentilium, qui post conversionem *lingebant*, & osculabantur limina Ecclesiæ. Unde primò nominat *Æthiopes*, eò quòd primò venerunt ad fidem predicatione *Beati Matthei*: de quibus suprà dictum est *Psalmo sexa-*

ge-

gesimoseptimo : Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

A

Isai. 60. b Matth. 2.

9. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent : reges Arabum & Saba dona adducent.*

HIC prædicit, quòd non solùm *Æthiopes*, & *Scythæ* erant venturi ad fidem Christi, sed etiam gentes *Mediæ*, scilicet *Indi*, & *Arabes*, & cæteri habitantes inter secundum & septimum clima : quia sapientiores & nobiliores ingenio, & moribus.

Unde notandum est : quòd tota regio quæ est inter *Gangem* & magnum fluvium *Senum*, quod hodie dicitur regnum *Mantin*, appellatur in Scriptura veteris Testamenti *Tharsis*, quæ est regio *Indorum*, ditissima auro, & argento, & aromatibus. Et ante ostia *Gangis* respondet in mari Indico magna insula *Trapobana*, pariter argento & auro abundantissima. Hanc appellat Scriptura *Ophir*. Unde ad hanc *Tharsis*, & *Ophir* mittebat *Salomon* naves per triennium ad portandum aurum & argentum in Judæam, ut patet 3. *Reg.*

Deinde per Trapobanam in eodem mari Indico sunt 1800. insulæ quas *Ptolomeus*, *cohortes* appellat. Et sic David dicit : *Reges Tharsis & istæ insulæ* omnes *offerent munera* isti *regi* Christo. Unde per *Reges Tharsis* intelligit omnes reges *Indorum*, qui regnant in regione *Sinarum*, & *Catay*, & *Mantich*, & cæterorum regnorum triplicis *Indiæ*. Item, per ly *insulæ* non solum intelligit 1800. *cohortes* sitas in mari *Indico* : sed etiam insulas *Ciclades*, & cæteras sitas in Mediterraneo : & etiam 30. *Fortunatas* in *Oceano Athlantico*. Et 20. *Orcades* in *Oceano Britannico*, quas *Ptolomeus* appellat *Albiones* : quia omnes istæ venerunt ad fidem Christi, ut probabitur.

B

C

Item sequitur : *Reges Arabum*. Arabia est quicquid est inter *Sinum Persicum*, & *Hellanicum*, sive Arabicum : & est Peninsula circumdata *mari Rubro* : in cujus littore versus Austrum est magna regio dicta *Saba*. Et tota ista *Arabia* dicitur *felix*, à felicitate auri, & aromatum : & dicitur *Arabia interior*, in qua regnabant septuaginta Reges. Et etiam ista *Arabia* extenditur versus Aquilonem usque *Damascum*: quæ etiam est duplex ; scilicet, *Arabia Petrea*, & *Deserta*. In hac etiam regnabant multi Reges, qui omnes venerunt ad fidem Christi. Ideo dicit : *Reges Arabum*, & reges *Saba adducent dona* ipsi Christo. Item, ut comprehendat omnes nationes, & conditiones, & dignitates hominum qui venerunt ad fidem Christi, subdit:

D

E

10. *Et adorabunt eum omnes reges terræ : omnes gentes servient ei.*

23. q. 4. Ecclesia.

HIC prædicit Latriam dandam, & debitam ipsi Christo Messiæ. Ad cujus intellectum est notandum : quòd *Latria* est cultus soli Deo debitus ratione summi dominii, & bonitatis, & potestatis : & sic soli Deo debetur quia est summè potens, & creator, & recreator. Et ideo triplici honore est colendus. Primò, adoratione cum procidentia : & hoc ratione omnipotentiæ. Secundò, oblatione & sacrificio : & hoc ratione gubernationis. Tertiò, hymnis & orationibus : & hoc pro beneficiorum largitione. Et sic verè Christo competit Latria ; quia creator, & universalis Dominus, & Judex, & Redemptor, & verus Deus. Unde sicut illa humanitas fuit instrumentum in nostra redemptione : ita simul adoratur cum Verbo, cum quo personaliter unita est.

Triplici honore est Deus colendus.

F

Unde in hoc decipitur *Cambi* in hoc passu, dicens, quòd nos ponimus quaternitatem in Deo : scilicet Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & humanitatem Christi : quem *Filium Dei regis* vocamus. Unde iste cœcus putat quod humanitas Christi faciat numerum cum Verbo divino ; & hoc accidit, quia non percipit unitatem personalem humanitatis cum Verbo : & sic per se non adoratur humanitas, sed Persona : quia non adoratur humanitas, sed Verbum humanatum & incarnatum, ut ait *Hieronymus*, *in Sermone de Assumptione Virginis Mariæ*. Ex hoc patet : quòd toti Christo per se debetur Latria.

G

Tria ergo facit David in hac ultima parte. Nam primò prædicit adorationem ab omnibus nationibus Christo exhibendam. Secundò, ejus oblationem. Tertiò, qualiter erat hymnis & laudibus colendus. Secunda ibi : *Et vivet, & dabitur ei.* Tertia ibi : *Sit nomen ejus benedictum.* Dicit ergo ad primum, eò quòd supra dixit ejus universale dominium *à mari usque ad mare &c.* Ideo ratione summi, & universalis dominii debetur sibi adoratio : ideo dicit : *Adorabunt eum omnes reges, & omnes gentes servient ei.* Tota ista prophetia successivè impleta est in Christo, ut dictum est. Nam reges Gentilium, qui antè persequebantur Christianos, postea conversi ad fidem tempore *Constantini*, adorarunt eum tanquam Deum & Dominum : & *prociderunt coram eo*, & vestigia ejus *linxerunt*, & sunt osculati, & servierunt ei cultu Latriæ, ratione summi dominii, & majestatis, & bonitatis, & potestatis. Et ideo reddit causam quare *adorabunt eum omnes reges.* Et dicit:

H

11. *Quia*

11. *Quia liberabit pauperem à potente : & pauperem cui non erat adjutor.*

23. q. 4. c. Duo. Ante finem.

ID eſt, totum genus humanum *à* diabolo *potente* : non quòd diabolus habeat de ſe tantam potentiam, niſi in quantum à Deo ſibi erat permiſſa uſque ad adventum Chriſti, propter peccatum primorum parentum. Unde tanta eſt potentia diaboli contra hominem, quantus locus ſibi à nobis datur, non ſervando Dei præcepta, & recedendo à Deo. Nam qui elongatur à Deo, adhæret & ſubjicit ſe diabolo : & tunc diabolus dicitur *potens* poteſtate, quam ſibi dant peccatores, & quam Deus ipſi permittit. Et ſic fuit totum genus humanum in poteſtate diaboli uſque ad adventum Chriſti : à qua poteſtate nemo poterat hominem liberare, niſi ſolus Chriſtus. Ideo dicit, *quia liberabit* populum *pauperem à potente*, ſcilicet diabolo : *pauperem*, dico, *cui non erat adjutor*, niſi ſolus Chriſtus ad hoc deputatus, & in Lege promiſſus.

Diabolus multipliciter genus humanum affligebat.

Unde nota : quòd diabolus multipliciter affligebat genus humanum ante Chriſti adventum : quia non ſolùm vexabat per peccatum idololatriæ, & vitiorum in anima : ſed etiam vexabat in corpore. Nam cogebat cultores ſuos ad nefanda & enormia ſcelera & flagitia. Cogebat enim patres immolare filios & filias, ut *Pſalmo* 105. dicetur & etiam patres comedere filios, & econverſo, ut fiebat apud *Scythas*, & alias barbaras nationes. Et ſic *Buſiris* Ægyptius comedebat hoſpites ſuos, & etiam cogebat matres proſtituere filias lupanaribus, & turpi & neſandæ luxuriæ : & conſecrare eas Veneri ad turpitudinem : & cogebat cultores ad ludos ſcenicos, & alios neſandos ritus, ut dictum eſt *Pſalmo* 11. à quibus miſeriis ſolus Chriſtus liberavit genus humanum, ut demonſtrat *Euſebius* 6. *de Præparatione Euangelica*. Ex quo patet, quòd Chriſtus non ſolùm *liberavit* hominem quoad animam à diaboli poteſtate, ſed etiam quoad corpus, tales ritus neſandos auferendo. Et per hoc patet hujus magni regis Chriſti omnipotentia, propter quam ſibi debetur adoratio Latriæ : unde non ſolùm Chriſtus liberavit genus humanum ab idololatria & prædictis neſandis ritibus : ſed etiam à culpâ, & peccatis commiſſis : unde dicit:

12. *Parcet pauperi & inopi : & animas pauperum ſalvas faciet.*

47. d. ca. Sicut bii.

13. *Ex uſuris & iniquitate redimet animas eorum : & honorabile nomen eorum coram illo.*

De Conſe. d. 2. cap. Iteratur.

PAuperi *& inopi*, id eſt, peccatori ope deſtituto. *Et animas pauperum ſalvas faciet* à culpâ & pœnâ æternâ, ſupple.

Unde nota : quòd omnis peccator dicitur *pauper*, in quantum caret bonis & divitiis gratiæ : & dicitur *inops*, in quantum nec à ſe, nec ab alio poteſt liberari, niſi à ſolo Chriſto : quia nullus alius poterat ſibi opem ferre : quam opem tulit Chriſtus nobis per paſſionem & Sacramenta.

Item dicit etiam : *Parcet pauperi* : quia Chriſtus non parcit ſuperbis, ſed humilibus & pauperibus ſpiritu : & hos ſalvavit, & ſalvat : & non ſolùm Chriſtus ſalvavit genus humanum à peccatis præteritis & culpis commiſſis, ſed etiam à futuris, in quantum dedit Legem Euangelicam prohibentem omnem uſuram, & iniquam paſſionem & operationem. Ideo ſequitur : *Ex uſuris & iniquitate redimet animas eorum*. Et quia ſervans Legem Euangelicam prohibentem omnem uſuram & illicitam operationem, & docentem, & præcipientem omnem virtutem, & dilectionem Dei & proximi, in ea juſtificatur : ideo obſervator Legis Euangelicæ dicitur juſtus & virtuoſus : ideo ſibi debetur honor & præmium coram Deo : ideo ſequitur : *& nomen eorum*, id eſt, colentium Euangelium, erit *honorabile* & acceptabile *coram illo*, ſcilicet Chriſto : quia talem honorificabit Pater Chriſti in cœlo, *Joann.* 12. *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus &c.* Ex quibus patet, quòd Chriſtus eſt Deus : quia ſolus Deus delet peccata populi, *Iſai.* 34. ergo ſibi debetur adoratio Latriæ. Item, *nomen* Chriſtianorum eſt *honorabile coram Deo* : quia Chriſtianus dicitur à Chriſto, & dicitur unctus, & genus regale, & honorabile, & nomen dignitatis ; & ideo acceptabile.

Obſervator Legis dicitur juſtus.

De Pœn. d. 3. c. In actione, & 20. q. 1. c. Quia ex ſola.

14. *Et vivet , & dabitur ei de* A *auro Arabiæ , & adorabunt de ipſo ſemper : tota die benedicent ei.*

QUIA dictum eſt ſuperiùs , quòd Chriſto debetur adoratio Latriæ ratione ſummæ omnipotentiæ ; hîc dicit, quòd etiam dabitur ſibi oblatio ratione ſummæ majeſtatis & dominii. Etiam quia ſupra dixit , quòd Chriſtus per ſuam paſſionem liberavit & ſalvavit animas pauperum &c: ideo , ne quis putaret quod iſte Rex totaliter per mortem deleretur & conſumeretur , ideo dicit : *Et* iſte Rex Chriſ- B tus poſt mortem *vivet* in æternum : quia reſurget à mortuis , & poſt mortem & reſurrectionem regnabit in æternum , & *dabitur ei* cultus Latriæ *& dabitur ei* oblatio : quia *dabitur ei de auro Arabiæ* in oblationem , *&* omnes gentes *adorabunt de ipſo* , id eſt , pro beneficiis ſuis: & *tota die* , id eſt , per totum tempus gratiæ , *benedicent ei* , agendo gratias.

Not. partes Latriæ.

Et nota : quòd in hoc verſu tanguntur omnes partes Latriæ. Primò tangitur *oblatio* , cum dicitur : *Vivet , & dabitur ei de auro Arabiæ* , in oblationem : quia in *Arabia* naſcitur copia auri : & maximè Chriſtus in *Arabia* fuit primitus adoratus. Secundò , tangitur *adoratio* , cum C dicitur : *Et adorabunt de ipſo ſemper.* Tertiò , tangitur *hymnus* & *oratio* , quæ ſoli Deo debetur per Latriam , cùm dicitur : *Tota die benedicent ei.* Hæc autem prophetia fuit impleta , primò , quando Reges & Magi obtulerunt Chriſto aurum , thus , & myrrham. Secundò , quando *Conſtantinus* , & cæteri Reges obtulerunt magnos theſauros in fabricas & ornamenta Eccleſiarum.

Hîc arguit *Cambi* contra Chriſtianos , dicens , quòd Meſſias in Lege promiſſus debet vivere in æternum , & non mori : ſed *Jeſus Nazarenus* mortuus fuit: Ergo non eſt Meſſias , cùm hîc dicatur: *Vivet , & dabitur ei &c.* Sed manifeſtè patet cœcitas hujus obſtinati. Nam Chriſ- D tus reſurrexit à mortuis ad vitam glorioſam & immortalem : & poſt reſurrectionem regnabit in æternum.



De Conſe. d. 2. Nihil, 13. q. 4. c. Non æſtimemus.

E 15. *Et erit firmamentum in terra in ſummis montium , ſuperextolletur ſuper Libanum fructus ejus: & florebunt de civitate ſicut fœnum terræ.*

QUIA ſupra dixit , quòd Chriſto erat danda adoratio & oblatio , tanquam vero Deo , hîc dicit , quòd non ſolùm dabitur ei oblatio : ſed etiam ipſemet erit offerendus in oblationem quotidie ſub forma panis per Sacerdotes in Sacramento Euchariſtiæ. Et ſic prædicit ſacrificium Euchariſtiæ , quod jugiter in Eccleſia of- F fertur in memoriam paſſionis Chriſti. Unde eſt advertendum , quòd ubi Translatio noſtra habet : *Erit firmamentum in terra in ſummis montium* , Translatio *Chaldaica* habet : *Erit panis ſuper montes* : Tranſlatio autem *Hieronymi* habet : *Erit memorabile triticum.* In Hebræo habetur: *Erit placentula panis.* Ideo putant aliqui , hoc vocabulum *firmamentum* , eſſe corruptum : quia debuit dicere : *Erit frumentum* , id eſt , *triticum.* Et hoc fortè accidit vitio ſcriptoris , propter vicinitatem ſoni inter *frumentum* & *firmamentum.* Sed forſan iſta noſtra Translatio poteſt ſuſtentari : nam quia frumentum & panis eſt firG mamentum & ſuſtentamentum vitæ hominis : ideo aliquando in Scriptura pro *frumento* , ſive pane , ponitur *firmamentum.* Unde *Pſalmo* 103. dicitur : *Panis cor hominis confirmet.* Item *Pſalmo* 104. habetur : *Vocavit famen ſuper terram , & omne firmamentum panis contrivit.* Quomodo ergo cumque ponatur , hîc memoratur & prædicitur ſacrificium Euchariſtiæ , in quo Chriſtus offertur in forma panis quotidie.

Figura Sacramẽti.

Nam Chriſtus elevatur ſuper capita Sacerdotum quotidie : ſicut figuratum eſt *Exod.* 29. ubi Deus præcepit cruſtulam panis elevari ſupra capita Sacerdotum coram populo. Eadem figura præceſſit de panibus propoſitionis , *Exod.* 25. & *Le-* H *vit.* 24. Et ideo in alia Translatione quæ dicitur Thargum , habetur : *Erit placentula tritici ſuper capita Sacerdotum &c.*

Dicit ergo David ſic : Iſte Rex Meſſias *erit firmamentum* , ſive *frumentum*, ſive *memorabile triticum in terra in ſummis montium* , id eſt , ſuper capita Sacerdotum elevabitur in forma panis. Nam ſæpe in Scriptura per *montes* intelliguntur *Sacerdotes* , propter eminentiam dignitatis , ſicut dictum eſt ſupra. Ideo ſequitur: & *extolletur ſuper Libanum fructus ejus*: fructus enim hujus Sacramenti ſunt collatio & reſtauratio gratiæ deperditæ : reconciliatio membrorum ad caput : multiplica-

tio

tio fidelium : augmentum virtutum : vita æterna &c. qui fructus sunt uberiores, & altiores, & pretiosiores, quàm sit *Libanus* & fructus ejus : qui quidem *Libanus* est fertilior cæteris montibus. Et ideo sequitur : *fructus* hujus Sacramenti, quæ est multitudo fidelium, *florebunt* & multiplicabuntur per mundum, *sicut fœnum terræ* : ex quibus omnibus fidelibus conficitur unum corpus Ecclesiasticum, sicut ex multis granis unus panis conficitur: & etiam isti fideles, qui nutriuntur ex isto pane, *florebunt* virore gratiæ, & multiplicabuntur, sicut multiplicatur & viret fœnum in terra. Hoc ergo est sacrificium quod David prædicit in Ecclesia futurum, cui etiam debetur *Latria* in quantum Deus.

Fructus hujus Sacramenti sunt fideles.

Not. bene hâc compositionem.

Et nota etiam omnes terminos positos in hoc versiculo. Nam primò dicitur: *Erit memorabile triticum*, sive *frumentum*, sive *placentula panis in terra* : ad denotandum, quòd hoc Sacramentum, sive sacrificium tantum est celebrandum & memorandum in terra. Nam in cœlo non erit necessarium celebrari : quia jam Beati vident Christum facialiter, & ejus præsentiâ clarâ visione fruuntur, & reficiuntur : sed tantùm est necessarium sacramentaliter celebrari in hac vitâ. Ideo dicitur *cibus viaticus* sub tali specie panis. Secundò dicitur : *Extolletur super Libanum fructus ejus.* Nam sicut in montibus *Syriæ* solus *Libanus* est magis fructuosus, & magis eminens & altior, à quo fluit Jordanis fluvius : ita sola Ecclesia in hoc sæculo est fructuosa, germinans, & regenerans fideles, & fructus dignos vitæ æternæ : à qua Ecclesia emanat fluvius & fons Baptismalis, unde regenerantur filii regni. Item, denotat etiam, quòd fructus hujus Sacramenti superextolluntur super omnia alia Sacramenta Ecclesiæ in dignitate.

Tertiò additur : *Florebunt de civitate sicut fœnum terræ.* Nam Ecclesia Christi non solùm dicitur *Libanus* propter eminentiam, & fertilitatem, & albedinem, & vehementem abundantiam arborum, & herbarum, & aquarum ; sed etiam dicitur *Civitas*, propter frequentiam civium, & concordem multitudinem sub una fide & charitate sociatam : ideo sola Ecclesia meretur dici *civitas* : quia sub vera Lege Euangelica regitur & vivit. Ideo quotquot sunt extra Ecclesiam dicuntur *Pagani* : quia sola ista floret abundantiâ & diversitate conditionum & statuum, scilicet, *Apostolorum*, *Martyrum*, *Doctorum*, *Confessorum*, *Religiosorum*, *Monachorum*, *Sanctimonialium*, *Virginum*, *Viduarum*, *Conjugatorum &c.* Item, sicut *fœnum* abundat in *Libano*, & crescit, & viret ex abundantia pluviæ cœlestis: ita fideles multiplicantur in Ecclesia ex pluvia Baptismali, & abundantiâ donorum & gratiarum Spiritus sancti.

Item, per hoc quod additur : *In summis montium*, denotatur, quòd ista abundantia non est intelligenda de *tritico*, sive *frumento* materiali, sicut cœci Judæi dicunt, quòd in adventu Messiæ erit magna abundantia frumenti & vini & olei : nam abundantia talium fructuum materialium potiùs solet fieri in planis, & vallibus, & locis cultis, quàm in summitatibus montium. Ideo per *summitates montium* intelliguntur capita Sacerdotum, qui elevant Corpus Christi sub specie panis super capita sua in Sacramento Eucharistiæ, & ostendunt populo. Et sic patet manifestè, quòd hîc loquitur de Sacramento altaris, in quo Christus offertur & adoratur: & ideo *Translatio Chaldaica* dicit, quòd Messias *erit placentula panis super capita Sacerdotum* : ut figuratur *Exod.* 29.

16. *Sit nomen ejus benedictum in sæcula : ante solem permanet nomen ejus.*

5. q. 1. Revertimini.

HIC describitur tertia pars *Latriæ* Christo debitæ, scilicet, *hymnus*, *laus*, & *oratio*. Unde notandum : quòd ista quinque se habent per ordinem, scilicet, *Revereri*, *honorare*, *laudare*, *glorificare*, sive *magnificare*, & *adorare*. Nam *revereri*, est, quando quis majora bona existimat in alio, quàm in seipso : *honorare* est, reverentiam quam quis in animo gerit erga alium, exterius ostendere: ideo dicitur honor, *Exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis*, secundùm *Tullium*. *Laudare* est, ipsum honoratum aliis commendare. *Glorificare*, sive *magnificare*, est, laudes honorati largè lateque præconizare. *Adorare* autem est, reverendum, honoratum, laudatum, glorificandum, sive magnificandum, propter eminentiam sanctitatis & majestatis & bonitatis colere, & omni aliâ spe postpositâ, se totùm illi committere & subjicere. Et talis cultus dicitur *Latria*, quæ soli Deo convenit. Dicitur etiam *Eusebia* in Græco, id est, *optimus cultus* : quæ non fit sine oblatione, & adoratione, & hymnis, & oratione, ut dictum est. Ideo *Pythagoras* triplici honore dicebat Deum colendum, ut patet *primo cœli*, scilicet, *munere*, & *prostratione*, & *hymno*, sive *carmine*.

Not. de Revereri honorare &c.

Hanc ergo tertiam partem Latriæ Christo debitam, & exhibendam, quæ est magnificatio, & glorificatio cum hymnis, & laudibus, & benedictionibus, & orationibus, tangit & prædicit David in hac ultima parte, cùm dicit : *Sit nomen ejus benedictum*, scilicet, glorificatum, & magnificatum, non solùm temporaliter, sed etiam *in sæcula* : quoniam Christus non incœpit temporaliter præcisè, sicut dicunt

NOTA.

cœci Judæi, ſed *ante ſolem*, & per conſequens æternaliter *manet nomen ejus*, quod eſt *Jeſus* & *Salvator*. Nam *ſalvare*, idem A eſt quod *dare eſſe perfectum*, & in tali *eſſe conſervare*, ut dictum eſt. Et ſic ſoli Deo convenit, qui dedit nobis *eſſe* per creationem, & *perfectum eſſe* per recreationem, & *perfectiſsimum & optimum eſſe* per glorificationem.

Et ideo Chriſtus rectè vocatur *Jeſus*, à quo habemus *omne eſſe* : nam dictum eſt frequenter, quòd iſta ſe habent per ordinem, ſcilicet *eſſe*, *vivere*, & *ſalvare*. Nam *eſſe*, convenit omnibus, tàm inanimatis, quàm animatis : ſed *vivere* ſolis animatis : ſed *ſalvare*, quod dicitur habere vitam ſine defectu, ſoli Deo per ſe competit : ſed participativè communicatur ſolis Angelis, & hominibus Beatis. Ideo per B ſe ſoli Deo dicitur : *ſit ſalus illi*, id eſt, vita ſine defectu : & ſic ſolus Deus eſt *Jeſus*, id eſt, ſalus, & ſalvator. Et hoc eſt nomen ejus *Adonai*, ut dictum eſt *in Prologo*, & *Pſalmo* 8. & ſic Chriſto Jeſu debetur Latria, & benedictio : ideo quia hoc nomen non ſolùm de ſe eſt benedictum ab Angelis & hominibus, in quantum eſt eſſentialiter *ſalus* & *benedictio* ; ſed quia iſtam ſalutem communicavit hominibus per regenerationem : quia in ipſo ſumus regenerati, & benedicti, & liberati, & ſoluti á maledicto. Ideo ſequitur:

De Conſe. d. 2. Acceſſerunt in gloſ.

17. *Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ : omnes gentes magnificabunt eum.* C

BEnedicentur *in ipſo omnes tribus terræ*, ſcilicet per mortem, & paſſionem, & regenerationem Baptiſmalem. Quaſi dicat, in ipſo Chriſto Jeſu complebitur promiſſio facta ipſi *Abrahæ*, *Geneſ.* 15. & 22. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes* : & quia propter tale beneficium debetur ſibi tertia pars Latriæ, quæ dicitur *magnificentia* ; ideo ſequitur : *Et omnes gentes magnificabunt eum* : id eſt, magnificum & glorioſum longè lateque præconizabunt, agendo gratias de beneficiis creationis, & recreationis, & redemp- D tionis in hymnis, & canticis, & prædicationibus.

Luc. 1. g

18. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus.*

Quare Chriſto debetur Latria.

NOTA, quòd quatuor cauſas aſſignat David in his quatuor ultimis verſibus, quare Chriſto debetur Latria, & *magnificentia*. Primò, ratione æternitatis : quia *ante ſolem manet nomen ejus*. Secundò, ratione ſummæ bonitatis & miſericordiæ : quia in ipſo erant bene- E dicendæ omnes gentes, & redimendæ, ut dictum eſt. Tertiò, ratione omnipotentiæ : quia ipſe ſolus operatus eſt mirabilia : primò, quia mirabiliter mundum ex nihilo creavit. Secundò, quia in ſuo adventu primò *fecit mirabilia ſolus*, infirmos ſanando, mortuos ſuſcitando, ſuper aquas ſiccis pedibus ambulando, & Limbum inferni expoliando : quæ omnia iſta mirabilia ſolus potuit facere : ideo pertinent ad ejus omnipotentiam. Et ſic debetur ipſi Latria benedictio. Ideo dicitur : *Benedictus* Chriſtus *Dominus Deus Iſrael*, id eſt, Iſraeli promiſſus, & expectatus : quia ipſe *ſolus facit mirabilia* ſupradicta. Ideo debetur ei, & dabitur F benedictio & honor & magnificentia cum *Latria*. Quartò debetur ipſi Latria *benedictio* ratione ſummæ majeſtatis.

Nota, quòd Chriſtus licèt in ſe habuerit majeſtatem ; tamen non eam omnibus oſtendit in primo adventu, eò quòd venit ad patiendum pro nobis, & ad dandum exemplum vitæ & doctrinæ. Ideo venit cum humilitate & paupertate, & potius oſtendit infirmitatem, quam pro nobis aſſumpſerat, quàm majeſtatem, quam ab æterno habuerat, ut ipſe ait, *Joann.* 12. & 17. *Clarifica me Pater ea claritate quam ab æterno habui &c.* ſed in ſua Aſcenſione oſtendit ſuam majeſtatem ſolis diſcipulis : quam majeſtatem prædicaverunt Apoſtoli per univerſam terram. G Et ſic majeſtas Chriſti licèt fuerit viſa ipſis Apoſtolis, tamen non eſt viſa per univerſam terram : ſed *nomen majeſtatis* Chriſti fuit auditum, & prædicatum, & cognitum in univerſa terra. Sed in ſecundo adventu quando Chriſtus *veniet in poteſtate & majeſtate magna*, tunc *tota terra erit repleta majeſtate ejus* ; quia tunc omnes ipſum videbunt in ſua majeſtate, & cognoſcent ipſum eſſe Deum & Dominum, & verum Meſſiam in Lege promiſſum : & cognoſcent, quòd ipſi debetur *adoratio Latria*. Et ſic manebunt confuſi Judæi, & infideles, qui ipſum non receperunt. Et hoc eſt quod dicit hîc David, cùm ait: H

19. *Et benedictum nomen majeſtatis ejus in æternum : & replebitur majeſtate ejus omnis terra: fiat, fiat.*

15. q. 1. R vertimini, & de Conſe. d. 3. c. ultimo.

QUIA pro nunc ſolùm habemus *nomen majeſtatis ejus* per auditum & fidem, & ſic ipſum benedicimus & adoramus &c. Sed in ſecundo adventu *tota terra replebitur majeſtate ejus* : quia om-

omnes ipſum videbunt in ſua *majeſtate.* Ex quo patet, quòd ſemper debetur ipſi cultus Latriæ. Etiam poſſumus dicere quod in primo adventu *tota terra fuit repleta majeſtate* Chriſti effectivè per opera, & miracula facta per ipſum, & Apoſtolos. Et fuit *repleta terra* beneficiis, & donis, & gratiis ejus. Quare *ſit nomen ejus benedictum*: & concludit, *fiat, fiat*: id eſt, *fiat* hoc in cœlo & in terra, & *fiat* hoc corde & opere, & cum affectu & effectu &c. A

Et ſupponitur in Hebræo talis ſuperſcriptio in fine hujus Pſalmi, ſcilicet: *Defecerunt laudes David filii Jeſſe.* Per hoc concordant omnes Doctores, tàm Hebræi, quàm Catholici Chriſtiani, quòd iſte Pſalmus eſt ultimus, quem David fecit in ſua ſenectute; & quod iſte Pſalmus collocabatur ultimus in ordine in Libro Pſalmorum antiquo ante Babylonicam captivitatem: ſed quia *Eſdras* poſt incenſam Legem recollegit hinc & inde Pſalmos diſperſos per domos Levitarum; ideo ſicut reperiebat, ita collocavit in hoc Libro. Et ſic non ſunt Pſalmi collocati ſecundùm ordinem temporis ſicut ſucceſſivè ſunt facti, ſed eo ordine quo fuerunt recuperati & reperti. Et ſic quia iſte Pſalmus fuit repertus 71. in loco 71. fuit collocatus in hoc libro: ſed in libro antiquo erat in ultimo loco collocatus, quia erat 150. Ideo in fine hujus Pſalmi appoſitus fuit talis Titulus, ſive deſcriptio: *Defecerunt laudes David.* Ex quo patet, quòd David fecit iſtum Pſalmum, licèt intituletur, *In Salomonem.* Et omnes alios qui intitulantur, *Ipſi Aſaph*, & *filiis Core*: & per conſequens fecit omnes Pſalmos, ſicut dictum eſt in principio ſecundùm opinionem *Beati Auguſtini.* B C

Probatur quod Chriſtus erat verus Meſſias.

Ex quibus etiam patet, quòd iſte non poteſt exponi de *Salomone*, nec de regno ejus, nec de aliquo puro homine, ſed de ſolo Chriſto; cui conveniunt omnes conditiones in hoc Pſalmo memoratæ: per quas poſſumus probare firmiter contra Judæos Chriſtum fuiſſe, & eſſe verum Meſſiam in Lege promiſſum, & non alium expectandum.

Prima conditio, quam hîc aſſignat David, eſt, quòd Deus Pater erat daturus univerſalem poteſtatem judiciariam Chriſto Meſſiæ Filio ſuo. Hoc fuit impletum in Chriſto; primò, quia Chriſtus eſt Filius Dei quoad divinitatem ab æterno, & quoad humanitatem, ex tempore: & non ſunt duo, ſed unicus Filius, ut dictum eſt. D

Item *ſecundo*, Pater dedit Filio regi Meſſiæ poteſtatem judicandi duplici judicio, ſcilicet, judicio diſcretionis & judicio examinationis, ut dictum eſt ſæpius.

Tertiò, dicit quòd Chriſtus erat judicaturus, & electurus pauperes, & judicaturus judicio diſcretionis: quod impletum eſt *Matth.* 5. & 10.

Quartò: quòd *montes*, id eſt, Apoſtoli, & *colles*, id eſt Doctores, erant accepturi à Chriſto Legem pacis & juſtitiæ ad prædicandum populo. E

Quintò: quòd Chriſtus erat ſalvaturus *pauperes*, *& filios pauperum:* quod impletum fuit per ſuam mortem, & paſſionem, & per Eccleſiaſtica Sacramenta.

Sextò: quòd Chriſtus erat humiliaturus, & debellaturus, & dejecturus, & expulſurus diabolum *calumniatorem* de mundo, in quo per idololatriam regnabat.

Septimò: quòd Chriſtus fuit ab æterno *ante lunam*, & æternaliter permanebit incorruptibilis *ſicut Sol.*

Octavò: quòd Chriſtus erat deſcenſurus in uterum Virginis, *ſicut pluvia in vellus &c.* & hoc quoad Incarnationem. F

Nonò: quòd *in diebus ejus* erat oritura *juſtitia*, *& abundantia pacis.*

Decimò: quòd Chriſtus debebat *dominari à mari uſque ad mare.*

Undecimò: quòd *Æthiopes*, & omnes Tyranni erant Chriſto ſubjiciendi & *reges Tharſis*, *&* omnes *inſulæ* debebant ei munera offerre.

Duodecimò: quòd Chriſtus erat liberaturus *pauperum*, ſcilicet, genus humanum, *à potente* diabolo de multiplici miſeria.

Tertiodecimò: quòd debebat *parcere pauperi*, & culpam remittere.

Quartodecimò: quòd debebat ejicere omnem uſuram, & iniquum & illicitum contractum de mundo.

Quintodecimò: quòd *nomen* Chriſtianum debebat eſſe *honorabile*, & acceptum, & dignum ante Deum. G

Sextodecimò: quòd poſt reſurrectionem ſemper *vivet* & regnabit & adorabitur: quaſi dicat, quòd regnum Chriſti poſt reſurrectionem debebit oſtendi.

Decimoſeptimò: quòd Chriſtus erat offerendus in Eccleſia ſub forma panis in Sacramento Euchariſtiæ, & adorandus ſuper capita Sacerdotum.

Decimooctavò: quòd fideles erant multiplicandi in civitate Eccleſiæ ſicut fænum terræ.

Decimononò: quòd Chriſtus, ſive *nomen* Chriſti erat benedicendum, & adorandum ratione æternitatis quia *ante Solem manet nomen ejus.* H

Vigeſimò: quòd Chriſtus erat adorandus ratione omnipotentiæ: quia erat magna facturus.

Vigeſimoprimò: quòd Chriſtus erat adorandus ratione ſummæ bonitatis; eò quòd nos redemit: quia in ipſo erant benedicendæ omnes gentes.

Vigeſimoſecundò: quòd Chriſtus erat adorandus ratione ſummæ majeſtatis & gloriæ, quam maximè oſtendet omnibus in ſecundo adventu. Ex his vigintiduabus con-

conditionibus & proprietatibus assignatis & memoratis, quæ fuerunt in solo Christo, patet ipsum fuisse verum Messiam in Lege promissum. A

Sed contra totam expositionem hujus Psalmi, & maximè contra conclusionem primò intentam, in qua concluditur, quòd ille magnus rex, de quo David loquitur in hoc Psalmo, fuit & est *Jesus Christus Nazarenus*, quem nos in verum Messiam recepimus, eò quòd omnia dicta in hoc Psalmo fuerunt in eo verificata, arguunt Judæi moderni, & maximè *Rabbi Cambi Barchinonensis*, in *glosa hujus Psalmi*, & 109. Unde dicit: quòd *Jesus Nazarenus* fuit homo pauper & dejectus, & finaliter afflictus, & crucifixus: nec unquam fuit Dominus unius parvæ villæ. Ergo non potuit esse iste rex, de quo loquitur David in hoc Psalmo, qui *dominabitur à mari* B *usque ad mare*: quem *adorabunt omnes reges*, *& omnes gentes servient ei &c.* quia in majori parte mundi regnant Infideles, & maximè *Mahometani*. Nam apud *Indos* regnat magnus *Cham* Tartarus & idololatra. In *Asia* vero, & *Parthia*, & *Media*, & *Mesopotamia*, & *Armenia* regnant *Tartari Zagathei* sub perfidia *Mahometi*. Et per totam oram Aquilonarem *maris Caspii* regnant *Tartari Gazarei* sub eadem secta Saracenica. Et in tota *Asia minori*, & *Græcia* usque ad *Meotin* regnat magnus *Turcus* sub eadem secta. Et in tota *Ægypto*, & *Arabia*, & *Syria* regnat magnus *Soldanus Ægypti* sub eadem secta. Item in tota ora *Africæ* regnat rex *Tunicii* sub eadem sectâ Saracenica & Mahometana. Et sic parva pars mundi restat, in qua regnant Christiani. Et sic patet, C quòd *Jesus Nazarenus* non est iste magnus Rex, de quo loquitur David in hoc Psalmo: quia non omnes reges terræ obediunt ei, nec serviunt &c.

Objectio Judæorũ.

Item arguunt quidam *Astrologi* & curiosi sic. Nam licèt Christus dominetur spiritualiter in aliquibus partibus hujus nostræ regionis habitabilis citra Tropicos Solis; tamen imperium suum non potuit, nec potest, transire ad partem Australem ultra Tropicos: eò quòd *Apostoli*, nec aliqui alii, nunquam potuerunt transire montes inaccessibiles *Æthiopiæ*, in quorum radicibus generatur ignis, & in lateribus & jugis eorum sunt perpetuæ nives. Et minus potuerunt transire ultra *Tropicum Ca-* D *pricornii*, eò quòd illa terra est suppositа opposito plagis Solis, ubi generatur continuus ignis ex reflexione radiorum Solis, maximè dum Sol est in signis Australibus. Et sic nullus potest accedere vivus ad illas partes, ut dicunt omnes Philosophi, & Astrologi. Tunc ergo arguitur sic. Nam in tota illa parte Australi ultra Tropicos vel habitant & vivunt homines, vel non? Non est dicendum quòd non: quia tunc

Objectio Astrologorum.

Deus frustra creasset illam medietatem mundi: hoc autem est falsum; quia Deus & natura nihil faciunt frustra. Ergo sequitur E quod in illa parte *Australi* habitant homines, sicut in ista nostra Aquilonari. Et per consequens sequitur, quod ad illos homines non potuit pervenire notitia de Christo, nec prædicatio Euangelica per Apostolos, nec alios Christianos: & per consequens in illa media parte mundi nec Christus dominatur, nec adoratur, nec colitur; & per consequens non est redemptor universalis, nec Dominus; de quo dicitur in hoc Psalmo, quòd *dominabitur à mari usque ad mare & ad terminos orbis terrarum*, *& animas pauperum salvas faciet &c.*

In oppositum est ipsa veritas Euangelica, *Matth. ultim.* dicens: *Data est mihi omnis potestas in cœlo*, *& in terra.* Item F *ad Philipen. 2. In nomine Jesu omne genu flectatur*, *cœlestium*, *terrestrium*, *& infernorum &c.*

Responsio.

Respondeo. Pro hujusmodi difficultate in hac quæstione duo sunt videnda. Primò, quomodo omnia dicta in hoc Psalmo fuerunt verificata, & continuè verificantur de Christo in hac tota parte mundi Aquilonari. Secundò, videbitur, quomodo fuerunt omnia verificata in parte mundi Australi, in qua nunc Christus adoratur & colitur. Ex quibus patebit, quod per omnes partes mundi fuit verificata, & verificatur de Christo prophetia hujus Psalmi.

Errant Judæi circa Messiam.

Quantum ad primum est advertendum, quòd quadrupliciter errant & decipiuntur Judæi circa Messiam & universale Regnum ejus. Primò, quia nec faciunt differentiam G inter primum & secundum adventum, nec inter dominium, sive regnum temporale & spirituale, nec inter regnum occultum & manifestum, nec inter regnum successivum per loca & tempora, & regnum totum simul. Unde Christus non erat regnaturus temporaliter, nec manifestè, nec familiariter in primo adventu; sed spiritualiter in absentia post resurrectionem: nec debebat regnare subitò per totum orbem, sed successivè per loca & tempora, incipiens ab *Hierusalem*, & *Samaria*, & *Galilæa* successivè *usque ad ultimum terræ*, usque ad secundum adventum, in quo restituet totum regnum mundi Deo Patri, ut ipse H dixit Apostolis, *Actor.* 1. quando ascendit in cœlum, ut ait Apostolus, 1. *ad Corinth.* 15.

Christus verus rex & Dominus.

His habitis, ponitur prima conclusio, scilicet: quòd *Jesus Christus* dominatus est spiritualiter *à mari Galileæ*, ubi cœpit prædicare, *usque ad mare Oceanum*: & *à flumine Jordanis*, ubi fuit baptizatus, & incœpit baptizare, *usque ad terminos orbis terrarum*: & hoc successivè per loca & tempora, à primo adventu usque ad secundum, sicut dicit Propheta, & intendit.

Ista

Iſta concluſio probatur per ſingula. Nam primò Chriſtus fuit natus in *Bethlehem*, juxta vaticinium Prophetæ *Micheæ* 5. ubi illicò fuit adoratus à paſtoribus : & eodem die ſtella apparuit in Oriente, cujus ducatu *Magi* venerunt adorare eum. Item, eodem die omnia idola juxta *mare Caſpium* & *Meotidas paludes*, & per omnia regna Aquilonaria incœperunt clamare, Regem pacis totius mundi eſſe natum : & flumen *Nili* exivit per ſeptem dietas extra alveum ſuum abſque læſione : & exinde intrat mare noſtrum per ſeptem oſtia, ut ait *Strabo*, & *Virgilius*, *in ſexto*. Unde ait:

Hujus in adventu jam nunc & Caſpia regna
Reſponſis horrent divûm, & Meotica tellus,
Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.

Ex quibus patet, quòd regnum Chriſti jam incœpit per multa ſigna manifeſtari per omnes partes mundi: ſed regnum Chriſti quoad effectum incœpit in *Jordane*, quando ſuit baptizatus, & baptizavit *Joannem Baptiſtam*, & Apoſtolos, & prædicavit juxta *mare Galilææ*, & miſit Apoſtolos ad prædicandum per totam terram promiſſionis : quia tunc incœpit manifeſtè facere, & augere populum per regenerationem Baptiſmalem. Et poſtea complevit myſterium noſtræ redemptionis in *Hieruſalem*, & poſt reſurrectionem & aſcenſionem miſit omnes Apoſtolos & diſcipulos ad prædicandum Euangelium omni creaturæ per univerſum mundum. Et ſic patet, qualiter regnum Chriſti incœpit *à mari Galilææ*, & flumine *Jordanis* & ſic fuit dilatatum uſque ad *mare Oceanum* occidentale, & uſque ad *mare Indicum*, & ad *omnes terminos orbis terrarum* ſucceſſivè per loca & tempora per Apoſtolos. Nam primò *Petrus* convertit tria millia, & exinde prædicavit per totam *Judæam*; & *Philippus* in *Samaria*, & *Galilæa*; & *Bartholomæus*, & *Thomas* profecti ſunt in *Indiam* ; & *Matthæus* in *Æthiopiam*; & *Simon* & *Judas* per totum *Ægyptum* & *Chaldeam* & *Perſiam* ; & *Jacobus* in *Hiſpaniam* ; & *Paulus* per *Græciam*, & *Italiam*, & *Galliam*. Et ſic paulatim incœpit dilatari regnum Chriſti per Apoſtolos.

Sed jam magis fuit dilatatum & confirmatum per Martyres, & ultimò per Doctores tempore *Conſtantini* : per cujus converſionem omnes reges venerunt ad fidem Chriſti. Unde *Athanaſius* miſit *Elicium* & *Frumentium* ad *Indos* qui confirmaverunt omnes Orientales & inſtruxerunt plenius in fide Chriſti : & ſic Chriſtus in tribus *Indiis* regnavit per fidem. Item tota regio *Iberorum*, & *Albanorum* juxta *mare Caſpium* venit ad fidem per unam puellam, ut narrat *Euſebius*. Item tempore *Auguſtini* tota *Africa* erat ſub fide Chriſti, & tota *Hiſpania* antequam caperetur á Saracenis proditione Comitis *Juliani*. Et tota *Gallia* venit ad fidem per *Remigium* tempore *Clodovei* Regis Franciæ. Item ultimò *Norvvegia* in partibus Aquilonaribus cepit fidem Chriſti anno Domini 1200. Item tempore *Heraclii* tota *Arabia*, & *Ægyptus*, & *Chaldæa*, & *Perſia*, & *Media*, & *Parthia* erant ſub fide Chriſti. Sed noſtris peccatis & demeritis exigentibus ſurrexit deteſtabilis ſecta & hæreſis *Mahometi*, quæ majorem partem mundi occupavit. Sed hoc non derogat veritati propheticæ : quia ſucceſſivè fuit impleta per Chriſtum, & continuè impletur. Nam in *Æthiopia* regnant multi reges Chriſtianorum cum ſuo Patriarcha ſecundùm ritum *Jacobitarum*, & in *India Sinarum* regnat magnus *Presbyter Joannes* temporaliter & ſpiritualiter ſecundùm ritum *Neſtoritarum*. Et inter *Saracenos* vivit infinita multitudo Chriſtianorum ſecundùm ritum *Neſtoritarum*, & *Jacobitarum* & aliarum ſectarum, qui omnes colunt & adorant Chriſtum, licèt indebitè.

Item licèt *Saraceni* non adorent Chriſtum adoratione nec cultu Latriæ : tamen colunt & venerantur ipſum cultu *Duliæ* & *Hyperduliæ* : quia licèt non confiteantur ipſum Deum, tamen confitentur ipſum eſſe Filium Dei ex ſpiritu generatum ex *Maria Virgine* : immò ſi aliquis diceret oppoſitum, aut blaſphemaret Chriſtum, aut Matrem ejus inter eos, graviſſimâ pœnâ puniretur : immò *Saraceni* habent odio Judæos, & affligunt, & vituperant eos propter Chriſtum : eò quòd perſecuti ſunt eum, licèt non credant ejus mortem & paſſionem : ſed dicunt, quòd quando Judæi voluerunt Chriſtum occidere Angeli rapuerunt eum de medio eorum, qui venturus eſt in mundum in fine mundi ad occidendum Antichriſtum, ut dicitur in *Alcorano* eorum.

Ex quibus patet, quòd per omnes partes mundi Chriſtus ſucceſſive regnavit, & regnat hodie temporaliter, aut ſpiritualiter : ſed hoc magis complebitur in fine mundi poſt interitum Antichriſti, quando Judæi & cæteri ſequaces Antichriſti videbunt ſe deluſos : quia tunc quærent Chriſtianos per montes & ſpeluncas, qui baptizent eos, & inſtruant in fide Chriſti. Et ſic *revertentur ad Dominum Deum ſuum, & ad David*, ſcilicet Chriſtum, *Regem & Meſsiam ſuum* : ut patet *Oſeæ* 3. Et ſic ex omnibus nationibus mundi *fiet unum ovile, & unus paſtor* ſub uno capite & rege Chriſto, prout dictum eſt *Pſalmo* 70. Et ſic tunc totaliter erit imple-

pleta tota iſta prophetia ; quia non ſolùm regnavit ſpiritualiter ſed etiam temporaliter *à mari uſque ad mare*, & *uſque ad* A omnes *terminos orbis terrarum*. Et per hoc patet reſponſio ad miſeros Judæos. Et hoc quoad primum articulum.

Orbis dividitur in duas partes.

Quantum ad ſecundum eſt primò notandum ſecundùm *Ariſtotelem primo cœli & mundi*, & ſecundùm *Ptolomeum*, & omnes Philoſophos, & Aſtrologos : quòd totus orbis ſimul cum terra dividitur in duas partes æquales & principales, ſecundùm quòd *linea æquinoctialis* dividit ipſum in duo hemiſphæria, ſcilicet, in *hemiſphærium Auſtrale*, & *Aquilonare* : & dicunt quod *Auſtrale* eſt vertex & caput mundi ; & *Aquilonare* eſt inferior, & quaſi pedes & ſentina mundi. Dextrum autem mundi eſt pars Orientalis : unde principium motus primi mobilis. Et ſiniſtrum mundi eſt pars Occidentalis, ad quam eſt motus. Et dicunt ulteriùs omnes Philoſophi Æthiopes Bracmanes, & Gimnoſophiſtæ, qui ſpeculantur illam partem Auſtralem, & maximè *Ptolomeus*, quòd ſtellæ illius partis ſunt majores, & lucidiores, & nobiliores, & perfectiores, & per conſequens multò majoris virtutis, quàm aſtra & ſtellæ Aquilonares. Et dicunt, quòd ille polus Auſtralis eſt multò major & lucidior, quàm iſte noſter Arcticus. Et ratio eſt : nam tota illa pars eſt caput mundi, & per conſequens influentiæ ſunt nobiliores, & per conſequens majoris virtutis. B

Item alii Philoſophi & Aſtrologi, & C etiam Poetæ non derogantes ſupradictæ diviſioni, dividunt totam terram in tres partes, ſcilicet, in partem *Auſtralem*, *Aquilonarem*, & *Menſam Solis* mediam. Unde partem Auſtralem appellant quicquid eſt ultra Tropicum Capricornii hyemalem : & partem Aquilonarem appellant, quicquid eſt citra Tropicum Cancri æſtivalem : Menſan verò Solis appellant totam terram, quæ clauditur inter Tropicos : eò quòd Sol paſcitur, & videtur paſci per totam illam menſam incluſivè : putà, quotidie, in viginti quatuor horis paſcendo ab Oriente in Occidentem ad motum primi mobilis : ſed à motu proprio in ſex menſibus à Tropico hyemali uſque ad æſ- D tivalem, & econverſo per alios ſex menſes. Et ſic per quandam metaphoram tota illa pars dicitur *Menſa Solis*, quam *Virgilius* appellat *Zonam torridam*, 1. *Geor.* quam quidem *menſam Solis* meminit *Beatus Hieronym. Epiſtola ad Paulinum*, in qua eſt magna civitas Philoſophorum, quæ dicitur Arin, & quædam aliæ, quorum cives & habitatores ut plurimum dant operam ſcientiæ aſtrorum, & rerum naturalium. Ideo illi dicuntur refici & paſci pabulo & cibo ſapientiæ, ad quos Philoſophos audiendos venit *Apollonius*, ut inquit *Philoſtratus*. Quomodocumque Philoſophi dividant terram & totum cœlum : tamen omnes in hoc conveniunt, quòd pars E Auſtralis ultra Tropicum hyemalem eſt nobilior, & favorabilior, & fertilior, & felicior : eò quòd eſt ſub nobilioribus aſtris, & per conſequens recipit nobiliores influentias, & majoris virtutis, quàm iſta pars noſtra Aquilonaris, & quàm tota Menſa Solis. Et ſic fructus, & omnia naſcentia, quæ ibi germinantur, ſunt perfectiora, & majoris virtutis.

Nota de Zona torrida.

His habitis, ponitur *prima concluſio*: quòd Paradiſus delitiarum, unde *Adam* fuit expulſus, eſt aſſignandus in illa parte Auſtrali ultra Menſam Solis, & ambos Tropicos. Iſta concluſio poteſt ſic deduci : nam nobiliſſima pars terræ debet collocari ſub F nobiliori parte cœli : ſed ille paradiſus delitiarum eſt hujuſmodi. Ergo. Major eſt nota : quia bonitas & fertilitas terræ ineſt ſibi ex nobili influentiâ aſtrorum, & aſpectus cœli : ſed jam dictum eſt ex mente *Ariſtotelis*, & omnium Philoſophorum, quòd illa eſt nobilior pars cœli. Minor autem probatur ex dictis Sacræ Scripturæ, & ſacrorum Doctorum : nam illa terra ſponte abſque omni labore humano profert fructus ſuaviſſimos pro vitâ humanâ conſervandâ, & inter cætera profert lignum vitæ, cujus fructus poteſt vitam hominum in æternum perpetuare, ut patet *Geneſ.* 2. & 3. prout hodie nutrit *Eliam* & *Henoch* : ergo ſequitur, quòd illa terra eſt cæteris nobilior, & fecundior, & magis virtuoſa, G & amæna, & delectabilis in omni genere delitiarum : quia ideo dicitur *paradiſus delitiarum*.

Paradiſus delitiarū in parte Auſtrali.

Item, in illa terra homines non ſeneſcunt, nec infirmantur, nec miſerias patiuntur : ſed hoc non eſt niſi ex favore optimæ influentiæ cœli, & aſtrorum : Ergo ille paradiſus eſt in illo hemiſphærio Auſtrali, quæ eſt optima & nobilior pars totius terræ, & in nobiliori aſpectu cœli : eò quòd eſt vertex & caput mundi.

Item, hoc poteſt probari à ſufficienti diviſione. Nam ille paradiſus vel eſt in hemiſphærio Aquilonari, aut Auſtrali, aut in Menſa Solis inter Tropicos ? Non primum, ut patet per omnia climata, in qui- H bus nos degimus & exulamus inter beſtias, & tribulos, & ſpinas ſubjecti tot miſeriis & malis, ubi nulla poteſt eſſe felicitas, ſed miſeria & labor & dolor &c. Nec talis paradiſus poteſt eſſe in Menſa Solis inter Tropicos : primò, quia tota illa terra eſt fabuloſa, & arida, & inaquoſa, & ſterilis, & infœcunda, & deſerta : quia quandoque per ſeptuaginta dietas non reperitur populus aliquis inter *Garamantas* & *Agilbam* ; & inter *Nubiam* & *Meroem* per triginta dietas peregrinantur *Æthiopes* : ubi plurimi moriuntur fame per itinera. Et quandoque ventus Aquilonaris ele-

elevat ſabulum ad modum nebulæ, & ſic ſuffocat homines, & coquit inter arenas, ex quorum carnibus fit *Momia*. Ex quibus A patet, quòd illa terra non poteſt eſſe fœcunda, qualis eſt paradiſus terreſtris.

Item, illa terra ſemper eſt ſubjecta intenſis & intolerabilibus ardoribus & æſtui Solis: unde quando Sol eſt in ſignis Auſtralibus oportet ut homines fugiant ad Tropicum æſtivalem, & econverſo, in tantùm quod continuè homines vagantur & peregrinantur fugiendo ardorem & æſtum Solis. Ex quibus patet, quòd illa terra nullo modo poteſt eſſe delectabilis, nec amæna ad habitandum: nec homines in ea viventes poſſunt eſſe felices, prout narrant illi Æthiopes, qui veniunt ad noſtras partes: & prout per experientiam noverunt Philoſophi noſtri, quorum notitia pervenit uſque ad *montem Lunæ* per quindecim B gradus ultra æquinoctialem, unde decurrunt fontes *Nili*.

Ex quibus omnibus relinquitur & concluditur, quòd paradiſus delitiarum ſituatur ultra Tropicum hyemalem in hemiſphærio Auſtrali: unde forſan ad hunc ſenſum ſunt intelligenda illa verba, *Geneſ.* 3. ſcilicet, cùm *Adam* audiſſet *vocem Domini deambulantis ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe &c.* Nam aër illius loci dicitur *aura* ratione bonitatis, & lucis ſuaviſſimæ, & temperatæ, & delectabilis. Et dicitur eſſe *poſt meridiem* ratione loci, eò quòd illa regio eſt ſituata ultra meridiem, id eſt, poſt *Menſam Solis*, quæ dicitur *meridies*. Unde hæc eſt differentia inter *meridiem*, & *auram*. Nam *meridies*, idem eſt, quòd lumen intenſiſſimum cum calore exceſſivo, quale eſt inter Tropicos. Et C ideo tota illa pars terræ dicitur *meridianum*, ſive *meridies*: ſed *aura*, idem eſt quod *aer* ſuaviſſimus, & vitalis, & temperatè lucidus & calidus, qualis eſt in illo hemiſphærio propter favorem ſtellarum. Et ſic patet, quòd per *auram poſt meridiem*, intelligitur illa pars Auſtralis, quæ ſituatur poſt meridiem, id eſt, poſt & ultra *menſam ſolis*: quæ quidem pars dicitur paradiſus delitiarum, quæ fuit data primis parentibus in hæreditatem, à qua fuerunt expulſi propter peccatum, in hanc vallem lacrymarum & miſeriæ citra Tropicum Capricornii: quo quidem Tropico ille paradiſus eſt ſeptus, & vallatus, ne quis poſſit accedere: in quo quidem Tropico generatur ignis, maximè dum Sol eſt in ſignis Auſtralibus, quando Sol appropinquat ad oppoſitum *angis*. Unde ille *Tropicus* igneus, eſt ille *gladius verſatilis* & *rhomphæa flammea*, quam poſuit Deus inter paradiſum & nos, ne primi parentes, aut filii eorum poſſent illuc accedere ad comedendum de ligno vitæ, ne *fortè viverent in æternum*, *Geneſ.* 3.

Secunda concluſio: quòd non ſolùm paradiſus deliciarum eſt in illa parte Auſtrali ſed etiam totum illud hemiſphærium E fuit datum in paradiſum primis parentibus ad habitandum cum omnibus ſuis poſteris tamquam regnum hæreditarium. Probatur. Nam ſi *Adam* non peccaſſet, numquam fuiſſet mortuus, nec aliqui de poſteris ſuis; ſed edendo de ligno vitæ, duxiſſent vitam felicem in longiſſimum tempus ſucceſſivè, & ſic multiplicata fuiſſet eorum generatio in immenſum, poſtquam ibi nulla erat peſtilentia, nec infirmitas, nec inter eos aliquis ſterilis: & per conſequens illa generatio occupaſſet totum illud hemiſphærium: quia parvus & arctus locus non potuiſſet capere tam copioſam generationem. Et ſic nulla pars hujus hemiſphærii fuiſſet fruſtra, nec vacua: ſed tota populata illâ fe- F lici generatione. Nec eſt dicendum, quod in illa felici regione ſint prærupta montium, nec præcipitia, nec maria, nec paludes, niſi inquantum illa *quatuor flumina* lentiſſimo & ſuaviſſimo curſu, & meatu irrigant totam illam regionem & hortum delitiarum, & in fine hemiſphærii juxta Tropicum ſubmerguntur, & per meatus ſubterraneos ebulliunt & emanant per quoddam æquilibrium in hac noſtra parte Aquilonari. Nam *Tigris* & *Euphrates* oriuntur ex montibus Armeniæ: & *Phiſon*, qui dicitur *Ganges*, ex montibus Indorum: & *Gehon*, qui dicitur *Nilus*, ex montibus *Æthiopiæ*. Inde rigant terram noſtram cum magno impetu & fragore. Ex ſupradictis patet, quòd Deus non creavit fruſtra illam partem Auſtralem & felicem paradiſum: quia eam creavit ad felicem habitationem pro *Adam* & poſteris ſuis, quam G perdidit propter peccatum.

Tertia concluſio: quòd in illa parte Auſtrali dominatur Chriſtus, & colitur & adoratur. Probatur. Nam ibi vivunt *Elias* & *Henoch* protrahendo vitam felicem per eſum ligni vitæ, quod perdidit *Adam*: & ibi ſunt in ſumma & continua contemplatione Dei, expectantes ſecundum adventum Chriſti; immò expectant, ut præveniant adventum Chriſti, pro ſcribendo teſtimonium de Chriſto contra Antichriſtum: quia prædicabunt Legem Euangelicam contra eum, & ſuos ſequaces: propter quam fidem ſunt martyrio coronandi, ut patet *Apocal.* 11. Ergo ſequitur H quod *Elias* & *Henoch* ibi adorant & colunt Chriſtum tamquam Dominum, & Redemptorem, & verum Meſſiam: & per conſequens ibi adoratur & colitur Chriſtus.

Item, Chriſtus poſt reſurrectionem intravit paradiſum deliciarum cum tota turba Sanctorum Patrum & Fidelium veteris Teſtamenti quos de Limbo, & Purgatorio inferni liberaverat, & habitavit cum illis in illo felici paradiſo uſque ad diem aſcenſionis; & per totos illos qua-

Quomodo paradiſus dabatur Adæ.

Chriſtus colitur in parte Auſtrali ab Enoch & Elia.

draginta dies, tamquam Dominus illius hæreditatis, ſedit ibi : ubi tota illa ſocietas adorabat & colebat ipſum tamquam Deum & Dominum : ubi non defuerunt agmina Angelorum cantantium ejus triumphum & laudantium eum. Et poſt quadraginta dies à reſurrectione aſcendit in cœlum cum tota illa ſancta ſocietate, & cepit in poſſeſsionem & hæreditatem illud cœleſte regnum à Patre pro ſe, & ſuis : & ſedit á dextris Patris tamquam univerſalis Judex, & Dominus, qui tenens cathedram in cœlis jugiter judicat in terris occulto judicio uſquequò veniat ad judicium univerſale cum poteſtate magna & majeſtate, ut dictum eſt *Pſalm.* 8. Ex quibus omnibus concluditur concluſio principaliter intenta, ſcilicet, quòd Chriſtus dominatus eſt, non ſolùm in hoc noſtro hemiſphærio *à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum* ; ſed & dominatus eſt in inferno : quia Limbum, & Purgatorium expoliavit : & dominatus eſt, & dominatur in toto hemiſphærio Auſtrali in illo felici paradiſo ; quia ibi ſedit cum tota illa felici prædâ, tamquam Dominus, à reſurrectione uſque ad aſcenſionem. Et ibi etiam adoratur & colitur ab *Henoch* & *Elia*, & dominatur, & dominabitur, & regnabit in cœlo per ſæcula ſæculorum. Et per hoc patet reſponſio ad rationes curioſorum & Aſtrologorum.

Quomodo Adam cũ Eva exierit de paradiſo.

Et ſi quæritur : quomodo potuit inde exire *Adam* cum uxore ſua, quando fuit expulſus ? Et quomodo potuerunt intrare *Elias* & *Henoch*, quando fuerunt rapti in illum paradiſum, cùm totus ſit circumdatus gladio verſatili, & rhomphæâ igneâ illius Tropici Capricornii &c? Ad hoc reſpondetur, quòd *Adam* cum *Eva* miniſterio Angelorum fuerunt ſuper flammas illius Tropici elevati, & ad partes noſtras translati. Et eodem modo fuit introductus *Henoch*, quando fuit raptus in paradiſum, ut patet *Geneſ.* 5. & *Eccleſ.* 44. & eodem modo fuit introductus in illum paradiſum *Elias*, quando fuit raptus in curru igneo, ut patet 4. *Reg.* 2.

Dubium.

Sed ex dicta poſitione inſurgit grandis dubitatio. Nam manifeſtum eſt, quòd Sol motu proprio movetur in circulo obliquo à Tropico ad Tropicum : Ergo ſicut per acceſſum ad nos cauſat intenſam æſtatem & calorem, & per receſſum intenſam hiemem in partibus Aquilonaribus : ita pariter per oppoſitum, per acceſſum ad alium cauſabit intenſum æſtum ; & per receſſum intenſam hiemem in hemiſphærio Auſtrali ; immò majorem, & intenſiorem calorem cauſabit Sol per acceſſum ad illam partem, quàm ad iſtam : & ita eſt dicendum de conjunctionibus planetarum inter ſe, & cum aliis aſtris & ſignis : quia eoſdem effectus cauſabunt, & eaſdem peſtilentias, & ſterilitates in parte Auſtrali, ſicut in Aquilonari : poſtquam æquè moventur planetæ inter hæc duo hemiſphæria.

Item, ſicut tota terra, quæ eſt ſub Polo Arctico, non habet niſi unam noctem, & unum diem in toto anno ; quia per ſex menſes, dum Sol eſt in ſignis Auſtralibus, ſemper eſt nox ſub hoc noſtro Polo, & per conſequens ſemper eſt dies in alio, & ſic è converſo, per alios ſex menſes, cùm eſt dies in noſtro, ſemper eſt nox in altero, & per conſequens nulla poteſt eſſe amœnitas, nec delectatio habitantibus non ſolum circa illum Polum, ſed nec etiam habitantibus in cæteris climatibus à Polo uſque ad Tropicum Capricornii, poſtquam accidunt eadem in fortunia & varietates in toto illo hemiſphærio, ſicut in noſtro ; & per conſequens non poteſt eſſe tanta felicitas ibi, ſicut convenit & narratur de paradiſo deliciarum in Scriptura.

Reſponſio.

Ad hoc reſpondetur ſecundùm *Avicen.* quòd omnia aſtra cœli, tàm illa quæ ſunt in zodiaco, quàm illa quæ ſunt extra, habent ſuas proprietates & qualitates, quædam bonas, & quædam malas, ſicut habent & planetæ. Et ideo quando planeta mittit radios ſuos ad aſtra noſtra, quæ ſunt extra zodiacum, cauſat effectus diverſos apud nos ſecundùm diverſitatem qualitatum aſtrorum. Et ſic planeta malitioſus ex mixtione ſuæ influentiæ cum influentia aſtri malitioſi cauſat peſtilentias, aut ſterilitates, aut bella & diſcordias, aut tempeſtates, & cætera infortunia apud nos ſecundùm diſpoſitionem aſpectus. Hoc idem facit Sol, ſecundùm mixtionem radiorum cum aliis aſtris, quoad calorem, & alias influentias. Et ſic patet, quòd non ſolùm acceſſus & receſſus planetarum ad nos, aut conjunctio eorum inter ſe, eſt præciſa cauſa variorum effectuum ; ſed mixtio influentiarum eorum cum noſtris aſtris, quæ ſunt ſupra nos. Sed quia omnia illa aſtra, quæ ſunt in hemiſphærio Auſtrali ſunt bona & favorabilia, & magnæ virtutis, prout dictum eſt ; ideo nullam poſſunt recipere malam influentiam à planetis : immò reſiſtunt malitiæ eorum, in tantum quòd nullum poſſunt facere nocumentum in toto hemiſphærio ultra Capricornium, propter virtutes illarum ſtellarum prohibentium malitiam planetarum. Et ita eſt dicendum de radiis ſolaribus : quia non poſſunt cauſare intenſum & inordinatum calorem & æſtum cum illis aſtris, ſicut cum noſtris, per eandem rationem, propter nobilitatem & temperantiam illorum. Et ſic planetæ nullum poſſunt cauſare nocumentum, nec diſproportionem in illis partibus, propter benignitatem, & favorem, & virtutem illorum aſtrorum reſiſtentium malitiæ planetarum.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur:

tur: quòd tota illa pars ideo dicitur Australis, quia semper est lucida & illuminata luminе suavissimo & temperatissimo illorum astrorum: & maximè lumine temperatissimo, & sufficientissimo ad illuminandum totum illud hemisphærium cum cæteris astris illius partis. Et ideo totus aër illius regionis dicitur *aura*, ratione illius bonitatis, & lucis temperatæ: eò quòd ille aër est totus temperatissimus, lumine suavissimo illustratus, & saluberrimis influentiis favoratus ad delectationem viventium, & ad fœcunditatem terræ: ideo dicitur *paradisus delitiarum*, & pars mundi Australis: & stella illius populi dicitur *Auster* Græcè, sive *Canopus*, quod Latinè interpretatur *lucidum*, & *suavissimum*, & *uberrimum*, & *vitale*, à quo Austro tota illa pars dicitur *Australis*, id est, *amœna*, & *lucida*, & *saluberrima*, & *uberrima*, & *delectabilis*, & *amœna*. Et ideo dicitur *aura post meridiem*, sicut dictum est. Ex quibus patet, quòd sicut per præsentiam Solis non perturbatur aura in suo lumine & calore in tota parte Australi: ita per absentiam Solis non deficit lumen conveniens ad vitam felicem & delitias hominum circa *Polum Australem*. Et sic patet, quòd nullum inconveniens sequitur ex ista positione, sed multa, & plurima inconvenientia sequerentur, si paradisus delitiarum collocaretur sub linea æquinoctiali inter Tropicos, prout quidam dicunt: aut circa Tropicos in parte Orientali, sicut alii autumant: quia utraque istarum partium est subjecta multis miseriis, ut patet.

Psalmus LXXII.

De Pœn. d. 1. c. Serpens, & 93. d. c. Diaconi.

1. *Quam bonus Israel Deus: his qui recto sunt corde!*

Titulus: *Psalmus Asaph.* Ex hoc *Rabbi Salomon*, & multi Hebræi moderni dicunt, quòd *Asaph* fecit hunc Psalmum, & decem sequentes ipsi *Asaph* intitulatos. Sed dictum est in principio, quòd isti nulla ratione, nec autoritate hoc probant, immò probatur oppositum, scilicet, quòd David fecit omnes Psalmos, ut dictum est *in principio libri*, & *in fine Psalmi præcedentis*. Sed iste Psalmus attribuitur ipsi *Asaph* tamquam Cantori, ut inquit *Augustinus*.

Ad cujus intellectum est notandum, ut legitur *primo Paralip.* 16. & 15. quòd David quatuor elegit Cantores ad cantandos Psalmos in domo Domini. In primo ordine elegit *Asaph*, qui erat de filiis *Gerson*: in secundo *Eman* de filiis *Core*, & *Zabad*: in tertio *Etham* de filiis *Merari*: in quarto *Idithun* de filiis *Merari*: sed in veritate *Ethan* idem est, quod *Idithun*, qui fuit binomius: & sic non fuerunt nisi tres Cantores tantùm.

Ecclesia figura.

Et hos elegit ex magno mysterio, in quantum per ipsos quatuor figurabatur Ecclesia. Nam in quantum Ecclesia Christi est congregata ex omnibus fidelibus, figuratur per *Asaph*, qui interpretatur *electio*, seu *congregatio*. In quantum verò Ecclesia est congregata ex fidelibus electis ex Synagoga reprobatâ, & populo Gentili, quorum patres fuerunt reprobati; tunc figurata est per filios *Core* provenientes ex patre reprobato. In quantum verò Ecclesia Christi ascendit ad culmen gratiæ & gloriæ, & fuit fortis & robusta contra Infideles, & Tyrannos, & Hæreticos; figuratur per *Ethan*, qui interpretatur *ascendens*, & *fortis*, & *robustus*. In quantum verò Ecclesia Christi transilivit Synagogam, & adepta est bravium Legis gratiæ, figuratur per *Idithun*, qui interpretatur *transiliens eos*. Sic ergo David commisit & deputavit Psalmos, istis quatuor Cantoribus cantandos, unicuique juxta interpretationem suam & proprietates, prout materia Psalmi spiritualiter & mysticè exigebat.

Et ideo quia materia hujus Psalmi, & decem sequentium, dirigitur toti Ecclesiæ simpliciter, & toti congregationi fidelium: ideo intitulantur *Ipsi Asaph*, cui fuerunt assignati tanquam Cantori. Unde non solùm isti undecim Psalmi assignati sunt ipsi *Asaph*: sed etiam *Alleluiatici*, ut patet *primo Paralip.* 16. ubi dicitur, quòd *in illo die fecit David principem ad confitendum Domino Asaph, & fratres ejus &c.* Et, *Cantate Domino omnis terra &c.* Et, *Confitemini Domino, quoniam bonus est &c.* Per hunc ergo Titulum nihil aliud habetur, nisi quod David fecit hunc Psalmum, & assignavit ipsum cantandum ipsi *Asaph*, & fratribus ejus, eò quòd in hoc Psalmo agitatur quædam difficilis quæstio directè expositа toti Ecclesiæ.

Mali prosperantur & boni flagellantur.

Unde quæstio est ista, scilicet, Quare Deus in hoc mundo permittit malos & iniquos prosperari: & bonos & justos multipliciter flagellari, & à malis & iniquis conculcari & vexari? Nam ex hoc sequitur, quòd aut Deus est injustus talia sustinendo: aut quòd non curat, nec habet providentiam de his inferioribus, & actibus hominum. Et hanc quæstionem introducit & movet David in persona *corporis mystici*, sive *hominis mystici*, in quo sunt diversa membra, quorum quædam sunt sana & firma, & quædam infirma.

Psalmi divisio.

Et ideo in persona istius hominis mystici ratione membrorum infirmorum introducit hanc quæstionem. Et duo facit: Nam primò in persona membrorum sanorum di-

cit : *O quam bonus* est *Deus Israel his qui recto sunt corde* ! Quasi dicat : quicquid Deus agit , vel promittit , semper cedit in A utilitatem , & meritum , & gloriam eorum, qui recto sunt corde. Ideo Deus semper est eis bonus & misericors. Sed in persona , & oratione membrorum infirmorum conqueritur , admiratur , & hæsitat de hac quæstione. Unde tria facit. Nam primò facit quod dictum est. Secundò , negat sequelam : immò probat revocando falsam opinionem : quòd licèt Deus ista ad tempus permittat ; tamen ipse semper manet justus. Et habet curam & providentiam de actibus humanis. Tertiò , dando salubre consilium & doctrinam , dicit , hanc quæstionem esse insolubilem in hac vita , scilicet , quare Deus ista permittit ? immò dicit , se nescire solvere hanc quæstionem. B Secunda ibi : *Si dicebam , narrabo sic &c.* Tertia ibi : *Quia inflammatum est cor meum.* Iste ergo homo infirmus incipit dubitare de divina providentia , dicens:

28. q. 1. c. *Sepe* , & 24. q. 1. *Non turbatur.*

2. *Mei autem penè moti sunt pedes: penè effusi sunt gressus mei.*

PEdes *mei* , id est , affectus , & concupiscentia mea , *moti sunt penè* , id est, ferè , & quasi. Et *gressus* , id est , cogitatio , & intentio *fuerunt moti* à rectitudine , & *effusi* , huc & illuc dubitando , & C titubando de divina providentia. Ideo *sunt moti* , & *effusi* ad sequendum malos & perversos.

Pedes animæ cogitationes.

Nota , quòd pedes animæ dicuntur cogitationes , quibus anima discurrit & graditur huc & illuc. Et hoc pertinet ad cogitativam potentiam , quæ negotiatur circa particularia , tàm sensata , quàm non sensata. Et quia dum in dubio est animus, & huc & illuc impellitur : ideo quandoque deviat , & movetur à ratione , & sequitur sensualitatem , eligendo partem pejorem. Et hoc est quod dicit : *Mei autem penè moti sunt pedes &c.* Et hoc accidit,

24. q. 4. *Quisquis vel quod potest.*

3. *Quia zelavi super iniquos , pacem peccatorum videns.* D

ID est , cum indignatione & invidia æmulatus sum *super iniquos* , volendo eos sequi , *videns pacem* , & quietem , & felicitatem peccatorum. Quasi dicat : tentatus fui sequi peccatores & iniquos , videns pacem , & quietem , & prosperitatem eorum.

**
*

E 4. *Quia non est respectus morti eorum , & firmamentum in plaga eorum.*

De Pœn. d. 3. §. Quãquã, & . Quid ergo.

ID est , quia diu vivunt ; & si aliquando habent aliquam adversitatem , aut *plagam* ; tamen *non est firmamentum* nec duratio *in plaga eorum* : quia citò liberantur à quacumque adversitate. Unde ratio quare divites diu vivunt , est : quia non se exponunt tot periculis , sicut pauperes propter necessitatem , ad quærendum victum , & vestitum. Et habent modum custodiendi se à periculis , & servandi , & præservandi. Et causa quare *non est firma-* F *mentum* & duratio *in plaga* , & infirmitate , seu adversitate *eorum* , est : quia habent divitias , & bona temporalia , cum quibus possunt remedium adhibere , & liberari : quod minimè obtinent pauperes: & sic ex necessitate se exponunt multis periculis. Unde multipliciter mors pauperum properat , & acceleratur , & cum difficultate , & rarò à plaga & infirmitate liberantur : & sic est *firmamentum* & duratio *in plaga* pauperum. Per oppositum autem divites mali

5. *In labore hominum non sunt: & cum hominibus non flagellabuntur.* G

De Pœn. d. 1. Serpens.

QUIA *non sunt in* communi *labore hominum. Et* ideo *non flagellabuntur* ita frequenter *cum hominibus ;* immò videntur excepti & exempti à communi vita & *labore* , & miseria , & adversitate hominum.

23. q. 1. *Paratus in fine.*

6. *Ideo tenuit eos superbia : operti sunt iniquitate , & impietate sua.*

H 7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum : transierunt in affectum cordis.*

HÆC est causa quare *tenuit eos superbia* : quia putant non habere Deum supra se. Et sic ex tali *superbia operti* , & repleti , & vallati sunt *iniquitate* & injustitiâ , & *impietate* contra pauperes & justos , eos vexando , & affligendo , & expoliando : quæ quidem *superbia* & *iniquitas prodiit* & emanavit ex divitiis & prosperitate longa. Quasi dicat : *Ex adipe* & pingue-

guedine. Nam ſicut magna pinguedo, & quies, & otium provocat equum ad ſuperbiam, & petulantiam, & laſciviam: ita divitiæ, & longa proſperitas provocant hominem ad ſuperbiam, & contemptum Dei, & aliorum: & ſic *ſuperbia* & *iniquitas* iſtorum divitum malorum *prodiit* in eis ex longa proſperitate & abundantia. Et ideo *tranſierunt*, & proceſſerunt *in affectum cordis*: quia quicquid deſiderarunt obtinuerunt, & quicquid voluerunt facere, fecerunt, & ad effectum deduxerunt contra pauperes, & juſtos, & ſimplices: & compleverunt, & expleverunt deſideria ſua in voluptatibus, & flagitiis, & ſceleribus &c. Et ſic etiam ex continuo otio

8. *Cogitaverunt, & locuti ſunt nequitiam: iniquitatem in excelſo locuti ſunt.*

11.d.c.In tantum. 9. *Poſuerunt in cœlum os ſuum: & lingua eorum tranſivit in terra.*

COgitaverunt, & *locuti ſunt* omnem *nequitiam* contra Deum & proximum. *Et locuti ſunt iniquitatem in* Deo *excelſo*, dicentes, quòd Deus non eſt: Aut ſi eſt, non curat iſta inferiora: nec poteſt eis reſiſtere, nec liberare juſtos & pauperes de manibus ſuis, ſicut dicebat *Pharao*, & *Sennacherib*, & *Nabucodonoſor*, & *Julianus Apoſtata*, & *Diocletianus*: & iſti blaſphemi *poſuerunt os ſuum in cœlum* contra Deum. *Et lingua eorum tranſivit* & duravit *in* hac *terra* per aliquod tempus ſine punitione.

Nota, quòd multipliciter Tyranni loquuntur *in cœlum*, & *lingua eorum tranſivit in terra*. Primò, quia penetrant cœlum blaſphemando, ſicut *Sennacherib*, qui dicebat, Deum Iſrael non poſſe liberare *Ezechiam* de manu ſua 4. *Reg.* 18. & *Julianus Apoſtata*, qui vocabat *Jeſum* irridendo, *Galilæum*. Secundò, quando *lingua eorum tranſivit* metas rationis. Tertiò, quando *tranſit* per longa tempora ſine punitione. Quartò, *tranſit lingua eorum in terra*, quando omnia mala, quæ præcipiunt, adimplentur per ſatellites ſuos. Tunc hæc eſt cauſa, quare pauperes & ſimplices, videntes iſtos iniquos tot ſceleribus impune *tranſire*, titubant, & titubarunt de divina providentiâ, & juſtitiâ. Et ſic ſequitur:

*** ***
*** ***

28.q.1.c. Sæpe, in Gloſa. 10. *Ideo convertetur populus meus hic: & dies pleni invenientur in eis.*

IDEO, id eſt, propter iſta ſupradicta *populus meus*, id eſt, gentes ſimplices & populares populi mei: ſive populares mei & pauperes *convertentur*, id eſt, converſi ad ſe, & in ſe, dubitabunt, & titubabunt & hæſitabunt *hic*, id eſt, in iſto paſſu, cogitando ſupradicta. *Et dies pleni*, id eſt, dies multi, *invenientur in eis* in tali cogitatione. Quaſi dicat, per dies plenos & multos & per totam diem cogitabunt inquirendo hujuſmodi myſterium, & quærendo de hoc dubio. Unde quando quis videt talia ſcelera impunita, dicitur converti in ſe, & non ultra ire, ſed ſcandalizari, & ibi cogitationem figere per totam diem. Ideo ſequitur:

6.q.1. Si omnia. 11. *Et dixerunt: Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo?*

IN tali cogitatione *dixerunt* iſti ſimplices populares, id eſt, dubitaverunt inter ſe: ſi ſcit & curat iſta? & *ſi*, id eſt, *utrum* ſit *ſcientia* & providentia *in* Deo *excelſo* de iſtis inferioribus, & de actibus humanis? unde dubitando dixerunt: *Quomodo ſcit Deus iſta*; cum ita tranſeant impunita? quaſi dicant: dubium eſt, an ſciat Deus; & an ſit ſcientia iſtorum in Deo excelſo? Nam ſi ſciret, non permitteret. Et ſic quaſi deſperati, dubitarunt, an iſta fierent à caſu & fortuna? & hoc probant ſimul de proſperitate malorum, & adverſitate bonorum. Et ideo dicebant iſti ſimplices juſti dubitantes: Non eſt mirum ſi dubitamus, an Deus ſciat & curet iſta: & an *ſit ſcientia* & providentia de iſtis *in excelſo*?

23.q.1.c. Paratus. 12. *Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo, obtinuerunt divitias.*

QUIA *ecce ipſi peccatores* & ſcelerati *abundantes in* hoc *ſæculo obtinuerunt divitias*, & bona temporalia, & dignitates &c. Et nos per oppoſitum continuè ſumus in afflictione, & paupertate, & adverſitate, & perſecutione.

13. *Et*

13. *Et dixi : Ergo sine causa justificavi cor meum , & lavi inter innocentes manus meas.*

DIXIT unusquisque justus : *Ergo sine causa* , & frustra , & sine præmio *justificavi cor meum* , divina præcepta servando , & opera misericordiæ adimplendo : *& lavi manus meas inter innocentes*, ab omni rapina , & mala operatione prohibendo. Nam ille *justificatur* , qui non proponit malum agere : & ille *lavat manus inter innocentes* , qui prohibet eas à mala operatione. Et licet aliquando proponat : tamen non progreditur in effectum; & sic se servat innocentem in opere.

7. q. 1. Cũ percussio.

14. *Et fui flagellatus tota die , & castigatio mea in matutinis.*

FRustra etiam & sine causa *fui flagellatus tota die* , id est , toto tempore vitæ meæ , flagella & adversitates patienter sustuli : *& castigatio* & flagellatio *mea* fuit *in matutinis* ante auroram , surgendo ad orationem & pœnitentiam &c. quasi dicat : si omnia ista frustra feci & sine præmio ; ergo melius fuisset mihi committere omnia scelera , & vitam duxisse in flagitiis & voluptatibus ; & evenissent mihi omnia prospera , sicut ipsis sceleratis.

Castigatio justorũ dicitur matutina.

Et nota , quòd *castigatio* justorum dicitur *matutina* , id est , velox. Nam quando justi delinquunt in aliquo , citò & velociter castigat eos Deus. Per oppositum, *castigatio* sceleratorum est communiter vespertina , & sera , & tarda : quia Deus non castigat eos usque ad mortem : quia moriuntur quoad corpus & animam ad pœnam æternam. Unde tales *mala capiunt in interitu* , ut patebit *Psalmo* 139. Unde dicit *Ambrosius* , quòd *illicò si quis post peccatum flagellatur , hoc cedit sibi in bonum. Nam signum est quod Deus non servat ei punitionem post mortem.* Per oppositum malum signum est , quando scelerati non flagellantur in hac vita : quia signum est , quod Deus servat pœnam in aliam. Ideo ait *Augustinus* , *hic ure Domine* , *hic seca* , *ut in æternum parcas.*

Nota.

Et nota , quòd totus iste discursus hæsitationis de divina providentia maximè fuit in primitiva Ecclesia. Nam multi simplices Christiani videntes duram & atrocem persecutionem tempore *Decii* , & *Diocletiani* , incœperunt dubitare de Fide Catholica , & ore negabant Christum , licet non corde : in tantum quòd *Marcellinus Papa* adolevit idolis incensum , licèt postea fuerit correptus , & reconciliatus. Et sic multi fugiebant per montes & spelunCas , ut sæpe dictum est. Et ideo Ecclesia in persona infirmorum dicit ista verba, scilicet , *Penè moti sunt pedes mei* , id est, fides mea , quæ est fundamentum & pes, quo gradior in hac vita &c. Unde sicut cogitatio , sive affectio , quæ sunt pedes animæ dicuntur moveri à medio virtutis moralis , cùm effunduntur & egrediuntur extra metas rationis; & ita dicitur vitiosus homo : ita pariter , cùm quis egreditur ad credendum , & eligendum , & sequendum ea , quæ sunt extra limites fidei , & contra fidem , ex timore , aut sponte; tunc dicitur Infidelis sive Hæreticus. Ideo iste homo & Christianus infirmus , deceptus ex supradictis , dicit : *mei pedes penè moti sunt , & gressus mei penè effusi* & egressi *sunt* extra limites fidei , supple , dubitando , an Deus curaret actus humanos; & an esset justus , talia tolerando. Ex quo patet , quòd dubitare , & titubare est , quasi à fide & ejus limitibus moveri & effundi.

D. 49. Sacerdotes, in Glos.

15. *Si dicebam : Narrabo sic : ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.*

IN hac secunda parte revocat falsam opinionem , seu dubitationem , quam habuit dubitando de divina providentia & justitia. Unde nota, quòd supradicta simul fuit quæstio , & dubitatio. Nam quæstio fuit : Quare Deus permittit pravos prosperari , & justos flagellari , & à malis conculcari ? Sed ex hac quæstione , sive ignorantia hujus quæstionis sequitur dubitatio : An Deus curet & regat actus humanos ? Nam si regit eos , videtur injustus, talia tolerando : qnia si est justus , nullum bonum debet relinquere irremuneratum, & nullum malum impunitum. Ideo in hac secunda parte solvit dubitationem , ostendendo , Deum curare & regere actus humanos , & quòd licèt toleret ista ad tempus : tamen finaliter relinquit nullum malum impunitum , nec bonum irremuneratum. Ex quo patet , quòd est justus Judex, & sic revocat falsam opinionem , quam ignorando , & etiam cum zelo & ira tenuit, dicendo supradicta. Unde licèt non affirmativè tenuit istam falsam opinionem ; tamen dubitavit , & penè adhæsit illi , motus à limitibus fidei. Ideo dicit , quasi correctus : *Si dicebam : Narrabo sic ; ecce nationem &c.* Littera *Hieronymi* habet: *Si narravero sic , ecce nationem filiorum tuorum reliqui* : & sic littera est plana. Dicit ergo Translatio nostra : *si dicebam* , id est , si sic dicendo narravero seriosè , & affirmavero , id est , si sic affirmarem , ut dictum supra est , approbando , & laudando vitam & prosperitatem malorum , sicut

Dubitatio notanda.

su-

ſupra dixi, ex paſſione & infirmitate deceptus; *Ecce*, id eſt, manifeſtè patet, quòd *reprobavi*, & reprobarem *nationem* A *filiorum tuorum*: ſcilicet *Abel*, & *Noe*, & *Abraham*, *Iſaac*, & *Jacob*, & *Job*, & omnium Apoſtolorum, & Martyrum, & Juſtorum novi Teſtamenti, qui ſemper fuerunt flagellati & vexati à malis & tyrannis. Nam Deus, quos amat, corrigit, & flagellat; ut patet per totum diſcurſum Sacræ Scripturæ. Quaſi dicat, ſi eſſet vera iſta opinio, omnes viri juſti veteris & novi Teſtamenti eſſent reprobati & decepti, qui ſemper paſſi ſunt patienter flagella & perſecutiones propter Deum. Sed hoc nemo poteſt ſcire ex humana inveſtigatione, niſi revolvat & perſcrutetur Sacram Scripturam: & ibi videbit ſolutionem hujus quæſtionis, ſcilicet, qualiter Deus eſt juſtus B judex, & nullum malum relinquit impunitum. Ideo ſequitur, & ſubdit:

6. q. 1. Si omnia.

16. *Exiſtimabam ut cognoſcerem hoc, labor eſt ante me.*

EXiſtimabam *ut cognoſcerem* iſta per humanam inveſtigationem: ſed *hoc labor eſt ante me*, id eſt, valde laborioſum: quia numquam potui videre veritatem, donec adhibui ſtudium Sacræ Scripturæ. Ideo dicit:

C

19. d. c. Sciêdum, &c. Sequen.

17. *Donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in noviſſimis eorum.*

SAnctuarium *Dei*, id eſt, in Sacram Scripturam. Quæ dicitur *Sacrarium*, & *Sanctuarium Dei*, in quo reconduntur omnia ſacra geſta Sanctorum Patrum, in quibus latent Sacramenta Chriſti & Eccleſiæ. Et ideo Sacra Scriptura dicitur *Sanctuarium Dei*: quia ibi literaliter ſcribuntur geſta & dicta Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum, & virorum juſtorum: ſed myſticè figurantur omnia myſteria Chriſti & Eccleſiæ. *Et intelligam in noviſſimis* D *eorum*. Unde nota, quòd David, ſive iſte homo infirmus, antequam videret, & contemplaretur Scripturam, ex ignorantia dubitavit & *zelavit* zelo iræ & invidię *ſuper iniquos*. Sed poſtquam ingreſſus eſt *Sanctuarium* Scripturæ, ibi *intellexit in noviſſimis illorum* malorum. Nam ibi vidit, & legit, qualiter omnes Tyranni & iniqui, licèt ad tempus fuerunt proſperati: tamen miſerabiliter dies finierunt, & vitam. Tunc cognovit, nullum impium impunitum abire: & ſic cognovit, Deum mundum regere ex ſapienti providentiâ & juſtitiâ. Et ideo dicit: non intellexi, *donec introivi in Sanctuarium Dei*: id eſt, ſecretum Sacræ Scripturæ, & intellexi iſtam materiam *in* E *noviſſimis* & in finibus *eorum* pravorum. Quaſi dicat: ibi vidi malum finem & exitum malorum, ſcilicet, qualiter malè finierunt omnes perſecutores juſtorum; putà *Cain*, *Pharao*, *Zeb*, *Zebee*, *Salmana*, *Nero*, *Domitianus*, & cæteri: quaſi dicat, quòd poſtquam inveſtigatione humana iſta non potui reperire, converti me ad ſtudium Sacræ Scripturæ, & reperi veritatem hujuſmodi quæſtionis per punitiones malorum, & præmia juſtorum. Ideo ſequitur:

De Pœn. diſt. 3. §. Quam-- quam, & cap. Quid ergo.

18. *Verumtamen propter dolos poſuiſti eis: dejeciſti eos, dum allevarentur.*

F

ID eſt, ego novi *in Sanctuario* Sacræ Scripturæ, quomodo *propter dolos* & iniquitates iſtorum pravorum *poſuiſti eis* finem felicitatis ſuæ, & proſperitatis, delendo eos à facie terræ: quia non permiſiſti eos in perpetuum proſperari: immò *dejeciſti eos* à proſperitate, *dum allevarentur* & exaltarentur; & etiam permiſiſti eos proſperari *propter dolos*, ut deciperentur in proſperitate: quia dum fuerunt in culmine proſperitatis, tunc *dejeciſti eos* ad terram. Et ſic proſperitas eorum G fuit eis in dolum, & ſcandalum, & perniciem, & in cauſam interitus & damnationis. Nam ut ait *Plato* & *Auguſtinus*, *Divitiæ mundanæ & dignitates ſunt bonis bonæ, & ſalubres: & malis malæ, & pernitioſæ.* Nam boni benè utendo adipiſcuntur gloriam & felicitatem per eas; & mali male utendo, propter eas perierunt hîc & in futuro, ut ait *Juvenalis*. Ideo ſequitur:

23. q. 1. Paratus.

19. *Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt: perierunt propter iniquitatem ſuam.*

H

SICUT *Aman*, & *Seianus*, & *Nero*: quia *ſubitò defecerunt*, & ceciderunt à dignitate & divitiis; & *perierunt* corporaliter & æternaliter *propter iniquitatem ſuam: defecerunt*, dico, *ſicut ſomnium*. Nam vita & proſperitas mundi eſt ſicut *ſomnium*, citò evaneſcens & annihilabilis. Nam ſicut quis ſomniat quòd eſt rex & dives, ſed quando excitatur à ſomno nihil reperit, & viſa eſt ei illa felicitas & lætitia brevis & deceptoria: ita homo, licèt per longam vitam vixerit in proſperitate; tamen in morte videtur ſibi ſuam vitam & proſperitatem fuiſſe breviſſimam, & quaſi ſomnium & umbram, & non veram

Scriptura dicitur Dei Sanctuarium.

ram felicitatem : sed quasi imaginem felicitatis. Ideo ait:

De Pœn. d. 3. Quid ergo turbamur.

20. *Velut somnium surgentium Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

O Tu *Domine rediges imaginem eorum*, id est, prosperitatem eorum, quæ fuit quasi quædam imago prosperitatis, *rediges ad nihilum* à *civitate* & regno tuo : quia numquam intrabunt in civitatem cœlestem. *Rediges*, dico, *sicut somnium surgentium*, id est, eorum qui surgunt à somno. Vel potest sic ordinari : isti pravi *subitò defecerunt* & *perierunt* à civitate tua, *sicut somnium surgentium* deficit & annihilatur : & sic *imaginem eorum ad nihilum rediges*, id est, prosperitatem fallacem.

Et etiam potest hoc litteraliter referri ad plures, qui in hac vita fuerunt in tanta dignitate : quia imagines eorum erigebantur in plateis, & in foro. Sed fuerunt turpiter ejecti à dignitatibus, & interfecti; ideo postea imagines eorum fuerunt comminutæ, & ad nihilum redactæ, ut dicit *Juvenalis* de *Seiano*, & etiam de *Nerone*, & *Domitiano*. Nam imago *Seiani* trahebatur per civitatem, usquequò fuit lacerata. Nam ista erat consuetudo Tyrannorum : qui dum erant in prosperitate faciebant fieri sibi imagines ex ære & metallo, & poni in foro, & locis publicis ad perpetuam memoriam eorum, ut ita venerarentur in absentia sicut in præsentia. Sed quando dejiciebantur à statu & dignitate, aut interficiebantur, tunc etiam imagines eorum conterebantur : sicut factum est de *Seiano*, qui erat *Tiberio* dilectus ; in tantum quod erat secundus post eum : sed tandem venit in iram *Tiberii*, & fecit ipsum interfici, & ad ripam *Tiberis* jactari, ubi inimici eum calcabant dicentes : Calcemus Cæsaris hostem ; & trahebant imaginem ejus per terram, & comminuerunt eam. Unde ad hunc intellectum forsan dicit : & *imaginem eorum ad nihilum rediges &c.*

Imagines Tyrannorum.

37. d. c. Relatum.

21. *Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt : & ego ad nihilum redactus sum, & nescivi.*

HIC David in persona cujuslibet justi confitetur errorem suum, & ignorantiam, & impossibilitatem ad solvendam istam quæstionem : in qua tria facit. Nam primò facit quod dictum est. Secundò, agit gratias, quia non mansit in illo errore. Tertiò, dat salubre consilium & doctrinam. Secunda ibi : *Et ego semper tecum.* Tertia ibi : *Quid enim mihi est.*

Quantum autem ad primum, jam dictum est, quòd duo sunt consideranda in prædicta quæstione. Primò, ipsa quæstio, sive dubium in se, scilicet, quare Deus permittit malos prosperari, & justos deprimi, & affligi? Secundò, considerandus est error, quem ignorantes & fragiles inferebant ex supradicto dubio, scilicet, quòd vel Deus non curabat nec gubernabat actus humanos : vel ipse erat injustus, talia tolerando. Sed jam hunc errorem removit David in particula præcedente, ostendendo, quòd Deus gubernat actus humanos, & semper in supradictis manet justus Judex : quia licèt permittat malos ad tempus prosperari ; tamen finaliter punit eos, & annihilat eorum prosperitatem, & *dejicit* eos, *dum elevantur* & exaltantur &c. Et sic peccatum eorum non abiit impunitum.

Sed quid dicendum de quæstione in se? scilicet, quare Deus ista permittit ad tempus fieri? quia interim patitur justus. Ad hoc dicit David : quòd licèt ipse *inflammatus* desiderio sciendi, vel zelo & invidiâ prosperitatis malorum per longa tempora investigaverit solutionem hujus quæstionis, in tantum quòd cogitationes ejus fuerunt *commutatæ* ad supradictum errorem, hæsitando & dubitando de divina providentia & justitia : tamen finaliter numquam potuit pervenire ad ejus solutionem ; immò *tanquam jumentum factus est* ignorans : & quasi *ad nihilum redacta est* scientia sua in hac perscrutatione: eò quòd ista quæstio est insolubilis & investigabilis per scientiam humanam. Unde in tantum factus fuit ignorans & *quasi jumentum* & bestia in hac investigatione, quòd incidit in errorem & dubium de divina justitiâ & providentiâ. Ideo dicit *Augustinus*, quòd *qui quærit solutionem hujus quæstionis & causam, videtur quærere causam divinæ voluntatis, cujus nulla est causa : cum ipsa voluntas divina sit causa omnium.* Ideo ait : quòd *de hujusmodi arcanis divinis melior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia.* Nam multi volentes inquirere de hoc profundo, versi sunt in profundum multorum errorum, sicut fecerat iste afflictus fragilis.

Quare Deus permittit malos prosperari.

Et hoc est quod intendit dicere David dicens : Ecce *cor meum inflammatum est* investigando hanc quæstionem ; & etiam *cor meum*, id est, affectus & sensualitas, *inflammata est*, ardescens zelo iræ, & invidiæ, videndo prosperitatem malorum: *& renes mei*, id est, cogitationes meæ interiores *commutatæ sunt* ad incidendum in supradictum errorem, dubitando de divina providentia & justitia. Ideo *ad nihilum*

lum redactus sum, & nescivi, id est, tota scientia mea, & labor studii mei ad nihilum redactus est: *& nescivi* solvere supradictam quæstionem: immò *ut jumentum* & bestia ignorans *factus sum apud te* volendo quærere causam tuæ voluntatis. Unde nota, quòd *renes* quandoque sumuntur pro interiori cogitatione in Scriptura, ut ibi: *Scrutans corda & renes Deus.* Unde littera *Hieronymi* habet: *quia contractum est cor meum: & lumbi mei velut ignis fumigans, & ego insipiens & nescius.*

38. d. c. Sedulo, & c. Nullus, & 40. d. c. Multi.

22. *Ut jumentum factus sum apud te: & ego semper tecum.*

23. *Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.*

QUASI dicat: nam ista proveniunt ex profunditate & *altitudine divitiarum sapientiæ, & scientiæ tuæ*: cujus *judicia & viæ sunt investigabiles.* Ideo quilibet intellectus humanus volens ista investigare, est quasi *jumentum* & bestia *apud te*, non valens ista investigare; immò incidet in diversos & nefandos errores. Ex quibus patet, quòd meliùs est talia fideliter ignorare, & altitudini divinæ sapientiæ dimittere & relinquere, & cum timore & tremore Deum magnificare, quam temerè velle investigare. Et hæc videtur intentio ipsius David, licèt aliter alii exponant hunc passum.

Et ego semper tecum. Hîc incipit versiculus & sententia in Hebræo & Translatione *Hieronymi*, ubi David in persona justi agit gratias, quòd licèt aliquando ex dolore & afflictione hæsitaverit; quia ira impedit animum, ne possit cernere verum: tamen Deus non permisit ipsum permanere in illo errore: immò cognovit ignorantiam suam, & talia provenire ex illis occultissimis & arcanis judiciis sapientiæ divinæ. Nam *Deus semper tenuit manum dexteram ejus.*

Ratio dicitur dextera: caro vero sinistra.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd sicut sensualitas & caro dicitur *sinistra* hominis, eò quòd semper impellit hominem ad partem deteriorem: ita ratio dicitur *dextera*, eò quòd impellit hominem ad partem meliorem, & justam, & ad obediendum Deo & præceptis ejus. Ideo licèt David, & aliquis justus, aliquando fuerit impulsus à *sinistra*, id est, à sensualitate ad dubitandum de divinâ justitiâ: tamen Deus semper *tenuit manum dexteram*, id est, partem rationalem ipsius, ne maneret in tali errore: immò secundùm voluntatem deliberativam, & fidelem intelligentiam conformatus fuit divinæ voluntati, tribuendo talia occultissimo & justissimo Dei judicio.

Ex quo patet, quòd in tali titubatione Deus nunquam dimisit illum; immò semper fuit secum quoad partem rationalem. Ideo dicit: gratias tibi ago, supple, quia *ego semper* fui *tecum*, & non fui separatus à te per fidem in tali meditatione: immò semper *tenuisti dexteram manum meam*, id est, partem rationalem, & voluntatem deliberativam: in qua parte rationali consistit vera fides, & spes, & charitas: & sic tenuisti dexteram meam per fidem in præsenti: cum qua fide & spe toleravi patienter persecutiones, & afflictiones temporales.

Dextera dicitur recta voluntas.

Ideo *cum gloria suscepisti me* post hanc vitam, in præmium laborum & persecutionum. Unde *dextera* in Scriptura non solum ponitur pro parte rationali, sed etiam pro recta voluntate & operatione: & ideo dicit: *Tenuisti manum dexteram meam*, id est, rectam & piam intelligentiam & fidelem ad credendum; & rectam voluntatem ad bona operandum, ne caderem in hæreses, aut blasphemias. *Et deduxisti me in tua voluntate*, id est, per regulam mandatorum: & sic *cum gloria* & victoria *suscepisti me.* Quasi dicat: tu tenuisti intelligentiam meam ne caderem in errores contra fidem: & *tenuisti* voluntatem meam ne committerem opera illicita & nefanda contra tua præcepta. Et sic *semper* fui *tecum*, te tenente *dexteram meam &c.*

De Consec. d. 4. c. Ecclesia, & de Consec. d. 5. Jejunium.

24. *Quid enim mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram?*

25. *Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

HIC dat salubrem doctrinam & consilium omnibus fidelibus super hanc quæstionem. Unde dicit, quod si nos videmus, quod Deus semper punit malos, & agentes contra Legem divinam, & dat præmium bonis & justis: Ergo vanum & inane est terere tempus investigando de supradicta quæstione, nisi declinare à malo, & facere bonum. Et ista est salubris doctrina, & consilium bonum.

Dicit ergo: *Quid est mihi in cœlo* amplius quærendum, nisi gloriam, quam das justis? *Et quid amplius volui à te super terram*, nisi gratiam, supple, ad bene operandum, quam das adhærentibus tibi,

tibi, & invocantibus te? Ergo vanum est, aliud quærere, & tempus in curiositatibus terere: quia in talibus curiositatibus *defecit cor meum, & caro mea*, id est, sensualitas mea, inquirendo & investigando: ideo, dimissis illis, tu es *Deus cordis* & desiderii *mei*: & tu *Deus* es *pars* hæreditaria, id est, hæreditas *mea in æternum.* Et ideo aliud nolo quærere, nec investigare. Et in hoc præmio etiam *defecit*, id est, determinavit desiderium *cor meum, & caro mea.* Ideo nil aliud volo. Et declarat seipsum, dicens:

3. q. 1. c. Beatus, & 34. q. 3. Si habes.

26. *Quia ecce, qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.*

27. *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.*

De Pœn. d. 1. Omnis.

28. *Ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.*

QUIA *ecce*, id est, manifestè videtur, quòd omnes *qui elongant se à te* transgrediendo præcepta, *peribunt* in inferno: & tu *perdidisti* in damnationem perpetuam *omnes qui fornicantur abs te*, id est, qui à te recedendo fornicantur cum diabolo, ejus suggestiones sequendo & operando. Ex quo patet, quòd *bonum* & melius est *mihi*, *adhærere Deo*, *& ponere spem meam in eo*, quàm sequi diabolum, & elongari à Deo: *ut* possim *annuntiare omnes* laudationes, & opera tua *in portis* Ecclesiæ, quæ dicitur *filia Sion*, ut frequenter dictum est. Et etiam aures fidelium dicuntur *portæ*, quibus audiuntur laudes Dei &c.

Ex his patet, quòd David in hoc Psalmo conjungit finem cum principio. Nam ibi dixit: *quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!* in fine vero concludit: *Mihi adhærere Deo bonum est.* Nam quidam fragiles putabant, quòd Deus erat melior, & magis favorabilis pravis, & tyrannis, & etiam infidelibus, quàm justis & fidelibus; eò quòd illos permittit prosperari, hos autem affligi. Ad hoc respondet David in hoc Psalmo, dicens; quod hoc est falsum: immò per oppositum Deus est bonus, immò melior & favorabilior justis, & rectis corde, quàm pravis & tyrannis. Quod probatur. Nam licèt ad tempus Deus permittat prosperari malos: tamen hoc cedit eis in malum, & in scandalum, & in perniciem: quia in feliciori & altiori prosperitate dejicit eos à prosperitate mundana, & gloriâ cœlesti: & destinat eos ad pœnam æternam.

Quomodo Deus non favet malis.

Per oppositum autem licèt permittat justos aliquando flagellari: tamen totaliter non relinquit eos, immò *tenet manum eorum dexteram*, conferendo gratiam, ut patienter tolerent flagella, & adversitates; & etiam cedit eis in augmentum meritorum; & finaliter consequuntur gloriam, & vitam æternam. Ex quo patet, quòd Deus Israel melior & magis favorabilis est justis & rectis corde, quàm pravis & tyrannis. Nam prosperitas illorum cedit eis in damnationem perpetuam, & adversitas istorum cedit istis ad felicitatem & gloriam æternam: maximè quia non deserit eos per gratiam in tali adversitate. Et concludit, quòd melius est *adhærere Deo* per fidem & charitatem & spem, quàm elongari ab eo: cùm tales pereant finaliter. Et hæc est tota intentio hujus Psalmi & salubris doctrina, quam dat nobis Propheta, licèt principalis quæstio maneat insoluta, ut dictum est.

Sed *Augustinus* videtur solvere istam quæstionem *super Psalmum* 54. dicens: quòd Deus permittit prosperari & regnare malos, ut bonos exerceant. Item, in *Sermone de Innocentibus* dicit: quòd *non esset meritum, nec corona Martyrum, nisi fuisset iniquitas Tyrannorum &c.* Item de justis dicit *Augustinus*, quòd *ideo flagellantur in hoc mundo, ne patiantur in alio.* Item *Apostolus ad Corint.* dicit, quòd *ne magnitudo revelationum extolleret eum, datus est illi stimulus &c.* Ex quo patet, quòd flagella permittuntur justis ad custodiam virtutum, & etiam ad augmentum meritorum, ut ibidem dicitur: quia *virtus in infirmitate perficitur*; & sic fuit flagellatus *Job* & *Tobias.*

Sed in veritate *Augustinus* & *Paulus* propter hoc non solvunt totaliter quæstionem: quia nihil aliud probant, nisi quod talia flagella cedunt justis ad meritum & gloriam. Sed nos videmus, quòd quidam justi flagellantur, & quidam non. Ideo semper manet quæstio insoluta, scilicet, quare magis Deus permittit flagellari unum justum quàm alium? Ideo *Boetius*, *quinto de Consolatione*, *prosâ ultimâ* putat hoc solvere, dicens, quòd ideo Deus magis permittit flagellari unum, quàm alium, quia scit, quòd iste patienter tolerabit: & iste forsan deficeret. Sed parcat mihi reverentia tanti viri: quia adhuc manet quæstio insoluta. Nam iste justus non posset talia flagella patienter tolerare, nisi Deus *teneret manum ejus dexteram* per gratiam, ut dictum est in hoc Psalmo. Ergo adhuc restat scire, quare Deus dat isti talem gratiam, & non illi? Et ideo dicit *Augustinus*, *libro super Malachiam*, quòd ista quæstio est insolubilis, & inscrutabilis nobis; immò *de tali quæstione melior est fi-*

Quare unus flagellatur: & alius non.

de-

delis ignorantia, quàm temeraria ſcientia. Et hoc idem dicit hîc David : *Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi : ut jumentum factus ſum apud te*, ad ſolvendum, ſupple, iſtam quæſtionem. Sed agit gratias, quia *Deus* ſemper *tenuit manum ejus* per gratiam in perſecutionibus : ideo dat ſalubrem doctrinam, ut Deo hæreamus &c. Hoc idem videtur ſentire, & referre *Macrobius in Saturnalibus*, dicens de *Epicteto Philoſopho* nobili : *quia is quoque ſervus fuit, recentior eſt memoria, quàm ut poſſit inter oblita neſciri* : cujus etiam de ſe ſcripti duo verſus referuntur, ex quibus illud latenter intelligas : *non omnimodo diis exoſos eſſe, qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur. Sed eſſe arcanas cauſas, ad quas paucorum potuit curioſitas pervenire.*

Nota.

Prima ergo concluſio, ſive doctrina hujus Pſalmi eſt : quòd Deus licèt permittat juſtos ad tempus flagellari : tamen bonus & favorabilis eſt eis finaliter.

Secunda : quòd licèt Deus permittat malos ad tempus proſperari ; tamen finaliter punit eos, & proſperitas cedit eis in damnum. Ex quo patet, quòd Deus eſt juſtus Judex.

Tertia : quia omnis homo eſt ignorans *ut jumentum* ad inveſtigandam & ſolvendam ſupradictam quæſtionem, ſcilicet, quare Deus permittit bonos affligi à malis?

Quarta : quòd Deus numquam deſerit juſtum in perſecutionibus per gratiam, ſed ſemper *tenet manum ejus dexteram &c.*

Quinta : quòd homo juſtus non debet amplius quærere de iſta quæſtione, poſtquam Deus dat illi gratiam in præſenti ad toleranda flagella, & dat gloriam in futuro. Unde dictum eſt *Paulo : ſufficit tibi gratia mea.*

Sexta : quòd poſtquam *omnes qui elongant ſe à Deo, pereunt*, & perduntur æternaliter : ergo melius eſt adhærere Deo per fidem & charitatem, & *ponere ſpem* in eo. Et in hac ultima concluſione conſiſtit tota ſententia hujus Pſalmi, & tota intelligentia ejus, & finalis intentio Prophetæ.

Psalmus LXXIII.

De Pœn. d. 1. cap. Taciturnitas verſi. Deuſenim

1. *Ut quid Deus repuliſti in finem : iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ?*

HUIC Pſalmo præponitur Titulus. *Eruditio*, ſive *Intellectus Aſaph.* Unde licèt quidam dicant quod *Aſaph* fecit hunc Pſalmum ; tamen *Beatus Hieronymus* in *Epiſtola ad Fabiolam, de Manſionibus* aſſerit, David feciſſe ipſum, cùm allegando verſiculum hujus Pſalmi, ait : *& David canit, Tu ſiccaſti fluvios Ethan.* Et ideo eſt dicendum, quòd David fecit hunc Pſalmum, & dedit ipſum cantandum choro ipſius *Aſaph*, in quantum dirigitur, vel loquitur de tota Eccleſia. Qui quidem Pſalmus licèt videatur facilis, eò quòd eſt totus hiſtoricus ; tamen ipſe eſt bene difficilis, quantum ad determinatam materiam aſſignandam.

Materia hujus Pſalmi.

Et ideo eſt maximum ſchiſma inter Hebræos de materia hujus Pſalmi. Nam quidam exponunt ipſum de vaſtatione *Hieruſalem* facta per *Chaldæos*, quam prævidit Propheta in ſpiritu. Et quidam, de vaſtatione facta tempore *Machabæorum.* Quidam autem de vaſtatione facta per *Romanos*, & de captivitate, in qua modò ſunt, de qua petit liberari per Meſſiam quem falsò expectant. Et ſic non ſolùm unus contradicit alteri, ſed etiam unuſquiſque contradicit ſibi ipſi in proceſſu expoſitionis hujus Pſalmi.

Et ideo ſpretis ineptiis eorum, præſupponendo *quintam regulam de ſpiritu & littera, & de duplici ſpiritu Prophetarum*, prout fuit aſſignata *in Prologo:* eſt dicendum, quòd David, qui fuit principium & ampliator illius Regni, & cultus divini, & Templi, deſiderans ſcire diſcurſum, & durationem illius Regni, & Civitatis, & Templi, prævidit in ſpiritu per revelationem, qualiter propter peccata illius populi, civitas illa cum Templo primo erat deſtruenda per *Chaldæos*, & poſtea reædificanda cum ſecundo Templo. Sed iterum civitas erat vaſtanda, & affligenda cum toto Regno, & Templum profanandum per *Antiochum* de genere Græcorum tempore *Machabæorum.* Sed quia prævidit in ſpiritu, quòd Chriſtus in ſuo adventu non ſolùm erat liberaturus illum populum, & totum mundum à miſerabili ſervitute peccati, ſed etiam de perſecutione populi Gentilis, in quantum jugo ſuo debebat ſubjugare totum populum Gentilem, qui ſicut antè perſequebatur nomen Dei *Abraham*, *Iſaac*, & *Jacob*, & Legem *Moyſi*, poſtea ille populus debebat ſubjici Deo *Abraham*, & Iſrael, & defendere nomen Dei *Jacob:* ideo David petit in hoc Pſalmo liberari de populo Gentili per adventum Chriſti. Sed poſtea, quia prævidit, qualiter illa perſecutio facta tempore *Machabæorum* erat figura futuræ perſecutionis Eccleſiæ faciendæ per *Mahometum* & *Antichriſtum* : ideo pariter petit liberationem Eccleſiæ Chriſti.

Et ſic iſte Pſalmus currit & procedit in duplici ſpiritu, ſecundùm quòd David in perſona Eccleſiæ petit liberari de duplici perſecutione Eccleſiæ, quam prævidit in duplici ſpiritu. Nam ipſe petit, Eccleſiam liberari ſecundùm ſtatum veteris Teſtamenti, ab utraque afflictione, tàm ſpirituali,

tuali, quàm temporali per primum adventum Christi: & etiam petit liberari secundùm statum novi Testamenti de persecutione *Mahometi* & *Antichristi*. A

Et ideo ne confundantur intellectus simplicium lectorum, fiet duplex & distincta Expositio hujus Psalmi: scilicet, una de vastatione illius Civitatis & Templi facta per *Antiochum*: & altera de vastatione Ecclesiæ novi Testamenti facta per *Mahometum*, & facienda per *Antichristum*. Prout fuit figurata per primam.

Exponitur duplicíter.

Quantum ergo ad primam Expositionem duo facit. Nam primò exponit suam vastationem & afflictionem. Secundò, petit liberari per Christum. Ibi: *Usquequò Domine*. Conqueritur ergo David & dicit in persona illius populi fidelis afflicti tempore *Machabæorum*: O *Deus*, *ut quid repulisti* & oblitus es nos *in finem*? id est, totaliter, & *iratus est furor tuus super* nos, B qui sumus *oves pascuæ tuæ*.

Ex hoc patet: quòd ista non est vox populi existentis in captivitate Babylonica, sicut Judæorum quidam dicunt: quia David jam prævidit, quòd propter scelera sua, & peccatum idololatriæ ille populus erat captivandus: & sic non ignorabat causam illius captivitatis. Sed loquitur in persona *Machabæorum*, & aliorum fidelium, qui affligebantur. Et etiam hîc Propheta non quærit causam, quare Deus permittebat eos affligi: quia numquam defuerunt eis peccata, propter quæ merebantur affligi: sed conqueritur, quare tanto tempore durabat illa afflictio, & quare Messias tantum differebat adventum suum ad liberandum eos: quia videbatur, eos finaliter & totaliter *repulisse*, & oblivioni tradidisse, & oves suas refellisse, & C abdicasse.

Ideo David, ut moveat Deum ad misericordiam, & ut mittat Messiam ad liberandum eos, commemorat beneficia præterita. Nam delectatur magnanimus in audiendo beneficia quæ fecit, & magis movetur ad majora, ut patet 4. *Ethicor*. Et ideo memorantur majora beneficia, & illa quæ erant figura futuræ redemptionis. Ideo dicit:

93.q.c.Legimus.

2. *Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.* D

23.q.5.c. fina.

3. *Redemisti virgam hæreditatis tuæ: mons Sion, in quo habitasti in eo.*

O Domine memento *congregationis tuæ*: scilicet filiorum Israel, *quam* congregasti, & *possedisti ab initio*, scilicet ab *Abraham*, quem eduxisti de *Ur Chaldæorum*, & postea de *Mesopotamia*, & eduxisti in terram *Chanaan*, à quo ista E congregatio habet originem. Et postea congregasti istum populum ex Ægypto in *Ramesse*: & sic duxisti ipsum per desertum: & multotiens *redemisti virgam hæreditatis tuæ*: scilicet, sceptrum & Regnum Israel. Nam primò redemisti ipsum de *Ægyptiaca captivitate*. Secundò in *Mari Rubro*. Tertiò, introduxisti ipsum in terram promissionis; & ibi redemisti, & liberasti ipsum per multos *Judices*: & finaliter tempore *Samuelis* dedisti ipsi *virgam* & sceptrum regale: quæ *virga* & regnum multotiens fuit infestatum à regibus *Assyriorum* & *Babyloniorum*, & Ægyptiorum. Sed finaliter semper *redemisti* & liberasti istam *virgam* & regnum *hæreditatis tuæ*, quæ est *mons Sion*, scilicet *Hierusalem*, caput & sceptrum regni, *in quo habitasti* F per specialem cultum.

Beneficia facta Judæis.

Et nota, quòd dicitur, *In quo*, &, *In eo*: quia ad diversa referuntur. Quasi dicat: *In quo* monte & civitate *habitasti*, & habuisti sceptrum, tanquam in capite regni, & *habitasti in eo*: id est, in Templo per specialem cultum. Nam civitas erat sedes & sceptrum regni: & Templum, sedes sacerdotalis: in quo Templo erat *Arca* Domini sedentis super Cherubim. Quasi dicat: Tu donasti liberam hæreditatem isti populo, scilicet, terram promissionis, & Templum, & Regnum, & omnes dignitates super cæteras nationes.

Et notanter secundùm *Augustinum*, populum Israel vocat *virgam hæreditatis* Dei: eò quòd fuit figuratus per illam *virgam*, quâ *Moyses* fecit omnia miracula & G prodigia in *Ægypto*, & in *Mari Rubro*, & per totum desertum. Translatio *Hieronymi* habet: *Redemisti sceptrum hæreditatis tuæ*, *montem Sion*, *in quo habitasti*: & est littera plana.

23.q.5.c. fina.

4. *Leva manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto!*

16.q.7.c. Et hoc.

5. *Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ.* H

HIC petit liberari, memorans instantes afflictiones, dicens: *Leva manus tuas*: id est, potentiam tuam, *in finem*: id est, finaliter: *in*, id est, contra *superbias eorum* inimicorum infidelium: & vide, supple, *quanta malignatus est* iste *Antiochus inimicus in sancto*, scilicet, Templo, & populo tuo, & sanctuario, vastando, cædendo, polluendo &c. Et quo-

quomodo illi infideles *qui oderunt te*, gloriati ſunt, ſe habuiſſe victoriam *in medio ſolemnitatis*, id eſt, *in medio* Templi & A Civitatis, ubi celebrabantur tuæ ſolemnes feſtivitates. Quaſi dicat, quòd in odium tui, & vituperium, & contemptum iſta quæ ſequuntur fecerunt. Nam primò,

Ibidem. 6. *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna: & non cognoverunt ſicut in exitu ſuper ſummum.*

Poſuerunt ſigna ſua: quia *Antiochus* poſuit imaginem ſuam, & idolum *Jovis Olympii* in medio Templi, ubi celebrabantur ſolemnitates, & offerebantur B Deo ſacrificia: & etiam in ſignum captionis. Et interponitur, *non cognoverunt*, id eſt Gentiles, in omnibus his Deum *non cognoverunt*, nec timuerunt: *nec cognoverunt*, quòd Deus permittebat iſta ex peccatis Judæorum: immò imputabant & attribuebant victoriæ ſuæ.

Et debet ſic ordinari littera: *poſuerunt ſigna ſua in medio* Templo *ſolemnitatis tuæ*: *ſigna*, dico, *poſuerunt ſuper ſummum*, & turrim, & arcem, & Templum, *ſicut in exitu*: quia bonus *exitus* belli dicitur *victoria*, & è converſo, id eſt, *ſicut* ſolet fieri in victoria: *ſicut in exitu*: id eſt, tanquam in victoriam, ſive ad ſignum & in ſignum victoriæ: & in C hoc *non cognoverunt*, iſta propter peccata populi permitti: immò propriæ victoriæ & viribus attribuerunt.

1. Macha bæorũ 5. 4. Reg. 25 cap. & 3. Eſdræ. 4. c. 7. *Quaſi in ſilva lignorum ſecuribus exciderunt januas ejus in idipſum: in ſecuri & aſcia dejecerunt eam.*

8. *Incenderunt igni Sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* D

NON ſolum *poſuerunt ſigna ſua* in Templo & præſidio Civitatis, ſed etiam *exciderunt januas ejus*, ſcilicet, Templi & Civitatis in *ſecuribus*, *ſicut* ſolent excidi arbores *in ſilva lignorum* & arborum. Et *in idipſum*, id eſt ſimiliter, *dejecerunt eam*, ſcilicet Civitatem, *in ſecuri & aſcia*. Unde ſicut *ſecuris* dicitur *à ſecando*: ita *aſcia* dicitur quaſi *acuta*, & bene ſcindens, *ab acuendo*. Et eſt inſtrumentum, quo dolant fabri lignarii. Et etiam *incenderunt Sanctuarium tuum* & Templum, *& polluerunt in terra tabernaculum nominis tui*: id eſt, ubi nomen tuum venerabatur & colebatur, *polluerunt*: quia ibi poſuerunt idolum *Jovis* E *Olympii*: & ibidem ſacrificarunt diis ſuis.

2. Machabæor. 5. & cap. ſeq. 9. *Dixerunt in corde ſuo cognatio eorum ſimul: Quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra.*

10. *Signa noſtra non vidimus, jam non eſt propheta: & nos non cognoſcet ampliùs.*

F TOTA illa *cognatio*, id eſt, generatio & concio infidelium *dixerunt*, & *ſimul* in conſilio ſtatuerunt: *faciamus quieſcere* & ceſſare *à terra*: id eſt, de tota *terra*, *dies feſtos*, id eſt, ſolemnitates & feſtivitates, quas Deus in Lege præcepit. Quaſi dicant: prohibeamus, ne Judæi ſervent feſtivitates, & cætera Legalia & præcepta, ſed ſervent ritus Gentilium, ſicut patet *primo Machabæorum per totum*, & etiam *ſecundo Machabæorum*, *ſeptimo*. Sed iſta etiam verba ſunt verba illorum Judæorum, qui apoſtatarunt tempore *Machabæorum*: qui dicebant, quòd poſtquam dimiſerant Legalia & ſervabant ritus Gentilium, evenerat eis proſperitas. Ideo ſequitur: *ſigna noſtra* antiqua *non vidi*- G *mus*, & *jam non eſt propheta* in Iſrael: *nec* Deus *cognoſcet nos ampliùs*. Quaſi dicant: Jam Deus dimiſit illum populum & Legem. Et præbet favorem Gentilibus. Ideo melius eſt eis adhærere.

23. q. 1. Nè Noli. 11. *Uſquequò Deus improperabit inimicus: irritat adverſarius nomen tuum in finem?*

De Pœn. d. 1. c. Medicina. 12. *Ut quid avertis manum tuam, & dexteram tuam, de medio* H *ſinu tuo in finem?*

De Conſe. d. 2. Iteratur. 13. *Deus autem rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ.*

HIC petit non ſolùm reſtaurationem Civitatis & Templi profanati & polluti per *Antiochum*; ſed etiam principaliter petit reſtaurationem, & liberationem totius generis humani, vexati per diabolum & per idololatriam. Et ideo ſemper currit duplex intelligentia in hac ſecunda parte. Dicit ergo: *O Deus, uſquequò inimi-*

micus diabolus, & populus Gentilis *improperabit* nobis, contemnendo Legem tuam? & *adverſarius*, id eſt, populus Gentilis, *irritabit nomen tuum*, dicendo, quòd Deus Iſrael non eſt potens ad liberandum nos de manibus eorum, & præferendo tibi Deos ſuos? *Ut quid avertis manum tuam*, id eſt, potentiam tuam ab eis? Quaſi dicat: Cur ceſſas eos punire, & adhibere manum & potentiam tuam ſuper eos? & *avertis*, id eſt, non mittis *dexteram tuam* & potentiam, *de ſinu tuo in finem*, id eſt, finaliter & totaliter contra eos, ut punias totaliter eos. Et eſt modus locutionis contra deſides, & ignavos, & ſocordes, & inertes, qui non curant vindicare injurias: qui dicuntur *habere manus in ſinu*, non mittentes eas contra hoſtes. Quaſi dicat: Quare non trahis manum de ſinu tuo, ut mittas in hoſtes, qui irritant nomen tuum?

Chriſtus dicitur manus Patris dextera.

Sed ego credo, quòd hîc latet majus ſacramentum. Ad cujus intelligentiam eſt advertendum, quòd Chriſtus dicitur *manus dextera* ipſius Patris, ut dictum eſt *in Prologo*, quâ Pater exercet ſuam virtutem, & quâ creavit mundum, & recreavit humanum genus, & vicit diabolum: qui quidem Filius eſt *Deus ante ſæcula*, & Verbum in ſinu Patris. Quare Pater dicitur miſiſſe *manum ſuam de ſinu ſuo*, quando miſit Verbum in carne, per quod liberavit genus humanum, & vicit diabolum, & ſubjecit populum Gentilem jugo fidei.

Dicit ergo David in perſona totius corporis myſtici pro illo ſtatu: O Deus Pater, *Quid*, id eſt, quare *avertis* á nobis *manum tuam*, non mittendo Filium? & quare *avertis dexteram tuam de ſinu tuo*? id eſt, quare non mittis Filium tuum *de ſinu tuo*, ut ſumat carnem, & liberet nos? quia ipſe Chriſtus *Rex noſter*, eſt *ante ſæcula*: quia antequam mundus fieret ipſe *erat Verbum in principio*, *& Verbum erat apud Deum*, *& Deus erat Verbum*: per quem ex tempore mundus & omnia facta ſunt. Item, in quantum *Rex noſter*, *operatus eſt ſalutem in medio terræ*. Et ponitur *præteritum* pro *futuro*, propter certitudinem prophetiæ, & propter revelationem jam ipſi factam. Quaſi dicat: tu mihi revelaſti in ſpiritu, & per figuras ſcripturarum in ſpiritu prævidi, qualiter iſte *Rex noſter* Chriſtus, qui dicitur *tua manus dextera*, *eſt operatus ſalutem* generis humani in *Hieruſalem*, quæ eſt *in medio terræ* habitabilis: *in medio*, dico, ſecundùm latitudinem: quia eſt ſita quaſi in fine, ſive in medio quarti climatis; & ſic dicitur eſſe in medio mundi: dico ſecundùm latitudinem: quia diſtat ab æquinoctiali quaſi triginta duobus gradibus, ubi Chriſtus crucifixus eſt. Quaſi dicat: poſtquam hoc mihi revelaſti, fac ut impleatur.

E 14. *Tu confirmaſti in virtute tua mare: contribulaſti capita draconum in aquis.* *Exod. 13. & c. ſequen.*

15. *Tu confregiſti capita draconis: dediſti eum eſcam populis Æthiopum.*

HIC explicat myſteria, in quibus figuraliter David prævidit redemptionem & liberationem noſtram, & excidium diaboli: ex quibus aſſumit parabolam & F propoſitionem noſtram, & excidium diaboli.

Virga figura fuit Chriſti.

Ad cujus intellectum eſt notandum, quòd illa *virga*, cum qua *Moyſes* fecit miracula in *Ægypto*, & diviſit *Mare Rubrum*, de qua ſupra dictum eſt, fuit figura ipſius Chriſti, & Chriſtus fuit figuratus per eam. Unde ſicut illa virga fuit inſtrumentum, per quod *Moyſes* fecit illa miracula in terris, ut ait *Leo Papa*: ſic quaſi per omnia, illa virga fuit figura Chriſti in cunctis myſteriis. Et ſicut per hanc *Moyſes* percuſſit aquas *Maris Rubri*, & aquæ fuerunt diviſæ ad modum muri firmi ex utraque parte, præbentes viam ſecuram filiis Iſrael: & ſicut evaſerunt, & liberati ſunt de Ægyptiis (quæ quidem virtus non erat in virga principaliter, ſed in virtute divina exiſtente in Angelo, qui erat G incluſus in nube) ita pariter Chriſtus per contactum carnis præbuit virtutem regenerativam aquis ad Baptiſmum noſtrum: per quam aquam Baptiſmalem liberamur de captivitate diaboli, & tranſimus per undas hujus mundi, & tendimus in terram viventium nobis promiſſam. Et ſic Chriſtus nos ducit in patriam per aquas Baptiſmales. Et ſic ſicut illæmet aquæ venerunt ſuper *Pharaonem* & *Ægyptios*, & ſuffocarunt eos: ita aquæ peccatorum hujus mundi ſuffocant homines in peccato originali & actuali, niſi ſint ſanatæ & fugatæ per *virgam* & poteſtatem Chriſti.

Ægyptii dicuntur dracones.

Unde nota, quòd rex Ægypti, & H omnes Ægyptii dicuntur *dracones*: eò quòd habitant inter aquas & perfuſiones aquarum ipſius *Nili*: & ſic *Ezech.* 29. appellat *draconem* regem Ægypti; dicens: *Draco magne, qui cubabas in medio fluminum tuorum.* Et etiam tota Ægyptus dicitur *draco*. Et magnates Ægypti dicuntur *capita draconis*. Et ideo quando Deus ſubmerſit Pharaonem & exercitum ejus in *Mari Rubro*, dicitur *confregiſſe capita draconis in aquis*: quod fuit figura, quòd eodem modo Chriſtus debebat confringere & ſubmergere diabolum, qui dicitur *draco*: & etiam ſubmergere *capita* dra-

co-

conis: quæ sunt duo vitia capitalia, *in aquis* Baptismalibus. Et sic Deus dedit *Pharaonem*, & *Ægyptios* corvis nigris A comedendos: qui *corvi* dicuntur populus & multitudo *Æthiopum*, id est, *nigrorum*. Illud fuit figura, quòd postquam Christus liberasset fideles per aquas Baptismales, & confregisset diabolum, & septem vitia capitalia; tunc debebat congregare fideles in Ecclesiam suam, & relinquere infideles diabolis comedendos.

Et hoc est quod dicit hîc Propheta, adducens illud mysterium in figura. Unde ait: O Deus, *Tu confirmasti in virtute tua mare*, id est, ad modum parietis firmum stare fecisti, quando *Moyses* percussit aquas cum virga. Et postquam populus tuus illæsus transivit; tunc *contribulasti* & contrivisti *capita draconum*, id est, Ægyptiorum, *in aquis*: & *Tu confregisti* B *capita draconis*, id est, magnates Pharaonis. Et *dedisti ipsum draconem*, scilicet, regem Ægypti cum magnatibus suis in *escam populis Æthiopum*, id est, corvorum nigrorum. Sed quia hoc fuit figura tui adventus: ergo veni in carne, & percute mare Baptismale *virga* tuæ humanitatis, & libera nos. Et *contribula*, & confringe *capita*, id est, vitia capitalia *draconis*, id est, diaboli. Quasi dicat, sicut tunc contrivisti & *confregisti capita* Ægyptiorum in Mari Rubro: ita confringe diabolum & *capita* ejus in Baptismo per contactum tuæ carnis in *Jordane*, & in tota Ecclesia.

Peccatum originale dicitur caput draconis.

Unde nota, quòd peccatum originale dicitur *caput draconis*, id est, diaboli, C quo primò mordet in nostra libidinosa generatione. Septem autem vitia capitalia sunt *capita* in cauda *draconis*, quibus mordet hominem per processum temporis & in adultâ ætate. Et sic Baptismus non solùm extinguit peccatum originale, quod dicitur *caput*, sed etiam actualia peccata, quæ sunt *septem capitalia* in cauda *draconis*. Et hoc est quod propheticè dicit David de Christo per figuram interitûs Pharaonis, & suorum in mari &c. Unde iste *draco magnus* diabolus habet primò tria capita, scilicet, tria genera peccatorum, scilicet, *originale*, *actuale*, & *veniale*, quibus mordet genus humanum. Sed actuale D dividitur in septem vitia capitalia: sive *septem spiritus nequiores se*, qui præsunt tanquam principes septem vitiis capitalibus: & omnes confregit Christus, primò, per *virgam* Baptismi. Secundò, per *virgam* Pœnitentiæ. Ideo dicit: *Tu confregisti &c.* Et sic ponitur figura pro figurato in hac littera, & præteritum pro futuro: sicut est mos David in hoc Psalmo & cæteris. Item sequitur:

E **16.** *Tu dirupisti fontes & torrentes: tu siccasti fluvios Ethan.* *Exod. 16.*

QUASI dicat: tu Deus per *Moysen* percutientem rupem *Horeb*, cum eadem *virga dirupisti* & aperuisti *fontes & torrentes* emanantes de petrâ: primò in *Horeb*, *Exod.* 16. Et secundò, *ad aquas contradictionis*, *Numeri* 20. Per quod figuratum fuit, quòd latus Christi debebat percuti, & lanceâ aperiri, & sanguis & aqua ex eo emanare in remissionem peccatorum, & virtutem Sacramentorum Ecclesiæ. Quasi dicat: sicut *tu dirupisti* rupem in *fontes & torrentes* aquarum, ad potandos & refrigerandos populos pe- F reuntes: ita aperiatur latus tuum lanceâ, ut inde emanet pretium & refrigerium nostrum &c.

Tu siccasti fluvios Ethan. Ad cujus intellectum est advertendum: quòd populus Israel erat in *Ethan*, quando *Pharao* persequebatur eum: & per littus *Ethan* intravit Israel per siccum ad aliam partem deserti ipsius *Ethan*, ut patet in *Exod.* Et sic David hîc intelligit per *fluvios Ethan*, undas & fluctus marinos ipsius *Ethan*: quos siccavit *Moyses*, quando percussit mare, & apparuit via, & terra sicca in medio maris. Et ideo dicit: *siccasti fluvios*, id est, fluctus & undas fluentes maris & littoris *Ethan*: quod ad ostendendum duo contraria fecit Deus cum eadem virgâ. Nam percutiendo rupem, eduxit aquam G de sicco: & percutiendo mare, siccavit ipsum, faciendo viam siccam in medio ejus. Per quod ostendit, quòd Christus per eandem virtutem & potentiam præbet gratiam, & destruit peccatum, & refrigerat *Nota.* fideles, & conterit diabolum & obstinatos. Et ideo vult dicere hîc David: sicut *tu dirupisti fontes & torrentes* de petra, per eandem virgam percutiendo, & siccasti mare, & fluctus *Ethan*: ita pariter, cùm veneris in carne, per eandem virtutem passionis salvabis fideles, & domabis diabolum, & infideles, & præbebis gratiam, & destrues peccatum. *Ethan* etiam potest esse nomen appellativum: & interpreta- H tur *fortitudo*. Ideo littera *Hieronymi* habet: *Tu siccasti flumina fortia*: scilicet, in Ægypto, & *Ethan* flumen *Jordanis*, quando introivit Israel terram promissionis, *Josue* 3. Et tunc est eadem sententia mystica, & prophetica. Quasi dicat: Tu Christe, qui fecisti illa mysteria mirabilia figuraliter in Testamento veteri, veni in carne, & fac ea quæ per illa figurabantur, ad nostram redemptionem &c.

* * *

17. *Tuus*

56. d. c. Naſci.

17. *Tuus eſt dies , & tua eſt* A *nox : tu fabricatus es auroram, & Solem.*

Ibidem.

18. *Tu feciſti omnes terminos terræ : æſtatem & ver tu pſalmaſti ea.*

QUASI dicat : *Tu feciſti diem & noctem* , & *fabricatus es auroram & Solem.* Et *tu feciſti terminos terræ.* Nam terram littoribus maris terminaſti: immò mare littoribus terræ terminaſti : & B *tu pſalmaſti æſtatem & ver.* Et ſic patet, quòd tu feciſti cœlum quantum ad ambitum , & aſtra , & ſolem &c. Et *tu feciſti*, & diſpoſuiſti terram , dividendo aquam ab aquis , & *apparuit arida* ad habitationem hominum terminata littoribus maris. Et etiam creaſti tempus , & diviſiſti ipſum per æſtatem , & ver , & hiemem , & autumnum , ut ſuccederent & durarent generationes & corruptiones , & tolleretur faſtidium hominum , ne ſemper eſſent in æſtate , aut hieme. Ideo *pſalmaſti ver* ad temperandum hiemem , ut herbas & fructus germinaret terra. Et formaſti *æſtatem* , ut in ea omnes fructus maturarentur. Non autem nominat autumnum , nec hiemem, quia potiùs faciunt ad corruptionem. Sed C tota illa creatio & diſpoſitio Univerſi , quæ facta & creata fuit in principio per Verbum , erat figura noſtræ regenerationis & recreationis : ut patebit *Pſalmo* 103. ideo hæc adducit David in figura. Quaſi dicat, ſicut tu creaſti totum Univerſum in principio , & diſtinxiſti & diſpoſuiſti per partes , & per ſpecies , & loca , & tempora, ſignificando noſtram regenerationem ; ita veni , & imple opus noſtræ regenerationis, & noſtræ redemptionis , prout ibi figuratur.

Eccleſiæ tres partes.

Unde ſicut toto Univerſo ſignantur tres partes , ſcilicet , *cœlum* , & *elementa*, & *elementata* ; ita pariter in Eccleſia aſſignantur tres partes , ſcilicet , *Sancti viri*, qui ſunt cœlum , & *Sapientes* , & *Doctores* , qui ſunt elementa : & omnes *ſimplices Fideles* , qui ſunt elementata. Et ſicut D in mundo aſſignantur quatuor tempora: ita pariter in Eccleſia. Nam primum tempus fuit *Hiems* poſt peccatum *Adæ*. Secundum fuit *Ver* in Lege *Moyſi* , in qua tanquam in arbore incœperunt myſteria generari. Sed tempus gratiæ in adventu Chriſti fuit *Æſtas* , in qua fructus Legis fuerunt maturi ad colligendum ; ſed tempus Antichriſti erit *Autumnus* , in quo folia Eccleſiæ cadent &c. Et ideo Propheta hîc tacet *hiemem* & *Autumnum* : quia per *hiemem* interpretatur peccatum *Adæ* : & per E *autumnum* tempus filii perditionis. Sed nominat *ver* , per quod interpretatur tempus veteris Teſtamenti : & *æſtatem*, per quam ſignificatur tempus gratiæ. Quaſi dicat : Tu Deus *pſalmaſti* & creaſti Legem veterem & novam , & tempus Legis , & tempus gratiæ. Et ſic etiam creaſti *diem* & *noctem* , id eſt , Legem veterem & novam. Ideo ſicut *tuus eſt dies* , id eſt , Lex Euangelica , & tempus gratiæ : ita *tua eſt nox* , id eſt , Lex vetus , & tempus ejus. Et hoc dicit contra *Manichæos* , qui dicunt , Legem veterem non eſſe datam à bono Deo. Et etiam dicunt , quòd Deus ſolùm creavit creaturas incorporeas & inviſibiles. Et etiam per *auroram* intelligit F tempus Legis propinquum Chriſto , quando Sol mittebat ſuos radios inter umbras noctis per *Joannem Baptiſtam.* Et per *Solem* intelligit humanitatem Chriſti , qui eſt *Sol juſtitiæ* , per cujus præſentiam factus eſt dies gratiæ. Ex ſupradictis patet, quòd David omnia ſupradicta adducit in figuram adventus Chriſti , & noſtræ redemptionis : & ſic ponit figuram pro figurato. Nam omnia illa erant in Chriſto implenda , & fuerunt de facto in eo impleta. Et hoc petit David in hoc Pſalmo. Et ideo ſubdit:

6. q. 1. Ex merito.

19. *Memor eſto hujus , inimicus improperavit Domino : &* G *populus inſipiens incitavit nomen tuum.*

11. q. 1. Ad mensam.

20. *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi : & animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem.*

23. q. 1. Non turbatur.

21. *Reſpice in teſtamentum tuum: quia repleti ſunt , qui obſcurati ſunt terræ domibus iniquitatum.*

H

15. q. 1. Revertimini, circa finem.

22. *Ne avertatur humilis factus confuſus : pauper & inòps laudabunt nomen tuum.*

O Domine Jeſu , *memor eſto hujus* figuræ & myſterii ſupradicti : & *memor eſto hujus* populi tui , ad complendas figuras memoratas : & libera nos de manu , & *improperiis* infidelium. Erit ne verum , aut ſuſtinebis , quòd *inimicus populus* infidelis improperabit & improperia di-

dicat Domino ? & *populus* infidelium *inſipiens incitabit* ad contumeliam , & vituperabit *nomen tuum* ? hoc dicit Propheta cum indignatione. Et rogo *ne tradas*, A id eſt , ne tradi permittas *beſtiis* , id eſt, diabolo , & membris ejus beſtialiter viventibus , *animas confitentes tibi.* Et appellat beſtias *Antiochum* & *Nicanorem* , & ſequaces eorum , qui vaſtarunt & devorarunt illam civitatem & populum , tanquam beſtiæ. Sed quia Deus hoc permittebat , ideo ſubdit : & *ne in finem* nec totaliter *obliviſcaris animas pauperum* fidelium *tuorum :* quia infideles expoliaverunt eos : & ne contemnas , ſed *reſpice in teſtamentum tuum* , præbendo favorem Legi tuæ , & fidelibus tuis expoliatis : quoniam inimici tui , qui obſtinati , & denigrati , & obcœcati ſunt per avaritiam , & infidelitatem , & cætera peccata , *repleti ſunt domibus* , & cæteris temporalibus bonis B *iniquitatum* terræ , id eſt , bonis terrenis , per iniquitatem , & rapinam , & violentiam acquiſitis. Littera *Hieronymi* habet : *Reſpice ad pactum : quia repleti ſunt tenebris terræ habitationes iniquæ*: & tunc littera eſt plana. Rogo ergo , *ne* fidelis populus tuus *humilis avertatur* & pellatur à te *factus confuſus* , & inadjutus, & deſolatus. Nam divites hujus mundi non *laudabunt te* : ſed iſte populus fidelis *pauper & inops laudabunt nomen tuum* , & colent te , ſervando Legem tuam.

23. q. 6. c. *Hi qui*, & 21. q. 5. *Si quis.*

23. *Exurge Deus , judica cauſam tuam : memor eſto improperiorum tuorum , eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die.* C

De Pœn. d. 3. c. *Talis.*

24. *Ne obliviſcaris voces inimicorum tuorum : ſuperbia eorum, qui te oderunt , aſcendit ſemper.*

ERGO Chriſte , *exurge* , & veni in carne , & *judica cauſam tuam* in nobis , & defende eam contra inimicos : & *eſto memor improperiorum tuorum* , *quæ ab* illo populo *inſipiente ſunt* , & dicuntur , & fiunt *tota die* contra te. Et *ne obliviſcaris* punire *voces* & blaſphemias *inimicorum tuorum* : quoniam *ſuperbia eorum* infidelium , *qui te oderunt* , *aſcendit* & creſcit *ſemper*. Nam quia differs adventum tuum & punitionem ipſorum , ideo blaſphemant , dicentes , Deum Iſrael eſſe impotentem : & dicunt , Legem tuam eſſe vanam , in qua promittitur Meſſias Redemptor & liberator. Et etiam , *ſuperbia* & blaſphemia eorum *aſcendit ſemper* in cœlum contra te , & creſcit in eis.

Hæc autem Expoſitio ſupradicta licèt ſit Catholica & vera , in quantum David invocat Chriſtum ex parte Eccleſiæ pro E ſtatu veteris Teſtamenti , ut veniat in carne ad liberandum eos ſpiritualiter & temporaliter : & allegat figuram pro figurato, quia idem Jeſus , qui liberavit genus humanum de poſtetate diaboli per mortem & paſſionem , & aquas Baptiſmi poſt Incarnationem : idemmet Jeſus eduxit populum de Ægypto , & traduxit per Mare Rubrum in figura noſtræ redemptionis & regenerationis , ut ait *Beatus Judas in ſua Canonica :* & ſic bene meritò David allegat figuram pro figurato : ſed quia David habuit multiplicem ſpiritum prophetiæ , & plura ſimul videbat in ſpiritu de Chriſto & Eccleſia ; quia profanatio & vaſtatio Templi & civitatis facta per *Antiochum* tempore *Machabæorum* , fuit figura profana- *Vaſtatio Templi fuit figura vaſtationis Eccleſiæ.*
F tionis & vaſtationis Eccleſiæ , quæ facta eſt per *ſectam Mahometicam* & fiet per Antichriſtum : Ideo David in ſpiritu prophetico prævidit omnes perſecutiones Eccleſiæ uſque ad Antichriſtum in figura per captivitatem *Babyloniæ* , & perſecutionem *Machabæorum ;* ſicut etiam prævidit *Daniel.*

Et ideo eſt dicendum : quòd David in hoc Pſalmo non ſolum invocat Chriſtum , ut veniat in carne ad liberandum illum populum de perſecutione infidelium, & totum genus humanum de poteſtate diaboli , ſicut Iſrael de *Ægypto* , ut dictum eſt in ſupradicta Expoſitione : ſed etiam invocat Chriſtum , ut veniat in ſecundo adventu ad liberandum Eccleſiam ſuam jam proſtratam , de poteſtate *Mahometi* , & *Antichriſti.* Nam ipſi David fuit revela- G tus totus diſcurſus Eccleſiæ uſque ad diem Judicii , ut frequenter dictum eſt. Et ideo exponendus eſt iterum ſpecialiter iſte Pſalmus de perſecutione *Mahometi* & *Antichriſti* , ut diſtinctiùs intelligatur.

Duo ergo facit. Nam primò exponendo querelam , prædicit ſtragem , quam facturus eſt *Antichriſtus* in Eccleſia , & ejus præcurſores de ſecta *Saracenica.* Secundò , invocat Chriſtum , ut veniat ad liberandum Eccleſiam de poteſtate *Mahometi* & *Antichriſti* , allegando Chriſti omnipotentiam. Ibi : *Uſquequò Deus improperabit inimicus.*

H Quantum ad primum , eſt primò notandum : quòd ſicut Eccleſia Chriſti habuit , & habet quatuor conditiones ſanctorum ad conſtruendum : ita habuit , & habet quatuor conditiones inimicorum ad deſtruendum. Nam primò congregarunt eam *Apoſtoli* per ſuam prædicationem , & miracula. Secundò , *Martyres* rigarunt eam ſanguine ſuo. Tertiò , *Doctores* roborarunt eam , declarando Sacras Scripturas. Quartò , roborarunt eam *Sancti viri Confeſſores* , & *Religioſi* per totam *Ægyp-* *Quatuor conditiones ad conſtruendum & deſtruendum Eccleſiã.*

tum, & *Syriam*, & *Armeniam*, & *Mesopotamiam*, & *Persiam*, & *Indiam*: ex quorum exemplo & sanctitate multi conversi sunt ad fidem: in tantum quòd ab Ascensione Christi usque ad annum quasi septingentesimum omnes nationes mundi ab *India* usque *Hispaniam*, & ab *Æthiopia* usque in *Scytiam* venerunt ad Fidem Christi, & congregatæ sunt in Ecclesia sub jugo fidei pro majori parte. Ita pari modo surrexerunt quatuor conditiones inimicorum, quos prævidit *Daniel 7. cap.* per figuram *quatuor bestiarum* in mari magno contra Ecclesiam Christi ad destruendam eam. *Prima* autem *bestia* fuit *quasi leæna. Secunda quasi ursus. Tertia quasi pardus. Quarta* terribilis sine nomine, quæ omnes alias devoravit. Per *leænam* intelligitur persecutio Tyrannorum. Et per *ursum* persecutio Hæreticorum. Per *pardum* autem persecutio *Saracenorum*, quæ incœpit post *Heraclium* Imperatorem circa annum Domini DCC. quæ secta ideo dicitur quasi *pardus* propter varietatem nationum bestialium, quæ eam receperunt. Nam tres nationes magis viles & bestiales quæ essent in mundo, receperunt *sectam Mahometicam*, scilicet, *Arabes*, *Turci*, & *Tartari*, & una pars *Æthiopum*. Secundò, dicitur similis *pardo* propter diversitatem Hæresum, quas continet in se illa secta: quia fuit confícta ex multis & diversis Hæresibus, quæ tunc laborabant in *Arabia*: putà, ex *Hæresi virili*, quæ dicebat, Christum esse purum hominem, sed in eo habitare divinitatem Patris; & concedebat ipsum esse genitum ex Spiritu sancto ipsius Patris. Et etiam ex *Hæresi Jacobitarum*, qui servant Circuncisionem. Et ex *Hæresi Manichæorum*, qui dicebant Christum non verè mortuum & passum realiter, sed in apparentia. Et ex *Hæresi Montanorum*, qui dicebant, Christum post *Antichristum* & resurrectionem generalem regnaturum mille annis in libertate, & felicitate carnali cum suis. Unde dicunt *Saraceni*, quòd Deus ad hoc creavit & genuit Christum ex spiritu suo, ut debellet, & interficiat *Antichristum* in fine dierum, & judicet mundum, & regnet in hoc mundo per mille annos postea cum suis &c.

Nota de quatuor bestiis in mari.

Unde ex his quatuor falsis assertionibus, & Hæresibus est confícta Lex *Mahometica*, ut patet in suo *Alcorano*. Et ideo designatur per tertiam bestiam quæ dicitur *pardus* propter diversitatem colorum. Ita tertia bestia conata est destruere totam Ecclesiam: in tantum quòd sub suo dominio subjugavit totam *Scythiam*, & majorem partem *Indorum*, & totam *Parthiam* & *Asiam*, & *Persiam*, *Syriam*, & *Chaldæam*, & *Mediam*, & omnes *Armenias*, & *minorem Asiam*, & *Græciam*, & *Syriam*, & *Arabiam*, & *Ægyptum*, & quasi totam *Æthiopiam* & *Africam*: & reduxit Ecclesiam Christi ad unum angulum mundi in parte ipsius *Europæ*.

Not. bene Lex Mahometica.

Quarta bestia terribilis expectatur, per quam designatur *Antichristus*. Ista quarta bestia dicitur cæteras tres devorasse, eò quòd omnes alias debet trahere ad se, & sequentur eam. Nam ipse *Antichristus* erit circuncisus, ut trahat ad se *Judæos* & *Saracenos*: & finget se servare vetus Testamentum, & etiam Legem Mahometicam in parte, nisi quòd totaliter negabit Christum: eò quòd dicet se esse Messiam in Lege promissum. Et erit hypocrita & Hæreticus. Et cum armis omnium supradictarum bestiarum impugnabit Ecclesiam. Unde quicquid ab aliis relictum est: iste vastabit. Et sic dicunt communiter Doctores, quòd omnes tres bestiæ priores, scilicet, *Tyranni*, & *Hæretici*, & *Saraceni* sunt & fuerunt præcursores Antichristi. Et sic persecutio illorum ascribitur Antichristo in Sacra Scriptura. Sed ipse consummabit vastationem & persecutionem Ecclesiæ. Et hanc persecutionem, scilicet, Antichristi & suorum præcursorum, qui sunt Saraceni, prædicit & deflet Propheta David in hoc Psalmo, prout prævidit in spiritu, & fuit eruditus à Spiritu sancto. Et sic pro majori parte prædicitur persecutio Mahometi præcursoris Antichristi in hoc Psalmo.

Dicit ergo David in persona Ecclesiæ Christi: *O Deus* & homo Christe, *ut quid*, id est, quare *repulisti* Ecclesiam tuam *in finem*, id est, totaliter, sive à principio usque in finem permisisti Ecclesiam vexari per has quatuor bestias successivè? & *iratus est furor tuus super* nos qui sumus *oves pascuæ tuæ*, quos in populum & proprias oves elegisti, & quibus in sancta Ecclesia Legem Euangelicam & Ecclesiastica Sacramenta in pascuam & pastum præparasti? Ideo ne derelinquas eas, sed *memor esto congregationis*, id est, Ecclesiæ tuæ, quam congregasti *ab initio* tui adventus: primò, ex duodecim Apostolis, & septuaginta duobus Discipulis: & sic paulatim eam ex Judæis & Gentilibus adunasti, & *possedisti*, & magnam fecisti. Et *redemisti virgam*, id est, sceptrum *hæreditatis tuæ*, id est, totam Ecclesiam ex fidelibus congregatam, quæ dicitur *sceptrum* & regnum *hæreditatis tuæ*. Et dicitur *mons Sion* per divinam contemplationem, *in quo* monte & hæreditate tua *habitasti* ab initio tui adventus. *Leva* ergo *manus* & potentiam tuam *in superbias eorum* inimicorum Infidelium, Judæorum, & Tyrannorum, & Hæreticorum, & Saracenorum, & sequacium Antichristi, qui eam persequuntur. Nam *quanta malignatus est*, id est, quanta mala fecit & commisit cum malitiâ populus infidelium *inimicus in sancto*, id est, in Sanctuario & Eccle-

Ecclesiæ congregatio.

Eccleſia tua : quia Infideles , Tyranni, & Saraceni *qui te oderunt , gloriati ſunt in medio ſolemnitatis tuæ* , id eſt , in medio Eccleſiarum, ubi celebrantur ſolemnitates & feſtivitates : quia eas profanarunt, committendo turpitudines & abominationes in Eccleſiis , & faciendo eas *Meſquitas* , ubi laudatur ſacrilegus & immundus *Mahometus*. Et *poſuerunt ſigna* , id eſt, vexilla *ſuper ſummum* & ſummitates Eccleſiarum , *in exitu* , id eſt , in ſignum victoriæ & proſperitatis. *Signa* , dico , *poſuerunt* , *& non cognoverunt* Deum & Dominum : ſed invocabant nomen ſacrilegi *Mahometi* in ſignum victoriæ. A

Hoc prædicit Propheta. Nam quando *Saraceni* capiebant civitates Chriſtianorum , ponebant vexilla eorum ſuper turres & campanilia Eccleſiarum in ſignum victoriæ : & invocabant magnis vocibus Pſeudo-prophetam *Mahometum*. Et ſic fecerunt per totam *Ægyptum* & *Africam* : & etiam hoc fecit *Turcus* in *Conſtantinopoli* in Templo *Sanctæ Sophiæ*. Et quandoque ex Eccleſiis noſtris , ut plerumque , faciebant *Meſquitas* ad adorandum ſecundùm nefandum ritum eorum. Et quandoque Eccleſias incendebant igni , & cum ſecuribus frangebant januas earum. Et ideo ſubdit : *quaſi in ſilva* , id eſt , ſicut ſolet fieri in ſilva , quando fabri & carpentarii dejiciunt & ſcindunt arbores cum ſecuribus : ita *in idipſum* , id eſt , ſimiliter , *exciderunt* iſti ſacrilegi Saraceni & Turci *januas ejus* , ſcilicet Eccleſiæ , *ſecuribus*: & ſimiliter *dejecerunt eam* , ſcilicet Eccleſiam , *in ſecuri & aſcia* : quod eſt inſtrumentum ad ſcindendum & dolandum ligna. Et non ſolum non ſufficiebat eis dejicere , & diruere Eccleſias : ſed etiam *incenderunt igni Sanctuarium tuum , & polluerunt tabernaculum nominis tui in terra.* Nota. B C

Hoc dicit , quia quaſdam Eccleſias proſternebant , & quaſdam incendebant igni , & quaſdam profanabant , committendo in eis turpitudines , aut polluebant faciendo ex eis *Meſquitas* eorum ad adorandum. Et notanter dicitur , *in terra:* quia tabernaculum Dei , quod eſt in cœlo , nemo poteſt polluere. Item , *tabernaculum nominis Dei* propriè eſt *humanitas Chriſti* , qui ſedet à dextris Dei , quod tabernaculum nemo poteſt polluere. Et ideo licet infideles profanent & polluant Eccleſias materiales *in terra* : tamen in hoc non læditur Chriſtus in cœlo. D

Unde quia *Saraceni* & *Turci* ſatagunt & conantur totaliter auferre verum cultum Dei à terra , cùm prohibent campanas ſonare , immò totaliter auferunt , & ex eis faciunt machinas & tormenta , quas vulgariter *bombardas* vocant,ad muros civitatum diruendos ; & non permittunt feſtivitates Chriſti publicè celebrari (& hoc crudelius & vehementius faciet Antichriſtus.) Ideo ſubdit Propheta : *Cognatio eorum* , ſcilicet , Antichriſtus & Saraceni & Turci præcurſores ejus *dixerunt* & decreverunt *ſimul* in corde ſuo : *Faciamus quieſcere à terra dies feſtos Dei* , ne amplius celebrentur in honore Chriſti , ſcilicet diem Nativitatis , & feſtum Reſurrectionis , & Aſcenſionis &c. immò cogunt Chriſtianos laborare in die dominico &c. ſicut manifeſtè videmus facere iſtum Turcum in civitatibus quas capit à Chriſtianis. E

Signa noſtra. Ad cujus intellectum eſt notandum , quòd multi mali Chriſtiani & ſimplices , videntes proſperitatem Saracenorum , & victorias eorum , & videntes per oppoſitum dejectionem Chriſtianorum , non conſiderantes , quòd iſta eveniunt ex noſtris demeritis & peccatis , quia Deus punit Chriſtianos malos temporaliter cum inimicis infidelibus : putant quòd Deus totaliter dimiſit Eccleſiam , & populum Chriſtianorum , tanquam reprobatum , & diligit infideles : & ita multi facti ſunt Saraceni negantes nomen Chriſti: & ita tempore Antichriſti pro majori parte omnes avari & voluptuoſi ſequentur eum. Hoc prævidens David , dicit in perſona illorum apoſtatarum : Jam *non vidimus ſigna noſtra* , id eſt , miracula , quæ Deus , ſive Chriſtus ſolebat facere in favorem fidelium in primitiva Eccleſia. Etiam , *non eſt* in mundo aliquis *propheta* & ſanctus homo miſſus à Deo , ſicut ſolebat fieri , qui prædicet nobis : immò omnes Eccleſiaſtici ſunt dediti ſuperbiæ , & ambitioni , & avaritiæ , & voluptatibus: & ſic non eſt qui reprehendat. Hoc ergo eſt ſignum , quòd Deus jam *non cognoſcet ampliùs* , nec curat de ſua Eccleſia. Sequamur ergo ſectam Saracenicam , aut Antichriſtum : & hoc videmus manifeſtè. Nam major pars exercitus ipſius *Turci*, vel ſunt Chriſtiani , vel apoſtatæ ex Chriſtianis , facti Mahometani propter favorem. F G

Uſquequò Deus. In hac ſecunda parte conqueritur cætus fidelium remanentium apud Chriſtum allegando ejus omnipotentiam , dicens : O Chriſte *uſquequò* iſte *inimicus* , ſcilicet , Mahometus & Antichriſtus,*improperabit* tibi , & Eccleſiæ tuæ. Et iſte *adverſarius* Antichriſtus *irritat* & contemnit *nomen tuum* , quod totaliter conatur de terra delere : *Ut quid* , id eſt, quare , ò Chriſte , *avertis manum tuam*, quin punias eum , & avertis dexteram tuam *in finem* ? id eſt , totaliter , *de medio ſinu tuo* , id eſt , quare non abſtrahis *manum tuam de ſinu tuo* , & excitas potentiam tuam contra eum ? Quare permittis regnare tantùm iſtum ſacrilegum Mahometum , & iſtum Antichriſtum filium perditionis ? & quare non punis eos , & das finem perſecutionibus Eccleſiæ tuæ ? Et ad 23. q. 1. *Noli.* H

hoc allegat omnipotentiam Christi, dicens: Tu hoc potes facere, supple, sicut fecisti majora quondam. Nam tu *rex noster* qui es *Deus ante sæcula*, *operatus es salutem* nostræ redemptionis *in medio*, scilicet, Hierusalem, quæ est sita *in medio terræ* habitabilis nostræ, ut dictum est. Nam ibi fuisti crucifixus & sepultus, & resurrexisti, & omnia Sacramenta Ecclesiastica instituisti, & Spiritum sanctum in Apostolos misisti. A

Item, tu *confirmasti mare* aquarum Baptismalium *in virtute tua*: primò, per contactum tui corporis, dando aquis virtutem regenerativam. Secundò, dando virtutem eis per exitum sanguinis & aquæ de latere tuo. Et sic *contribulasti in aquis* Baptismalibus & Pœnitentialibus *capita draconum*, id est, omnia septem vitia capitalia. Nam omne peccatum delet *Baptismus* & *Pœnitentia*. Item, *tu confirmasti* etiam mare *Galilææ in virtute tua*, quando siccis pedibus super aquas ambulasti, & Petrum super aquas ad te venire jussisti: & quando mare & venti obedierunt tibi. Item, *tu confregisti capita draconis*, id est, diaboli, per Legem Euangelicam, & Ecclesiastica Sacramenta: & *dedisti ipsum* draconem, id est, diabolum *in escam populis Æthiopum*, id est, peccatoribus. B

Ecclesiæ persecutores dicebatur capita draconis.

Ad cujus intelligentiam est notandum: quòd Reges & Principes Gentilium & Tyranni persecutores Ecclesiæ dicebantur *capita draconis*, id est, diaboli, in quibus diabolus dominabatur toti mundo per idololatriam, & per quos diabolus persequebatur & cruciabat Martyres: sed ista *capita confregit* Christus *in aquis* Baptismalibus tempore *Magni Constantini*, & ejectis idolis, omnes Reges subjecit jugo fidei, & *dedit ipsum* diabolum comedendum *populis Æthiopum*, id est, Judæis, & cæteris Infidelibus, per infidelitatem & peccata denigratis. Unde peccata, & diabolus, sunt *escæ* ipsis Infidelibus & peccatoribus. Nam honores & dignitates sunt *esca* superborum: & pecuniæ, & divitiæ sunt cibus & *esca* avarorum: & voluptates *esca* luxuriosorum: & sic de singulis. C

Omnia ista contempserunt Christiani, quando abrenuntiaverunt diabolo, & pompis ejus, & reliquerunt ea populis Judæorum, qui propter ista mundana noluerunt Christum recipere. Et ideo ista sunt *in escam* Judæis, & Saracenis, & cæteris infidelibus & ingratis per peccatum. Nobis autem reliquit *in escam* Ecclesiastica Sacramenta: quia sumus *oves pascuæ* ejus. D

Homines terreni sunt esca diaboli.

Et nota: quòd sicut diabolus cum suis septem vitiis est *esca* hominum terrenorum: ita pariter homines terreni sunt *esca* diaboli. Unde sicut superbi comedunt honores, & avari bona temporalia, & pecunias male acquisitas; & luxuriosi comedunt voluptates carnales, quas diabolus eis persuadet: ita post mortem, diaboli comedunt terrenos, & avaros, & luxuriosos in inferno: quia omnes isti *sicut oves in inferno positi sunt*, & *mors depascet eos*, *Psalmo* 48. Et ideo dixit Deus serpenti antiquo. *Genes.* 3. *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, id est, homines terrenos & peccatores. Quasi dicat: sicut homines terreni comedent te in hac vita: ita tu comedes eos post mortem in inferno. Et sic patet, qualiter diabolus est *esca* hominum terrenorum, & è converso. Item, *Job* 40. *Ecce Behemoth quem feci fœnum quasi bos comedet &c.* Et hoc est quod ait hîc Propheta dicens: *Tu confregisti capita draconum*, & *dedisti eum escam populis Æthiopum &c.* E

Et sequitur: *Tu dirupisti fontes & torrentes.* Quasi dicat: sicut quondam *dirupisti*, & abstraxisti fontes & torrentes aquarum, quando percussisti petram *Horeb &c.* ita tu percussisti corpus & latus tuum in passione, unde *fluxerunt* aquæ, & *fontes*, & *torrentes* Ecclesiasticorum Sacramentorum ad nostram redemptionem & salutem. Et sicut siccasti flumina in *Ægypto*: ita *siccasti fluvios Ethan*, id est, fluvios fortes aquarum, id est, persecutionum Tyrannorum, & Imperatorum, quando eorum potentiam exsiccasti & extinxisti. Et *siccasti* etiam omnia flumina cærimonialia Legis veteris, & totum Psalmum populi Judaici, quando ejus hostiam, & sacrificium, & regnum, & sacerdotium abstulisti. Item, tu Christe licèt appareas nunc in humanitate: tamen tu idem es ille, qui tunc fecisti in figura omnia illa signa & prodigia, quæ fecit *Moyses* in *Ægypto* & in *Mari Rubro*, & in deserto. Sed postea post Incarnationem implevisti omnia supradicta, quæ tunc fuerunt figura: quia licèt sis *Rex noster* apparens in humanitate: tamen tu es *Deus ante sæcula*: quia *in principio erat Verbum*: *& Deus erat Verbum &c. & omnia per te facta sunt*, tanquam per Verbum. F G

Ideo *tuus est dies*, *& tua est nox*, & tu Christe *fabricatus es auroram & Solem*, & *tu fecisti terminos terræ &c.* Et nota, quòd hoc Verbum *fabrico* cum similibus, potest esse commune in secundis & tertiis personis prout patet hîc, quando dicit, *Tu fabricatus es auroram &c.* Si ergo tu Christe es ita omnipotens, quia omnia per te creata sunt, & fecisti omnia illa signa & prodigia in veteri Testamento; & postea in novo Testamento fecisti majora, scilicet, omnia mysteria nostræ redemptionis &c. Ergo *memor esto hujus* gregis & Ecclesiæ tuæ, & non permittas eam perire: quia *inimicus* tuus *Mahometus improperavit*, id est, improperia multa fecit *Domino*: *& populus in-* H

si-

sipiens ipsius Antichristi *incitavit nomen tuum* : quia totaliter conatus est delere nomen tuum de terra , & blasphemare ipsum : incitavit etiam totum mundum contra nomen tuum , & fideles tuos diversis tormentis afflixit. Rogo ergo *ne tradas animas pauperum* Christianorum *confitentes tibi* istis *bestiis* , scilicet , Mahometo, & Turco , & Tartaro , & Antichristo devorandas : *& ne obliviscaris* finaliter & totaliter *animas pauperum tuorum* : quia satis permisisti eos affligi.

Mahometus & sui dicuntur bestiæ.

Et dicuntur *bestiæ* Mahometus cum suis , & Antichristus : primò , propter vitam bestialem & voluptuosam. Secundò, propter immanitatem & crudelitatem,quam exercent , & exercebunt in Christianos, & maximè Antichristus , qui simul erit Tyrannus , & hypocrita , & Hæreticus. Et sic habebit omnes proprietates aliarum *bestiarum* , Ecclesiam persequendo. Et ideo dicitur similis *pardo* , id est , Mahometo , & habere *pedes ursi* , & sic erit hypocrita , & *draco*. Et dicitur habere *os leonis* : & sic erit Tyrannus. Et etiam per istam bestiam potest intelligi spiritualiter iste *Mahometus* præcursor Antichristi.Christiani verò dicuntur *pauperes* : eò quòd propter bona spiritualia , temporalia reliquerunt. Et dicuntur etiam *pauperes*: quia Antichristus , & Mahometus Christianos bonis temporalibus expoliabunt , & suos ditabunt. Et ideo subdit : O Christe, *respice in testamentum tuum* , & Legem tuam Euangelicam : quoniam Saraceni, & sequaces Antichristi , *qui obscurati sunt*, & denigrati sunt in sectâ Mahometicâ , & Antichristi , *repleti sunt* & ditati *domibus iniquitatum terræ* , id est , *domibus* , & bonis temporalibus , seu divitiis terrenis, quas cum iniquitate & rapinâ acquisierunt, & nobis abstulerunt injustè & iniquè. Bona etiam temporalia , & per rapinam ablata , dicuntur *domus* & bona *iniquitatum*, id est , per iniquitatem & injustitiam ablata. Bona etiam temporalia dicuntur *domus* & *vasa iniquitatum* : quia in eis includitur omnis iniquitas , scilicet , injustitia , & rapina , & fraus , & dolus. Ideo dicuntur *mammona iniquitatum.*

Subdit ergo : O Christe , rogo *ne* populus Christianus *factus confusus avertatur* , & dejiciatur , & contemnatur *factus confusus*. Et non permittas ipsum confundi : sed libera eum de ore bestiarum supradictarum , ut honoret te. Nam supradicti divites & raptores non laudabunt te, immò blasphemabunt ; sed solus populus Christianus *pauper* sine bonis temporalibus , *& inops* sine humano auxilio , *laudabunt nomen tuum* , & confitebuntur Fidem Catholicam. Sed hoc non poterunt facere , nisi adjuveris eos.

Ergo *exurge* & veni , ne videaris dormire , *& judica causam tuam* , & injuriam contra te factam : & *esto memor improperiorum tuorum* , quæ facta sunt *tota die* & per totum tempus persecutionis *ab insipiente* Antichristo ; & interfice ipsum *spiritu oris tui* : prout dicit *Apostolus* 2. *Thessal.* 2. & moriatur ista *bestia.* Et *ne obliviscaris voces* blasphemiæ *inimicorum tuorum* , tàm Mahometi , quàm Antichristi : quoniam *superbia eorum qui te oderunt* & blasphemarunt , *semper ascendit* in cœlum ad aures Dei Patris : & etiam *semper ascendit* , id est , crescit. Quasi dicat : Veni & destrue , primò sectam Mahometicam ; deinde sectam Antichristi cum suo auctore , qui Ecclesiam tuam afflixerunt , & nomen tuum blasphemarunt.

Et etiam tota ista ultima particula potest referri ad ultimum Judicium , ad quod Christus veniet *cum potestate magna & majestate* , & judicabit supradictas bestias , scilicet , Mahometum , & Antichristum cum omnibus sequacibus suis, & cum omnibus infidelibus , & impœnitentibus : & *mittet eos in stagnum ignis inferni* , ut patet *Apoc.* 19. pauperes autem Christianos , qui persecutionem passi sunt propter justitiam fidei , ducet Christus in regnum Patris , ut patet *Apoc.* 20. & *Matth.* 25. Et ideo dicit David : *Exurge Deus & judica causam tuam &c.*

Tota ergo sententia hujus Psalmi secundùm secundam Expositionem est , quòd David prævidit in spiritu immanem persecutionem Ecclesiæ Christi per Mahometum , & Antichristum finaliter faciendam. Et ideo invocat Christum , ut veniat ad liberandum oves suas de ore istarum duarum bestiarum. Unde in persona Ecclesiæ dicit : O Domine Jesu Christe , postquam tu creasti istas oves , & ab initio tui adventus istum gregem congregasti , & multipliciter redemisti , & de ore *draconis* per Baptismum liberasti : libera ergo ipsum populum finaliter de manu istarum duarum bestiarum , scilicet , Mahometi & Antichristi , & in finali Judicio punias persecutores Ecclesiæ in cruciatum æternum : & glorifica *pauperes* tuos in vitam æternam ; quæ quidem petitio implebitur per interitum ipsius Antichristi.

Psalmus LXXIV.

1. *Confitebimur tibi Deus : confitebimur , & invocabimus nomen tuum.*

1. q. 1. c. Sicut urgeri , & de Conf. d. 1. Quando autē statuimus.

Titulus : *In finem , ne corrumpas, Psalmus Cantici Asaph.* Ex Titulo patet , quòd David fecit hunc Psalmum dirigens nos in Christum , qui est finis Legis. Et cantabatur cum omni conatu per

per chorum ipſius *Aſaph* : eò quòd dirigitur toti Eccleſiæ , ut frequenter eſt declaratum. Et additur : *Ne corrumpas* ; eò quòd Propheta in perſona totius Eccleſiæ rogat Deum , ne permittat Eccleſiam diſperdi per infideles. A

Iſte Pſalmus ab aliquibus Hebræis, & etiam Catholicis exponitur de populo Iſrael redeunte de *captivitate Babylonica* , dicente : *Confitebimur tibi Deus, confitebimur* , quando egreſſi fuerimus ab hac captivitate : & *narrabimus mirabilia tua* , eò quòd facies judicium , & punitionem , & ultionem de inimicis noſtris: ut patet per totum diſcurſum Pſalmi , in quantum Deus promittit facere vindictam &c. Sed *Rabbi Cambi* dicit : quòd iſte Pſalmus factus eſt in perſona populi Judæorum exiſtentis in hac captivitate , expectantis liberari per Meſſiam , quem falsò & fruſtra expectant , qui eſt facturus ultionem de Chriſtianis , & cæteris gentibus , qui affligunt eos in hac captivitate. Ideo dicit iſte populus : O Deus, quando miſeris Meſſiam , & liberaverit nos de hac captivitate , tunc *confitebimur tibi &c.* B

Sed quia ſecunda Expoſitio eſt erronea , in quantum tollit tempus adventus Meſſiæ : & prima eſt inutiles , in quantum illud quod eſt ſpirituale , expectat temporale : ideo eſt dicendum , ſecundùm Catholicam & veram intelligentiam Prophetæ & Eccleſiæ : quod David prævidens in ſpiritu gaudium fidelium de adventu Meſſiæ , & beneficio noſtræ redemptionis : & prævidens futurum judicium, & punitionem faciendam per Chriſtum de perſecutoribus Eccleſiæ , & de tranſgreſſoribus Legis Euangelicæ , fecit hunc Pſalmum orans , ne Deus permittat diſperdi populum ſuum ; ſed faciat ultionem de perſecutoribus ejus. In qua oratione forſan habuit certitudinem de adventu Meſſiæ , & punitione facienda de iniquis. Ideo introducit populum fidelium , dicens : O Chriſte *Deus* , nos *confitebimur tibi* , id eſt , laudes dabimus tibi : primò propter beneficium Incarnationis , & noſtræ redemptionis , quia nos à peccato & perpetuâ captivitate liberabis. Secundò , *confitebimur tibi* , quia de diabolo & inimicis Eccleſiæ facies vindictam , & ultionem : & *invocabimus nomen tuum* , quod eſt *Jeſus.* C D

2. *Narrabimus mirabilia tua : cum accepero tempus , ego juſtitias judicabo.*

2.q.1.ca. Fertur, & de Pœn.d. 2. §. Non eſt mirũ.

ET tunc etiam confitendo *narrabimus mirabilia tua*, & prædicabimus myſterium Incarnationis , & Nativitatis , & prædicationis , & miraculorum operationis , & Mortis , & Paſſionis , & Reſurrectionis , & Aſcenſionis &c. Quaſi dicat : Tunc agemus gratias , & celebrabimus feſtivitates & memoriam horum beneficiorum &c. E

Cum accepero tempus. Hæc eſt ſecunda pars hujus Pſalmi , in qua loquitur Chriſtus in Lege promiſſus , quæ locutio poteſt continuari cum ſupradictis verbis: primò , quòd David dicat : O Chriſte Deus , nos *confitebimur tibi &c.* eò quòd per revelationem dixiſti mihi omnia verba ſequentia , ſcilicet , *cum accepero tempus ego juſtitias judicabo &c.* Vel poteſt dici , quòd iſte Pſalmus eſt quidam dialogus , in quo David dicit in perſona totius Eccleſiæ : *Confitebimur tibi Deus &c.* ſed poſtea Chriſtus reſpondens , dicit verba ſequentia , ſcilicet , *Cum accepero &c.* Quomodocumque intelligatur , Chriſtus eſt ille qui loquitur in hac ſecunda parte: ubi Chriſtus tria facit. Nam primò , promittit venire in carne ad judicium diſcretionis. Secundò , promittit dare Legem juſtificantem , prohibentem omnem violentiam & injuſtitiam. Tertiò, promittit facere ultionem de ſuperbis , & tranſgreſſoribus , & perſecutoribus Legis Euangelicæ. Secunda ibi : *Dixi iniquis.* Tertia ibi : *Quia neque ab oriente.* F

Quantum ad primum eſt advertendum : quòd Chriſtus , qui eſt Verbum Patris , & Deus ab æterno , conſubſtantialis Patri , cùm ſit æternus , & ſupra omne tempus , factus eſt temporalis , & mortalis *formam ſervi accipiens.* Et ſic accipiendo carnem , accepit mortalitatem, & *accepit tempus* : quia factus eſt homo temporalis & mortalis , in qua forma dedit nobis Legem Euangelicam. Et in eadem forma debet mundum judicare , in qua judicatus eſt à *Pilato.* Et hoc eſt quod dixit hîc Chriſtus reſpondendo voto Eccleſiæ , dicens : tu David , & vos omnes fideles dicitis quod non permittam Eccleſiam diſperdi : & quod *confitebimini mihi &c.* Et ego dico vobis , & promitto , quòd *cùm accepero tempus* , id eſt , cùm aſſumpſero carnem humanam , & effectus fuero temporalis , & carnalis , & mortalis , & venero in carne , *ego* tunc *juſtitias* , quas petitis , *judicabo* : primò , per judicium diſcretionis : ſecundò , per judicium examinationis , & retributionis , & punitionis : quia puniam veſtros perſecutores , & liberabo & reſtaurabo Eccleſiam meam , & fideles meos. G H

Chriſtus accepit tempus quia factus eſt homo.

43. d. c. Si reſtor.

3. *Liquefacta eſt terra , & omnes* A *qui habitant in ea : ego confirmavi columnas ejus.*

HIC explicat modum hujus reſtaurationis. Ad cujus intellectum eſt notandum : quòd corda hominum ante Chriſti adventum , maximè corda Gentilium, erant dura & lapidea per ſuperbiam : ſed Chriſtus fecit ea carnea , & *liquefecit* ea per humilitatem , & doctrinam Euangelicam , & fidem , & charitatem. Item, ex alia parte caro hominum erat *liquefacta* , & fragilis , & prona ad cadendum, & peccandum : ſed Chriſtus firmavit *columnas ejus* , id eſt , fortificavit vires animæ per fidem , & charitatem , & gra- B tiam , & Eccleſiaſtica Sacramenta , & per doctrinam Legis Euangelicæ. Item , tota Eccleſia fuit in principio etiam fragilis. Nam in paſſione *relicto Chriſto* , *omnes fugerunt* : & *Petrus* ad vocem unius ancillæ ter negavit Chriſtum : & in illis diebus omnes Apoſtoli & Diſcipuli erant in cœnaculo abſconſi & congregati propter metum Judæorum. Sed Chriſtus miſit Spiritum ſanctum in eos , qui erant *columnæ* Eccleſiæ fragiles : & ſic Chriſtus *confirmavit* & fortificavit *columnas* Eccleſiæ. Et ſic Chriſtus in ſuo adventu liquefecit & mollificavit dura , & confirmavit & fortificavit fragilia per fidem & Eccleſiaſtica Sacramenta.

Dicit ergo Chriſtus : quando ego C
Homo fragilis ſolidatur per Chriſtum. veni in carne , tota *terra* , *& omnes qui habitant in ea* , *erat liquefacta* , & fragilis , & omnia corda hominum erant diſſoluta & corrupta in moribus : & hoc non ſolùm in populo Gentili , ſed etiam Judaico : ſed *ego confirmavi columnas ejus* , ne totaliter caderent in ruinam. Nam conſtitui duodecim Apoſtolos & ſeptuaginta Diſcipulos , & eos in fide ſolidavi , & hos feci *columnas* , ſuper quos ſuſtentatur Eccleſia. Et iſti prædicarunt Legem Euangelicam , & converterunt omnes Gentiles ad fidem : & liberarunt genus humanum de magna ruina : & texerunt omnes fideles ſub uno tecto Ec- D cleſiæ. Et ſic numquam iſta Eccleſia ruet, nec totaliter cadet ; quia *ego confirmavi columnas ejus* per duodecim Apoſtolos & per duodecim Articulos Fidei , & per ſeptem Eccleſiaſtica Sacramenta , & per Legem , & præcepta Euangelica.

15. q. ult. c. ult. & 14. 4. *Dixi iniquis : Nolite iniquè agere : & delinquentibus , Nolite exaltare cornu.*

E 5. *Nolite extollere in altum cornu veſtrum : nolite loqui adverſus Deum iniquitatem.* 2. 1. c. Si Petrus.

HIC Chriſtus ſpecialiter promittit dare Legem Euangelicam , per quam firmatur Eccleſia , & diſcernitur populus fidelis ab infideli. Et ponit præteritum pro futuro propter certitudinem prophetiæ ſecundùm morem ſuum. Unde dicit: *Ego confirmavi columnas* Eccleſiæ : non ſolùm per Apoſtolos & Diſcipulos , ſed etiam per Legem Euangelicam. Nam ego in Lege Euangelica *dixi* , & præcepi *iniquis* , & violentis , & injuſtis , ne perſequantur juſtos , & pauperes , & ſimpli- F ces : immò *dixi* : *Nolite iniquè agere* contra Deum & proximum : *&* etiam *dixi delinquentibus* , & trangreſſoribus , & ſuperbis : *Nolite exaltare cornu* , & faſtigium ſuperbiæ : quia dedi præceptum de juſtitia , & humilitate , ut patet *Matth.* 5. & 6. & 7. & per totum diſcurſum Euangelicum : quia nil aliud præcipitur , niſi charitas Dei & proximi, & humilitas: quia *qui ſe humiliat* , *exaltabitur* , *& qui ſe exaltat humiliabitur.* Ideo *dixi* : *Nolite extollere cornu* , id eſt , ſtatum & dominium veſtrum *in altum* , in dictis , aut factis : & *nolite loqui iniquitatem* , id eſt, blaſphemiam , aut dolum , aut mendacium *adverſus Deum.* Nam qui loquitur mendacium contra proximum , etiam of- G fendit Deum : & ſic prohibetur omne dictum , aut factum contra Deum & proximum : & in hoc conſiſtit tota Lex Euangelica , & etiam Lex & Prophetæ. Sed hoc magis explicatur in Lege Euangelica , *Matthæi* 5. & 6. *&c.* Et iſta Lex Euangelica non ſolùm obligat Judæos ; ſed omnes nationes , & conditiones hominum , & omnes regiones , & terminos terræ. Ideo ſubdit comminando punitionem trangreſſoribus , hîc temporaliter , & in futurum æternaliter , dicens:

Ar. 12. q. 2. c. Cum devotiſſimam. 6. *Quia neque ab oriente , neque ab occidente , neque à deſertis montibus : quoniam Deus judex eſt.* H

23. q. 5. §. ult. 7. *Hunc humiliat , & hunc exaltat : quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto.*

8. *Et*

8. *Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ.* A

NEMO putet se excusari ab hac lege, nec putet fugere punitionem, sive faciat secretè, sive palam : *quia Deus nec* deficit *ab oriente, neque ab occidente, neque à montibus* Scythiæ, & Æthiopiæ : *quoniam Deus* justus *judex* ubique *est* præsens, & nulli loco deest.

Et notanter nominat *orientem* & *occidentem*, & non *Aquilonem*, nec *Austrum* : quia per *desertos montes* intelligit B *Aquilonem*, & *Austrum*. Et ratio est. Nam in parte Aquilonari sunt *montes Sarmatici* ultra septimum clima : qui quidem *montes* sunt *deserti* propter frigus, & perpetuum gelu. Et quia ultra sexaginta quinque gradus ab æquinoctiali, dum Sol est in *Scorpione* & in *Capricornio* semper est nox sine luce : eò quòd per illos duos menses Sol est sub horizonte eorum : per oppositum in *Æthiopiæ montibus* est semper æstus, & terra redditur inhabitabilis. Sed si aliqui habitant, tàm in *montibus desertis Æthiopiæ*, quàm in *montibus Sarmaticis*, adhuc illi sunt sub Dei judicio: & omnes illos, & istos, qui habitant in mediâ terrâ temperatâ, scilicet inter secundum & septimum clima, Deus judicat secundùm sua demerita, hîc temporaliter, & in futuro æternaliter : ideo subdit : *hunc humiliat*, scilicet superbum: C *& hunc*, scilicet humilem, *exaltat* : sicut humiliavit *Pharaonem*, & *Nabuchodonosor*, & exaltavit *Darium*, & *Cyrum*, & *David &c.* Et unde proveniet hoc, subdit causam potentiæ Dei, dicens : *quia calix in manu Domini &c.*

Nota.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd *triplex calix* legitur in Sacra Scriptura. Primus *calix* passionis, *Matth.* 26. *Transeat à me calix iste.* Et, *Potestis bibere calicem &c.* Secundus est *calix* punitionis, *Psalmo* 10. *Ignis, sulfur, spiritus procellarum pars calicis eorum.* Item, *Apoc.* 14. *Hic bibet de vino iræ Dei, quod* D *mixtum est mero in calice iræ ipsius.* Item, *Apoc.* 17. *Date illi calicem vini indignationis iræ Dei.* Tertius *calix* est fruitionis & gloriæ : *Psalmo* 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Item *Psalmo* 22. *Calix meus inebrians.* Item *Isai.* 55. dicit : de calice punitionis : *Consurge Hierusalem quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus.* Et sic tot modis dicitur vinum, scilicet, passionis, & punitionis, & fruitionis. Et sic secundo modo sumitur hîc *calix* & vinum, scilicet, iræ & punitionis, cùm dicitur, *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.*

Triplex calix in Scriptura.

E Unde *calix* iste, quo Deus potat peccatores, est *plenus mixto*, id est, quadam mixturâ. Nam habet in summo vinum prosperitatis, & in fundo *fæces* adversitatis, & damnationis, & pœnæ æternæ. Ideo peccatores & superbi bibunt in hac vita vinum prosperitatis de hoc calice, sed in fundo reperiunt *fæcem* & vinum damnationis æternæ. Per oppositum justi, quia bibunt in hac vita calicem passionis & persecutionis : ideo in fundo reperiunt vinum fruitionis & gloriæ. Ideo dicit Christus, *Matth.* 20. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* ut sedeatis ad dextram in regno meo ? Et ideo ait *Luc.* 22. *Disponо vobis regnum:* F *ut edatis & bibatis super mensam &c.*

De utroque ergo *calice* potest intelligi iste versus. Primò de *calice passionis*, qui habet vinum adversitatis, & amaritudinis in summo, & vinum gloriæ in fundo : ut sit sensus : quia *calix* passionis est *in manu Domini*, scilicet, *calix vini meri plenus mixto*, id est, mixturâ passionis cum gloria fruitionis. Vel potest intelligi & manifestiùs *calix retributionis* : ut sit sensus : *In manu Domini* est *calix* retributionis *plenus meri vini*, & *mixto* : cum quo Deus retribuit bonis & malis. Nam *merum* purum est pro bonis : sed mixtura, quæ est in fundo, est pro reprobis. Et sic potest esse ille calix ratione dantis & judicis.

Et istum calicem iræ & retributionis G Deus *inclinavit ex hoc in illud*, id est, *ex hoc* peccatore *in illum* : quia omnibus peccatoribus dat potum de isto calice punitionis. *Verumtamen fæx ejus*, scilicet, fæx punitionis *nondum est exinanita* & vacuata ; immò ex ipso *bibent omnes peccatores terræ.* Nam sicut gloria Dei numquam evacuabitur pro justis ; ita ira Dei numquam evacuabitur pro damnatis : quia semper calix iræ Dei habet aliquid *fæcis* ad puniendos injustos.

9. *Ego autem annuntiabo in sæculum : cantabo Deo Jacob.* 43.d.c.In mandatis.

H

10. *Et omnia cornua peccatorum confringam : & exaltabuntur cornua justi.* 15.q.1.c. Non est.

ISTA possunt esse verba Christi in persona corporis mystici : vel sunt verba ipsius Ecclesiæ dicentis : *Omnes peccatores terræ bibent* de isto *calice* punitionis & iræ Dei : *autem* pro *sed* : *Ego autem annuntiabo*, & prædicabo justitiam & judicium Dei *in sæculum*, & *cantabo Deo Ja-*

Jacob, agendo gratias de punitione facta de persecutoribus : *cantabo*, dico, hoc est, per membra & fideles meos. *Et confringam omnia cornua* & superbias *peccatorum*, eis dominium, & regna, & vitam auferendo, & à dignitatibus ejiciendo, & in infernum detrudendo. *Et cornua*, & honores *justi* populi Christiani *exaltabuntur*, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam.

Hoc fuit impletum. Nam post dejectionem *Diocletiani*, & *Maxentii*, & aliorum Tyrannorum, Ecclesia fuit exaltata, etiam temporaliter, ut patet in *Ecclesiastica Historia*. Et David conjungit finem cum principio : quia ibi dixit : *Confitebimur tibi Deus, confitebimur* : & hîc dicit : *Ego autem in sæculum cantabo &c.* Et dat rationem quare ; *quia omnia cornua peccatorum confringam*, eos dejiciendo & puniendo, eò quòd persecuti sunt Ecclesiam. *Et cornua* populi *justi exaltabuntur*, eò quòd patienter persecutiones propter fidem & justitiam tolerarunt ; & sic superbi humiliati sunt, & humiles exaltati per Christum, eò quòd isti servarunt Legem Christi, & illi non. Unde nota : quòd licèt ista confractio & depressio peccatorum, & exaltatio justorum fiat continuè in hoc mundo occulto Dei judicio : tamen in novissimo die fiet publicè & in manifesto, & sic de utroque judicio potest intelligi iste Psalmus, sicut dictum est *Psalmo nono*.

Psalmus LXXV.

16. q. 6. c. Et hæc, & Extra. de immunit. Ecclesia, c. 2. lib. 6.

1. *Notus in Judæa Deus : in Israel magnum nomen ejus.*

Titulus : *Victori*, sive *In finem*, *in organis*, *Psalmus Asaph cantici*. Dicitur *Psalmus cantici in organis* : quia simul cantabatur cum organo musico, & voce humana. Dicitur *Asaph*, quia datus est ad cantandum ipsi *Asaph* : eò quòd dirigitur toti Ecclesiæ, quæ fuit finis Legis. De materia hujus Psalmi dicit *Rabbi Salomon*, & multi Hebræorum, & Catholicorum qui ipsum sequuntur, quòd iste Psalmus est factus de strage *Sennacherib*, qui obsederat Hierusalem : sed venit Angelus Dominî, & in una nocte interfecit centum octogintaquinque millia, & sic miserabiliter fugit *Sennacherib*. Unde tunc *Deus* fuit *notus*, id est, suam omnipotentiam ostendit & notificavit *in Judæa* & Hierusalem contra inimicos populi sui : & sic exponunt hunc Psalmum.

Sed de illo cœco obstinato *Rabbi Salomon*, non miror, quia quantum potuit conatus est occultare veritatem Sacræ Scripturæ : sed miror de Catholicis qui ipsum sequuntur : cum per fidem videant ibi latere maxima sacramenta de Christo & Ecclesia, & velint ea tacere. Ideo *Cambi Barchinonensis* dicit, quòd iste Psalmus loquitur de magno prælio quod facturi sunt *Gog* & *Magog* in *Hierusalem* contra Messiam, quem frustra & falsò expectant Judæi. Et quomodo Messias debet vincere *Gog* & *Magog* in *Hierusalem* ; & de hoc glossat ipsum Psalmum dicens : *Tunc Deus erit notus in Judæa*, id est, notificabit potentiam suam, & favorem Messiæ & populi Judaici, quando Messias vincet *Gog* & *Magog* in *Hierusalem* : de quo prælio & victoria loquitur *Ezechiel* 38. & 39. *cap.* Unde licèt iste alius obstinatus dicat mendacium, in quantum glossat istum Psalmum de prælio Messiæ, quem falsò expectant : tamen dicit veritatem, in quantum dicit, quòd David fecit hunc Psalmum de victoria Regis Messiæ in Lege promissi.

De materia hujus Psalmi.

Ideo est dicendum secundùm intentionem sacrorum Doctorum, & secundùm veritatem, quòd David in hoc Psalmo prædicit victoriam, quam Christus Messias in Lege promissus habuit in *Hierusalem* contra diabolum per mortem & passionem & resurrectionem suam : & prædicit mysteria nostræ redemptionis, quæ completa sunt in *Hierusalem* & *Judæâ*, & totâ terrâ promissionis, ubi Christus fuit *notus*, & fuit conversatus. Per *Judæam* & *Hierusalem* intelligitur etiam tota Ecclesia á solis ortu usque ad occasum : eò quòd ab illâ terrenâ Hierusalem orta est, ubi, & in qua sola Deus est *notus* per fidem, & opera mirabilia, quæ facta sunt, & fiunt quotidie per Christum. Et de hoc est iste Psalmus.

Ad cujus intellectum est notandum : quòd sicut nos veneramur cum magna devotione civitatem *Hierusalem* : eò quòd ibi Christus prædicavit, & miracula fecit, & fuit passus, & sepultus, & resurrexit, & ascendit in cœlum &c. & veneramur *Bethlehem*, quia ibi natus est, & cætera loca ubi fecit miracula ; & dicimus illam *terram sanctam & beatam*, in qua Christus fecit omnia illa mysteria : per eandem rationem & causam omnes Patriarchæ & Prophetæ beatificarunt illam civitatem & terram, eò quòd præviderunt in spiritu & revelatione, quòd ibi omnia mysteria supradicta erant implenda per Christum Messiam in Lege promissum. Et ideo hoc prævidens David, beatificavit illam Civitatem & totam terram Judææ & Israel, eò quòd Christus erat ibi nasciturus, & omnia supradicta operaturus. Ideo dicit : *Notus in Judæa Deus &c.*

Divisio Psalmi.

Duo ergo facit in hoc Psalmo. Nam primò describit & prædicit multiplicem

notitiam qua in carne erat cognoſcendus in Judæa & Hieruſalem ad noſtram ſalutem. Secundò, prædicit divinum cultum Chriſto conferendum ex gratiarum actione pro hujuſmodi beneficiis. Ibi : *Quoniam cogitatio hominis.*

Quantum ad primum eſt notandum, quòd hîc memorantur quatuor loca, quæ ſeſe habent ſecundùm continens & contentum, ſcilicet, *Iſrael*, & *Judæa*, & *Sion*, & *Hieruſalem.* Nam *Sion* continetur in civitate *Hieruſalem*, cùm ſit altior & fortior pars ejus : & *Hieruſalem* continetur in *Judæa* pro majori parte : ſed *Judæa* continetur in *Iſrael.* Nam terra *Iſrael* dicitur tota terra promiſſionis diviſa per duodecim Tribus. Per totam autem iſtam terram *Iſrael* fuit Chriſtus *notus :* quia ibi prædicavit, & miracula fecit, maximè in Galilæa, ſcilicet, in Tribu *Zabulon*, & *Nephthali* &c. Secundò, fuit *notus in Judæa :* quia ibi natus eſt, ſcilicet, in *Bethlehem.* Et in *Judæa* fuit baptizatus, ſcilicet, in illa parte Jordanis, quæ irrigat *Judæam* : & in *Judæa* jejunavit quadraginta diebus &c. quia ibi juxta *Jericho* quæ eſt in *Judæa.*

Nota.

Et hoc eſt quod intendit dicere David cum dicit : *Notus in Judæa Deus*, id eſt, Chriſtus Deus & homo erit *notus* & manifeſtus *in Judæa* : quia primò naſcetur in *Bethlehem* : & ibi cantabunt Angeli, *Gloria in excelſis Deo* : & adorabitur à paſtoribus, & à *Magis.* Et ſic ibi primò cognoſcetur. Item ibidem præſentabitur in Templo in *Hieruſalem*, & cognoſcetur per *Simeonem* & *Annam* prophetiſſam : & ibidem cognoſcetur diſputans in medio Doctorum. Item, in eadem Judæa cognoſcetur in Baptiſmo à *Joanne Baptiſta* : quando audietur paterna vox dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Item, in eadem Judæa congnoſcetur per jejunium, quando tentabitur à diabolo, & cognoſcetur ut victor : & ſic in *Iſrael* & *Judæa* maximè erit *notus.*

23. q. 1. c. *Niſi bella.*

2. *Et factus eſt in pace locus ejus: & habitatio ejus in Sion.*

Locus ejus. In Hebræo habetur: *Factus eſt in Salem*, id eſt Hieruſalem, *tabernaculum ejus.* Ex quo patet, quòd hîc oſtendit quomodo ſpiritualiter Chriſtus erat noſcendus in Hieruſalem.

Hieruſalē interpretatur & à quo componitur.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd Hieruſalem interpretatur *viſio pacis*, eò quòd componitur ex duobus, ſcilicet, ex hoc nomine *ſalem* quod interpretatur *pax* : & *iere*, quod interpretatur *videre*, ſive *videbitur.* Unde dicunt Hebræi, quòd hoc nomen fuit compoſitum per duos ſanctos viros. Nam primò *Melchiſedech*, quem dicunt eſſe *Sem* filium *Noe*, vocavit ipſam *Salem*, eò quòd fuit in ea rex, & Sacerdos, & ſervabat in ea juſtitiam, ex qua ſequitur *pax.* Et ideo vocavit eam *Salem*, id eſt, *pacificam*, in qua obtulit panem & vinum pro *Abraham*, ut patet *Geneſ.* 14. Secundam verò partem hujus nominis impoſuit ipſe *Abraham.* Dicunt enim, & eſt veriſimile, quòd in eodem monte, ubi nunc eſt *Hieruſalem*, voluit *Abraham* ſacrificare filium ſuum *Iſaac*: ſed quia fuit prohibitus ab Angelo, & apparuit ibi aries hærens vepribus, & ſacrificavit, & immolavit ipſum loco ipſius *Iſaac* : ideo vocavit nomen loci illius *Adonai iere*, id eſt, *Dominus videt :* & ſic uſque in hodiernum diem dicitur, *In monte Dominus videbit :* ut patet *Geneſ.* 22. In Hebræo verò habetur : *Dominus demonſtrabitur*, ſive *videbitur.* Et ſic ex hoc nomine *iere* & hoc nomine *Salem* componitur *Hieruſalem* : quod idem eſt quod *viſio pacis*, ſive, *in qua Dominus pacificus monſtrabitur*, vel *videbitur.* Quod quidem myſterium verè completum fuit in Hieruſalem : nam ibi Dominus fuit viſus & monſtratus in carne ; & fuit in Templo præſentatus, & ibi prædicavit, & miracula fecit, & ibi fuit ſepultus : & miſit Spiritum ſanctum in Diſcipulos : & aſcendit in cœlum : & eſt credendum, quòd in eodem loco crucifixus eſt, & viſus eſt in cruce, ubi *Abraham* immolavit arietem loco ipſius *Iſaac.* Et ideo rectè dicitur locus, *Dominus videbitur*, ſive *demonſtrabitur.* Unde multa erat facturus Meſſias in *Hieruſalem* inter cætera, propter quæ omnes Patriarchæ & Prophetæ ita ſæpe celebrarunt, & memorarunt illam Civitatem *Hieruſalem.* Nam primò fuit *ejus locus* : quia ibi prædicavit, & miracula fecit : vel ibi fuit ſepulchrum ejus, quod dicitur *locus & tabernaculum ejus.* Ideo ubi *Hieronymus* poſuit : *Factus eſt in Salem locus ejus. Septuaginta* poſuerunt : *Factus eſt in pace locus*, id eſt, *ſepulchrum* ejus: quia in illo loco, & ſepulchro dormivit Chriſtus *in pace*, & cum ſpe reſurrectionis, ut patet *Pſalmo* 15. Secundò *in Sion*, quæ eſt altior pars Hieruſalem hoſpitabatur Chriſtus : & ibi comedit *paſcha* cum Diſcipulis : & ibidem inſtituit Sacramentum altaris. Et ideo ſequitur: *& facta eſt habitatio ejus in Sion.* Et ibi fuerunt Diſcipuli congregati propter metum Judæorum per aliquot dies.

Nota, hæc facta in Hieruſalē.



3. *Ibi*

De Conse. d. 4. cap. Propriè.

3. *Ibi confregit potentias arcuum, A scutum, gladium, & bellum.*

SEcundò, *ibi* in eadem *Hierusalem* Christus debellavit diabolum in cruce, & *confregit* arma ejus & *potentias*, & vires. Nam *confregit* arma, scilicet, *arcum* tentationum, cum quo mittebat sagittas suas. Item, *confregit scutum* chirographi venditionis humanæ, quo omnes fuimus *venumdati peccato*, *ad Rom.* 10. quod chirographum affixit cruci. *Ad Col.* 2. Secundò, *ibi confregit gladium* peccati originalis, quo omnes vulneraverat. Et *confregit* arma septem vitiorum capitalium, quibus omnes inficiebat. Et sic *con-* B *fregit bellum* quod nobis diabolus faciebat, & superavit ipsum per mortem & passionem. Hanc victoriam perfecit in cruce. Ex quo patet, quòd rectè vocata est *Hierusalem*: quia in ea multipliciter visus est Christus Deus & homo in carne, & in ea pacificavit nos Deo Patri per sanguinem suum.

7. q. 1. ca. Suggestù.

4. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde.*

Hie. 51. g

5. *Dormierunt somnium suum: & C nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

TErtiò, Christus *notus* est in *Hierusalem* & in *Sion*: quia in ea misit Spiritum sanctum in Apostolos, & illuminavit eos, unde intellexerunt Legem Euangelicam & Scripturas: & in illa die dedit eis Legem quoad intelligentiam. Et sic ex parvis & infimis fecit eos *montes* magnos per quos postea illuminavit totum mundum. Et ideo subdit David: Bene dico, quòd *notus* est Deus in Hierusalem & in Sion quoniam *tu* eris, sive fuisti ibidem *illuminans* mundum *à montibus æternis*, D id est, ex Apostolis, quos primò ibi illuminasti: postea ab eis, & per eos illuminasti totum orbem, quando in eos Spiritum sanctum misisti terribiliter in die Pentecostes: quia *factus est de cœlo sonus*. Unde *omnes* Judæi *insipientes corde*, & Scribæ, & Pharisæi *turbati sunt* & admirati, audientes sonum, & videntes linguas igneas super *montem Sion*, & *Apostolos*, & audientes eos loquentes omnibus linguis, & allegantes, & exponentes omnes Scripturas, & convincentes eos. Unde conversi sunt in illa die de popularibus *quasi qua-*

tuor millia, ut patet *Act.* 2. & 3. sed Scri- E bæ & Pharisæi manserunt obstinati in sua malitia, sequentes avaritiam, & divitias suas. Ideo subdit, quòd isti *insipientes corde dormierunt somnum suum* in peccato, mortificati per avaritiam, nolentes sequi Christum qui prædicaverat paupertatem. Et ideo *omnes* isti *viri nihil divitiarum invenerunt* post mortem *in manibus suis*. Et dicit, *dormierunt somnum suum*: quia vita hominum mundanorum, & avarorum, & superborum non est nisi quoddam *somnum*. Nam sicut somniator cùm excitatur à somno, licèt somniet se esse divitem & regem; tamen *nil reperit in manibus* post *somnium*: ita homo avarus & mundanus, licèt multa possideat, tamen F cùm moritur tota vita sua visa est ipsi brevis, quasi somnium, & nihil potest secum portare, prout dictum est *Psalmo* 38. & 48. Et ideo dixit quidam Philosophus:

Votis decipimur, & tempore fallimur omnes: *Not. bene.*
Mors ridet curas, anxia vita nihil.

Quasi dicat: quòd breve tempus & inopinata mors decipiunt & fallunt desideria, & curas hominum, & annihilant & frustrant omnia bona temporalia multo labore comparata, eò quòd auferatur nobis tempus & spatium vitæ per mortem: & sic manemus delusi & decepti in nostris votis & curis: & sic tota anxia vita & laboriosa hominum divitum & mundanorum vertitur in nihil. Et sic fuerunt decepti Judæi, G qui ut non perderent divitias, noluerunt sequi Christum. Et sic est dicendum de cæteris mundanis. Ideo subdit:

6. *Ab increpatione tua Deus Jacob, dormitaverunt, qui ascenderunt equos.* *13. q. 2. c. In Ecclesiastico.*

O *Deus dormitaverunt*, id est, mortui sunt in sua obstinatione omnes milites, & reges, & principes *qui ascenderunt equos*, id est, omnes viri bellicosi & magnates: quia isti tales consueve- H runt ascendere equos & equestres incedere. Unde isti tales mundani noluerunt recipere lumen Euangelicum *à montibus æternis*, id est, ab Apostolis, & Doctoribus in pompa mundana: ideo orbati omnibus bonis temporalibus, sepulti sunt in inferno.

Sed est advertendum, quòd ubi nostra Translatio habet, *à montibus æternis*, littera Hebræa habet: *A montibus rapinæ*, & littera *Hieronymi*: *A montibus captivitatis*. Et tunc tota ista sententia quatuor versuum potest referri ad descencensum Christi ad infernum, & expolia-

Descensus ad inferos.

tionem Limbi : ut sit sensus : Bene tu Christe fuisti *notus* in Hierusalem. Nam dum corpus tuum erat conditum in pace A & sepulchro , tu descendisti ad inferos & ad *montes rapinæ* & *captivitatis* , ubi diabolus tenebat genus humanum captivum. Unde videntes lumen tuum *omnes* dæmones & damnati *insipientes corde turbati sunt* & fugati *à montibus rapinæ* & *captivitatis* , id est , à Limbo inferni , qui dicuntur *montes rapinæ* & *captivitatis*. Intrans ergo infernum , sive Limbum , & *illuminans* tartareum Limbum , & *montes rapinæ* : tunc *omnes insipientes corde* , scilicet , dæmones & damnati , *turbati* & fugati *sunt* ab illis montibus *captivitatis*. Et sic Christus *confregit vectes ferreos &c.* & sedit in inferno per quadraginta horas tanquam Judex. Et condemnavit diabolum , & cunctos obstinatos , & damnatos B ad pœnam æternam , & abstraxit secum omnes Sanctos Patres , & eos solùm qui ab hac vita discesserunt in fide & spe Christi futuri : cæteros autem ad carcerem perpetuum cum diabolo destinavit.

Et ideo sequitur : *Turbati sunt omnes insipientes corde* , eò quòd relinquentes veram fidem & sapientiam , secuti sunt mundanas divitias. Et ideo *omnes* isti *viri divitiarum nihil* utilitatis *invenerunt in manibus suis* : quia nullum opus bonum fecerunt dum viverent. Et sic : *O Deus Jacob omnes qui ascenderunt equos* , scilicet reges , & principes , & milites , & divites hujus mundi *dormitaverunt* , & morte puniti sunt *ab increpatione* & sententia *tua*. Et non solùm *dormitaverunt* morte corporali , sed etiam æternâ & spirituali. C

Isti etiam duo versus possunt referri ad milites custodes sepulchri Christi. Nam dum milites armati custodierunt sepulchrum , resurrexit Christus , & sic *nihil invenerunt in manibus suis* : quia *ab increpatione* & voluntate Christi *dormierunt* , nec potuerunt Christum in sepulchro detinere cum resurgeret. Ideo sequitur:

Rom. 13. & 24. q. 1. c. Quid culpatur.

7. *Tu terribilis es , & quis resistet tibi ? ex tunc ira tua.*

20. q. 3. c. Aliorum.

8. *De cœlo auditum fecisti judicium : terra tremuit & quievit.* D

De Pœn. d. 2. c. 1. in prin.

9. *Cum exurgeret in judicium Deus , ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.*

TU Christe *terribilis es* , *& quis resistet tibi* ? Quasi dicat , nullus posset tibi resistere. Nam *tunc ex ira tua auditum fecisti judicium de cœlo* , *& terra tremuit* , & post *quievit* , *quando* Christus E Deus & homo *resurgeret in judicio* , *ut salvos faceret omnes mansuetos terræ*. Nam *ecce terremotus factus est magnus* quando surrexit : & surrexit ad judicium damnatorum , & superborum , & mundanorum , & ad salutem mansuetorum. Et ideo dicit : *Ut salvos faceret omnes mansuetos terræ &c.* quia resurrectio Christi fuit salus & resurrectio *mansuetorum*.

Sed est advertendum , quòd hîc non solùm loquitur de resurrectione Christi tunc factâ , sed etiam de resurrectione universali futurâ , & de ultimo judicio. Nam non solùm mors & resurrectio Christi facta est in *Hierusalem* , sed etiam ultimum judicium & universale fiet in valle *Josaphat*. Nam Christus *veniet cum potestate magna & majestate* , & erit in aëre F supra montem *Oliveti* , ubi erat quando ascendit in cœlum ; & omnes Apostoli , qui dicuntur *montes æterni* , erunt sedentes super sedes duodecim circumquaque , & omnes sancti erunt in aere cum eo supra montem *Oliveti* : & omnes judicandi erunt in terra in *valle Josaphat* , quæ est inter civitatem *Hierusalem* & *montem Oliveti*. Nam Christus mittet primò Angelos suos cum sonitu tubæ , & vocabunt omnes mortuos ad judicium. Et sic cum magno terræmotu infernus , & mare , & terra dabunt mortuos suos. Et sic recuperatis corporibus , omnes erunt ante Tribunal Judicis.

Nota de judicio.

Et ideo dicit Propheta : O Christe , *tu terribilis* & potens *es* : *nam quis resistet tibi* ? Quasi dicat , nullus. Nam *tunc* G in novissimo die *ex ira tua* concitata contra malos *auditum fecisti* , id est , facies *judicium* , & tota *terra tremuit* : primò præcedentibus illis quindecim signis terribilibus ante adventum Christi ad Judicium : quia *erunt signa in sole* , *& luna* , *& in mari* , *& in terra &c. Luc.* 21. Sed postea *terra quiescet* , *cum exurget Deus in judicium* , *ut salvet omnes mansuetos terræ* , & damnet superbos , & obstinatos.

Et ad hoc idem possunt referri omnia quæ præcedunt , scilicet , *Illuminans tu à montibus æternis* , *turbati sunt omnes insipientes corde* : quia tunc *omnes viri divitiarum nihil invenient in manibus suis* H *&c.* Bene ergo illa civitas vocata est *Hierusalem* , id est , *visio pacis* , quia ibi Christus Deus in carne visus , & *notus* , & monstratus est ; primò per prædicationem & miracula : secundò , ibi visus est pati & mori : & sic ibi pacificavit nos cum Patre in sanguine suo. Tertiò , quia ibi resurrexit & ascendit in cœlum , & misit Spiritum sanctum in Discipulos. Quartò & ultimò , quia ibi fiet universale judicium , & videbitur in potestate magna & majestate : & sic *notus* est *in Judæa* , & terrâ *Hierusalem* , & in *monte Sion* realiter &c.

10. *Quo-*

38.d.c.Sedulo. De Confe. d.5.c. Nō mediocriter.

10. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi : & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.*

IN hac secunda parte prædicit divinum cultum *Latriæ*, debitum Christo à fidelibus pro beneficio redemptionis, & omnium supradictorum, quæ soli Deo conveniunt. Ad cujus intellectum est primò advertendum : quòd *cogitatio hominis*, & interna conscientia & devotio, contemplando miracula, & mysteria quæ fecit Christus, credit ipsum esse Deum & hominem mediatorem & Messiam in Lege promissum. Et sic *confitetur* Christo, dando cultum Latriæ. Et ex tali fide ipsa Ecclesia mota est ad ordinandas festivitates de mysterio Incarnationis, & Nativitatis, & Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis &c. in quibus festivitatibus damus *Latriam* Christo, scilicet hymnos, sive carmina, & offerimus munera. Tertiò adoramus ipsum adoratione Latriæ : & sic colimus Christum triplici honore. Etiam ordinavit Ecclesia festivitates per successionem temporis.

Prima cogitatio hominis dicitur *fides*.

Ex quo patet, quòd prima *cogitatio* hominis dicitur *fides interna*, quæ præcedit omnem bonam operationem, & per quam movemur ad colendum Christum: sed *reliquiæ cogitationis*, sunt effectus fidei, scilicet, *cultus divinus*. Et hoc est quod dicit Propheta. Unde ait : *Quoniam*, id est, propter causas supradictas & beneficia quæ tu Christe operatus es in *Judæa* & *Hierusalem*, quæ mysteria nullus potest operari, nisi Deus : ideo propter hanc causam *cogitatio hominis* fidelis, id est, fides interna, *confitebitur tibi*, dando divinos honores ; & confitebitur, te esse Deum dignum cultu Latriæ. *Et reliquiæ cogitationis*, scilicet, effectus fidei, & omnes fideles sequentes fidem & Doctores Ecclesiæ, qui sunt *reliquiæ cogitationis* internæ fidei, agent tibi, & ordinabunt dies festos ad cultum divinum dedicatos, scilicet, festum Incarnationis, & Nativitatis, & Infantiæ, & Resurrectionis &c. in quibus festivitatibus exercebit Ecclesia divinum cultum in memoriam supradictorum mysteriorum & beneficiorum. Littera autem *Hieronymi* habet : *Mœror hominis confitebitur tibi* : & tunc idem est, quod *contritio hominis confitebitur* peccata &c. Sed quia confessio est triplex, scilicet peccatorum, & fidei, & laudis: ideo potest intelligi de qualibet confessione. Nam interna *cogitatio* & fides confitetur Christo : primò fidem, quæ præcedit omnem actum virtutis. Secundò *confitetur* dando laudes, & gratias agendo. Tertiò *confitetur* peccata commissa. Et sic omnes istæ tres confessiones debentur Christo. Et ideo pro confessione fidei, & laudis pro beneficiis, sequitur:

11. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera.*

27.q.1.c. Si quis, & 33.q.5.c. Manifestum, & extra de Voto, cap. Magnum, & c. Non est.

UNDE Propheta excitat omnes fideles ad celebrandas festivitates, & offerenda munera Christo, & exhibendam Latriam, dicens : O fideles, *Vovete Domino* Jesu Christo in baptismo fidei &c. *& reddite* ipsi Latriam ipsi debitam, scilicet, confessionem laudis, & offerte *munera*. Et vos fideles omnes qui offertis *munera* Christo, & tenemini munera offerre, *Vovete & reddite*, id est, *reddite* quæ in Baptismo vovistis : & *reddite* ipsi Latriam, & honores divinos, ipsi debitos tanquam vero Deo, & tanquam Redemptori pro gratiarum actione pro beneficiis receptis. *Reddite Deo vestro*, dico,

12. *Terribili, & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.*

23.q.1.c. Quid culpatur.

QUASI dicat : *Reddite ei* vota promissa : quia est Deus omnipotens, & *terribilis* : quia in tantum est *terribilis*, quòd *aufert spiritum* & animam *principum* : id est, quia interfecit principes & magnos : ideo est *terribilis apud* omnes *reges terræ*.

Ex his patet, quòd rationabilior est Translatio ipsorum *Septuaginta*, quàm *Hieronymi* : quia hîc loquitur de confessione fidei & laudis, per id quod sequitur : *Vovete & reddite*. Nam exhortatur fideles ad cultum Latriæ, quæ consistit in tribus, scilicet adoratione, munere, & laude, ut dictum est *Psalmo* 61.

Latria in tribus consistit.

Ex ista ultima parte hujus Psalmi patet, quòd Propheta David in hoc Psalmo non solùm intendit commendare *Judæam* & *Hierusalem* materialem, quæ continetur in arcto loco Palæstinæ, in qua Christus fuit *notus* præsentialiter per nativitatem, & passionem, & mortem, & resurrectionem, & ascensionem : nec per Israel solùm intelligit illam terram duodecim Tribuum, in qua Christus fuit notus per prædicationem & miraculorum operationem : sed Ecclesiam, ubi est *notus* per fidem & cultum Latriæ. Unde quia David prævidit in spiritu, Christum fore cognoscendum per fidem, & adorandum & colendum in populo Gentili ad fidem con-

converso , & prævidit , quòd populus Gentilis erat futurus *vera Hierusalem* & *Israel* , Deum per fidem videndo ; & *vera Judæa* , Christum cognoscendo , & confitendo : ideo fecit hunc Psalmum : In quo , non solùm commendat & beatificat illam materialem *Hierusalem* & *Judæam*, quæ Christum vidit , & novit , & audivit præsentialiter in carne ; sed etiam magis commendat Ecclesiam toto orbe diffusam, quæ Christum per fidem spiritualiter cognoscit , & colit , & veneratur , & confitetur. A

Ex supradictis in isto Psalmo possunt recolligi quinque conclusiones , quarum prima est ista.

Prima conclusio : quòd Christus in Lege promissus Deus & homo , erat cognoscendus , & manifestandus in *Judæa* & *Hierusalem* , & per totum Israel. Probatur. Nam ibi fuit natus & adoratus , & prædicavit & miracula fecit : & fuit passus, & sepultus , & resurrexit : & ibi *confregit gladium* , & *scutum* , & arcum diaboli , quando per passionem & resurrectionem de ipso triumphavit , & Discipulos illuminavit. B

Secunda conclusio : quòd Christus relinquens corpus in sepulchro , descendit ad inferos , & omnes dæmones conturbavit, & infernum expoliavit.

Tertia conclusio : quòd quando Christus resurrexit , & terra tremuit : tunc omnes milites qui ascenderunt equos dormitaverunt. Et ideo turbati sunt Judæi & confusi , videntes Christum resurrexisse. Et *nihil invenerunt in manibus suis* de his , quæ cogitabant contra Christum.

Quarta conclusio : quòd in finali judicio omnes divites & principes reputabunt se delusos & deceptos & quasi somniasse , cùm videbunt divitias nihil prodesse ad liberandum eos. C

Quinta conclusio : quòd soli Christo terribili & omnipotenti debetur oblatio, & Latria , & confessio fidei & laudis , & confessio peccatorum : eò quòd est justus & terribilis judex , & omnipotens , qui potest occidere & vivificare.

Psalmus LXXVI.

D

1. *Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Deum , & intendit mihi.*

Infra 141. de Conse. d. 1. c. Quando autem stamus.

Titulus : *In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph.* Prætermissa omni deliberatione Judæorum , & etiam frivolâ & deviâ expositione quorundam Catholicorum , qui magis videntur in hoc Psalmo judaizare , est dicendum : quòd David fecit hunc Psalmum , in quo describit desiderium patrum antiquorum de adventu Christi , & dedit ipsum cantandum ipsi *Asaph* : eò quòd repræsentabat & figurabat totam Ecclesiam. Sed quia maximè tale desiderium conveniebat viris contemplativis Ecclesiæ pro illo statu , voluit quòd chorus *Idithun* responderet. *Idithun* enim interpretatur *transiliens* , *& transcendens* ista mundana , & contemplans cœlestia & altissima supra humanam facultatem , cujusmodi memorantur in hoc Psalmo. Et ideo voluit David , quòd cantaretur cum toto conatu vocum ad victoriam: ad denotandum , quòd iste Psalmus vocat de longe cum magno desiderio Messiam, qui est finis Legis. Et ideo in Titulo ponitur *In finem* , eò quòd nos dirigit in Christum , qui est finis Legis. Et hoc denotat Titulus ; scilicet , quòd iste Psalmus nos dirigit in finem , datus ad cantandum ipsi *Asaph* ad victoriam super chorum *Idithun*. E F

Sed de materia hujus Psalmi est notandum : quòd cum David contemplaretur adventum Messiæ , devenit ad considerandum longum desiderium ipsius *Adam*, & omnium aliorum Patriarcharum & Prophetarum de adventu Christi , & moram, & longam dilationem ejusdem. In qua contemplatione fuit ipsi revelatum , quòd debebant transire dies multi , sed finaliter erat Christus venturus absque omni defectu. Hoc ergo prævidens David in spiritu, maximè per Scripturas præteritorum , & revelatione consolatus , fecit hunc Psalmum , in quo introduxit *Adam* loquentem cum tota posteritate fidelium. Nam ut sic dicitur *Adam mysticus* , sive corpus mysticum. G

In quo Psalmo duo facit. Nam primò ponit quandam exclamationem propter dilationem adventus Christi. Secundó explicat causam suæ consolationis , ibi : *Et dixi , nunc.* Quantum ad primum est advertendum : quòd promissio adventus Christi in carne ad liberandum genus humanum , fuit causa fidei , & charitatis , & spei omnibus Patriarchis & Prophetis veteris Testamenti , quæ quidem promissio primo facta fuit ipsi *Adæ* : secundùm quod ait *Augustinus* , *lib. Cur Deus homo.* Unde dicit , quod *primo homini promissus est adventus Domini ex Virgine : ut si de instanti miseria doleret ; tamen de suo , suæque posteritatis remedio jam de longinquo gauderet.* Unde *Adam* licet esset expulsus ab illa felicitate : tamen ex promissione ipsi facta de Christo Redemptore futuro , incœpit habere fidem. Et ex fide motus est ad charitatem Christi , & ex tali firma fide resultavit in eo firma spes Christi : & hanc fidem & spem secutus est *Abel*, & *Seth* , & *Enos* , & *Henoch* , & *Noe*, & *Abraham &c.* Et sic est dicendum: H

Causa fidei & charitatis in Patriarchis fuit Christi adventus.

quòd

quòd fides & ſpes incœpit ab *Adam* ex promiſsione ipſi factâ. Et ſic deſcendit in totam ejus poſteritatem fidelium. Sed crevit in unoquoque ipſorum Patriarcharum & Prophetarum ſecundùm quòd unuſquiſque habuit ſpecialem revelationem de Chriſti adventu. A

Nam ſpecialem revelationem habuit *Abel*; & *Enos incœpit invocare nomen Domini* : & *Noe*, & *Abraham* cui facta eſt ſpiritualis promiſsio : & ſic eſt dicendum de *Iſaac*, & *Jacob*, & cæteris Patriarchis & Prophetis, in quibus ſemper crevit fides & ſpes, propter novas revelationes & promiſsiones. Et ſic omnes iſti ſunt *corpus myſticum* Chriſti ; eò quòd vixerunt in ſpe & fide Chriſti futuri. Et ideo diffinitur corpus myſticum Eccleſiaſticum : quod eſt *multitudo fidelium Chriſtum expectantium*, ſive *in fide & ſpe Chriſti viventium*, incipiens ab *Adam* uſque ad ultimum electum. Et eadem eſt diffinitio ipſius Eccleſiæ. Nam *corpus myſticum*, & *Eccleſia* convertuntur, ſicut dictum eſt *in Prologo*. Et ſic *Adam* cum tota poſteritate ſua fidelium dicitur *corpus myſticum*, ſive *Adam myſticus*, ſive *homo myſticus*, ſive *Eccleſia*, ſive *Civitas Dei*, ſive *Populus Dei* : ſecundùm *Auguſtinum* 15. *de Civit. Dei*. Et ideo in hoc Pſalmo, & in multis aliis introducitur iſte Adam myſticus ad loquendum, in quantum deflet caſum ſuum, & miſeriam, & petit accelerari adventum Chriſti, & conqueritur de longa mora & dilatione. Nam in ſpe omnia iſta includuntur. B C

Primò includitur, & ſupponitur promiſsio alicujus boni, ex qua inſurgit ſpes & fides. Secundò, includitur afflictio propter longam moram & dilationem, ut ait Seneca in *Thyeſte* : *Odit verus, & non patitur moras*. Tertiò, patientia in adverſis. Nam cum patientia tolerantur adverſa, poſtquam quis expectat liberari ab adverſis, & expectat bonum finem. Ideo ait *Apoſtolus ad Rom.* 5. quòd *ſpes patientiam operatur*. Et ideo diffinitur *ſpes*, quòd eſt quædam *virtus Theologica, quâ æterna ſpiritualia promiſſa firma fide & charitate expectantur, & adverſa cum patientia tolerantur, contemnens terrena bona, & conſtituens finem in cœleſtibus*. Ex quibus patet, quòd *ſpes* ſimul includit afflictionem & gaudium : includit enim duplicem afflictionem ; unam de malis quæ patitur, & aliam de longa morâ & dilatione finis promiſsi. *Spei diffinitio.* D

Et in hac ſecunda afflictione laboravit cœtus fidelium ab *Adam* uſque ad adventum Chriſti. Nam primò, ſe videbat exulem ab iſla felicitate terreſtris paradiſi, & privatum illâ futurâ beatitudine cœleſti. Secundò, ſe videbat in captivitate diaboli. Tertiò, ab ipſa carne & mundo & diabolo multipliciter afflictum & vexatum. Quartò : quia videbat adventum Chriſti nimium morari, quia parva mora videtur E afflictis longa : ideo erat confractus ex longa ſpe & dilatione finis : ex qua longâ morâ multi non poterant habere perfectam patientiam. Et ſic affligebatur totum corpus myſticum ex longa mora, licèt firmiter crederet adventum Chriſti futurum. In qua fide aliqualiter conſolabatur.

Et de hac afflictione loquitur prima pars hujus Pſalmi, in qua Adam myſticus per ipſum *Aſaph*, & *Idithun* magnis vocibus vocat Chriſtum, ut veniat & acceleret adventum ſuum, & tollat cauſam ſuæ afflictionis per crucem & paſſionem & reſurrectionem, ut patebit in littera : in quo explicantur cauſæ afflictionis, & lætitiæ, & conſolationis. Et ſic attribuitur F ipſi *Aſaph*, & *Idithun*. Unde cantat *Aſaph* & levat vocem ſuper *Idithun* in perſona totius Eccleſiæ, tàm activorum, quàm contemplativorum. Unde dicit *Adam myſticus* : *Voce mea à Dominum clamavi* ab *Adam* uſque ad *David* : & *voce mea clamavi* à David uſque ad Chriſtum, & tunc *intendit mihi*, complendo deſiderium meum per adventum ſuum. Item:

2. *In die tribulationis meæ Deum exquiſivi, manibus meis nocte contra eum : & non ſum deceptus.* G

7. q. 1. ci Sciſcitare. 23. q. 4. Qui peccat.

DEUM *exquiſivi manibus meis* : eas elevando *contra eum*, ſcilicet, verſus Deum manus elevando in cœlum *in die tribulationis meæ* : qui dies tribulationis duravit ab *Adam* uſque ad Chriſtum. Et etiam *exquiſivi eum nocte*, id eſt, per totam noctem Legis, *contra eum*, id eſt, manus elevando verſus eum, petendo ejus adventum. Et tamen *non ſum deceptus* : quia venit, ſicut ipſe promiſit.

Omnes ſupradictæ locutiones ſunt de præterito pro futuro, propter certitudinem prophetiæ, & firmitatem fidei & ſpei H *in* toto *die tribulationis*, & *nocte* : quia totum genus humanum erat in *tribulatione* & captivitate diaboli : & *nocte* tenebrarum peccati, & ignorantiæ. Et ſic clamabat manibus verſus Deum. Sed iſte *Adam myſticus non fuit deceptus*, nec fuit fruſtratus in ſua fide & ſpe : quia tempore ſtatuto venit Chriſtus. Unde prima locutio, ſcilicet, *Voce mea ad Dominum clamavi*, vox eſt totius cœtus Patriarcharum & Prophetarum ab *Adam* uſque ad *Zachariam*, & *Joannem Baptiſtam*. Sed ly *& intendit mihi*, eſt vox iſtius hominis pro tempore *Zachariæ*, & *Simeonis*, & *Joſeph* : quia potuit dicere iſte homo:

&

& intendit mihi , & non sum deceptus: quia vidit ipsum oculis propriis per *Zachariam* , & *Simeonem.* Ideo dicit *Zacharias: Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit , & fecit redemptionem plebis suæ.* Et *Elisabeth* dixit Virgini *Mariæ. Benedicta tu in mulieribus : & benedictus fructus ventris tui.* Et *Virgo Maria* dixit: *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ.* Et *Simeon* dixit: *Nunc dimittis servum tuum Domine , secundùm Verbum tuum in pace : Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et sic in persona istorum dicit Propheta: *Non sum deceptus , & intendit mihi &c.* Totam etiam istam locutionem potest facere nunc Ecclesia pro statu isto , gratias agendo. Nam in toto veteri Testamento per Patriarchas & Prophetas clamavit magna voce Christum invocando , ut veniret : sed tandem *intendit mihi* Christus in novo Testamento , quia Patres veteris Testamenti non receperunt promissionem sine nobis , *ad Hebræos* 11.

De Consc. d. 4. c. Proprie.

3. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei , & delectatus sum , & exercitatus sum : & defecit spiritus meus.*

De Pœn. d. 1. c. Mensuram.

4. *Anticipaverunt vigilias oculi mei: turbatus sum , & non sum locutus.*

De Pœn. d. 1. c. Si cui, §. Porro.

5. *Cogitavi dies antiquos : & annos æternos in mente habui.*

6. *Et meditatus sum nocte cum corde meo: & exercitabar , & scopebam spiritum meum.*

HIC explicat causam suæ afflictionis & anxietatis , quæ fuit , longa mora & dilatio adventus Christi. Unde dicit: *Anima mea renuit consolari* in toto illo tempore ab *Adam* usque ad Christum : immò abstinebam à carnalibus delectationibus , jejuniis & orationibus Messiam expectando : & eram semper in contemplatione & meditatione : & sic *memor fui Dei, & delectatus sum.* Quasi dicat : Non habebam aliam consolationem , nisi contemplari Sanctam Scripturam , & divina mysteria in ea scripta , & promissiones mihi factas de Messia. Et sic *exercitatus* , & occupatus *sum* in tali studio & labore & contemplatione : *& defecit* & fessus est *spiritus meus* , & contabuit , & stupuit , non valens attingere hoc secretum præ nimio labore & infirmitate mentis & corporis.

Sed quia non sufficiebat mihi ista in die meditari , sed etiam de nocte non poteram dormire : ideo *oculi mei anticipaverunt vigilias* , surgendo ante auroram, & lucem , & tempus , quando solent alii dormire , ad considerandum statum , & peccata humani generis , & miserias , & ad contemplandum judicia Dei rectissima. Et sic cognoscens culpam primi parentis, & iniquitates nostras , & ingratitudines contra Deum commissas , cognovi , nos justo Dei judicio meritò fuisse punitos : & sic *non sum locutus* : immò tacui præ confusione , culpam in meipsum retorquendo: & sic *non locutus sum* , nec aliquid dixi: sed *cogitavi dies antiquos* , revolvendo & perlegendo Historias & Annales antiquorum Patrum , quærendo , unde hoc malum proveniebat generi humano : quia sic fuerat vulneratum in carne per concupiscentiam & infirmitatem , & in anima per peccatum.

Nota, meditanda seu contemplanda.

Et *habui annos æternos in mente :* consideravi omnia tempora , incipiendo à mundi creatione , & ab inobedientiâ primorum parentum , & sententiâ meritò inflictâ. Nam consideravi, quomodo Deus creaverat hominem ad imaginem & similitudinem suam. Et quomodo constituit ipsum dominum super totam terram , & super omnia animalia , tàm volatilia , quàm pisces , & reptilia , & quadrupedia &c. Et consideravi felicitatem ipsi promissam, si stetisset in divino præcepto & voluntate : quia post longam vitam translatus esset in vitam meliorem in cœlum : sed propter inobedientiam pulsus fuit ab isto terreno paradiso , & privatus fuit illa futura & superiori beatitudine , & factus exul in hac lacrymarum valle , & percussus in corpore & anima , & subjectus tot miseriis intrinsecis & extrinsecis ; scilicet , bellis, & servituti &c. Et cognovi omnia ista mala provenire homini ex illius primi justissimâ condemnatione peccati.

Et sic etiam in tota illa *nocte* veteris Testamenti *meditatus sum in corde meo* considerando , quomodo Christus erat nobis in lege per multos , immò per omnes Prophetas & Patriarchas , ad liberandum genus humanum de supradictis miseriis, promissus. Et in tali meditatione *exercitabar* mirando cum anxietate , quare tantùm tardabat nostra redemptio , & differebatur Christi adventus? *Et* sic *scopebam spiritum meum* , id est , scrutabar , & investigabam , & discutiebam , & examinabam , & purgabam per pœnitentiam quæ in eo erat. Et erumpebam in talem clamorem , quasi anxius de longa morâ & dilatione , dicens:

7. *Num-*

De Pœn. d. 1. cap. Quia divinitatis natura, &c. Multiplex, & d. 39. c. Diaconi.

7. *Numquid in æternum projiciet* A *Deus : aut non apponet , ut complacitior sic adhuc?*

8. *Aut in finem misericordiam suam abscindet , à generatione in generationem?*

9. *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?*

NUmquid *Deus projiciet* genus humanum à se *in æternum* , quod non recipiat ipsum ad veniam & misericordiam? *Aut* Deus *non apponet* , & non proponet *adhuc* , id est , deinde , *ut sit* nobis *complacitior* , id est , magis placabilis , quàm fuit hucusque. Quasi dicat : semper erit nobis iratus , & non benignus , nec placabilis ? *Aut abscindet* , id est , auferet *in finem* , id est , totaliter & finaliter , *misericordiam suam à generatione in generationem* ? id est , per omnes generationes durabit ira ejus , & non erit misericordia. *Aut obliviscetur Deus misereri* nobis ? & numquam recordabitur nostri? *aut continebit misericordias suas in ira sua* ? Quasi dicat : Eritne tantæ crudelitatis & efficaciæ ira Dei , quòd contineat, & claudat , & liget misericordias suas , & alliget Deum ne faciat misericordiam. Quasi dicat : Non est credibile , nec est tollenda Deo tanta perfectio : immò hoc est nefas de Deo credere cujus misericordiæ non est finis , nec numerus.

Scopere spiritum.

Unde nota , quòd dicit David : *Scopebam spiritum meum* , id est , mundanas, & falsas cogitationes à spiritu meo pellebam. Nam spiritus longâ anxietate & cogitatione tribulatus & obnubilatus , non potest cernere verum : quia *nubibus atris condita , nullum fundere possunt sidera lumen &c.* ut ait *Boetius*. Sed si quis scopit spiritum , & se purgat & mundat , pellendo mundanas cogitationes , & nubes ignorantiæ per studium sapientiæ : tunc cernit & cognoscit veritatem. Et ita fecit iste *homo mysticus*. Nam perscrutando Sacras Scripturas , pepulit nubes ignorantiæ , & anxias cogitationes : & cognovit, quòd Deus numquam oblitus est facere misericordiam , sicut didicit per gesta antiquorum. Ideo dixit : *Numquid in æternum projiciet Deus* ? *&c.* quia *scopere*, idem est quòd scopâ domum verrere & mundare. Et sicut domus materialis *scopitur* & mundatur scopâ materiali : ita domus spiritus & mentis interior *scopitur* & verritur studio sapientiæ ab omni ignorantiâ , & malis cogitationibus & anxietatibus : quia intelligentia Sacræ Scripturæ fugat omnes anxietates , & scopit spiritum & mentem , & facit eam cernere verum, ut patet hìc de David.

10. *Et dixi : Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.* 2. q. 1. ci Si peccaverit.

IN secunda parte explicat suam consolationem post superiorem angustiam. Ad cujus intellectum est sciendum , quòd postquam iste homo anxius de longâ miseriâ & morâ adventus Christi discurrit per omnes Scripturas , & omnia gesta Patrum antiquorum ; & vidit , quòd Deus multipliciter liberaverat Patres antiquos temporaliter , putà , *Noe* de diluvio , & *Abraham* de Ur Chaldeæorum , & *Isaac* de sacrificio , & *Jacob* de manu *Esau* , & totum Israel de Ægypto &c. tunc ipse dixit supradicta verba , scilicet , *Numquid in æternum projiciet Deus* ? *&c.* Quasi dicat: Semper consuevit misereri Patribus antiquis , & liberavit eos de periculis temporalibus : Ergo poterit esse , quod non liberet nos de hac longa captivitate peccati & de potestate diaboli , & miseria nobis illata ex sententiâ datâ primis parentibus? Quasi dicat : Incredibile est , quòd non faciat : sed quia dum ista cum quadam pia indignatione diceret , quasi illuminatus incœpit resipiscere , & cognoscere in spiritu , quòd omnes illæ liberationes temporales Patrum antiquorum significabant futuram & generalem redemptionem : & quòd tota ira Dei erat mutanda in misericordiam per adventum Christi. Ideo subdit : *Et dixi* omnia supradicta, supple. Et *nunc cœpi* resipiscere , & cognoscere , supple , veritatem , & secretum scripturarum , & supradictorum mysteriorum : quoniam erant figura de nostra redemptione , & omnia erant implenda in Christo &c. In Hebræo autem habetur : *Et dixi , imbecillitas mea.* Et tunc est sensus : *Et dixi* in meipso , quòd ex imbecillitate , & fragilitate , & ignorantiâ dixeram omnia supradicta , scilicet , *Numquid in æternum projiciet Deus* ? *&c.* Sed magis rationabilis videtur nostra Translatio , quæ dicit. *Et dixi : nunc cœpi* intelligere , supple , quòd *hæc* est *mutatio dexteræ Excelsi.*

Ecclesia habet tres status.

Ad cujus intellectum est valde advertendum , quòd Ecclesia Dei habet *tres status* , scilicet , duos in præsenti , & unum in futuro , qui dicitur *status gloriæ*. Primus status dicitur *status legis* & umbræ , & figuræ , & captivitatis , & iræ , & justitiæ, & ignorantiæ , & noctis. Secundus status dicitur *status veritatis* , & luminis Euan-

gelici, & libertatis, & gratiæ, & misericordiæ, & sapientiæ, & dici. Tertius autem dicitur *status gloriæ*, & præmii. A In primo statu omnes Patres antiqui desiderabant statum secundum. Et nos qui jam sumus in statu secundo, desideramus tertium, scilicet, dissolvi & esse cum Christo in gloria. Et ideo sicut per primum adventum Christi primus status mutatus est in secundum: ita per secundum adventum Christi secundus status Ecclesiæ mutabitur in tertium. Nam per primum adventum Christi, scilicet in carne, tota Lex vetus mutata est in veritatem Euangelicam: & umbra & nox mutata est in diem & lucem: & figura in veritatem: & sententia, & justitia, & ira Dei, in misericordiam: & culpa, sive peccatum, in gratiam: & captivitas in libertatem: & ignorantia in sapientiam: quia *repleta est terra sapientia Domini*, *Isai.* 11. Ita pariter totus iste status mutabitur in tertium. Nam gratia convertetur in gloriam, & fides in visionem: & spes in possessionem: & charitas in fruitionem &c.

Secundò est notandum, quòd Christus dicitur *dextera Dei excelsi* in tota Scriptura: eò quòd Pater per ipsum operatur. Sed *dextera* dicitur per relationem ad sinistram: & sic punitio & ira Dei dicitur *sinistra*: misericordia autem dicitur *dextera Dei*. Cum ergo tota Lex vetus erat sub punitione & sententiâ, & quasi irâ Dei, & justitiâ, & exilio: ideo potest dici *sinistra Dei*: quia Deus habebat suam sinistram supra genus humanum ante adventum Christi. Sed nunc habet *dexteram suam*, id est, misericordiam suam, C super nos. Ex quo potest dici, quod per Christum facta est mutatio à sinistrâ in dexteram. Et sic est dicendum, quòd Christus, qui est *dextera Dei Patris excelsi*, mutavit sinistram Dei in dexteram Dei, id est, iram & justitiam, in misericordiam: & captivitatem, in libertatem: & culpam, in gratiam: & noctem in diem: & umbram in veritatem & lucem: & universaliter totam Legem veterem in Euangelium, ut Circuncisionem in Baptismum: & esum agni paschalis in Eucharistiam: & sic de singulis Sacramentis. Et talis mutatio fuit *mutatio dexteræ excelsi*: quam prævidit D David in figura per gesta, & mysteria vetera, ut patebit per singula.

Christus dextera Dei dicitur.

Ideo dicit: *Et dixi: nunc cœpi* cognoscere, supple, quòd *hæc* erat *mutatio dexteræ Excelsi*, id est, per Christum futura, qui est *dextera Dei Excelsi*, qui omnia debet mutare: quia talis mutatio à nullo potest fieri, nisi à Christo, qui est *dextera Excelsi*. Nam sicut Deus per sinistram misit iram & sententiam in totum genus humanum in veteri Testamento: ita in novo Testamento mittet misericordiam, & veniam, & gratiam per Christum qui est ejus *dextera*. Et ideo quia David prævidit in spiritu contemplando mysteria Sacræ Scripturæ, quòd per solum Christum E erant omnia illa mysteria, vel in solo ipso erant implenda: ideo dicit: *hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

11. *Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.* 9. d. cap. Quis nesciat.

12. *Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinventionibus tuis exercebor.* 29. d. cap. Sciendū, & cap. Sequen.

F 13. *Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.*

14. *Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob, & Joseph.* De Consec. d. 2. Iteratur.

HIC explicat mysteria Sacræ Scripturæ veteris Testamenti, ubi David, sive homo mysticus prævidit istam *mutationem dexteræ Excelsi*, & nostram redemptionem figuraliter. A quibus mysteriis sumit parabolam & propositionem ad petendum intentum. Unde tria mysteria principaliter adducit, in quibus prævidit in figura nostram redemptionem. Nam primò, adducit libertatem filiorum Israel de Ægypto. Nam per hoc quòd *Moyses* fuit à Deo missus in Ægyptum: & cum signis & portentis liberavit & eduxit totum illum populum de Ægypto, & potestate *Pharaonis*; prævidit, quòd Christus Filius & *dextera Dei Patris*, à Patre missus, debebat liberare totum genus humanum de tenebris peccatorum, & potestate diaboli: & ideo dicit: Ideo *cœpi* cognoscere, quia *hæc* erat *mutatio dexteræ Excelsi*, id est, per Christum facienda. Quoniam *memor fui operum Domini*, id est, misericordiarum, quas fecit Deus Patribus antiquis. Et *memor ero mirabilium tuorum*, quæ fecisti ab initio, incipiendo à *Noe*, quem liberasti de diluvio. Et sic discurrendo per *Abraham*, quem liberasti multipliciter; & per *Isaac*, quem liberasti de gladio sacrificii: & *Jacob*, quem liberasti de *Esau*. G H

Figura nostræ redemptionis.

Et meditabor in omnibus operibus tuis, quæ fecisti patribus nostris: *& exer-*

ce-

cebor in adinventionibus tuis, id est, in secretis mysteriis clausis in illis operibus: A putà, quomodo apparuisti *Moysi* in rubo ardenti, & quomodo vocasti eum, & præcepisti, ut removeret calceamenta: & quomodo conversa est virga in colubrum, & econverso: & quomodo traxit manum leprosam de sinu. Et consideravi quod omnia ista significabant missionem Christi in mundum &c. Item consideravi duritiam *Pharaonis*, & plagas *Ægyptiis* illatas; in quibus plagis & portentis prævidi totum mysterium nostræ redemptionis.

Et quomodo *via tua* erat *in sancto*. Quasi dicat, sicut ille sanctus Angelus erat ductor illius populi, & fecit illa signa terribilia: ita Christus debebat esse ductor totius generis humani. Et debebat ipsum liberare de potestate diaboli. Nam *quis magnus sicut Deus noster*? Et conversus B apostrophat ad Christum futurum, dicens: *Tu es Deus qui facis mirabilia* majora, quam facta sunt tunc per *Moysen*. Nam sicut tunc *notam fecisti virtutem* populis Ægyptiorum, & aliorum in Mari Rubro: ita *notam* facies *virtutem tuam* in humanitate per totum orbem. Et sicut tunc *redemisti in brachio* & potentiâ tuâ *populum tuum*, scilicet, *filios Jacob*, & *Joseph*: ita redimes totum genus humanum, & totam Ecclesiam, intellectam per *Jacob* & *Joseph*.

Christus ductor generis humani.

Et notanter dicit, *filios Jacob & Joseph*: nam licèt inter *filios Jacob* intelligantur, & comprehendantur *filii Joseph*: tamen quia *filii Joseph* omnes sunt nati in Ægypto, & reputabantur nobiliores apud C Ægyptios: eò quòd descendebant à *Joseph*, qui fuerat princeps, & rector, & præfectus totius Ægypti: ideo specialiter nominat eos; & quia Ecclesia maximè figuratur per *filios Jacob*, & Christus maximè figuratur per *Joseph*, quia per fratres suos venditus, & post afflictionem exaltatus &c. sicut dictum est *Psalmo* 2.

Iterum est advertendum, quòd in illis operibus mirabilibus duæ substantiæ sunt considerandæ. Primò, *Angelus Domini* invisibilis, qui faciebat illa miracula. Secundò, *Moyses* visibilis, qui percutiebat aquas cum virga: & sic fiebant illa opera mirabilia: per hoc prævidit *Moysen*, D & *David*, quòd in Christo Redemptore debebant esse duæ naturæ: una divina invisibilis, quæ principaliter & latenter operabatur: & altera humana & visibilis, quæ instrumentaliter & visibiliter videbatur operari. Et ideo dicit: *Deus in sancto via tua*, id est, sicut *via tua*, & virtus, & ducatus erat *in sancto* Angelo invisibili, & *in sancto* Moyse visibili: ita pariter *via* nostræ redemptionis fuit in Christo *sancto* tuo, qui est sanctus sanctorum: in quo est duplex natura, scilicet, divina & humana. Per hæc ergo mysteria prævidit David totum mysterium Incarnationis, & E nostræ redemptionis factæ per mortem & passionem Christi in signis &c.

15. *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ: & timuerunt, & tarbatæ sunt abyssi.* *Exod. 17 & c. 10. à c. 7 usque ad 12.*

16. *Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.*

17. *Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.*

F 18. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est, & contremuit terra.*

IN secundo loco adducit miraculum & mysterium factum in transitu Maris Rubri. Unde sicut totus populus erat in periculo, ne caperetur & trucidaretur per *Pharaonem* & *Ægyptios*, nisi quia *Moyses* cum virga percussit aquas, & divisæ sunt aquæ, & transivit populus ad aliam partem littoris; & sic per transitum aquarum salvatus & liberatus est populus: ita pariter Christus per contactum sui corporis præbuit virtutem regenerativam aquis Baptismalibus, & per aquas Baptismales G liberavit fideles de potestate diaboli, prout fuit ibi figuratum.

Hoc ergo prævidens David in figura dicit: *O Deus* Christe, sicut tunc *viderunt te aquæ* Maris Rubri, & *viderunt te aquæ* Jordanis, *& timuerunt*, id est, quasi timentes sunt divisæ, & conversæ sunt retrorsum, & liberati sunt filii Israel, & *abyssi* aquarum *turbatæ sunt*: ita pariter, quando aquæ Baptismales *viderunt te*: *timuerunt* diaboli, *& abyssi* infernales *turbatæ sunt*: quia per Baptismum delesti peccatum, & fugasti diabolicam potestatem. Item, aquæ Maris *Galilææ timuerunt* te, quando siccis pedibus super eas H ambulasti: & mari, & fluctibus, & ventis imperasti: & *Petrum* de profundo pelagi liberasti. *Figura Baptismi.*

Item, sicut post transitum Israel fuit *multitudo sonitus aquarum*, *& nubes dederunt voces*, & tonitrua; & *sagittæ tuæ transierunt*, id est, multa fulmina, fuerunt de nubibus immissa: & *vox tonitrui tui* fuit, quasi tonitrus qui fit *in rota* & curru: & moverunt aquas, & reduxerunt eas super Ægyptios, & subverserunt eos: & sicut ibi *coruscationes tuæ illuxerunt*, & igneos radios deduxerunt *orbi terræ*, & tota *terra* tunc *commota est*: ita pariter,

ò Christe, *multitudo sonitus aquarum* tuæ sapientiæ, & *nubes*, scilicet Apostoli tui, *dederunt vocem* Euangelicam: & *sagittæ tuæ* Euangelicæ *transierunt* per totum mundum: & *vox tonitrui tui*, scilicet tuæ prædicationis, ivit per totum mundum *in rota* Euangelica, & curru Euangelico, quem quatuor Euangelistæ ducunt, & duxerunt per totum orbem. Et sic *coruscationes* Euangelicæ *illuxerunt* ex monte *Sion* in die Pentecostes toti *orbi terræ*: quia ibi Apostoli receperunt *coruscationes*, & splendorem sapientiæ, & donorum, & gratiarum: & sic prædicaverunt toti *orbi terræ*. Et sic *commota est, & contremuit* tota *terra* ad prædicationem Apostolorum: & omnia idola corruerunt, sicut corruerunt Ægyptii in Mari Rubro.

Exod.12. 19. *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur.*

SICUT ibi fuerunt viæ tuæ *in mari* Rubro, *& semitæ tuæ in aquis multis*, ut populus transiret, *& vestigia tua non* fuerunt nota: ita quando venies tu Christe in mundum, *via tua* erit *in mari*: quia siccis pedibus per mare *Galilææ* ambulabis, & etiam per mare hujus mundi: *& semitæ tuæ* erunt *in aquis* & persecutionibus *multis*: quia Apostoli tui navigabunt in hoc mare persecutionum; sed *vestigia tua non cognoscentur* in mari Galilææ, quia super aquas ambulabis: & etiam nec vestigia peccati cognoscentur in te, sicut in nobis: quia eris *inter* omnes *mortuos liber. Vestigia tua non cognoscentur*, quando intrabis mare hujus mundi: quia mysterium Incarnationis erit ineffabile & investigabile. Unde dicit *Salomon*, *Proverbiorum* 30. *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro*, scilicet, *viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia*, id est, viam Filii Dei, quando descendit de cœlo in carnem: & viam Christi, quando exivit de sepulchro: & viam conversationis Christi in mari hujus mundi: & viam Christi, quando exivit de claustro uteri Virginalis, quia nullum vestigium, aut violentiam reliquit Christus in his quatuor viis: quia absque violentia fecit Christus ista quatuor occulta & ineffabilia mysteria, scilicet, mysterium Incarnationis, & Nativitatis, & Resurrectionis, & Ascensionis, & conversationis hujus vitæ: *& vestigia* sua fuerunt mundo ignota in isto quadruplici itinere. Et sic est dicendum de cæteris mysteriis Christi & miraculis, quæ latenter divinitas operatur.

20. *Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi, & Aaron.* *Exod.12. De Conse. d.2. Quid sit.*

ULTIMO adducit ducatum per desertum, & introitum terræ promissionis. Unde dicit: sicut *deduxisti populum tuum sicut oves in manu Moysi, & Aaron* ex Ægypto per totum desertum: ita deduces populum fidelem de tenebris peccatorum & potestate diaboli: & deduces ipsum per desertum hujus mundi, & introduces in hanc Ecclesiam per gratiam, & in futuram per gloriam. Et dicit: *in manu Moysi, & Aaron*: quia per hos fuit Christus figuratus, quia dux & Sacerdos. Quia in quantum dux, sive rex, dedit Legem Euangelicam: & in quantum Sacerdos, contulit Sacramenta.

Ex quibus patet, quòd David non allegat supradicta mysteria gratiâ sui: sed assumit ea in parabolam & propositionem, in quantum erant figura nostræ redemptionis futuræ per Christum. Et sic allegat figuram pro figurato: quia sicut omnia illa non erant gratiâ sui, sed gratiâ Christi futuri; ita allegat ipsa, gratiâ & ratione figurati: quia aliter David non fuisset Propheta. Unde dupliciter est nobis Christus in Lege promissus. Uno modo per mysterium & figuram: alio modo per expressam promissionem. Et ideo non est minùs certa veritas mysterii & figuræ, quam veritas expressæ promissionis. Ideo Propheta audacter allegat figuram, tanquam veram & certam promissionem. In quibus figuris novit *mutationem dexteræ Excelsi*. Et sic David in persona totius Ecclesiæ fuit consolatus in sua angustia. Ideo nihil aliud est dicere: Tu *deduxisti sicut oves populum tuum &c.* nisi dicere: Tu Deus nobis redemptionem per illam figuram promisisti: Ideo fac quod promisisti in figura: sive, facies in veritate quod in figura significasti. *Dupliciter est Christus in Lege repromissus.*

Ex toto isto Psalmo possunt recolligi tres conclusiones principales.

Prima conclusio: quòd David contemplando omnes promissionis factas Patribus antiquis, & liberationem filiorum Israel de Ægypto, prævidit totum mysterium nostræ redemptionis.

Secunda conclusio: quòd totum mysterium nostræ redemptionis fuit *mutatio dexteræ Excelsi*: scilicet, à justitiâ in misericordiam, & ab ira in benignitatem &c.

Tertia conclusio: quòd divinitas Verbi ita latenter operabatur in illa humanitate, quòd *vestigia* Incarnationis, & nativitatis, & conversationis, & miraculorum operationis, & resurrectionis, & ascensio-

sionis fuerunt mundo ineffabilia & ignota usque ad missionem Spiritus sancti : quæ quidem mysteria, licèt sint nobis nota per fidem quoad effectum : tamen nobis sunt incomprehensibilia quoad causam, & modum.

Psalmus LXXVII.

Matth. 4. & 9. d. c. Neque.

1. *Attendite populo meus Legem meam : inclinate aurem vestram in verba oris mei.*

Titulus: *Intellectus Asaph.* In Græco autem ly *intellectus*, sive *eruditio* est genitivi casus : ut sit sensus, quòd iste est Psalmus intelligentiæ, sive eruditionis ipsi *Asaph.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum, secundùm quod fuit eruditus à Spiritu sancto, & ut erudiret nos in hoc Psalmo de his quæ ipse fuit eruditus. Et dedit ipsum cantandum & recensendum ipsi *Asaph*, & choro ejus. Unde sicut *Terentius* faciebat comœdias ; tamen dabat eas recensendas ipsi *Calliopio*, ut ipse dicit in fine cujuslibet Comœdiæ : *Valete & plaudite. Calliopius recensuit :* ita pariter David habebat tres Cantores, quos constituit ad cantandum & recensendum Psalmos, ut patet 1. *Paralipom.* Et sic *Asaph*, & *Ethan*, & filii *Core &c.* non ponuntur in Titulo Psalmorum tanquam actores Psalmorum, sed tanquam recensores, & cantores, & etiam interpretes pro populo. Ex quo patet, quòd David est actor hujus Psalmi, & *Asaph* est cantor, sive recensor. Sed persona introducta ad loquendum in hoc Psalmo, in cujus persona factus est Psalmus, est ipse Christus, ut patet *Matthæi* 13. ubi dicitur, quòd cùm locutus fuisset Jesus in parabolis &c. postea dicit : *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis : ut impleretur quod dictum erat per Prophetam : Aperiam in parabolis os meum : & eructabo abscondita à constitutione mundi.* Ex quo patet, quòd Christus loquitur in hoc Psalmo.

Materia hujus Psalmi.

Ad cujus intellectum, omnibus fabulationibus Judæorum dimissis, est advertendum secundùm *Augustinum* 17. *de Civit. cap.* 3. & 5. quòd David contemplando Sacram Scripturam, & maximè, ut legitur 1. *Reg.* 4. qualiter filii *Ephraim*, & totus populus Israel fuit victus in prælio à *Philisthæis* : qui occisis Sacerdotibus filiis *Heli* detulerunt secum Arcam Domini, & tenuerunt eam in *Accaron* & *Azoto* tunc Sacerdotium fuit translatum à filiis *Heli* in *Samuelem* ; & Arca Domini postea fuit translata per David in *Hierusalem.* Et sic tribus *Ephraim* simul perdidit Arcam & regnum sive judicium. Quæ quidem punitio venit Tribui *Ephraim*, & toti Israel propter peccatum ingratitudinis, & rebellionis, & infidelitatis. Nam cum tot beneficia à Deo recepissent, tamen fuerunt Deo ingrati, & rebelles: quia omnes montes *Ephraim* erant pleni idolis *Baalim* : quæ quidem idola prostravit postea *Samuel*, dum factus fuit judex & Sacerdos.

Not. hanc figuram.

Item considerabat postea David, qualiter propter ingratitudinem & inobedientiam translatum fuerat regnum à *Saule* ad ipsum &c. Per hanc ergo triplicem translationem, scilicet, tabernaculi, & regni, & sacerdotii, quæ facta est propter peccatum ingratitudinis, & rebellionis, & infidelitatis, prævidit David in spiritu, qualiter populus Judaicus debebat esse ingratus, & rebellis, & incredulus Christo Messiæ in adventu suo : propter quod peccatum debebat perdere locum, scilicet Templum, & sacerdotium, & regnum: & erat transferendum ad Ecclesiam ex gentibus congregandam. Et hæc est sententia *Augustini* 17. *de Civit. cap.* 4. & 5. Hoc ergo prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum : in quo introducit Christum loquentem, exhortantem & vocantem illum populum ad Legem Euangelicam, sub comminatione perdendi Templum, & sacerdotium, & regnum. Duo ergo in hoc Psalmo Propheta principaliter facit. Nam primò præmittit proœmium sive præfationem. Secundò exequitur de narratione. Ibi : *filii Ephraim.*

Quid sit proœmiu.

Quantum ad primum : quia proœmium est breviloquium quorumdam dicendorum : ideo in Prologo, sive Proœmio isto assignat quatuor causas hujus Psalmi. Nam causa efficiens est Christus loquens, in cujus persona factus est Psalmus. Causa materialis, sunt omnia mysteria veteris Testamenti, quæ hìc adducuntur. Causa formalis, est modus procedendi : quia omnia ea mysteria & gesta veteris Testamenti, quæ memorantur in hoc Psalmo, adducit per modum parabolæ & propositionis, ad inferendam aliquam magnam conclusionem in novo Testamento. Causa autem finalis, est utilitas quæ sequitur, scilicet, ut efficiat auditores bonos, & Deo obedientes & credentes.

Quatuor ergo facit in hoc Proœmio. Nam primò, assignat causam efficientem. Secundò, causam formalem. Tertiò, causam materialem. Quartò, causam finalem. Secunda ibi : *Aperiam in parabolis.* Tertia ibi : *Quanta audivimus.* Quarta ibi: *Ut cognoscat generatio altera.* Quantum ad primum, Propheta introducit Christum Messiam in Lege promissum verum Deum & hominem loquentem ad populum Judæorum in adventu suo, dicentem : *O populo attendite*, id est, attende, & attenden-

dendo audite, & intelligite, & suscipite Legem meam, quam vobis fero. Et etiam, *attendite* Legem meam veterem, & percipite eam auribus mentis & cordis: quia in ea reperietis totam Legem Euangelicam. Ex his patet, quòd iste qui hìc loquitur, est ipse Deus; quia dicit: *Attendite populo meus Legem meam*: quia Lex divina est solius ipsius Dei. Et ille populus dicitur *populus Dei.*

Lex Euangelica non est alia à Lege veteri.

Item est advertendum, ut sæpius dictum est: quòd Lex Euangelica, quam Christus tulit, non est alia secundùm essentiam à Lege veteri, sed est spiritus & veritas illius. *Joann.* 1. *Lex per Moysen data est: gratia autem & veritas per Christum facta est.* Unde vetus Testamentum nihil aliud est, nisi occultatio novi: & novum Testamentum nil aliud est, nisi manifestatio veteris, ut inquit *Augustinus.* Ideo qui vult bene attendere ad Legem veterem, & auribus eam percipere, ibi reperiet veritatem Euangelicam totam figuratam. Et ideo dicit: *Attendite populo meus legem meam &c.* & dicit: *Auribus percipite verba oris mei*: ad differentiam Legis Euangelicæ ad veterem. Nam illa data est scripta in tabulis lapideis & in charta mortua: & ista in cordibus hominum per proprium auditum. Ideo dicit: *Auribus percipite &c.* Item, illa data est per os Moysi: ista vero per os ipsius Dei, scilicet, Christi. Ideo dicit: *verba oris mei;* ad denotandum, quòd Deus Incarnatus per os suum erat laturus Legem impressam in cordibus hominum.

Dicit ergo Christus in adventu suo: *O populo meus* Israel *attendite* ad *Legem meam*, & intelligite eam: quia hæc Lex, quam vobis prædico, Lex Dei est. Quia *Moyses de me scripsit.* Totum hoc dixit Christus, *Matth.* 5. quando ascendit in montem, & declaravit Legem divinam, dicens: *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Et hoc idem patet per totum discursum Euangeliorum. In quo Deus nil aliud facit, nisi vocare populum ad Legem intelligendam, & suscipiendam veritatem Legis.

24. q. 1. c. Non afferamus.

2. *Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.*

HIC præmittit modum procedendi in hoc Psalmo, quem vult tenere, scilicet, adducere mysteria veteris Testamenti per modum parabolarum & propositionum. Quasi dicat, quòd ea quæ intendit adducere, non adducit præcisè gratiâ sui, sed per modum parabolarum & propositionum, gratiâ alterius conclusionis inferendæ de veritatibus novi Testamenti.

Ad cujus intellectum est notandum, sicut dictum est *in Prologo* hujus libri: quòd proverbium, sive parabola, non ponitur gratiâ sui, sed alterius. Nam *proverbium* dicitur *quasi pro alio verbum.* Et *parabola* dicitur à *para*, quod est *juxtà*, & *bole*, *sententia*, quasi *juxta sententiam* alterius. Item, parabola nil aliud est, nisi *propositio* alicujus rei gestæ, vel tanquam gestæ pro aliqua veritate similitudinariè exemplariter inferendâ: & sic semper ponitur pro alio. Item *propositio* secundùm *Aristotelem primo Posteriorum*, & in *Prioribus*, est *enuntiato affirmativa, aut negativa, ad inferendam conclusionem intentam.* Et ideo *propositio* non proponitur gratiâ sui, sed gratiâ conclusionis inferendæ. Et ideo quia tota Sacra Scriptura veteris Testamenti non posita est gratiâ sui, sed in quantum figurabat mysteria novi Testamenti: ideo dicuntur parabolæ & propositiones, quæ præmissæ sunt in veteri Testamento ad inferendum mysticè & propheticè conclusiones & veritates Euangelicas. Et ideo sicut totum vetus Testamentum nil aliud est, nisi quædam parabolæ & propositiones præmissæ ad inferendum & figurandum Legem Euangelicam: ita tota Lex Euangelica nil aliud est, nisi quædam veritas, & conclusiones illatæ ex mysteriis & scripturis Legis veteris. Nam sicut veritas conclusionis continetur virtualiter & confusè in propositionibus præmissis; sed post illationem patet veritas distinctè in conclusione, ut patet *primo Posteriorum*: ita veritas Euangelica continebatur virtualiter & in confuso in Lege veteri: sed post adventum Christi patuit illa veritas distinctè per Christum in Euangelio. Et sic tota Lex vetus nil aliud est nisi parabolæ & propositiones respectu Euangelii.

Quid sit proverbium, & quid parabola.

Lex vetus est parabola respectu Euangelii.

Et sic Ecclesia Catholica, & quilibet fidelis quando legit Scripturam veteris Testamenti, non legit gratiâ sui, sed ad mysterium & prophetiam, prout figurat veritates Legis Euangelicæ: aliter intelligentia veteris Legis non est vera, nec Catholica: quia veritas ejus est Euangelium. Et ideo dicit *Hieronymus in Epistola de mansionibus*: quòd omnia dicta in hoc Psalmo ponuntur tanquam propositiones & parabolæ, in quantum figurabant mysteria novi Testamenti, & sic non proponuntur gratiâ sui, sed ad sensum spiritualem.

Et hoc est quod promittit Propheta in persona Christi: quòd quicquid dicetur in hoc Psalmo de Testamento veteri, non intendit adducere gratiâ sui, sed prout sunt quædam parabolæ & propositiones. Unde ait: *Aperiam in parabolis os meum*, & *loquar propositiones ab initio*, id est, adducam omnia mysteria Sacræ Scripturæ, incipiendo ab initio exitus

II-

Iſrael de Ægypto : quia tunc incœpit iſte populus : & etiam à promiſſionibus factis ab initio ipſi *Abraham*, *Iſaac*, & *Jacob* : & ea quæ acciderunt toti populo Iſrael ſucceſſivè uſque ad David : & omnia iſta adducam tanquam parabolas & propoſitiones, ex quibus inferam intentum meum. Nam omnia iſta non ſunt gratiâ ſui, ſed parabolæ & propoſitiones reſpectu Legis Euangelicæ. Et hoc erit cauſa formalis & modus procedendi in hoc Pſalmo. A

10. diſt. Quis neſciat.

3. *Quanta audivimus & cognovimus ea, & patres noſtri narraverunt nobis.* B

Ut patet 6. Exod. per totũ.

4. *Non ſunt occultata à filiis eorum, in generatione altera.*

5. *Narrantes laudes Domini, & virtutes ejus, & mirabilia ejus quæ fecit.*

Exod. 20.

6. *Et ſuſcitavit teſtimonium in Jacob ; & legem poſuit in Iſrael.* C

HIC explicat cauſam materialem hujus Pſalmi, id eſt, materiam quam intendit adducere & loqui : quæ quidem materia dicitur materia antecedens. Et dicit, quòd intendit deducere in hoc Pſalmo omnia iſta geſta, *quanta audivimus* ſcripta in *Geneſi* & *Exodo* & quinque libris Legis, & *Joſue*, & in libro *Judicum*, & in libris *Regum*, id eſt, tanta loquar, *quanta audivimus &c.* quæ quidem geſta antiquorum *patres noſtri* annuntiaverunt nobis voce & ſcripto : quæ quidem geſta *non ſunt occultata*, nec tacita *à filiis eorum in generatione altera* : immò ipſi *narraverunt* filiis ſuis, *narrantes laudes Domini*, & beneficia, *& virtutes ejus*, & D *mirabilia quæ fecit* : quæ pro magna parte explicabuntur in hoc Pſalmo. Omnes ergo iſtas propoſitiones loquar, & adducam : & loquar etiam, quomodo Deus *ſuſcitavit* & noviter dedit illam Legem in *teſtimonium in Jacob*, *& legem poſuit*, & ordinavit, & conſtituit *in Iſrael*. Quaſi dicat, quòd illam Legem, quam dedit populo Iſrael in monte *Sinai*, dedit eam *in teſtimonium*.

Lex vetus dicitur teſtimoniũ.

Et nota, quòd Lex vetus dicitur *teſtimonium* : primò, quia fuit per Angelos teſtificata. Secundò, quia repoſita eſt in *Arca*, *in teſtimonium* contra prævaricatores, *Deuter.* 31. Tertiò, quia tota Lex vetus facit teſtimonium de Chriſto futuro. Ideo ait Salvator, *Joann.* 5. *Scrutamini* E *ſcripturas : quia ipſæ teſtimonium perhibent de me : Nam Moyſes de me ſcripſit &c. Et teſtimonium ſuſcitavit* : ad denotandum, quòd Lex præceptorum antequam eſſet lata & ſuſcitata, jam erat ſculpta & inſerta naturaliter in nobis, *ad Roman.* 2. quia omnia præcepta continentur in illa naturali Lege, ſcilicet, *quod tibi non vis, alteri ne facias &c.* dicitur autem *Lex*, quia lata & poſita, ſive poſitiva. Ideo dicit : *Legem poſuit in Iſrael* : Eccleſia Dei dicitur *Jacob*, in quantum ſurripuit primogenituram & benedictionem : & dicitur *Iſrael*, in quantum videt Deum, & eſt directa à Deo, & fortis F cum Deo.

Ut patet in Exod.

7. *Quanta mandavit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis : ut cognoſcat generatio altera.*

86. d. c. Fratrem.

8. *Filii qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt filiis ſuis :*

9. *Ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non oblivíſcantur operum* G *Dei : & mandata ejus exquirant.*

10. *Ne fiant ſicut patres eorum, generatio prava & exaſperans :*

24. q. 1 3 Ubi.

11. *Generatio quæ non direxit cor ſuum : & non eſt creditus cum Deo ſpiritus ejus.*

HIC Propheta in perſona Chriſti explicat cauſam finalem hujus Pſalmi : nam quia iſte Pſalmus dirigitur Judæis, H qui erant tempore adventus Chriſti : ut reciperent Chriſtum & Legem Euangelicam, & eam ſervarent, ne fierent rebelles & infideles ſicut patres eorum : & ne privarentur Sanctuario & Regno & Sacerdotio, ſicut fuerunt privati filii *Ephraim*, & cæteri filii Iſrael tempore *Heli* propter rebellionem & infidelitatem : ideo Propheta jam exhortatur eos in perſona Chriſti, ſive Chriſtus jam exhortabatur eos tunc per Prophetam in hoc Pſalmo, cum commination ablationis Sanctuarii, & Templi, & Regni, & Sacerdotii. Quaſi dicat, ſi vos Judæi non audieritis & receperitis Chriſtum, & Legem ejus, & obſervaveritis eam in adventu ſuo : auferetur à vobis

bis Sanctuarium, & Regnum, & Sacerdotium, sicut fuit ablata Arca à filiis *Ephraim* de *Silo*, & sacerdotium fuit A translatum à filiis *Heli* ad *Samuelem*, & regnum à *Saul* ad ipsum David. Ita pariter auferetur à vobis sanctuarium, & regnum, & sacerdotium. *Et dabitur populo Gentili facienti fructum*, *Matth.* 22. Et hæc est causa finalis hujus Psalmi, scilicet, inducere Judæos ad recipiendum Christum in adventu suo, & Legem ejus: & hoc, sub commina:ione &c. Et in hoc consistit totum argumentum hujus Psalmi.

Judæi inducuntur ad Christum suscipiendum.

Dicit ergo: *Loquar* in hoc Psalmo, & adducam in *parabolas* & propositiones tot gesta & mysteria, & tanta *quanta mandavit Deus patribus nostris*, *ea nota facere filiis suis*, *ut cognoscat generatio altera.* Hoc dicit: nam Deus mandavit B filiis Israel, quando egressi sunt de Ægypto, ut quotiescumque comederent agnum paschalem, narrarent filiis, qualiter comedebant illum agnum in memoriam liberationis de Ægypto, ut patet *Exod.* 13. dicens: *Narribisque filio tuo in die illo dicens: hoc est quod fecit mihi Dominus quando egressus sum de Ægypto &c.* Item, mandavit patribus ut memorarent filiis suis legem & cærimonias, quas à Deo acceperant, *Deuteron.* 6. & 3. dicens: *Eruntque verba hæc*, *quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo*, *& narrabis ea filiis tuis &c.* Ideo subdit Propheta: *Et filii tui qui nascentur*, scilicet, qui reperientur tempore adventus Christi, *& exurgent*, & convertentur, sicut fuerunt *Zacharias*, & *Simeon*, & C *Apostoli*, *narrabunt* omnia supradicta *filiis suis*, & demonstrabunt omnia figurata & gesta in Lege veteri esse gesta, & dicta, & figurata pro Christo: *ut* illi *ponant in Deo*, & non in mundo, nec in cærimoniis legalibus *spem suam*: sed recipiant Christum in verum Messiam; *& non obliviscantur operum Dei*, quæ Christus faciet: quæ opera nullus poterit facere, nisi esset Deus. Nam per opera poterunt cognoscere ipsum esse Deum, & ideo recipiant eum, *& exquirant* & observent *mandata ejus*, quæ mandabit in Lege Euangelica: *ne fiant* rebelles & increduli, *sicut patres eorum*, quæ fuit *generatio prava & exasperans*, id est, provocans Deum ad iram. D *Quæ* quidem *generatio non direxit cor suum* ad credendum Deo, nec ad observandam Legem ejus, *nec fuit creditus*, nec unitus *cum Deo spiritus* illius generationis; immò fuerunt semper rebelles, & increduli, & ingrati, ut patebit.

Ex supradictis patet, quòd iste qui loquitur in hoc Psalmo est Deus, per hoc quod ait: *Attendite populo meus legem meam &c.* Secundò patet, quòd sit homo, per hoc quod subdit: *Quanta audivimus & cognovimus*: &, *Quanta mandavit patribus nostris.* Et sic iste qui loquitur in hoc E Psalmo est Christus Deus & homo, qui tanquam Deus dicit: *Attendite populo meus legem meam*: & tanquam homo de semine *Abrahæ* & *Jacob*, dicit: *Quanta mandavit patribus nostris &c.* Et sic Christus est causa efficiens, qui loquitur ad populum Judaicum in adventu suo, & exhortatur, ut audiat, & recipiat Legem Euangelicam; quæ non est alia secundùm essentiam, sicut dictum est.

Nota.

Materia autem hujus Psalmi est totus discursus ab exitu Israel de Ægypto usque ad tempora David & regnum ejus, & usque ad Templum & sanctuarium. *Forma* autem est, quia omnia quæ hic nar- F rantur, adducuntur tanquam figuræ, & parabolæ, & propositiones ad inferendam & prædicendam translationem sanctuarii, & regni, & sacerdotii à Synagoga in Ecclesiam. *Causa finalis* est, ut populus Judæorum recipiat Christum & Legem ejus, ne fiant increduli, & rebelles, & ingrati, sicut patres eorum: & hoc sub comminatione supradictâ. Et ex hoc appareret vera prophetia hujus Psalmi: quæ executio hujus comminationis fuit verè impleta in illo populo, propter obstinationem eorum post adventum Christi.

12. *Filii Ephrem intendentes & mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* 1. Reg. 4.

G

13. *Non custodierunt testamentum Dei: & in lege ejus noluerunt ambulare.*

14. *Et obliti sunt beneficiorum ejus; & mirabilium ejus quæ ostendit eis.*

HIC incipit narrationem dicendorum, sicut proposuit in proœmio. Et duo facit. Nam primò memorat, & narrat in- H credulitatem, & rebellionem, & ingratitudinem illius populi. Secundò, punitionem eorum. Ibi: *Audivit Deus*, *& sprevit.* Vel possumus dicere, quòd hîc ostendere intendit causam, quare filii *Ephraim* fuerunt privati sanctuario, & Arcâ Domini, & filii *Heli* sacerdotio, & *Saul* regno. Ideo priùs assignat demerita, & causam, quæ est incredulitas, & ingratitudo, & rebellio. Secundò, describit hujusmodi privationem. Ibi: *Audivit Deus*, *& sprevit.*

Ingratitudo punitur.

Quantum ergo ad primum, dimissis diversis modis dicendi, tàm Hebræorum, quàm

quàm Catholicorum in hoc loco : eſt notandum , ut legitur 1. *Reg.* 4. *cap.* quòd cum *Heli* eſſet Judex & Sacerdos in Iſrael de genere *Aaron*: & multotiens eſſet monitus ut filios corrigeret , eò quòd tyrannizabant , & multa enormia perpetrabant, & tamen hoc fecit negligenter *Heli* : ideo propter hoc peccatum , & propter peccatum idololatriæ , quia per totum montem *Ephraim* celebrabantur *Baalim* , & *Aſtarotis* ; Deus permiſit quòd venerunt *Philiſthæi* , & congreſſi ſunt cum filiis Iſrael , quorum maxima pars erant de *Ephraim* : & victi ſunt filii *Ephraim* illa die , & reverſi ſunt fugientes ad loca ſua, cœſis ex eis quatuor millibus : quæ punitio facta eſt propter peccatum ingratitudinis , & tyrannidis , & idololatriæ : tunc filii *Ephraim* advocarunt cum eis multos ex aliis tribubus , & abſtraxerunt Arcam Domini de *Silo* ; & exierunt omnes in campum cum Arca Domini contra Philiſthæos. Sed iterum Philiſthæi congreſſi contra eos vicerunt eos , & abſtulerunt eis Arcam , & interfecerunt Sacerdotes, ſcilicet , *Ophni* & *Phinees* filios *Heli*. Et ceciderunt illa die triginta millia ex Iſrael: cæteri autem retrò terga vertentes , converſi ſunt in fugam ad loca eorum.

Et hoc eſt quod intendit hìc dicere Propheta. Nam quia ſuperiùs dicit : *Ne fiant* ingrati *ſicut patres eorum , generatio prava &c.* ſcilicet , *generatio quæ non direxit cor ſuum* ad ſervandam Legem, *nec eſt creditus cum Deo ſpiritus eorum*: & ideo fuerunt puniti , ſupple : ideo explicat hìc , qui fuerunt illi puniti propter incredulitatem & idololatriam. Et dicit, quòd fuerunt *filii Ephrem* ſive Ephraim victi in bello Philiſthinorum , de quo legitur 1. *Reg.* 4. Unde dicit : *filii Ephrem*, id eſt , filii Ephraim , cùm exirent in prælium contra Philiſthiim , *intendentes arcum* , *& mittentes* ſagittas contra Philiſthæos , victi ſunt ab eis , & *converſi ſunt* fugientes ad domos ſuas *in die belli*. Nam in primo bello cœſa ſunt quatuor millia: & in ſecundo bello cœſa ſunt triginta millia : & cœſi ſunt Sacerdotes , & capta fuit Arca : & ſic fugientes converſi ſunt ad loca ſua. Quæ quidem punitio non accidit eis , niſi ex peccato idololatriæ , & ingratitudinis , & infidelitatis : eò quòd *non cuſtodierunt teſtamentum Dei* , *& in lege ejus noluerunt ambulare*. Et in hoc fuerunt infideles , quia adorabant idola &c. Et non ſolùm fuerunt puniti propter infidelitatem , ſed etiam propter ingratitudinem : quia *obliti ſunt benefactorum* , id eſt, beneficiorum *ejus* , *& mirabilium* operum *quæ oſtendit eis* in Ægypto , & in deſerto , & in ingreſſu terræ promiſſionis , ut patet.

* *
*

Tom. I.

E 15. *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti , in campo Taneos.* *Exod. 7. & c. ſeq.*

HIC explicat beneficia , quæ oſtenderat Deus Patribus eorum. Unde quatuor facit. Nam primò dicit in genere beneficia & mirabilia , quæ fecit in Ægypto. Secundò , ea quæ ſpecialiter fecit in toto deſerto. Tertiò revertitur ſpecialiter ad narrandum mirabilia quæ fecit in Ægypto. Quartò , ea beneficia quæ fecit in terra promiſſionis. Secunda ibi : *Quotiens exacerbaverunt eum in deſerto.* Tertia ibi: *Non ſunt recordati manus ejus.* Quarta ibi : *Et induxit eos in montem ſanctificationis.* Unde in quolibet iſtorum ſimul narF rat beneficia Dei , & eorum ingratitudinem.

Quantum ad primum : quia dixit ſupra : *Obliti ſunt benefactorum &c.* nunc ſubdit , quæ ſunt illa beneficia , dicens: quia *coram patribus eorum* antiquorum *fecit mirabilia* , ſcilicet , illa decem ſigna & prodigia *in terra Ægypti* coram Pharaone. Et explicat partem Ægypti , in qua facta ſunt illa miracula : quia *in campo Taneos.* Unde eſt advertendum : quòd civitas dicta *Tanis* erat Regia *Pharaonis*, ſita in ripa orientali ipſius *Nili* , in pago, ſive campo *Taneos*. *Taneos* etiam eſt genitivus Græcus hujus nominis *Tanis*. Declinatur etiam , *hæc Tanis* : genitivus *Taneos*. Et ideo dicit , quòd *in campo Taneos* Deus *fecit* illa *mirabilia* ſigna decem plagarum *coram patribus eorum* in favoG rem Hebræorum. Quæ fuerint illa mirabilia , poſtea dicet per ſingula. *Nota de Tanis.*

16. *Interrupit mare , & perduxit eos : & ſtatuit aquas quaſi in utre.* *Exod. 14. cap.*

17. *Et deduxit eos in nube diei: & tota nocte in illuminatione ignis.* *Exod. 13.*

H HIC incipit explicare miracula & beneficia , quæ fecit Deus in itinere, omiſſis miraculis quæ fecit in Ægypto, ſed poſtea dicet , & explicabit per ſingula.

Unde ponit quinque beneficia facta in itinere : quorum eſt primum de tranſitu Maris Rubri. Unde dicit , quòd poſtquam eduxit eos de Ægypto *interrupit*, id eſt , diviſit Mare Rubrum , ſupple , *& ſtatuit aquas* , id eſt , firmavit eas ad utramque partem , *quaſi* ſtarent *in utre* contra

naturam. Nam aqua cùm ſit effuſibilis, non poteſt per ſe exiſtere niſi in aliquo vaſe duro, ut patet 1. *Meteor.* ſed ibi per ſe A ſtabat ad modum parietis contra ejus naturam.

Secundum miraculum eſt, quòd *deduxit eos in nube diei*, id eſt, in die per columnam nubis, & per totam noctem in illuminatione ignis. Nam ille Angelus, qui erat dux illius populi, per diem ibat intra nubem, & movebat illam nubem, quam ſequebatur ille populus. Et per totam noctem ibat intra flammam ignis: in quantum illa nubes ardebat de nocte ſicut flamma ignis. Et ſic ducebat illum populum per totum deſertum, ut patet *Exod.* 13. Sed quia omnia illa *contingebant illis in figura*, ut ait *Apoſtolus*, 1. *ad Corint.* 10. ideo Propheta dicit hîc, quòd omnia B iſta intendit adducere tanquam parabolas & propoſitiones, & ad myſticas concluſiones, & Euangelicas veritates inferendas, ut dictum eſt: ideo eſt dicendum, quòd concluſio & veritas hujus figuræ eſt iſta. Nam ille Angelus, qui ibat intra nubem, ſignificabat Chriſtum Verbum incarnalium, & nube carnis indutum, qui omnes fideles de tenebris peccatorum eduxit, & de poteſtate diaboli, cum ſignis & portentis, & per aquas baptiſmales traduxit & liberavit: & ſic manifeſtè figuratur myſterium Incarnationis, & noſtræ redemptionis. Nam ſicut ille Angelus latens in nube præſtabat viam illi populo: ita Verbum latens in carne præſtitit nobis ducatum per Legem Euangelicam. C

Beatus vero *Hieronymus* dicit *in Expoſitione* hujus Pſalmi, quòd per hanc nubem poſſumus intelligere *Beatam Mariam Virginem*, in qua Chriſtus per novem menſes latuit carnaliter. Et ſubdit: *Et pulchrè dicitur, in nube diei: Nam Virgo Maria nunquam in tenebris fuit, ſed ſemper in luce, nunquam in nocte, ſed ſemper in die.* Et hæc ſunt ad litteram verba *Hieronymi.* Ex quibus patet per ſententiam *Hieronymi*, quòd *Virgo Maria* nunquam fuit in originali peccato, ſed ſemper in gratiâ. Et ſic oportet, quod dicatur, quòd anima *Virginis* ſimul fuit creata & ſanctificata, & corpori infuſa, & per conſequens D corpus ſimul cum anima ſanctificatum: & ſic pro nullo tempore poteſt dici ipſam obnoxiam fuiſſe peccato.

Not. quo modo populus Judaicus cõducebatur per Angelum.

Angelus in nube Chriſtum ſignabat.

18. *Interrupit petram in eremo: & adaquavit eos velut in abyſſo multa.* *Exod.17. b*

E 19. *Et eduxit aquam de petra: & deduxit tanquam flumina aquas.*

HIC memorat tertium miraculum & beneficium. Unde legitur *Exod.* 17. quòd quando defecerunt aquæ in *Horeb*, clamavit populus ad *Moyſen* petens aquas, qui percuſſit petram *Horeb*, & fluxerunt aquæ de petra: & bibit omnis populus. Ideo ait hîc: dirupit Deus per *Moyſen petram in eremo Horeb*, *& adaquavit*, ſive potavit eos, *velut in multa abyſſo*, & magno lacu. Sed quia ſimile miraculum fecit Deus in monte *Pharan*, F ut patet *Numer.* 20. quando *Moyſes* percuſſit bis ſilicem, & fluxerunt aquæ largiſſimæ, quæ dictæ ſunt *aquæ contradictionis*: ideo ſubdit: *Et eduxit aquam de petra* in monte *Pharan*, ad aquas contradictionis, ſupple, *& eduxit aquas tanquam flumina*, id eſt, in magnam abundantiam. Sed quia iſta myſteria fuerunt figuræ, & adducuntur hîc tanquam parabolæ & propoſitiones: ideo ex primâ percuſſione petræ elicitur concluſio Euangelica: qualiter Chriſtus qui verè dicitur petra, erat in latere percutiendus: de cujus corpore debebat exire *ſanguis & aqua* in remiſsionem peccatorum, & ad conferendam virtutem Eccleſiaſticorum Sacramentorum, G ut ait *Apoſtolus*, 1. *ad Corint. Bibebant autem de ſpirituali, conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.* Per ſecundam percuſsionem petræ figurabatur, qualiter Chriſtus erat percuſſurus Sacram Scripturam veteris Teſtamenti, virgâ oris ſui, ſcilicet Spiritu ſancto, qui ab eo procedit: de qua Scriptura debebat educere aquam ſapientiæ, & veritates Euangelicas, ut potaret omnes fideles. Unde *Joannis* 4. dixit *Samaritanæ: Qui autem biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum &c.*

20. *Et appoſuerunt adhuc peccare ei: in iram excitaverunt Excelſum in inaquoſo.* *Exod.14.* H

21. *Et tentaverunt Deum in cordibus ſuis: ut peterent eſcas animabus ſuis.* *Num.11.*

22. *Et malè locuti ſunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare menſam in deſerto?* *Exod.16.*

23. *Quo-*

23. *Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes* A *inundaverunt.*

24. *Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?*

HIC memorat eorum ingratitudinem, & rebellionem, & murmurationem: quia multotiens murmurarunt contra Deum, obliti beneficia quæ fecerat eis. Nam primò murmurarunt in Mari Rubro, quando dixerunt: *Melius erat servire Ægyptiis, quàm mori in solitudine, Exod.* 14. Secundò murmurarunt in *Marath.* B Ideo dicit, quod non suffecit prima murmuratio: sed *adhuc apposuerunt*, id est, addiderunt, *peccare ei* murmurando in *Marath.* Et *in iram excitaverunt Deum Excelsum in inaquoso* loco, scilicet, in deserto, ubi non erat aqua: immò *tentaverunt in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis*, quando tentaverunt Deum in deserto *Sin*: quando dixerunt: *Utinam mortui essemus in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium &c. Exod.* 16. Item tentaverunt Deum, quando petierunt ab eo carnes, *Numeri* 11. quia tunc *malè locuti sunt de Deo*, dicentes: Ille qui dedit nobis aquam de petra, *numquid poterit parare mensam in deserto*, & dare nobis carnes?

C

Num. 11. 25. *Ideo audivit Dominus, & distulit: & ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israel.*

26. *Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus.*

AUdivit Dominus ingratitudines, & murmurationes eorum, *& distulit,* D & toleravit ad tempus, expectando correptionem. Sed quia vidit obstinationem & perseverantiam in malo; ideo *ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israel: eò quòd non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus*, quasi dolentes pro labore, & desperantes de divino auxilio, ut patet *Numeri* 11.

E 27. *Et mandavit nubibus desuper, & januas cœli aperuit.* *Exod.* 16. *Sap.* 16. *Job* 6.

28. *Et pluit illis manna ad manducandum: & panem cœli dedit eis.* *De Consec. d.* 2. *c. Revera, & c. Omnia, & de Rel. & Ven. Sanctorum, c. unico.*

29. *Panem Angelorum manducavit homo: cibaria misit eis in abundantia.*

F HIC memorat quartum beneficium: quod fuit, quando *pluit manna* super eos: ut patet *Exod.* 16. Unde ait: *Et mandavit* Dominus *nubibus desuper, & aperuit januas cœli: Et pluit illis manna ad manducandum; & dedit eis panem cœli*, de cœlo missum. Unde *homo manducavit panem Angelorum.* Et sic talia *cibaria* angelica *misit eis in abundantia*: quod fuit mirabile beneficium de se, in quantum satiavit eos, & mirabiliter sine labore. Sed adhuc fuit majus, pro eo quod figurabat, scilicet Eucharistiam, & Sacramentum altaris. Et ideo dicit: *Panem Angelorum manducavit homo.* Manifestum est etiam, quòd Angeli nunquam manducaverunt de illo manna materiali, sed manducant hodie Angeli in illa superna fruitione, de illo pane, quem significabat & figurabat illud manna, quem nos manducamus sacramentaliter in hac Ecclesia. Sed G Angeli & Beati fruuntur eo in patria cœlesti. Et hæc conclusio est veritas Euangelica ex illa parabola & propositione, sive figura illata. Judæi autem glossant ly *Panem Angelorum*, id est, manibus Angelorum formatum.

30. *Transtulit Austrum de cœlo: & induxit in virtute sua Africum.* *Num.* 11.

H 31. *Et pluit super eos sicut pulverem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata.*

32. *Et ceciderunt in medio castrorum eorum, & circa tabernacula eorum.* *Ibidem.*

33. *Et manducaverunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo.* A

HIC memorat quintum miraculum & beneficium, scilicet, quando *pluit* eis coturnices in cibum. Ut habetur *Numer.* 11. Ad cujus intellectum est advertendum, quòd in *Africa est* copia illarum avium, scilicet, *coturnicum*, quas communiter ventus Australis pellit versus Aquilonem: & hoc explicat hîc, cum dicit: quòd Deus *transtulit Austrum*, id est, ventum Australem de cœlo, *& induxit Africum* qui tenet medium inter Australem & Occidentalem. Et hoc fecit Deus miraculosè in *virtute sua. Et pluit super eos carnes* illarum avium spissas, *sicut pulverem; & pluit super eos volatilia pennata sicut arenam maris* in magna multitudine. *Et ceciderunt in medio castrorum eorum, & juxta tabernacula eorum*: ita quòd absque labore unusquisque ad libitum capiebat. *Et* sic *manducaverunt &c.* Littera est plana. B

Num. 11. 34. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos.*

35. *Et occidit pingues eorum, & electos Israel impedivit.* C

HIC explicat punitionem eorum propter ingratitudinem. Unde dicit, quòd *adhuc escæ erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues*, id est, majores, & ditiores *eorum*, & incurvavit *electos* & majores *Israel.* Unde vocatus est locus ille, *sepulchra concupiscentiæ.* Ibi etiam sepelierunt populum qui desideraverat carnes, ut patet *Numer.* 11. Unde per illud mysterium fuit figuratus præsens status modernorum Judæorum post adventum Christi: qui propter cærimonias & cibos corporales contempserunt Christum & Ecclesiastica Sacramenta, & escas spirituales. Ideo *ira Dei descendit super eos*: quia destructa est eorum Civitas & Regnum, & vagantur dispersi per mundum. D

Figura status Judæorũ modernorũ.

Unde si volumus contemplari totum hoc mysterium, fuit impletum in eis per Christum. Nam Christus veniens in carne prædicavit aquam sapientiæ, & cibum spiritualem Legis Euangelicæ. Et saturavit in deserto primò quatuor millia ex septem panibus & paucis piscibus. Secundò satiavit quinque millia hominum, præter pueros & mulieres, ex quinque panibus, & E duobus piscibus. *Joann.* 6. & ipsi increduli semper voluerunt eum tentare. Et ideo dixit eis: *Operamini cibum qui non perit*: exhortando eos ad panem spiritualem Eucharistiæ: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*, ut patet *Joann.* 6. sed ipsi tanquam carnales contemnentes hunc panem, dixerunt: *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Tamen Christus prognosticavit eis futuram iram & punitionem, allegando hanc figuram de patribus eorum mortuis in deserto &c. ut patet per totam illam disputationem factam contra Judæos, *Joann.* 6. quia ita propriè accidit Judæis incredulis. Nam post quadraginta annos post passionem Christi, cùm essent in magnis conviviis, & concupiscentiis epularum in die F Paschæ, fuerunt obsessi per *Titum* & exercitum Romanorum. Et sic civitas fuit diruta, & Templum incensum, & magna pars eorum fuerunt trucidati, & cæteri captivi. Unde *Hierusalem* potuit dici *sepulchrum concupiscentiæ*: quæ punitio accidit Judæis ex ingratitudine & infidelitate, sicut accidit patribus eorum in deserto.

36. *In omnibus his peccaverunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus ejus.* *26. q. 5. Episcopi.*

37. *Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione.* G *De Pœn. d. 5. Consideret.*

HIC assignat causam hujus punitionis, scilicet, quia ira Dei *occidit pingues eorum.* Cujus causa fuit ingratitudo, & infidelitas. Ideo dicit, quòd filii Israel *in omnibus his* beneficiis receptis *peccaverunt.* Nam sicut debebant magis moveri ad credendum propter supradicta miracula & beneficia: tamen ipsi magis fuerunt ingrati & increduli. Nam *in omnibus his* miraculis *adhuc peccaverunt, & non crediderunt in mirabilibus ejus.* Unde nota quod legitur *Numer.* 13. quòd postquam populus recessit à *sepulchris concupiscentiæ*, H venit in *Asion Gaber*, qui est in deserto *Pharan.* Et exinde misit *Moyses* 12. exploratores ut considerarent totam terram promissam. Quibus abeuntibus, populus venit in *Cades*: & dum esset populus ibi, reversi sunt exploratores qui retulerunt populo ea quæ viderant, scilicet, qualiter illa terra erat amœna, & fertilis, sed difficilis ad acquirendum propter ferocitatem & potentiam habitatorum, & fortitudinem civitatum & oppidorum. Et quo-

Exploratores à Moyse missi.

modo

modo gigantes habitabant illam terram devorantes incolas ſuos.

Tunc populus fuit in tantum perterritus, quòd conjuratione factâ tentarunt conſtituere ducem, qui reduceret eos in Ægyptum: niſi præter *Caleb*, & *Joſue*, qui ſe interpoſuerunt, perſuadentes eis contrarium: immò animarunt eos ad aggrediendum inceptum. Unde tunc Deus voluit totaliter eos delere: niſi quòd *Moyſes* oravit pro eis. Sed Deus promulgavit eis talem ſententiam cum triplici punitione: primò, quòd nullus eorum qui egreſſi fuerant de Ægypto à viginti annis ultrà, intrarent terram promiſſam, poſtquam ſe indignos fecerant, volentes retrocedere. Secundò: quòd omnes illi rebelles morerentur in deſerto, & cadavera eorum ibi ſepelirentur ſine honore. Tertiò: quòd ſicut exploratores tardarunt quadraginta dies in conſiderando terram promiſſionis: ita iſti vagarentur quadraginta annis per deſertum: & ſic dedit eis annum pro die, ut patet, *Numeri* 14. Et ſic fuit ira Dei mitigata. Ideo dicit: *In omnibus his* beneficiis *adhuc peccaverunt* iterum in *Cades*: *& non crediderunt in mirabilibus ejus*, contemnentes terram promiſſionis, & volentes reverti in Ægyptum. Et ſic *defecerunt*, & finierunt *dies eorum in vanitate*, id eſt, in vanum vagantes & errantes per deſertum triginta octo annis, & ultra: *& anni eorum* & vita fuit *cum feſtinatione*: quia multi eorum mortui ſunt ante tempus cum *Dathan* & *Abiron*, *Numeri* 16. & per ſerpentes ignitos, *Numeri* 21. & in peccato *Beelphegor*, ubi occiſi ſunt viginti tria millia, *Numeri* 25.

Antiqui ſepeliri in terra promiſſionis deſiderabant.

Nota, quòd cauſa quare fuit antiquis patribus tanta cupiditas ſepeliendi in terra promiſſionis, fuit hæc: quia revelatum fuit *Abrahæ*, *Iſaac*, & *Jacob*, qualiter Chriſtus ibidem erat moriturus, & ſepeliendus, & reſurrecturus. Ideo deſiderantes cum eo reſurgere voluerunt cum uxoribus & filiis ibidem ſepeliri. Ideo Joſeph impoſuit filiis Iſrael, ut ſecum deferrent oſſa ſua in receſſu ſuo de Ægypto, & ſepelirent cum patribus ſuis in terra promiſſa, ut patet *Geneſ. ultimo*. Ex his patet, quòd magna punitio fuit rebellibus illius populi, quando Deus privavit eos ſepulturâ terræ promiſſionis. Nam per hoc denotabatur, quod privabat eos glorioſa cum Chriſto reſurrectione: & non ſolùm eos, ſed ſequaces eorum: quia contempſerunt verum ducem Chriſtum, & veram terram viventium, quam Chriſtus promiſit, & voluerunt retroverti in Ægyptum ad tenebras peccati, & umbram cærimoniarum legalium, & ad captivitatem *Pharaonis*, de qua Chriſtus nos liberavit. Ideo nunquam intrabunt in terram viventium, nec in requiem Domini, nec reſurgent cum Chriſto, nec in judicio in concilio juſtorum: immò cadavera eorum, id eſt, animæ cum corpore paſsibili ſepelientur in deſerto inferni. Et hæc eſt concluſio, & veritas Euangelica ſupradictæ figuræ.

38. *Cùm occiderent eos, quærebant eum: & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* *Num. 16.*

39. *Et rememorati ſunt quia Deus adjutor eſt eorum: & Deus excelſus redemptor eorum eſt.* *Exod. 14.*

HIC ponit falſam pœnitentiam eorum. Nam cum viderent iram Domini in punitione *Dathan* & *Abiron*, & in ſerpentibus ignitis: tunc *cùm occiderent eos* ſerpentes, vel inimici; tunc pœnitentiam fingentes, *revertebantur* ad eum, non virtutis amore, ſed formidine pœnæ: & ſic *quærebant eum*. Et quare? quia recordabantur, qualiter Deus adjutor eorum fuit contra *Amalec*, *& redemptor eorum*, quando in manu potenti eduxerat eos de poteſtate *Pharaonis*. Et ſic promiſerunt *Moyſi*, quòd amplius non eſſent rebelles: immò rogaverunt, ut oraret pro eis, ne occideret eos.

40. *Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei.* *Extra de Voto, cap. Magne.*

41. *Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus.* *De Pœn. d. 1. Serpens.*

42. *Ipſe autem eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum: & non diſperdet eos.* *Et 93. d. c. Diaconi.*

43. *Et abundavit ut averteret iram ſuam: & non accendit omnem iram ſuam.* *De Pœn. diſt. 1. §. Hoc idē.*

44. *Et recordatus eſt quia caro ſunt: ſpiritus vadens, & non rediens.*

DIlexerunt *Deum in ore ſuo*, ſed non in corde: & ideo *lingua ſua mentiti ſunt ei*: confitentes ipſum redemptorem, & promittentes ipſi corrigi: *ſed cor eorum non erat rectum cum eo*, id eſt, erga eum, immò duplum, & obliquum,

&

& obstinatum, desiderantes reverti in Ægyptum. Et ideo *non fideles habiti sunt in testamento ejus*: quia non impleverunt quod promiserunt sub multis maledictionibus, *Deuteron. per totum*, nec ea quæ promiserunt, *Numer.* 14. quia plures rebelliones & peccata commiserunt, putà, conjurationem *Dathan*, & *Abiron*, & jurgium ad aquas contradictionis: & quando *initiati sunt Beelphegor &c. Ipse autem* Dominus noluit eos punire secundùm eorum demerita, totaliter delendo, immò cum misericordia: quia *non* solum *disperdidit eos* totaliter, nisi solum principales. Ideo fuit *propitius peccatis eorum*: quia *non* totaliter *disperdidit eos*: immò *abundavit* misericordia sua *ut averteret iram suam*: quia *non accendit omnem iram suam* contra eos, prout merebantur. Et hoc fecit Deus, quia *recordatus est quia caro*, id est, carnales & fragiles *sunt*: & *spiritus* hominis est *vadens*, *& non rediens*, id est, per se cadens: tamen non per se surgens: quia homo cito cadit in peccatum propter concupiscentiam inflictam: tamen per se non potest surgere sine gratiâ. Et ideo Deus noluit eos totaliter delere, expectans eorum pœnitentiam & correctionem.

Num.20. c.& Exod. 16.

45. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram concitaverunt eum in inaquoso?*

46. *Et conversi sunt, & tentaverunt Deum, & sanctum Israel exacerbaverunt.*

NOTA, quòd per illos triginta octo annos, quibus filii Israel erraverunt per desertum, postquam recesserunt de *Cades* per sententiam Domini, usquequò reversi sunt in *Cades*, anno quadragesimo, ut patet *Numer.* 20. multas rebelliones & peccata commiserunt, quæ non sunt scripta per *Moysen*: quæ quidem peccata implicitè memorat hîc Propheta, dicens: Ah! *quoties exacerbaverunt*, & amaricaverunt *Deum* ad iram provocantes *in* illo *deserto*! Et *quoties concitaverunt* ipsum *ad iram in* illo *deserto inaquoso*? scilicet, sicco sine aqua. *Et quoties conversi sunt* promittentes falsam pœnitentiam? *Et quoties tentaverunt Deum*, *& exacerbaverunt sanctum Israel* per illos triginta octo annos? Quasi dicat, multotiens; immò totiens, quod longum esset enarrare. Ideo *Moyses* nil, vel parum scripsit de gestis in deserto per illos triginta octo annos, quibus erraverunt per desertum, postquam recesserunt de *Cades*, usquequò reversi sunt in idem desertum anno quadragesimo, de qua reversione habetur *Numer.* 20.

47. *Non sunt recordati manus ejus, die qua redemit eos de manu tribulantis,* *Exod.12.*

48. *Sicut posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.* *Exod. 7. & c. seq.*

HIC Propheta revertitur ad narrandum beneficia & mirabilia, quæ facta sunt in Ægypto. Et ideo utitur modo poetico. Nam per quamdam anticipationem priùs narravit ea quæ facta sunt in itinere post exitum de Ægypto: quem modum multotiens tenent poetæ. Ita etiam facit *Virgilius*. Nam *in primo Æneidos* narrat naufragium *Æneæ*. Quod factum fuit post recessum de *Sicilia*, & post mortem *Anchisæ*: sed *in secundo* occasionaliter narrat excidium *Trojæ*, quod antè factum fuerat. Ita pariter hîc Propheta, captâ occasione de ingratitudine filiorum Israel in illo deserto, dicit: quòd maximè fuerunt ingrati Deo, tot rebelliones, & scelera committendo: quia *non fuerunt recordati manus*, & potentiæ Dei, in *die qua redemit eos de manu Pharaonis* eos *tribulantis* in Ægypto, qui eos cogebat ad onera portanda, & lateres faciendos &c. Et *non sunt recordati*, *sicut*: id est, *quomodo* Deus *posuit signa sua in Ægypto*, *& prodigia sua in campo Taneos*, sicut supra dictum est: id est, in pago & territorio *Taneos*, & in terra *Gessen*, ubi habitabant filii Israel. Et dicuntur *signa*, in quantum aliquid significabant: & *prodigia*, in quantum aliquid portendebant & prodebant: quia per illa signa & decem plagas, poterant Ægyptii cognoscere Dei omnipotentiam.

49. *Et convertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent.* *Exo.7.d.*

50. *Misit in eos cœnomyiam, & comedit eos: ranam, & disperdidit eos.* *Infrà 104. d.*

51. *Et dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ.* *Exo.8.& 27.d.cap. Eligimus.*

52. *Et*

52. *Et occidit in grandine vineas* A *eorum, & moros eorum in pruina.*

Exod. 9. 53. *Et tradidit grandini jumenta eorum, & possessionem eorum igni.*

Et 1. q. c. Ecclesia, §. Itē peccato Ægyptiorum. 54. *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos.* B

55. *Viam fecit semitæ iræ suæ, & non pepercit à morte animabus eorum: & jumenta eorum in morte conclusit.*

Exod. 12. infra 134 & c. 35. 56. *Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.* C

HIC incipit enumerare illa signa, licèt non eodem ordine quo facta fuerunt, ut patet *Exod. cap.* 7. usque ad *duodecimum.* Quorum signorum primum ponit, quando *convertit in sanguinem flumina eorum*, scilicet, Ægyptiorum; & *convertit* etiam omnes *imbres* & pluvias *eorum in sanguinem, ne biberent*, id est, ne bibere possent. Secundum signum, quando *misit cœnomyiam*, id est, muscam caninam, & *comedit eos.* Tertiò, *misit* etiam *ranam*, id est, copiam ranarum, *quæ disperdidit eos.* Quartò, *dedit fructus eorum ærugini* comedendos: & *occidit* & destruxit *vineas eorum in grandine.* Punitiones Ægyptiorum. Sextò, destruxit *moros eorum in pruina* D & frigore. Septimò, *tradidit jumenta eorum grandini*, id est, lapidi grosso, ex aqua congelato: & *tradidit* omnem *possessionem igni*, sicut quandoque solet ventus occidentalis calidissimus urere arbores & vineas. Octavò, *misit in eos iram indignationis suæ*, scilicet, *indignationem, & iram, & tribulationem*, quæ sunt *immissiones* factæ *per Angelos malos*, scilicet dæmones ex divino nutu aut permissione, in punitionem rebellium & pravorum. Item Dominus *fecit viam iræ suæ*, id est, non continuit iram suam: immò dedit *viam*, ut exerceretur contra Ægyptios; & *non pepercit*, nec cessavit *à morte* animarum, id est, animalium eorum, scilicet boum, & ovium &c. E immò *concluſit jumenta eorum in morte*: quia misit in eis pestilentiam & morbum mortiferum. Decimò, *percussit omne primogenitum in terra Ægypti* ab homine usque ad pecus, & omnes *primitias laboris eorum*, id est, gregum, & armentorum *in tabernaculis Cham*, id est, Ægyptiorum, filiorum *Mesraim* filii *Cham.* Sed omnia ista decem signa important in se maxima mysteria, de quibus forsan alibi dicetur: quia hîc breviter adducuntur, ad ostendendam ingratitudinem illius populi, pro quo Deus tot & tanta fecerat: cùm ipse semper fuerit ingratus & rebellis, F non recordatus tot beneficiorum sibi à Deo exhibitorum. Ideo sequitur:

Exod. 12. 57. *Et abstulit sicut oves populum suum: & perduxit eos tanquam gregem in deserto.*

2. q. 7. c. Testes, §. Christus. 58. *Et eduxit eos in spe, & non timuerunt: & inimicos eorum operuit mare.*

G NON Deus solum fecit illa signa contra Ægyptios pro eis: sed etiam *abstulit populum suum* ab Ægypto, *sicut oves* aufert pastor à lupo; *& perduxit eos Deus tanquam gregem in deserto*, id est, sicut pastor ducit gregem præbendo pastum. *Et eduxit eos in spe* terræ promissionis possidendæ; *& non timuerunt* Ægyptios *inimicos*: immò eos *operuit mare* Rubrum cum curribus & equitibus. *Nec timuerunt* Amalecitas, & cæteros inimicos: quia Deus semper liberavit eos ab eis usque ad introitum terræ promissæ. Ex hac figura, & parabola, & propositione elicitur, qualiter Christus debebat liberare totum genus humanum de potestate diaboli cum signis & prodigiis, sicut petivit in sua passione & resurrectione: quia H terræmotus factus est magnus, tàm in passione, quàm in resurrectione: cum educeret patres de Limbo inferni, & confregit portas æreas, & vectes ferreos &c.

Num. 34. 59. *Et induxit eos in montem sanctificationis suæ: montem, quem acquisivit dextera ejus.*

Num. 32. 60. *Et ejecit à facie eorum Gentes: & sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.*

61. *Et*

Josue 6.

61. *Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.* A

HIC narrat beneficia quæ fecit eis Deus in terra promissionis. Unde dicit: *Et induxit eos in montem sanctificationis*, id est, in terram promissam, quæ tota est montuosa; quæ dicta est *mons sanctificationis*, eò quòd fuit ad cultum divinum, & ad sacrificandum Deo dedicata; & per Christi præsentiam, & passionem, & resurrectionem erat consecranda: & magnis miraculis fuit illa terra acquisita, ut patet per totum discursum *libri Josue*. Unde per hoc significatur, qualiter Christus debebat nos introducere in hanc Ecclesiam per gratiam, & in supernam per gloriam: quæ quidem Ecclesia à solis ortu usque B ad occasum virtute nominis Jesu in sanguine martyrum acquisita est.

Item sequitur: *Et ejecit Gentes à facie eorum*: quia primò ejecit *Amorrhæos*, & etiam habitatores *Basan*, ultra Jordadanem. Secundò, citra Jordanem delevit *Jericho*, & postea omnes habitatores *Chanaam* cum regibus suis. *Et divisit terram* Nota. sorte & *funiculo distributionis* omnibus undecim tribubus. *Et fecit habitare tribus Israel in tabernaculis eorum*, scilicet Chananæorum: ut patet per totum discursum *Josue*. Et per hoc fuit figuratum, qualiter totus mundus erat venturus ad fidem Christi. Et erat distribuendus duodecim Apostolis. Nam sicut illi duodecim Patriarchæ multiplicarunt illum populum per C generationem carnalem: ita duodecim Apostoli Christi multiplicarunt populum Gentilem per regenerationem baptismalem per totum orbem.

Judicum. 1. 2. & 3.

62. *Et tentaverunt, & exacerbaverunt Deum excelsum: & testimonia ejus non custodierunt.*

Deut. 28.

63. *Et averterunt se, & non servaverunt pactum: quemadmodum patres eorum, conversi* D *sunt in arcum pravum.*

64. *In iram concitaverunt eum in collibus suis: & in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.*

HIC memorat ingratitudines, & sacrilegia quæ commiserunt in terra promissionis. Nam ut legitur *Judic.* 1. & 2. & 3. post mortem *Josue*, filii Israel non E deleverunt totaliter *Chananæos*, nec aras Idolorum, sicut Dominus præceperat: sed cupiditate lucri eos tributarios fecerunt, & inter eos habitare permiserunt. Et sic obliti beneficiorum Dei, opera eorum didicerunt: & *Baalim* & *Astarot* adoraverunt *in collibus*, & montibus *suis*. Et sic iratus Dominus contra eos, in manus inimicorum multotiens in servitutem tradidit eos. Et per tredecim Judices liberavit: sed quia sæpius recidivabant, & puniebantur: ideo quasi ad nihilum redacti sunt, usquequò perdiderunt Arcam.

Et hoc est quod dicit hîc Propheta, quòd isti ingrati post tot beneficia recepta *tentaverunt Deum*, *& exacerbaverunt eum*, quærentes auxilium à diis alienis. Et sic *testimonia ejus*, id est, testa- F mentum datum, & positum in testimonium contra prævaricatores in Arca Domini *non custodierunt*: quod testamentum promiserunt servare sub multiplici maledictione, ut patet *Deuter.* 28. immò *averterunt se* à via recta, & à promisso, *& non servarunt pactum*, sed *conversi sunt in arcum pravum*, *quemadmodum patres eorum.* Nam sicut arcus jam induratus non potest flecti ad aliam partem: & si violenter flectatur ad tempus, si dimittatur, in se illico revertitur ad suam naturam: ita illi pravi & filii pravorum, licèt quandoque reverterentur ad Deum, quando flagellabantur: tamen illico cùm dimittebat eos flagellum, revertebantur ad idololatriam, & alia enormia & consueta scelera, *sicut patres eorum.* Et sic *concitaverunt* G multotiens *Deum in iram*, immolando idolis *in collibus* & montibus *suis*. *Et provocarunt Deum ad æmulationem*, & punitionem, & zelum vindictæ *in sculptilibus*, & idolis *suis*, propter ingratitudinem & sacrilegia sua: quia per omnes montes & colles *Ephraim* habebant idola &c. quæ postea delevit *Samuel*, ut patet 1. *Reg.* 7.

24. q. ult. c. De illis.

65. *Audivit Deus, & sprevit: & ad nihilum redegit valdè Israel.* H

HÆC est secunda pars principalis, in qua memorat punitionem illius populi, in hoc Psalmo figurativè principaliter intentam: quam punitionem incœperat narrare superius in illo versu, scilicet: *Filii Ephrem intendentes & mittentes arcum &c.* sed quia interposuit magnam digressionem de beneficiis collatis illi populo, & multiplici ingratitudine commissâ: ideo hîc revertitur ad punitionem principaliter in figura intentam: quæ fuit translatio Arcæ ab *Ephraim* in *Hierusa-*

lem:

lem : & translatio ſacerdotii à filiis *Heli* in *Samuelem* : & translatio regni à *Saule* in *David*.

Dicit ergo : *Audivit* , id eſt , novit, *Dominus* , ſupradicta ſacrilegia , & ingratitudines : *&* ſic *ſprevit* eos , abdicando à ſua tutela & auxilio : *&* quaſi *valdè ad nihilum redegit* populum *Iſrael* : quia rredecim vicibus fuerant dati in ſervitutem, & iterum liberati : ſed finaliter fuerunt redacti quaſi in nihilum , cùm perdiderunt primò quatuor millia hominum. Secundò cœſa ſunt triginta millia & cœſi ſunt Sacerdotes , & Arca fuit ablata. Ideo ſequitur:

Ut patet Joſue per totum.

66. *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum , ubi habitavit in hominibus.*

NAM à tempore *Joſue* uſque ad illud tempus *Arca* Domini fuerat repoſita in *Silo* , quæ eſt civitas ſita in monte & ſorte *Ephraim*. Ideo tribus *Ephraim* ſe nobiliorem putabat , non ſolum quia erat copioſior inter cæteras : ſed quia poſſidebat Arcam Domini , quo omnes filii Iſrael conveniebant ad adorandum & ſacrificandum &c. ſed Dominus iratus , *repulit* , & repudiavit , & amovit *tabernaculum* ipſius *Silo* : quia noluit ut in illo tabernaculo Arca remaneret , propter indignitatem incolarum & habitatorum: quia non erant digni , ut Arca Domini inter eos maneret : *tabernaculum* , dico , ubi Dominus exiſtens in Arca habitavit in hominibus & filiis *Ephraim* à tempore *Joſue* , uſque ad illud tempus , quo fuit eis ablata Arca : & dicebatur Dominus *habitare ibi* : quia ex Arca illa dabat Dominus reſponſa : & quia in illa *Arca* erant *tabulæ* mandatorum , & *virga Aaron* , & *urna mannæ* , & *liber Deuteronomii* , in teſtimonium contra prævaricatores legis. Et dicebatur *Arca fœderis* , quo ſe obligaverat ille populus. *Repulit ergo* Dominus *tabernaculum Silo* : quia inde traxit Arcam , & tradidit eam in manus infidelium.

Dominus habitabat in Arca.

Hæc patent ſatis in libris Reg. quaſi per totum, & in lib. Judic.

67. *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum : & pulchritudinem eorum in manus inimici.*

68. *Et concluſit in gladio populum ſuum : & hæreditatem ſuam ſprevit.*

69. *Juvenes eorum comedit ignis: & virgines eorum non ſunt lamentatæ.*

70. *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt : & viduæ eorum non plorabantur.*

ET *tradidit* etiam *pulchritudinem* & nobilitatem *eorum* , ſcilicet *Ephraim*, & *Iſrael* , *in captivitatem* , *& in manus inimici* , ſcilicet , populi Philiſthinorum: *tradidit* enim *virtutem eorum* , id eſt , totam potentiam : & *pulchritudinem* , id eſt, divitias & mulieres. *Et concluſit* , id eſt, totaliter perdidit , *populum ſuum in gladio* : *&* totam *hæreditatem ſuam ſprevit*, id eſt , deſtituit. Nam poſtquam occiſa ſunt in bello triginta millia , intrarunt per civitates , & incenderunt eas igni. Ideo ſequitur : *Juvenes eorum comedit ignis* cum tota ſubſtantia , *& virgines eorum non ſunt lamentatæ* , id eſt , non fuit factus pro eis fletus conſuetus , & lamentatio quæ ſolebat fieri pro virginibus. Nam quando aliqua virgo moriebatur ſine prole : tunc parentes ejus , & conſaguineæ deflebant ejus virginitatem quadraginta diebus : ſed in illo miſerabili excidio non potuit talis lamentatio fieri , nec obſervari : quia omnes perierunt , nec remanſerunt aliæ virgines & amicæ , quæ cæteras virgines mortuas deflerent. Item , *Sacerdotes eorum* , ſcilicet *Ophni* , & *Phinees* , & cæteri portantes Arcam , *in gladio ceciderunt* : *& viduæ eorum non plorabantur*, id eſt , *non plorarunt* , ut habet littera *Hieronymi*. Nam hoc verbum poteſt eſſe deponens , vel ponitur etiam paſſivè. Nam non ſolùm mortui fuerunt viri in prælio: ſed etiam viduæ , & uxores aliquorum fuerunt incenſæ cum civitatibus : licèt uxor unius iſtorum Sacerdotum , ſcilicet , *Phinees* ipſi , ſuperfuit , & peperit poſt mortem viri , ut patet 1. *Reg.* 4.

Virgines plorabantur.

71. *Et excitatus eſt tanquam dormiens Dominus , tanquam potens crapulatus à vino.*

1. Reg. 5. b

72. *Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora : opprobrium ſempiternum dedit illis.*

HIC deſcribit punitionem infidelium Arcam diferentium. Nam licèt Deus permittat quandoque , templa ſua per infideles profanari propter peccata populi:

tamen finaliter non impunè evadunt infideles, tales profanationes & sacrilegia perpetrantes. Unde legitur 1. *Reg.* 5. quòd A postquam Philisthæi posuerunt Arcam Domini in Templo *Dagon*, per tres vices invenerunt idolum *Dagon* prostratum ante Arcam Domini, & finaliter comminutum: & Deus percussit omnes Philisthæos turpi infirmitate in posteriora: & habito consilio, reddiderunt, & remiserunt Arcam cum donis & muneribus, ut patet ibidem. Et ideo dicit, quòd *Dominus Deus*, qui supradicta permiserat; tamen finaliter *excitatus est velut dormientes*, & *tanquam crapulatus*: quia videbatur dormire, sicut homo *crapulatus à vino*: sic Deus erat *quasi dormiens*, contemnens eos, & *quasi crapulatus* ex ira propter scelera populi sui: sed finaliter *excitatus, percussit inimicos suos* Philisthæos *in posteriora* & *opprobrium sempiternum dedit eis*: quia emittebant fluxum sanguinis per posteriora, B ad modum menstrui mulierum, quæ dicitur *hemorrhoica* ægritudo: & sic fuerunt coacti remittere Arcam Domini ad filios Israel.

73. *Et repulit tabernaculum Joseph: & tribum Ephraim non elegit.*

Judic. 7. 74. *Sed elegit tribum Juda, montem Sion quem dilexit.*

1. Reg. 7. 75. *Et ædificavit sicut unicornis sanctificium suum in terra, quam* C *fundavit in sæcula.*

2. Reg. 6. 76. *Et elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum,*

1. Re. 17. c. 77. *Pascere Jacob servum suum, & Israel hæreditatem suam.* D

78. *Et pavit eos in innocentia cordis sui: & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.*

FACTA punitione hîc describit translationem Sanctuarii & Regni ab *Ephraim* in *tribum Juda*. Nam reprobato *Ephraim*, qui non fuit dignus Regno, nec Sanctuario, Deus *elegit tribum Juda*; ad Sanctuarium & Regnum. Nam *elegit Hierusalem*, quæ est in sorte *Juda*, E in qua construeretur tabernaculum & Templum, in quo reponeretur Arca, & fierent sacrificia &c. Et finaliter reprobato *Saule*, *elegit David* in regem: & sic facta est translatio sanctuarii & regni ad *tribum Juda*. Unde licèt hîc non explicet translationem sacerdotii respectu termini *ad quem*: tamen memorat ipsam quoad terminum *à quo*. Nam dicit, quòd Sacerdotes eorum, scilicet, *Ophni* & *Phinees* filii *Heli*, *in gladio perierunt* & ceciderunt. Et sic translatum est sacerdotium ad *Samuelem*, ut patet 1. *Reg.* 7. Et sic memoratur hîc triplex translatio, scilicet, *sanctuarii*, & *regni*, & *sacerdotii*: quam triplicem translationem principaliter in hoc Psalmo Propheta intendit.

F Dicit ergo: *Et* Dominus *repulit* & reprobavit *tabernaculum Joseph*, id est, à tribu *Ephraim* filii *Joseph*: quia inde translata & ablata est Arca Domini, & ducta in *Azotum*, & ab *Azoto* remissa in *Bethsames*, & à *Bethsame* in *Gabaa*. Et sic videtur, quòd Dominus non *elegit tribum Ephraim*, nec pro Sanctuario nec pro Regno, licèt illa tribus semper anhelaret ad regnum: quia se putabat nobiliorem, propter *Joseph* patrem suum, qui rexerat totam *Ægyptum*; & ratione cujus pater & omnes fratres fuerant honorati apud *Pharaonem*: ideo semper aspirabant ad regnum: & etiam propter *Josue*, qui fuerat de illa tribu. Et tamen propter superbiam, & ingratitudinem, & idololatriam Deus *repulit tribum Ephraim*, G quoad sanctuarium & regnum: *sed elegit tribum Juda*, scilicet, *montem Sion*, qui est Hierusalem, in quo voluit sibi tabernaculum fieri. Nam primò David deduxit Arcam de *Gabaa*, de domo *Aminadab* in *Hierusalem*: & reposuit eam in tabernaculo quod tetenderat juxta domum suam, ut patet 2. *Reg.* 6. *Et* postea *ædificavit sanctificium*, id est, sanctum ædificium suum, id est, Templum per *Salomonem*, ubi sancta fiebant & celebrabantur. Et *elegit* hoc Templum in *sanctificium*, *sicut unicornis*. Nam sicut *unicornis* eligit sibi unicum antrum, & non permittit, nec H patitur habitare secum aliquod animal in illo antro: ita Deus *elegit Hierusalem*, & illud Templum, in quo semper habitabat Deus in Arca, sedens super duo Cherubim. Et nunquam permisit alium Deum habitare ibidem secum. Et sic ædificavit illud Templum pro se in terra *Hierusalem*, & *Juda*, *quam fundavit in sæcula* pro se. Et sic patet, quomodo *elegit tribum Juda* pro suo Sanctuario, in quo disposuit cultum divinum, quod nullibi erat licitum fieri nisi in *Hierusalem*, & in illo Templo.

Et etiam ex illa tribu *elegit David* ser-

ſervum ſuum in regem, reprobato *Saule*, de tribu *Benjamin*. Et ſic non ſolum fuit reprobata tribus *Ephraim* à regno, ſed etiam *Benjamin*, propter ſuperbiam, & inobedientiam, ut patet 1. *Reg.* 17. & fuit electus *David*, de tribu *Juda*: quem *ſuſtulit Deus de gregibus ovium*, & *accepit eum de poſt* oves *fœtantes*, & unxit eum per *Samuelem*: ut ibidem patet. *Accepit eum*, dico, ſcilicet, *paſcere*, id eſt, ad paſcendum & gubernandum *ſervum ſuum Jacob*, & *Iſrael hæreditatem ſuam. Et* ſic tanquam electus à Deo, *pavit eos in innocentia cordis*, & *deduxit eos in intellectibus manuum ſuarum.* Littera *Hieronymi* habet: *Et pavit eos in ſimplicitate cordis ſui*, & *in prudentia plantarum ſuarum deduxit eos.* Et tunc eſt eadem ſententia. Nam non gubernavit populum cum tyrannide, ſed cum humilitate, & ſimplicitate, & maxima prudentia quoad agibilia. Nam cum quis regit populum prudenter, dicimus quod procedit pede fixo, & manu limitatâ. Unde per *manus* & *pedes* intelliguntur opera facta cum prudentia, & recta deliberatione.

Ex omnibus ergo ſupradictis parabolis & propoſitionibus propoſitis intendit David propheticè probare, & concludere futuram translationem regni, & ſacerdotii, & veri cultus divini à Synagogâ, & populo Judaîco in populum Gentilem, propter illorum infidelitatem, & ingratitudinem, & propter iſtorum fidem & humilitatem.

Figura de cultu divino.

Unde David in perſona Chriſti in carne venientis, exhortatur populum Judaicum ad ſuſcipiendum eum, & Legem ſuam Euangelicam, ſub comminatione privationis ſanctuarii, & regni, & ſacerdotii, dicens: *O populo meus*, *attendite* primò *legem meam* antiquam, in qua figuratur & propheticè prænuntiatur adventus meus in carne, & totum myſterium humanæ redemptionis: & *inclinate aurem veſtram in verba* Euangelica *oris mei*, quando loquar vobis in carne: quia verba mea non ſunt niſi veritates Legis & Prophetarum. Et ideo quando veniam in carne *aperiam in parabolis os meum*, & *loquar propoſitiones ab initio*, id eſt, declarabo ea myſteria Euangelica, quæ latebant figuraliter in parabolis, & propoſitionibus, & geſtis ab initio in veteri Teſtamento: quia Lex Euangelica, & Teſtamentum novum nil aliud eſt, niſi manifeſtatio & declaratio veteris Teſtamenti. Et ideo *attendite*, ne ſitis ingrati mihi *ſicut patres veſtri*: & cavete, ne accidat vobis ſicut eis. Nam ſicut privavi eos ſanctuario & regno & ſacerdotio: ita privabo vos propter ingratitudinem. Nam ſicut propter peccatum idololatriæ & propter inſolentiam filiorum *Heli* tranſtuli ſacerdotium ab eis in *Samuelem*, & tranſtuli ab eis tabernaculum in *Hieruſalem*, & propter inobedientiam & malitiam *Saulis* tranſtuli regnum in *David*: ita pariter transferam à vobis ſanctuarium, & regnum, & ſacerdotium in populum Gentilem, propter infidelitatem, & ingratitudinem veſtram, niſi audieritis me, & receperitis legem meam, & doctrinam Euangelicam, quæ nil aliud eſt, niſi veritas Legis & Prophetarum. Et in hoc conſiſtit totum argumentum & ſententia hujus Pſalmi.

Expoſitio Pſalmi.

Sed contra concluſionem, & principalem intentum ſupradictæ Expoſitionis arguunt Judæi. Nam David in hoc Pſalmo non videtur concludere, niſi qualiter tribus *Ephraim* perdidit ſanctuarium propter ingratitudinem & peccata ſua, & filii *Heli* perdiderunt ſacerdotium, & *Saul* perdidit regnum propter inobedientiam: & quomodo ſanctuarium translatum eſt in *Hieruſalem*, & regnum in *David*. Sed non ex hoc concludit expreſsè translationem regni & ſacerdotii à Synagoga in populum Gentilem, prout concludit ſupradicta Expoſitio. Ex quo patet, ſupradictam Expoſitionem eſſe præter intentum Prophetæ, & eſſe extraneam.

Ad quod reſpondetur: quòd licèt in littera non exprimatur: tamen ex quibuſdam conceſſis in hoc Pſalmo, & præſuppoſitis principiis Theologiæ in *Prologo*, de neceſſitate infertur iſta translatio ſanctuarii, & regni, & ſacerdotii à Synagoga in populum Gentilem. Unde dictum eſt in *Prologo*, *tractatu primo* & *tertio*: quòd omnia geſta & ſcripta in veteri Teſtamento fuerunt quædam parabolæ, & propoſitiones, & figuræ, & ſigna reſpectu myſteriorum novi Teſtamenti: quia *omnia contingebant illis in figura*: & per conſequens non erant gratiâ ſui, ſed gratiâ veritatis novi Teſtamenti, quia omnia erant verificanda in novo Teſtamento. Item, dictum eſt *tractatu* 3. & *regula* 10. quòd proceſſus & diſcurſus à figura ad figuratum, & à parabola ad ſuam veritatem correſpondentem, reducitur ad quartam ſpeciem argumentationis, quâ maximè uſus eſt David. Item dictum eſt in *primo tractatu* ex intentione *Ariſtot.* 1. *Poſteriorum*, quòd in quacunque ſpecie argumentationis propoſitis præmiſsis de neceſsitate infertur concluſio explicitè, vel implicitè: quia argumentator ſimul inducens cognoſcit concluſionem in præmiſsis propoſitis: eò quòd concluſio continetur virtualiter in præmiſsis.

Nota.

Cum ergo David dicit in hoc Pſalmo: quòd omnia geſta & myſteria, quæ narrantur in hoc Pſalmo intendit adducere tanquam parabolas, & propoſitiones, & exemplaria comminando ſimilem ſententiam *in generatione altera futura*: Ergo per translationem regni, & ſanctuarii,

rii, & sacerdotii, quam adducit, & proponit tanquam parabolam & propositionem, intendit inferre, & concludere aliam futuram translationem sanctuarii, & regni, & sacerdotii ab illo populo Israelitico in alterum. Sed tunc non erat alius populus nisi Gentilis: Ergo per illam translationem comminabatur istam, quæ figurabatur per illam. Tenet consequentia: quia illa translatio sanctuarii in *Hierusalem*, & sacerdotii in *Samuelem*, & regni à domo *Saul* in *David*, jam erat facta, quando David fecit hunc Psalmum: sed ipse David comminatur aliam translationem futuram *in generatione futura*, ab illo populo in alterum, propter ingratitudinem, & infidelitatem committendam contra Deum, quam erant commissuri *sicut patres eorum*, quod sic facto fuit impletum, quando negarunt Christum: ideo bene meritò sunt à Deo privati regno, & sanctuario, & sacerdotio, quorum translatio facta fuit in populum Gentilem conversum ad fidem Christi, prout manifestè videmus esse completum.

Et sic patet, qualiter, consideratis omnibus quæ dicta sunt *in Prologo*, & quæ David præsupponit in hoc Psalmo, quòd propheticè intendebat inferre & concludere explicitè, vel implicitè translationem regni, & sanctuarii, & sacerdotii ab illo populo in populum Gentilem, prout dictum est in supradicta Expositione. Quod maximè confirmatur: cùm manifestè videamus hoc esse completum. Et per hoc patet cœcitas Judæorum.

Psalmus LXXVIII.

16. q. 7. c. *Et hoc.*

1. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam.*

Matth. 7. c.

2. *Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum, bestiis terræ.*

3. *Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem: & non erat qui sepeliret.*

4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris; subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.*

23. q. 4. *Quantus.*

Titulus: *Psalmus Asaph.* Ex Titulo patet, quòd Psalmus iste factus est à David, & datus est ipsi *Asaph* ad cantandum: & dirigitur toti Ecclesiæ: eò quòd *Asaph* interpretatur *Congregatio*, in quantum ex littera patet, quòd loquitur de persecutione Ecclesiæ.

Sed est dubium, pro quo statu Ecclesiæ loquitur: an pro statu veteris Testamenti; an non? Unde multi Judæorum dicunt, quòd loquitur de destructione *Hierusalem* facta per *Nabuchodonosor*, & *Chaldæos*. Sed alii arguunt contra, dicentes: quod hoc non potest stare; eò quòd in illa strage non fuerunt sancti, illi qui fuerunt trucidati: sed scelerati & idololatræ, ut patet 4. *Reg. ultimo.* Hîc autem dicitur: *Posuerunt carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.* Ideo dicunt alii: quòd potiùs iste Psalmus loquitur de strage & vastatione facta per *Antiochum* tempore *Machabæorum*, in qua multi sancti trucidati & martyrizati sunt pro Lege Dei, ut patet per totum discursum *primi* & *secundi Machabæorum.*

De materia hujus.

Sed contra hoc arguunt alii, dicentes: hoc non posse stare, per hoc quod dicitur in hoc Psalmo: *Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam*: manifestum est, quod tunc Hierusalem non fuit totaliter destructa, sicut hîc videtur dicere. Et ideo dicunt quidam Hebræi moderni: quòd hîc loquitur de destructione facta per *Titum* & Romanos: quam destructionem sperant reparari per Messiam quem expectant, ut hîc videntur orare.

Sed ista intelligentia est falsa, & erronea. Primò: quia Messias erat venturus in secundum Templum, prout dixerunt *Aggæus*, & *Zacharias*, & *Malachias.* Ex quo patet, quòd antequam *Titus* & Romani destruxissent Templum secundum, jam venerat Messias, sicut in veritate impletum est. Ex quo patet, quòd omnes Judæi qui fuerunt trucidati, & captivati in illo excidio, fuerunt scelerati, & damnati, & reprobati: & non sancti & justi sicut hîc dicitur. Item, quia illa ruina & destructio non debet amplius reparari, nec ipsi Judæi liberari, prout dictum est supra, *Psalmo* 27. ubi dicitur: *destrues illos, & non reædificabis eos.*

Et quidam Catholici dicunt, quòd iste Psalmus loquitur de *Hierusalem* spirituali, scilicet, de tota Ecclesia Christi toto orbe diffusâ, scilicet, pro isto statu, à passione Christi usque ad *Constantinum*:

in

in quo tempore multa millia Martyrum pro fide Chriſti occiſa ſunt. Sed huic contrariari videtur illud quod ſequitur in Pſalmo, ſcilicet, *Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum &c.* quia in illis perſecutionibus Martyres non mortui ſunt pro peccatis eorum, ſed pro fide Chriſti defendendâ, & confeſſione fidei. A

Et ideo videtur mihi dicendum: quòd David, cui revelatus eſt totus diſcurſus Eccleſiæ uſque ad ultimum Judicium in ſpiritu, prævidit futuram deſtructionem *Hieruſalem* faciendam per *Chaldæos*, & ejus reſtaurationem faciendam per *Machabæos*: per quas vaſtationes & deſtructiones prævidit in ſpiritu futuras perſecutiones Eccleſiæ Chriſti faciendas per ſectam *Mahometicam*, & per *Antichriſtum*: B de quibus vaſtationibus & perſecutionibus fecit plures Pſalmos, ſcilicet, *Pſalmum* 43. 63. & hunc 78. & *ſequentem*, in quibus Pſalmis, quædam verificantur de deſtructione Hieruſalem facta per *Chaldæos*, & quædam de vaſtatione factâ per *Antiochum*, prout ſunt figuræ perſecutionum Eccleſiæ Chriſti; & quædam verificantur litteraliter de perſecutionibus Eccleſiæ, putà, de perſecutione Tyrannorum: & quædam de perſecutione *Mahometicâ*, in qua nunc ſumus: & quædam de perſecutione *Antichriſti*, quæ futura expectatur: de quibus Eccleſia expectat liberari, prout videbitur. Nam ſecundùm C *Auguſtinum*, *lib. de Catechizandis rudibus*, per deſtructionem *Hieruſalem*, & captivitatem *Babyloniæ* ſignificabatur, & figurabatur perſecutio & ſtrages Eccleſiæ Chriſti facienda per Tyrannos & Hæreticos. Et per reparationem illius *Hieruſalem*, & Templi materialis, prævidit David renovationem & reparationem Eccleſiæ faciendam per Chriſtum. Et ſic intelligentia hujus Pſalmi, & prophetiæ eſt bipartita, & etiam tripartita, ſicut intelligentia aliorum Prophetarum, ut inquit *Auguſtinus* 17. *de Civit. cap.* 3. Et ideo ſecundùm hunc intellectum exponetur iſte Pſalmus, & ſequens.

David ergo prævidit in ſpiritu, non ſolummodò tunc futuram deſtructionem D *Hieruſalem* per *Chaldæos*, & vaſtationem futuram per *Antiochum*, ſed etiam in illis prævidit perſecutionem *Mahometicam*, & *Antichriſti* contra Eccleſiam. Et ſic inter cæteros fecit hunc Pſalmum. In quo Pſalmo tria facit. Nam primò exponit ſuam declamationem, & querelam. Secundò, petit liberationem. Tertiò, ſubdit gratiarum actiones. Secunda ibi: *Uſquequò Domine.* Tertia ibi: *Nos autem populus.* *Diviſio Pſalmi.*

Quantum ad primum eſt primò notandum: quòd *Gentes* licèt communiter ſumantur pro populo Gentili idolis quondam dedito: tamen propriè *Gentes* dicuntur, omnes qui vivunt ſecundùm carnem, ponentes ſpem ſuam in rebus temporalibus & carnalibus, non viventes ſecundùm E ſpiritum. Et ſic omnes generationes, & conditiones hominum, tàm Judæi, quàm Saraceni, & infideles, dicuntur *Gentes*: quia vivunt ſecundùm generationem carnalem. Chriſtiani autem, quia præter generationem carnalem ſunt regenerati; ideo non propriè dicuntur *Gentes*; ſed populus in Chriſto regeneratus. Et ſic in iſto Pſalmo, & etiam in cæteris quando dicitur: *Deus venerunt Gentes*, non ſolummodò intelliguntur idololatræ, ſed Saraceni, & ſequaces Antichriſti. Secundò eſt notandum: quòd David per deſtructionem *Babylonicam* & vaſtationem *Hieru-* F *ſalem* futuram per *Antiochum*, prævidit in ſpiritu, qualiter gens *Mahometica* debebat ſurgere ex parte *Arabiæ* contra Eccleſiam Chriſti, quæ dicitur verè *Hieruſalem*, & vaſtare eam per plures partes mundi, & evertere Eccleſias & ſanctuaria, & profanare res ſacras: ſicut videmus fuiſſe factum per totam *Africam*, & *Ægyptum*, & magnam partem *Æthiopiæ*, & per totam *Syriam*, & *Meſopotamiam*, & *Chaldæam*, & *Perſiam*, & *Parthiam*, & *Indiam*, & *Scythiam*, & *Armeniam*, & *Aſiam*, & *Græciam*: quia deduxerunt Eccleſias Chriſti quaſi ad tuguria & tabernacula armentorum tempore hujus Turci. Et hoc eſt quod intendit hîc David in G hoc Pſalmo. *Quę dicũtur Gentes.*

Unde dicit conquerendo, & exclamando: *O Deus*, ſicut *Gentes Chaldæorum*, & *Græcorum venerunt* quondam *in hæreditatem tuam*, ſcilicet *Hieruſalem*, & *polluerunt Templum ſanctum tuum*, & profanarunt, & *poſuerunt*, id eſt, reddiderunt *Hieruſalem in pomorum cuſtodiam*, id eſt, ſicut tugurium hortorum: & etiam ſicut *Gentes* Antiochi *poſuerunt morticinia ſervorum tuorum*, id eſt, cadavera ſanctorum *volatilibus cœli*, & dederunt *carnes ſanctorum tuorum* comedendas *beſtiis terræ*: & *effuderunt ſanguinem ipſorum tanquam aquam in circuitu Hieruſalem*; quia in tantum jacebant cadavera, quòd *non erat qui ſepeliret* tempore Ma- H chabæorum: ita pariter gens Saracenorum inſurrexerunt tempore Chriſtiano & *venerunt contra hæreditatem*, quæ eſt Eccleſia toto orbe diffuſa, & *polluerunt*, & profanarunt *Templum ſanctum tuum*, id eſt, omnes ſacras Eccleſias, & *poſuerunt Hieruſalem*, ſcilicet ſpiritualem, *in pomorum cuſtodiam*: quia incenderunt omnes Eccleſias, & deſtruxerunt & reduxerunt eas, quaſi tuguria, quæ ponuntur ad cuſtodiendas vineas, & hortos, & pomeria. Nam magnas civitates reduxerunt ad parvas villas, & magnas Eccleſias & Templa vel fecerunt *Meſquitas* Saracenorum, aut caulas ovium & armentorum, quæ hodie ſunt coopertæ ramis & paleis ad modum *Not. de Eccleſię profanatione.*

tu-

tuguriorum, ubi ſpeculatores ſolent cuſtodire pomeria, & hortos, & vineas, & fructus. Et etiam ſupradicti Mahometani tot millia Martyrum, & Monachorum ſervorum tuorum occiderunt in Ægypto, & in cæteris partibus mundi: quæ *morticina*, id eſt, cadavera *ſervorum tuorum poſuerunt* & tradiderunt *volatilibus cœli*, & *carnes ſanctorum tuorum* tradiderunt comedendas *beſtiis terræ*: & *effuderunt ſanguinem ipſorum* ſanctorum tuorum in magnam abundantiam *tanquam aquam in circuitu Hieruſalem*, id eſt, Eccleſiæ toto orbe diffuſæ: in tantum, quòd *non erat qui ſepeliret*. Et ſic *facti ſumus opprobrium vicinis noſtris*, & *ſubſannatio*, id eſt, irriſio, *his qui in circuitu noſtro ſunt*, id eſt, omnibus infidelibus, qui circumquaque nos premunt.

Omnes iſtæ preſſuræ fuerunt in Eccleſia completæ: primò tempore Tyrannorum, ubi mortua ſunt infinita millia Martyrum: quæ perſecutio habuit finem tempore Magni *Conſtantini*: ſed poſtea fuit etiam impleta in perſecutione Arianorum, maximè in *Africa*. Fuit etiam impleta tempore Uvandalorum. Fuit etiam impleta in perſecutione Mahometica per omnes partes mundi uſque in hodiernum diem. Nam gentes Saracenorum interfecerunt in Ægypto infinitam multitudinem ſanctorum Patrum Monachorum, & eorum Eccleſias deſtruxerunt. Hoc idem fecerunt in *Syria*, *Meſopotamia*, & *Armenia*, & per omnes partes mundi, quas ſuæ ditioni ſubjecerunt. Ex his patet, quòd Propheta in hoc loco intelligit per gentes omnes Saracenos, & ſequaces Antichriſti: qui pejora facient in ſuo tempore, ut inquit *Auguſtinus*. Et per *Hieruſalem* intelligit univerſam Eccleſiam toto orbe diffuſam, quæ verè dicitur *hæreditas Dei*, ut ſæpe dictum eſt. Quæ quidem perſecutio & ſtrages figurata fuit per ſtragem factam per *Nabuchodonoſor* in Hieruſalem.

Hier. 10. & 23. q. 5. c. fin.

5. *Uſquequò Domine iraſceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?*

6. *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt:*

7. *Quia comederunt Jacob: & locum ejus deſolaverunt.*

HÆC eſt ſecunda pars, in qua Propheta ponit ſuam deprecationem. Nam primò petit ultionem de ſupradictis perſecutoribus. Secundò, petit liberari. Ibi: *Ne memineris*. Dicit ergo: *Uſquequò Domine oblivíſcêris* nos *in finem*? id eſt, totaliter: & *uſquequò accendetur zelus tuus*, id eſt, ira tua, *velut ignis*. Quaſi dicat, tempus eſt, ut ceſſet ira tua à nobis: ſed *effunde iram tuam* & indignationem ſuper *gentes*, ſcilicet, Saracenorum, & aliorum infidelium, & Hæreticorum, *quæ te non noverunt* per fidem, nec charitatem: *& in* cætera *regna* infidelium, *quæ nomen tuum non invocaverunt*: ſed invocant Mahometum, & deos alienos. *Quia comederunt Jacob*, id eſt, devoraverunt totum populum Chriſtianum, *& locum ejus*, id eſt, Eccleſias & Civitates *deſolaverunt &c.*

Iſai. 64.

8. *Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ: quia pauperes facti ſumus nimis.*

11. q. 3. c. Ad meſſã.

9. *Adjuva nos Deus ſalutaris noſter: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum.*

10. *Ne fortè dicant in Gentibus: ubi eſt Deus eorum: & innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris,*

11. *Ultio ſanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt: introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum.*

15. d. cap. Sanctæ Romanæ.

12. *Secundùm magnitudinem brachii tui, poſside filios mortificatorum.*

36. q. 2. Si quis nõ dicam.

13. *Et redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum: improperium ipſorum, quod exprobraverunt tibi Domine.*

SED quia iſta perſecutio Saracenorum & Turcorum provenit ex demeritis & peccatis Chriſtianorum: ideo petit liberari à ſupradictis preſſuris, invocando di-

vi-

vinam miſeric :ordiam, dicens: O Domine, rogo *ne mem: ineris iniquitatum noſtrarum antiquarum* , , id eſt, non punias nos ſecundùm deme erita & peccata noſtra; ſed *citò anticipe: nt nos miſericordiæ tuæ*, à ſupradictis m alis liberando: *quia pauperes* & dej ecti *facti ſumus nimis*. Et ideo *adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & libera n s, propter gloriam nominis tui, & proj itius eſto peccatis noſtris propter nomen t uum*, quod eſt Jeſus: quod quidem non ien importat ſalutem & miſericordiam in ſe: quod nos colimus, & in quo ſpe ramus liberari. Et hoc fac, *ne Gentes* Sara cenorum, & Antichriſti, & aliorum inf idelium *fortè* deridentes *dicant*: *ubi eſt Deus eorum*? id eſt, Jeſus *Deus* Chri ſtianorum. Quaſi dicant: Veniat ad lib erandum Chriſtianos de manibus noſtris, *& innoteſcat ultio ſanguinis ſervorum tuo rum in nationibus coram oculis noſtris*, id eſt, fiat manifeſta vindicta *ſanguinis ſervorum tuorum*, *qui effuſus eſt*. Et *gemitus compeditorum*, id eſt, Chriſtianorum captivorum *introeat in conſpectu tuo*: ut facias vindictam de perſecutoribus noſtris. Et *ſecundùm magnitudinem brachii*, id eſt, poteſtatis *tuæ*, *poſside filios mortificatorum*, id eſt, libera filios eorum: qui mortui ſunt pro te, poſtquam permiſiſti patres martyrio coronari: ut filii remanentes pacificè ſerviant tibi in regione Chriſtiana. *Et redde vicinis* perſecutoribus *noſtris ſeptuplum*, id eſt, punias eos ſeptupliciter. Vel, *Redde vicinis noſtris improperium ipſorum ſeptulum in ſinu eorum*, & in facie: quod improperium exprobraverunt tibi in Templum tuum. Quaſi dicat: multa improperia intulerunt nobis in contemptum tui: ideo redde eis punitionem in *ſeptuplum* pro retributione.

Ex ſupradictis patet, quòd Eccleſia Chriſti debet liberari à perſecutione Mahometica, in qua modò eſt: quia tota illa gens & ſecta debet graviter puniri, & multipliciter perire ante adventum Chriſti, ut multi autumant. Nos autem erimus victores. Iterum patet, quòd finaliter Eccleſia eſt liberanda de perſecutione Antichriſti: & ipſe cum ſuis miſerabiliter periturus, ut probatur multipliciter per Scripturas. Et per aliquod tempus Eccleſia debet manere in ſua libertate, Deo ſervitura. Et ideo ſequitur ultima pars, in qua dicit:

14. *Nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ, confitebimur tibi in ſæculum.*

11. q. 3. *Ad mësä.*

15. *In generationem & generationem annuntiabimus laudem tuam.*

Et 15. q. 1. Revertimini.

NOS *populus tuus, & oves paſcuæ tuæ*, id eſt, qui Sacramentis tuis reficimur, à ſupradictis perſecutoribus liberati, gratias agendo *confitebimur tibi in ſæculum, & annuntiabimus laudem tuam in generationem & generationem*, id eſt, dum durabit generatio humana, uſque ad judicium.

PSALMUS LXXIX.

1. *Qui regis Iſrael, intende: qui deducis velut ovem Joſeph.*

24. q. 1. c. *Loquitur.*

TITULUS: *Ad victoriam*, ſive *In finem ſuper roſas*, aut *lilia*, *teſtimonium Aſaph*. Tria ponuntur in hoc Titulo: per quæ denotatur, quòd Pſalmus iſte loquitur de Chriſto & Eccleſia. Nam primò ponitur *In finem*, ſive *Ad victoriam*: per quod denotatur, quòd loquitur de Chriſto, qui eſt finis legis, & victor contra diabolum, & perſecutores Eccleſiæ. Secundò, additur *ſuper roſas*, ſive *ſuper lilia*: per quod denotatur, quòd Eccleſia loquitur ad Chriſtum. Nam ubique in Sacra Scriptura per *roſas*, ſive per *lilia* intelligitur Eccleſia Chriſti, quæ eſt inter cæteras nationes ſicut roſa inter ſpinas, *Canticor.* 1. Tertiò additur, *teſtimonium Aſaph*: quod interpretatur *congregatio*. Et ſic repræſentat totam Eccleſiam. Et ſic patet, quòd David fecit hunc Pſalmum dirigens nos in Chriſtum, loquens in perſona Eccleſiæ: & dedit ipſum cantandum ipſi *Aſaph*: eò quòd repræſentat totam Eccleſiam ſecundùm ſui nominis interpretationem.

In quo Pſalmo David explicat tres preſſuras Eccleſiæ, quas prævidit in ſpiritu. Prima fuit ante adventum Chriſti, in qua erat totum genus humanum in tenebris peccatorum, & captivitate diaboli: à qua captivitate liberata eſt Eccleſia per Incarnationem & Paſſionem Chriſti. Secunda fuit in perſecutione Tyrannorum, & Hæreticorum, & Saracenorum, de qua expectat liberari per virtutem Chriſti: cujus modus ignoratur. Tertia preſſura erit tempore Antichriſti: de qua liberabitur per ipſum Chriſtum finaliter per adventum ejus ad Judicium. Et has tres liberationes exprimit hîc Propheta: quia dicit: *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.*

Tria

Tria ergo facit in hoc Psalmo. Nam primò petit liberari ab universali peccato per primum adventum, & passionem Christi. Secundò, petit liberari à pressuris & persecutionibus inimicorum. Tertiò, petit liberari specialiter de persecutione Antichristi, & ab omni miseria humana per secundum adventum Christi. Secunda ibi: *Vineam de Ægypto.* Tertia ibi: *Fiat manus tua.*

Genus humanù duplici miseria ante Christi adventù erat positum.

Quantum ad primum est notandum: quòd genus humanum in duplici miseria erat positum ante adventum Christi. Primò, quoad animam: quia erat in captivitate diaboli, & separatum à Deo. Secundò, quoad corpus, quia multiplici miseriæ corporali subjectum. Et ideo Christus ab hac multiplici miseriâ nos liberavit. Nam primò, per suam mortem & passionem nos à peccato liberavit & salvavit, & Deo Patri nos univit: per suam autem resurrectionem nos ab omni corporali miseria liberavit, & nobis immortalitatem recuperavit; licèt nondum possideamus, tamen eam ipse lucratus est nobis pro novissimo die: & sic promisit nos in gloriam resurrecturos. Et ideo primò hîc Ecclesia petit liberari à peccato quoad animam. Secundò, à corporali miseria quoad corpus. Ibi: *Domine Deus.*

Mysteriù Arcæ est Incarnationis Christi &c.

Quantum ad primum est notandum: quòd mysterium *Tabernaculi*, sive *Arcæ fœderis* veteris Testamenti significabat mysterium Incarnationis ipsius Christi, sicut sæpius dictum est. Nam humanitas Christi est verum tabernaculum Verbi Dei, in quo latebat Verbum, sive divinitas. Nam sicut in Arca fœderis tria erant inclusa, scilicet, tabulæ Legis, & virga Aaron, & urna mannæ: ita in illa humanitate tria erant inclusa, scilicet, Verbum, & anima Christi, & caro. Et sic Christus erat Deus, & rex, & sacerdos, & homo. Et sicut in illa Arca, sive Tabernaculo Deus inclusus dabat responsa Sacerdotibus, & sanctis viris, ut frequenter legitur per totum discursum libri *Numerorum*, & *Josue*, & *Judicum*: quia dabat Deus responsa de Tabernaculo: quod significabat, quod Deus erat includendus in illa humanitate Christi, & exinde, vel in illa, debebat dare vera responsa, & Legem Euangelicam suis Apostolis, & toti populo Christiano: & sicut Deus quondam deduxit illum populum Israel de Ægypto, & fecit sibi ipsum populum peculiarem, & exinde duxit ipsum per desertum, & introduxit ipsum in terram promissionis: Ita significabat, quòd Christus dux noster nos debebat deducere de tenebris peccatorum, & congregare Ecclesiam suam ex Judæis & Gentilibus, & facere eam sibi populum peculiarem, & dirigere eam per Legem Euangelicam, & introducere in patriam cœlestem, vel in istam Ecclesiam per gratiam, & in aliam per gloriam: hoc prævidens David in spiritu, dicit in persona totius Ecclesiæ pro illo statu: O charissime Messia venture, *qui* ab initio Legis *regis* populum *Israel*, & *deducis Joseph*, id est, totum illum populum *velut* pastor ducit *ovem.*

Judæorù populus dicitur Israel.

Unde nota: quòd totus ille populus denominatur *Israel*, à patre *Jacob*, à quo descendebat: tamen in *Ægypto* totus ille populus dicebatur *Joseph*, propter dignitatem ipsius *Joseph*: quia fuerat Præfectus in Ægypto per *Pharaonem*. Ideo Propheta dicit: *Qui deducis Joseph*, id est, populum ductum à *Joseph* in Ægyptum, & ibi receptum, & favoratum: sed tu fecisti postea tibi populum peculiarem, & *oves pascuæ tuæ*, & voluisti esse pastor ejus. Ideo tu, tanquam pastor *deducis* illum *velut ovem* per desertum, & introduxisti in terram promissionis: Ergo tu Christe, qui tunc illud fecisti in figura. Intende in nos, & fac modo in re, id est, sis pastor, & tanquam verus pastor & verus *Joseph*, deduc genus humanum de potestate diaboli, & tenebris peccatorum, & congrega Ecclesiam tuam & populum tibi peculiarem, & introduc eam in terram viventium, sicut *oves pascuæ tuæ.*

2. *Qui sedes super cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse.*

Ut patet 2. Paral. 5. & 1. Para 15. & 2. Reg. 6.

3. *Excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos.*

4. *Deus converte nos: & ostende faciem tuam, & salvi erimus.*

35. d. cap. Ab exordio.

Nota de Cherubim in Arca.

NOTA, quòd Deus fecit fieri Cherubim in Arca, super quæ Cherubim Deus dicebatur sedere. Et ita *David* præcepit *Salomoni*, ut faceret duo Cherubim, super quæ sedebat Arca Domini: sicut Deus dicitur sedere in cœlo super Cherubim: per quod denotabatur, quod Verbum debebat includi in Arca humanitatis, & ibi sedere super duo Cherubim, id est, super animam, & carnem; & exinde dare responsa, & doctrinam Euangelicam. Secundò, est notandum: quòd talia responsa maximè dedit Deus in *Silo*, quæ erat in terra *Ephraim*, juxta mediam tribum *Manasse*: quia illæ duæ tribus reputabantur quasi una, eò quòd erant fratres.

Sed quia postea Arca fuit mutata de *Ephraim* in *Azotum*, & exinde reducta in *Gabaa*, quæ est in tribu *Ephraim*: ideo ibi per multa tempora Deus dedit res-

reſponſa ex *Arca* : per quod denotatur, quod Deus incarnatus daturus erat reſponſa populo Chriſtiano, ſignificato per A iſtos tres hîc nominatos. Nam *Ephraim* interpretatur *augmentum* : ad denotandum, quòd populus Chriſtianus, cui danda erat Lex Euangelica, erat augendus per totum mundum. Et per *Benjamin*, qui dicitur *filius dexteræ*, ſignificabatur etiam populus Chriſtianus, qui per Chriſtum, qui dicitur *dextera Dei Patris*, eſt regeneratus. Et per *Manaſſen* intelligitur populus Gentilis, qui erat oblitus quondam à Deo, ſed poſtea vocatus per Apoſtolos, recepit reſponſa Euangelica. Et ideo iſtæ tres Tribus collocabantur in parte occidentali ipſius tabernaculi, verſus quas Deus dabat reſponſa. Et ſimiliter ſunt collo- B catæ in ordine in terra promiſſionis, ad partem occidentalem : quod totum factum fuerat in figura, prout ſignificabant populum Chriſtianum, qui recepturus erat reſponſa Legis Euangelicæ.

Hoc ergo prævidens David in ſpiritu dicit : O Chriſte, *qui ſedes ſuper* duo *Cherubim* in cœlo, & etiam in Arca ; quod ſignificabat myſterium Incarnationis : ita veni in carne, ut ſedeas ſuper duo *Cherubim*, ſcilicet, animæ & corporis in eadem humanitate : aut ſuper duo teſtamenta, ſcilicet novum, & vetus : & *ſedeas* etiam *ſuper* duos populos ad fidem converſos, ſcilicet, ex Judæis & Gentilibus. Veni ergo, & C *manifeſtare*, id eſt, ſis manifeſtus, *coram Ephraim*, *Benjamin*, & *Manaſſe*, id eſt, ad populum Chriſtianum per totum orbem augmentatum, & *filium dexteræ*, id eſt, per Chriſtum regeneratum, & domum Patris ſui, id eſt, Gentilitatis, & Idololatriæ oblitum. Manifeſta ergo te iſti populo Chriſtiano, & da ipſi reſponſa Euangelica, ſicut tunc dabas in deſerto, & in terra promiſſionis reſponſa *coram Ephraim*, *Benjamin*, & *Manaſſe*.

Et nota etiam ut legitur *Geneſ.* 48. quod *Joſeph* obtulit duos filios, ſcilicet *Ephraim*, & *Manaſſen* patri ſuo *Jacob*, ut benediceret eos : & poſuit *Manaſſen* ad dexteram, ut imponeret ipſi D manum dexteram ſuper caput ad benedicendum. Et poſuit *Ephraim* ad ſiniſtram ut imponeret ei ſiniſtram manum ſuper caput, eò quòd erat junior : ſed *Jacob* inſpiratus à Spiritu ſancto, cancellatis manibus poſuit dexteram ſuper *Ephraim*, qui erat ad ſiniſtram, & poſuit ſiniſtram ſuper caput *Manaſſis*, qui erat ad dexteram. Et ideo Tribus *Ephraim* multiplicata fuit & augmentata in magnum numerum ſuper omnes alias Tribus. Et ſic *Manaſſes* dicitur *quaſi oblitus à patre*, & poſtpoſitus. Et ideo illa tribus fuit diviſa. Nam media pars cepit E ſortem ultra *Jordanem* in parte Orientali : & alia pars citra *Jordanem* in parte Occidentali.

Iſtud myſterium figuravit, quòd Deus Pater debebat ponere dexteram ſuam, id eſt, Filium ſuum Chriſtum ſuper populum Chriſtianum, qui erat junior ; & illum multiplicare in magnum numerum ex populo Gentili, qui ſemper fuerat ad ſiniſtram & in minori dignitate : & ſic dedit ipſi benedictionem ſpiritualem, & poſuit ſiniſtram ſuam ſuper populum Judæorum, & oblitus eſt eum : & non dedit ipſi benedictionem ſpiritualem. Per hoc autem, quòd Tribus *Manaſſis* fuit diviſa in duas partes, quarum una manſit ultra Jordanem inter F idololatras, & altera citra Jordanem juncta cum populo *Ephraim* ; ſignificatum fuit, quòd populus Judæorum fuerat in duas partes dividendus : quarum una erat ventura ad Fidem Chriſti, ut ſub ejus dextera protegeretur, & debebat tranſire Jordanem per aquas Baptiſmales : ſed altera erat in ſorde peccati, & perfidia manſura. Et illa dicitur propriè pars *oblita*.

Et de hac particula dicitur per Prophetam, *Manifeſtare coram Ephraim, Benjamin, & Manaſſe*. Vel poſſumus dicere : quòd omnibus iſtis tribubus, id eſt *Gentibus*, intellectis per *Manaſſen*, Lex Euangelica fuit manifeſtata: G ſed ſoli Gentiles & Apoſtoli, cum quibuſdam bonis Judæis, receperunt Legem Euangelicam : cæteri autem mali Judæi *obliti*, & contemnentes oracula Prophetarum, & myſteria Sacræ Scripturæ, Legem Euangelicam recipere noluerunt. Propheta ergo Chriſtum invocat, ut veniat ad *manifeſtandum ſe* omnibus, tàm bonis, quàm malis : & ut ponat dexteram ſuam, id eſt, benedictionem ſpiritualem, ſuper bonos, ſcilicet, Judæos, & Apoſtolos, & Diſcipulos : & ſiniſtram, ſcilicet maledictionem, ſuper malos.

Et hoc eſt quod dicit : *Manifeſtare coram Ephraim &c.* Sed quia talis *manifeſtatio*, & ſalvatio, & redemptio ha- H bebat fieri per incarnationem & paſſionem, veniendo in hunc mundum : ideo ſubdit Propheta, dicens : ò Chriſte, *excita potentiam tuam*, & deſcende de cœlo : *& veni* in carne, *ut ſalvos facias nos* per mortem & paſſionem. Sed quia non ſufficit, quòd tu venias in carne, & prædices Legem Euangelicam, niſi diſponas nos ad eam recipiendam : ideo tu *Domine Deus virtutum converte nos*, gratiam Spiritus ſancti largiendo, ut fidem recipiamus : *& oſtende faciem*, id eſt, humanitatem *tuam*, per quam tua divinitas notificetur, & tua voluntas; *&* ſic *ſalvi erimus*.

Nota.

Jacob benedixit filios Joſeph.

7. q. 1. c. Adversitas.

5. *Domine Deus virtutum, quousque iraſceris ſuper orationem ſervi tui?* A

Et 23. q. 4. Quid faciet, &c. Nimiũ infra eo.

6. *Cibabis nos pane lacrymarum : & potum dabis nobis in lacrymis in menſura.*

7. *Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris : & inimici noſtri ſubſannaverunt nos.*

B

8. *Deus virtutum converte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.*

HIC ſecundo petit liberari ab omni miſeria corporali, ſicut liberatus fuit populus de Babylonia per *Jeſum* Sacerdotem *Zorobabel.* Unde ait : O *Domine* Chriſte, *Deus virtutum* & Angelorum, *quouſque iraſcêris ſuper orationem ſervi tui*, eam non audiendo? & *cibabis nos* in hoc mundo *pane lacrymarum*, & *potum dabis nobis in menſura*, id eſt, ad magnam quantitatem. Quaſi dicat: quòd non comedimus, nec bibimus, niſi cum *lacrymis* præ multitudine afflictionum : quia *poſuiſti nos in* C *contradictionem vicinis noſtris*, quia circumquaque nos affligunt, & *inimici noſtri ſubſannaverunt nos*, & deriſerunt nos. Totum hoc fuit impletum ad litteram in captivitate *Babylonica*, à qua fuerant liberati per *Jeſum* Sacerdotem, ſive per *Cyrum :* quæ quidem captivitas ſignificabat captivitatem ſanctorum Patrum exiſtentium in Limbo inferni, faciem Chriſti expectantium. Et ideo ſequitur in perſona eorum : *Domine Deus virtutum converte nos : oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* Unde ſicut Chriſtus oſtendit faciem ſuam in terris per incarnationem, & prædicationem, & D mortem, & paſſionem, & liberavit omnes à peccato : ita in inferno *oſtendit faciem* ſuæ omnipotentiæ : cùm anima ejus Verbo unita deſcendit ad inferos, & confregit portas æreas, & vectes ferreos, & inde traxit ſanctos Patres. Et de hac oſtenſione faciei dicit hîc Prophetа : Domine *Deus virtutum converte nos* ad te : *& oſtende faciem tuam* in inferno, *& ſalvi* & liberati *erimus.*

Etiam hoc idem poteſt intelligi de oſtenſione faciei Chriſti poſt reſurrectionem, in qua ſe oſtendit diſpulis in facie immortali, & impaſſibili. Unde ſicut E ante reſurrectionem ſe oſtenderat mundo in carne, & facie paſſibili & mortali, per quam nos liberavit à peccato, & morte ſpirituali : ita poſt reſurrectionem ſe oſtendit in facie, & carne impaſſibili & immortali : per quam nos liberavit ab omni miſeria, & morte corporali: quam immortalitatem poſsidebimus in noviſsimo die ; & ſic erimus liberati à lacrymis, & ab omni miſeria. Et ſic patet, quòd iſta oſtenſio faciei Chriſti, quam petit Propheta in ſecundo loco in hoc verſiculo, poteſt intelligi de oſtenſione faciei Chriſti poſt reſurrectionem in carne impaſsibili & immortali. Quæ quidem oſtenſio fuit nobis neceſſaria.

Oſtendit Chriſtus faciem.

F

9. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti : ejeciſti Gentes, & plantaſti eam.* *Exod. 12.*

10. *Dux itineris fuiſti in conſpectu ejus : plantaſti radices ejus, & implevit terram.*

11. *Operuit montes umbra ejus: & arbuſta ejus cedros Dei.* *Exod. 17.*

12. *Extendit palmites ſuos uſque* G *ad mare : & uſque ad flumen propagines ejus.*

HIC petit liberari Eccleſia ab omnibus perſecutionibus inimicorum. Unde nota, quod Eccleſia illicò poſt aſcenſionem Chriſti cœpit affligi & pati perſecutiones : primò à Judæis. Secundò à Tyrannis. Tertiò ab Hæreticis & Saracenis. Quartò patietur ab Antichriſto : à quibus perſecutionibus liberabitur Eccleſia totaliter in ſecundo adventu Chriſti ad judicium. Et hanc liberationem petit in hac ultima parte : quæ quidem perſecutiones fuerunt figuratæ per H *Antiochum* tempore Machabæorum. Unde dicit hîc : ò Domine Jeſu Chriſte, tu *tranſtuliſti* quondam *vineam*, id eſt, illum populum Iſrael, *de Ægypto :* & *ejeciſti Gentes* de terra promiſsionis, & *plantaſti eam*, ſcilicet, vineam tuam, & ibidem collocaſti. Ita pariter tu *tranſtuliſti*, & traxiſti *vineam* tuam, id eſt, religionem Chriſtianam, de tenebris peccatorum, & *ejeciſti* idololatriam, & *plantaſti* in populo Gentili doctrinam Euangelicam : & *fuiſti dux itineris in conſpectu ejus* populi per lumen Legis Euangelicæ : & *plantaſti radices* hujus

vi-

vineæ, qui ſunt articuli fidei, per totum mundum: & ſic iſta vinea Chriſtianæ religionis *implevit* totam *terram* à ſolis ortu uſque ad occaſum: & *umbra ejus operuit* omnes *montes*, & *arbuſta ejus* cooperuerunt omnes *cedros Dei*: id eſt, omnes Reges, & Principes, & Philoſophos jugo fidei ſubjecit. Et ideo iſta religio Chriſtiana *extendit palmites ſuos*, id eſt, Apoſtolos, & Martyres ſuos *uſque ad mare* Oceanum, tàm orientale, quàm occidentale. Et *extendit propagines ſuas uſque ad flumen*, id eſt, uſque ad fontem *Nili*, & *Tanais*, *Gangis* &c. A

13. *Ut quid deſtruxiſti maceriam ejus: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?* B

1. q. 4. c. Homini, §. Econtra.

14. *Exterminavit eam aper de ſilva: & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.*

QUID, id eſt, quare *deſtruxiſti maceriam*, id eſt, muros, & fortitudinem *ejus*? *& omnes qui prætergrediuntur viam*, ſcilicet extranei, & infideles *vindemiant eam*? id eſt, devorant & deprædantur? Nam *aper de ſilva*, ſcilicet Mahometus cum ſua ſecta *exterminavit eam*, *& ſingularis ferus*, ſcilicet, Antichriſtus *depaſtus eſt eam*. Unde nota, quòd tota ſecta *Mahometica*, ſive *Mahometus* cum ſequacibus ſuis, dicitur *Aper de ſilva*; eò quòd Arabes & Tartari & Turci, qui ceperunt & ſequuntur illam ſectam, omnes erant paſtores armentorum, & homines ſilveſtres, per ſilvas vagantes: & iſti *exterminaverunt vineam* Chriſti, propter peccata noſtra, ut dictum eſt *Pſalm.* 63. & 82. Antichriſtus autem dicitur *ſingularis ferus*: quia præ cæteris omnibus erit ſævior & crudelior. Et ideo Propheta in perſona totius Eccleſiæ invocat Chriſtum, ut veniat ad liberandum nos de ſupradictis beſtiis, quæ totam Eccleſiam debent devorare. Et ideo dicit, Chriſtum invocando: C D

15. *Deus virtutum convertere: reſpice de cœlo: & vide, & viſita vineam iſtam.*

15. d. cap. Sancta.

E 16. *Et perfice eam, quam plantavit dextera tua: & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi.*

11. q. 3. Ad mensam.

17. *Incenſa igni & ſuffoſſa: ab increpatione vultus tui peribunt.*

12. q. 1. Exemplũ, & 23. q. 4. c. Quãtus.

18. *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ: & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi.* F

De Pœn. d. 2. c. Si enim.

O *Deus virtutum*, & triumphorum, *convertere* ad nos: quia quod patimur, peccata noſtra meruerunt. Et ne deſeras nos: ſed *reſpice de cœlo* oculo miſericordiæ: *& vide* afflictionem noſtram: *& viſita* iſtam *vineam tuam*, *& perfice eam*: quia in magnam partem apoſtatavit, decepta per Saracenos, & Antichriſtum: *quam* vineam *plantavit* Filius tuus, qui eſt *dextera tua*. Et ideo: ò Deus Pater, reſpice Jeſum Chriſtum *filium hominis*, id eſt, Filium Virginis Mariæ: vel *filium Adam* ſecundùm carnem, & deſcendentiam matris, *quem tibi confirmaſti*, id eſt, Verbo tuo uniſti, & aſſumpſiſti. Nam tota iſta vinea G eſt *ſuffoſſa*, & deſtructa *igni* & afflictione iſtarum beſtiarum. Ideo *ab increpatione vultus tui peribunt*, id eſt, fac ut iſtæ beſtiæ pereant *ab increpatione* & indignatione iræ tuæ: & *fiat manus* tua & omnipotentia *ſuper* Chriſtum *virum dexteræ*, id eſt, potentiæ *tuæ*: & *ſuper filium hominis*, id eſt, Filium Virginis, *quem tibi confirmaſti* & elegiſti, ut ipſe Chriſtus veniat ad liberandum nos de ſupradictis beſtiis, & perſecutionibus in ſecundo adventu ſuo.

H 19. *Et non diſcedimus à te, vivificabis nos: & nomen tuum invocabimus.*

93. d. c. Legimus.

20. *Domine Deus virtutum converte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.*

Et 1. q. 1. c. Multæ ſup. eodẽ.

LICET multi decepti deceſſerint à te, & ſecuti fuerint Mahometum & Antichriſtum propter bona temporalia;

lia : tamen nos in firma fide persistentes *non discedimus*, nec discedere intendimus *à te*. Et ideo tu *vivificabis nos*, dando fortitudinem ad resistendum ; & sic *invocabimus nomen tuum*. Et etiam *vivificabis*, id est, resuscitabis nos, præbendo corpora glorioſa in præmium. Et ideo Christe *Domine Deus virtutum, converte nos* ad te semper, & in novissimo die : *& ostende faciem tuam* gloriosam, id est, veni ad judicandum vivos & mortuos in potestate magna & majestate : & retribue nobis præmium æternum in cœlo, & persecutoribus nostris pœnam æternam.

Ex supradictis patet : quòd licèt iste Psalmus possit exponi litteraliter de liberatione populi Judaici à tribus pressuris, scilicet, à captivitate Ægyptiaca, & à captivitate Babylonica, & ab afflictione *Antiochica* tempore Machabæorum : tamen quia illæ tres liberationes significabant alias tres liberationes futuras per Christum in Ecclesia, scilicet, liberationem à peccato per mortem & passionem, & liberationem patrum à Limbo per descensum ad inferos : & ab omnibus persecutionibus infidelium ipsius Ecclesiæ : ideo melius est quod iste Psalmus exponatur ultra sensum litteralem sicut expositus est.

Ecclesia petit Christi faciem.

Unde tota Ecclesia ter petit faciem Christi & præsentiam, ut veniat ad liberandum, & salvandum eam, sicut ter dicitur : *Domine Deus virtutum.* Unde primò petit, quòd ostendat faciem in carne mortali & passibili in hoc mundo, ad salvandum à peccato. Secundò, petit, ut ostendat faciem suam in inferno ad extrahendos sanctos Patres : & etiam ostendat faciem suam impassibilem, & immortalem post resurrectionem ad salvandum ab omni corporali miseria. Tertiò petit, ut Christus ostendat faciem suam gloriosam cum potestate magna & majestate in finali judicio, ut perficiat suam vineam, & imponat laborum finem & persecutionum in ea ; & tribuat bonis gloriam, & malis pœnam æternam.

Et sic prudens lector poterit supradicto modo exponere præsentem Psalmum pro Ecclesia, positâ in quacumque afflictione : & etiam quilibet fidelis positus in pressuris potest cum præsenti Psalmo orare, ut Deus liberet eum. Et sic etiam Ecclesia dicit nunc hunc Psalmum, ut liberet eam de manu trium bestiarum, scilicet, Saracenorum, Tartarorum, & Turcorum, & ostendat Christus faciem & potentiam suam contra eos. Vel potest dici, quod sicut ille populus passus est quatuor persecutiones in Testamento veteri, scilicet persecutionem Ægyptiacam, & finitimorum tempore Judicum, & Babylonicam, & Antiochicam tempore Machabæorum : ita Ecclesia post Ascensionem Christi passa est quatuor persecutiones. Prima fuit Tyrannorum. Secunda Hæreticorum. Tertia Saracenorum. Quarta Antichristi. De prima fuit liberata per Martyres tempore *Constantini.* De secunda per Doctores tempore *Augustini.* De tertia expectat liberari, & de quarta. De omnibus ergo his quatuor persecutionibus petit Ecclesia liberari in hoc Psalmo, petendo, ut Deus ostendat ipsi faciem misericordiæ & favoris, secundùm quòd quater dicit : *Ostende faciem tuam &c.* Et sic prudens lector poterit adaptare hunc Psalmum supradictis quatuor persecutionibus temporalibus : quia in duplici spiritu loquitur David in hoc Psalmo, eò quòd habuit duplicem spiritum prophetiæ in eo.

Psalmus LXXX.

1. *Exultate Deo adjutori nostro : jubilate Deo Jacob.*

95.d.cap. Ecce, & 13.q.1.§. Hisita.

2. *Sumite Psalmum, & date tympanum ; psalterium jucundum cum cithara.*

3. *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.*

HUIC Psalmo præponitur Titulus *In finem, Pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph.* Ex quo Titulo appareret, quòd David fecit hunc Psalmum, & dedit ipsum cantandum ipsi *Asaph*, ad victoriam vocum, tempore torcularium. Et sic in hoc Titulo patet cantor, sive modus cantandi, & tempus in quo cantabatur Psalmus, sed licèt Titulus non exprimat musicalia instrumenta cum quibus cantabatur : tamen in Psalmo exprimitur, qualiter cantabatur cum quinque musicis instrumentis, scilicet, cum *cornu*, & *tuba*, & *tympano*, & *psalterio*, & *cithara.*

Prima ergo particula hujus Tituli jam est nobis nota per ea quæ dicta sunt in cætetis Psalmis. Nam per hoc quod iste Psalmus cantabatur *In finem* cum omni conatu vocum, usque ad ultimum punctum : denotatur, quòd iste Psalmus dirigitur in Christum, qui est finis legis, & vocabat eum cum maximo conatu, ut veniret in carne. Sed pro de-

declaratione totius Tituli & Pſalmi reſtant tria videnda, ut capiamus intelligentiam Pſalmi. Primò eſt videndum, quod eſt hoc tempus *torcularium*: & in quibus feſtivitatibus præcepit David cantari hunc Pſalmum. Secundò, quare, & ad quem finem præcepit ipſum cantari tali tempore? Tertiò, quare præcepit ipſum cantari cum talibus inſtrumentis muſicis? A

Tempus torcularii eſt menſis Septẽbris.

Quantum ad primum eſt dicendum: quòd *tempus torcularium* eſt menſis Septembris, qui dicitur ſeptimus menſis anni, incipiendo à Martio, qui eſt primus menſis anni: qui quidem menſis ſeptimus dicitur *tempus torcularium*, eò quòd in tali menſe vindemiæ jam maturæ colligebantur, & in torcularibus ex eis vinum torquebatur, & in cellariis reponebatur: in quo menſe ſeptimo Deus præcepit tria feſta ſolemnia celebrari, ut patet *Levit.* 23. & *Numer.* 29. ſcilicet, *feſtum tubarum* in prima die menſis, in memoriam liberationis *Iſaac* de ſacrificio, pro quo aries fuit immolatus, *Geneſ.* 22. Secundò, præcepit Deus celebrari feſtum propitiationis decimo die ejuſdem menſis, in memoriam propitiationis filiorum Iſrael, quando Deus propitiatus eſt eis pro peccato vituli conflatilis, *Exod.* 32. Tertiò, præcepit Deus celebrari *feſtum tabernaculorum* decimaquinta ejuſdem menſis, in memoriam peregrinationis deſerti, in qua habitabant in tabernaculis: vel potius in memoriam quietis & poſſeſſionis terræ promiſſionis, in qua quieverunt à peregrinatione, & habitatione tabernaculorum mobilium. Hoc feſtum celebrabatur per octo dies, & octavus erat ſolemnis: qui dicebatur *feſtum cœtus*, ſive collectæ. Et ſic totus ille menſis ſeptimus erat illi populo feſtivus. Dicebatur ergo ille menſis, *ſeptimus menſis*, ſive *tempus vindemiarum*, & *collectarum*, & *torcularium*, *liberationis*, & *propitiationis*, & *tabernaculorum*, ſive *quietis*, ratione illarum feſtivitatum. Et in hoc menſe toto feſtivo David præcepit cantari iſtum Pſalmum. B C

Tria feſta ſolemnia celebranda.

Sed reſtat ſecundum ſciendum, quare, & ad quem finem præcepit Deus iſta feſta celebrari, & David ipſum Pſalmum cantari in tali tempore torcularium & in talibus feſtivitatibus? Ad hoc reſpondent Judæi dicentes: quòd cauſa quare Deus præcepit iſta feſta celebrari in ſeptimo menſe, fuit: quia in tali tempore & menſe Deus creavit mundum. Et ideo voluit quod totus ille menſis eſſet feſtivus. Et hoc probant ſic. Nam Deus omnia creavit in ſua perfectione: quia perfecta ſunt Dei opera, *Deuter.* 32. Igitur in illo menſe creavit Deus mundum. Quod confirmatur. Nam illicò poſt creationem *Adam* comedit de fructibus paradiſi. D E

Mundus creatus.

Sed oppoſitum dicitur, *Exod.* 12. de *Martio: menſis iſte primus erit vobis in menſibus anni.* Unde tota Eccleſia tenet quod mundus fuit creatus in equinoctio vernali: & per conſequens in menſe *Martii.* Et ſic fuit ille primus menſis anni & per conſequens Septembris fuit ſeptimus: & ſic Sacra Scriptura ſemper *Septembrem* appellat *ſeptimum menſem*: ut patet *Lev.* 23. Nec valet confirmatio & ratio eorum: immò Minor eſt falſa: quia in menſe ſeptimo arbores non ſunt omnes in ſua perfectione, immò in ſua dejectione: quia pro majori parte omnes fructus ſunt collecti: & folia cadunt ab arboribus propter Autumnum imminentem. Et quia omnes fructus erant collecti, Deus præcipiebat tunc feſta celebrari. F

Quando vero dicunt, quòd omnes arbores fuerunt creatæ cum ſuis fructibus, maximè quia *Adam* illicò comedit: reſpondetur: quod verum eſt, maximè in illo hemiſphærio Auſtrali, ubi Adam fuit poſitus, ubi nunquam deficiunt fructus, nec cadunt folia, propter favorem cœli & aſtrorum in illo paradiſo: ſed in iſta noſtra parte Aquilonari defecit poſtea propter peccatum illa fœcunditas, prout dictum eſt *Pſalm.* 71. Et ideo Catholicè reſpondendo ad quæſitum, eſt dicendum, ſecundùm regulas & principia propoſita in *Prologo*: quòd cum Chriſtus fuit finis totius Legis veteris, & tota Lex tendebat ad Chriſtum, tanquam via in proprium terminum & finem: ideo ſicut *omnia contingebant illis in figura*: ita omnia præcepta Legis data ſunt illis in ſignum & figuram futurorum myſteriorum Chriſti & Eccleſiæ ſuæ. G

Et ſic ſicut illud tabernaculum, & Templum, & illa civitas *Hieruſalem* fuit dedicata, & conſecrata ad cultum divinum in figuram totius Eccleſiæ Chriſti toto orbe diffuſæ: ita pariter omnia illa feſta temporalia, quæ celebrabantur in ſeptimo menſe cum cæteris, fuerunt à Deo dedicata & præcepta, in ſignum & figuram totius temporis Chriſti Meſſiæ. Nam ſicut Chriſtus fuit finis totius Legis: ita totum tempus gratiæ fuit finis totius temporis Legis, & omnium feſtivitatum ejus. Et ideo omnia illa figurabant tempus Chriſti Meſsiæ, cujus erant figuræ. H

Ad cujus majorem declarationem eſt iterum advertendum, quòd omnia feſta veteris Legis fuerunt præcepta celebrari in fine alicujus ſeptenarii. Nam ſabbatum uſuale fuit præceptum celebrari in quolibet ſeptimo die hebdomadæ:

dæ : & feſtum Pentecoſtes in ſeptima ſeptimana poſt Paſcha , in memoriam dationis legis : & feſtum tubarum , & A expiationis , & tabernaculorum , & collectarum , in ſeptimo menſe : & *ſabbatum terræ* , in ſeptimo anno : ut omnia iſta patent *Lev.* 23. & *Num.* 29. Ideo ſicut omnia alia erant figurativa & ſignificativa : ita iſte numerus ſeptenarius erat figurativus totius temporis Eccleſiæ. Nam ſicut una eſt Eccleſia ab *Adam* uſque ad judicium , habens diſtincta membra ſucceſſivè : ita fuit unum tempus habens diſtinctas ætates , & dies, & menſes , & annos. Et ſic ſicut ſunt & computantur ſeptem ætates mundi : ita computantur ſeptem dies , ſive menſes, ſive anni mundi , non ſolùm ſecundùm nos , ſed etiam , ſecundùm Hebræos. B

Et ſic prima dies mundi fuit ab *Adam* uſque ad *Noe* : & ſecunda dies, ſive menſis , aut annus mundi , à *Noe* uſque ad *Abraham* : tertia vero ab *Abraham* uſque ad *Moyſen* : exinde quarta uſque ad *David* : exinde quinta uſque ad *captivitatem Babylonis* : & exinde ſexta uſque ad *Chriſtum* : & exinde ſeptima uſque ad judicium. Et ideo Hebræi totum tempus ab *Adam* uſque ad diluvium appellant tempus & diem primi mundi : & à *diluvio* uſque ad *Abraham* appellant tempus & diem ſecundi mundi. Et ab *Abraham* uſque ad *Moyſen* appellant tempus & diem circumciſionis , eò quòd ſola circumciſio currebat in populo Dei : à *Moyſe* autem uſque ad *David* appellant tempus , & diem tabernaculi , eò quòd in ſolo tabernaculo C fiebant legalia. A *David* autem uſque ad *captivitatem* appellant tempus & diem primi Templi. A reditu captivitatis Babylonicæ uſque ad *Veſpaſianum* appellant tempus & diem ſecundi Templi. Totum verò reſiduum poſt deſtructionem ſecundi Templi appellant tempus regis Meſſiæ : eò quòd ſecundùm omnes Prophetas rex Meſſias erat venturus in fine ſecundi Templi. Et ſic omnes Rabbini Judæorum totam iſtam ſeptimam ætatem poſt ſecundum Templum aſſerunt eſſe tempus & diem regis Meſſiæ. Et ſic continuè expectant eum fruſtra , ut patebit in fine hujus libri.

Ex omnibus ſupradictis patet, quòd D iſta tota ultima ætas poſt adventum Chriſti eſt ſeptimus dies , & ſeptimus menſis , & annus mundi , & univerſalis Eccleſiæ , figuratus & ſignificatus per illum diem ſeptimum , & menſem , & annum , quem Deus præcepit celebrari in lege : & per conſequens totum iſtud tempus gratiæ , & tempus Euangelicum, in quo ſumus , eſt illud ſabbatum in lege figuratum , & quod Deus in figura præcepit celebrari in fine cujuslibet ſeptimanæ : & eſt ille ſeptimus menſis , in quo præcepit illa quatuor feſta in figura celebrari. Et ille eſt ſeptimus annus figuratus per ſabbatum terræ : & per conſequens totum iſtud tempus dicitur verum ſabbatum , in quo præcipimur ceſſare ab operibus legis Moſaicæ , & ab omni opere ſervilis peccati. Et totum hoc tempus eſt ſeptimus menſis , quo præcipimur celebrare illa omnia quatuor feſta in re & veritate , quæ illi celebrabant & obſervabant in figura. Nam totum hoc tempus eſt dies liberationis & expiationis , & ſalutis , & humanæ redemptionis. De quo dicitur *Iſaiæ* 48. *Tempore accepto exaudivi te , & in die ſalutis adjuvi te.* Item , eſt annus placabilis , & dies medelæ , & indulgentiæ, F & redemptionis , *Iſai.* 61. *Spiritus Domini ſuper me : eò qnòd unxit me : ad annuntiandum manſuetis miſit me , ut mederer contritis corde , & prædicarem captivis indulgentiam , & clauſis apertionem : ut prædicarem annum placabilem Domino &c.*

Cum ergo quæritur , quare Deus præcepit celebrare illa quatuor feſta in ſeptimo menſe , & tempore vindemiarum , & torcularium ? Reſpondetur, quod illud præcepit in figura : eò quòd ille ſeptimus menſis figurabat iſtum ſeptimum menſem gratiæ & Euangelicum, in quo ſumus : in quo illa myſteria illarum quatuor feſtivitatum erant implenda ; ſcilicet , myſterium ſacrificii *Abrahæ* , & myſterium propitiationis univerſalis , & myſterium tabernaculorum , & G torcularium. Nam ſacrificium *Abrahæ* fuit impletum per Chriſtum in cruce, & myſterium propitiationis & expiationis noſtrorum omnium peccatorum ; & myſterium tabernaculorum , in quibus habitamus per gratiam in hac militanti Eccleſia , & completum eſt myſterium torcularium , & collectæ aliorum fructuum. Nam Chriſtus expreſſit vinum Euangelicum , & Eccleſiaſticorum Sacramentorum ex vindemia Legis veteris, & ſeparavit vinum à vinaceo , & oleum ab amurca , & granum Euangelicum ex paleis cærimonialium Legis. Oleum autem , & vinum Euangelicum repoſuit in cellario , & granum in horreo Eccleſiæ, H quibus nos fruimur in hac Eccleſia per gratiam. Et ſic illa feſta, quæ illi ſemel in ſeptimana & ſemel in anno celebrabant in figura , nos ſemper , & jugiter, & continuè obſervamus & celebramus in veritate , prout latiùs videbitur in quæſtione finali , Deo concedente. Et ideo David præcepit cantari iſtum Pſalmum in ſeptimo menſe tempore torcularium : quod primo quærebatur.

Sed nunc reſtat videndum , quare præcepit ipſum cantari cum tympano, *Quæſtio*

&

Not. quod ætas ſeptima eſt ſabbatum.

& pſalterio, & cithara? &c. Ad quod reſpondetur, ſicut dictum eſt in *Prologo, tractatu* 5. & latius dicetur *Pſalm. ult.* quod omnia illa inſtrumenta muſicalia, cum quibus David præcepit cantari Pſalmos, figurabant futura myſteria Chriſti & Eccleſiæ. Nam *tympanum* ſignificabat paſſionem Chriſti, qui erat percutiendus & flagellandus &c. & *cornu* figurabat imperium & crucem Chriſti, cum qua debebat diabolum debellare: & *pſalterium* figurabat decem Articulos Fidei Euangelicæ, & decem præcepta: *cithara* autem triangularis figurabat fidem articulorum, & obſervantiam præceptorum, & gratiam ſacramentorum, in quibus tota conſiſtit Chriſtiana religio: *tuba* verò figurabat Euangelicam prædicationem, & vocationem fidelium ad fidem Chriſti, & ad recipiendam ſalutem: quæ omnia figurabantur in Lege, & prænuntiantur propheticè in hoc Pſalmo.

Tympanũ paſſio eſt Chriſti.

Quæ omnia prævidens David in ſpiritu fecit hunc Pſalmum. Et dedit ipſum cantandum choro ipſius *Aſaph*, eò quòd dirigitur toti Eccleſiæ; & præcepit ipſum cantari ad victoriam vocum cum toto conatu, & cum ſupradictis inſtrumentis: eò quòd Lex vocabat Chriſtum, ut veniret ad liberandum & redimendum genus humanum, prout per omnia illa feſta Legis figurabatur. In quo quidem Pſalmo David excitat omnes fideles veteris Teſtamenti, & illius ſtatus, ut celebrent illa feſta in figura ſub fide Chriſti futuri, vocando ipſum, ut veniat in carne ad complendum omnia illa myſteria, per illum menſem ſeptimum, & illa feſta figurata, & ut recipiant Chriſtum in ſuo adventu cum ſumma exultatione. Et ex conſequenti apoſtrophat ad fideles novi Teſtamenti exhortando, ut cum receperint Chriſtum, celebrent illum ſeptimum menſem & illa ſabbata, & feſta in re & veritate in hoc menſe & ſabbato gratiæ, per illa ſabbata veteris Legis figurato, & celebrent iſta feſta cum tympano, & pſalterio, & cithara Euangelica. Et ſic ſemper iſte Pſalmus eſt legendus & cantandus fidelibus cum duplici ſpiritu.

In quo quidem Pſalmo duo facit David. Nam primò excitat Synagogam pro illo ſtatu ad celebrandum figuraliter illa quatuor feſta cum illis muſicis inſtrumentis, vocando Chriſtum in carne, ut veniat ad implendum omnia illa myſteria in veritate. Secundò introducit Chriſtum venientem in carne vocantem populum Judæorum, ut audiat ejus Legem Euangelicam & recipiat ipſum. Ibi: *In tribulatione invocaſti me.*

Quantum ergo ad primum, dicit Propheta. O Synagoga, ò populi Iſrael, *exultate* in his feſtivitatibus *Deo noſtro*, & *jubilate*, non diis Gentilium, ſed *Deo Jacob*, qui eſt verus Deus. Et in hac celebratione & cantu *ſumite Pſalmum*, id eſt, cantate hunc Pſalmum: *& date*, id eſt, percutite *tympanum*, in ſignum paſſionis Chriſti futuri, & pulſate *pſalterium jucundum*, id eſt, libenter adimplete decem præcepta *cum cithara*, id eſt, cum hymnis & laudibus. *Buccinate* cum buccina & cornu in memoriam ſacrificii *Abrahæ*, & cum *tuba neomenia*, pro gratiarum actione de collatione novarum frugum, & vindemiarum in hoc feſto Neomeniæ, & *inſigni die ſolemnitatis veſtræ*, ſcilicet, in feſto ſolemni Scenopegiæ in memoriam fixionis tabernaculi. Quaſi dicat: celebrate cum exultatione omnes has quatuor feſtivitates cum his quinque inſtrumentis &c. Et reddit cauſam quare, dicens:

4. *Quia præceptum in Iſrael eſt: & judicium Deo Jacob.*

PRæceptum eſt in *Iſrael* à Domino, *Levit.* 23. & *Numer.* 28. qui præcepit hujuſmodi quatuor feſta cum ſacrificio celebrari: *& judicium* eſt *Deo Jacob.* Nam ſub judicio, & comminatione maledictionis & punitionis hoc præcepit Deus ipſi *Jacob*, id eſt, populo Iſrael, filio *Jacob.* Et reddit cauſam, quare Deus inſtituit iſta feſta, dicens:

5. *Teſtimonium in Joſeph poſuit illud, cùm exiret de terra Ægypti: linguam quam non noverat audivit.* *Exod.12.*

6. *Divertit ab oneribus dorſum ejus: manus ejus in cophino ſervierunt.* *Exod. 2.*

DEUS *poſuit* & inſtituit illud præceptum & Legem in *teſtimonium*, & fœdus, & memoriam ipſi *Joſeph*, id eſt, populo Iſrael, qui in Ægypto *Joſeph* ab Ægyptiis nominabatur, quaſi à nobiliori, ut dictum eſt. Ideo dicit, quòd toti Iſrael *poſuit* hanc Legem de feſtis celebrandis, in teſtimonium & memoriam, *cùm exiret de terra Ægypti*: quia tunc *audivit* ille populus *linguam quam nunquam noverat.* Nam neſciebat loqui, niſi Ægyptiacè, in qua linguâ nutriti fuerant in Ægypto: ſed

cùm

cùm fuerunt in deserto, & in terra promissionis communicando cum cæteris gentibus, didicerunt idiomata, & linguas ignotas. A

Et etiam dicit, quòd *Moyses* cogebat eos loqui linguâ Hebraicâ, quæ fuerat oblivioni tradita. Et etiam ille populus *audivit linguam ignotam*, cùm Legem per os *Moysi* à Deo datam accepit; in qua sunt, & erant cærimoniæ, & præcepta, & mysteria eis ignota. Quasi dicat: quòd Deus instituit hoc præceptum, quando eduxit Israel de Ægypto, & docuit novam Legem. Et etiam, quia de Ægypto liberatus ille populus, *divertit*, & removit *dorsum ejus ab oneribus*: quia ibi serviebat, & opera vilia exercebat, portando onera supra dorsum suum: quia omnes erant portitores onerum per domos pro vili pretio. B Et ideo sequitur: *& manus ejus in cophino servierunt*: quia in cophinis & sportis portabant terram ad faciendos lateres, ut patet *Exod.* 2. sed ab omnibus his fuerunt diversi, & subtracti, & liberati tunc. Cum ergo essent in monte *Sinai* Deus præcepit hujusmodi festa inter cætera præcepta cærimonialia, in memoriam, & pro gratiarum actione tantorum beneficiorum receptorum, & in figuram futurorum, ut dictum est. Ergo benè meritò debent filii Israel tales festivitates celebrare cum omnibus cærimoniis supradictis. Quasi dicat: ò filii Israel; celebrate hujusmodi festivitates, non solùm litteraliter C cum cærimoniis, sed cum intelligentia allegorica & spirituali, id est, desiderate, & petite accelerari adventum Messiæ, per hujusmodi mysteria figuratum. Et cum venerit, recipite eum: qui nos debet à jugo Legis, & à peccato liberare; & servate ejus Legem & præcepta: quia ista Lex verè ibi est finienda: quia ibi finis, & perfectio, & veritas.

Est tamen advertendum, quod David non solùm excitavit Synagogam ad celebrandum illa quatuor festa in figura, & mysterio, & prophetia: sed etiam excitat populum Christianum ad celebrandum prædicta festa jam per gratiam. D Nam sicut exhortatur Synagogam ad celebrandum ista festa in figura. Ita pariter exhortatur fideles novi Testamenti ad celebrandum ea in re & veritate.

Festivitates celebrandæ.

Unde dicit nobis: O Ecclesia, & populo Christiane, postquam jam Christus venit, & omnia prædicta mysteria in se implevit, & nos à jugo Legis, & peccato pro passionem & resurrectionem liberavit, *exultate* ipsi Christo vero *Deo adjutori nostro*, quia ab omnibus his liberavit nos; & per gratiarum actione *jubilate* ipsi, qui est verus *Deus Jacob*, qui transplantavit Synagogam in Ecclesiam, & Legem in libertatem, & E nos à peccato in gratiam. Et *sumite Psalmum*, scilicet, laudem Euangelicam, *& date tympanum*, contemplando passionem Christi, & macerando vestram carnem per pœnitentiam: & pulsate *psalterium jucundum*, implendo sponte divina præcepta *cum cithara*, id est, cum hymnis & laudibus, septies in die, & frequenter Deum laudando & orando. Et *buccinate*, id est, victoriam & triumphum Christi annuntiate *in Neomenia tuba*, id est, in nova & publica Euangelii prædicatione. Et hoc facietis *in insigni die solemnitatis vestræ*, quod est totum tempus gratiæ. Et *buccinate*, id est, vocate omnes gentes & populos F ad fidem Christi. Et isto modo verè, & spiritualiter, & perfectè celebrabitis festa prædicta, recipiendo Messiam, & servando ejus Legem Euangelicam: quia hoc est præceptum quod posuit & imposuit in Israel, quod tota illa Lex significabat. Nam sicut Moyses eduxit populum de captivitate & servitute Ægypti: ita nos Christus eduxit & liberavit de captivitate & servitute diaboli, & de tenebris ad lucem & gratiam. Et sicut illi *serviebant in cophino*, & cæteris; ita nos serviebamus sub jugo Legis onere cærimoniarum, & onere peccatorum &c. Et sicut illi liberati à servitute audierunt novam Legem; ita nos liberati à jugo G Legis, audivimus novam Legem Euangelicam liberam, & nova, & salubria sacramenta. Et ergo per amplius & perfectius & verius debemus *exultare Deo adjutori nostro* Christo, & *jubilare Deo Jacob.*

Est autem advertendum, quòd in toto libro Psalmorum quandocumque ponitur *Israel*, sæpius additur *Jacob*, ut hîc: *quia præceptum in Israel est, & judicium Deo Jacob.* Nam hoc notanter dicitur ad magnum mysterium pro populo Christiano & Ecclesia. Nam primò, *Jacob* qui erat minor, & ultimus in nativitate, fuit electus & præpositus *Esau* majori reprobato. Per hoc significatum fuit, quòd populus Christianus, H ultimus in tempore, & minor, erat præponendus populo Judæorum, & eligendus, illo reprobato: hoc est, quòd reprobatâ Synagogâ, erat à Christo Ecclesia eligenda, & transplantanda. Item, sicut *Esau* vendidit primogenituram ipsi *Jacob*: ita Judæi contemnentes Christum propter temporalia, dimiserunt Ecclesiæ primogenituram; & nos subripuimus eis benedictionem &c. Item, sicut *Jacob* postquam luctatus est cum Angelo, & vidit Deum, dictus est *Israel*, id est, *videns Deum*: ita postquam Christus luctatus est in passione cum diabolo,

Nota.

&

& nos iſta per fidem novimus, tota Eccleſia Chriſti dicitur *Iſrael*, id eſt, videns Deum: quia ſola Eccleſia videt myſteria veteris Legis, Synagogâ manente cœcâ, & maledictâ, & privatâ primogeniturâ. Et Eccleſia tranſplantata ſucceſſit in hæreditate & nomine: ideo verè dicitur *Jacob*, in quantum tranſplantata, & electa, & præpoſita, & ſuccedens in hæreditate, & primogeniturâ, & benedictione. Et dicitur *Iſrael*, in quantum videt Deum. A

Ex ſupradictis patet, quòd illa quatuor feſta veteris Legis jam non debent litteraliter pro iſto tempore celebrari, eò quòd fuerunt præcepta in figura, & jam fuerunt mortua, & impleverunt officium & curſum ſuum in Chriſto, ut dictum eſt *Pſalmo* 38. Ideo jam colimus & B celebramus ſpiritualiter in novo Teſtamento alia feſta, per illa ſupradicta figurata. Sed iſta latius patebunt in fine totius libri.

7. *In tribulatione invocaſti me, & liberavi te: exaudivi te in abſcondito tempeſtatis: probavi te apud aquam contradictionis.*

Num.20. 8. *Audi populus meus, & conteſtabor te: Iſrael ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* C

Exod.20. 9. *Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud.*

HÆC eſt ſecunda pars principalis, in qua ponitur vocatio Judæorum per Chriſtum incarnatum. In qua duo fa- D cit: nam primò ponitur vocatio. Secundò, ponitur eorum obſtinatio & reprobatio: ibi: *Et non audivit.*

Quantum ad primum, tria ſigna dat Chriſtus Judæis, quare debent ipſum recipere. Primò, quia liberavit eos de captivitate & tribulatione Ægypti. Secundò, quia liberavit eos de *abſcondito* & ſubmerſione *tempeſtatis* in Mari Rubro. Tertiò: quia ſuccurrit eis de potu apud *Aquam contradictionis*, ut patet *Numer.* 20. ſed quia, ut dictum eſt *Pſalmo* 77. quòd quicquid adducit Propheta de veteri Teſtamento proponit tamquam propoſitiones, ut inferat & eliciat conclusiones & veritates novi Teſtamenti: E ideo ex his figuris & myſteriis propoſitis intelliguntur & inferuntur tria mirabilia facta per Chriſtum in novo Teſtamento: primò, quia eduxit nos per paſſionem ſuam de tenebris peccatorum, quæ intelliguntur per *Pharaonem*, & *Ægyptum*. Item ſecundò, quia liberavit ſanctos patres *de abſcondito tempeſtatis* inferni. Tertiò, quia *probavit nos* omnes, & *potavit* apud aquam, & per aquam Baptiſmi, quæ exivit de latere Chriſti percuſſo: quæ dicuntur *Aquæ contradictionis*, quibus contradicunt *Judæi*, & *Saraceni*, & cæteri Infideles; & per illas aquas ſumus probati, & ſeparati ab infi- F delibus, & refecti, & refrigerati.

Aquæ contradictionis ſunt aquæ Baptiſmi.

Dicit ergo Jeſus veniens in carne. *Audi populus meus* Judæorum: nam quondam invocaſti me, cùm eſſes in terra Ægypti *in tribulatione*: & liberavi te de ſervitute Ægyptiacâ, & *exaudivi te in abſcondito tempeſtatis* in Mari Rubro, quando ſubmerſi *Pharaonem* cum exercitu ſuo, & te illæſum tranſportavi: & etiam *probavi te apud aquam contradictionis*, dando tibi aquam de ſilice: ita nunc pari modo venio in carne, ut liberem te de captivitate diaboli, & *exaudiam*, te liberando *in abſcondito tempeſtatis* inferni, & liberem ſanctos Patres, qui ibi abſconditi tenentur; & pro- G bem te etiam *apud aquas* Baptiſmales, quibus infideles contradicunt, ut probem fidem veſtram, & ſeparem vos ab infidelibus. Nam oportet quòd iſta tria mirabilia compleantur in me, prout in Lege veteri fuerunt figurata. *Audi* ergo *populus meus* Iſrael: quia per iſta tria teſtimonia adducta *conteſtabor te*, id eſt, teſtem te faciam, quando me in verum Meſſiam debes recipere. Unde dico tibi, quòd *ſi audieris me*, & Legem Euangelicam receperis, *non erit in te* aliquis *Deus recens*, *nec adorabis* aliquem *Deum alienum*, ſed me tantum, qui *ſum Deus tuus* proprius.

Et nota, quòd iſta littera ad duplicem intellectum poteſt trahi: uno modo H ſicut dictum eſt: alio modo ſic. Nam dicit Chriſtus apparens in forma hominis: *O populo meus* Judæorum, *ſi audieris me*, & receperis tamquam Meſſiam, & adoraveris me, *non erit in te Deus recens*, *nec Deus alienus*: eò quòd vides me in forma hominis: immò dico tibi, quòd ſum Deus æternus, & *Deus tuus*, & non alius: ſed Deus & homo, de quo locuti ſunt Prophetæ. Quaſi dicat: adorando me, *non adorabis Deum alienum*, nec hominem purum, ſicut putant infideles: immò adorabis verum Deum in humanitate. Nam ego ſum illemet Deus perſonaliter, & non alius, qui eduxi te de terra Ægypti, licet tunc non eſ-

Alia expoſitio de Chriſto.

sem incarnatus. Nam sicut tunc loquebar in *Angelo*, & in *Moyse*, & in *Prophetis*: ita nunc loquor in carne personaliter assumpta: & sic non sum alius Deus. A

Ideo sequitur: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*, qui modò venio in carne, ut educam te de captivitate peccati, & declarem tibi Legem, prout ibi Deus promisit, *Deuter.* 18. cùm dixit: *Prophetam suscitabo de medio fratrum tuorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi.* Ergo *populo meus audi me*: quia ego sum ille Deus tuus, & ille Propheta similis tui, id est, homo & Deus. Ergo *dilata os tuum, & implebo illud*, dando tibi Legem Euangelicam, & gratiam, & sapientiam. Hoc autem completum fuit in his qui Christum audierunt, scilicet, in Apostolis & toto populo Christiano, quibus Christus revelavit Euangelium, & dedit dona Spiritus sancti. Judæis autem minimè: quibus *Apostolis* dixit: *Dum steteritis ante reges & præsides, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: non enim vos estis quæ loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis &c.* Ex prædictis patet, quòd idem Deus locutus est in utroque Testamento, & fecit miracula. Ideo dicit *Judas* in *Canonica sua*, quòd *Jesus eduxit populum de Ægypto.* B

10. *Et non audivit populus meus vocem meam: & Israel non intendit mihi.* C

18. q. 1. c. Nullus, & c. seq.

11. *Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis.*

HIC ponitur Judæorum obstinatio, & ingratitudo, & reprobatio. Unde dicit Christus: Ego clamavi, & vocavi Judæos: primò in persona per tres annos cum dimidio in *Judæa*, & *Galilæa*, allegando supradicta testimonia de me in Lege scripta, quando dixi: *Scrutamini scripturas, quoniam illæ testimonium perhibent de me: Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Joannis* 5. Et multa dixi eis, *sed populus meus non audivit* me, nec *vocem*, nec prædicationem meam; immò occiderunt me. Item secundò, vocavi eos per Apostolos meos, *& Israel non intendit*, nec obedivit *mihi.* Et ideo *dimisi eos* reprobatos & obstinatos *secundùm desideria cordis eorum*, subtrahendo eis gratiam: & sic ruerunt in omnia mala. Nam si gratia Dei destituerit hominem, tunc appetitus sauciatus, inclinatus, & pronus ad malum, ruit ad omnia scelera. D E

In Translatione *Hieronymi* habetur: *Dimisi eos in pravitate cordis sui: & ambulabunt in consiliis suis.* Et tunc est littera plana. Nam si quis consiliis propriis ducitur sine gratiâ, non potest nisi de peccato in peccatum cadere: nec potest esse pejor maledictio. Et in hac maledictione sunt positi Judæi, quia à Deo derelicti.

12. *Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset:* F

23. q. 1. Noli, & c. Paratus.

13. *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: & super tribulantes eos misissem manum meam.*

HIC ponit punitionem temporalem. Nam quia contempserunt Christum Messiam, & occiderunt, ideo destructa est civitas & Templum, & ipsi occisi, & captivi per Romanos, & victi: per oppositum tamen fuit de Christianis: quia subjecerunt & humiliaverunt sibi inimicos, & totum Romanum Imperium. Ideo dicit Christus: *si populus meus* Judæorum *audisset me*, cùm prædicavi eis per me, & Apostolos meos quadraginta annis; & *si Israel in viis meis* & præceptis *ambulasset*, sumendo Legem Euangelicam: *Pro nihilo*, id est, ad nihilum, *forsitan inimicos eorum humiliassem, & super* Romanos *tribulantes eos misissem manum* & potestatem *meam*, eos puniendo, sicut punivi eos propter persecutionem Christianorum, & subjeci eos, & totum Imperium Ecclesiæ. Et omnes reges terræ humiliavi sub umbra Ecclesiæ: per oppositum autem feci de Judæis: immò dedi favorem *Romanis*, qui eos occiderunt, & captivaverunt, & Civitatem Hierusalem & Templum destruxerunt. Et ideo sequitur: G H

14. *Inimici verò Domini mentiti sunt ei: & erit tempus eorum in sæcula.* Deut. 18.

VERO pro *sed*: sed *inimici Domini*, scilicet Judæi, *mentiti sunt ei*, negando ipsum: ideo *tempus* pœnarum, & damnationis *eorum*, *erit in sæcula*, & in æternum.

Un-

Unde nota : quòd Judæi dicuntur *Christo mentiti* : eò quòd *Moysi* , & *Josue* promiserunt sub jurejurando & maledictione , servare Legem , & recipere Messiam promissum in Lege , *Deut.* 18. *Prophetam suscitabo &c.* & sic dicuntur *mentiti* , in non recipiendo eum. Item dicuntur *mendaces* : quia dicuntur, & volunt vocari *filii Abrahæ* ; & non sunt , cùm non recipiant Christum sibi promissum in *Isaac.* Item , dicuntur *mentiti* , cum dicunt se servare Legem: & non servant ; cùm non recipiant Christum , qui venit Legem adimplere. Item, dicuntur *Deo mentiti* , cùm falsò intelligunt & glossant Scripturas Sacras , pervertendo sensum earum.

Exod. 16. Et de Conf. d. 2. c. Christus.

15. *Et cibavit illos ex adipe frumenti : & de petra , melle saturavit eos.*

NOTA , quòd sententia hujus versiculi præcedit superiorem. Nam dicit hìc Propheta : sicut Dominus *cibavit illos* , scilicet , populum Israel, *ex adipe* , & pinguedine , & abundantia frumenti in terra promissionis : *& melle de petra saturavit eos* : quia in terra promissionis apes mellificant in cavernis & foraminibus rupium & petrarum : ideo dicitur terra manans melle & lacte : Sic ergo dicit Propheta : nunc Christus in adventu suo satiavit *eos ex adipe frumenti* , id est , Sacramentum Eucharistiæ ad cibum spiritualem eis præparavit , *& melle de petra saturavit eos* , id est , cætera Ecclesiastica Sacramenta eis constituit dulcissima , de petra lateris Christi emanantia ad satietatem spiritualem. Et eis dedit etiam mel sapientiæ , & doctrinæ ; & dona gratiarum ipse qui dicitur *petra* , eis misit. Et tunc ordinatur sic littera : Christus *cibavit eos ex adipe frumenti* , *& de petra* , *melle saturavit eos:* & *inimici* Dei *mentiti sunt ei* tamquam ingrati , ipsum non recipiendo. *Et* ideo *erit tempus* damnationis *eorum in sæcula &c.*

Lex vetus dicitur frumentum.

Item nota : quòd Lex vetus dicitur *frumentum* : & Lex Euangelica dicitur *adeps* , *& pinguedo* illius frumenti , sive Legis veteris : quâ pinguedine & adipe *satiavit* nos Dominus. Ex quibus sequitur quod iste Psalmus loquitur de vocatione Judæorum facta per Christum in carne , & de publicatione Euangelii, per hoc quod dicit : *Dilata os tuum* , *& implebo illud.*

Secundò sequitur , quod loquitur de ultima reprobatione & damnatione Judæorum , quæ facta est per adventum Christi , per hoc quod dicit : *Inimici vero Domini mentiti sunt ei* , *& erit tempus eorum in sæcula* : nam dat eis sententiam sine misericordia. Nam in Psalmis , in quibus explicantur punitiones factæ ante adventum Christi : ut putà, captivitas *Babyloniæ* , aut vastatio *Antiochi :* semper Propheta orat pro illa liberatione illius populi , ut patet *Psalm.* 44. & 73. & 78. sed in hoc Psalmo non orat pro eis ; immò prænuntiat finalem punitionem sine liberatione , dicens: *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum. Et erit tempus eorum in sæcula:* in quibus demonstrat eorum perpetuam damnationem , & sententiam perpetuam, quæ non data est eis , nisi post adventum Christi. Ergo totus iste Psalmus est exponendus de adventu Christi , & publicatione Euangelii , & reprobatione Judæorum : sed adducit Propheta mysteria veteris Testamenti , ut figuraliter inferat mysteria novi Testamenti , ut dictum est. Ex quibus patet manifesta obstinatio & cœcitas Judæorum in hoc Psalmo.

Nota.

Ideo dicit *Augustinus* , libro *de Unico Baptismo* , quòd *Judæi sunt mali in bona Lege , carnaliter intelligentes : sed Christiani sunt boni in eadem Lege , spiritualiter sapientes.* Nam ex eadem Lege Judæi colligunt cibos carnales , & mortiferos : Christiani verò fructus spirituales & salutiferos. Et ideo Lex vetus semper manet bona , si rectè & spiritualiter intelligatur : nec per Judæorum falsam intelligentiam Lex divina in aliquo depravatur. Nam veritas Legis non sumitur ab intellectu intelligentis, sed à Christo , qui eam in se verificavit & implevit , ut sæpius dictum est.

Ex toto Titulo & Expositione hujus Psalmi possunt recolligi septem conclusiones.

Prima conclusio : quòd totum tempus gratiæ ab adventu Christi usque ad judicium , est *verum sabbatum* , per sabbata Legis figuratum , & verus *septimus mensis* , & *tempus collectæ* , & *vindemiarum spiritualium* : probatur. Nam in hoc tempore completa sunt omnia illa mysteria , quæ per illa sabbata & festa figurabantur. Nam primò , in hoc tempore nos cessamus & præcipimur cessare ab operibus Legis Mosaycæ : & ab omni opere servili peccati : & in hoc tempore fuimus per sacrificium Christi liberati , & expiati , & consecuti sumus propitiationem & indulgentiam. Et in hoc tempore Christus extorsit nobis vinum Euangelicum à vinaceo legali , & oleum ab amurca in torculari Euangelico , & separavit granum à paleis. Et in hoc tempore continue colligimus fructus Euangelicos , & fruimur gratiâ Sacramentorum. Et in hoc tempore con-

tinuè celebramus veraciter & realiter festa illa, quæ illi semel in anno & A septimana celebrabant in figura.

Secunda conclusio : quòd post adventum Christi omnia illa festa cessarunt legaliter & figuraliter celebrari. Probatur. Nam sicut adveniente isto tempore cessavit illud : ita adveniente veritate, quæ completa fuit, & completur continuè in hoc tempore ; debent cessare ea, quæ fiebant figuraliter in illo tempore : quia veniente lumine, cessat umbra ; & veniente veritate, cessat figura. Ex quibus sequitur, quòd falso modo Judæi, & in vanum celebrant, & observant in hoc tempore illa festa.

Tertia conclusio : quòd iste Psalmus debet cantari, & illa festa cele- B brari cum psalterio Euangelico, & cithara : hoc est, cum observantia præceptorum, & fide articulorum, & gratia Sacramentorum, & cum tuba confessionis, & prædicationis Euangelicæ; & cum tympano memoriæ passionis. Ex quibus patet, quòd Judæi moderni non verè cantant istum Psalmum, nec celebrant ista festa.

Quarta conclusio : quòd religio Christiana vere cantat istum Psalmum, & celebrat ista festa. Probatur : quia servat omnes illas conditiones, & veram intelligentiam illorum mysteriorum.

Quinta conclusio : quòd magis C obligantur Christiani ad servandum illa festa in veritate, & spiritualiter, quàm illi obligabantur tunc in figura. Probatur : quia majora beneficia recipimus : quia illi fuerunt liberati à servitute corporali & temporali ; nos autem ab æterna & spirituali.

Sexta conclusio : quòd populus Judaicus non solum fuit ingratus Deo in non recipiendo Christum, sed etiam mendax : quia fecit mendacem Deum, & Legem, & Prophetas, per quos Christus fuit promissus.

Septima conclusio : quòd propter hoc peccatum Judæi fuerunt dimissi & derelicti *in adinventionibus suis* per substractionem gratiæ : & ideo ma- D nent obstinati usque ad finem mundi.

*** *** ***
*** ***
***

E PSALMUS LXXXI.

1. *Deus stetit in Synagoga deorum : in medio autem deos dijudicat.* 56.d.cap. Dominus, 3.q.7.c. Judicet.

2. *Usquequò judicatis iniquitatem : & facies peccatorum sumitis?*

3. *Judicate egeno & pupillo: humilem & pauperem justificate.* F

4. *Eripite pauperem : & egenum de manu peccatoris liberate.* 11.q.3.c. Illa, & c. sequent.

HUIC Psalmo præponitur talis Titulus, scilicet, *Psalmus Asaph*: ad denotandum, quòd David fecit hunc Psalmum & dedit ipsum cantandum ipsi *Asaph* : eò quòd dirigitur toti Ecclesiæ, per *Asaph* figuratæ. Qui quidem Psalmus licet sit parvus & brevis in verbis; tamen est longus in sententia & intelligentia, eò quòd præsupponit multa & G magna ad suam intelligentiam in utroque Testamento. Ideo non tædeat lectorem totam Expositionem inspicere.

Ad cujus intellectum est primò notandum secundùm *Josephum* 18. *Antiquitatum*, & 2. *de Bello Judaico* : quòd per quadraginta annos ante nativitatem Christi surrexerunt quatuor sectæ in *Hierusalem* : inter quas surrexerunt duæ principales : quarum prima fuit secta *Saducæorum*, qui non recipiebant nisi quinque libros Moysi, & sic spernebant libros Prophetarum, & nuptias, & negabant Angelos esse. Contra quos surrexit secta *Pharisæorum*, de tribu *Simeon*: qui recipiebant Legem & Prophetas, & H colebant nuptias, & asserebant Angelos esse, & expectabant Messiam futurum, per Prophetas prænuntiatum, venturum ad liberandum eos temporaliter de jugo Romanorum &c. Isti autem fingentes arctam religionem, & observantiam Legis, erant divisi à cæteris popularibus, & habitu, & moribus, & modo vivendi : & ideo dicti sunt *Pharisæi*, id est, *divisi*. Et quia præ cæteris dabant operam studio Legis & Prophetarum; ideo assumpti sunt ad dignitatem judicialem, accipientes à principibus Sacerdotum potestatem glossandi, & legendi, & judicandi judicia super cathedram Moysi lo-

Secta Saducæorũ.

Nota de Pharisæis.

loco illorum ſeptuaginta quos Moyſes ſtatuit ad cauſas audiendas & diſcutiendas, & litigia ſedanda, & dirimenda in populo. Et ſic inceperunt ordinare aliquas traditiones novas ad regendum populum, ſemper ad proprium lucrum, & augendas divitias, & impinguandas domos ſuas: eò quòd fuerunt aſſumpti & recepti ad portionem decimarum, & oblationum ſimul cum Sacerdotibus: cæteri autem Juris & Legiſperiti de Tribu *Simeon* ſimul cum *Phariſæis* judicantes, & ſedentes in cathedra Moyſi, qui non ſervabant illam religionem, dicebantur *Scribæ*: eò quòd ſimul gloſſabant Legem, & ſcribebant traditiones, & decidebant cauſas & litigia.

Omnes ergo iſti, tàm Scribæ, quàm Phariſæi in tantum ſunt abuſi ſuâ poteſtate propter proprium lucrum, quòd deſtruebant populares, dilatando litigia, & comedebant domos viduarum, & pupillorum, & opprimebant pauperes & favebant divitibus, facti acceptatores perſonarum. Sed quia in hoc tempore venit Chriſtus, ad quem pertinebat declarare Legem & Prophetas, & manifeſtare voluntatem Patris, recipiens Templum & Legem profanatam per eos: ideo incœpit prædicare contra eorum avaritiam & tyrannidem, & *dijudicare* in Templo & *Synagogis* contra Scribas & Phariſæos: quia omnia judicia perverterant, & bonos mores, & Templum profanaverant. Et hæc fuit cauſa quare moti ſunt contra eum & conſpiraverunt in necem ejus, ut dictum fuit *Pſalmo* 2.

Hoc prævidens David in ſpiritu fecit hunc Pſalmum: in quo tria principaliter facit, introducendo Chriſtum loquentem. Nam primò exprobrat & reprehendit pravum & perverſum judicium Judæorum, ſcilicet *Scribarum* & *Phariſæorum*, quod fecerunt contra Chriſtum, & cæteros pauperes. Secundò, prædicit eorum cœcitatem & obſtinationem. Tertiò eorum punitionem. Secunda ibi: *Neſcierunt, nec intellexerunt.* Tertia ibi: *Ego dixi, dii eſtis.*

Judices dicuntur dii.

Quantum ad primum eſt notandum, ſicut dictum fuit *Pſalmo* 49. quòd Sacra Scriptura multotiens Judices appellat *deos* ſecundùm officium, per quandam participationem, in quantum Deus communicat eis officium regendi in terris: quia *omnis poteſtas à Deo eſt*, ut infra patebit. Et ſic dixit Dominus ad *Moyſen*, *Exod.* 22. *Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos.* Item in eodem: *Ad deos* (id eſt, ad judices) *utriuſque cauſa perveniet.* Item in eodem: *Diis* (id eſt, judicibus) *non detrahes, & principi populi tui non maledices.* Et ſic Deus vocat eos *deos*, in quantum gerunt & exercent officium ex parte Dei in terris. Et ita pariter David in hoc Pſalmo Scribas, & Phariſæos, & principes Sacerdotum vocat *deos*; eò quòd ſedebant in cathedra *Moyſi* judicantes judicia tamquam ſucceſſores illorum ſeptuaginta quos Moyſes conſtituit ad judicandum ex conſilio *Jethro*, & præcepto Dei, quorum falſa & perverſa judicia Chriſtus reprehendit, & dijudicat in hoc Pſalmo propheticè, prout poſtea dijudicavit principaliter in carne.

Dicit ergo David: quòd Chriſtus Deus, & verus Judex venit in carne, & *ſtetit in Synagoga* & congregatione *deorum*, ſcilicet Judicum, Scribarum, & Phariſæorum, & Sacerdotum, qui judicabant judicia in Synagogis ſedentes ſuper cathedram *Moyſi*: ſed Chriſtus, tamquam Judex principalis & verus, *dijudicat* inter *deos*, ſcilicet, inter Scribas, & Phariſæos, qui alios injuſtè & falsò judicabant: qui dijudicando eos, eorum prava judicia reprehendebat, dicens: ò Scribæ, & Phariſæi, qui ſedetis in cathedra *Moyſi*, *uſquequò judicatis* inique, & iniqua judicia: *& facies peccatorum ſumitis*? id eſt, perſonas peccatorum acceptatis contra juſtos & pauperes: quia hucuſque multos innocentes condemnaſtis, & nocentes & injuſtos abſolviſtis: *judicate* ergo *pupillo & egeno*, ipſi juſtitiam miniſtrando, & injuriam non inferendo, ſed in ſua juſtitia favendo: & *humilem & pauperem juſtificate*, id eſt, in judicio juſtum oſtendite, quia qui condemnat innocentem & juſtum, injuſtum ipſum apud populum oſtendit.

Et *eripite pauperem, & egenum, & liberate* eum *de manu peccatoris* opprimentis eum injuſte. Sed inter cæteros nolite me ex invidia injuſtè ad mortem judicare: & *eripite* me *pauperem & egenum, & liberate* me *de manu* Pilati, cui me crucifigendum tradidiſtis.

Dijudicavit Chriſtus in quadruplici Synagogâ.

Sed ad majorem intellectum eſt notandum: quòd Chriſtus in quadruplici Synagogâ dicitur *dijudicare*, & hoc quadruplici judicio. Nam primò *dijudicavit in Synagoga*, id eſt, congregatione Apoſtolorum; & hoc, judicio diſcretionis, diſcernendo veritatem & intelligentiam Legis, ut patet *Matth.* 5. & 6. & per totum diſcurſum Euangelicum. Secundò, *dijudicavit* in Synagoga Scribarum, & Phariſæorum, & Sacerdotum; & hoc, judicio exprobrationis & reprehenſionis, ut patet etiam per totum diſcurſum Euangelicum, & maximè *Matth.* 12. quando Phariſæi dixerunt, quòd *in Belzebub ejiciebat dæmonia*: ubi per multas rationes exprobravit eorum malitiam, & cæcitatem, & futuram damnationem. Item apud *Caphar-*

pharnaum, *Joann.* 6. ubi disceptavit cum eis *de pane vivo.* Item in *Hierusalem*, quando dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Item *Matth.* 21. & 22. & 23. quando dixit eis: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi.* Et quando dixit: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi &c.* Et sic patet, qualiter Christus multotiens & sæpe stetit in Synagoga Scribarum & Pharisæorum, & *dijudicavit* inter eos, eorum pravos mores, & falsam doctrinam reprehendendo, & iniqua judicia, quæ faciebant contra pauperes, & contra ipsum, improperando, & eorum damnationem & obstinationem prædicendo, & improperando. Tertiò *dijudicavit*, & *dijudicat* Christus *in Synagoga* Beatorum in cœlo, & occulto judicio, obstinatos Judæos ad perpetuam captivitatem & servitutem temporalem, in qua sunt hodie, & etiam ad spiritualem condemnando. Quartò, judicabit in fine mundi in medio duodecim Apostolorum, quando veniet in potestate magna & majestate: & tunc *dijudicabit* judicio universali & manifestè inter reges & suos populos, & inter prælatos & suas oves: & sic tribuet unicuique secundùm opera sua. Et sic ista prima pars principaliter intelligitur de judicio, quo Christus *dijudicavit* inter Scribas & Pharisæos, eorum iniqua judicia detestando: & maximè iniquum judicium, quod fecerunt contra eum.

Unde ait David, quòd Christus *Deus stetit in Synagoga deorum*, scilicet, judicum Scribarum, dicens: *Usquequò judicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis*, innocentes condemnando & pravos absolvendo? *Judicate pupillo & egeno, humilem & pauperem* ipsum *justificate*, id est, justum cognoscite. Et *eripite* me *egenum, & pauperem*, & inopem, & *liberate* me *de manu* Pilati *peccatoris*, & hominis Idololatræ & Gentilis, cui me crucifigendum tradidistis. Quasi dicat, sicut liberastis *Barabbam* seditiosum, & latronem, & homicidam de manu *Pilati*, volentis ipsum suspendere: ita liberate me *egenum*, & *pauperem*, & innocentem: quia nullus vestrum est, qui possit arguere me de peccato. Sed vultis me interficere, quia veritatem locutus sum vobis. *Joann.* 7. & 8. & 10.

Omnia ergo supradicta possunt esse verba Prophetæ, incipiendo constructionem à secundo versu: ut quod dicat David apostrophando: ò Scribæ & Pharisæi, *usquequò judicantis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis* contra Christum & pauperes? *judicate* Christo, & unicuique *pupillo: & egenum, & pauperem*, & innocentem *justificate*, justum ostendendo. *Eripite* Christum *pauperem* & innocentem *de manu* Pilati *peccatoris* liberate: quoniam Christus *Deus stetit*, id est, stabit in judicio finali *in Synagoga* duodecim Apostolorum, judicando duodecim tribus Israel: & sic ipse qui judicatus fuit à vobis iniquè, judicabit vos justè ad mortem & pœnam æternam &c. utroque ergo modo potest intelligi & exponi ista prima pars hujus Psalmi. Sed prima Expositio continet plura sacramenta: eò quòd continet & implicat totum discursum Euangelicum, & est magis conformis litteræ & sententiæ subsequenti. Deinde cùm subdit:

5. *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.* 11. q. 3. *Plerùque.*

PRædicit Propheta cœcitatem & obstinationem Judæorum conceptam contra Christum. Ad cujus intellectum est primò notandum, sicut ex prædictis potest haberi, quòd tres conditiones Judæorum concurrerunt in principio ad conjurandum & conspirandum in mortem Christi. Primò *Sadducæi*, ex ignorantia Legis & Prophetarum, eò quòd Christus prædicabat resurrectionem, & vitam futuram Beatorum, & honestatem & stabilitatem Matrimonii: quæ omnia ipsi ignorabant ex ignorantia Legis & Propherarum, prout Christus ostendit eis, *Matth.* 17. Secundò, convenerunt *principes sacerdotum*: eò quòd prædicabat contra eorum avaritiam. Tertiò, convenerunt *Scribæ* & *Pharisæi* ex odio concepto & invidia: quia eos flagellaverat & ejecerat de Templo, & exprobraverat eorum vitam simulatam, & superbam, *Matth.* 23. *Hic conspiraverùt Christi mortem.*

Item, secundò est notandum, quòd sicut illæ tres conditiones, scilicet *Sadducæi*, & *Scribæ*, & *Pharisæi*, & *Sacerdotes* convenerunt & conspiraverunt ad tractandum necem Christi: ita tres conditiones hominum convenerunt ad executionem mortis Christi. Primò, omnes supradictæ tres conditiones, scilicet *Sadducæi*, *Scribæ*, & *Pharisæi*, & *Sacerdotes*, qui tamquam reum tradiderunt eum *Pilato* ad crucifigendum. Secundò, *totus populus* ab eis seductus: qui simul cum eis instabat & clamabat, *Crucifige.* Tertiò, *Pilatus* cum suis ministris, qui Christum flagellavit & crucifixit. Et omnes isti, tàm primi, quàm secundi convenerunt & processerunt in mortem Christi ex quadam ignorantia: sed diversimodè, prout videbitur. Nam

qui-

quidam processerunt *ex ignorantia negationis* : quidam *ex ignorantia seductionis* : & quidam *ex ignorantia affectata* , *& perpetrata* : & de omnibus his potest intelligi , immò intelligitur iste versus. A

Unde dicit Propheta : quòd Christus *Deus* venit in carne , *& stetit in Synagoga* Scribarum & Pharisæorum declarando Legem & Prophetas , & reprehendendo eorum peccata. Sed tres conditiones hominum Judæorum contempserunt eum in principio ex quadam ignorantia , & sic conspirarunt in necem ejus. Nam primò *Sadducæi* nescierunt , *ex ignorantia negationis* : eò quòd non recipiebant Prophetas , nisi solos quinque libros *Moysi* ad litteram sine aliqua intelligentia. Secundò , non intellexerunt eum *Sacerdotes* & *Levitæ*: eò quòd non dabant operam studio Legis & Prophetarum , nisi ad recipiendas decimas & oblationes : cætera autem committebant Scribis & Pharisæis. Sed tertiò , Scribæ , & Pharisæi *ambulaverunt in tenebris ex ignorantia affectata* , *& crassa* , & sponte ex industriâ , & invidiâ , & malitiâ perpetratâ , quæ obcœcavit eos , ne intelligerent sacramenta Dei in Scripturis, nec doctrinam , quam Christus eis prædicavit. Et sic omnes istæ tres conditiones Justæorum conspiraverunt in necem Christi : primi *nesciendo* ; *Sacerdotes* , *non intelligendo* ; Scribæ & Pharisæi , *in tenebris* , & malitiâ , & odio , & invidiâ obcœcati *ambulando*. B C

Christum nescierunt isti.

Item , iste versus , & intelligentia ejus , non solum refertur ad conspirationem , sed etiam ad executionem necis Christi. Nam primò , *Pilatus* cum ejus ministris *nescierunt* , *ex ignorantia negationis* : quia numquam viderunt Legem & Prophetas ; nec tenebantur videre : quia erant Gentiles. Secundò , *populares Judæorum non intellexerunt* Legem , quam intelligere tenebantur : & etiam *non intellexerunt* doctrinam Christi : eò quòd erant occupati circa negotia temporalia. Sed tertiò *Sadducæi* , *Scribæ* , *& Pharisæi* , *in tenebris ambulaverunt* , ex avaritiâ , & invidiâ , & odio , & malitiâ, quæ occœcavit eos , ne intelligerent doctrinam Christi , nec Legis , nec Prophetarum : quibus dixit Christus : *Scrutamini scripturas : quia illæ testimonium perhibent de me : & si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi : qui ille de me scripsit* , *Joann.* 5. Item *Joann.* 12. dicit Christus eis : *Ambulate dum lucem habetis* , *ne tenebræ vos comprehendant:* &, *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Sed subdit Euangelista , quòd *cum tanta signa fecisset coram eis* , *non credebant in eum : ut sermo Isaiæ* , *impleretur : Excœcavit oculos eorum* , *& induravit cor eorum* , *ut non videant oculis* , *& non intelligant corde &c. Isai.* 6. Et sic patet, qualiter omnes isti convenerunt in mortem Christi , scilicet , *Pilatus* cum suis, *nesciendo* : & *populus Judæorum* , sive turba , *non intelligendo* : & *Sadducæi*, & *Scribæ* , & *Pharisæi* , & *Sacerdotes*, *in tenebris* odii , & invidiæ obcœcati *ambulando*. D E

Nota.

Item tertiò , iste versus potest intelligi & exponi , referendo ad triplicem statum Scribarum & Pharisæorum. Nam primò , ante adventum Christi *nescierunt* intelligentiam Legis & Prophetarum : eò quòd solus Christus erat Legem & Prophetas declaraturus , ut patet *Deuter.* 23. Sed secundò , quando venit Christus declarans Legem & Prophetas, *non intellexerunt* , nec voluerunt intelligere , prout dictum est. Sed postquam non crediderunt post Passionem & Resurrectionem , sed in eadem cœcitate, & malitiâ , & obstinatione permanere decreverunt , & in eâdem hodie perseverant : ideo dicit Propheta , quòd *in tenebris ambulant.* Nam primò *ambularunt in tenebris* obstinationis à resurrectione Christi usque ad destructionem Civitatis *Hierusalem* , & vastationem eorum , per quadraginta annos : sed modò *ambulant in tenebris* usque ad finem mundi , in eâdem obstinatione semper perseverando , & falsam , & detestabilem doctrinam semper addendo , & augendo. F G

Triplex status Scribarum.

Et subdit : *Movebuntur omnia fundamenta terræ* : quasi dicat , quòd ista cœcitas & obstinatio durabit & perseverabit usquequò *movebuntur fundamenta terræ* : id est , per quadraginta annos post resurrectionem Christi , usque ad destructionem *Hierusalem* , & totius terræ promissionis factam per *Titum* & Romanos : in qua destructione tota Civitas fuit evulsa , & eversa à fundamentis. Et non solum fuit eversa *Hierusalem* à fundamentis : sed etiam multæ aliæ Civitates Judææ & Galilææ , & totius terræ promissionis , ut ait *Josephus* in libro *de Bello Judaico*. H

Item , non solum *ambularunt in tenebris* cœcitatis & obstinationis usque ad destructionem *Hierusalem* à fundamentis , sed etiam *ambulant in tenebris*, perseverando in sua malitiâ , addendo dolorem super dolorem , & apponendo iniquitatem super iniquitatem , & mala malis , usque ad finem sæculi , quando *movebuntur fundamenta* totius *terræ*. Nam post Passionem Christi diabolus egressus à populo Gentili , *assumpsit septem spiritus* , & hæreses *nequiores se*,

&

& ingreſsi, *habitaverunt* in populo Judaico : & ſic *facta ſunt noviſsima illius pejora prioribus*, ſemper addendo mala malis.

Ad cujus intelligentiam eſt ulterius notandum : quòd illa ſupradicta doctrina deteſtabilis Scribarum & Phariſæorum perſeverat hodie inter Judæos modernos, tamquam morbus hæreditarius cum augmento Thalmudicæ pravitatis. Unde Phariſæi ante adventum Chriſti ſolum depravaverant Scripturas, quoad præcepta pertinentia ad judicia & oblationes, in quantum attrahebant, & gloſſabant ad nutum ſuum, fingendo religionem, ut patet *Matth.* 23. ſed poſt reſurrectionem Chriſti videntes Scribæ & Phariſæi manifeſtatam reſurrectionem per miracula Apoſtolorum, & quomodo multa millia hominum convertebantur ad Chriſtum, conſitentia ipſum eſſe Meſſiam in Lege promiſſum : tunc confuſi & malitiâ obcœcati, excogitaverunt immittere deterius venenum, & fermentum, ad corrumpendum Sacram Scripturam veteris Teſtamenti, pervertendo Legem & Prophetas à vero ſenſu: volendo probare, quòd Chriſtus in Lege promiſſus non debebat eſſe Deus, ſed purus homo : & quòd tantùm erat venturus ad liberandum illum populum de captivitate temporali Romanorum, & ad conferendum eis bona temporalia.

Nota de depravatione Scripturarum per Scribas.

Sed ut ſuam perfidiam fortiùs poſſent aſtruere, aſciverunt in ſocietatem ſuam quendam Neocromanticum nomine *Mair* genere Idumæum : & fecerunt ipſum proſelytum precibus & muneribus, inſtruendo ipſum in Lege & Prophetis cum falſa intelligentia & deteſtabili fermento eorum. Sed cum iſte *Mair* eſſet jam verſutus & aſtutus, ut complaceret Phariſæis, excogitavit iniquum modum ad confirmandam & augendam malitiam eorum. Et dixit, qualiter Deus dedit duplicem Legem *Moyſi* in monte *Sinai*. Primò, unam ſcriptam in tabulis & in chartis, & aliam ore tenus, & ſecretam. Unde *Moyſes* ſolùm manifeſtavit Legem ſcriptam populo, quæ continetur in illis quinque libris, qui habentur apud omnes : ſed non manifeſtavit Legem ſecretam ore tenus datam, ſed illam tantum manifeſtavit *Joſue*, cum pacto, ut ille tantum manifeſtaret ſuo ſucceſſori. Et ſic dicebat iſte ſacrilegus *Mair*, quòd illa Lex per ſucceſſores venerat uſque ad ipſum, cui præcepit Deus manifeſtare eam omni populo Hebræorum propter inſtantem neceſſitatem; quia multi Judæorum convertebantur ad Chriſtum, ne Judaiſmus deſtrueretur. Quam quidem Legem appellavit *Miſna*, id eſt, *ſecundam Legem*; in qua quidem Lege continentur multa erronea, & contraria veritati.

Nota.

Sed inter cætera continetur, quòd *prima Lex* non fuit data, niſi ad quandam inſtructionem temporalem, ſed iſta *ſecunda* eſt de ultima intentione Dei, tamquam declaratio primæ : & quod iſta ſecunda debet corrigere primam, cùm ſit majoris authoritatis, & de ultima intentione Dei. Et ſic continet multa contra veritatem litteræ, pervertendo verum ſenſum primæ Legis, quam habemus, ad falſum propoſitum eorum. Et continet etiam omnes traditiones Phariſæorum, ut oſtenderet eas à Deo ordinatas.

Omnes autem iſtas traditiones contentas in *Miſna*, ſive ſecunda Lege, poſtea redegit in ſcriptis quidam appellatus *Rabbi Indanaſi* (qui ſecundùm alios vocatur *Rabbi Monoa*) in quodam volumine multis libris diviſo, quod Judæi appellant *Miſna*, id eſt, *ſecundam Legem.*

Sed tempore Magni *Conſtantini* videntes *Rabbini* Hebræorum totum populum Gentilem converti ad Chriſtum, & deſtrui idola, & omnia templa idolorum conſecrari in Eccleſias Chriſti ; ex cujus occaſione maxima multitudo Judæorum convertebatur ad Chriſtum, eò quòd patebat manifeſtè Chriſtum fuiſſe verum Meſſiam, poſtquam in nomine ſuo omnia idola delebantur ſecundùm oracula omnium Prophetarum : hoc ergo videntes *Rabbini* Judæorum congregati ſunt in *Babylonia Ægypti* in magna multitudine, qui ſupradictum *Miſna* prolixiùs & copioſiùs expoſuerunt, & in plures libros diviſerunt : quam quidem Scripturam *Thalmud* appellaverunt : in quo quidem *Thalmud* multa falſa, & contra rationem & naturam, & bonos mores conſinxerunt.

Inter cætera etiam dicunt, quòd quando *Moyſes* accepit ſupradictam duplicem Legem in monte *Sinai*, pariter fuerunt cum *Moyſe* animæ omnium Prophetarum, ſcilicet *Iſaac*, & *Jeremiæ*, & aliorum, qui ſinguli ſuas ſingulas acceperunt prophetias: quæ quidem animæ Prophetarum poſtea temporibus ſuis venerunt ad corpora ſua, & ſic ſuis temporibus manifeſtarunt in Iſrael ſuas prophetias.

Item tertiò dicunt : quòd ibidem fuerunt animæ omnium *Rabbinorum* qui compoſuerunt *Thalmud* : & ibi in monte *Sinai* acceperunt intelligentiam Legis & Prophetarum, & totam doctrinam traditam in ipſo *Thalmud* : quæ quidem animæ venerunt ad ſua corpora tempore Magni *Conſtantini*, qui tradiderunt Thalmudicam doctrinam in libris

bris *Thalmud*. Et ideo dicunt, quod illa doctrina non poteſt mentiri, poſtquam fuit tradita à Deo ſimul cum Le- A & Prophetis. Quam quidem doctrinam Thalmudicam legunt & obſervant omnes Rabbini Judæorum, & cum ea regunt Judaiſmum, & Judæos ſimplices; & in tali deceptione & cæcitate perſeverant.

Ex quibus omnibus ſequitur: primò, quòd doctrina Thalmudica habuit ortum à ſecta *Phariſæorum*: ſed poſt proceſſit, & crevit, addendo deteriora mendacia, & figmenta, & deteſtabilius fermentum, corrumpendo veram intelligentiam Legis & Prophetarum, & pervertendo Sacram Scripturam à vero ſenſu: negando Chriſtum eſſe Meſſiam, B promittendo alium Meſſiam temporalem.

Secundò ſequitur, quòd doctrina Thalmudica eſt doctrina Phariſaica. Nam ut dicunt, doctrina *Thalmud* nil aliud eſt, niſi expolicatio ipſius *Miſna*, ſive Legis ore tenus datæ. Et *Miſna* nil aliud eſt niſi prima Lex expoſita ſecundùm traditiones Phariſæorum.

Ex quibus patet, quòd doctrina Phariſaica adhuc perſeverat hodie inter Judæos modernos: quam doctrinam Chriſtus appellat *fermentum Phariſæorum*: *Matth.* 16. *Lucæ* 11. eò quòd C corrumpit veram intelligentiam Legis & Prophetarum. Hæc eſt ergo illa tenebroſa doctrina, quam præcepit vitare Chriſtus Judæis, quando dixit: *Ambulate in lucem, ne tenebræ vos comprehendant*. Et *in* his *tenebris ambulant Judæi*, poſtquam negarunt Chriſtum, uſque ad præſentem diem, & *ambulabunt* uſque in finem mundi.

Doctrina Phariſæorum dicitur fermentum.

Ex ſupradictis patet, quòd Judæi moderni jam *non ambulant* in Lege Dei, ſed in tenebris Phariſaicis, & Thalmudicis, & tenebroſo fermento illius ſacrilegi *Mair* Idumæi. Et ideo jam non ſunt populus Dei, nec Judæi, nec Iſraelitæ, ſed Idumæi ab illo *Mair*, cujus doctrinam ſequuntur: qui cum ſeptem diabolis Thalmudiſtis ingreſſus D eſt in Synagogam, & *facta ſunt noviſſima illius pejora prioribus*. Quod prævidens David in ſpiritu, dicit: quòd Scribæ & Phariſæi *neſcierunt* Legem Dei & Prophetas ante adventum Chriſti, *nec intellexerunt*, quando Chriſtus eam declaravit; quia non intelligendo Chriſtum, *non intellexerunt* Legem, nec Prophetas: quia noluerunt ipſum intelligere invidiâ, & malitiâ, & avaritiâ obcœcati, & ſic crucifixerunt eum.

Sed taliter fuerunt obdurati & obcœcati poſt reſurrectionem, quòd in eadem malitia & obſtinatione *ambularunt*, uſquequò fuerunt everſa & mota *fundamenta terræ*, & civitates eorum E deſtructæ per *Titum* & Romanos.

Sed adhuc magis tenebroſi & depravati per falſam doctrinam *Thalmud* & *Mair*, *in tenebris ambulant*, uſquequò *movebuntur fundamenta terræ*, id eſt, totius orbis, tempore Judicii, quando erit univerſalis terræmotus in mundo; quando non ſolùm fundamenta terræ, ſed etiam *virtutes cœlorum movebuntur*, *Matth.* 24. Quaſi dicat David: quòd uſque ad finem mundi perſeverabit iſta cœcitas, & obſtinatio, & Judæi *ambulabunt in tenebris* hujus deteſtabilis doctrinæ *Mair* & *Thalmudiſtarum*.

F Sed eſt advertendum: quòd licèt iſta cœcitas & obſtinatio Judæorum ſit irremiſſibilis reſpectu totius Synagogæ uſque ad judicium; tamen particulariter eſt remiſſibilis reſpectu aliquorum.

Ad cujus intellectum eſt notandum: quòd voluntas hominis tenet medium inter voluntatem Dei, & diaboli, ratione conſultationis & electionis. Nam voluntas Dei eſt omnino immutabilis in ſua electione, cùm non indigeat conſultatione: eò quòd ſua duratio ſit interminabilis & tota ſimul. Et ſic omnia videt & prævidit ſimul; & ſic peccare non poteſt. Sed quia voluntas diaboli non elegit ſine prævia conſultatione: ideo G per totam moram conſultationis potuit errare in ſua electione, dum fuit viator, ſecundum quod fuit mutabilis ad utrumlibet. Sed poſtquam ſemel elegit, manſit immutabilis in ſua electione. Et ideo boni Angeli fuerunt confirmati in gratia poſt electionem, & mali manſerunt obdurati, & irrevocabiliter obſtinati in peccato ſuo. Et illud peccatum eſt eis irremiſſibile, ſicut eſt in eis irrevocabile; eò quòd peccaverunt in termino ſuæ viæ.

Voluntas hominis media inter Dei & diaboli voluntates.

Sed quia voluntas hominis tenet medium inter voluntatem Dei & Angeli; ideo eſt mobilis poſt electionem, ſicut antè, ad retractandum quod elegit, & eligendum oppoſitum bonum, H vel malum: quia tota vita hominis eſt via uſque ad terminum mortis, ut poſtea dicetur: & ſic numquam peccat in termino uſque ad mortem incluſivè, & ſemper ejus peccatum perpetratum in vita eſt remiſſibile. Et ideo peccatum primorum parentum fuit remiſſibile, quia peccarunt in via: & ſic peccatum cujuſlibet Chriſtiani eſt remiſſibile uſque ad mortem excluſivè; eò quòd uſque ad illum terminum comitatur ipſum gratia Chriſti in virtute, ratione characteris, quem accepit in Baptiſmo. Secùs autem eſt de Judæis, qui totaliter reſiſtunt gratiæ Chriſti, qui noluerunt recipere characterem Chriſti, qui frequentiſsime

Not. quo modo uſque ad mortem peccatum eſt remiſſibile.

in Christianis est causa recuperandæ gratiæ & charitatis, per peccatum actuale perditæ & amissæ : immò ultra pœnam ignorantiæ inflictæ in *Adam*, perpetrarunt ipsi cœcitatem & obstinationem propter mortem Christi, & Legis Euangelicæ, & doctrinæ ejus : immò etiam procurarunt sibi falsam doctrinam Pharisaicam & Thalmudicam, quæ magis reddit eos hebetes, & ineptos, & indispositos ad lumen veritatis capessendum ; propter contrariam indispositionem inflictam, & affectatam, & perpetratam. A

Et sic manet peccatum eorum de se irremissibile ; eò quòd cœcitas eorum est indelebilis, nec habent de se aliquam dispositionem nec aptitudinem ad gratiam recipiendam, sicut habent Christiani post peccatum commissum : quia restat Christiano peccatori character Christi, & fides informis, per quam est aptus ad recipiendam gratiam & charitatem, & ad faciendam pœnitentiam. Et sic peccatum Synagogæ, & cœcitas manet indelebilis, & obstinata usque ad Antichristum. Sed ex hoc non tollitur, quin Deus quadam gratiâ speciali possit aliquos Judæos particulariter illuminare, simul removendo velamen cœcitatis, & disponendo, & gratiam conferendo, sicut frequenter fieri videmus. Sed tota Synagoga simul *in tenebris ambulat* usque ad Antichristum, sicut dictum est. B

23. q. 5. c. fin.

6. *Ego dixi : dii estis, & filii Excelsi omnes.* C

Et Joann. 10. & 17. d. c. 1.

7. *Vos autem sicut homines moriemini : & sicut unus de principibus cadetis.*

HÆC est tertia pars, in qua prædicit punitionem Judæorum propter eorum ingratitudinem : quia Christus venit de cœlo, & factus est homo, ut eos ex hominibus *deos* faceret, & *filios Dei :* sed ipsi noluerunt Christum audire : immò voluerunt *tamquam homines* manere ; & quod deterius est, effecti sunt *filii diaboli* Christum occidendo. D

Ad cujus intellectum est primò notandum : quòd licèt sola Trinitas personarum sit unus Deus per naturam : tamen quadrupliciter aliqua creatura potest fieri, & dici *Deus*. Primò modo per personalem unionem : & sic solus homo Christus dicitur *Deus*, & factus *Deus* quia fuit assumptus à Verbo in unitatem personæ. Secundò modo potest aliquis fieri & dici *Deus*, per mysticam incorporationem ad Christum, & per unionem gratiæ, fidei, & charitatis : & sic omnes fideles, tamquam membra Christi qui est Deus, dicuntur *dii*, & facti *dii* per unionem mysticam ad Christum Deum & hominem. Tertiò modo quis potest fieri & dici *Deus* per participationem gloriæ, in quantum *Deus est, & erit omnia in omnibus* in illa cœlesti gloria, *primæ ad Corint.* 15. Et sic soli Beati comprehensores sunt *dii*, tàm homines, quàm Angeli. Quartò, aliquis potest dici *Deus* per participationem, & officium, in quantum Deus communicat alicui potestatem regendi, & gubernandi, & judicandi in terra : & sic omnes reges, & principes, & prælati dicuntur *dii* in Scriptura, & omnes judices, ut dictum est : quia omnis potestas à Domino Deo est. Ideo dixit Christus *Pilato : Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper*, *Joann.* 19. Et non solum judices & rectores dicuntur *dii* in terra, sed etiam *Michael* dicitur *Quis ut Deus* in cœlo, secundùm officium regendi & gubernandi ex parte Dei. E F

Creatura quomodo quadrupliciter dicitur Deus.

Ex supradictis patet : quòd nulla creatura potest esse *Deus*, nisi per quandam participationem alicujus divinæ perfectionis, in quantum Deus communicat alicui creaturæ aliquam perfectionem sibi propriam per essentiam. Et sic in quantum communicat suam judiciariam potestatem regibus, & principibus in terra, & prælatis Ecclesiasticam potestatem, & claves discernendi, & ligandi, atque solvendi, & Sacerdotibus ministrandi Sacramenta, facit eos *deos* secundùm officium. Et sic etiam homines facit *deos*, communicando suam sapientiam. Et sic *Apostoli* dicuntur *dii*, quibus Christus communicavit, & *nota fecit eis quæcumque audivit à Patre*, *Joannis* 15. Et ideo dicit *Aristotel.* 10. *Ethicorum :* quòd *in quantum possumus, debemus conari attingere cognitionem substantiarum separatarum, & imitari Deum, ut possumus, per sapientiam ; quia ut sic efficimur quasi dii.* G

Item Christus communicando nobis suam gratiam, & merita suæ passionis, nos fecit *deos* per mysticam unionem : & communicando suam gloriam & beatitudinem, nos fecit *deos* per æternam fruitionem. Et sic patet, quòd licèt solus Deus trinus & unus sit Deus per naturam : tamen homines potest facere *deos* per participationem gratiæ & gloriæ : & sic dicit *Boetius* 3. *de Consolatione*, *prosa* 8. *Nam quoniam beatitudinis adeptione fiunt homines beati, beatitudo verò est ipsa divinitas : divini-* H

nitatis adeptione beatos fieri manifeſtum eſt : ſed uti adeptione juſtitiæ juſti , & adeptione ſapientiæ ſapientes fiunt : ita divinitatem adeptos , deos ſimili ratione fieri neceſſe eſt : omnis igitur beatus Deus eſt. Sed naturâ quidem unus ; participatione verò nihil prohibet eſſe plurimos.

Secundò eſt notandum : quòd ſicut Deus fecit tripliciter homines *deos*: ſcilicet , per perſonalem unionem , & myſticam incorporationem , & per participationem , ſive communicationem gratiæ & gloriæ &c. ita pariter fecit homines *filios Dei* tripliciter. Nam primò Deus fecit Chriſtum hominem , *Filium Dei naturalem* , per perſonalem unionem ad Verbum : quia tota illa perſona dicitur unus *Filius Dei naturalis.*

Homines fieri deos & Dei filios tripliciter.

Secundò , fecit omnes fideles *filios Dei adoptivos* per adoptionem , in quantum ſunt Chriſto incorporati per myſticam unionem , & fidem , & gratiam. Nam ſicut unus eſt *Filius Dei naturalis* : ita Chriſtus verus Deus & homo eſt unus *Chriſtus myſticus* cum omnibus membris fidelibus. ejus , ut pluries dictum eſt. Ergo ſequitur , quòd ſicut omnes fideles per talem myſticam unionem ad Chriſtum dicuntur *dii* , non naturaliter , nec perſonaliter , ſed per participationem gratiæ , & talis unionis: ita pariter dicuntur , & efficiuntur *Filii Dei* , non naturales , ſed adoptativi , & per adoptionem.

Tertiò ex conſequenti nos fecit *filios Dei* per ſuæ gloriæ participationem, & communicationem. Ex quibus patet, quòd ſolus Deus fecit Chriſtum hominem *Deum* , & *Filium Dei naturalem*, per perſonalem unionem : ſed Chriſtus Deus & homo , Caput Eccleſiæ , fecit omnes fideles *deos* , & *filios Dei* per regenerationem Baptiſmalem , & myſticam unionem , & glorificationem : quia *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* , *Joan.* 1. Quod autem per talem regenerationem & incorporationem omnes fideles ſint facti *dii* , & *Filii Dei* , & unus Chriſtus cum Capite ſuo Chriſto vero , & unum cum Deo , oſtendit Salvator, *Joann.* 17. in oratione ad Patrem , cum dicit : ò Pater , *ego pro eis ſanctifico meipſum , ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate : non pro eis autem rogo tantum ; ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me : ut omnes unum ſint , ſicut tu Pater in me , & ego in te , ut & ipſi in nobis unum ſint. Et ego claritatem , quam dediſti mihi, dedi eis : ut ſint unum , ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis , & tu in me: ut ſint conſummati in unum &c.* Ex quibus verbis dicit *Auguſtinus* : quòd *non ſolùm nos facti ſumus ipſe Chriſtus, & ipſe Deus : ſed ipſe Chriſtus , & ipſe Deus factus eſt nos : & ſic ſumus facti dii , & Filii Dei per talem unionem ad Chriſtum : & ſic cum ipſo ſumus & concrucifixi , & conſepulti , & conglorificati , & in eo baptizati : & cum eo conſurreximus , ut ait Apoſtolus ad Romanos* 6.

Chriſtus fecit fideles deos.

Ex omnibus ſupradictis patet : quòd tota cauſa Chriſti veniendi in mundum, fuit , *ut homines ex hominibus deos faceret* , ut inquit *Auguſtinus ſuper Joann.* Et quia omnes homines portabant imaginem ipſius Adam terreni : ideo venit *ſecundus Adam de cœlo cœleſtis* ; ad auferendam imaginem ab hominibus *Adam* terreni ; ut portarent imaginem cœleſtem , ut ex hominibus *deos* faceret , ſuam imaginem imprimendo : *primæ ad Corint.* 15.

Item , Chriſtus lux venit in mundum , ut ab hominibus Judæis tenebras auferret : ſed ipſi , tamquam homines terreni & carnales , *dilexerunt magis tenebras* peccatorum in quibus ambulabant , *quàm lucem* veritatis , quam prædicabat : quia *erant eorum mala opera*, *Joann.* 3. Et ſic magis voluerunt manere homines , quàm fieri *dii.* Item dixit eis , *Joann.* 12. *Ego ſum lux mundi: ambulate in lucem , ut filiis lucis ſitis:* ſed ipſi maluerunt eſſe , & manere in tenebris , & filii tenebrarum , & filii diaboli , quam filii lucis , & *filii Dei:* quia cùm tanta ſigna feciſſet in eis, & coram eis , non crediderunt.

Item , cùm multi de popularibus crederent , & baptizarentur propter doctrinam & miracula Chriſti : tamen Scribæ & Phariſæi conſilium Dei ſpreverunt non baptizati , ut dicitur *Luc.* 7. Et ſic patet , qualiter Chriſtus voluit Judæos ex hominibus *deos* , & immortales facere , & peccatum ipſius Adam cum ſuis pœnis & pœnalitatibus ab eis auferre ; & imaginem gratiæ , & gloriæ , & divinitatis eis imprimere per Baptiſmum , & *filios* adoptivos *Dei* facere : ſed ipſi voluerunt in ſuo peccato, *tamquam homines* & filii hominum manere ; ſupra quod peccatum addiderunt homicidium Chriſti. Et ſic facti ſunt *filii diaboli* , ejus deſideria adimplendo , ut patet *Joann.* 7.

Nota.

Et ideo quia Scribæ & Phariſæi, cum ſuis ſequacibus , noluerunt à Chriſto illuminari , nec à peccato liberari, ſed ſub obligatione ipſius *Adam* manere mortales , & per homicidium , & obſtinationem voluerunt diaboli fieri : inde eſt , quòd Chriſtus punivit eos pœnâ ipſi *Adam* comminatâ , & inflictâ : quia duplici morte eos punivit , ſcilicet temporali , & æternâ. Et punivit eos pœnâ diaboli : nam ſicut ejecit diabolum de cœ-

lo, & substituit homines successores hæreditatis cœlestis : ita pariter ejecit Judæos à sedibus suis, & à regno & Sacerdotio, & redegit eos in perpetuam servitutem per mundum dispersos, & privavit eos cœlesti hæreditate, & tradidit eam populo Gentili ad fidem conversо. Et hoc est quod intendit dicere David, in hac tertia parte in persona Christi sub paucis verbis. A

Unde ait Christus : ò miseri Judæi, *Ego dixi, dii estis, & filii Excelsi omnes* : id est, ego deliberavi, de cœlo in mundum venire, & carnem assumere, & me hominem mortalem fieri : ut vos omnes essetis, & efficeremini *dii, & filii Dei Excelsi*, id est, ut vos *deos* facerem per participationem & gratiam, & *filios Dei* per adoptionem, & noluistis. Unde ego veni lux in mundum, declarando Legem & Prophetas : sed nesciviſtis, nec intellexistis ex cœcitate affectatâ & perpetuâ, propter vestra mala opera. Et sic *dilexistis magis tenebras, quàm lucem* : & decreviſtis, tamquam obstinati, *in tenebris ambulare.* B

Item, ego volui vos liberare à servitute peccati, & diaboli : quando dixi : *Si Filius vos liberaverit, verè liberi eritis* : & noluistis liberari ab obligatione, & pœnis peccati ipsius Adam, nec à servitute diaboli, nec à jugo Legis : immò respondistis : *Nos semen Abrahæ, & nemini servivimus unquam, Joann.* 8. & sic noluistis esse verè liberi, nec fieri mecum *Filii Dei*, sed filii diaboli, proponendo me occidere : & fuistis facti *filii diaboli*, desideria ejus adimplendo. Nam sicut ille fuit ab initio homicida ; ita voluistis me ocidere, ne super ipsum regnarem proponendo, & etiam primos parentes in utranque mortem præcipitando : ita vos fuistis homicidæ, me interficiendo, & illum imitando. Nam diabolus ab initio proposuit, & desideravit me ocidere : sed vos, tamquam *filii* & imitatores per effectum, desiderium ejus consummastis, & implestis. Et ideo pœnas utriusque, scilicet, ipsius Adam & diaboli pendetis, & luetis, & patiemini. C

Not. de pœna Judæorum.

Nam primò *sicut homines* & filii Adam *moriemini*, in corpore & anima, postquam in ejus peccato, & in obligatione permanere vultis, & non liberari. Secundò, *sicut* Lucifer *unus*, id est primus, *de principibus* paradisi *cadetis*: & non solum à dignitate sacerdotali, & vestrâ terrenâ civitate *Hierusalem* ; sed etiam à cœlesti hæreditate cadentes, in æternam pœnam inferni destinabimini cum diabolo, cujus filii & imitatores esse voluistis, & in cujus obstinatione permansistis. D

Et nota : quòd supradictus versiculus cum sua intelligentia allegatur à Salvatore, *Joann.* 10. contra Judæos arguentes ipsum de blasphemia : qui seipsum Filium Dei dicebat. Unde ait : *Nonne scriptum est in Lege vestra : quia ego dixi, dii estis, si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura : quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas : quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio : & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.* Ex his verbis videtur Christus confirmare, non solum dictum Prophetæ, sed omnia quæ dicta sunt in hac parte, scilicet, quomodo ipse est *Filius Dei naturalis*, missus in hunc mundum, ut nos *deos* faceret : & quomodo omnes illi, ad quos sermo Dei per Christum factus est, & crediderunt in eum, sunt *dii* per mysticam unionem, & *filii* per adoptionem & regenerationem : & quomodo illi qui non crediderunt, manent in obligatione, & mortalitate ipsius Adam, *tamquam homines*, & in servitute, & tenebris diaboli, tamquam filii ejus. Deinde cùm dicit: E F

8. *Surge Deus, judica terram : quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.* G

De Privil. c. Ex Ore. Apoc. 19.

DAVID petit ultionem de Judæis, & conversionem populi Gentilis. Unde ostendit, quòd sicut pœna Judæorum fuit similis pœnæ hominis & diaboli, quantum ad casum ; quia uterque cecidit ab hæreditate : ita successio hæreditatis, & reparatio ruinæ Judæorum fuit similis reparationi ruinæ diaboli. Nam sicut Christus reparavit ruinam diaboli per justificatos de filiis Adam, qui per gratiam & fidem Christi, & humilitatem successerunt in hæreditatem cœlestem, amissam & perditam à diabolo per superbiam, & rebellionem, & invidiam : ita pariter Christus per conversos ad fidem de populo Gentili præparavit ruinam Synagogæ. Nam populus Gentilis ad fidem conversus successit, & adeptus est hæreditatem cœlestem, quam Judæi perdiderunt per invidiam, & avaritiam, & homicidium perpetratum contra Christum, & per obstinationem in qua perseverant, sicut eis Christus prædixit, *Matth.* 8. *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cœlorum* : *Filii autem regni* H

ejі-

ejicientur in tenebras exteriores. Item *Matth.* 21. *Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus ejus &c.* Hoc eſt ergo quod intendit dicere David in ultimo verſu. A

Unde ait: ò Chriſte *Deus* & homo *ſurge* à mortuis, *& judica terram*, id eſt, condemna homines Judæos terrenos, qui cœleſtia contempſerunt, & terrena elegerunt, & ſicut homines carnales vivere & manere voluerunt, & ab obligatione Adam non liberari; ſed in ea manere ſtatuerunt. Et ideo priva eos, non ſolum terrenâ, ſed etiam cœleſti hæreditate, de qua cecidit diabolus: *quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus*, id eſt, eliges populum Gentilem ad tuam hæreditatem, à qua ejeciſti Judæos propter ſuam iniquitatem, & rebellionem, & inobedientiam, & homicidium, & obſtinatio- B
nem.

Sententia etiam hujus ultimi verſus convenit cum primo. Quaſi dicat: quòd poſtquam Scribæ & Phariſæi injuſtè ad mortem condemnarunt, & fuerunt perverſi judices, pupillos, & viduas, & pauperes, & egenos expoliando, & perſonas divitum acceptando, & abſolvendo, & innocentes condemnando: ideo *ſurge* primò à mortuis, *& judica* eos ad æternam pœnam, privando eos tua hæreditate, & conferendo eam omnibus te recipientibus.

Ex toto iſto Pſalmo poſſunt recolligi quinque concluſiones. Quarum *prima eſt*: quòd Chriſtus *dijudicavit* Scribas & Phariſæos, eorum falſam doctrinam & perverſa judicia exprobrando in primo adventu. C

Secunda concluſio: quòd Judæi ante adventum Chriſti Legem *neſcierunt*, & Chriſtum Legem declarantem *intelligere noluerunt*, & poſt paſſionem Chriſti in ſua obſtinatione & *tenebris*, uſque ad deſtructionem Hieruſalem, *ambulaverunt*, & ambulant uſque ad finem mundi.

Tertia concluſio: quòd Chriſtus venit, ut Judæos *deos*, & *filios Dei* faceret: ſed ipſi recuſaverunt, & in ſuis peccatis, & pœnis manere maluerunt.

Quarta concluſio: quòd Judæi ſunt D
puniti pœnâ diaboli, & ipſius Adam, tamquam imitatores eorum.

Quinta concluſio: quòd Gentiles ad fidem converſi repararunt ruinam Judæorum, & ſucceſſerunt in hæreditatem eis. Quia Propheta David, in perſona Chriſti, videtur comparare peccatum crucifixorum Chriſti, & ipſius Synagogæ, peccato diaboli, & ipſius Adam quantum ad pœnam, cùm dicit: *Vos autem ſicut* Adam *moriemini*, & *ſicut unus de principibus cadetis.* Et ideo videtur, quòd hoc peccatum fuerit ſimile illis, etiam quantum ad culpam & E
reatum: quia pœna eſt effectus reatus.

Gentiles converſiræ parat ruinam Judæorum.

Peccatum Synagogæ cõparatur peccato diaboli, & Adæ.

Et primò eſt videndum, quod, & quale fuit peccatum diaboli? Ex quo videbitur quomodo peccatum Synagogæ fuit ſimile illi, quoad culpam & modum. Secundò videbitur, quod, & quale fuit primorum parentum, & in quo differt à peccato diaboli? Ex quo videbitur, quomodo, & in quo peccatum Synagogæ fuit ſimile peccato ipſius Adam, & in quo differt ab eo. Tertiò videbitur quomodo pœna Synagogæ eſt ſimilis pœnæ diaboli, & ipſius Adam, & in quo differt ab utraque?

Quantum ad primum eſt notandum, quòd iſta quæſtio & materia, eſt valde difficilis: primò quia *Moyſes* non ſcrip- F
ſit, nec explicuit peccatum, & caſum diaboli: eò quòd non pertinebat ad eum, quia Sacra Scriptura eſt via in Chriſtum tamquam redemptorem hominis, & finem Legis & Prophetarum. Sed quia ſolus homo erat redimendus per Chriſtum, & non diabolus: ideo ſolùm deſcripſit peccatum, & caſum hominis, & non diaboli. Ideo in paucis locis Scripturæ veteris Teſtamenti memoratur peccatum diaboli, & quaſi per accidens: ſcilicet *Iſai.* 14. in quantum Iſaias aſſumit parabolam ex caſu *luciferi* contra regem *Babylonis*, dicens: *Quomodo cecidiſti lucifer &c.* & *Ezech.* 28. contra Regem *Tyri*, dicens: *Tu ſignaculum ſimilitudinis &c.* ut patebit: ſed in novo Teſtamento hoc magis & clariùs explicat Salvator, *Joann.* 8. di- G
cens de diabolo, quòd *ab initio homicida fuit*, *& in veritate non ſtetit &c.* Item *Luc.* 10. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Item *Apocal.* 11. *Factum eſt prælium magnum in cœlo.* Et ideo *Beatus Auguſtinus*, per conjecturas altiſſimè pertractat hanc materiam, *ſuper Geneſ.* & *lib.* 11. *&* 12. *de Civitate Dei*: & *Magiſter in ſecundo*, *diſt.* 7. & ibi omnes *Scholaſtici Doctores* medio altiſsimo & ſubtiliſsimo, cum verbis obſcuris & difficilibus, in eum modum quod ſimplices capere non poſſunt.

Nota de peccato diaboli differentiam.

H Sed quia Expoſitio hujus libri, & iſte labor non eſt per me aſſumptus pro peritis, ſed pro ſimplicibus, ut dictum eſt in principio: ideo oportet me procedere per terminos planos, & intelligibiles: ut ſimplices Sacerdotes, & Catholici capere valeant. Et ſemper cum correctione & ſub determinatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, eſt dicendum, quòd quaſi omnes Doctores conveniunt in hoc, quòd *diabolus peccavit per ſuperbiam*, quæ eſt appetitus

pro-

propriæ excellentiæ, & perverſæ celſitudinis, ſecundùm *Auguſtinum* 11. *de Civitate Dei.* Et omnes conveniunt in hoc, quòd appetivit æqualitatem Dei: propter illud *Iſai.* 14. *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum::: ſimilis ero Altiſſimo.* Item propter illud *Auguſtini ſuper Pſalmum* 68. quòd *Adam & Eva, ut diabolus, volentes rapere divinitatem, perdiderunt felicitatem.* Item in *Quæſtionibus novi ac veteris Teſtamenti*, quòd *diabolus elatione inflatus voluit eſſe ut Deus &c.*

Item in hoc conveniunt: quòd *diabolus peccavit ex electione*; & per conſequens, creatus in tanta perfectione, non potuit eligere, nec appetere aliquid ſimpliciter impoſsibile. Et ideo eſt videndum, ſi aliqua æqualitas alicujus creaturæ ad Deum, ſit poſsibilis, quam diabolus potuerit appetere?

Duplex æqualitas inter res.

Ad hoc eſt dicendum: quòd inter res *duplex* poteſt *æqualitas* conſiderari, quantum ad præſens ſpectat. Una dicitur *æqualitas equiparantiæ*, & *commenſurationis.* Et altera *æqualitas communicationis* alicujus proprietatis & perfectionis. Prima æqualitas nullo modo poteſt eſſe, nec conſiderari, nec intelligi inter aliquam creaturam & Deum: quia talis ſolum eſt inter Divinas perſonas: quia æqualitate commenſurationis ſunt coæternæ, & coomnipotentes &c. Et numquam talem æqualitatem potuit *Lucifer* appetere, nec etiam intelligere; cùm ſit ſimpliciter impoſsibilis. Secunda autem æqualitas eſt poſsibilis. Nam poſsibile fuit, ut Verbum aſſumeret humanitatem Chriſti in unitate perſonæ; & per conſequens, quod communicaret ipſi ſuam proprietatem perſonalem, & per conſequens eſſet Filius Dei naturalis: & per conſequens quod communicaret ipſi idiomata eorum quæ ſunt Dei, ſcilicet, quòd ſimul cum Verbo illa humanitas adoretur, & congloriſicetur, & colatur: & quod dicatur *Creator &c.* & quod eſſet *Mediator* inter Deum, & omnes Angelos, & homines: & quòd communicaret ipſi, non ſolum judiciariam poteſtatem ſuper Angelos & homines, ſed imperium ſuper omnes creaturas, & ſuper totum univerſum, ſicut videmus eſſe factum, & completum in Chriſto, ut patet per totum diſcurſum Euangelicum. Unde talis æqualitas non eſt ſimpliciter impoſsibilis, quia ſemper importat aliquam minorationem: quia Chriſtus ſemper manet minor Patre, & minor totâ Trinitate, ſecundùm humanitatem aſſumptam: ſed ſemper dicitur *ſimilis Deo*, eo modo quo dictum eſt: quia ſemper illa humanitas cooperabatur cum Verbo circa iſta miracula facienda, ut ait *Damaſcenus.*

Diabolus ergo licèt in principio non potuerit appetere primam æqualitatem ad Deum; tamen potuit appetere imperium Univerſi, & totum illud quod habuit Chriſtus in ſua Incarnatione & Aſcenſione, ſcilicet, accipere Imperium Univerſi, & ſedere à dextris Dei, & in potioribus bonis gloriæ. Sed hoc diabolus non potuit appetere niſi perversè, & contra voluntatem Dei, qui ſolùm Chriſtum ad hoc prædeſtinaverat ab æterno, ut non ſolùm per perſonalem unionem, ſed etiam per mortem & paſsionem illam celſitudinem mereretur, ſcilicet Imperium mundi, & ut eſſet triumphator, & redemptor, & glorificator generis humani.

De diaboli appetitu.

Sed quòd *Lucifer* appetivit ſupradictam celſitudinem & Imperium, probatur ratione & authoritate. Nam licèt *Lucifer* non fuerit præſcius ſui casûs ante lapſum, nec etiam casûs hominis; tamen fuit præſcius myſterii Incarnationis Filii Dei: quia non minus fuit revelatum ipſi, quàm homini, qui in illo ſopore prænovit Incarnationem, ut inquit *Auguſtinus.* Et per conſequens *Lucifer* vidit ſolium, & ſedem preparatam ſupra totam naturam Angelicam pro Chriſto homine futuro: cui erat tradendum Imperium ſuper totam naturam Angelicam, & ſuper omnem creaturam, abſque hoc quod ſciverit myſterium paſſionis, & redemptionis humanæ: quia diabolus ignorando caſum hominis, ignoravit etiam myſterium paſſionis Chriſti & humanæ redemptionis: ſed non ignoravit myſterium Incarnationis, & exaltationis humanitatis Chriſti. Et ſic habuit occaſionem perversè appetendi. Unde in hoc conveniunt omnes Doctores: quòd Lucifer appetiit ſummam celſitudinem, & æqualitatem quæ ſub Deo poteſt eſſe & intelligi: ſed talis eſt celſitudo quam Chriſtus poſſidet in unitate perſonæ Verbi, ſedens in potioribus bonis Patris cum Imperio totius Univerſi: Ergo illam appetivit diabolus: Sed hanc non potuit appetere niſi contra voluntatem Dei, & deviando à divina voluntate, quæ eſt Lex æterna, in cujus conformitate conſiſtit omnis vera juſtitia: Ergo hoc non potuit facere diabolus ſine peccato.

Immò dicunt aliqui, quòd omnibus Angelis fuit poſita Lex, qualiter Deus præparaverat illam ſedem pro Chriſto homine, à Verbo perſonaliter aſſumendo; cui credendum erat Imperium Univerſi; cui Deus decernebat, & volebat, ut omnes Angeli & creaturæ obedirent, & ſimul cum Verbo eum adorarent &c. Cui Legi *Lucifer* cum ſuis ſequacibus noluit obedire: immò ſolium

lium & ſedem Chriſti attentavit & præſumpſit occupare & uſurpare : & ideo cecidit. Angeli autem cæteri, divinæ A Legi & voluntati obedientes, manſerunt in gratia confirmati ; & tunc ex viatoribus facti ſunt comprehenſores & Beati, videntes Deum per gloriam.

Sed quod *Lucifer* attentaverit uſurpare ſedem Chriſto præparatam ſupra totam Angelicam naturam ; probatur per illud *Iſai.* 14. cum ait : *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris ? Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conſcendam ; ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo &c.* Ex quibus patet, quòd ſupra ſedes omnium Beatarum creaturarum ſtatuit conſcendere uſque B ad æqualitatem Dei, ubi nulla eſt niſi ſedes Chriſti, quâ celſitudine ſub Deo major nequit intelligi ratione unionis; poſtquam ſedem & celſitudinem ſedet *Virgo Maria*, ratione maternitatis, ſuper omnia alia aſtra cœli, & ſuper totam Angelicam naturam. Hanc ergo celſitudinem putavit diabolus occupare abſque meritis, ex ſola nobilitate propriæ naturæ : quod fuit oppoſitum de Chriſto homine ; qui per humilitatem & laborem paſſionis voluit illam ſedem adipiſci : quod vult explicare *Paulus ad Philipenſes* 2. cùm ait : *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt & eſſe ſe æqualem* C *Deo : ſed ſeipſum exinanivit formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Quaſi dicat : quòd diabolus in principio *per rapinam* ſupra ſuam naturam, & contra voluntatem Dei, voluit abſque meritis *rapere æqualitatem Dei*, & illam ſedem Chriſto præparatam : ſed oppoſitum fecit Chriſtus ut Deus, qui cùm eſſet Deus, factus eſt homo: & ſic, ſicut diabolus voluit temere exaltari, ita ut Deus voluit humiliari, & fieri homo: & in quantum homo *humiliavit ſemetipſum obediens* Patri *uſque ad mortem crucis : propter quod Deus* Pater *exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, ſcilicet, *Jeſus Sal-* D *vator*, quod eſt nomen omnipotentiæ, & juſtitiæ, & gloriæ &c. ſicut dictum eſt *Pſalm.* 8. *ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum* : quia tradidit ipſi imperium totius univerſi, quòd diabolus abſque meritis contra voluntatem Dei præſumpſerat cum *rapina* occupare.

Ex ſupradictis patet, quòd diabolus illud non fecit abſque invidiâ conceptâ contra Chriſtum, poſtquam præviderat illam ſedem præparatam pro hoc Chriſto homine futuro : Ergo illicò ap- E petivit mortem & annihilationem Chriſti : quia prævidit Chriſtum regnaturum, & invidit : & ſic concepit homicidium & appetivit mortem contra Chriſtum. Hoc voluit etiam explicare Salvator, *Joann.* 8. quando dixit de diabolo : quòd *ab initio ille homicida fuit, quando in veritate non ſtetit* : quia non ſolum fuit homicida, præcipitando Adam in mortem ; ſed prius fuit homicida ; appetendo mortem & annihilationem Chriſti, ne illam celſitudinem, quam ipſe deſiderabat conſcenderet, & poſſideret. Et ideo *Lucifer*, poſtquam fuit expulſus & dejectus, illicò venit ad tentandum, & decipiendum hominem, putans impe- F dire myſterium Incarnationis, ne Chriſtus ſecundùm carnem ex *Adam* naſcituras illam celſitudinem conſcenderet, & ne *Adam* cum ſuis poſteris ſedes, quas *Lucifer* cum ſuis perdiderat, poſſideret. Et ſic patet, quòd diabolus prævidit Chriſtum regnaturum in cœlo, & invidit ipſi.

Peccatum diaboli ex invidia.

Tenuit ergo *diabolus Lucifer* talem ordinem in ſuo peccato. Nam primò ipſe conſideravit nobilitatem ſuæ naturæ ſuper omnes alias creaturas. Et ſic amavit ſeipſum cum ſua delectatione, & ſic appetivit imperium univerſi. Exinde novit ſedem præparatam pro Chriſto futuro Domino totius Univerſi : & tunc perverſo appetitu contra Dei voluntatem, appetivit illam ſedem & celſitu- G dinem Chriſti. Et exinde ex tali ſuperbia concepit odium & invidiam contra Chriſtum. Ultimò verò facta conjuratione cum ſuis, ſtatuit & præſumpſit conſcendere ſolium Chriſti, in contemptum Dei. Prævidit ergo Chriſtum incarnandum, & regnaturum, & invidit, & odivit eum.

Ordò peccati diabolici.

Secundò, decrevit ſedem ejus uſurpare contra voluntatem. Sed tunc *Michael* obediens Deo, dejecit draconem de cœlo cum magna parte ſtellarum, ut patet *Apocal.* 12. Et ſic patet, quòd peccatum ſuum fuit conſummatum, incipiendo ab amore ſui uſque ad contemptum Dei. Michael autem cum cæteris inceperunt ab amore Dei uſque ad con- H temptum ſui : vel à contemptu ſui uſque ad amorem Dei, obedientes divinæ voluntati. Et ſic manſerunt in gratia confirmati, & facti ſunt Beati per gloriam. Et ſic patet, quòd peccatum diaboli incœpit à ſuperbia, quæ eſt initium omnis peccati, & finivit in invidiam, & odium, & etiam homicidium contra Chriſtum. Et ſic eſt dicendum, quòd peccatum diaboli fuit invidia concepta contra Chriſtum ex appetitu perverſæ celſitudinis contra voluntatem Dei.

Nota.

Ex

Tria peccata in diabolo.

Ex quo peccato manserunt tria scelera perpetua in diabolo. Primò, quia A manſit obſtinatus, non cognoſcens reatum ſuum, nec culpam. Secundò, manſit in indelebili invidia & odio contra Chriſtum, qui reſidet in illa ſede & celſitudine, & contra omnes homines qui ſucceſſivè poſſident ſedes per humilitatem, quas ipſi perdiderunt per ſuperbiam & ingratitudinem: & ideo illicò deſcendit ad tentandum hominem in paradiſo, & aſſiduè tentat homines, ut ſint Deo rebelles, & faciat eos ſibi ſocios eſſe pœnarum. Tertiò, quia diabolus ſemper manſit in illo appetitu dominandi, & ut adoretur ab omnibus ex invidia Chriſti. Et ſic ſemper laboravit adorari: & ſic introduxit Idololatriam, B & deteſtabiles ritus, & ſuperſtitiones in mundum: & ſemper nititur homines deducere ad artes magicas, & ſortilegia, & ſacrilegia nefanda. Et ſic diabolus quotidie & jugiter *parit iniquitatem*, quam in illo peccato *concepit* contra Chriſtum. Et hoc de peccato diaboli.

Not. ſi eodem peccato peccaverit Adam & diabolus.

Quantum ergo ad ſecundum, *Auguſtinus ſuper illud Pſalmi* 68. *quod non rapui, tunc exolvebant*, videtur dicere, quòd eodem peccato peccavit *Adam* & diabolus, *volendo rapere, & uſurpare divinitatem.* Nam diabolus, qui antè voluerat rapere divinitatem, quando dixit: *Statuam ſolium meum, & aſcendam ſuper aſtra cœli: & ſimilis ero Altiſſimo &c.* ille idem propinavit de calice ſuperbiæ ſuæ primis parentibus, quando dixit: *Qua hora comederitis, eritis ſicut dii &c.* Et ſic diabolus in foveam, & in idem genus peccati procuravit præcipitare primos parentes, ſuadendo ut præſumerent rapere divinitatem ſicut ipſe. Et ideo dicit *Auguſtinus*, quòd *Adam & Eva volentes rapere divinitatem, amiſerunt felicitatem &c.* Sed iſta verba *Auguſtini ſunt* ad bonum ſenſum intelligenda, ſicut ipſe declarat ſe *ſuper Geneſ.* Nam diabolus toto poſſe conatus eſt deducere ipſos primos parentes in peccatum ſuum, & in ſacrilegium, dicendo, D quòd ſi comederent, eſſent *ſicut dii in æqualitate.* Sed hoc forſan non credidit *Adam*; ſed comedit, ut gereret morem uxori, & ne diſpliceret ipſi, & ne deſtitueretur ſolatio. Et ſic *Adam* non voluit directè rapere deitatem, ſed indirectè, in quantum hoc ſequebatur ex verbis diaboli, cujus votum ſecutus eſt *Adam* comedendo cibum prohibitum: immò indirectè fecit Deum mendacem & invidum, ut dictum eſt *Pſal.* 13. & ideo aliqualiter *indirectè* peccatum hominis fuit ſimile peccato diaboli. Sed fuit magna diſſimilitudo: quia non cum tam iniquo propoſito & mala voE luntate fuit commiſſum, licet fuit grave propter inobedientiam, & ingratitudinem, & propter effectum, quia omnes poſteros infecit &c.

His habitis, ponitur *prima concluſio*, ſcilicet: quòd peccatum Synagogæ fuit quaſi per omnia ſimile peccato diaboli, quoad objectum, & invidiam, & alia annexa. Probatur. Nam peccatum diaboli incœpit à ſuperbia, & præſumptione propriæ excellentiæ, & naturæ, & prorupit in invidiam conceptam contra Chriſtum: & exinde ſeduxit omnes alios ſequaces ad propoſitum ſui cum fraude. Sed in omnibus his peccavit Synagoga Scribarum, & F Phariſæorum, & Sacerdotum. Igitur per omnia fuit ſimile. Major fuit ſuperiùs deducta. Minor probatur. Nam quando Chriſtus dixit Judæis, *Joann.* 8. *Si Filius vos liberavit, verè liberi eritis &c.* reſponderunt dicentes: *nos ſemen Abrahæ ſumus, & nulli ſervivimus unquam.* Ex quo patet, quòd contemſerunt gratiam Dei, præſumentes & gloriantes de propriâ carnali naturâ, putantes meritis & viribus propriæ naturæ poſſe liberari, & ſalvari, & nullo peccato fuiſſe ſubjectos. Et ideo reſpondit Chriſtus dicens: *Amen dico vobis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Et ſic patet, quòd peccaverunt ex ſuG perbia.

Peccatum Synagogæ ſimile peccato diaboli.

Item ſecundò, peccatum Judæorum fuit ſimile peccato diaboli quoad objectum, & invidiam conceptam contra Chriſtum: quod patet *Joann.* 11. Nam quando viderunt, quòd reſuſcitaverat *Lazarum*, dixerunt: *Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus poſt eum abiit. Joann.* 12. Ideo *expedit, ut unus moriatur pro populo &c.* Et ſic *Caiphas* detexit invidiam, quam jam antè conceperat contra Chriſtum, & conſpirarunt omnes in necem Chriſti. Et hoc improperaverat eis Chriſtus, *Joann.* 8. dicens: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria ejus vultis facere: ille homicida fuit ab initio*, & cæH tera. Quaſi diceret: ille ab initio deſideravit me occidere, ne regnarem ſuper eum: & ideo vos tamquam membra, & filii diaboli vultis complere deſiderium ejus, me occidendo. Et ſic patet, qualiter peccatum Judæorum non ſolum fuit ſimile peccato diaboli, immò fuit idem peccatum, à diabolo ab initio incœptum, & deſideratum, & per Judæos tamquam per membra & filios ejus conſummatum: quia eundem Chriſtum Judæi crucifixerunt, quem diabolus ab initio occidere deſideravit, ne ſuper ipſum regnaret, & cujus ſedem aſcendere attentavit, ut dictum eſt.

Item

Item tertiò, peccatum Judæorum fuit ſimile peccatò diaboli quoad mendacium & ſacrilegium. Nam ſicut *diabolus in veritate non ſtetit*, ſed cum mendacio ſeduxit ſuos complices, & cum mendacio ſeduxit primos parentes, faciendo Deum mendacem & invidum, verba ejus falsò gloſſando, dicens: *Nequaquam moriemini: ſcit enim Deus quod qua hora comederitis, eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum &c.* ita pariter ergo Scribæ & Phariſæi *non ſteterunt in veritate*, quando non crediderunt Chriſto, qui eſt prima veritas. Et fecerunt Deum mendacem, & Legem & Prophetas, quando negarunt Chriſtum, quem Deus promiſit in Lege & Prophetis. Et fuerunt mendaces, quando populum ſimplicem deceperunt, & ad ſui perfidiam deduxerunt. Et ſic patet, qualiter peccatum Judæorum fuit quaſi per omnia ſimile peccato diaboli, quoad culpam, & objectum, & modum. Et ideo dixit eis Chriſtus: *Vos ex patre diabolo eſtis &c.*

Secunda concluſio: quòd peccatum Judæorum non ſolum eſt ſimile quoad culpam, ſed etiam quoad obſtinationem, & malitiam inveteratam. Probatur. Nam ſicut diabolus poſt peccatum & caſum manſit obſtinatus in eadem invidiâ & malitiâ contra Chriſtum, non cognoſcens reatum ſuum, in tantum quòd ſemper deſiderat ipſum occidere in ſe, vel in ſuis fidelibus: & ſemper affectat divinos honores, & adorari ab hominibus: ideo ſemper inducit homines ad infidelitatem, & artes magicas, & blaſphemias, & cætera ſcelera, ut Deum offendant, & ne poſſideant illud regnum cœlorum per gloriam & humilitatem, quòd ipſe perdidit per ſuperbiam. Ita pariter Judæi ſemper manent in eodem odio contra Chriſtum, & fideles ſuos, in tantum quòd Scribæ & Phariſæi numquam voluerunt cognoſcere reatum ſuum: immò quantò magis divulgabatur fama reſurrectionis Jeſu Chriſti, & ejus Divinitatis, & maximè in die Pentecoſtes, per receptionem Spiritus ſancti in Apoſtolis, & per cætera miracula: magis obcœcabantur in ſua perfidia, & obſtinabantur in ira & odio contra Chriſtum, & Apoſtolos. Ideo perſequebantur eos, ut patet per totum diſcurſum *Actuum Apoſtolorum*. Unde in tantum manent obſtinati in odium, & iram, & invidiam contra Chriſtum, quòd non ſolum placet eis quod patres eorum occiderint Chriſtum, ſed omnes iſti ſucceſſores deſiderant ipſum occidere. Et quia ipſum non poſſunt habere; ideo quaſi quolibet anno crucifigunt aliquem Chriſtianum, in memoriam ejus, putantes occidere Chriſtum in illo Chriſtiano; prout pluries compertum eſt in diverſis partibus mundi, ſicut dictum eſt *Pſalm.* 67. Ex quibus patet, qualiter manet eadem iniquitas & odium contra Chriſtum, tamquam morbus hæreditarius in Judæis modernis ſucceſſoribus illorum. Ex quo manifeſtè concluditur, quòd peccatum Judæorum eſt ſimile peccato diaboli, quoad obſtinationem, & odium inveteratum contra Chriſtum & ſuos fideles.

Tertia concluſio: quòd peccatum Judæorum eſt ſimile peccato diaboli quoad pœnam. Probatur. Nam triplex eſt *pœna*: ſcilicet *damni*, & *vermis*, & *ignis*. *Pœna damni* ejus eſt, quia perdidit locum, & beatitudinem naturalem, quam in illo ſtatu viæ poſſidebat; & beatitudinem gloriæ ſibi ſupernaturalem, quam fuiſſet adeptus, ſi ſtetiſſet, & paruiſſet: quam beatitudinem poſſident Angeli boni. *Pœna* autem *vermis* eos magis affligens, eſt, quando vident homines juſtos inferiores in natura, poſſidere per gratiam & humilitatem, quod ipſi perdiderunt per ſuperbiam. *Pœna* autem *ignis* eorum, eſt ille ignis inferni, *qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus*, *Matth.* 25. Talis ergo fuit, & eſt, *pœna triplex Judæorum* ex illo peccato. Nam primò, perdiderunt civitatem, & locum, & ſacerdotium, exules, & diſperſi, & captivi per mundum. Et non ſolum perdiderunt iſta bona temporalia, ſed etiam bona ſpiritualia, & cœleſtem beatitudinem, quam fuiſſent conſecuti, ſi Chriſto paruiſſent, & credidiſſent. Secundò, patiuntur *pœnam vermis*, quando vident, quod, ipſis reprobatis & abdicatis, populus Gentilis ad Chriſtum converſus poſſidet gratiam, & gloriam, quam ipſi perdiderunt. Et hoc eſt quod magis eos affligit: quia vident, quod Chriſtiani converſi ex populo Gentili adorant & colunt Deum *Abraham*, & *Iſaac*, & *Jacob*, & nominantur nomine *Iſrael*, & *ſemen Abrahæ &c.* Tertia eſt *pœna ignis*, quam Judæi patiuntur ſimul cum diabolo & Angelis ejus, prout dixit eis Chriſtus, *Matth.* 8. quòd *multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob in regno cœlorum: Filii autem regni ejicientur foras, & mittentur in tenebras exteriores, & in caminum ignis*, *Matth.* 13. In quibus verbis Chriſtus explicat triplicem pœnam illius populi, ſcilicet, *damni*, & *vermis*, & *ignis*. Ex quo patet, quòd peccatum Judæorum eſt ſimile peccato diaboli quoad culpam & pœnam.

Quarta concluſio: quòd peccatum Judæorum fuit ſimile peccato Adæ, quan-

Peccatum Judæorũ ſimile peccato diaboli quoad obſtinationem.

Triplex pœna Judæorũ ex peccato.

Not. quomodo Judæi omni anno crucifigunt.

Peccatum Judæorù fuit simile peccato Adæ.

quantum ad translationem in posteros & successores. Probatur. Nam sicut *Adam* peccando obligavit se, & posteros suos ad mortem corporis, & animæ, & perdidit originalem justitiam cum suis promissis pro se, & suis: & per generationem carnalem transmisit culpam in posteros cum suo onere, ut dictum est *Psalmo* 13. & 45. ita pariter Judæi crucifigentes Christum, quando dixerunt: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*, obligaverunt se, & omnes posteros suos ad culpam, & pœnam illius peccati. Quod manifestè videmus esse factum quoad pœnas temporales, in quibus jugiter laborant & affliguntur, prout dictum est. Et etiam quoad pœnas spirituales: quia in eadem obstinatione, & cœcitate perseverant, & in eadem pœna damni, & vermis in præsenti, & ignis in futuro, nisi convertantur. Ex quibus patet, quòd Judæi moderni duplici peccato, & pœnæ, & servituti sunt subditi & obnoxii. Primò, peccato ipsius *Adæ* cum omnibus suis pœnis, & damnis, postquam per Christum nolunt liberari. Secundò, subjiciuntur peccato suorum progenitorum, qui Christum crucifixerunt; & hoc, cum omnibus maledictionibus scriptis *Psalmo* 34. & 68. & 108. Et sic peccatum Judæorum includit peccatum diaboli, & peccatum ipsius *Adam*: ex quo noluit liberari, sed addidit homicidium Christi super illud; & ultra hoc addidit obstinationem, & protervitatem: & sic est gravissimum.

Nota.

Peccatum Judæorum est dissimile peccato diaboli quantum ad remissionem.

Quinta conclusio: quod peccatum Judæorum est dissimile peccato diaboli, quantum ad remissionem. Ad cujus intellectum est notandum: quòd diabolus fuit viator à primò instanti creationis usque ad suam ejectionem & casum: & ejectio ejus fuit terminus ejus viæ. Et sic est dicendum, quòd peccavit in termino, & per consequens exinde post casum suum mansit irremissibile, carens loco & spatio pœnitendi. Secùs fuit de homine: quia semper fuit viator in illo paradiso, & mansit viator post lapsum usque ad mortem; & sic non peccavit in termino, sed in via, cujus spatium pœnitendi non terminatur nisi per mortem: & ideo peccatum hominis fuit remissibile, & peccatum diaboli irremissibile. Ita pariter est dicendum de peccato Judæorum. Nam licèt tota Synagoga in communi non convertatur usque *ad vesperam* mundi, prout dictum est: tamen quilibet Judæus est viator usque ad mortem suam: in quo spatio potest converti, & baptizari, & effici membrum Christi. Unde *Actorum* 2. dicit *Beatus Petrus* Judæis crucifixoribus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum &c.* Et baptizati sunt illa die tria millia, & postea multo plures. Ex quibus patet, quòd peccatum Judæorum remissibile est particulariter unicuique per Baptismum & Pœnitentiam usque ad mortem.

Conclusio Psalmi.

Tota ergo sententia hujus Psalmi est: quòd Christus Filius Dei, cùm ab æterno esset Deus, venit in mundum, & factus est homo, ut ex hominibus *deos* faceret per gratiam & participationem; & ex filiis *Adam* carnalibus, & peccatoribus, & servis, faceret *filios Dei* adoptivos, & libertinos, & immortales, & spirituales. Sed Judæi noluerunt Christum intelligere, nec lumen ejus recipere, sed in primo peccato ipsius Adam, tamquam homines carnales, manere. Et supra peccatum ipsius Adæ addiderunt homicidium injustum, Christum occidendo. Et sic facti sunt filii diaboli, & membra ejus, adimplendo desiderium antiquum diaboli: quia homicidium Christi, quod ab initio diabolus desideravit, Judæi de facto adimpleverunt & consummaverunt. Et puniti sunt pœnâ hominis, & diaboli. Nam mortui sunt duplici morte, scilicet corporis, & animæ, secundùm sententiam datam in Adam. Et puniti sunt pœnâ diaboli tamquam filii, & membra ejus: quia ceciderunt à bono temporali præsenti, & à cœlesti futuro ipsi promisso. Et populus Gentilis successit in ejus hæreditatem per gratiam & gloriam, Christum recipiendo. Unde sicut Synagoga cecidit ab omnibus supradictis bonis præsentibus & futuris, & incidit in omnia mala contraria: ita Gentilitas per fidem surrexit ab omnibus malis in quibus erat, & successit in bonis, à quibus cecidit diabolus & Synagoga: quia Gentilitas facta est hæreditas Dei per fidem, & consecuta est cœlestem hæreditatem per gloriam. Et in hoc consistit tota sententia, & intelligentia hujus Psalmi.

Psalmus LXXXII.

1. *Deus quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus.*

De Pœn. dist. 1. §. Econtrario.

Titulus: *Canticum Psalmi Asaph.* Per hoc quod dicitur *Canticum Psalmi*, ostenditur, quod cantabatur voce humana simul cum instrumento musico: per hoc autem quod dicitur *Asaph*, ostenditur, quòd dirigitur toti

Ec-

Ecclesiæ, quæ petit ultionem de persecutoribus suis.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd David qui semper optavit scire discursum illius populi, & Templi, quod præceperat ædificandum per *Salomonem*, & totius regni & civitatis *Hierusalem*, quam ipse ampliavit: prævidit in spiritu, qualiter ille populus erat multipliciter affligendus à *Chaldæis* & finitimis propter peccata ejus: & maximè prævidit obsessionem, & vastationem futuram, primò per *Salmanassar*, & *Sennacherib*, & captivitatem, & destructionem per *Nabuchodonosor*, & vastationem per *Antiochum*. Et prævidit etiam eorum finales punitiones. In quibus vastationibus prævidit in duplici spiritu persecutionem, & vastationem Ecclesiæ faciendam per *Mahometum* & *Antichristum*. Unde prævidit in spiritu, quod sicut istæ nationes *Arabum*, scilicet *Agareni*, & *Ismaelitæ*, & *Amalecitæ*, & *Moabitæ*, & *Ammonitæ* &c. semper infestarunt & vexarunt illam *Hierusalem*, & terram Israel terrenam: ita postea recipientes sectam Mahometicam, debebant infestare, & vexare, & vastare Israel, & *Hierusalem spiritualem*, scilicet *Ecclesiam* Christi. Unde sicut Ecclesia Christi fuit inchoata in illa Hierusalem terrena, & exinde derivata & diffusa per totum orbem, propter quod dicitur *vera Hierusalem* & *Israel*: ita pariter illa maledicta secta *Mahometi* fuit inchoata in *Arabia*, & exinde derivata & diffusa quasi per totum orbem ad affligendam Ecclesiam, nostris demeritis exigentibus: quam sectam receperunt omnes *Turci*, & magna pars *Tartarorum* qui simul cum *Arabibus* modò persequuntur Ecclesiam. Unde illæ primæ persecutiones fuerunt figuræ hujus persecutionis Ecclesiæ, quæ modò fit per Saracenos. Et sic etiam prævidit punitionem temporalem & æternam eorum.

Figura persecutionis Ecclesiæ.

Et ideo David propter has persecutiones Ecclesiæ principaliter fecit hunc Psalmum: in quo duo dicit. Nam primò per modum querelæ explicat & prædicit destructionem Ecclesiæ faciendam per *Mahometum*, & suos. Secundò, petit ultionem in vindictam. Ibi: *Fac illis sicut Madian.*

Quantum autem ad primum est notandum, quòd anno Domini sexcentesimo vigesimo imperante *Constantino* filio *Heraclii*, *Orosunda* Rex Persarum filius Cosroæ Christianus rebellavit contra *Constantinum* prædictum, & contra totum Imperium Romanorum. Tunc Imperator Constantinus misit Capitaneos & Duces suos, & copias contra Regem Persarum, & posuit conducto-

res in *Damasco*, & *Antiochia* eum copia pecuniarum, qui conducerent milites & armigeros contra Persas. Tunc venerunt multæ nationes de *Arabia*, scilicet *Idumæi*, & *Saraceni*, & *Ismaelitæ*, & multæ aliæ nationes Arabum, quæ vagabantur per *Arabiam*, & *Syriam*, & *Ægyptum* furto raptoque viventes. Isti autem venerunt Damascum ut conducerentur, & stipendium Romanorum acciperent: quibus conductores Romanorum & Græcorum responderunt; quòd aurum Romanorum non erat dandum canibus & servis, quales Arabes erant; sed liberis & nobilibus Græcorum & Latinorum: tunc Arabes indignati recesserunt à Damasco, & nuntiarunt hoc verbum omnibus nationibus & societatibus Arabum: qui omnes congregati in finibus *Syriæ* & juxta Jordanem, incœperunt rebellare contra Romanos, & fines Romanorum vastare & subjugare. Et ut hoc facilius possent ad implere, elegerunt in principem *Mahometum* virum callidum, & malitiosum, & impium. Et sic ceperunt omnes terras, quas Romani in Arabia Petrea possidebant: & intrarunt *Syriam*, & ceperunt *Damascum* Metropolim omnium civitatum Syriæ. Et processerunt per Syriam & Ægyptum, vastando, & subjiciendo civitates Imperii Romanorum.

Nota de Mahometo.

Accidit eodem tempore, quòd in Arabia, & Syria, & Ægypto laborabant multæ sectæ Hæreticorum, maximè secta *Nestorii*, qui ponit in Christo duas personas per se divisas: dicit enim quod Deus habitat in Christo non personaliter unitus, sed tamquam in viro perfecto. Laborabat etiam secta *Berilli*, *Bostraneæ* civitatis Arabiæ Episcopi, qui dicebat, Christum ex spiritu Dei esse genitum; tamen totaliter incœpisse à *Maria* Matre ejus, & esse purum hominem, nisi in quantum Paterna Deitas habitabat in eo. Laborabat etiam tunc temporis *Jacobitarum* secta, qui ponunt unam tantùm naturam in Christo: & simul baptizantur & circunciduntur. Laborabat etiam ibi tunc temporis secta *Manichæorum*, qui dicunt, Christum mortuum non fuisse, nisi ex quadam apparentia. Sed quia Papa Romanus simul cum Patriarcha Gregorio excommunicaverat prædictas sectas: & quia prædictæ sectæ recesserant à Latinis & Græcis; ideo adhæserunt libenter Arabibus & Saracenis, ut eos defenderent ab Imperio, & Papa Romano. Et sic in brevi Saraceni occuparunt *Hierusalem*, & totam Syriam; & omnes tres Arabias, & Ægyptum, in quantum Hæretici dabant eis introitum per omnes civitates contra Catholicos:

& sic factus est fortis exercitus Saracenorum. Tunc *Mahometus* excogitavit, qualiter posset retrahere Arabes A
suos à ritu & cultu Romano Catholicorum. Unde excogitavit novum modum colendi Deum : & dixit, quòd Deus revelaverat sibi modum quomodo Deus debebat adorari & coli. Et ædificavit Templum in *Damasco* quod *Mesquitam* vocant : & ibi docuit omnes sui exercitus adorare. Et præcepit Mesquitas ædificari per totam Arabiam, & removeri cruces ab Ecclesiis & Oratoria, & auferri Calices, & cætera vasa argentea & aurea, & cætera jocalia Ecclesiarum : & exinde processit contra Persas, & occupavit totum Regnum Persarum, & totam B
Mesopotamiam, & Chaldæam.

Mahometo autem mortuo, ejus exercitus fuit divisus in tres partes. Nam *Abdalla Motalif* cum magno exercitu venit versus Occidentem, & occupavit totam *Africam*, & etiam *Hispaniam*, destruendo, & vastando omnes Ecclesias ; & omnes subjectos cogebat servare sectam *Mahometici* : quæ quidem secta fuit composita per *Sergium*, qui erat de secta *Nestorii*, & per alios duodecim, qui ex quatuor sectis, scilicet ex secta *Nestorii*, & *Berilli*, & *Manichæi*, & *Jacobi Alcoranum* suum composuerunt. Et sic dicunt, Christum esse Filium Dei genitum ex spiritu Dei : hominem, & C
non Deum : & quòd in die passionis non fuit ipse mortuus ; sed de medio Judæorum raptus est in cœlum: & quod alius similis ipsi fuit captus per Judæos, & crucifixus. Et sic etiam, ut placerent *Jacobitis*, præceperunt Saracenis circuncidi. Et hanc sectam *Saraceni* cogunt observare omnes sibi subjectos. Unde sicut multi ex quatuor supradictis sectis adhæserunt *Mahometo* : ita compositores *Alcorani*, qui erant de supradictis sectis, unusquisque posuit aliquid de sua secta. Et apparuit illa bestia multiformis, & diversis & fœdis depicta coloribus : quam bestiam *Daniel*, *pardum* appellat, *capitulo septimo*, ut dictum est *Psalmo septuagesimotertio*. Sed quia Jacobitæ & Nestoritæ libere & sponte se Saracenis subjecerunt, & eis introitum per civitates præbuerunt : ideo Saraceni permiserunt eos libere vivere in suis sectis & libertatibus usque ad præsentem diem per totam Ægyptum, & Syriam, & Mesopotamiam, & Armeniam, & Persiam, & Mediam, ubi reperiuntur in maximo numero, tàm Nestoritæ, quàm Jacobitæ.

Ex alia autem parte exercitus Saracenorum constituit ducem *Homar* generum *Mahometi*, qui cepit omnes E
Provincias Orientales usque ad Indum. Et sic omnes subjectos coegit servare sectam Mahometi. Et destruxit omnes Ecclesias Catholicorum, vel ex eis Mesquitas fecit.

Postea anno Domini millesimo sexagesimotertio venerunt *Turci*, & receperunt sectam Mahometicam. Et sic sub illo nomine occuparunt omnem Armeniam, & Asiam minorem, & totam Græciam. Anno autem millesimo ducentesimo duodecimo surrexerunt *Tartari*, & subjecerunt sibi omnes Indias, & totam Scythiam usque ad Tanaim & Boristhenem, & ad fines Ruteniæ: quorum Tartarorum major pars suscepit F
sectam Mahometicam.

Ex quo patet, quòd ista maledicta secta, quæ incœpit in Arabia per Idumæos, & Ismaelitas, & Agarenos, & Ammonitas, & Amalechitas, & cæteros Arabes, destruxit, & vastavit quasi totam religionem Christianam, & Ecclesiam Catholicam, usque ad præsentem diem : & hoc est quod intendit dicere David in hoc Psalmo. Unde dicit : ò Christe *Deus* & homo: *quis similis erit tibi* in potentia & virtute ? Quia non solummodo eris homo, sed etiam Deus ; & cognoscetur omnipotentia tua, cùm veneris ad puniendos inimicos tuos, scilicet *Mahometum*, & *Antichristum*. G

2. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt : & qui oderunt te, extulerunt caput.* *Argum. de Pœn. d. 3. c. Principium.*

3. *Super populum tuum malignaverunt consilium : & cogitaverunt adversus sanctos tuos.* *3. q. 1. Nulli dubium.*

4. *Dixerunt : Venite, & disperdamus eos de gente : & H
non memoretur nomen Israel ultra.*

5. *Quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adversum te testamentum disposuerunt, tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ:* *6. q. 1. ca. Sunt plurimi.*

6. *Moab,*

6. *Moab , & Agareni , Gebal , & Ammon , & Amalec : alienigenæ cum habitantibus Tyrum.*

7. *Etenim Assur venit cum illis : facti sunt in adjutorium filiis Lot.*

A

Quoniam ecce inimici tui : scilicet *Mahometus* , & *Antichristus* , *extulerunt caput* & superbiam , & B prosperati sunt , & multiplicati. Et *extulerunt* regnum suum & dominium super totum orbem : & *malignaverunt*, id est , malignum consilium fecerunt *super populum tuum* Christianum ; & *cogitaverunt consilium* malum *adversus sanctos tuos* Christianos. Unde isti *inimici tui* deliberaverunt , & *dixerunt*: *Venite , & disperdamus eos* , scilicet Christianos , *de gente* : & *nomen Israel* , scilicet Christianitatis , quæ per *Israel* intelligitur , *non memoretur ultra* : sed destruatur tota religio Christiana. Unde dicit : *Inimici tui extulerunt caput :* quia *Idumæi* & *Ismaelitæ* , & cæteri *Arabes* infra nominati C *extulerunt caput :* quia *Mahometum* & *Turcum* , & etiam *Tartarum* , & *Antichristum* in principem & prælatum exaltaverunt , & constituerunt. Et sic *super populum* Christianum *malignaverunt* , ut ex diversis sectis & hæresibus sectam Mahometicam conficerent. Et hoc est *consilium* malum & falsum , quod *adversus sanctos tuos cogitaverunt* , immania tormenta eis inferendo , & diversis pœnis eos afficiendo. Hoc dicit: quia *Saraceni* multa millia Sanctorum Monachorum , & Eremitarum , & Sacerdotum in *Ægypto* , & *Mesopotamia* , & *Syria* martyrio coronaverunt. Unde dixit *Antichristus* , & *Mahometus : Venite disperdamus* fideles *de gente* , id D est , de mundo , & *Israel* , scilicet Ecclesia Catholica , *ultra non nominetur*, sed totaliter extinguatur , & eradicetur. *Quoniam* omnes isti infrascripti , scilicet , *tabernacula Idumæorum* , & *Ismaelitæ* , & *Moabitæ* , & *Ammonitæ dispposuerunt* & moti sunt ad vastandum *testamentum* Dei , & totam Ecclesiam.

Unde est notandum , quòd omnes istæ nationes hîc nominatæ habitabant in *Arabia* , & congregatæ sunt cum *Mahometo* ad vastandum Ecclesiam in principio illius sectæ. Et sic subjecerunt majorem partem mundi : quibus adhæserunt *Tartari* , & *Turci*.

Unde nota : quòd *Idumæi* habitabant ultra *Jordanem* in principio E *Arabiæ Petreæ* ; & isti communiter habitabant in tabernaculis & tentoriis. Quoniam descendunt ab *Edom* fratre *Jacob* , qui vagabatur cum tentoriis cum suis gregibus & armentis. *Ismaelitæ* sunt filii *Ismaelis* , filii *Abraham* de ancilla. *Ammon* , & *Moab* sunt filii *Lot*, nepotis *Abrahæ* , à quibus denominatur *Moabitæ* & *Ammonitæ* : omnes isti habitabant in *Arabia Petrea*. *Agareni* sunt etiam filii ipsius *Agar* : & omnes isti , tàm *Ismaelitæ* , quàm *Agareni* habitabant in *Arabia* : qui postea nominati sunt *Saraceni* , occupantes sibi nomen ipsius *Saræ* , cùm sint filii *Agar* F ancillæ. *Gebal* & *Amalec* pariter habitant in *Arabia* propè terram promissionis. Et habitantes *Tyrum* pariter sunt congregati cum *Mahometo*. Item *Syri*, sive *Assyrii* adhæserunt cum *Mahometo* : ideo ponuntur hîc principales. Et ideo dicitur , quòd *venerunt in adjutorium filiis Lot* , id est , *Ammonitis* , & *Moabitis*. Unde licèt omnes isti nominati denominentur à nominibus primorum qui habitarunt *Arabiam* , scilicet *Ismael* , *Edom* , & *Moab &c.* tamen tempore *Mahometi* omnes erant Christiani , licèt laborarent in diversis hæresibus & sectis : sed indignati propG ter supradictam contumeliam eis dictam , quia vocati sunt canes à conductoribus Græcorum , & Latinorum : ideo rebellarunt , & *Mahometo* , & ejus sectæ adhæserunt. Et ideo ponuntur primi persecutores Ecclesiæ in hoc Psalmo ; unde habuit ortum illa secta , & à quibus est propagata per totum orbem.

Nota.

8. *Fac illis sicut Madian , & Sisaræ ; sicut Jabin in torrente Cisson.* *Judic. 4. & 5.*

H 9. *Disperierunt in Endor : facti sunt ut stercus terræ.* *Judic. 5. & 7.*

10. *Pone principes eorum , sicut Oreb , & Zeb , & Zebee , & Salmana;*

IN hac secunda parte Propheta implorat divinam vindictam , petens ultionem de supradictis persecutoribus Ecclesiæ , dicens : ò Domine Jesu , *Fac illis* , id est , omnibus *Mahometanis*, qui vastaverunt Ecclesiam tuam , *sicut* fecisti *Madiam* , & *Sisaræ in torrente*

te Cisson. Quasi dicat : *fac* ut populus Christianus superet eos sicut *Barac* debellavit *Sisaram* ducem *Jabin* prope A *torrentem Cisson* , quem *Sisaram Jahel* interfecit in tentorio , ut patet *Judicum* 4. qui quidem inimici *disperierunt in Endor* , scilicet , in loco prope *Cisson* , *& facti sunt ut stercus terræ* : quia cadavera eorum putrida traxit torrens *Cisson* ; & manserunt insepulta putrida *ut stercus terræ* , *Judicum* 5. Et *fac* etiam , ut populus Christianus superet eos , sicut *Gedeon* vicit *Madianitas* , quorum *principes* fuerunt *Oreb* , *& Zeb* , *& Zebee* , *& Salmana* , qui fuerunt capti , & *eorum* capita scissa , & *Gedeoni* oblata , ut patet *Judicum* 7.

B

95. dis. c. Ecce.

11. *Omnes principes eorum , qui dixerunt : Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei.*

Et 13. q. 1. c. His itaque.

12. *Deus meus pone illos ut rotam : & sicut stipulam ante faciem venti.*

24. q. 1. ca. Homini, §. Econtrario.

13. *Sicut ignis , qui comburit silvam : & sicut flamma comburens montes.*

14. *Ita persequeris illos in tempestate tua : & in ira tua turbabis eos.* C

15. *Imple facies eorum ignominia : & quærent nomen tuum, Domine.*

De Conse. dis. 2. c. Accesserunt.

16. *Erubescant , & conturbentur in sæculum sæculi : & confundantur , & pereant.*

17. *Et cognoscant quia nomen tibi Dominus : tu solus Altissimus in omni terra.* D

O Christe Deus , *pone* omnes *principes eorum* , scilicet *Mahometanorum* , scilicet *Arabes* , & *Turcos* , & *Tartaros* , qui sunt principales nationes in illa secta , *qui dixerunt : Possideamus Sanctuarium* , id est , totam Ecclesiam *Dei hæreditate* , id est , qui statuerunt subjicere sibi totam Christianam religionem : *Pone* ergo *eos ut ro-* E *tam* : quæ quidem *rota* non est stabilis, sed pars summa cadit , & fit infima rotando : ita isti ruant à potestate & dominio. *Et pone eos sicut stipulam ante faciem venti* , id est , quòd ventus & sententia furoris tui propellat eos , & removeat à dominio. *Et sicut ignis comburens silvas , & sicut flamma comburens montes : ita* tu *persequeris illos in tempestate* sententiæ tuæ , *& turbabis eos in ira tua.*

Unde nota : quòd propter ista supradicta dicunt multi , quòd secta *Mahometica* debet perire ante adventum Antichristi , & dividi in tres partes: quarum duæ debent se mutuo gladio F interimere , & delere. Tertia autem videns confusionem eorum , & cognoscens veritatem , se debet Christianæ fidei subjicere. Et ideo sequitur: *Imple facies eorum ignominia , &* sic confusi *quæren nomen tuum* , id est , fidem tuam recipient. Sed aliæ duæ partes *erubescant , & conturbentur in sæculum sæculi* inter se , *& confundantur , & pereant* , se adinvicem occidendo: ut *cognoscant* tunc *quia Dominus* est *tibi nomen* : item , quia tu es Deus omnipotens , & quia tu es Deus *Altissimus* super *omnem terram.*

Secta Mahometica peritura.

Totum etiam hoc supradictum , & præfata sententia potest intelligi de ipso *Antichristo* , & ejus sequacibus , *quem* G *Dominus interficiet spiritu oris sui* , 2. *ad Thessalonicen.* 2. quem videntes sequaces sui , manebunt confusi , & erubescent , & confundentur præ nimia confusione : quorum aliqua pars *quæret nomen Domini* : maximè Judæi. Et sic convertentur ad Dominum in fine sæculi : quia cognoscent , quòd Jesus Christus est verus Messias , & verus Deus & Dominus , & *Altissimus* super omnes creaturas. Cæteri autem obstinati peribunt in flamma ignis , & per cæteras quindecim tribulationes memoratas per Doctores in fine sæculi. Sed maximè Judæi , & cæteri Infideles erubescent , & conturbabuntur , & confundentur , cùm videbunt Jesum Christum venientem ad Judicium *cum potes-* H *tate magna & majestate* : quia tunc cognoscent ipsum esse verum Deum & Dominum , & Messiam in Lege promissum , & habentem omnem potestatem in cœlo , & in terra , & in inferno. Et sic peribunt , quando dicet eis: *Ite maledicti in ignem æternum.*

Ex quibus patet , quòd iste Psalmus potest propheticè , & litteraliter exponi de persecutionibus populi Judaici ante adventum Christi : sed melius & magis propriè de vastatione Ecclesiæ fac-

Materia Psalmi.

facta per *Mahometum*, & ſequaces ſuos, & etiam per *Antichriſtum*.

Sed etiam poteſt moraliter exponi A de quacumque perſecutione Eccleſiæ, & cujuslibet viri juſti facta per diabolum, & ejus membra, qui intelliguntur per illa nomina & nationes ſupra memoratas. Nam *Idumæa* interpretatur *ſanguinea* : & *Iſmael*, *obediens mundo* : *Moab*, ſine lege, *Agareni*, advenæ : *Gebal*, vallis vana : *Ammon*, populus turbidus : *Amalec*, avarus: *Alienigenæ*, contra Legem Chriſti: *Tyrii*, anguſtiantes, ſive tribulantes: *Aſſur*, deprimens, & delatus : *Lot*, declinans, & apoſtata. Per omnes iſtos intelliguntur perſecutores juſtorum, & fautores *Antichriſti*. Nam Antichriſto adhærebunt ſanguinarii, & homicidæ, B & obedientes mundo & peccato, & homines ſine lege : & *advenæ*, ſcilicet *Gog*, & *Magog*, & cupidi, & vani, & hypocritæ, & ſimulati, & raptores, & inimici Legis Chriſti, & crudeles, & ſuperbi, & elati, & apoſtatæ à fide Chriſti propter lucrum, & voluptates. Et omnes iſti ſemper fuerunt perſecutores juſtorum : & omnes tales adhæſerunt *Mahometo*, & obſervant ejus ſectam, & adhærebunt Antichriſto. Et de omnibus his conditionibus hominum conqueritur Eccleſia, eò quòd ab eis continuè affligitur, & eſt affligenda uſque ad Antichriſtum.

Psalmus LXXXIII. C

De Conſe. d. 5. c. Jejunium.

1. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum ! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.*

2. *Cor meum & caro mea, exultaverunt in Deum vivum.*

Titulus : *In finem*, *Pro torcularibus filiis Core Pſalmus*. Per hoc D quòd dicitur *In finem* oſtenditur, quòd iſte Pſalmus cantabatur cum toto conatu à *filiis Core* in tempore *torcularium*, ſcilicet, menſe Septembri.

Nota de quatuor feſtivitatibus.

Ad cujus intelligentiam eſt prænotandum, ut ſupra dictum eſt *Pſalm.* 80. quòd quatuor feſta præcepit Deus celebrare in menſe Septembri, ſcilicet, feſtum *Neomeniæ*, quod licèt in principio cujuslibet menſis celebraretur pro Divina gubernatione ; tamen in illo menſe maximè celebrabatur pro collectione vindemiarum, & omnium fructuum. Secundum feſtum erat *feſtum tubarum*, pro ſacrificio ipſius *Iſaac*. Tertium, *feſtum propitiationis* ; eò quòd E Deus propitiatus fuerat eis poſt conflationem vituli. Quartum feſtum fuit *tabernaculorum*, in memoriam illorum quadraginta annorum, quibus habitabant in tabernaculis per deſertum : ſed hoc feſtum non celebrarunt niſi poſtquam jam quieverunt in domibus ſuis in terra promiſſionis, & fixerunt tabernaculum in *Silo*. Et ideo tale feſtum dicebatur *feſtum quietis*, in quantum finierant ſuam peregrinationem. Sed licèt iſta quatuor feſta Deus præceperit in memoriam illorum myſteriorum ; tamen quia illa myſteria non erant gratiâ ſui, F ſed gratiâ magnorum myſteriorum in novo Teſtamento, quod quidem Teſtamentum eſt finis totius Legis veteris: ideo quærenda ſunt myſteria figurata per ſupradictas figuras.

Lex vetus eſt occultatio novi Teſtamenti.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum ſecundùm *Auguſtinum*, *de Catechizandis rudibus* : quòd Lex vetus, ſive Teſtamentum vetus, nihil aliud eſt, niſi occultatio novi Teſtamenti, & novum Teſtamentum nil eſt, niſi manifeſtatio veteris. Et ſic totum Teſtamentum vetus ſe habebat ut ager frugum, aut vinea, aut peregrinatio. Lex autem Euangelica ſe habet ut area, in qua teruntur fruges, & colligitur granum in horreum, & ſeparatur à paleis cærimoniarum, ut dicebat *Joannes Baptiſta* de Chriſto, G *cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam, & congregabit granum in horreum ſuum; paleas autem comburet igni inextinguibili. Matth.* 3. & *Luc.* 3. Ex quibus patet, quòd Chriſtus & Apoſtoli fuerunt trituratores hujus areæ, & dimiſerunt nobis fructum Sacramentorum, combuſtis & annullatis paleis, & cærimoniis Legis. Ideo dicit Chriſtus ipſis Apoſtolis, *Joann.* 4. *Alius eſt qui ſeminat, & alius qui metit.* Nam *alii ſeminaverunt, & vos in meſſes eorum introiſtis.* Hoc autem dicebat : nam Patriarchæ & Prophetæ laboraverunt in figuris ; & ſcripſerunt Teſtamentum vetus : ſed H Chriſtus & Apoſtoli meſſuerunt granum, & fructum in illis figuratum, & prophetatum, & declaraverunt, & propinaverunt nobis : & ideo dicuntur *meſſores*, & *excuſſores*, & *trituratores*.

Nota.

Lex Euangelica dicitur torcular & area.

Ita etiam Lex Euangelica dicitur non ſolum *area* reſpectu frugum Legis veteris ; ſed etiam dicitur *torcular* reſpectu vineæ, in quo expreſſum eſt vinum vineæ Legis veteris. Nam primò Chriſtus expreſſit vinum ex Sacra Scriptura. Secundò, expreſſit in cruce tamquam in torculari ex ſeipſo pretium noſtræ

træ redemptionis, unde manavit nobis virtus Sacramentorum: & etiam poſtea hoc idem vinum Sacramentorum ipſi Apoſtoli ex Scriptura veteris Teſtamenti nobis clariùs expreſſerunt. A

Item Lex Euangelica, ſive adventus Chriſti dictus eſt *terminus* peregrinationis Legis veteris. Nam Lex ordinabatur ad Chriſtum tamquam ad perfectum, & ad terminum immediatum, ut ait *Apoſtolus ad Roman.* 10. quia Chriſtus eſt finis Legis. Et ideo Deus præcepit celebrari iſta feſta in menſe Septembri, ſcilicet, *feſtum vindemiarum*, & *torcularium*, & *feſtum tubarum*, & *feſtum propitiationis*, & *feſtum tabernaculorum*, in memoriam peregrinationis filiorum Iſrael, in quantum quieverunt ab illa peregrinatione B in terra promiſſionis adeptâ, & fixerunt tabernaculum fœderis in *Silo*. Adveniente ergo Chriſto ceſſarunt omnes quatuor iſtæ feſtivitates quantum ad figuram, eò quòd veritas earum venerat. Unde dictum eſt *Pſalm.* 49. quòd tota Synagoga ſimul cum omnibus cærimonialibus mortua & ſepulta fuit cum Chriſto, & non ſurrexit cum Chriſto, niſi ſola veritas Euangelica, figurata per illa cærimonialia, in quantum omnia fuerunt impleta in Chriſto. Nam per Chriſtum facta eſt univerſalis propitiatio, & factum eſt verum ſacrificium figuratum per *Iſaac*, & expreſſum eſt verum vinum Sacramentorum, & verum granum frumenti Euchariſtiæ, & impleta eſt peregrinatio Legis, & tabernaculorum: quia jam eſt Eccleſia per Chriſtum & Apoſtolos ædificata, & eorum ſanguine firmata, in qua jam quieſcimus per gratiam: ideo ſicut tunc celebrabamus iſtas feſtivitates in figura, nunc jam celebramus in veritate: quia jam fructum & gratiam colligimus. Ideo dicitur *Joann.* 1. *Lex per Moyſen data eſt, gratia autem & veritas per Chriſtum facta eſt.* Item celebramus feſtum torcularis: quia continuè extorquemus veritates Euangelicas ex Sacra Scriptura veteris Teſtamenti. C D

Item ulterius eſt notandum: quòd ſicut Lex vetus fuit ager frugum, ſive vinea, ſive peregrinatio reſpectu novæ Legis; & Lex Euangelica eſt area, & torcular, & terminus quietis illius: ita pari modo Lex Euangelica eſt ager, & arbor, & vinea, & peregrinatio reſpectu ſuperioris patriæ. Nam ex hac vinea continuè colliguntur, & extorquentur fructus meritorum, & in die judicii triturabitur meſſis, & ſeparabitur granum à paleis, & frumentum à zizaniâ, & univerſaliter mali de medio juſtorum. Et ſic patria cœleſtis erit finis Euangelicæ peregrinationis & laboris: nam ſicut hîc colligimus fructus gratiæ, ita ibi colligimus fructus gloriæ: & ſicut hîc celebramus ſupradicta feſta per gratiam, ita ibi celebrabimus feſta per gloriam: unde ſicut nullus Judæorum potuit pervenire ad Chriſtum niſi per Legem veterem: ita nullus poteſt pervenire ad patriam, niſi per Legem Euangelicam. Et nullus poterit celebrare prædictas feſtivitates in cœlo per gloriam, quin celebraverit ipſas in hac Eccleſia per gratiam. E

Prævidens ergo David in ſpiritu totum hunc diſcurſum, ſcilicet, qualiter Lex vetus ducebat ad Chriſtum, & Chriſtus & Lex Euangelica nos debebat F perducere ad patriam, ubi verè & æternaliter celebratur *feſtum tabernaculorum*, & felicium & beatarum manſionum, & *torcular* ultimatæ noſtræ fruitionis: quæ quidem felicia tabernacula figurabantur per illa materialia tabernacula, quæ faciebant in terra promiſſionis in feſto tabernaculorum jam in quiete poſiti: ideo fecit hunc Pſalmum, & dedit ipſum cantandum *filiis Core*, qui dicuntur, *filii crucis*, ut cantaretur in *feſto tabernaculorum*, & etiam per totum menſem vindemiarum.

Pſalmi diviſio.

In quo Pſalmo duo facit. Nam primò exprimit deſiderium ſuum, & totius G Eccleſiæ, petendo quietem, & manſionem, & fruitionem in cœleſtibus tabernaculis: ſed quia ad illa cœleſtia tabernacula nemo poteſt pervenire niſi per Chriſtum, & Legem Euangelicam, & niſi celebret ſupradicta feſta in Lege Euangelica per gratiam: ideo in ſecunda parte petit accelerari adventum Chriſti, & Legis Euangelicæ. Ibi: *Beatus vir, cujus eſt auxilium.*

Feſtum tabernaculorum figura feſti beatitudinis.

Quantum ergo ad primum, contemplans & conſiderans David, quòd illud *feſtum tabernaculorum*, quod tunc celebrabant in Lege veteri, ſignificabat *feſtum tabernaculorum*, quod Beati celebrant in cœlo: ubi Beati in felicibus H tabernaculis, abſoluti ab hac peregrinatione, jam ſempiterno ævo fruuntur: deſiderans ergo ſummo affectu cum illis in ſocietate commorari, & à jugo Legis, & ab hujus mundi *torcularibus* tribulationum, & mundanis miſeriis liberari, dicit: ò *quam dilecta*, & appetenda ſunt *tabernacula tua*, & ſummopere deſideranda, ò *Domine virtutum*, & princeps exercitus Angelorum: in tantùm de ſe enim ſunt deſideranda, quòd contemptis omnibus *tabernaculis*, & bonis terrenis, jam *anima mea concupiſcit* ire *in atria Domini*, *& deficit* in conſideratione tantæ felicitatis, nec valet attingere profunditatem tanti myſ-

Lex Euangelica eſt ager &c. reſpectu ſuperioris patriæ.

myſterii illarum felicium manſionum: quia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparaſti Deus diligentibus te.* A

Anima dupliciter deficit.

Dupliciter enim deficit anima mea. Primò, quoad intellectum: quia non poteſt altitudinem tanti myſterii comprehendere, nec attingere. Secundò, deficit quoad voluntatem: quia *anima mea liquefacta eſt*, & in extaſim venit præ amore, & dulcedine, & deſiderio tantæ felicitatis. Nam non ſolùm *cor meum*, ſcilicet, anima mea; ſed etiam *caro mea* per quandam redundantiam, *exultaverunt in Deum vivum:* quia anima magis eſt ubi amat, quàm ubi informat. Et ſic trahit carnem à mundanis totam ſecum, & quaſi convertit eam ad ſe. Et ſic totus homo in carne & corpore transformatur in Deum amatum, & illam felicitatem deſideratam: unde totus homo in anima & corpore non ſolùm obliviſcitur alia, ſed etiam ſeipſum; & ſic evolat in contemplationem Dei, & deſiderium illius æternæ felicitatis. Quaſi dicat ergo David in his duobus verſibus: ò Domine, poſtquam celebravi iſta tabernacula materialia in terris, fac me celebrare *feſtum tabernaculorum* in cœlis: quia anima mea jam cupit exire ab his *tabernaculis* mundanis, & habitare tecum in cœleſtibus. B

Corpora dicuntur tabernacula animarum.

Nota etiam: quòd iſta corpora corruptibilia, in quibus nunc habitamus, dicuntur *tabernacula* animarum noſtrarum, in quibus tabernaculis animæ noſtræ affliguntur propter corruptionem, & concupiſcentiam, & pœnalitatem: ex quo *tabernaculo Paulus* Apoſtolus cupiebat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: de quo etiam *tabernaculo* dicebat *Petrus in ſecunda Epiſtola, capit. primo: Quandiu ſum in hoc tabernaculo ſuſcitare vos in commonitione, certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei.* Sed in finali reſurrectione iſta *tabernacula* corruptibilia mutabuntur in glorioſa, & incorruptibilia: quia *oportet hoc corruptibile induere incorruptionem.* Et tunc in cœlo iſta noſtra erunt glorioſa: & ſic erunt animbus noſtris ad gloriam, quæ ante fuerant ad ſarcinam, ut inquit *Auguſtinus* 12. *ſuper Geneſ. ad litteram.* De iſtis etiam *tabernaculis*, ſcilicet, corporibus glorioſis, in quibus habitabimus in patria, dicit Propheta: *Quam dilecta tabernacula tua Domine &c.* C D

*** *** ***
*** *** ***

E 3. *Etenim paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.* 22. quæſt. 4. Quod Chriſtus.

4. *Altaria tua Domine virtutum: rex meus & Deus meus.* 45. d. Licet.

5. *Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* 24. q. 1. c. Omnibus.

F

HIC contemplatur Propheta, quanta eſt, & fuit diligentia, & ſolicitudo divinæ miſericordiæ & benignitatis erga nos. Nam ſicut *paſſer* fabricavit *ſibi domum* & locum in foraminibus parietum, & etiam *turtur* fabricavit *nidum* in arboribus & parietibus, *ubi* tutè & ſecurè *ponat pullos ſuos*, & cum tanta ſolicitudine alit & nutrit, & eis victum quærit: ita Deus ab æterno nos prædeſtinavit, & ex tempore ab origine mundi cœlum Empyreum ad noſtram manſionem præparavit, & creavit. Sed quia *Adam* propter ſuam ingratitudinem & inobedientiam ſupradictum locum pro ſe & pro nobis perdidit; ideo Deus, cùm venit plenitudo temporis, *miſit Filium ſuum* volando de cœlo ad terram *in ſimilitudinem carnis peccati;* ſed inter omnes homines ſolus per hunc mundum ſine peccato volavit, & poſt mortem & paſſionem à mortuis reſurgens, velociter in cœlum volavit, & ibi nobis *nidos*, & manſiones, & *tabernacula* felicia præparavit, & filios ſuos, quos ex Baptiſmo regeneravit, ibidem *poſuit* & collocavit. G

Chriſtus volavit in cœlũ præparaturus tabernacula.

Dicitur ergo Chriſtus *paſſer*, in quantum ſine pondere peccati poſt reſurrectionem à terra uſque in cœlum velociter volavit: dicitur vero *turtur* à ſimplicitate & puritate. Eccleſia etiam *paſſer* dicitur, in quantum per fidem & charitatem volat in cœlum: dicitur etiam *turtur*, in quantum ſervat veram caſtitatem & fidem ſuo Sponſo Chriſto; & ideo meretur invenire *domum* in cœlo, & *nidum*, id eſt, manſiones, *ubi ponat pullos ſuos*, id eſt, filios, quos ex Baptiſmo generavit. Dicit ergo Propheta: ò *rex meus* per gubernationem & conſervationem, & *Deus meus* per creationem: &, ò *Domine virtutum* & Angelorum, Chriſtus Filius tuus ſicut *paſſer* velociter volavit in cœlum, & *invenit ſibi domum,* H

Chriſtus dicitur paſſer.

mum , *&* sicut *turtur invenit nidum* in cœlo , scilicet , illa *tabernacula* , & felices mansiones in cœlo fabricavit, & præparavit , & per merita suæ passionis acquisivit , *ubi ponat pullos suos*, scilicet , filios quos per mortem redemit , & per Baptismum regeneravit. A

Mansiones Beatorum sunt altaria.

Et nota : quòd Propheta in hoc loco æterna *tabernacula* , & mansiones Beatorum vocat *altaria* : ad denotandum excellentiam vitæ Beatorum. Nam cùm in hoc sæculo vita nostra sit mixta ex activa & contemplativa, propter miserias hujus mundi : ideo est necessè , ut exerceamus opera activæ , & relevemus proximum à miseriâ. Ibi autem quia nulla erit miseria, sed perpetuum gaudium & libertas, ideo non sunt necessaria opera misericordiæ , nec vita activa ; & sic ibi est B sola vita contemplativa : ideo in hac habemus duplicem *domum* , scilicet, *domos* familiares ad vitam activam , & Ecclesias , & *altaria* ad contemplandum. Sed quia in cœlo sola vita contemplativa exercetur , ideo illa *tabernacula* , in quibus manent Beati , *altaria* nuncupantur. Dicitur enim *altare* quasi *alta ara* : dicuntur ergo *altaria* illa *tabernacula* , quia *alta* , & à mundanis elevata & liberata , & ad solam contemplationem & laudem Dei deputata. Et ideo cùm dixit , quòd Christus præparavit nobis *altaria :* illicò sequitur , & subdit : *Beati qui habitant in domo tua Domine , in sæcula sæculorum laudabunt te.* Illæ ergo mansiones sunt Beatis *tabernacula*, C in quibus habitant : & sunt *altaria*, in quibus æternaliter Deum laudant: & sunt *mensæ* , in quibus æternaliter fruuntur : de quibus Christus dicit: *Vado vobis parare locum : & Ego dispono vobis , sicut disposuit mihi Pater meus regnum , ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo , & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel* , *Lucæ* 22.

De Pœn. d. 2. c. Dū sanctam.

6. *Beatus vir , cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit , in valle lacrymarum in loco, quem posuit.* D

Extra de Elec. cap. Cum Monasterium in glos.

7. *Etenim benedictionem dabit legislator , ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.*

SED quia, ut dictum est, nemo potest celebrare prædictas festivitates in patria per gloriam , nisi prius celebraverit in via per gratiam , & Legem E Euangelicam , quæ non poterat haberi, nisi per Christum mediatorem Dei & hominum : ideo in hac secunda parte David desiderans petit adventum Christi , & Legem Euangelicam , per quam ad illam patriam intendit & credit pervenire.

Gratia & veritas per quæ ad regnum pervenimus.

Unde notandum , quòd Christus Legis dator duo dedit nobis , quibus possemus ad illam patriam pervenire, scilicet *gratiam* , & *veritatem. Gratia* est virtus Sacramentorum , quâ purgamur à peccatis , & adjuvamur , & præservamur , & pœnitentiam agimus. *Veritas* autem est fides articulorum , & intelligentia Legis divinæ. Sed ista gratia continet in se quosdam gradus virtutum , per quos fideles ascendunt in sta- F tum perfectionis in hac vita usque in cœlum. Nam primò in Baptismo recepimus fidem , per quam inhæremus firmiter articulis fidei , scilicet , credimus Deum trinum & unum , & Filium incarnatum : & iste est primus gradus. Secundò , quia cognoscimus per fidem, Deum esse summum bonum , & creatorem , & redemptorem , & nostrum glorificatorem : ideo super omnia diligimus ipsum : & iste est secundus gradus virtutis. Tertius , quia vidimus quòd nobis promisit gloriam in futuro &c. ideo contemptis omnibus rebus mundanis , ita totam spem nostram , & desiderium ponimus in ipso : & iste est tertius gradus virtutum. Ex his sequi- G tur quartus , scilicet operatio bona. Nam tunc conamur operari , non nisi propter cœlestia nobis promissa , & propter Deum creditum , amatum , & desideratum.

Primus assensus.

Charitas dupliciter consideratur.

Ex quo patet , quòd Charitas dupliciter potest considerari. Uno modo in affectu : & sic præcedit spem ; quia illicò amamus creditum Deum , & promissa nobis bona , & ex consequenti ponimus nostram spem in Deo : & tunc sequitur charitas in effectu , quæ consistit in operando : nam operatur per spem, & charitatem effectivam , & fidem : quia una præsupponit aliam. Et ita charitas effectiva , sive operativa , dicitur *innocen-* H *tia* , in quantum neminem lædit , nec nocet , sed cuilibet prodest , & facit quod sibi vellet fieri , cuilibet proximo: & tunc Christianus dicitur verè *justus*, & operatur secundùm justitiam fidei formatæ spe & charitate : & iste dicitur *ascensus de virtute in virtutem* adeptus in Baptismo.

Secundus ascensus per donū Spiritus sancti.

Secundus *ascensus* est per dona Spiritus sancti. Primò enim in Confirmatione recipimus *donum sapientiæ*, per quod adhibemus studium ad scientiam divinorum , & Sacræ Scripturæ.

Se-

Secundò *donum intellectus*, per quod aperitur nobis intelligentia eorum quæ legimus in Sacra Scriptura. Tertiò *donum consilii*, per quod rectè eligimus vivere, & attingere regnum nobis promissum per Christum legiferum nostrum. Quartò, datur *donum fortitudinis*, per quod roboramur ad patiendum & tolerandum adversa propter Christum & justitiam, ut patet in Martyribus. Quintò, datur *donum scientiæ*, per quam discernimus nostra bona opera, & vivimus secundùm præcepta. Sexto, datur *donum pietatis*, per quod cultum verum & Latriam Deo tribuimus, & in rebus dubiis saniorem partem eligimus, & ei inhæremus. Septimò, datur *donum timoris*, per quod amore quodam filiali divina mandata servamus, atque præcepta, & Deum exarcebare, & ipsi displicere omni conatu & affectu cavemus: & sic ascendendo de virtute in virtutem gradualiter efficimur justi.

Tertius ascensus. Tertius dicitur *ascensus* per gradus gratiarum. Primò datur nobis à Deo gratia præveniens, ut bonum velimus: & sic incipimus bonum agere. Secundò, datur gratia cooperans: & sic proficimus in operando bonum. Tertiò, datur gratia perfectè perseverans in nobis: & sic perficimus operationem quam incepimus. Primus gradus dicitur incipientium. Secundus proficientium. Tertius perficientium: & sic est ascensus ad patriam & statum perfectum per gradus gratiæ.

Quartus ascensus. Quartus *ascensus* est secundùm gradus statuum Ecclesiæ, & fidelium, sive professionum. Nam prima possessio nostra communis est professio fidei formatæ per Baptismum: & iste status convenit omnibus Christianis. Secundus gradus in Ecclesia est Religionis, in quo profitentur Religiosi obedientiam, paupertatem, & castitatem. Tertius est Sacerdotum, unde assumunt potestatem ministrandi Sacramenta, & promittunt Horas septem Canonicas, & septies in die per totam vitam orare. Quartus gradus est Episcoporum, qui omnes alios præsupponit, & in summo constituitur, cùm cæteros habeat regere & pascere exemplo & doctrina, & non solum bona spiritualia, sed etiam temporalia secundùm facultatem distribuere, ut patet per totam *Epistolam ad Titum*. Et sic per omnia ista quatuor genera graduum sunt *ascensiones in cordibus* Christianorum in hac vita, & ambulamus *de virtute in virtutem*, & de gradu in gradum, & ascendimus *in Sion* superiorem, ubi *videbimus*, & vident Beati *Deum deorum*. Et iste ascensus fit *in* hac *lacrymarum valle*, incipiendo primò à pœnitentia per gratiam prævenientem, & proficiendo per opera pietatis & misericordiæ, & perficiendo per cultum & Latriam usque in finem.

Dicit ergo David Propheta in persona totius Ecclesiæ: O Deus, *Beatus* est ille *vir cujus auxilium est abs te*, id est, à te, id est, cui tu das gratiam auxiliantem, sine qua nemo potest aliquid boni agere: per quam ipsi à te collatam, posuit & ordinavit *ascensiones* per gradus virtutum prædictarum *in corde* & anima sua: & hoc, *in* ista *valle lacrymarum*, & in hoc mundo, & *in* hoc *loco quem* Dominus *posuit* & constituit ad pœnitentiam agendam, & ad bona opera exercenda: nam spatium acquirendi vitam æternam in hac vita tantum Deus hominibus dedit, ubi voluit pœnitentiam esse fructuosam: eò quòd homo potest hîc mutatâ voluntate simul operaque mutare, ut ait *Augustinus in Enchiridio*. Vult ergo hîc innuere Propheta, quòd *Beatus* est ille *homo*, qui per auxilium Dei, & gratiam ipsi collatam agit pœnitentiam *in* hac *valle lacrymarum* & pœnitentiæ: quem locum Deus constituit ad pœnitentiam, & bona opera exercenda: & dum egerit pœnitentiam, ponit *in corde suo ascensiones*, id est, ascendit de virtute in virtutem usque ad statum perfectum, usquequò perveniat ad patriam.

Sed quia nemo potest habere istam gratiam nec pervenire ad patriam, nisi per Christum, qui est *via*, *veritas*, & *vita*: ideo sequitur: *Etenim* (pro *quia*, vel *certè*) Christus *legislator*, sive lator Legis Euangelicæ, *dabit* hominibus *benedictionem*, & gratiam Sacramentorum per suam mortem & passionem: & sic homines *ibunt de virtute in virtutem*, ut dictum est, usquequò per bona opera ascendant in cœlum; & tunc *videbitur* ab eis *Deus deorum in Sion* superiori; nam ibi omnes Beati Deum speculantur. Hoc etiam potest referri ad *Sion* inferiorem, ubi Christus visus est, & prædicavit, & Spiritum sanctum Apostolis dedit; ubi adepti sunt dona gratiarum, & gradus virtutum. Quasi dicat: quòd propterea Christus *legislator*, & *Deus deorum*, scilicet Deus Apostolorum & Sanctorum, de quibus dictum est in Psalmo superiori, *videbitur in Sion* in carne prædicando, & miracula faciendo. Et ibidem dabit Spiritum sanctum Apostolis, & omnia dona gratiarum, & omnem benedictionem: & Apostoli *ibunt de virtute in virtutem*, & sic convertetur totus mundus: & sic perveniet ad Christum, hîc per gratiam, & ad cœlum per gloriam. Et inde fideles assument gratiam, ut faciant *ascensiones* per gradus virtutum, & cum lacrymis faciant pœnitentiam per contritionem, & confessionem, &

satisfactionem, *in* hac *valle lacrymarum*, & *in* hoc *loco*, *quem* Dominus *posuit* & constituit ad pœnitentiam & bona opera facienda : quasi dicat, quòd justi *de virtute in virtutem*, & per gradus virtutum ascendunt ab hac *Sion* inferiori in *Sion* superiorem, in qua *vident Deum deorum* per gloriam. Item, ascendunt ad videndum Deum *in Sion*: quia aliter nemo potest ascendere ad videndum Deum. A

[35. d. c. Sacta Romana.] 8. *Domine Deus virtutum exaudi orationem meam : auribus percipe Deus Jacob.*

[11. q. 3. Ad mensam.] 9. *Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.* B

HIC assignat medium, per quod hujusmodi gratia est nobis acquirenda, quia non nisi per Christum mediatorem Dei & hominum, ut dictum est. Ideo petit accelerari adventum Christi, & mysterium incarnationis & passionis, orando ad Patrem ut mittat Filium suum, dicens : *ò Domine* Pater *Deus virtutum* ; &, *ò Deus Jacob*, cui facta est repromissio de Messia venturo, *exaudi orationem meam*, & omnium Patriarcharum, & Prophetarum, & totius Ecclesiæ, & *auribus percipe* eam, id est, inclina aures tuæ misericordiæ in me, & suscipe deprecationem nostram. Et tu *Deus protector noster*, qui C semper liberasti patres nostros à periculis, & persecutionibus temporalibus, *aspice* hanc nostram miseriam, & captivitatem, & mortem spiritualem, in qua sumus in potestate diaboli, à quâ non possumus liberari, nisi per Jesum Christum Filium tuum. Ergo *respice in faciem*, id est, humanitatem *Christi* Filii tui ; & mitte cum in carne, & *respice in faciem* ejus : id est, accepta mortem & passionem pro nobis, & libera nos per illam. Hanc eandem orationem facit hodie Ecclesia pro statu isto: ut *respiciat in faciem Christi* mediatoris, ut acceptet passionem ejus in recompensationem, & satisfactionem pro peccatis nostris, postquam merita nostra non sufficiunt. D

Facies Christi humanitas. Unde nota : quòd *facies Christi* dicitur humanitas : in qua ab hominibus videbatur, in qua Christus passus est, & meruit pro nobis ; in qua quidem humanitate latebat divinitas : quæ quidem humanitas erat instrumentum divinitatis : & notificabat eam. Dicit ergo Propheta : *O Deus* Pater postquam nos non sufficimus ad satisfaciendum pro peccato, nec aliquis Patriarcharum, E aut Prophetarum, nec aliqua creatura; *respice* ergo *in faciem* & humanitatem *Christi* Filii tui, & humanitatem quæ pro nobis passa est, & percussa, & flagellata, & crucifixa : & accepta passionem ejus : quia ipse est Christus tuus, & à te nobis missus, Deus & homo, Rex & Sacerdos, hostia & victima.

[De Consec. d. 5. c. Jejunium.] 10. *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.*

[1. q. 1. ca. Non est, & 63. d. cap. Valentinianus.] 11. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare* F *in tabernaculis peccatorum.*

HIC assignat Propheta medium ex parte nostri, per quod habemus venire in supradicta desiderata tabernacula : quæ quidem media sunt, misericordia, & humilitas, veritas, & justitia, sine quibus ad illa æterna *tabernacula* nemo poterit pervenire : in quibus *tabernaculis* est una perpetua dies sine tenebris, & sine nocte.

Nota. Ad cujus intellectum est notandum, quòd causa quare in hoc mundo inferiori numerantur dies & noctes, est latio, & ascensio Solis super terram. Nam Sol per suam lationem & præsentiam super nostrum hemisphærium causat nobis diem, & per suam absen- G tiam, dum fertur super aliud hemisphærium causatur nobis nox : & sic adventus ejusdem solis ab oriente causat nobis aliam diem, & sic numerantur dies & noctes : & sic patet quod isti dies numerantur per successionem noctis. Sed quia in inferno nusquam appareret sol, ideo semper est nox ibi : & per consequens est una nox, cui numquam succedit dies, & sic est nox æterna, ut ait *Virgilius*. Sed quia in gloria paradisi Christus, qui est Sol justitiæ, semper est præsens, & numquam absens: ideo ibi est *dies*, cui numquam succedit H dies. Ergo semper est *una dies*, & æterna, ut patet *Apocal. ultim.* Beati ergo vident Divinam Essentiam, & Deum incarnatum, nam semper vident verum & æternum solem ; & per consequens semper eis est *dies una* existentibus in *tabernaculis* & mansionibus cœlestibus. Et non solum vident lucem illam spiritualem & inaccessibilem, sed etiam corporalem ipsius cœli Empyrei, in quo habitant : quia lucidum est sine calore. Et sic semper ibi est *una dies* sine nocte, & sine tenebris. Sed quia istam diem acquisivit nobis Christus per humilitatem,

In paradiso nō est nisi una dies.

tem, & mortem, & paſſionem ſuam, ut patet *ad Philip.* 2. *Semetipſum exinanivit obediens uſque ad mortem &c.* A ideo non vult, quod poſſideant iſta *tabernacula*, *& diem* æternum, niſi humiles, & abjecti, & pœnitentes, qui in mundo ambulaverunt per viam humilitatis & pœnitentiæ. Et quia contemnentes mundana, potius voluerunt eſſe abjecti, & parati mori propter Chriſtum.

Ideo dicit Propheta in perſona cujuslibet juſti, & totius Eccleſiæ. *Quia* ego vidi, quòd *melior eſt una dies* quæ eſt *in atriis tuis*, & tabernaculis, & manſionibus cœleſtibus *ſuper millia*, id eſt, quam millia hujus mundi: ideo *magis elegi eſſe* humilis, & *abjectus*, & pauper, & afflictus perſecutionibus *in* B *domo Dei mei*, ſcilicet, in hac Eccleſia militanti: *quam habitare in tabernaculis*, & magnis palatiis hominum *peccatorum*, & ſuperborum, & mundanorum. Unde *tabernacula*, in quibus peccatores habitant, ſunt ſuperbia, avaritia, impietas, luxuria, in quibus ſunt involuti in hac vita. Item, *in tabernaculis peccatorum*, id eſt, Regum, & Tyrannorum, non habitant, nec proſperantur niſi adulatores, & mendaces, & doloſi, & maligni, & lenones, & ſuſurrones: hos autem fugit quilibet juſtus. Ideo illi tales poſt hanc vitam & mundanam felicitatem expectant habita- C re in inferno in æternum, ubi erit perpetua nox ſine luce, & ſine die. Ego autem habitabo in cœleſti patria, ubi eſt dies æterna ſine nocte. Et ſubdit cauſam, quare elegit in hoc mundo humilitatem, & dicit:

De Pœn. d. 1 Quia divinitatis natura, & d. 94. c. Diaconi. 24. q. 1. c. Odi, & de Conſe. d. 5. Nibil.

12. *Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.*

13. *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui* D *ſperat in te.*

QUIA *miſericordiam & veritatem*, ſimul cum humilitate, *diligit Deus*. Et ratio eſt, quia ipſe fuit miſericors, & verus, & juſtus; ideo *diligit miſericordiam & veritatem*. Et intelligit per *veritatem*, omnem juſtitiam. Ex quo patet, quod tres virtutes ſunt, quibus acquiritur principaliter regnum cœleſte, & conſequimur æterna *tabernacula*. Primò *humilitas*: quia *omnis qui ſe humiliat, exaltabitur*. Secundò *veritas*: nam ex veritate naſcitur omnis virtus; nam ſi eſt verus, de neceſſitate erit juſtus: & per conſe- E quens nemini vult nocere, nec fraudem inferre, ſed cuilibet proximo prodeſſe. Quare ex veritate naſcitur juſtitia, & ex juſtitia innocentia, & ex innocentia miſericordia, & per conſequens humilitas; ſine quibus nemo poteſt conſcendere in ſuperna tabernacula, ut dictum eſt *Pſal.* 14. ubi dicitur: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Reſpondet: *Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam &c.* Item *Pſalmo* 23. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto* F *ejus?* & reſpondet Propheta: *Innocens manibus, & mundo corde &c.*

Tres virtutes media ſunt ad beatitudinem.

Tertia virtus eſt *miſericordia*: nam per opera *miſericordiæ* recipimur in *æterna tabernacula*, ut ait Salvator. *Lucæ* 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ex ſupradictis patet, quod iſtæ tres virtutes ſunt media, quibus conſequimur æterna tabernacula: quas quidem virtutes Deus diligit, & habentibus has virtutes Deus dat gratiam in præſenti, & gloriam in futuro.

Ideo dicit Propheta: ideo *elegi eſſe abjectus*, id eſt, humilis *in domo* G *Dei mei*, & innocens in hoc mundo: *Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus.* Et ideo ſolis iſtis humilibus & miſericordibus *Dominus dabit gratiam* in præſenti, *& gloriam* in futuro: & exinde ſcio quod Deus *non privabit bonis* cœleſtibus humiles, & veros, & miſericordes, & juſtos *qui ambulant in innocentia*; immò conferer eis ſupradicta tabernacula. Quare dico, quod *beatus* eſt *homo*, qui contemnit iſta mundana & *ſperat in te* Domine: quia talis licèt videatur abjectus in hoc mundo, tamen in futuro habitabit in æternis tabernaculis in illa luce ſine nocte.

Ex quibus patet, quòd Propheta H David, & populus Dei ante incarnationem ſimul petebat in hoc Pſalmo adventum Chriſti, & futuram gloriam: nos autem jam non expectamus, niſi liberari à peccatis per pœnitentiam, & bene operari per gratiam, & diſſolvi ab hoc mortali corpore, & habitare in cœleſtibus tabernaculis.

Ex ſupradictis in hoc Pſalmo poſſunt recolligi octo Concluſiones.

Prima concluſio: quòd quilibet juſtus, & verus Chriſtianus, licèt habitet in hoc corpore mortali: tamen contemptis rebus mundanis, toto mentis affectu deſiderat habitare in illis cœleſtibus tabernaculis.

Se-

Secunda conclusio : quòd sicut passer & turtur facit nidum ad reponendum pullos suos : ita Christus fabricavit *altaria* & mansiones in cœlo , ubi A fideles sui quiescant & laudent Deum in æternum.

Tertia conclusio : quòd nemo potest ascendere in illa *tabernacula* , nisi ascenderit per gradus virtutum , dum vivit in hoc mundo.

Quarta conclusio : quòd nemo potest videre *Deum deorum in Sion* superiori , nisi per exercitium virtutum adquirat merita in hac vita , & *in* hoc *loco lacrymarum* , ubi Deus voluit opera esse meritoria , & pœnitentiam fructuosam.

Quinta conclusio: quòd nemo potest ambulare de virtute in virtutem , nec B agere pœnitentiam , nec opera meritoria , nisi per gratiam & merita Christi.

Sexta conclusio : quòd melior est illa dies æterna sine nocte , quam multa millia hujus vitæ.

Septima conclusio : quòd melius est esse abjectum , & vivere cum humilitate & paupertate in hac vita , quàm cum superbia , & copia bonorum temporalium , & favore in domibus regum. Nam Deus non dat cœlestia tabernacula , nisi humilibus , & justis , & misericordibus.

Octava conclusio : quòd Deus non privabit bonis cœlestibus innocentes sim- C plices , & contemptores hujus mundi sperantes in se , immò ditabit bonis fruibilibus & æternis.

Psalmus LXXXIV.

Arg. 86. d. c. Non satis.

1. *Benedixisti Domine terram tuam : avertisti captivitatem Jacob.*

2. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ : operuisti omnia peccata eorum.* D

De Conse. d. 2 c. Semel.

3. *Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.*

4. *Converte nos Deus salutaris noster : & averte iram tuam à nobis.*

Huic Psalmo præponitur talis Titulus , scilicet , *In finem , filiis Core , Psalmus* : Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum , & dedit ipsum cantandum choro ipsius *Hemam* , qui erat de filiis *Core* , ut E cantaret ipsum cum toto conatu vocum , eò quòd vocabant Christum in isto Psalmo , ut veniret in carne ad salvandum genus humanum.

Ad cujus intellectum est notandum, sicut dictum est in *Prologo* , *tractatu* 3. & *regula* 10. & *Psalm.* 77. quòd David in Psalmis , ut plurimum , procedit à figura ad figuratum , & à parabola ad veritatem ipsi correspondentem in novo Testamento. Duo ergo facit David principaliter in hoc Psalmo. Nam primò proponit parabolas & figuras , in quibus prævidit mysterium Incarnationis, & nostræ redemptionis. Secundò , petit F Christum ut veniat in carne ad salvandum & liberandum genus humanum. Ibi: *Converte nos Deus.*

Christus dicitur fructus.

Quantum ad primum , est notandum, quòd Christus communiter in Sacra Scriptura dicitur *fructus* , ut patet *Psalmo* 126. *Filii merces fructus ventris.* Item *Psalmo* 136. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Unde Christus dupliciter dicitur *fructus* : uno modo, in quantum fuit nobis datus , sive erat dandus in supplementum fructus ligni vitæ paradisi , quem perdidit Adam, prout dictum est *Psalmo* 1. Alio modo, in quantum erat dandus in antidotum & medelam contra morbum & venenum G fructus prohibiti , quem comedit Adam, cujus veneno totum genus humanum fuit infectum , & vulneratum , & sauciatum. Et sic Christus fuit figuratus per *fructum ligni vitæ* , quod fuit plantatum à principio in paradiso , quod germinavit illa benedicta terra paradisi sicut dictum fuit *Psalmo* 1.

Maria dicitur terra.

Item sicut Christus fuit figuratus per lignum fructiferum vitæ : ita pariter *Virgo Maria* fuit figurata per illam *terram* , & hortum deliciarum paradisi, qui germinavit illud lignum & fructum vitæ. Nam sicut illud lignum fuit germinatum & ortum ex illa terra benedicta , quam nullum aratrum aut rastrum violaverat : ita Christus fuit germinatus secundùm carnem ex illo utero H virginali & intemerato , nullo maritali , aut virili amplexu violato , nec temerato. Item sicut *Adam* primus homo fuit formatus manu Dei ex illa terra benedicta & inviolata , nullo rastro aut aratro rupta , vel temerata : ita Christus fuit formatus solo opere Spiritus sancti in illo utero intemerato , & inviolato , ex puris sanguinibus Virginis Matris. Et sic *Virgo Maria* jam fuit figuraliter benedicta in illa terra , quæ in principio produxit lignum vitæ : & ex qua formatus est *Adam* primus homo.

Item,

Item, mysterium Incarnationis Christi non solum fuit figuratum per productionem ligni vitæ, & per formationem corporis ipsius *Adam* ex terra virgine & inviolata, sicut dictum est; sed etiam fuit figuratum in benedictione ipsius *Jacob*, *Genes.* 27. quando benedixit eum *Isaac* pater suus. Unde sicut *Rebecca* induit *Jacob* vestimentis ipsius *Esau*, & cooperuit manus ejus pellibus hædi ad similitudinem *Esau*: ita pariter *Virgo Maria* induit Verbum æternum vestibus, & pelle humanitatis, & carnis mortalis, quando Christus *seipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Et sic *Virgo Maria* jam fuit figurata per *Rebeccam*, & benedicta in *Jacob*, in cujus renibus virtualiter erat, & seminaliter.

Item *Isaac* jam tunc prævidit & sensit in spiritu odorem virtutum, & gratiarum, & vestimentorum humanitatis Christi, & *Virginis Mariæ*, quando dixit: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus &c.* Ex quibus patet, quòd *Virgo Maria* jam tunc fuit figurata, & figuraliter benedicta per illum agrum odoriferum & floridum, quem benedixit *Isaac &c.* Ex quibus omnibus patet, quòd *Virgo Maria*, quæ Christum germinavit, multipliciter fuit in veteri Testamento figuraliter benedicta, scilicet, in illa *terra* & paradiso deliciarum, quæ germinavit lignum vitæ, & inviolata, ex qua fuit formatus *Adam*: & in illo agro odorifero quem benedixit *Isaac.*

Maria benedicta.

Secundò est notandum: quòd sicut *Virgo Maria* fuit multipliciter *benedicta* figuraliter per illam *terram*, quæ produxit lignum vitæ, & ex qua formatus fuit *Adam*: & per agrum odoriferum quem benedixit *Isaac*, prout dictum est: ita per oppositum tota *nostra terra*, id est, generatio ex qua sumus generati carnaliter, fuit maledicta realiter in *Eva*, & figuraliter in maledictione terræ propter peccatum primorum parentum, quando dixit ipsi Adam: *Maledicta terra in opere tuo: tribulos & spinas germinabit tibi*, id est, maledicta erit sensualitas & caro tua, & vitio concupiscentiæ corrupta: quia *germinabit tibi tribulos, & spinas* peccatorum, & vitiorum, & tentationum, jugiter animam pungentium & vulnerantium: quia jugiter & assiduè caro luctabitur adversus spiritum &c. *Mulieri autem dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries &c.* Et sic patet, qualiter ille cibus prohibitus infecit & corrupit terram nostram, ex qua carnaliter omnes sumus germinati, & irritavit, & concitavit iram & indignationem Dei contra nos, & induxit omnes infirmitates corporales & spirituales, & finaliter mortem corporis & animæ. Et taliter infecit, & corrupit, & maledixit terram nostram, quòd non germinat in nobis nisi spinas & tribulos peccatorum. Sed Dominus omnipotens *benedixit terram suam*, scilicet, Virginem Mariam, quæ germinavit istum benedictum fructum salubrem & antidotarium, qui abstulit à nobis omnem maledictionem, & dedit benedictionem, & sanavit nostros languores & infirmitates, & mitigavit iram Dei, & avertit à nobis ejus indignationem, ut patebit.

Nostra redēptio figurata fuit multipliciter & etiam iræ Dei mitigatio.

Tertiò est notandum: quòd sicut maledictio nostra fuit data in primis parentibus, & figurata in maledictione terræ eorum, & benedictio *Virginis Mariæ* fuit multipliciter figurata, prout dictum est in prima doctrina: ita pariter nostra redemptio & liberatio fuit multipliciter figurata, & maximè in liberatione captivitatis filiorum Israel de Ægypto, & in multiplici liberatione facta tempore *Judicum.* Et ita pariter mitigatio iræ & indignationis Dei erga genus humanum, fuit figurata multipliciter in veteri Testamento, putà, quando Deus remisit iniquitatem plebi suæ ad preces *Moysi*, quando fecerunt vitulum in *Horeb*, *Exod.* 33. Item quando *Moyses* mitigavit iram Dei, quando Deus volebat totaliter illum populum delere propter ingratitudinem, quia voluerunt sibi constituere alium ducem, & reverti in Ægyptum, *Numer.* 14. Item, *Moyses* mitigavit iram Dei, quando populus fornicatus est cum *Madianitis*, & adoravit *Beelphegor*, *Num.* 25. quæ omnia ista figurabant, qualiter Christus *fructus terræ* virginalis, debebat iram & indignationem Dei placare, & reconciliare genus humanum cum Deo Patre.

Omnia ergo ista mysteria incarnationis, & nostræ redemptionis, & reconciliationis prævidens David in spiritu, proponit & adducit gesta veteris Testamenti, in quibus prophetico spiritu prævidit ista mysteria. Et procedit *allegoricè* à figura ad figuratum, petendo nostram redemptionem. Unde dicit ad Patrem: *O Domine*, tu quondam figuraliter *benedixisti terram tuam*, scilicet, *Virginem Mariam*, in qua debes Verbum tuum seminare, & ex qua ille benedictus fructus, quo omne maledictum debet auferre, & in qui omnes Gentes sunt benedicendæ, est germinandus & nasciturus. Nam primò *benedixisti* illam *terram* figuraliter, be-

ne-

nedicendo illam terram paradiſi, quæ germinavit lignum vitæ, & illam terram virgineam & incorruptam, à qua formatus fuit primus homo. Et benedixiſti etiam iſtam terram tuam, quando *Iſaac* benedixit *Jacob*, & illum agrum odoriferum, unde *Jacob* attulit cibum, *Geneſ.* 27.

Item, non ſolùm *benedixiſti terram*, id eſt, *Virginem Mariam* per ſupradictas benedictiones, ſed etiam redemiſti multipliciter, & figuraliter genus humanum, & *mitigaſti iram tuam.* Nam primò figuraſti myſterium noſtræ redemptionis quando *avertiſti captivitatem Jacob*, & filiorum Iſrael, ab Ægypto. Item figuraliter *remiſiſti iniquitatem* noſtram, quando *remiſiſti iniquitatem plebis tuæ*, quando fecerunt vitulum conflatilem in *Horeb*, *Exod.* 33. Item multotiens *operuiſti peccata eorum*, non ad pœnam imputando, quando multotiens murmurabant contra *Moyſen*, immò dediſti eis manna de cœlo, & carnes in abundantia, *Exod.* 16. Item, *mitigaſti*, & *avertiſti* eos *ab ira indignationis tuæ* ad preces *Moyſi*, quando voluernnt reverti in Ægyptum; & quando immiſiſti ſerpentes ignitos; & quando fornicati ſunt cum *Beelphegor*; & quando per diverſos *Judices* liberaſti eos de captivitate, & perſecutione finitimorum. Sed omnia illa myſteria figurabant myſterium Incarnationis & noſtræ redemptionis & reconciliationis: Ergo, *ò Deus ſalutaris noſter*, *converte nos* ad te, *& averte iram tuam à nobis*, ſicut per illa ſupradicta myſteria figuraſti, & promiſiſti: quia jam eſt hora quòd mitiges iram tuam, & convertas nos ad te; quia diu, & per magna tempora fuimus exules, & ſeparati à te.

23.q.3.c. *Sex differentiæ in gloſ.*

4. *Nunquid in æternum iraſceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?*

QUASI dicat: Non eſt credendum. Primò, propter tuam bonitatem & miſericordiam. Secundò, propter multiplices promiſſiones ſupradictas patribus figuraliter factas. Quaſi dicat: jam tempus eſt, ut impleas promiſſiones tuas, *ut juſtificeris in ſermonibus tuis*, & ſpes noſtra non ſit fruſtrata & vana: immò credo quòd tu venies, & verificabis omnes promiſſiones. Deinde cùm dicit:

* *
*

5. *Deus tu converſus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.*

De Conſe. d.2.c.Semel.

6. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis.*

Et 35.d. c.Ab exordio.

EXplicat totum myſterium noſtræ redemptionis, & omnes fructus, & effectus, & utilitates ejus. Ad cujus intellectum eſt notandum: quod ille fructus prohibitus, quem comedit Adam, attulit mundo ſeptem maledictiones & damna. Primò enim attulit mortem corporalem. Secundò, labores, & miſerias, & infirmitates corporales. Tertiò, mortem animæ, & peccatum. Quartò, iram & indignationem Dei. Quintò, exilium & ſeparationem à Deo. Sextò, ignorantiam. Septimò, pœnam æternam. Sed quia ille benedictus fructus uteri virginalis datus eſt nobis in medelam & antidotum contra venenum illius cibi prohibiti; ideo totam maledictionem *Evæ* in benedictionem mutavit *Mariæ*: ut inquit *Auguſtinus.* Ideo ſicut ille cibus lætifer nos infecit; ita per oppoſitum iſte benedictus & ſalutaris fructus nos refecit: & ſicut ille nos interfecit, & mortificavit: ita iſte nos vivificavit: & ſicut ille in omnes miſerias & infirmitates nos dejecit, ita iſte ab omni miſeria relevavit, & ſanavit: & ſicut ille iram Dei & indignationem contra nos concitavit; ita iſte iram Dei erga nos mitigavit. Item, ſicut ille nos à Deo ſeparavit; ita iſte nos Deo pacificavit & reconciliavit. Item, ſicut ille in totum genus humanum tenebras ignorantiæ induxit; ita iſte lumen veritatis adduxit. Item, ſicut ille nos ſcelere infecit, & à via deviavit; ita iſte nos per Legem Euangelicam juſtificavit. Item, ſicut ille nos in perpetuam pœnam, & in infernum deſtinaverat, & damnaverat; ita iſte in æternum nos in cœleſti patria & gloria beatificavit.

Fructus Adę mundo attulit ſeptē peccata mala.

Fructus Mariæ Chriſtus eſt antidotum &c.

Omnia ergo iſta prævidens David in ſpiritu, ideo nominat, & appellat, & petit iſtum benedictum fructum ſub ſeptem nominibus. Unde appellat ipſum *fructum* ſalutarem, in quantum nos ſanavit, & vivificavit à morte; & appellat ipſum *miſericordiam*, in quantum nos ab omni miſeria relevavit: & appellat ipſum *juſtitiam*, in quantum nos ab omni peccato juſtificavit: & appellat ipſum *veritatem*, in quantum nos ab omni ignorantia illuminavit, &

omnia

omnia quæ erant scripta in Lege & Prophetis verificavit : & appellat ipsum *benignitatem* , in quantum iram , & indignationem Dei erga nos mitigavit: A & appellat ipsum *pacem* , in quantum nos Patri reconciliavit , & nos ad invicem sub una fide & charitate in una Ecclesia congregavit & ligavit : & appellat ipsum *gloriam* nostram , in quantum nos in cœlesti gloria beatificavit. Et hoc est quod intendit dicere & petere David in toto residuo hujus Psalmi.

Unde ait : O *Domine* Deus Pater, *Ostende nobis misericordiam tuam* , Filium tuum mittendo , per quem ostendes *misericordiam tuam* in mundo : *& salutare* , id est , fructum salutis *da nobis* ad sananda vulnera peccatorum contra venenum cibi prohibiti , quem comedit Adam. Et tunc *tu Deus conversus* ab ira in misericordiam , *vivificabis nos* per istum fructum salutiferum à morte peccati , & à morte corporali: B *&* tunc *plebs tua* , à morte peccati vivificata , & ab omni miseria relevata, *lætabitur in te* in adventu filii tui in carne. Et ideo , ut omnia ista fiant , *ostende nobis misericordiam &c.* Et tunc

23. q. 1. c. *Nisi bella , & c. Noli estimare.*

7. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam;*

8. *Et super sanctos suos , & in eos qui convertuntur ad* C *cor.*

9. *Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius : ut inhabitet gloria in terra nostra.*

AUdiam *quid loquatur Dominus* meus Jesus Christus *Deus* incarnatus , quando ascendet in montem, & aperiet os suum , & declarabit mihi D Legem & Prophetas , ut patet , *Matth.* 5. Unde ante non potui audire vocem Domini per se , sed per *Angelos*, & *Moysen* , & Prophetas : sed tunc quando Christus venerit in carne , *audiam quid loquatur in me Dominus Deus* per os suum : *quoniam* ipse personaliter *loquetur pacem* & redemptionem *in plebem suam* per Legem Euangelicam justificantem , & Deo fideles reconciliantem. *Veruntamen salutare ipsius* , scilicet , salus & redemptio ipsius Christi , non erit *prope* Scribas , & Pharisæos , & Judæos cœcos & obstinatos ipsum negantes ; sed erit *prope* E Apostolos , & Discipulos *timentes* & sequentes *eum* , *& super* omnes *sanctos suos* Martyres & Confessores , *& super* omnes per Baptismum sanctificatos: *& in eos* omnes , tàm Gentiles , quàm Judæos , *qui convertuntur ad cor* , id est , qui corde & ore Christum confitebuntur Deum & hominem , ut verum redemptorem : quia *corde creditur ad justitiam* : *ore autem confessio fit ad salutem.* Ideo *omnis qui invocaverit nomen Domini* , *salvus erit* , *ad Rom.* 10. Ideo solis istis erit fructuosa Christi redemptio. Et ideo , *ut* Christus, qui est *gloria nostra* , *inhabitet in terra* , id est , humanitate *nostra* , id est, F ut sumendo carnem nos posset redimere & glorificare , & ut verus & perfectus redemptor habitaret in nobis , & humanitate nostra ad redimendum & glorificandum , omnes virtutes & perfectiones fuerunt in eo congregatæ. Nam

10. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi : justitia & pax osculatæ sunt.* *De Pœnâ. d. 1. §. Econtrario.*

11. *Veritas de terra orta est : & justitia de cœlo prospexit.*

HUjusmodi virtutes in Christo *obviaverunt sibi* , & pariter *osculatæ sunt* , & in eo junctæ , putà , *misericordia* ad rimittendum nobis omnia G peccata , & relevandum nos ab omni miseria corporis , & animæ : *& veritas* , ad tollendam & fugandam nostram ignorantiam , & ad vivificandas omnes Scripturas , & ad docendam Legem Euangelicam. Et fuit in eo *justitia* , ad justificandum nos ab omni peccato per Legem Euangelicam , & gratiam Sacramentorum. Et fuit in eo *pax* & charitas , ad reconciliandum cum Deo Patre.

Unde nota , quòd ista septem no- *Nomina ista sunt idem &c.* H mina dicunt idem essentialiter & substantialiter in Deo : quia Deus essentialiter est quicquid habet : & sic Deus est substantialiter sua salus , & sua benignitas , & sua misericordia , & sua justitia &c. Sed differunt ista nomina penes modos significandi & connotandi, in quantum connotant distincta , & significant diversos effectus in nobis. Unde ipsa Divina Essentia dicitur *justitia*, in quantum tribuit unicuique quod suum est : & dicitur *misericordia* , in

quantum relevat nos ab omni miſeria, & remittit nobis debitum : & ſic de ſingulis. Sed iſte eædem perfectiones ſunt communicatæ animæ Chriſti per quam- A dam eminentiam , & excellentiam , ſuper omnes creaturas : ut omnia iſta poſſit diſpenſare membris per gratiam unionis tamquam Caput Eccleſiæ, ut dictum eſt.

Ideo in Scriptura quandoque unum ſumitur pro alio ; nam *veritas* ſumitur pro juſtitia : ut *Pſalmo* 118. *Omnia mandata tua veritas* , id eſt , juſtitia: & , *Principium verborum tuorum veritas.* Item *Iſai.* 39. *Sicut ego pater filiis notam faciet veritatem* , id eſt , juſtitiam. Item , per *veritatem* quandoque intelligitur *miſericordia* : ut in eodem capitulo. *Neque mors laudabit te , neque qui deſcendunt in lacum expectabunt veritatem* , id eſt , juſtitiam *tuam.* B Et ſic ergo idem Chriſtus , in quantum Deus , eſt eſſentialiter *miſericordia* , & *juſtitia* , & *veritas* ; in quantum homo , habet omnia iſta eminenter: primò habitualiter in anima : ſecundò, per gratiam tamquam Caput.

Et hoc dicit David , cùm ſubdit: *Veritas de terra orta eſt* , id eſt , Filius Dei , qui eſt Verbum æternum, & ſapientia , & *veritas* Patris ab æterno genita , *quæ ex ore Altiſſimi prodiit :* iſta , inquam , *veritas* licet ab æterno , & *ante luciferum* ſit *genita, & orta ex ore Altiſſimi* ; tamen ex tempore *orta eſt* ſecundùm carnem *de* C *terra noſtra* , ſcilicet , de ventre intemerato *Virginis Mariæ* , quæ eſt *terra noſtra* , quia de noſtra humanitate. Nam ſicut iſta veritas eſt genita ante luciferum *ex utero* & memoria fœcunda Patris ſecundùm divinitatem : ita *poſt luciferum* ex tempore *orta eſt*, & genita iſta *veritas ex utero* fœcundo Matris ſecundùm humanitatem : & iſto modo *veritas de terra orta eſt.* Sed primò , & ante , *Juſtitia* , quæ eſt idem Dei Filius , *de cœlo* in terram *proſpexit.* Et ideo motus *miſericordiâ*, venit in carne , *ut audiret gemitus compeditorum, & ſolveret filios interemptorum* , ut patebit *Pſalmo* 101. Et ideo ſubdit:

D

De Conſe. d. 3. c. ult. in gloſ.

12. *Etenim Dominus dabit benignitatem : & terra noſtra dabit fructum ſuum.*

13. *Juſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.*

ETenim , id eſt , *certe* per iſtum Jeſum Chriſtum , *Dominus dabit benignitatem* in terra , ad mitigandam iram & indignationem Patris , & ad reddendum ipſum benignum erga genus humanum : *& terra noſtra* , ſcilicet E *Virgo Maria* , de qua dictum eſt *Iſai.* 11. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Et *cap.* 45. *Rorate cœli deſuper , & nubes pluant juſtum : aperiatur terra , & germinet ſalvatorem &c.* iſta , inquam, *terra noſtra dabit fructum ſuum* , quando *concipiet , & pariet* illum benedictum fructum , in quo benedicentur omnes Gentes. Et tunc *juſtitia ante eum ambulabit* , ſcilicet Lex Euangelica , hominem perfectè juſtificans , & hominem juſtificando *ambulabit ante eum* : quia primò ipſe Legem Euangelicam feret; & ex conſequenti Apoſtoli per univer- F ſum mundum ipſum prædicabunt. Et ſic ipſe Chriſtus , qui eſt juſtitia vera, *ponet greſſus ſuos in via* : quia carnem ſumendo fiet viator , *in ſimilitudinem hominum factus , & habitu inventus ut homo.* Et etiam , ipſa Lex Euangelica , in qua conſiſtit tota noſtra juſtitia , *ponet greſſus in via* , quando per univerſum mundum prædicabitur.

Ex quibus omnibus patet , qualiter iſte benedictus fructus uteri virginalis , in quo congregatæ fuerunt ſeptem ſupradictæ perfectiones , ſcilicet, *ſalus* , & *miſericordia* , & *veritas* , & *pax* , & *benignitas* , & *juſtitia* , & *gloria* , totam maledictionem *Evæ* , in G benedictionem mutavit Mariæ Matris ſuæ. Et ſic fuit nobis datus in medelam, & antidotum , & remedium contra venenum cibi prohibiti , quem *Adam* comedit.

Sed ad majorem declarationem eorum quæ dicta ſunt , eſt notandum: quòd licèt Chriſtus eſſet verus Deus, tamen erat ſimul verus & integer homo. Et ideo ſeptem genera perfectionum erant conſideranda in illa humanitate aſſumpta , ſive in Chriſto , in quantum homo ſic aſſumptus. Nam primò erat in eo conſideranda perfectio eſſentialis , per quam reponebatur in ſpecie humana : quæ quidem perfectio dicitur præcedere formam. Secundò, conſiderabantur in eo perfectiones na- H turales conſequentes formam , ſcilicet, potentiæ intellectivæ , & ſenſitivæ , & motivæ , & cætera quæ erant in eo principia operandi. Tertiò , erant conſiderandæ perfectiones , & dona gratuita perſonalia , ſicut erant habitus infuſi , & dona Spiritus ſancti. Quartò, dona gratifica , ſcilicet gratia , & charitas , & omnia merita. Quintò , erant conſideranda bona deifica , quæ habebat per gratiam unionis , per quam ipſi communicabantur idiomata eorum quæ ſunt Dei : quia dicebatur *Deus*

Chriſtus Deus & homo in cujus humanitate ſeptē perfectiones.

&

& Creator &c. Sextò, conſiderabatur in eo gratia Capitis, quæ dicuntur dona, & bona munifica, per quam gratiam Capitis merebatur pro omnibus ſuis membris, & poterat eis communicare bona ſibi à Patre tradita: eò quòd ſic erat diſpenſator bonorum Patris, & *mediator Dei & hominum.* Septimò, erant conſideranda bona gloriæ: quia ſimul erat comprehenſor & viator. Omnia ergo iſta ſeptem bona erant conſideranda in illa ſacratiſſima anima Chriſti à principio ſuæ creationis. A

Quantum ergo ad *perfectionem eſſentialem* non excedebat animas aliorum hominum, ut communiter tenent Doctores: eò quòd talis *perfectio* eſt unica, conſiſtens in quodam indiviſibili. Unde ſi aliqua perfectio eſſentialis adderetur alicui formæ, faceret eam variare ſpeciem: quia ſpecies ſunt ſicut numeri, *octavo Metaphi.* B

Sed quoad *perfectiones naturales* conſequentes formam, anima Chriſti erat nobilior & perfectior omni aliâ animâ in ſpecie humana; & etiam quoad nobilitatem corporis: eò quòd habuit corpus *eucraton* temperatiſſimum, & nobiliſſimæ complexionis, ſecundùm omnes Doctores. Et ſic operationes ſuæ naturales & animales erant in ſummo gradu perfectionis. Et ſecundùm has naturales perfectiones conſequentes formam, licèt eſſet nobilior omni aliâ animâ; tamen non erat incoveniens, quòd eſſet inferior Angelis. Sed in bonis gratuitis & gratificis, & in gratia unionis, & capitis, & in bonis gloriæ, Chriſtus erat nobilior, & perfectior omnibus Angelis, & omni creaturâ. Quia nulla creatura ut ſic, ſibi valuit comparari, maximè in bonis, quæ proveniunt ipſi ex gratiâ unionis, per quam dicitur Deus, & Filius naturalis Dei Patris, & hæres Patris, & inſtrumentum deitatis in miraculis faciendis, & mediator Dei & hominum, & Caput Eccleſiæ. Et ſic potuit mereri pro omnibus ſuis membris, & communicare eis bona ſua. C

Et ut ſic fuit neceſſe, ut in eo congregarentur omnia ſeptem bona in hoc Pſalmo memorata, ſcilicet *ſalus*, ut omnes poſſet ſalvare, & à morte vivificare; & *miſericordia*, ut omnes poſſet ab omni miſeria relevare: & *juſtitia*, ut poſſet juſtificare: & *pax*, ut nos Deo reconciliaret: & *benignitas*, ut iram & indignationem Dei mitigaret, & à nobis averteret: & *veritas*, ut noſtras tenebras ignorantiæ fugaret, & omnia ſcripta in Lege & Prophetis verificaret, & adimpleret: & eſſet in *gloria*, ut nos glorificaret. D

Nota.

Et ideo, quia Chriſtus non ſolum adeptus eſt omnia iſta pro ſe, ſed ut etiam poſſet nobis ea communicare; ideo in hoc Pſalmo dicitur *ſalus noſtra*, & *juſtitia*, & *pax*, & *gloria noſtra &c.* Et per eandem rationem *Virgo Maria*, quæ hunc ſacratiſſimum & benedictum fructum germinavit, dicitur *terra noſtra* in hoc Pſalmo: qui quidem fructus in ſe continet ſeptem ſupradicta ſalubria bona contra venenum cibi prohibiti ipſius Adam. Et hæc eſt cauſa quare Chriſtus reliquit nobis ſeipſum ſub forma panis in cibum, ad reſtauranda bona, quæ perdidimus in Adam, & in ſupplementum ligni vitæ terreſtris paradiſi, prout patebit *Pſalmo* 110. E F

Sed ex ſupradictis poſſet inſurgere quoddam dubium. Nam licèt quinque ſupradictarum perfectionum, ſcilicet *ſalus*, *benignitas*, *pax*, *veritas*, & *gloria* ſint eſſentialiter in Deo, & ſe compatiantur ad invicem in ipſo, cùm ſint idem quod Divina Eſſentia; & iſta eadem quinque ſint in Chriſto homine formaliter, & per ſingularem eminentiam, & excellentiam, & munificentiam, ut dictum eſt: tamen iſta duo reliqua, ſcilicet *juſtitia*, & *miſericordia*, nullo modo ſe invicem valent compati eſſentialiter in Deo, nec eminenter & munificè in Chriſto homine, cùm ſint ad invicem contraria. Quod probatur. Nam *juſtitia* dicit, nullum malum impunitum; ſed *miſericordia* remittit omne debitum, & relevat ab omni miſeria. Ergo non poſſunt in eodem ſimul ſtare. Nam ſi Deus remitteret omne debitum per *miſericordiam*: ergo nullum malum puniret per *juſtitiam*. Et ſic juſtitia maneret læſa in Deo. Et ſi Deus puniret omne malum per juſtitiam, tunc nullum debitum remitteret: & ſic nulla eſſet in eo miſericordia: & ſic eſt dicendum de Chriſto homine. Ergo ſequitur quòd iſta duo non ſe compatiuntur ſimul in Deo, nec in Chriſto homine ſimul cum aliis quinque perfectionibus, & bonis ſupradictis. G

In oppoſitum autem eſt veritas prophetica hujus Pſalmi: quæ exuperat omnem ſenſum & curioſitatem humanam. H

Ad hoc communiter reſpondetur: quòd iſta duo per quandam remiſſionem & temperantiam ſunt ſimul in Deo, in quantum Deus punit citra condignum, & præmiat ultra. Et ſic miſericordia temperat juſtitiam &c.

Not. quomodo juſtitia & miſericordia ſunt in Deo.

Sed licèt hoc poſſit piè ſuſtineri: tamen non ſatisfacit totaliter, nec attingit myſterium divinæ miſericordiæ & juſtitiæ, in paſſione Chriſti oſtenſum & operatum: ubi nulla pars juſtitiæ læditur, nec pars miſericordiæ minui-

tur : sed utraque manet integra & illæsa.

Passio Christi satisfactoria pro peccatis.

Unde est advertendum : quòd respectu nostri , numquam *justitia Dei* posset simul esse integra cum *misericordia* , nec econverso. Nam nullus posset satisfacere , nec reddere debitum pro uno peccato in quacumque pœna, cùm peccaverit contra Deum infinitum, ut patet *Matth.* 18. de illo *qui debebat decem millia talentorum :* ergo cum in tali non posset fieri misericordia absque læsione justitiæ , oportuit ut Christus incarnaretur , & pateretur , & puniretur pro illo , ut redderet , & solveret pretium infinitum pro illo debito infinito , ut *justitia* maneret illæsa & integra , & *misericordia* haberet locum suum. Cujus passionis pretium , & meritum fuit infinitum ratione gratiæ unionis , & Christi innocentiæ & puritatis , ut dictum est *Psalmo* 17. Et ideo potuit in infinitum satisfacere pro peccatis omnium nostrûm , etiam si Deus crearet mille mundos : quia *Dominus posuit in Christo* peccata , & *iniquitates omnium nostrûm* quoad pœnam & punitionem : *& propter scelus totius populi percussit eum* , *Isai.* 53. ideo peccata omnium nostrûm fuerunt in eo punita , *cujus livore sanati sumus.* Et sic Christus , eò quòd Deus & homo, & numquam novit peccatum , factus est congruum sacrificium , & sufficiens pretium pro omni peccato , & ad solvendum pro omni debito. Itaque sicut est caput , & metrum , & mensura, & fons omnium gratiarum , & pelagus omnium meritorum ; ita est subjectum *justitiæ* , & punitionis omnium peccatorum , in quantum omnia nostra peccata fuerunt in eo punita , & nos per ipsum , & in ipso solvimus omnia nostra debita : & sic omnes fuimus in eo justificati.

Itaque quandocumque aliquis efficitur particeps passionis Christi per Baptismum , aut Pœnitentiam , tunc peccata sua sunt perfectè & integrè punita in Christo : quia ut sic Christus communicat peccatori baptizato , & pœnitenti merita suæ passionis : immò Christus offert Patri suam passionem in pretium & vindictam peccati , & debiti cujuscumque peccatoris. Et sic *misericordia* habet locum suum , *justitia* manente illæsa. Fit enim *misericordia* cum peccatore , in quantum sibi remittitur pœna , & debitum infinitum : & fit *justitia* , in quantum peccatum illius non manet impunitum , cùm puniatur in Christo , cujus passionem & merita participat peccator per Baptismum , aut Pœnitentiam , sine cujus passionis virtute nulla pœnitentia , nec Sacramentum esset validum , nec sufficiens ad delendum peccata , nec ad satisfaciendum pro debito.

Exemplificatio.

Et ponitur exemplum de annulo aureo. Nam annulus aureus unius unciæ non est sufficiens pretium ad redimendum unum captivum : sed si incœletur ei lapis pretiosus , scilicet carbunculus &c. non solum est sufficiens ad redimendum unum hominem , sed etiam decem : immò est sufficiens ad emendam unam civitatem : non ratione auri , sed ratione lapidis pretiosi in eo incœlati. Ita ergo pariter , licèt magna pœna alicujus non sit sufficiens ad solvendum , nec satisfaciendum pro peccato & debito illius ; tamen si addatur passio Christi per Sacramentum Pœnitentiæ , non solùm est sufficiens illa pœnitentia ad solvendum pro uno peccato , sed pro infinitis , ratione infiniti pretii passionis Christi , quam participat pœnitentia sacramentalis in effectu, vel in voto.

Et hæc est causa , quare dicit *Augustinus super Joann.* quòd *plus est facere de impio pium , quàm creare cœlum & terram* : quod non solum est intelligendum , quia reperitur obex ad gratiam in peccatore , ut communiter dicitur : sed quia Deus in creando cœlum & terram , nil posuit de suo , nisi solam similitudinem : quia solo verbo *dixit* , *& facta sunt omnia* : sed Deus non justificat peccatorem , quin ponat aliquid de suo , scilicet sanguinem & passionem , quam Filius offert Patri pro illo peccatore justificato , quam Pater acceptat in pretium pro debito illius. Et sic patet quòd majoris pretii est justificatio impii , quam creatio cœli & terræ , licèt sit æqualis potentiæ , ut inquit *Augustinus* , & *Ambrosius.* Ex quibus omnibus patet, qualiter propter passionem Christi summa *misericordia* habet locum in Deo cum summa *justitia* , & econverso : quia licèt remittatur pœnitenti omne debitum , tamen peccatum ejus non manet impunitum , & debitum non satisfactum in eo , vel in Christo , prout magis declarabitur *Psalmo* 102.

Psalmus LXXXV.

1. *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me : quoniam inops & pauper sum ego.*

15. d. c. Sacta Romana.

2. *Cus-*

2. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.* A

11. q. 3. c. *Custodi.* 3. *Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die : lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.*

Joel. 2. c. 4. *Quoniam tu Domine suavis, & mitis, & multæ* B *misericordiæ omnibus invocantibus te.*

11. q. 3. *Ad mensam.* 5. *Auribus percipe Domine orationem meam : & intende voci deprecationis meæ.*

6. *In die tribulationis meæ clamavi ad te : quia exaudisti me.*

TITULUS : *Oratio ipsi David.* Ex C Titulo apparet, quòd David fecit hunc Psalmum, in quo aliquid petit. Unde dicunt Hebræi, quòd David fecit hunc Psalmum dum esset in persecutione *Saulis*, in quo petit liberari ab eo. Et sic exponunt litteraliter hunc Psalmum. Et quidam Catholici sequuntur eos. Sed talis Expositio est inutilis & inanis, & faciens injuriam ipsi Prophetæ; cùm non sit minus Propheta in hoc Psalmo, quam in cæteris.

Materia hujus Psalmi. Et ideo est dicendum : quòd licèt forsan illa persecutio fuerit causa occasionalis quare David fecit hunc Psalmum, & multos alios, in quantum D ibi David prævidit in spiritu mysterium passionis Christi, & resurrectionis, & exaltationis regni ejus : tamen principalis intentio Prophetæ est prædicere in hac *Oratione* totum mysterium & discursum cujusdam Orationis, quam Christus fecit in nocte suæ passionis, antequam caperetur, quam recitat *Joannes Euangelista*, *cap.* 18. ubi orat primò pro sua resurrectione. Secundò pro Apostolis, & Discipulis. Tertiò, pro populo Gentili, qui erat ad fidem convertendus. Unde si quis piè & catholicè velit contemplari totum illud *Capitulum*, & *Psalmum* istum, videbit totam illam orationem Christi esse de- E pictam in isto Psalmo, & econverso. Nam illud idem Verbum Dei Filius, qui per os David protulit istum Psalmum, ipse idem Christus incarnatus per os proprium oravit ad Patrem, eandem orationem referendo ante passionem, cùm dixit : *Clarifica me Pater*, ut patet in *cap. Joannis* præallegato.

Nam ibi Christus primò petit clarificari per resurrectionem, cùm dixit: *Clarifica Filium tuum.* Secundò, orat pro Apostolis & Discipulis, quando dicit : *Ego pro illis rogo, quos dedisti mihi.* Tertiò, orat pro populo Gentili, qui erat ad fidem venturus, cùm dicit : *Non pro eis rogo tantùm, sed* F *pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me &c.* Quartò, reprobat incredulos, cùm dicit: *Mundus te non cognovit.* Ita pariter ergo eundem modum tenet David in hac oratione, cùm nil aliud sit iste Psalmus ad litteram, nisi prophetia illius orationis.

Quinque ergo facit Christus introductus ad loquendum in hoc Psalmo. Nam primò petit à Patre resurrectionem pro se, & pro suis, orando primò pro Apostolis & Discipulis. Secundò pro populo Gentili. Tertiò promittit gratias agere in persona totius populi Christiani, ex Judæis & Gentibus congregati. Quartò, reprobat po- G pulum incredulum Judæorum. Quintò, petit Imperium, & judiciariam potestatem, ad retribuendum unicuique secundùm opera sua. Secunda ibi : *Non est similis tui in diis Domine.* Tertia ibi : *Confitebor tibi.* Quarta ibi : *Deus, iniqui insurrexerunt.* Quinta ibi : *Respice in me.*

Quantum ad primum, dicit *Augustinus* : quòd *in hoc Psalmo loquitur totus Christus Deus & homo. Nam,* ut ait, *non ibi caro sola erat, sed caro, & anima, & Verbum ; & totum hoc unus Filius Dei, unus Christus, unus Salvator ; in forma Dei, æqualis Patri ; in forma servi, caput Ecclesiæ.* Et sic patet, quòd in Psal- H mo loquitur in forma servi, in quantum homo, & caput Ecclesiæ ; & non in quantum persona privata tantùm, sed in quantum persona communis. Et loquitur, & orat pro membris suis in se mysticè unitis. Et sic licèt videatur orare pro se : tamen pro suis membris orat ; eò quòd communicantur idiomata, ut sæpe dictum est. Et hoc maximè manifestat Christus in oratione præallegata, quam fecit, *Joann. 17. cap.* ubi se sanctificat in membris, & membra in se, ut patet contemplanti, & intuenti totum illud capitulum : quod

qui-

quidem capitulum nil aliud est, nisi declaratio hujus Psalmi ad litteram. Et iste Psalmus nil aliud est, nisi prophetia illius capituli, ut dictum est. A

Dicit ergo Christus caput, & membra, sive in persona membrorum caput; caput, dico, & Sacerdos, & orat ad Patrem, dicens: *O Domine inclina aurem tuam*, acceptando passionem meam, *& exaudi me* pro membris meis: *Quoniam ego* simul cum eis *inops* sine auxilio, *& pauper sum*. Et *custodi animam meam*, id est, Apostolos & Discipulos meos, quos ex Judæis elegi; *quoniam sanctus sum*, id est, eos in me sanctificavi, & me in eis. Item, *sum sanctus* cum eis, quia innocens, & non reus mortis. Et ideo *salvum fac servum tuum sperantem in te*: sed *servum*, dico, non caput solum, sed caput & membra: ut salves me per resurrectionem, ut sim primitiæ resurrectionis, & possim meis resurrectionem communicare. Quasi dicat: *Clarifica me Pater, ut Filius tuus clarificet te: & serva eos, quos dedisti mihi: & sanctifica eos in veritate, quia pro eis sanctifico meipsum, ut & ipsi sint sanctificati in veritate.* B

Ergo *miserere mei Domine quoniam ad te clamavi tota die*: & *lætifica animam servi tui*, id est, *clarifica Filium tuum* per resurrectionem: *quia ad te animam meam levavi*, id est, quia semper in te speravi, & expectavi à te clarificari per resurrectionem: *quoniam tu Domine suavis*, id est, benignus, *& mitis*, id est, mansuetus, *& multæ misericordiæ omnibus invocantibus te*. Ergo *Domine percipe orationem meam auribus* benignis, *& intende* cum effectu *voci deprecationis meæ*. Quoniam *in die tribulationis*, id est, passionis & persecutionis *meæ*, *clamavi ad te*, dum oravi in mensa pro discipulis & fidelibus meis, & in horto, & in cruce. *Et* ideo *exaudisti me*. Et nota, quòd ly *quia*, præponitur toti orationi: ut sit sensus: *quia in die tribulationis clamavi ad te*, ideo, supple, *tu exaudisti me*. Et hoc dicit, quia semper Christus *fuit exauditus pro sua reverentia*, ut sæpius dictum est *Psal.* 20. & 21. C D

De Pœn. dist. 1. §. Econtrario.

7. *Non est similis tui in diis Domine: & non est secundùm opera tua.*

92. d. c. 1. in glos.

8. *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.* E

HIC orat pro populo Gentili, qui erat ad fidem venturus, dicens: O Pater, quia *in diis* Gentium *non est* aliquis *similis tibi*, *nec* aliquis eorum sic potens *secundùm opera tua*: ideo *omnes Gentes quascumque fecisti*, relictis idolis suis, *venient* ad Ecclesiam tuam, *& adorabunt coram te*, id est, tibi afferent sacrificia, *& adorabunt* adoratione Latriæ; *& glorificabunt nomen tuum*: id est, confitebuntur te esse unum Deum omnium creatorem, & Filium tuum Jesum Christum esse verum Messiam, quando videbunt eum super naturam opera mirabilia, & miracula facientem. Et sic videntes, *non esse similem tui in diis* suis, *nec esse* aliquem potentem *secundùm opera tua*, quæ faciet Filius tuus, & fient in nomine Jesu per Apostolos, & Discipulos meos: tunc *omnes Gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te &c.* F

Unde nota, quòd licèt hîc ista locutio, scilicet, *Gentes venient*, ponatur in futuro indicativi; tamen ponitur pro optativo: eò quòd Judæi non habent optativum; sed ponunt futurum indicativi pro optativo. Et ideo littera *Hieronymi* habet: *Omnes Gentes quascumque fecisti, veniant, & adorent coram te.* Ex quo patet, quòd hîc Christus orat pro populo Gentili, sicut oravit, *Joannis* 17. cùm dixit: *Non pro eis*, id est, non pro Apostolis *rogo tantum*: *sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te: ut & ipsi in nobis unum sint.* Ex quo patet, quòd tàm hîc, quàm ibi Christus rogat pro populo Gentili, ut veniat ad fidem, ut simul ex Apostolis, & Judæis, & conversis ex populo Gentili fiat unum corpus cum capite Christo, & sic fiant unum cum Patre & Spiritu Sancto, ut dictum est supra *Psalm.* 81. Deinde cùm dicit: G

H 9. *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.* *De Conse. d. 2. Accessserunt.*

De Pœn. d. 1. c. Alii econtra.

10. *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.*

ORAT Patrem, ut conservet, & dirigat in Lege Euangelica bene populum Christianum ex Judæis & Gen-

ti-

tilibus congregarum : ideo dicit : O Pater , *quoniam magnus es tu* in potentia, *& faciens mirabilia* & miracula , *& tu* A *es Deus solus* in esse & substantia , quoniam dii gentium sunt falsi : ideo *deduc me in via tua* , id est , in Lege Euangelica , quæ est via in patriam : *& ego ingrediar* ducatu tuo *in veritate tua*: quia Lex Euangelica dicitur *veritas* respectu Legis veteris , quæ fuit imago & figura novi Testamenti. Quasi dicat, da mihi pro eis Legem Euangelicam, & videbo veritatem Sacramentorum , quæ in Lege Moysi fuerunt in figura : ut *lætetur cor meum* , accipiendo fructus sacramentorum , quibus expecto justificari in membris meis , *ut timeat cor meum*, id est , corpus meum, Ecclesiasticum *nomen tuum :* non timore servili , sicut in Lege *Moysi* , sed timore filiali *:* quia illa B lex timebat te formidine pœnæ : ista verò timet Deum , virtutis amore : ideo justificat & lætificat cor. Et hoc est quod petit in persona totius Ecclesiæ.

Supr. 9 & infra 110. & c. 37.

11. *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo , & glorificabo nomen tuum in æternum.*

12. *Quia misericordia tua magna est super me : & eruisti animam meam ex inferno in-* C *feriori.*

HIC promittit se agere gratias pro beneficio resurrectionis ; primò in persona sui , & ex consequenti in persona totius corporis mystici. Unde dicit: Ego *confitebor tibi in toto corde meo*, non in sacrificiis & holocaustis animalium brutorum : sed in spiritu humiliato & animo contrito , cultu veræ Latriæ *glorificabo nomen tuum in æternum* septies in die : & hoc , gratias agendo pro beneficio redemptionis : *quia magna est misericordia tua super me* , id est , ex magna tua misericordia *eruisti animam meam ab inferno inferiori*, me resuscitando primò D in capite ; secundo , in membris : quia Sanctos Patres etiam liberasti de inferno inferiori , quos mecum extraxi de Limbo , & in cœlo collocavi : & non solum illos , sed etiam totum genus humanum liberasti *ex inferno inferiori* per meam passionem , & Ecclesiastica sacramenta.

3. dist. 1. Nulli dubium.

13. *Deus , iniqui insurrexerunt super me , & Synagoga po-* *tentium quæsierunt animam* E *meam : & non proposuerunt te in conspectu suo.*

14. *Et tu Domine Deus miserator & misericors , patiens, & multæ misericordiæ , & verax.* *Infr. 144. & sup. 24.*

ITerum *confitebor tibi*, *O Deus*, quoniam *iniqui* Judæi *insurrexerunt super me* , *& quæsierunt animam meam* in synagoga , id est , in congregatione *potentium* , scilicet , principum Sacer- F dotum , Scribarum , & Pharisæorum: *Et non proposuerunt te in conspectu suo*, id est , non habuerunt Deum præ oculis, immò invidiâ & malitiâ obcæcati sine causa me ad mortem condemnaverunt. Sed *tu Domine Deus miserator & misericors & patiens* , & Deus *multæ misericordiæ* fuisti verax in promissis tuis, quia me ab inferis resuscitasti : & sic semper *confitebor tibi &c.* Quasi dicat : Gratias tibi ago , quoniam Judæi *iniqui insurrexerunt contra me* , & tota *Synagoga* Sacerdotum ; eò quòd *quæsierunt animam meam* per mortem & passionem *:* tamen *misericors & verax* , me resuscitasti. Nota : quòd Filius appellat Patrem *veracem* : eò quòd implevit pro- G missa , & vaticinia Prophetarum per adventum , & passionem , & resurrectionem Christi.

15. *Respice in me , & miserere mei , da imperium tuum puero tuo : & salvum fac filium ancillæ tuæ.* *15. d. cap. Sacta Romana.*

16. *Fac mecum signum in bonum , ut videant qui oderunt me , & confundantur:* *9. q. 3. cap. Aliorum.* H *quoniam tu Domine adjuvisti me , & consolatus es me.*

POstquam egit gratias de beneficio resurrectionis , hìc petit à Patre Imperium , & judiciariam potestatem sibi debitam , & promissam. Et dicit : Postquam tu es misericors & verax , *respice in me , & miserere mei* , conferendo *imperium* & regnum universale *puero tuo* & Filio Christo , sicut promisisti 2. *Reg.* 7. quando dixisti: *Stabiliam regnum ejus in sempiternum. Et salvum fac me filium an-*

ancillæ tuæ, fonte Baptismatis regeneratum; & salva ipsum per meam passionem & resurrectionem, & sacramentorum susceptionem. Et *fac mecum signum in bonum*, id est, fac ut impleatur in me signum *Jonæ* Prophetæ. Nam sicut *Jonas* Propheta post triduum exivit illæsus de ventre ceti: ita ego resurgam tertia die à mortuis de sepulchro, & corde terræ: ut Judæi *qui oderunt me, videant* me resurrexisse, *& confundantur*, videntes se illusos & frustratos à desiderio suo: & cognoscant, *quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me*, per gloriosam resurrectionem, & ascensionem.

Christus petit signum.

Et nota: quòd multipliciter Christus petit signum, sicut fuit impletum in sua passione. Quia obscuratus fuit sol & tenebræ factæ sunt super universam terram &c. In sua resurrectione *factum est signum bonum.* Nam terræmotus factus est magnus: & Angelus Domini descendit de cœlo, & revolvit lapidem, & nuntiavit resurrectionem mulieribus. Et ipsemet Christus totiens apparuit Apostolis, & ostendit eis cicatrices: & coram eis ascendit in cœlum: & misit Spiritum sanctum visibiliter in eis in die Pentecostes, Judæis audientibus tonitrua & fulgura, & videntibus linguas igneas. Et etiam Apostoli fecerunt multa signa & miracula in illa die in virtute nominis Christi coram eis. Et sic manserunt confusi: & sic Apostoli profecti sunt, prædicando fidem Christi ubique, Christo cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.

Etiam iste versus potest referri ad diem Judicii, quando veniet Christus in potestate magna & majestate, & apparebit *signum* Filii hominis in cœlo, scilicet crux, ubi fuerat crucifixus: quod *signum erit bonum*, & in gloriam fidelium, & terrorem malorum: quia *videbunt in quem confixerunt*: & sic confundentur Judæi, & cognoscent Christum fuisse verum Messiam, & à mortuis resurrexisse: & cognoscent ipsum esse Judicem bonorum & malorum. Hoc idem potest dicere unusquisque fidelis in persona sui: & petere à Deo *signum* salutis contra inimicos visibiles & invisibiles. Unde dicit: O Pater, *salvum fac Filium ancillæ tuæ*, scilicet, Ecclesiæ. Et *fac signum mecum* salutaris crucis in fonte Baptismi, in quo debeo salvari, ut diaboli *qui oderunt me*, & cæteri inimici, videant tale signum in me, *& confundantur*, & fugiant, & non noceant mihi: & cognoscant, *quoniam tu Domine adjuvisti me*, ab eis liberando, *& consolatus es me*, gratiam conferendo.

Fidelis petat signũ salutis.

Ex supradictis patet, qualiter est valde attendendum in isto Psalmo quando Christus orat pro suis: & ideo attendat lector, quomodo communicantur idiomata ratione unitatis capitis ad membra, & econverso. Et quomodo iste Psalmus est litteraliter prophetia illius orationis quam Christus fecit pro suis fidelibus & membris, *Joann.* 17. Ex toto isto Psalmo concluditur, quòd Synagogâ reprobatâ, populus Gentilis debebat colere & adorare nomen Domini Dei Israel.

Psalmus LXXXVI.

1. *Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia Tabernacula Jacob.*

De Elect. cap. Fundamenta, libr. 6.

Titulus: *Filiis Core, Psalmus cantici.* Ex Titulo apparet, quòd iste Psalmus cantabatur voce humana solum cum instrumento musico: & hoc, propter mysterium in eo contentum. Et ideo datus est filiis *Core* ad cantandum: per quos figurabatur Ecclesia ex Gentibus congregata, ut pluries dictum est. Sed licèt auctor hujus Psalmi non explicetur in hoc Titulo; tamen *Hieronymus in Epistola ad Dardanum* videtur affirmare David fecisse istum Psalmum, ubi dicit: David in alio versu: *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei*: & iterum, *Diligit Dominus portas Sion &c.* Item, *in Sermone de Assumptione* ait: *Unde & David: Et homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.* Ex quo patet, quòd David fecit hunc Psalmum, & dedit ipsum cantandum *filiis Core:* eò quòd cæteris erant intelligentiâ sublimiores, non solummodò ad cantandum, sed etiam ad interpretandum populo, & explicandum mentem Prophetæ de mysteriis futuris contentis in hoc Psalmo, & in cæteris, prout eis erat possibile pro illo statu. Et hæc est causa quare Psalmi in titulati *filiis Core*, sunt altioris, & profundioris intelligentiæ, quàm cæteri, ut inquit *Hieronymus*: quia quasi omnes loquuntur de dignitate & felicitate Ecclesiæ pro majori parte ex Gentibus congregatæ.

Ecclesiæ felicitatẽ prævidit David.

Ad cujus intellectum, relictis figmentis & fatuitatibus Judæorum, est primò notandum, quòd David multipliciter prævidit in spiritu felicitatem, & prosperitatem Ecclesiæ Christi. Nam ut legitur 2. *Reg. cap. ult.* Postquam Dominus miserat pestilentiam à *Dan* usque ad *Bersabee* Angelus, Domini apparuit ipsi David super aream *Jebusei*, quæ erat su-

ſupra quendam monticulum, qui dicebatur *Moria*; qui præcepit David, ut ibi conſtrueret Domino altare: & ſic ceſſavit plaga. In quo loco præcepit David *Salomoni* ædificare Templum Domino, ſecundùm exemplar & deſcriptionem ſibi traditam à Spiritu ſancto. In quo exemplari cognovit David multa myſteria de futuris. In quo ædificio & exemplari ſeptem myſteria & dignitates prævidit David in ſpiritu de Eccleſia & Civitate Dei per Chriſtum ædificanda.

Nam primò prævidit, quòd Eccleſia Chriſti erat ædificanda in populo Gentili: eò quòd Templum *Salomonis*, per quod figurabatur Eccleſia Chriſti, fuit ædificatum in prædio, ſive poſſeſſione illius hominis Gentilis. Secundò, quòd Eccleſia Chriſti ex parva erat in magnam amplianda: eò quòd *Salomon*, ut ambiret Templum intra civitatem, habuit eam dilatare & ampliare muro majori. Tertiò prævidit, quòd nullus poterat ſalvari à morte peccati, niſi per Eccleſiam Dei, & ejus ſacramenta: eò quòd illico poſt conſtructionem altaris in illa area ceſſavit peſtilentia. Quartò, prævidit, quòd myſterium Incarnationis erat operandum in illa Eccleſia Chriſti. Quintò, prævidit, quòd illa Eccleſia erat ædificanda per converſos de populo Gentili. Sextò, prævidit magnam proſperitatem, & lætitiam illius Eccleſiæ. Hoc idem prævidit, & intellexit in exemplari, & deſcriptione Templi ſibi tradita à Spiritu ſancto, ut patet 1. *Paralip.* 28.

Nota. Secundo eſt notandum, quòd omnes iſtæ revelationes factæ ſunt ipſi David in domo ſua, quam conſtruxerat in monte *Sion*, in qua domo faciebat Pſalmos, dum erat in quiete & contemplatione, maximè poſtquam quievit à bellis & negotiis: quia tunc dedit operam ad ampliandum cultum divinum, & ad condendos Pſalmos.

Unde dicunt, quòd David ex parte noctis erat in contemplatione myſteriorum Dei. Et ſic in tali contemplatione opprimebatur ſomno, & ventus intrabat à parte Aquilonari per feneſtram, & movebat chordas citharæ & pſalterii pendentis ad caput lecti ſui: & ſic excitabatur à ſomno. Et tunc Spiritus ſanctus intrabat, & ſuggerebat ipſi David quæcumque ex parte noctis contemplatus fuerat. Et ſic de talibus revelationibus & myſteriis condebat Pſalmos.

Quæ quidem opinio non totaliter eſt abjicienda. Nam quandoque reprobi viri ipſa veritate coacti dicunt aliquando verum. Nam dictum eſt in principio, quomodo Spiritus ſanctus multis modis tangebat mentem ipſius Prophetæ David, & maxime per interiorem inſpirationem. Nam per myſteria præſentia revelabantur & repræſentabantur ei myſteria futura de Chriſto & Eccleſia, dum erat in illa contemplatione in ſuo ſtrato, ut ipſe frequenter refert. Unde dum eſſet in contemplatione in domo ſua in monte *Sion* fuit ſibi revelatum à Spiritu ſancto, qualiter in eodem loco ubi erat ipſe, debebat Chriſtus condere Sacramentum Euchariſtiæ, & dare finem Legi veteri, & incipere novam: & in eodem loco debebat ædificare Eccleſiam ex lapidibus vivis ſupra duodecim montes, ſcilicet, ſupra duodecim Apoſtolos, mittendo eis Spiritum ſanctum, qui debebat eis inſpirare intelligentiam Sacrarum Scripturarum, & infundere ſeptem genera donorum & gratiarum, cum quibus debebat ædificare, & congregare Eccleſiam: & exinde exire per totum orbem terrarum, & prædicare Euangelium per totum populum Gentilem, & introducere ipſum in Eccleſiam. Unde manifeſtum eſt, quòd in eodem loco, ubi David fecit Pſalmos, recepit ſupradictas revelationes, ſcilicet, in monte *Sion*, & ibidem Chriſtus fecit cœnam; & Apoſtoli receperunt Spiritum ſanctum: ut oſtenditur hodie in Monaſterio *Fratrum Minorum*, & in Eccleſia, quæ ſita eſt in monte *Sion*.

De Sacramento Euchariſtiæ.

Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, fecit iſtum Pſalmum: in quo prædicit ſeptem revelationes ſibi revelatas de iſta ſanctiſsima Eccleſia, & *gloriosa Civitate Dei*. Et ſic iſte Pſalmus habet ſeptem partes. Nam in prima parte oſtendit, quòd iſta *Civitas Dei* erat fundata *in montibus*, id eſt, eſt viris ſanctis. Secundò, quòd Deus debebat *diligere*, & deſponſare ſibi iſtam *Civitatem*, & magis diligere quam Synagogam. In tertia, quòd iſta *Civitas* erat per totum orbem amplianda, & ex populo Gentili congreganda. Quartò, quòd in ea erat implendum mirabile myſterium incarnationis. Quintò, & ex conſequenti, quòd iſta *Eccleſia* debebat eſſe *Mater Dei*, & à Deo fundari. Sextò, quòd in ea erat promulganda & manifeſtanda Lex, & veritas Euangelica. In ſeptima, quòd finis hujus civitatis eſt ſumma felicitas, & perfecta beatitudo. Tertia ibi: *Memor ero Rahab, & Babylonis.* Quarta & quinta ibi: *Nunquid Sion dicet homo.* Sexta ibi: *Dominus narrabit.* Septima ibi: *Sicut lætantium.*

Materia hujus Pſalmi.

Quantum ad primum, dupliciter poſſumus procedere in hoc Pſalmo, ſecundùm quod poteſt fundari in duabus particulis. Primò, quòd dicat David apoſtrophando ad Civitatem Dei, & Eccleſiæ dicendo: *O Civitas Dei,*

gloriosa sunt mihi *dicta* & revelata *de te*. Nam primò, quòd es fundata in montibus sanctis. Secundò dilecta. Tertiò congregata per totum orbem ex populo Gentili. Quartò, quòd Ecclesia debet esse Mater Dei. Quintò, quòd Christus, qui fundavit eam, debet ex ea nasci. Sextò, quòd in ea prædicatur Euangelium. Septimò, quòd finis hujus civitatis est summa felicitas. A

Ecclesia Christi sponsa.

Secundò potest fundari iste Psalmus supra illam particulam, scilicet, *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Quasi dicat Propheta, quòd Deus desponsavit sibi Ecclesiam propter septem dignitates. Primò, quia est fundata supra sanctos viros. Secundò quia gloriosa & mirabilia dicta sunt de ea in utroque Testamento. Tertiò, propter ejus prosperitatem & latitudinem, quæ est toto orbe diffusa, & ex Gentibus congregata. Quartò, quia per Altissimum fundata. Quintò, quia mysterium incarnationis in ea factum. Sextò, quia Lex Euangelica in ea est manifestata. Septimò, quia finis ejus est beatitudo & felicitas. Quomodocumque ergo sit, septem dignitates Ecclesiæ Christi memorantur in hoc Psalmo, prout dictum est. B

Fundatur sic.

Quantum ad primum ergo, Propheta commendando Ecclesiam, dicit: Non est mirum, si Christus desponsavit sibi Ecclesiam. Nam inter cæteras dignitates habet istam: quòd est fundata *in montibus sanctis*, id est, super duodecim lapides altissimos qui sunt duodecim Articuli Fidei, quæ sunt fundamenta totius Ecclesiæ: quæ *fundamenta* sunt, & fundantur *in montibus sanctis*, id est, super duodecim viros sanctos, qui sunt duodecim Apostoli, qui dicuntur *montes sancti*, ab eminentia sanctitatis, & altitudine gratiæ, & scientiæ: supra quos est fundata ista sanctissima *civitas*, quæ habet quatuor principales portas, scilicet, *Baptismum* ad intrandum, & *Pœnitentiam* ad redeundum, & *Ordinem* ad ascendendum, & *Extremam Unctionem* ad exeundum. Et etiam duodecim Articuli Fidei non solum dicuntur *fundamenta* hujus Civitatis sed etiam *portæ*, in quantum per eas intramus in Ecclesiam: & sunt ordinatæ istæ duodecim portæ inter se, & una est infra aliam: & ideo nemo potest pervenire ad intimam & interiorem turrim hujus civitatis, nisi ordinatim transierit per istas duodecim portas. C D

Portæ civitatis.

Prima porta est, credere in unum Deum trinum & unum, Creatorem cœli & terræ. *Secunda*, Articulus Incarnationis. *Tertia*, Articulus Passionis. *Quarta*, descensus ad inferos. *Quinta*, Articulus Resurrectionis, & sic usque ad ultimum. Et ideo nemo potest transire per secundam portam, nisi penetraverit primam: quia secundus articulus præsupponit primum, & tertius secundum; & sic per ordinem &c. *Clavis* autem harum portarum est *fides*, per quam aperiuntur istæ portæ. Et sic duodecim articuli non solummodo sunt *portæ* hujus civitatis, sed etiam *fundamenta*: & duodecim Apostoli sunt *montes*, in quibus fundatur tota civitas. Quam dispositionem civitatis non solummodo prævidit David in spiritu in hoc Psalmo, sed etiam *Joannes*, *Apocal.* 21. ubi dicit: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim: & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Ista ergo civitas est fortissime fundata, & clausa, & murata: quòd *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ut ait Salvator, *Matth.* 17. *Portæ* enim *inferi*, sunt septem vitia capitalia, quibus, & per quæ est ingressus ad infernum. Nam sicut per duodecim articulos fidei, & Ecclesiastica Sacramenta est ingressus ad hanc civitatem; ita per septem vitia capitalia est aditus ad gehennam. E F

Dominus ergo *diligit* hanc civitatem: in tantum, quòd desponsavit eam sibi, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam, ut patet *Apocal.* 21. hanc produxit ex latere suo: hanc fundavit sanguine suo, ut patet *Joan.* 20. quando *ex latere ejus exivit sanguis & aqua*: hanc fundavit supra duodecim Apostolos, quando dixit: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis*, *Matth.* 17. & *Joann.* 20. licèt universalem jurisdictionem commisit soli *Petro*, *Matth.* 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum*, *Joann.* 21. quando dixit: *Pasce oves meas.* Ex quo patet, quòd duæ dignitates memorantur in hoc versiculo, scilicet, *fundatio*, & *desponsatio* Ecclesiæ. G

Portæ Ecclesiæ sunt Sacramenta.

Dicit ergo Propheta: *Dominus* Jesus Christus Messias in Lege promissus *diligit portas Sion*, id est, Civitatis Dei, quæ est Ecclesia. Ubi, & unde Deus speculatur & cernitur. Quasi dicat, *diligit* istam civitatem; primò propter *portas* ejus, quæ sunt Ecclesiastica Sacramenta, & virtutes Theologicæ, quibus est aditus ad eam. Secundò, diligit eam, eò quòd *fundamenta* ejus, scilicet Articuli Fidei sunt, & fundantur *in montibus sanctis*: quia fundati sunt *super fundamenta Apostolorum & Prophetarum*: & *diligit* istas *portas*, & ista fundamenta, & civitatem *super omnia tabernacula Jacob.* H

Ad cujus intellectum est notandum, quòd

Nota de Balaam.

quòd David Propheta in hoc loco alludit ad myſterium ipſius *Balaam*, quando *benedixit tabernacula Jacob* : ut habetur *Numer.* 24. qui cum ſuaſu ipſius *Balac* aſcendiſſet ad maledicendum populo Iſrael, & elevans oculos vidiſſet Iſrael in tentoriis commorantem per Tribus ſuas, irruente in ſe ſpiritu Dei, & cogente eum, dixit : *Quam pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael ! ut valles nemoroſæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas : fluet aqua de ſitula ejus, & ſemen illius erit in aquas multas.* Et infra : *Qui benedixerit tibi, erit & ipſe benedictus : qui maledixerit, in maledictione reputabitur.* Et infra : *Orietur ſtella ex Jacob &c.* Quæ quidem benedictio, ſi quis diligenter velit intueri, non poteſt convenire, niſi Chriſto & Eccleſiæ ſuæ. In qua benedictione prædixit *Balaam* totum principium Eccleſiæ, quando ex modica debebat creſcere in magnam. Et ſic illa *tabernacula Jacob* fuerunt figura ipſius Eccleſiæ Chriſti. Et ideo quando dixit : *Quam pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael* ! non benedixit illa tabernacula propter ſe, ſed in quantum figurabant Eccleſiam Chriſti. Et ideo *Balaam* ex præcepto Domini in illa benedictione prædixit totum myſterium, & proſperitatem, & illationem, & victoriam, & gloriam futuram Eccleſiæ Chriſti.

Unde David contemplans totam illam benedictionem, & myſterium, prænovit in ſpiritu totum *fundamentum*, & progreſſum, & finem Eccleſiæ Chriſti, figuratæ per illa *tabernacula*. Et ideo dicit hìc : *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob.* Quaſi dicat, quòd Chriſtus Rex Meſſias *diliget* ſuam Eccleſiam & Civitatem Dei, quam ipſe debet fundare, & in ſponſam aſſumere *ſuper omnia tabernacula Jacob*, id eſt, magis quàm illa *tabernacula* materialia, quæ vidit *Balaam* : quia illa erant figura hujus. Et ex conſequenti *diliget* magis Eccleſiam, quàm Synagogam, & figuratum quàm figuram.

Ex ſupradictis verbis patet, quòd Synagoga, per illa *tabernacula* materialia intellecta, à Chriſto erat repudianda in adventu ſuo ; & Eccleſia erat diligenda, & deſponſanda : quia Chriſtus non poterat habere duas ſponſas. Et ſic patet differentia & dignitas Eccleſiæ Chriſti ſupra Synagogam, & *tabernacula* materialia. Nam iſta Eccleſia fundatur ſupra ſanctos *montes*, & lapides vivos, qui ſunt Apoſtoli, & Prophetæ, & Doctores. Et maxime fundatur ſupra maximam *petram*, qui eſt Chriſtus : Synagoga autem, ſive Templum *Salomonis* fundabatur ſupra lapides mortuos, & parvum monticulum. Hoc idem eſt dicendum de *Hieruſalem* terrena materiali. Et hoc eſt dictum quoad primam & ſecundam dignitatem ipſius Eccleſiæ Chriſti.

Articuli etiã ſunt Eccleſiæ fundamẽta.

Eſt etiam ſciendum, quòd *fundamenta* Eccleſiæ quæ ſunt Articuli Fidei, & Eccleſiaſtica Sacramenta, fuerunt jacta & inchoata *in montibus ſanctis* materialibus. Nam in *monte Calvariæ*, ubi *Abraham* immolavit arietem pro *Iſaac*, ubi facta fuit ei de Chriſto repromiſſio, ibidem fuit Chriſtus crucifixus : ex cujus latere orta eſt Eccleſia, & omnia Sacramenta. Et in monte *Sion* Chriſtus inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ, ubi *Melchiſedech* obtulit panem & vinum, & ibidem Apoſtoli receperunt ſpiritum Euangelicum, ubi David receperat ſpiritum propheticum, & condiderat Pſalmos. Item tertiò, Chriſtus prædicavit, & docuit in Templo ſito in monte *Moria*, ubi apparuit Angelus percutiens in area *Ornan Jebuſæi*. Et patet, qualiter Eccleſia fuit fundata, & inchoata in his duobus vel tribus *montibus ſanctis*, & exinde derivata fuit, & toto orbe diffuſa : ideo dicta eſt *Hieruſalem*, ut dictum eſt *Pſalmo* 47.

2. *Glorioſa dicta ſunt de te, Civitas Dei.*

24.q.1.cl. Loquitur, &c. Omnibus.

HIC ponitur tertia dignitas ipſius Eccleſiæ, & ſecunda ratio, quare Deus tantum diligit eam : quæ dignitas & ratio eſt, quia *glorioſa dicta ſunt de* ea in veteri Teſtamento, & in novo. Nam omnia quæ geſta ſunt in veteri & novo, *contingebant illis in figura.* Unde demonſtrat Apoſtolus per totam *Epiſtolam ad Hebræos*, quòd totus diſcurſus de creatione mundi ſignificat fundationem Eccleſiæ, ſecundùm omnes partes ejus. Similiter Eccleſia figuratur per fabricationem Arcæ *Noe.* Item Eccleſia figuratur per egreſſum *Abrahæ* de terra ſua in terram *Chanaam* ; per ſacrificium *Iſaac* ; & per *Jacob*, quando vidit ſcalam ; & per fabricationem tabernaculi Moyſi; & per exemplar, & deſcriptionem ejuſdem : quod oſtendit Apoſtolus *ad Hebr.* 11. & per egreſſum *Iſrael* in terram promiſſionis ; & per exemplar & deſcriptionem, quam accepit David à Spiritu ſancto pro Templo ædificando. Et ſic de omnibus myſteriis Eccleſiam figurantibus ; in quibus David prævidit in ſpiritu fundationem Eccleſiæ

per Christum & Apostolos, & progressum, & prosperitatem ipsius.

Et ideo dicit hîc: *O Civitas Dei, gloriosa* & magnifica *dicta sunt* mihi *de te*, & revelata, prout intellexi, & prævidi in supradictis mysteris de te scriptis: quia prævidi in spiritu, qualiter *fundamenta* tua erunt *in montibus*, id est, in viris *sanctis*, putà, in Apostolis & Prophetis.

Unde nota, quòd Ecclesia Christi fundatur in Christo per gratiam; sed in Prophetis & Apostolis fundatur per doctrinam, ut ait *Apostolus ad Ephesios* 2. Sed in Apostolis fundatur per doctrinam veritatis; & in Prophetis per doctrinam figurativam. Et ista est vera Ecclesia quæ incepit ab *Adam*, & processit usque ad Christum in Patriarchis & Prophetis figurativè & prophetice: sed à Christo fundata est realiter per se, & per Apostolos suos, ut dictum est.

3. d. Legimus, & 24. q 1. Loquitur.

3. *Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me.*

4. *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.*

HIC ponit quartam dignitatem ipsius Ecclesiæ, quæ fuit dicta ipsi David in spiritu: quæ est copia, & multiplicatio civium, & latitudo spatii, & diffusio per totum orbem terrarum. Nam illa terra promissionis non continebat, nisi filios Israel secundùm carnem: & illa *Hierusalem* terrena non capiebat, nisi Judæos de tribu *Juda*: & illa Lex non obligabat, nisi filios Israel secundùm carnem: sed ista *Civitas Dei* fuit toto orbe diffusa, & Lex Euangelica fuit omnibus nationibus mundi promulgata. Et sic *Civitas Dei*, & *Ecclesia Christi* fuit congregata ex omnibus populis & nationibus, & ex Judæis & Gentilibus: nec est exceptus *Gentilis*, nec *Judæus*, nec *Græcus*, nec *Æthiops*, nec *Sytha*: quia omnes vocati sunt ad Ecclesiam. Nam omnes fideles, cujuscumque nationis & conditionis sint, Christum & Legem Euangelicam recipientes, pertinent ad Ecclesiam & *Civitatem Dei*. Ideo per istas quatuor nationes hîc nominatas, scilicet per *Rahab*, & *Babylonem*, & *Alienigenas*, & *Tyrum*, & *populum Æthiopum* intelligit totum populum Gentilem: quia ad hanc *Civitatem Dei* erat venturus per fidem Christi.

Ad cujus intelligentiam est notandum, ut legitur *Josue* 2. quòd *Rahab meretrix* recepit exploratores, quos miserat *Josue*, in domo sua, & abscondit eos, & rogavit eos, ut quando civitas caperetur, ipsa salvaretur cum domo sua: quod ita factum est. Nam posuit coccinum in fenestra in signum. Et quando civitas est capta, & eversa, sola *Rahab* salvata est, & fuit recepta in populo Israel: & *Salmon* duxit ipsam in uxorem, ex qua genuit *Booz*: per quòd mysterium fuit figuratus & significatus *populus Gentilis*: qui relictâ idololatriâ, & recepturus fidem Christi, erat connumerandus & recipiendus in Ecclesia. Et debebat ponere *coccinum* in signum in fenestra, id est, debebat ponere crucem sanguinis Christi per Baptismum in fronte sua. Et sic ille populus per signum crucis & Baptismum de vastatione diaboli liberatus, Christo per fidem erat desponsandus. Et sic fuit figura ipsa *Rahab* de quocumque converso ad fidem, relictâ infidelitate. Et hoc est quod dicit hîc Propheta in persona Christi.

Nota de Rahab meretrice, & figura.

Unde ait: In adventu meo, supple, *ero memor* ipsius *Rahab*, id est, illius mysterii significati per *Rahab*. Nam sicut populus Israel recepit ipsam *Rahab* ad fidem & cultum unius Dei propter actum quem fecit: ita ego recipiam populum Gentilem, idololatriam relinquentem, & sumentem signum coccineum, id est, crucem sanguinis mei in fronte: & ego desponsabo ipsum populum per fidem, & erit annumeratus in Ecclesia mea.

Unde *Rahab* interpretatur *superbia*, sive *impetus*; & *Salmon* interpretatur *pacificus*. Unde ibi fuit significatum, quòd populus Gentilis, qui erat superbus, debebat humiliari & subjici paci & virtutibus Ecclesiæ. Et sic per *Rahab* intelligitur quicumque infidelis factus humilis, fidei Christianæ subjectus. Et per *Babylonem* intelligitur populus *confusus*, & per consequens Gentilis, qui erat in confusione sine Lege: sed specialiter populus *Babylonis* qui semper fuerat inimicus populo Dei, venit ad fidem per prædicationem Apostolorum *Simonis*, & *Judæ*.

Et ideo dicit hîc: *Memor ero Rahab, & Babylonis*: quia eos recipiam ad fidem, qui magis videbantur inimici populi. Et non solummodo *Rahab*, & *Babylonis ero memor*; sed omnium Gentilium *scientium*, id est, cognoscentium *me* per fidem, & confitentium *me* Messiam & Salvatorem. Nota: quòd in Hebræo dicitur: *Memor*

mor ero Rahab, quod interpretatur *Ægyptus*. Et sic per *Rahab* intelligitur *Ægyptus*. Et ideo nominatur hîc *Babylon*, & *Ægyptus*: quia semper fuerunt contra populum Dei. Sed in adventu de primis venerunt simul cum *Æthiopibus*, ut supra patuit *Psalmo sexagesimoseptimo*: *Venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Et ideo littera *Hieronymi* habet: *Ego recordabor superbiæ*: id est, *Ægypti* magnæ & superbæ. A

Et ideo sequitur: non solummodo recipiam supradictos ad fidem in hac mea *civitate*, sed etiam, omnes *hi*, scilicet *Alienigenæ*, qui non sunt de Israel secundùm carnem, sicut est *Tyrus*, quæ est inter provinciam *Phœnicis*; *& populus Æthiopum*, habitans inter Tropicos solis ad meridiem, quem *Beatus Matthæus* convertit: omnes enim *isti fuerunt illic*: id est, erunt in hac *Civitate* Sion. Nominantur ergo hîc quatuor, vel quinque populi: per quos intelligitur tota Gentilitas, quæ erat ventura ad hanc civitatem per fidem, quam Christus debebat sibi desponsare. Et per hoc patet quarta dignitas hujus magnæ civitatis: quæ est magnitudo ambitus, & copia civium. Alia autem littera habet: *Memorabor Rahab, & Babylonem scientibus me.* Tunc debet sic exponi: ego *memorabor*, id est, commitam *Rahab*, *& Babylonem* Apostolis *scientibus me*, ut vocent eos ad fidem post resurrectionem meam; sicut dicimus quandoque: *Memoror tibi factum meum*, id est, commito tibi factum meum. B C

De summa Trin. & Fide Cathol. c. 1.

5. *Nunquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus?*

Nota, Incarnationis mirabilia.

HIC ponitur quinta dignitas Ecclesiæ, quod est mysterium Incarnationis factum in hac *Civitate Dei*, quod est incomprehensibile, & mirabile dictu in se, & ratione circunstantiarum. Nam in ea, quatuor mirabilia narrantur. Primum est, quòd Deus sit factus *homo*. Secundum, quòd Deus factus *homo* sit *natus in* hac *Civitate Sion*. Tertium, quòd *ipse* Deus *Altissimus* factus *homo*, fundaverat istam *Civitatem*, in qua *natus est*. Nam ista videntur contradici, id est, quòd iste fundaverat ipsam civitatem, & sit *natus in ea*. Quartum mirabile est, quòd aliquis *homo* posset persuadere alteri homini, ut crederet ista tria mirabilia supradicta. Et hæc quatuor mirabilia facta in *civitate* proponit hîc Propheta sub interrogatione admirativa, dicens: D

E *Nunquid Sion dicet: Homo*, id est, aliquis *homo* dicet, & persuadebit *ipsi Sion*, & ipsi *Hierusalem*: scilicet, toti Ecclesiæ & *Civitati Dei* toto orbe diffusæ, quod credat quòd Deus factus *est homo*, & quòd *ipse* factus *homo*, sit *natus in ea*? & quòd *ipsemet Altissimus natus fundavit eam*? Quasi dicat: Hoc est mirabile dictu, & difficile ad credendum: quia videtur impossibile.

Unde nota, quòd quasi hoc idem adducit *Augustinus* 22. *de Civitat. cap.* 4. ad probandum mysterium Incarnationis contra Paganos. „ Unde dicit, quòd „ ante adventum Christi tria videbantur

F „ impossibilia apud *Aristotelem*, & omnes Philosophos. Primum impossibile erat apud eos, quòd Deus posset „ fieri homo. Secundum, quòd mundus, „ & maximè Philosophi & sapientes „ hoc crederent, scilicet Deum posse „ fieri hominem. Tertiò, videbatur eis „ magis impossibile, scilicet, quòd homines simplices & plebei possent persuadere Philosophis, & cæteris, ut „ hoc mysterium Incarnationis crederent. Tunc, arguit *Augustinus*, ista „ tria videbantur Philosophis impossibilia: sed duo ultima sunt facta possibilia, & jam in esse, scilicet, quia „ jam totus mundus hoc credit pro ma-

G „ jori parte: quia jam credit Deum factum esse hominem; & etiam tertium „ factum est possibile quia duodecim „ Apostoli, & cæteri Discipuli, qui „ erant simplices & plebei, hoc persuaserunt Philosophis; & totus mundus hoc credidit per eos: Ergo sequitur, quòd primum est possibile, scilicet, quod Deus sit factus homo, & „ incarnatus: nam Philosophi ita, immò magis, reputabant impossibile secundum & tertium, quàm primum.

Unde est advertendum, quòd licèt ista videbantur difficilia ad credendum: tamen habito mysterio, & modo Incarnationis, efficiuntur credibilia. Nam Verbum Divinum virtute Spiritus sanc-

H ti formavit illum hominem ex puris sanguinibus Virginis, & formando animavit, & animando assumpsit illam humanitatem in unitate personæ: & sic assumpsit essentiam & humanitatem, non assumendo esse personale: immò supposita illum hominem assumptum per suam propriam personalitatem. Et sic fuerunt duæ naturæ in una persona. Et sic ille *homo* Deus *natus est* temporaliter ex Virgine ex opere Spiritus sancti, qui formavit ex sanguinibus puris Virginis illud corpus. Et tota Trinitas creavit animam in eodem instanti. Et sic verus Deus & *homo* perfectus *est* quoad naturam, & *natus est* in Ecclesia:

sia: quia in eodem instanti, quo fuit conceptus & incarnatus, fuit caput Ecclesiæ, & *Maria* verum membrum Ecclesiæ. Ergo tunc jam *fundavit* Ecclesiam. Et antequam nasceretur jam fecerat *Joannem Baptistam* membrum Ecclesiæ, & *Zachariam* & *Elisabet*: Ergo jam *natus est* in Ecclesia, quam ipsemet *fundavit* in sua incarnatione & conceptione. Et postea *in ea* prædicavit, & passus est, & mortuus, & resurrexit. Ergo ista stant simul: scilicet, quòd Deus sit *factus homo*, & simul *fundavit* Ecclesiam, & postea sit *natus in ea*. Nam sua conceptio & incarnatio fuit fundatio Ecclesiæ &c. Et fuit postea possibile, quòd homines rustici & simplices hoc mysterium Philosophis & mundo prædicarent, & eos converterent: quia non in virtute propria, nec in sapientia humana hoc fecerunt, nec potuissent facere: sed hoc fecerunt in virtute Spiritus sancti, quem in die Pentecostes receperunt, qui loquebatur in eis. Cujus virtus exuperat omnem sensum, & captivat omnem intellectum. Et sic totum redditur possibile. Et ideo sequitur:

6. *Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum; horum qui fuerunt in ea.*

NON mireris, quod hoc sit possibile, scilicet, quod aliquis homo hoc potuerit persuadere mundo, scilicet, quòd Deus sit factus homo, & quod *sit natus in ea* Ecclesia, quam ipse fundavit. Nam non erant ipsi Apostoli qui loquebatur. Nam *Dominus narravit in scripturis*, & Euangeliis, & Epistolis *populorum*, scilicet Apostolorum, qui erant populares, & simplices, & imperiti; *& principum, horum qui fuerunt in ea*, id est, *in scripturis principum, horum qui fuerunt in ea*. Nam Apostoli, qui antè fuerunt populares & rustici, postea fuerunt principes in Ecclesia. Et isti scripserunt *Euangelia*, & *Epistolas Canonicas*, & *Actus Apostolorum*, & *Apocalypsin*: in quibus narraverunt totum mysterium incarnationis, & passionis, & conversionis, & prædicationis, & miraculorum, & mortis, & resurrectionis, & ascensionis Christi: & prædicaverunt toti mundo, & converterunt infideles ad Ecclesiam: & sic multiplicata & dilatata est magna *Civitas Sion*.

Etiam potest legi aliter, licèt sub eadem sententiâ, sic: *Nunquid Altissimus factus homo dicet*, id est, loquetur, & prædicabit ipsi *Sion*, scilicet Ecclesiæ, & ipse *homo natus est in ea, & ipse Altissimus fundavit eam*? Quasi dicat: hoc est difficile credere. Et ideo subdit, ad solvendam admirationem, quòd *Dominus* hoc *narravit in scripturis populorum*, id est, quòd Euangelistæ, & Apostoli inspirati, ista mysteria narraverunt *in scripturis* Euangeliorum, & Epistolarum. Nam illa Euangelia sunt *scripturæ populorum*, in quantum populi Euangelio crediderunt: & sunt *scripturæ principum horum populorum*, qui sunt Apostoli, in quantum Euangelia scripserunt, & prædicaverunt. Nam ibi traditur mysterium Incarnationis, scilicet, quomodo missus *Angelus Gabriel* à Deo ad Virginem *Mariam &c.* Et traditur ibi modus nativitatis, & adorationis, & conversationis, vitæ, & mortis, & passionis, & resurrectionis, & ascensionis, & Spiritus sancti missionis, & progressus Ecclesiæ in *Actibus Apostolorum*.

Est etiam advertendum, quòd per ly *populorum* possumus intelligere *Doctores Ecclesiæ*, qui post Apostolos scripserunt. Quasi dicat, quòd licèt hoc mysterium Incarnationis sit difficile ad docendum & persuadendum; amen ipsum sine dubio est verum. Nam *Dominus* Deus *narravit* hoc mysterium Incarnationis: primò propheticè *in scripturis populorum*, scilicet Prophetarum, & Patriarcharum. Secundò, *in scripturis principum horum populorum*, scilicet Apostolorum, qui fuerunt principes terræ. Et etiam, *Dominus narravit* hoc mysterium *in scripturis populorum*, id est, Doctorum & *in scripturis principum horum*, scilicet Apostolorum, qui fuerunt principes horum Doctorum: qui omnes, tàm populi, quàm principes eorum, fuerunt cives in hac civitate, licèt Apostoli fuerint principaliores. Item etiam, per ly *populorum* intelliguntur omnes simplices fideles utriusque Testamenti, & per *principes horum populorum* intelliguntur omnes Patriarchæ, & Prophetæ, & Apostoli, & Euangelistæ, & Doctores novi Testamenti. Nam una & eadem est *scriptura populorum* fidelium, & *principum* eorum: sed ista dicitur *scriptura populorum*, in quantum est eis prædicata: sed dicitur *principum*, in quantum ab eis est populo scripta, & prædicata, & declarata. Et per ly *principum horum* possunt intelligi Apostoli & Euangelistæ, qui fuerunt principes Doctorum totius Ecclesiæ. Nam Doctores, *populares* sunt respectu Apostolorum & Euangelistarum. Nam isti conati sunt intelligere, & glossare, & declarare doctrinam Apostolorum & Euangelistarum, & declarare mysterium

Quomodo Deus hoc mysteriũ Incarnationis narravit.

In-

Incarnationis, & paſſionis &c. Ideo dicit Propheta : *Dominus narrabit* hæc myſteria ſupradicta *in ſcripturis populorum*, ſcilicet Doctorum Eccleſiæ, ſcilicet *Auguſtini*, *Hieronymi*, *Ambroſii*, & *Gregorii*. Et *in ſcripturis principum horum*, qui fuerunt Apoſtoli & Euangeliſtæ, quorum ſcripturis eſt credendum. Ideo qui iſta non intelligit myſteria, recurrat ad ſcripturas, & in eis inveniet veritatem. Et ſic ſolvetur omne dubium & omnis contradictio. A

Ex his patet, quòd dignitas Eccleſiæ non ſolum apparet ex mirabili myſterio incarnationis, & paſſionis, & reſurrectionis, ſed etiam ex mirabili confirmatione, & ſcriptura, & prædicatione Apoſtolorum, & Euangelii B promulgatione, & ſacrorum Doctorum ſcriptura & declaratione. Et ideo Eccleſia eſt tanto affectu Chriſto dilecta. Et ſic patet ſexta dignitas hujus magnæ *civitatis Sion*: quia in ea erat promulganda Lex Euangelica, quæ eſt manifeſtatio omnium myſteriorum, quæ erant clauſa, & obumbrata in Lege veteri: & hoc erat manifeſtandum per Chriſtum & Apoſtolos & Euangeliſtas, qui fuerunt *principes Eccleſiæ* : in quo Euangelio continen ur myſteria incarnationis & paſſionis Chriſti : quæ quidem myſteria poſtea fuerunt magis dilucidata per Doctores in gloſſis ſuis : & ſic, quod C fuit per Patriarchas ſignificatum & per Prophetas obſcurè prophetizatum, fuit poſtea per Chriſtum, & etiam per Apoſtolos in hac civitate manifeſtè narratum & annuntiatum, & per Doctores declaratum.

Dignitas Eccleſiæ patet.

24. q. 1. c. *Audivimus.*

7. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.*

HIC ponit ſeptimam dignitatem Eccleſiæ ratione finis, quæ eſt ſumma lætitia, & felicitas in patria. Ad cujus evidentiam eſt advertendum, ſicut dictum eſt in principio, quòd *Eccleſia militans*, & ſuperna *triumphans* D eſt una : ſed ſe habent ſicut via & terminus, ſive patria : ſicut mare & portus: ſicut ea quæ ſunt ad finem. Nam ſicut triumphus non poteſt adipiſci, niſi præceſſerit pugna & victoria ; & portus, niſi præceſſerit navigatio ; nec terminus, niſi decurſa fuerit via : Ita patria paradiſi, nec illa *triumphans Eccleſia* poteſt attingi, niſi quis peregrinatus fuerit per iſtam ; cùm illa ſit finis itineris hujus, & per conſequens continuatur tamquam finis. Et ſic dicitur illa Eccleſia *finis* pugnæ, & militiæ, & navigationis, & laboris, & triſtitiæ. Et ideo adepto fine, omnia iſta ceſſant : & manet quies, & gaudium, & E lætitia. Et ſic eſt perpetua felicitas in ea abſque altera admixtione. Et hoc propter tria.

Primò, ratione ſubjecti, ſive potentiæ. Secundò ratione objecti. Tertiò ratione unionis potentiæ ad objectum. Ratione ſubjecti, ſive potentiæ ; nam ratio quare hic non poteſt eſſe vera felicitas, nec perpetua lætitia, eſt, ratione corporis ſubditi miſeriæ, infirmitati, corruptioni, & paſſionibus, ſcilicet timori, avaritiæ, triſtitiæ, zelo, invidiæ, indignationi, ſpei, deſperationi, iræ : & ſic de cæteris naturalibus paſſionibus, quæ non ſinunt hominem F eſſe felicem : ſed per mortem anima expoliatur ab omnibus his paſſionibus, & per reſurrectionem recuperabit corpus incorruptibile & glorioſum cum omnibus dotibus gloriæ &c. Igitur non poterit eſſe infelix ratione corporis, & potentiæ, ſive ſubjecti, ſed felix.

Quies & felicitas in Eccleſia.

Secundò, inerit felicitas ratione objecti : quia ibi nulla erit miſeria proximorum, nec ſenſus, aut potentiæ noſtræ poterunt percipere aliquam miſeriam, cùm nulla ſit in aliis : quia hic licèt quis non habeat miſeriam ; tamen triſtatur, dum videt eam in proximo: ſed ibi nulla erit miſeria, nec in ſe, nec in proximo. Ergo non poterit eſſe triſ- G titia : ſed quia unuſquiſque Beatus videbit & poſſidebit Deum, in quo ſunt omnia bona, & nullum malum, & in eo fruetur : ergo in ipſo felicitabitur. Sed quia Deus in tantum unietur, & unitur unicuique Beato unione inſeparabili, quòd quaſi immutabitur in Deum; ideo magis erit in Deo unuſquiſque Beatus, quàm in ſeipſo ; quia amor tranſmutat amantem in amatum, & anima magis eſt ubi amat, quàm ubi informat. Et ſic ejus felicitas erit copioſa, & ſecura, & ſufficiens, ſatians appetitum, & perpetua.

Et totum hoc, & omnes has tres rationes tangit *Apoſtolus*, 1. *ad Corint.* 15. cùm dicit, quòd corpus hoc *in-* H *duet incorruptionem*, *& mortale hoc induet immortalitatem.* Tunc *Deus erit omnia in omnibus.* Super quod dicit *Auguſtinus in lib. de Spiritu & Anima*, *cap.* 8. „ Cùm corporale hoc in-„ duet incorporalitatem, & mortale „ hoc induet immortalitatem, tunc men-„ te & corpore ſpirituales effecti, ſe-„ cundùm modulum noſtrum, per men-„ tis illuminationem omnia ſciemus, „ & corporis incorruptibilis levitate ubi-„ que eſſe poterimus : volabimus men-„ te per contemplationem : volabimus „ corpore per incorporalitatem : diſ-„ cernemus mente : diſcernemus cor-„ pore, cùm ſenſus noſtri vertentur in

„ ra-

,, rationem, & ratio in intellectum, & ,, intellectus in intelligentiam, & intel- A ,, ligentia mutabitur in Deum. Ex quo patet, quòd ibi non poterit esse nisi perpetua felicitas. Unde 22. *de Civit. Dei*, *cap. ult.* dicit: *Quanta erit felicitas illius æternæ civitatis, ubi nullum malum, nullum latebit bonum: vocabitur Dei Filius in sæcula sæculorum.*

Quid sit felicitas.

Sed quia felicitas nil aliud est nisi perpetua lætitia; *felix* enim dicitur, quasi *ferens lætitiam*: ideo David hoc prævidens in spiritu, dicit: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*, id est, *Glorioſa* dicta *civitas*, de te bene multa *glorioſa dicta sunt*, & bene merito cives tui sunt felices. Nam *habitatio* tua est sicut habitatio, & socie- B tas, & congregatio *omnium lætantium*. Et dicit, *sicut omnium*: nam licèt hîc sit quandoque aliqua lætitia in aliqua civitate; tamen non omnes lætantur: quia aliquis eorum patitur tristitiam: unde rarò est in hoc mundo, quòd aliquis celebret nuptias, quin alter celebret funeralia. Et non solummodo accidit in eadem civitate, sed etiam in eadem domo. Nam si aliquis lætatur, alter tristatur. Sed quia in illa glorioſa civitate nullum potest esse malum, & nullum latet bonum: ergo nullus potest tristari: ergo *est habitatio omnium lætantium*, & non quorumdam tantum, sed omnium. Et in hoc differt illa læ- C titia ab ista: quia est *omnium*, & semper, & perfecta, & sufficiens lætitia; cùm sit *status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Ecclesiæ dignitates septem.

Ex supradictis patent septem dignitates, & perfectiones hujus *civitatis & Ecclesiæ* Christi: quarum *prima* est, quòd non est fundata super lapides mortuos, sed super *montes*, & viros vivos, & sanctos. *Secunda*, quòd Messias *diligit* istam civitatem magis quàm veterem Synagogam, & hanc sibi desponsavit. *Tertia*: quòd omnes Patriarchæ & Prophetæ dixerunt multa glorioſa de ista civitate. *Quarta*, quòd hæc civitas recepit in se omnes nationes mundi. *Quinta*, quòd fundator D hujus civitatis, qui est Deus Altissimus, *natus est in ea*, & per consequens est Filius ejus. *Sexta*, quòd in hac civitate promulgatum est Euangelium per homines simplices: per quos totus mundus credidit. *Septima*, quòd finis hujus civitatis est summa felicitas, & habitatio *omnium lætantium* sine tristitia in gloria cœlesti: & per consequens ista civitas est via, & ordinatur ad illam.

Ex omnibus istis sequitur, quòd hæc *glorioſa civitas*, de qua loquitur hîc Propheta David, est tota *Ecclesia Dei* toto orbe diffusa; quam Christus E ædificavit, & fundavit in adventu suo super duodecim fundamenta Articulorum fidei, & super duodecim montes sanctos, scilicet Apostolos: cui civitati conveniunt omnes dignitates & conditiones supradictæ, quæ omnes in ea fuerunt completæ.

Vana spes Judæorũ.

Secundò sequitur, esse vanam & fictam spem Judæorum modernorum, qui expectant prophetiam hujus Psalmi implendam per futurum Messiam, quem falsò expectant. Quæ spes & persuasio multipliciter est falsa.

Primò, quia Messias conditor hujus civitatis erat venturus ad secundum Templum, ut patet per *Aggæum*, & F *Malachiam*, & *Zachariam*, quibus Deus promisit mittere Messiam in illud Templum: sed illud Templum fuit destructum per *Titum* & *Vespasianum* quadragesimo secundo anno post Ascensionem Christi: ergo sequitur, quòd jam venerat Messias, ut latiùs alibi declaratur.

Secundò, est falsa talis spes: nam post destructionem secundi illius Templi non expectatur aliud Templum reædificari, ut patet *Daniel. 9. cap.* ubi dicit, quòd *post hebdomadas* sexaginta duas ab ædificatione secundi Templi *occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est: & civi-* G *tatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & usque ad consummationem & finem perseverabit statuta desolatio &c.* Item, per *Aggæum* dicitur in *secundo capitulo*: *Major gloria erit huic domui novissimæ, quàm primæ*; & per consequens si illa domus fuit novissima, non expectatur alia in *Hierusalem.* Ex supradictis patet, quòd post illam destructionem quæ facta est per Romanos post illas sexaginta duas hebdomadas, & post mortem Christi, non debet amplius aliud Templum in eodem loco ædificari, nec etiam alia civitas ejusdem cultus: immò debet perseverare *statuta desolatio* usque ad consummationem & fi- H nem mundi. Hoc idem patet per *Jeremiam*, in *septimo capitulo*, ubi Deus vocat mendaces & deceptores Judæos modernos, qui expectant tertium Templum ædificari post illud secundum destructum, & persuadent simplicibus Judæis tertium Templum expectandum, & ædificandum: unde dicit per os *Jeremiæ*: *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est.* Hoc innuit Deus, quòd bene fuit Templum Domini primum ædificatum per *Salomonem*, & Templum Domini secundum reædificatum per *Zorobabel*,

bel, & *Aggæum*, & *Zachariam*, & *Malachiam* : ſed numquam erit *Templum Domini* tertium, quale ipſi expectant : quia numquam tertiò reædificabitur. Hoc idem patet ſuperiùs *Pſalmo* 27. ubi dicitur : *Deſtrues illos, & non ædificabis eos.* Ex ſupradictis, & multis aliis patet, ſpem & perſuaſionem eorum eſſe falſam.

Tertiò patet falſitas eorum : nam civitas terrena, quam expectant per falſum Meſſiam in *monte Sion* eſſe conſtruendam, non poſſet eſſe talis, nec habere has ſeptem conditiones, quas Propheta David hîc deſcribit, ut patet per ſingula : nam cum talis civitas ſit in arcto loco ſita, non poſſet capere omnes populos *Æthiopum*, & *Scitharum*, & *Babyloniorum*, & omnium nationum & linguarum, nec poteſt eſſe *habitatio omnium lætantium &c.* ſed hæc quæſtio alibi determinabitur.

PSALMUS LXXXVII.

Arg. 11. q. 3. c. Ad mensâ in gloſ.

1. *Domine Deus ſalutis meæ : in die clamavi, & nocte coram te.*

2. *Intret in conſpectu tuo oratio mea : inclina aurem tuam ad precem meam.*

12. q. 1. Omnis ætas.

3. *Quia repleta eſt malis anima mea : & vita mea inferno appropinquavit.*

TITULUS : *Canticum Pſalmi. Filiis Core. In finem, pro Maheleth ad reſpondendum, intellectus Eman Ezrahitæ.* Ex hoc Titulo habetur, quòd iſte Pſalmus continet maximum myſterium, eò quòd cum magna ſolemnitate & cærimonia cantabatur. Unde David Rex & Propheta, qui fecit hunc Pſalmum juxta revelationem ſibi factam, dedit ipſum cantandum choro *filiorum Core.* Unde *Eman*, qui erat cantor & princeps illius chori, incipiebat verſum, & totus chorus *filiorum Core* reſpondebat, & repetebat verſum, ſicut mos eſt in Eccleſia, quando dicuntur Litaniæ Sanctorum. Et iſte Pſalmus ſimul cantabatur cum inſtrumento muſico, quod dicebatur *Maheleth*, & cantabatur cum toto conatu vocum, uſque *In finem*, & ultimum punctum.

Unde hîc clarè oſtenditur, quòd *filii Core* erant cantores. Ex quibus verbis patet contradictio eorum, qui negabant *filios Core* fuiſſe cantores. Nam manifeſtum eſt, quòd *Eman* princeps unius chori cum toto choro ſuo erat de *filiis Core*, ut patet 1. *Paralip.* 6. *cap.* ubi *Eſdras* deſcribendo diſpoſitionem cantorum, dicit : quòd David conſtituit tres principales cantores, ſcilicet *Eman*, *Aſaph*, & *Ethan.* Et demonſtrat ibi, quòd *Eman* deſcendit de *Zacher* per *Core*, & *Aſaph* per *Gerſon* deſcendit de *Levi* & *Ethan* per *Merari.* Et ſic *Eman* erat *Zacherita*, & *Aſaph Gerſonita*, & *Ethan Merarita* : ſed ut eſſet diſtinctio inter Sacerdotes & chorum *Eman*, omnes de choro *Eman* dicti ſunt *filii Core*, ſive *Coritæ* : Sacerdotes autem dicti ſunt *Aaronitæ* : eò quòd inter *Aaron*, & *Core* erat altercatio de ſacerdotio. Et ſic quando in Titulis nominantur *filii Core* intelligitur *Eman* cum fratribus ſuis cantoribus. Sed quia de *filiis Core* non ſolùm fuerunt cantores, ſed etiam janitores, ut patet 1. *Paralip.* 25. Ideo communiter quando memorantur *filii Core*, in Titulis intelliguntur cantores : & quando nominantur *Coreitæ*, intelliguntur janitores. Et in hoc decipiuntur illi qui dicebant, quòd *filii Core* non erant cantores, ſed janitores : nam manifeſtè patet in ſupra allegato textu, quòd quidam ex eis fuerunt cantores, & quidam janitores.

Nota de Triplicantoribus.

Sed eſt advertendum, quòd inter cæteros cantores, *Eman*, & *Ethan* fuerunt prudentiores in ſtudio & intelligentia Sacræ Scripturæ : & ideo in commendationem eorum dicitur 3. *Reg. quarto capitulo*, quòd *Salomon fuit ſapientior Ethan*, & *Eman.* Ex hoc dicitur, quòd iſti fuerunt magiſtri *Salomonis*, qui declarabant ipſi *Salomoni* intelligentiam Pſalmorum ipſius David, & totius Sacræ Scripturæ : ſed poſtea *Salomon* ſuperavit omnes in ſcientia & ſapientia. Et ideo legitur 1. *Paralipom.* 25. quòd iſti cantores, & maximè *filii Eman*, erant *Videntes*, id eſt, Prophetæ *regis* : eò quòd declarabant Regi *Salomoni* Sacram Scripturam, & maximè intelligentiam Pſalmorum : & non ſolummodò *Salomoni*, ſed etiam toti populo interpretabantur & declarabant intelligentiam Pſalmorum, prout in illo ſtatu poterant attingere. Et ideo dicebantur *Prophetæ*, non quòd ipſi condidiſſent Pſalmos, ſed quia declarabant populo, ſicut modò faciunt noſtri prædicatores. Et ſic in illo tempore, tàm cantores, quàm prædicatores, & recitatores prophetiarum dicebantur *Prophetæ*, & prophetare : & ita dicitur in præallegato *capitulo* : quòd *Aſaph, & Eman, & Idithun prophetabant in ci-*

citharis & psalteriis : & etiam de *Saule* dicitur, quòd prophetabat inter Prophetas : & etiam *cantores* vocat *Prophetas Apostolus*, 1. *ad Corint.* 14. *cap.* A Ex supradictis patet, quòd *filii Core* in Titulis Psalmorum non memorantur ut conditores Psalmorum, sed ut cantores, ut dictum est *Psalm.* 41. talis enim spiritus prophetiæ soli David datus est, ut ibi dictum est. Ex quo patet, quòd David fecit istum Psalmum, & dedit ipsum cantandum *filiis Core*, in quo *Eman* princeps incipiebat versum, & cæteri *filiorum Core* respondebant, & cantabant ipsum cum instrumento musico dicto *Maheleth*, quod significat *infirmitates*, sive *chorum*. Et ideo, quia loquitur hîc de afflictione & infirmitate Christi, præcepit David ut cantaretur cum tali instrumento. B

Materia hujus Psalmi.

Sed de materia hujus Psalmi est altercatio apud Judæos modernos. Nam quidam dicunt, quòd Propheta loquitur hîc de afflictionibus & passionibus, quas passus, & passurus erat ille populus usque ad *captivitatem Babylonicam*. Alii autem dicunt, quòd loquitur de afflictionibus quas Judæi patiuntur in captivitate in qua modò sunt, de qua expectant liberari per falsum Messiam futurum.

Sed hoc est manifestè falsum. Nam littera hujus Psalmi non potest competere illi populo; maximè illud quod scribitur : *Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber*. Nam iste populus non solummodo fuit non liber à peccato, immò pejor omnibus infidelibus, quia semper regnavit in eo ido- C lolatria, & nunc in eo regnat omne mendacium, fraus, dolus, usura, & rapina, & omnia genera vitiorum. Et sic in expositione hujus Psalmi non solummodo contradicunt litteræ, sed etiam de verbo in verbum contradicunt sibi ipsis.

Et ideo est dicendum, quòd David in persecutionibus suis prævidens mysterium passionis Christi, & mortem, & sepulturam, & resurrectionem, & maximè quomodo erat affligendus à suis; fecit plures Psalmos : inter quos præ- D cipuè fecit istum, in quo Christus, in quantum homo, & in forma servi conqueritur apud Patrem de infirmitatibus, quas passus est. Et ideo cantabatur cum illo instrumento dicto *Maheleth*, quod significabat infirmitates, & dolores, & passiones, quas deflet Propheta in persona Christi in hoc Psalmo. In quo duo facit. Nam primò Christus deflet apud Patrem infirmitates & passiones suas & persecutiones. Secundò petit liberari per resurrectionem. Ibi : *Clamavi.*

Quantum ad primum dicit Chris- I tus : *O Domine* Pater, qui es Deus per essentiam, & *Deus salutis meæ* : quia E quicquid habeo in forma Dei, habeo à te per æternam generationem : & quicquid habeo in forma servi, à te habeo per spiritualem unionem & gratiam : Ego *clamavi in die*, id est, per totum tempus meæ prædicationis, vocando populum ad fidem : & *clamavi in nocte*, scilicet, tempore passionis, & persecutionis, scilicet in horto, & quando ter oravi, putà, pro membris meis, & pro mea resurrectione, & *clamavi* in cruce petens redemptionem eorum. *Intret* ergo *oratio mea in conspectu tuo*: id est, accipe mortem meam & passionem in pretium pro redemptione membrorum meorum : *inclina aurem tuam ad precem meam*, acceptando eam si- F mul cum passione. Et exponit quid offert pro nostra redemptione, dicens: *Quia repleta est anima mea malis*: scilicet, laboribus, & opprobriis, & conviciis, & persecutionibus, & flagellis, & doloribus est repleta, usque ad mortem inclusivè : in tantum quòd anima *appropinquavit* usque ad infernum : & dicit, *appropinquavit*, quia ibi non mansit, nec ivit tamquam reus & punitus; sed tamquam victor, & judex, & triumphator, ad repetendam prædam. Et non solùm passus sum dolores, flagella, & opprobria &c. sed quoad æstimationem hominum, qui putabant me ex necessitate mortuum ex peccato, & impotentiâ : & putabant quod sicut cæteri tamquam condemnatus, & subjectus, & obnoxius peccato primi paren- G tis descendi in infernum, cùm ego *solus sim liber inter omnes mortuos* & peccatores. Dicit ergo:

Christus deflet apud Patrem passiones suas.

4. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.* *Joan. 19. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 25.*

5. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius : & ipsi de manu tua repulsi sunt.* H

6. *Posuerunt me in lacu inferiori : in tenebrosis & in umbra mortis.* *Marc. 9. Matt. 27. Luc. 22.*

ÆStimatus sum à Judæis *cum* omnibus hominibus *descendentibus in lacum* inferni, & quòd essem peccator,

tor, & in numero aliorum hominum. Et ego, qui ſum *liber* à peccato inter omnes mortuos, ac ſi eſſem peccator, A *factus ſum* derelictus in triduo *ſine adjutorio* in poteſtate Judæorum.

Chriſtus liber à peccato.

Fuit perfectò Chriſtus ex debito, & ex naturâ ſolus *liber* à peccato: quia non ex opere Adam, nec per naturalem generationem natus eſt, nec conceptus. Et ideo ſi *Virgo Maria* fuit libera ab omni peccato: hoc non fuit de debito, ſed ex gratiâ, quâ fuit præventa in ſua creatione anima ejus: quia ſimul fuit creata & ſanctificata in corpore & anima.

Et etiam fui exiſtimatus à Judæis *ſicut* exiſtimantur & cenſentur homines *vulnerati* vulnere corporali & ſpirituali B *dormientes*, & mortui jacentes *in ſepulchris*, *quorum tu non es memor ampliùs*, ut eos ſuſcites: ita putabant, quòd tu oblitus eras mei & nunquam me ſuſcitares ad vitam glorioſam: & putabant, quod eram ſicut *ipſi* peccatores qui *de manu tua* & auxilio *repulſi ſunt*. Ita ergo putabant Judæi, quòd tu repuliſſes me ab auxilio, & amore, & gratiâ; & quòd totaliter oblitus eſſes mei. Et ſic *poſuerunt me in lacu inferiori*, id eſt, in ſepulchro quod erat exciſum ex petra ſubtus terram & *in locis tenebroſis*, *& in umbra mortis*. Nam ſepulchra ſunt obſcura ſubtus ter- C ram, & important horrorem, & quamdam umbram, & feritatem mortis: quia pauci intrare audent ad ſepulchra, propter horrorem & terrorem mortis. Quaſi dicat: Mors & ſepultura non datur homini, niſi in pœnam peccati ipſius Adæ: ſed ego ſecundùm naturam eram liber, immunis ab omni morte & peccato, ſolus inter omnes peccatores: quia non obligatus eram peccato Adæ, nec poteram peccare: quia non traxi fomitem in carne, nec poteram deviare à regulâ veritatis, nec deſtitui à gratiâ, in qua eram confirmatus, etiam in quantum homo: nec poteram deviare à veritate Verbi, cui perſonaliter eram unitus. Et tamen pu- D nitus ſum pœnâ peccatoris, quæ eſt mors, & ſepultura ſecundùm ſententiam datam in Adam, ſcilicet, *morte morieris &c.* Quaſi dicat: Non obligabar ad mortem; & punitus ſum pœnâ mortis.

Joan. 19. Matt. 27.

7. *Super me confirmatus eſt furor tuus: & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.*

Joan. 18. Marc. 14.

8. *Longè feciſti notos meos à me: poſuerunt me abominationem ſibi.*

E 9. *Traditus ſum, & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.*

NOtandum: quòd ſicut pluries dictum eſt *Pſalmo* 84. ex tranſgreſſione præcepti, Adam incurrit indignationem, & iram Dei, & maledictionem, & ſententiam mortis utriuſque: ſed quia ipſe non potuit ſatisfacere pro ſe & ſuis, ideo Chriſtus factus eſt caput noſtrum, & voluit portare pœnam omnium noſtrûm, ut liberaret nos à maledictione & F ſententiâ mortis æternæ: & recuperaret nobis vitam. Noluit ergo trahere peccatum, ſed veſtigium, & pœnam peccati, ut dictum eſt *Pſalmo* 34. quæ quidem pœna peccati dicitur *furor Dei*, & *fluctus* ſententiæ Dei, quæ fuit paſſio Chriſti, & flagella, & perſecutio, & dolores, & opprobria, & mors. Ita ergo iſta, quæ *Adam* & ſua poſteritas ex ira Dei & ſententiâ debebat portare in pœnam peccati; hæc eadem voluit Chriſtus pro nobis perferre.

Dicit ergo Chriſtus: O Pater, *furor tuus*, ſcilicet, ſententiæ tuæ datæ in *Adam*, *confirmatus eſt ſuper me*, id eſt, inductus eſt *ſuper me*: *& omnes fluctus*, G id eſt, perſecutiones tuas, *induxiſti ſuper me*, id eſt, omnes afflictiones, & perſecutiones, & dolores, quos *Adam*, & genus humanum debuit pati ex furore & ſententiâ tuâ, tu permiſiſti induci, & evenire ſuper me. Unde non ſolùm paſſus ſum dolores, & flagella, & perſecutiones; ſed etiam ſum deſtitutus & derelictus à meis amicis & diſcipulis: quia *relicto me*, *omnes fugerunt* in captione mea: & populus Judæorum qui erant *noti mei*, & contribules, quibus tot beneficia contuleram, qui me defendere debebant: ipſi *me poſuerunt abominationem ſibi*, alloquendo de me per civitatem, & vicos, & plateas, & tabernas, vocando cantorem & maleficum &c. H *Traditus ſum* à *Juda* traditore in manus Judæorum, & ligatus & percuſſus: & ante *Annam*, & *Caiphan* opprobriis & convitiis affectus, & illuſus, & in maxilla percuſſus. Et poſtea ante *Pilatum* examinatus, & flagellatus: Et tamen in omnibus his *non egrediebar* ultra limites rationis: ſed cum patientia in omnibus reſpondi, & abſque propulſatione injuriæ patienter tuli in corde meo & carne, in tantum quod *oculi mei languerunt* flendo *præ inopia*, & ſine auxilio. Nam abſque miſericordia tractatus ſui ab eis, & abſque pietate.

Joan. 18. Mar. 14.

10. *Clamavi ad te Domine tota* A *die : expandi ad te manus meas.*

De Pœn. d. 1. cap. Porro.

11. *Nunquid mortuis facies mirabilia : aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?*

86. d. Cũ multa, in glo.

12. *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?*

De Pœn. d. 3. Interhęc.

13. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & justitia tua in terra oblivionis?* B

NArratâ suâ afflictione, hîc ponit petitionem suam, quam fecit patri in cruce, & in sepulchro, petens resurrectionem suam à mortuis, & potiùs petens redemptionem, & resurrectionem suam à morte perpetua, & à peccato. Dicit ergo : *Oculi mei languerunt præ inopia :* quia *clamavi ad te Domine* in horto deprecando pro membris : & *tota die expandi ad te manus meas* in cruce, brachiis apertis, & elevatis manibus in cruce, rogando pro C redemptione generis humani, petendo resurrectionem, non solùm pro me, de qua jam eram certus ; sed pro resurrectione generis humani à morte perpetuâ. Et dicebam tibi : *Nunquid mortuis facies mirabilia?*

Justificatio impii majus miraculum &c.

Unde est advertendum, sicut dictum est *Psalmo* 74. quòd majus miraculum fuit, & est, suscitare, & justificare impium à morte peccati, quàm creare cœlum & terram, propter rationes ibi assignatas : quia oportet quòd ibi primò destruatur peccatum, & removeatur obex, & mutetur voluntas, & quòd Deus ponat de suo, scilicet sanguinem D &c. & creet etiam gratiam novam : & hoc est maximum miraculum. Nam *Paulus*, qui erat inimicus Christi, suscitatus est ab illa iniquitate, & mutatus est in virum alterum, & factus est defensor fidei, & pro Christo passus est famem, & carceres, & persecutiones, & labores, & mortem. Et Reges Gentium, qui propter idola persequebantur Christianos, suscitati ad fidem, propter Christum deleverunt idola : & omnes Martyres fuerunt de populo Gentili, & Doctores Ecclesiæ. Dicit ergo Christus Patri in sua deprecatione : O Pater, *Nunquid mortuis facies mirabilia* ? Quasi dicat : quòd majora miracula facies in conversis ad fidem, & per eos convertendo alios, quàm creare cœlum & terram. Quasi dicat, non derelinquas eos mortuos : quia si manerent in suo peccato & morte, nullum horum miraculorum sequeretur. Rogo te ergo, per hanc passionem quam passus sum manibus expansis in cruce, per mortem & sepulturam meam, ut tu remittas eis peccata, & suscites eos à morte peccati, & per resurrectionem ipsi resurgant in judicio, id est, ut resurrectio mea sit causa resurrectionis omnium, ut appareant mirabilia, & potentia tua, cùm ipsi qui erant persecutores fidei, sint postea defensores : & ipsi qui persequebantur F Christum in membris, postea moriantur pro Christo : & ipsi qui erant sub potestate diaboli, possint in potestate mea fugare diabolum à corporibus obsessis, & ab animabus peccatorum per Ecclesiastica Sacramenta.

Resurrectionis necessitas.

Unde nota, quòd hîc Christus demonstrat, quòd sua mors esset inanis & vacua, nisi sequeretur resurrectio: quæ quidem Christi resurrectio debebat esse causa resurrectionis omnium : quia nullus alius potuisset nos resuscitare à morte animæ, & etiam à corruptibilitate corporis : cùm ipse solus sit primitiæ omnium resurgentium.

Et ideo subdit : *Nunquid medici suscitabunt* ? id est, poterunt mortuos G á peccato aut morte corporali suscitare, ut postea mortui *confiteantur tibi*? Quasi dicat : non ; quia non habent talem potestatem : quia solus ego possum suscitare homines à peccato, & per resurrectionem meam potero suscitare mortuos in corpus & vitam gloriosam. Quasi dicat : Totum genus humanum est mortuum peccato, & ægritudine spirituali, & incurrit mortem corporalem, à qua nullus medicus potest eos suscitare, nisi per mortem & passionem meam, & resurrectionem meam. Item, *nunquid medici* corporales & humani, *suscitabunt* mortuos ? supple. Et ipsi mortui suscitati confitebuntur H tibi ? Quasi dicat : non ; quia illi non habent potestatem, nec artem, nisi ad sanandas ægritudines quandoque corporales. Ergo oportet, ut tu suscites me, ut per resurrectionem meam possim eos suscitare. Et sic *confitebuntur tibi* ; & *confitebuntur* me esse verum Messiam in Lege promissum, & recipient Legem Euangelicam : & sic salvi sient, & suscitabuntur modo à peccato, & in die judicii ad vitam gloriosam.

Nota, quòd littera *Hieronymi* habet : *Nunquid gigantes surgent, & confite-*

ſitebuntur te ? &c. Et tunc eſſet ſenſus : nunquid homines terreni ſurgent? &c. Sed majus ſacramentum videtur A continere Translatio noſtra : demonſtrat enim , quòd neceſſe eſt Chriſtum reſurgere , ut ſuſcitet omnes alios : & ſua reſurrectio prædicetur per totum orbem , ut omnes crederent per illum: quia ſi non reſurrexiſſet , nulla fides fuiſſet ſibi data. Et ſic reſurrectio ſua non ſolummodò eſt cauſa reſurrectionis corporis noſtri , ſed ſpiritualis à morte peccati. Quia per fidem reſurrectionis ſuæ credidimus prædicationi Apoſtolorum , & recepimus Legem Euangelicam , per quam ſalvi facti ſumus , & à peccato ſuſcitati. Dicit ergo Chriſtus : ſuſcita me , ut poſſim enarrare per Apoſtolos meos miſericordiam, B & omnipotentiam tuam. *Nunquid aliquis* exiſtens *in ſepulchro narrabit miſericordiam* , & omnipotentiam *tuam*? *aut* exiſtens *in perditione* , id eſt , in morte , *narrabit veritatem* & Legem *tuam* ? Quaſi dicat ; non : immò oportet quod ſuſcitetur à mortuis. Et ſic oportet , quòd tu ſuſcites me à morte corporali , ut ego ſuſcitem eos à morte ſpirituali , ut ſuſcitati poſſint te laudare : nam peccatores & infideles non laudant Deum , ſed blaſphemant. Et ideo ſubdit : *Nunquid cognoſcentur* mirabilia tua *in tenebris* mortis ? *aut juſtitia tua* cognoſcetur *in terra oblivionis* ? id eſt , in inferno , ubi omnes peccatores ſunt extra memoriam , & gratiam , & acceptionem tuam ? Quaſi C dicat ; non : immò oportet , quòd ego reſurgam à morte corporali , & ſuſcitem eos à morte ſpirituali.

Et ſic patet , quòd omnes iſti quatuor verſus principaliter referuntur ad reſurrectionem Chriſti , & ex conſequenti ad reſurrectionem noſtram. Unde dicit : O Pater , reſuſcita me: nam aliter , non cognoſcentur mirabilia , nec erit valida paſſio mea , nec aliquis aliorum poterit reſurgere à peccato , cùm mea reſurrectio ſit cauſa reſurrectionis omnium , tàm corporalis , quàm ſpiritualis : ſcilicet animæ & corporis. Nam ſi ego non reſurrexero , & incineratum fuerit corpus meum D in ſepulchro , & anima permanſerit in inferno ; non cognoſcentur mirabilia tua prædicta. Et ideo licèt utraque expoſitio ſit neceſſaria , quia una dependet ex alia : tamen Chriſtus jam certus de ſua , principaliter petit noſtram reſurrectionem corporis & animæ , ſcilicet , ut per ſuam reſurrectionem nos reſurgamus.

* *
*

E 14. *Et ego ad te Domine clamavi : & manè oratio mea prævéniet te.* — *15 d. cap. Sancta.*

15. *Ut quid Domine repellis orationem meam : avertis faciem tuam à me?* — *Joan. 18. Marc. 9.*

16. *Pauper ſum ego , & in laboribus à juventute mea : exaltatus autem , humiliatus ſum* F *& conturbatus.* — *12. q. 2. Gloria.*

17. *In me tranſierunt iræ tuæ: & terrores tui conturbaverunt me.* — *Joan. 19.*

18. *Circumdederunt me ſicut aqua tota die : circumdederunt me ſimul.* — *Matt. 27. Mar. 15.*

19. *Elongaſti à me amicum , & proximum , & notos meos a miſeria.*

G ISTA eſt ſecunda pars , in qua ut oſtendat , quòd magis rogat pro nobis , quàm pro reſurructione ſua , de qua erat certus ; vult oſtendere , quòd pro nobis paſſus eſt , & ut ſanaret infirmitates noſtras & peccata ; & non pro ſe , cùm ſit *inter mortuos liber.* Ideo dicit Chriſtus in perſona membrorum , & corporis myſtici : *Et ego ad te Domine* ſemper à principio *clamavi* , poſtquam Adam peccavit ; & reſurgens *de manè*, antequam aliquod opus facerem , & faciam , *oratio mea prævenit te* , rogando , ut venias ad liberandum me ab hujuſmodi miſeriis : ſcilicet , peccato , & H pœnis ejus temporalibus , & æternis. *Ut quid* ergo *Domine* , & quare *repellis orationem meam* , *& avertis faciem tuam à me* ? quia noluiſti me audire per tot ſpatia & ætates temporis ; nec per Patriarchas , nec Reges , nec Prophetas. Veni ergo , & adjuva me : quia *pauper ſum ego* , & ſemper *in laboribus* & afflictionibus *à juventute mea.*

Nam Eccleſia ſemper paſſa eſt perſecutiones per omnes ætates. Primò paſſa eſt in *Abel* per *Cain.* Secundò , in diluvio. Tertiò , in *Abraham* , *Iſaac*, *Jacob* , & in captivitate Ægyptiaca , & *Eccleſia ſemper eſt paſſa perſecutiones.*

in

in Prophetis , & multotiens fuit *exaltatus* populus in ſuperbia , & rebellione , & idololatria : & multotiens *humiliatus* per captivitatem decem tribuum, & per captivitatem Babylonis , & vaſtationem *Antiochi* : & fuit *conturbatus* & afflictus : & *iræ tuæ* , id eſt , ſententia punitionis , *& terrores tui tranſierunt* ſuper me & *conturbaverunt me* propter peccata mea in punitionem. Et iſtæ perſecutiones & afflictiones *tota die* , id eſt per omnes ætates , *circumdederunt me ſimul ſicut aqua* , id eſt , ſicut fluctus maris circumdant , & torquent , & concutiunt navem in pelago: ita perſecutiones , & adverſitates infidelium *circumdederunt* , & afflixerunt *me*. Et in omnibus his adverſitatibus *elongaſti à me* omnem *amicum*. Quia omnes populi circumdantes , & omnes *proximi mei* , ſcilicet *Idumæi* , qui erant fratres mei : & filii *Edon* , ſive *Eſau* fratris Jacob ; omnes iſti fuerunt à me *elongati* : & etiam *elongaſti* omnes *notos meos* & amicos *à miſeria* & tribulatione mea , derelinquendo me ſine auxilio. Dicit ergo populus & corpus myſticum pro illo ſtatu : Veni tu Chriſte & Meſſia , & libera me à peccatis, propter quæ hæc mala mihi evenerunt, & ſalva me. Et iſte eſt unus ſenſus.

Alia expoſitio.

Sed etiam eſt alius ſenſus , in quo loquitur Chriſtus , narrando perſecutiones , quas patitur propter peccata noſtra : & ut ſanaret infirmitates noſtras, voluit ad ſe transferre pœnas peccati noſtri. Et ideo dicit Chriſtus in perſona membrorum infirmorum : Ego *ſum* factus *pauper* , & expoliatus ab omnibus bonis gratuitis ratione membrorum, ſive in membris meis. Et ſemper fui *in laboribus* , vulneratus fomite & lege membrorum , & concupiſcentiâ *à juventute mea* : quia jam naſcimur *filii iræ & vindictæ*. Et ſic quandoque *ſum exaltatus* , & rebellis in ſuperbiam per peccatum , in quantum caro ſurgit adverſus ſpiritum ; & quandoque *humiliatus* per pœnitentiam , & punitus temporaliter per adverſitates : & ſic maneo *conturbatus*. *In me tranſierunt iræ tuæ*: hic loquitur Caput in forma ſervi , dicens : O Pater , *iræ tuæ* , id eſt , punitiones , & pœnæ ſententiæ tuæ eis debitæ *tranſierunt ſuper me* : quia voluiſti ut paterer pro eis : *& conturbaverunt me* , non conturbatione mentis, ſed doloris carnis. Et iſtæ afflictiones *circumdederunt me ſimul tota die* , & tempore paſſionis meæ , *ſicut aqua* & fluctus maris circumdant , & quatiunt, & agitant navem tempore tempeſtatis. Et pro majori afflictione *elongaſti* , id eſt , elongari permiſiſti , omnem *amicum* , *& proximum* , & omnes Apoſtolos *& notos meos à miſeria* mea : quia in captione mea *omnes fugerunt*.

Et nota , quòd *omnes fluctus* iræ & ſententiæ Dei *tranſierunt ſuper* totum corpus myſticum , quantum ad culpam & pœnam , propter peccatum Adæ : ſed illi *fluctus tranſierunt* ſuper Chriſtum Caput hujus corporis , quoad pœnam tantùm ; quia pro omnibus paſſus eſt , ut frequenter dictum eſt. Et cum tali intelligentia loquitur Chriſtus in hoc Pſalmo. Tota etiam iſta ultima pars poteſt referri ad liberationem Eccleſiæ de perſecutionibus Tyrannorum, & cæterorum infidelium , quas patitur uſque ad judicium.

Psalmus LXXXVIII.

1. *Miſericordias Domini in æternum cantabo.*

15. q. 1. c. *Reverti-mini* , & c. ſeq.

2. *In generatione & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.*

Titulus: *Intellectus Ethan Ezrahitæ.* Iſte *Ethan* fuit unus de principibus Cantorum , quos conſtituit David ad cantandum , ut patet 1. *Paralipomen.* 6. *cap.* Unde ibidem dicitur , quòd *Eman* canebat chorum ſuum ad dexteram , & *Ethan* ad ſiniſtram. Unde in Pſalmo præcedenti dicitur , quòd *Eman* erat *Ezrahita* ſicut iſte : eò quòd erant oriundi de quodam vico , dicto *Ezra*. Et ſic ambo erant *Ezrahitæ*. Per hoc patet mendacium Judæorum , qui dicunt, quòd iſti duo deſcendebant de *Juda* per *Zaran*. Nam in ſupradicto cap. ubi deſcribitur genealogia iſtorum , demonſtratur , qualiter omnes tres cantores erant Levitæ. Nam *Eman* deſcendebat de *Levi* per *Zahat* ; & *Aſaph* per *Gerſon* ; & *Ethan* per *Merari*. Et ſic patet , quòd *Ethan* erat *Merarita* : & creditur quod iſte *Ethan* eſt ille *Idithun* , qui memoratus eſt in ſupradictis Titulis. Nam eundem illum quem *Eſdras* vocat *Ethan* in memorato 6. *cap.* eundem vocat *Idithun in* 25. *cap.* Et ſic apparet , quòd *Ethan* erat binomius : unde ponitur in hoc Titulo, *Intellectus Ethan* , in quantum fuit ſibi datus iſte Pſalmus ad cantandum , & etiam interpretandum populo : quia *Ethan* erat prudentior & eruditior ſimul cum *Eman* , ut dictum eſt *Pſalmo præcedenti*. Eſt ergo ſenſus hujus Tituli : quòd David fecit iſtum Pſalmum , in quo fuit eruditus à Spiritu ſanc-

sancto : & dedit ipsum cantandum ipsi *Ethan*, & ut interpretaretur ipsum, & erudiret populum. A

Materia Psalmi. Ad cujus intellectum est notandum: quòd totus iste Psalmus fundatur super promissionem factam ipsi David de perpetuitate, & æternitate regni sui per Christum futura. Unde tria fuerunt promissa ipsi David. Primò, quòd Christus Messias in Lege promissus, debebat esse de sua generatione secundùm carnem : & quod numquam deficeret semen suum usque ad Christum. Secundò, quòd regnum suum debebat esse æternum, & firmum. De qua promissione habetur 2. *Regum* 7. *cap.* Item tertiò, quòd Christus filius suus debebat ædificare domum Domino. Hoc ergo prævidens David in spiritu, non solummodò per revelationem *Nathan*, B sed per propriam Spiritus sancti inspirationem, quòd tale pactum Deus fecisset cum domo sua, fecit hunc Psalmum, in quo duo facit. Nam primò agit gratias de supradicta promissione. Secundò petit æternam successionem sui regni, explicando particulariter promissionem. Ibi : *Tunc locutus es in sanctis tuis.*

David agit gratias de promissione Messiæ.

Quantum ad primum, duo facit. Primò, prorumpit in laudes pro supradicta promissione. Secundò, admiratur mirabile mysterium incarnationis in sua generatione promissum. Ibi : *Confitebuntur cœli.* Quantum ad primum est advertendum : quòd causa quare Deus promisit omnibus Sanctis Patribus mit- C tere Filium suum in carne, fuit *misericordia ejus*, ut liberaret genus humanum à miseria & captivitate peccati. Et sic per promissionem ostendit maximam misericordiam suam : & sic promissio dicitur *misericordia* : sed impletio illius promissionis, quæ fuit facta in novo Testamento dicitur *veritas* : & ideo dicit David in principio hujus Psalmi ; quòd duo intendit cantare, scilicet, *misericordiam Dei*, & *veritatem*, id est, promissum mysterii incarnationis, & *veritatem*, id est, impletionem ejus. Unde dicit *Augustinus*, quòd *mirabilis est prophetiæ promissio, in qua ostenditur misericordia : sed mirabilior est pro-* D *prophetiæ adimpletio, in qua ostenditur veritas. Nam inutilis esset prophetiæ promissio, nisi sequeretur ejus adimpletio. Nam per promissionem Deus dicitur misericors : sed per impletionem dicitur verus, & justus.*

David ergo eruditus de promissione incarnationis ejus, & certus de impletione ejusdem in suo semine, prorumpit in laudes & cantum, dicens : *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Et loquitur Propheta in persona totius Ecclesiæ : & dicit, *misericordias* in plurali ; quia plures promissiones de E Christo pluribus factæ sunt. Primò, promissus est *Abrahæ*, *Genes.* 22. cui dictum fuit : *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Secundò, fuit promissus ipsi *Jacob* in mysterio scalæ, *Genes.* 28. & eidem in luctatione Angeli, *Genes.* 32. Item eidem, cùm dixit : *Non auferetur sceptrum de Juda &c.* Item Christus fuit promissus *Moysi*, *Exod.* 33. cùm dixit : *Posteriora mea videbis.* Item *Deuteron.* 18. cùm dixit : *Prophetam suscitabo &c.* Item ipsi *David*, 2. *Regum* 7. de quo supra dictum est. Et ideo dicit : *In æternum cantabo*, quia vidit David in spiritu, quòd iste Psal- F mus erat cantandus in Ecclesia usque ad finem mundi : sed quia prævidit, & fuit certus, quòd Deus debebat implere quod promiserat : ideo sequitur : *A generatione usque in generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.* Unde supra dixit : *Misericordias cantabo.* Hic autem dicit, *annuntiabo veritatem tuam*, id est, doctrinam Euangelicam. Nam Euangelium est *annuntiatio eorum quæ fuerunt promissa in Lege*, ut ait *Eusebius.* Ideo ad Testamentum vetus pertinet cantare prophetiam ; & ad novum pertinet annuntiare veritatem prophetiæ, quæ est veritas Euangelica. Et sic Ecclesia pro illo statu cantabat *misericordias Domini* : nunc autem annuntiat *veritatem à generatione in generationem* usque ad diem Ju- G dicii. Nam incarnatio, & passio Christi, & resurrectio, in quantum promissæ, dicuntur *misericordiæ* : sed in quantum impletæ in Christo, dicuntur *veritas.*

Promissio Christi pluribus facta est.

3. *Quoniam dixisti : In æternum misericordia ædificabitur in cœlis : præparabitur veritas tua in eis.*

De Pœna d. 1. Quia divinitatis natura.

4. *Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo:* H *usque in æternum præparabo semen tuum.*

Et d. 93. c. Diaboli.

5. *Et ædificabo in generationem & generationem sedem tuam.*

HIC reddit causas, quare intendit cantare *misericordias Domini*, & annuntiare *veritatem* : cujus causæ sunt duæ. Prima causa est, à Deo multiplex facta promissio. Secunda, promissorum ad-

adimpletio. Propterea dicit : ideo, supple, cantabo : *Quoniam dixisti*, id est, promittendo *dixisti*, & dicendo promisisti : *Quoniam misericordia ædificabitur in cœlis in æternum*, & *præparabitur veritas tua in eis* : quasi dicat: Non erit irritum quod promisisti & dixisti ; immò *misericordia* tua & promissio erit firma *in cœlis* & *veritas tua*, id est, adimpletio promissionis *præparabitur* in eisdem cœlis. A

Nota. Sed nota : quòd majus sacramentum latet hîc. Unde nota, quòd hoc multipliciter potest intelligi. Nam hoc forsan dicit, alludendo promissioni factæ *Abrahæ*, *Genes.* 15. *cap.* quando Deus traxit ipsum foras. Et dixit : *Respice cœlum, enumera stellas, si potes: sic erit semen tuum &c.* Unde tenent omnes Doctores : quòd promissio facta Abrahæ non fuit vera in terra, nec in bonis terrenis, sed in cœlo, & in bonis cœlestibus. Et sic præmium promissionis, & *misericordia*, quæ per Christum expectabatur, non erat in terris, sed *in cœlis*, & veritas illius promissionis *in cœlis* erat adimplenda per Christum. Et ideo dicit : Tu Deus dixisti *Abrahæ*, & omnibus patribus: *Misericordia*, id est præmium, & effectus misericordiæ Christi promissi, *ædificabitur*, id est, firmabitur *in æternum in cœlis* : id est, in bonis cœlestibus, & non terrenis. *Et veritas tua*, id est, impletio promissionis & finis, qui est vera fruitio & quies æterna; *præparabitur* à Christo *in* eisdem *cœlis* : Hoc dicit : nam sicut Deus promisit nobis præmium in cœlo : ita veritas illius præmii præparata est nobis à Christo in eisdem cœlis per suam passionem & resurrectionem, sicut supra dictum est *Psalmo octogesimotertio, & quarto.* B C

Item, per illos *cœlos* intelliguntur etiam Apostoli : in quibus Christus *ædificavit misericordiam*, id est, dedit Legem Euangelicam, ut cæteris misericordiam Dei prædicarent. Et *ædificavit in eis* etiam primò misericordiam: quia primò eos misericorditer elegit, & justificavit ; & postea in eis *veritatem* Euangelicam *præparavit*, ut cæteris prædicarent. Et ideo dicit Propheta : O Deus, ego *cantabo misericordias &c. Quoniam dixisti* mihi per revelationem, supple, *misericordia* & justificatio *ædificabitur* primò *in cœlis*, id est, in Apostolis, eos vocando, & justificando ; & postea *præparabitur veritas tua* Euangelica *in eis*, eos instruendo, & illuminando. Quomodocumque ergo sit : semper Deus promisit misericordiam in veteri Testamento, & præparavit veritatem in novo. D

Item dicit : *Disposui testamentum meum electis meis.* In qua locutione & clausula Propheta implicat omnes promissiones factas in veteri Testamento: quia vetus Testamentum nihil aliud est, nisi dispositio, & præparatio ad novum. Et ideo dicit : Tu Deus etiam *dixisti: disposui testamentum* meum *electis meis*: nam promissio facta *Abrahæ*, *Isaac*, & *Jacob*, & *Moysi* fuerunt quædam dispositiones, ut illi ponerent spem suam in Christo futuro. Unde per illas promissiones disponebantur ad fidem, in qua fide justificabantur, & salvabantur, ut ait *Apostolus ad Roman.* 4. & patet de *Abraham* : quia credidit Deo de promissione sibi facta de Christo futuro; ideo *reputatum est ei ad justitiam* : id est, justificatus est, *Genes.* 15. E

Item, tota fabricatio Tabernaculi, & descriptio, & omnia mysteria, & præcepta cærimoniarum, & sacramenta veteris Legis, & ædificatio Templi Salomonis &c. non fuerunt facta gratiâ sui, nisi in quantum erant dispositiones, & figuræ ad Christum, & Legem Euangelicam. Et ideo dicit : Tu Domine *dixisti* mihi per revelationem; Ego *disposui testamentum electis meis*, scilicet patribus veteris Testamenti *disposui* per figuras omnia mysteria Incarnationis, & passionis, & resurrectionis : & eadem præparavi in veritate, & complevi fidelibus meis in novo Testamento. Sed tu Deus specialiter promisisti mihi, dicendo : Ego *juravi David servo meo*, id est, cum firmo pacto immobiliter promisi, 2. *Reg.* 7. *cap.* quòd *usque in æternum præparabo semen tuum*, & *ædificabo sedem tuam*, scilicet regni tui, *in generationem & generationem.* Et sic non solummodo promisisti mihi successionem in generatione : sed etiam æternitatem regni per Christum. Ex quo patet, quòd propter talem promissionem specialiter mihi factam de æterna successione generationis & regni mei, teneor *in æternum* cantare, & *cantabo misericordias tuas*, & *annuntiabo veritatem tuam in generationem & generationem.* F G

6. *Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine : etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.* H *16. d. cæi Nasci.*

7. *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino : similis erit Deo in Filiis Dei?* *De Cons. d. 2. c. Accesserunt.*

8. *Deus,*

8. *Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum: magnus & terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.* A

QUIA superius facta fuit promissio de mysterio incarnationis, & de successione regni æterni; hîc admiratur de ineffabilitate hujus mysterii. Nam admirabile est, quòd aliquis homo mortalis possit esse æternus, & durare in æternum; & quòd aliquod regnum posset esse æternum in hoc mundo; & quòd aliquis homo possit habere sedem æternam, & regalem in cœlo. Et ideo dicit, quòd hoc mysterium ita ineffabile & incomprehensibile apud homines, B confitebuntur cœli: quia homines non possunt hoc confiteri, nisi cœlestes efficiantur: quia aliter homines non possunt credere mysterium incarnationis, nisi per signa cœlestia, & homines cœlestes.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, dicit: O Domine, *Cœli confitebuntur mirabilia tua*, scilicet, mirabile mysterium Incarnationis, & nativitatis, & mortis, & passionis, & resurrectionis. Primò, quia in tua nativitate apparebit nova stella in cœlo denuntians nativitatem temporalem regis æterni: & ducet Magos usque ad cunam infantis, ad adorandum Regem natum. Item, annuntiabunt, & *confitebuntur cœli mira-* C *bilia tua*, quando Angeli cantabunt, *Gloria in excelsis Deo.* Item, *cœli confitebuntur mirabilia* in tuo Baptismo, quando aperientur, & vox paterna audietur, dicens: *Hic est Filius meus dilectus &c.* Hoc idem *confitebuntur cœli* in tua Transfiguratione. Item, *confitebuntur cœli mirabilia tua* in passione, quando Sol obscurabitur, & fient tenebræ super universam terram. Item, in tua resurrectione, quando cum magno terræmotu descendet Angelus de cœlo, & revolvet lapidem ab ostio monumenti. Item, *confitebuntur cœli mirabilia tua* in tua Ascensione, quando Angeli dicent: *Viri Galilæi, quid admiramini &c.* Item, *confitebuntur cœli:* D id est, homines cœlestes, scilicet Apostoli: qui dicti sunt *cœli* in Sacra Scriptura, quando per totum orbem tuam incarnationem, & nativitatem, & passionem, & totam Legem Euangelicam prædicabunt.

Apostoli dicuntur cœli.

Et sic *confitebuntur veritatem*, id est, Legem Euangelicam, *in Ecclesia sanctorum*, id est omnium fidelium. *Confitebuntur* enim *veritatem* tuæ Divinitatis, & omnia miracula tua facta supra naturam: quod quidem mysterium incarnationis, & cætera mirabilia miracu- E la non poterant fieri per humanam facultatem: nec aliquis potest ascendere in cœlum, nec facere talia mirabilia, nisi Deus aut æqualis Deo.

Et ideo sequitur: *Quoniam quis in nubibus æquabitur Deo?* Unde Propheta prævidens Christum sic elevari in cœlum in nubibus, & sedere ad dexteram Patris, & facere alia mirabilia, prorumpit in admirationem, & dicit: *Cœli confitebuntur mirabilia tua*, quæ sunt supra hominem, & potius divina. Nam *quis æquabitur*, & erit æqualis Deo *in nubibus* cœli? aut *quis* erit *similis Deo in filiis Dei*? id est, inter Angelos & homines, quòd possit ascendere in cœ- F lum propriâ virtute, & sedere ad dexteram, id est æqualitatem Patris? Quasi dicat: nullus Angelus, nec homo purus, nisi sit Deus. Et ideo sequitur: *Deus* est ille homo Christus Jesus, *qui glorificatur in consilio* & societate *sanctorum*, & sedet ad dexteram Patris. Et ideo non est Angelus nec purus homo, sed Deus & homo, *magnus* in potentia, *& terribilis* in potestate judiciaria *super omnes* homines *qui in circuitu ejus sunt.* Quasi dicat: quòd iste Christus, qui fecit ista mirabilia in terris, & ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram, id est, ad æqualitatem Patris secundùm divinitatem, & simul adoratur & glorificatur cum Patre *in consilio sanctorum*; non solummodò est homo, sed Deus, & *magnus* Do- G minus in virtute, *& terribilis* in potentia & judicio: quia expoliavit infernum & superavit mortem, & judex & Dominus *super omnes qui in circuitu ejus sunt.* Et ista *mirabilia confitebuntur cœli*: id est Apostoli, & omnes prædicatores, *in Ecclesia sanctorum*, in hac Ecclesia per gratiam, & in superna per gloriam. Et deinde conversus Propheta ad Christum dicit in persona totius Ecclesiæ:

9. *Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.* H

27. d. ca. *Quia sùt.* 10. d. 76. *Si quis vero.*

O Christe *Domine Deus virtutum quis* ergo erit *similis tibi*? quia *veritas tua* erit semper *in circuitu tuo.* Omnia promissa in te complebuntur. Nam tu *es potens* in miraculis faciendis, & ad vincendum diabolum, & expoliandum infernum, & ad delendam idololatriam, & ad ejiciendum foras principem hujus mundi diabolum, qui per tot tempora regnavit, & ad libe-

randum hominem à peccato per mortem & passionem &c. Et narrat per singula. A

Matt. 8. Marc. 4. Luc. 8.

10. *Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas.*

11. *Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.*

TU dominaris potestati maris: quia ambulasti super aquas siccis pedi- B bus, & præcepisti fluctibus maris stare, & motum eorum mitigasti &c. Item, sicut quondam in Mari Rubro humiliasti Pharaonem superbum, & dispersisti & submersisti omnes servos ejus: ita per passionem & resurrectionem tuam *humiliasti* diabolum *superbum*, *sicut vulneratum* & victum à te: & *in brachio* & in potentia *virtutis tuæ dispersisti* primò diabolos, & fugasti *inimicos tuos* per infernum, quando attraxisti prædam sanctorum Patrum. Secundò *dispersisti* eos à mundo, & fugasti, quando dissipasti idololatriam. Tertiò *dispersisti* per mundum Judæos obstinatos, qui te crucifixerunt. Neque mirum si talem habes potestatem. Nam C

De Conse. d. 2. c. Accesserunt.

12. *Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundasti: Aquilonem & mare tu creasti.*

QUASI dicat: sicut in toto universo *creasti cœlum & terram*: ita in Ecclesia *creasti cœlos*, scilicet Apostolos. Et terram, qui *sunt* populi; & totam plenitudinem Ecclesiæ *creasti*, in qua invenitur oriens, scilicet tempus Apostolorum; & occidens, id est, tem- D pus Antichristi: & Aquilo, qui sunt Hæretici, & falsi Christiani, & frigidi. Et invenitur mare, scilicet persecutiones. In Hebræo habetur: *Aquilonem & dextrum tu creasti*: quia in Ecclesia invenitur *dextrum* & *sinistrum*: *dextrum*, sive Meridionale, sunt Catholici, sive boni Christiani: *sinistrum* Ecclesiæ sunt Hæretici, & mali Christiani: illos enim permittit Deus in Ecclesia; istos autem creat per gratiam.

E 13. *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.* *Lucæ 9. Mar. 17.*

THabor est mons in terra promissionis, ubi Barac vicit exercitum *Siseræ*. *Judicum* 4. *Hermon* autem mons parvus est prope *Jordanem*, juxta quem transierunt filii Israel in terra promissionis. Sed postea in monte *Thabor* Christus fuit transfiguratus, ubi Apostolis ostendit gloriam suam: & juxta *Hermon* in Jordane fuit baptizatus. Ideo dicit Propheta: O Christe, mons *Tha-* F *bor*, *& Hermon exultabunt*, quando in utroque audietur vox paterna dicens: *Hic est Filius meus dilectus.* Nam in uno ostendetur tua gloria, & in altero tua *potentia*. Nam aqua Jordanis recipiet virtutem regenerativam ex tactu tuo, & virtute Spiritus sancti descendente super aquas: & ibi dabitur virtus & *potentia* ipsi Baptismo ad delenda peccata, & ad ejiciendum diabolum foras. Ex quibus patet, quòd *Thabor*, *& Hermon exultabunt* in illis diebus, cùm viderint *brachium tuum*, id est, humanitatem tuam, quæ dicitur *brachium* & instrumentum divinitatis ad exercendum miracula: sed omnia ista facies *cum potentia* divinitatis. G

14. *Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua: justitia & judicium præparatio sedis tuæ.* *6. q. 1. c. Si omnia.*

15. *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam: beatus populus, qui scit jubilationem.* *15. q. 6. c. Si à Sacerdotibus.*

16. *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die: & in justitia tua exaltabuntur.* H *95. d cap. Ecce, & 13. q. 1. c. His itaque.*

17. *Quoniam gloria virtutis eorum tu es: & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.* *De Pœn. dis. 1. §. E contrario.*

HIC Propheta petit accelerari adventum Christi: ut expediat redemptionem nostram per prædicationem, &

& paſſionem , & reſurrectionem. Dicit ergo : O Chriſte , *firmetur manus tua* contra inimicos tuos diabolos , eos debellando & fugando , & peccata noſtra delendo per paſſionem : *& exaltetur dextera* , & potentia *tua* per reſurrectionem. Et *juſtitia tua & judicium* erit *præparatio ſedis tuæ* per aſcenſionem: quia tunc tradetur tibi judiciaria poteſtas univerſalis in cœlo , & in terra. Et ſedebis ad dexteram Patris. Sed in omnibus *miſericordia & veritas præcedent faciem tuam.*

Unde eſt notandum , ſicut ſuperiùs dictum eſt : quòd ante adventum Chriſti prima erat promiſsio & punitio : ideo omnes expectabant miſericordiam , & veritatem , & juſtitiam , per miſericordiam temperandam. Sed poſt adventum Chriſti *miſericordia & veritas* paſsionis præcedunt juſtitiam : & ſic juſtitia jam eſt temperata cum miſericordia. Et ideò hæc eſt differentia inter nos , & illos. Et ideo prænuncians dignitatem & gratiam novi Teſtamenti dicit : *Miſericordia & veritas* juſtitiæ *præcedent faciem tuam* , ò Chriſte , & , ò populo Chriſtiane. Ideo addit : *Beatus populus* Chriſtianus , *qui ſcit jubilationem* præ gaudio , pro gratiarum actione, & pro beneficio redemptionis. Item, multas alias cauſas jubilandi habebit populus Chriſtianus. Nam *in lumine vultus tui* , ſcilicet , *in lumine* Legis Euangelicæ *ambulabunt* , quæ oſtendet eis claram viam ad patriam. *Et in nomine tuo exultabunt* : quia in nomine Jeſu dœmonia ejicient , linguis loquentur novis , ſerpentes tollent &c. *Et in juſtitia tua* : ſcilicet in paſsione tua , per quam fiet juſtitia peccati , & in Lege tua *exaltabuntur* , id eſt , juſtificabuntur à peccato : & exaltabuntur in dignitate nominis Chriſtiani , vincent diabolum , & peccatum virtute Baptiſmi , & Sacramentorum. Et hoc fiet , *quia gloria virtutis eorum tu es* , & non alius. Et ſic *in beneplacito tuo* , & gratia quæ provenit ex *beneplacito tuo* , & liberalitate , & miſericordia , *exaltabitur cornu noſtrum* & honor : quia triumphabimus de diabolo. Et unde evenient nobis iſta , ſcilicet dignitas , & honor , & exaltatio ? Reſpondet : quòd per Incarnationem Chriſti. Qui voluit aſſumere carnem noſtram & humanitatem. Ideo ſubdit:

18. *Quia Domini eſt aſſumptio noſtra : & ſancti Iſrael regis noſtri.*

11. q. 3. Ad menſam.

ID eſt , *Quia aſſumptio* noſtræ humanitatis *eſt* facta *à Domino* Filio Dei, qui eſt *ſanctus Iſrael* , *& Rex noſter.* Nam aſſumendo carnem noſtram , factus eſt Caput Eccleſiæ , & Rex , & dux noſter , & ſanctificator noſter. Et ſic nos exaltavit , & honorificavit , & dignificavit. Ex quo patet , quòd à principio hujus Pſalmi uſque ad præſentem verſum dependet & continuatur tota una ſententia. Nam dicit Propheta: *Miſericordias Domini in æternum cantabo &c.* Et hoc , *quia dixiſti* & promiſiſti , ideo *miſericordia in æternum ædificabitur in cœlis.* Nam tu promiſiſti , quòd Filius meus Chriſtus ædificaret domum tibi in æternum : ſcilicet, Eccleſiam Catholicam in terris , ex qua replebitur Eccleſia cœleſtis : ideo ita fiet. Nam ipſe *ædificabit miſericordiam in æternum in cœlis* : & præparabit veritatem tuam in æternum. Item , tu dixiſti : *Diſpoſui teſtamentum electis meis*: quod figurabat totum myſterium incarnationis. Nam totum Teſtamentum vetus erat diſpoſitio , & præparatio ad Euangelium & Eccleſiam. Et ſimiliter dixiſti : Ego *juravi David ſervo meo*: *Uſque in æternum præparabo ſemen tuum* , id eſt , ſervabo generationes ex ſemine David , & continuabo uſque ad Chriſtum. Et deinde præparabo ſemen regeneratum in Chriſto uſque in ſempiternum. *Et ædificabo in generatione & generationem ſedem* , & regnum tuum. Et ideo cùm iſta omnia fuerint impleta in Chriſto : tunc *confitebuntur cœli mirabilia tua in Eccleſia* fidelium: ſed hoc erit mirabile : *Nam quis in nubibus æquabitur Domino ? &c.* Tunc reſpondet , quòd Chriſtus *Deus* , *qui glorificabitur in conſilio ſanctorum* , *æquabitur Domino* in æternitate , & *erit ſimilis ei* in ſubſtantia ſecundum divinitatem. Et tunc David apoſtrophat ad Chriſtum , prorumpens in confeſsionem laudis , dicens : *Domine Deus virtutum &c.* pronuntians virtutes Chriſti, & triumphum , & potentiam &c. ut dictum eſt , uſque ad humanam exaltationem & dignitatem.

19. *Tunc locutus es in viſione ſanctis tuis , & dixiſti: Poſui adjutorium in potente : & exaltavi electum de plebe mea.* Iſai 35. 1. Reg. 7.

20. *Inveni David ſervum meum: oleo ſancto meo unxi eum.* 2. Reg. 5.

21. *Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum.* 2. Regum 24.

1. Regum 21. & 2. Reg. 18.

22. *Nihil proficiet inimicus in eo,* A *& filius iniquitatis non apponet nocere ei.*

23. *Et concidam à facie ipsius inimicos ejus : & odientes eum in fugam convertam.*

2. Reg. 7.

24. *Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso : & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.*

B

1. Regum 16.

25. *Et ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus.*

POstquam superiùs cecinit, & admiratus est mysterium Incarnationis sibi promissum ; nunc in hac secunda parte principali petit successionem æternam sui regni, explicando particulariter totam promissionem sibi factam. In qua duo facit. Nam primò facit quod dictum est. Secundò, adducit impedimentum, quod videtur impedire totum effectum promissionis. Ibi: *Tu vero repulisti.* Quantum ad primum est advertendum, sicut supra dictum est, quòd totus iste Psalmus fundatur supra C illam promissionem factam ipsi David revelatam ipsi *Nathan* de successione regni, scriptam 2. *Regum 7. cap.* quæ quidem promissio est necesse ut ad litteram hîc scribatur. Quæ quidem promissio talis est. Nam cum David proponeret in corde suo ædificare Templum Domino, locutus est Dominus ad *Nathan*, dicens : *Hæc dices servo meo David : Hæc dixit Dominus exercituum : Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel.* Et infra : *Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo,* D *& firmabo regnum ejus : ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium : qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus jugiter.* Hæc sunt verba ad litteram totius prophetiæ : quam E prophetiam intelligunt Judæi ad litteram de *Salomone*, & regno ejus præcisè.

Sed hoc est manifestè falsum. Nam aliqua sunt & dicuntur in hac prophetia, quæ nullo modo possunt pertinere regno *Salomonis*. Nam regnum *Salomonis* temporale non fuit æternum, nec firmum : immò defecit in captivitate Babylonis : nec ipse fuit semper fidelis, nec domus sua : immò ipse fuit idololatra, & omnes successores ejus, præter *Ezechiam* & *Josiam* ; & regnum ejus illico post ipsum fuit divisum.

Et ideo est valde advertendum: quòd sicut agens artificiale semper in F actione sua recipit duo ; unum principaliter & per se, & aliud tamquam viam: sicut domificator primò, principaliter, & per se respicit finem tamquam terminum principaliter intentum, scilicet, quietem & securitatem ab imbribus & caumatibus: secundò autem & minus principaliter respicit ea, quæ sunt ad finem: similiter medicus primò & principaliter tamquam terminum ultimatum intendit sanitatem : sed tamquam viam ad finem intendit medicinam & potionem ; quæ quidem potio non est gratiâ sui, sed gratiâ finis : Ita pariter Deus omnipotens in tota Scriptura Sacra veteris Testamenti, & omnibus promissionibus suis, primò & principaliter intendebat Christum in Lege promissum, & regnum ejus, tamquam finem ultimatum principaliter intentum : sed ex conse- G quenti intendebat ea quæ figurabant ipsum Christum & regnum ejus. Et ista talia intendebat tamquam viam in finem: nam figura respectu figurati est sicut via ad finem & terminum. Et sic *Salomon* fuit figura Christi, in quantum ædificavit illud Templum, & regnavit in pace in regno suo : sed quia figura non potest esse ita perfecta, sicut figuratum; nec via sicut terminus : ideo *Salomon* non potuit ædificare Templum æternum, nec firmare suum regnum æternum : sed solus Christus figuratus per *Salomonem* ædificavit & firmavit Templum, & regnum æternum. Et ideo supradicta prophetia in parte verificatur de *Salomone:* H & verificata fuit tamquam de figura, & de via : sed verificata, & impleta fuit de Christo tamquam de termino ultimato, & principaliter intento : Et ideo *Salomon* non in omnibus fuit figura Christi, sed in his quæ bene fecit juxta præceptum patris.

Et in hoc decipiuntur Judæi : quia viderunt aliqua esse litteraliter impleta in *Salomone* temporaliter. Et ideo putarunt quòd tota prophetia primò, & prin-

Agens in sua actio de duo recipit.

principaliter, & præcisè fuiſſet dicta de *Salomone*: ſed Propheta *David*, cui facta fuit talis promiſsio, multum inſudavit & laboravit, poſtquam fuit in quiete, ut poſſet ſcire intelligentiam hujus promiſſionis. Et ideo fuit ipſi revelata tota veritas hujus prophetiæ, ſcilicet, quomodo erat intelligenda de Chriſto Deo & Homine, & Meſsia in Lege promiſſo, de ſua generatione & poſteritate naſcituro, ſicut ipſe dicit 2. *Reg.* 23. *cap.* ubi dicitur: *Hæc ſunt verba David noviſsima. Dixit David filius Iſai: dixit vir cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Jacob, egregius pſaltes Iſrael: Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam. Dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt Fortis Iſrael: Sicut lux auroræ oriente Sole, manè abſque nubibus rutilat &c. Nec tanta eſt domus mea apud Deum, ut pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum.*

Ex ſupradictis verbis patet, quòd præter revelationem factam ipſi *Nathan*, facta eſt alia revelatio immediata à Spiritu ſancto ipſi David, magis clara & explicita, per quam magis intellexit veritatem ſupradictæ promiſsionis de æterna ſucceſsione ſui regni implenda in Chriſto. Et ſic eſt dicendum quod melius & clarius intellexit ſupradictam promiſsionem David, quam *Nathan*. Et ideo David jam illuſtratus Spiritu ſancto, declarat illam promiſsionem fuiſſe dictam de Chriſto in lege promiſſo.

Et ideo in hac ſecunda parte Pſalmi dicit: O Domine Deus Pater, *Tunc locutus es in viſione ſanctis*, ſcilicet, *Samueli*, quando præcepiſti ungi David in Regem, 1. *Regum* 16. quia fuit figura Chriſti futuri Regis: & etiam *locutus es in viſione* ipſi *Nathan*, de ſucceſsione & perpetuitate Regni Chriſti: & ultimò mihi ſupradictam promiſsionem declaraſti. Unde *dixiſti* cum promiſsione: *Poſui adjutorium in potente*, id eſt, dedi omnipotentiam ipſi Filio meo Chriſto, *& exaltavi* ipſum *de plebe*. Nam ſicut exaltavit David de gente paupere: ita fecit Deus naſci Chriſtum ex Matre paupere. Nam omnia iſta, quæ verificantur hic de *David* ad literam, verificantur de Chriſto in figura, ut patet intuenti. Ideo non eſt neceſſe explanari litteram, cum de ſe ſit plana, ſed figuram detegi. Nam ſicut David fuit exaltatus de humili ſtatu: ita & Chriſtus, licet deſcendat à David.

Et ſequitur: *Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum* per Samuelem, ut patet, 1. *Reg.* 16. Hoc fuit etiam impletum in Chriſto: quia electus eſt obediens Patri; & *unctus oleo lætitiæ*, & baptizatus per *Joannem Baptiſtam* in Jordane in perſona totius corporis myſtici. *Chriſtus* autem David etiam dicitur, quia manu fortis: *Manus autem mea*, ſcilicet poteſtas, *auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.* Chriſtus enim dicitur *manus Dei Patris*, *& brachium*, in quantum naturaliter procedit à Patre, ſicut manus & brachium à corpore: quia quicquid habet Filius in quantum Deus, habet à Patre: & in quantum homo, à Verbo, & à tota Trinitate. Nota.

Nihil proficiet &c. Hoc dicit: quia diabolus nil potuit contra Chriſtum. Primò, quia fuit liber ab omni peccato. Secundò, quia liberavit genus humanum à diabolo, filio iniquitatis. *Et concidam*, id eſt, dirumpam, & diſsipabo, & fugabo *à facie ejus inimicos*, ſcilicet, dæmones, *& odientes eum in fugam convertam.* Hoc enim multipliciter impletum eſt in Chriſto: Primò, quando fugavit dæmones à corporibus obſeſsis. Secundò, quando abſtraxit Sanctos Patres de inferno. Tertiò, quando delevit peccata per Sacramenta. Quartò, quando delevit idololatriam de mundo. Quintò etiam, quando fugati & diſperſi ſunt inimici ejus Judæi per mundum, & pulſi à *Jeruſalem.*

Et veritas mea, & miſericordia mea cum ipſo. Hoc dicit: quia per Paſsionem Chriſti facta eſt nobis *miſericordia*, quia ſublevati ſumus à miſeria: quæ *miſericordia* etiam dicta eſt *veritas*, in quantum fuit adimpletio promiſſorum in Chriſto, ut ſæpius dictum eſt. Sed quia ex humilitate Paſsionis adeptus eſt Chriſtus *nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, & exaltatus eſt &c. ideo ſequitur: *Et in nomine meo exaltabitur cornu ejus*, id eſt, poteſtas & imperium ejus: *Et ponam in mari manum*, id eſt, potentiam *ejus, & in fluminibus dexteram*, id eſt, ſceptrum *ejus.* Hoc dicit: Nam Apoſtoli non ſolum prædicarunt Euangelium in *Judæa*, & *Samaria*; ſed in inſulis maris, & uſque ad flumina *Indorum*, & *Æthiopum*, ſcilicet uſque ad fontem *Nili*, & etiam ad fontem *Gangis* apud Indos, & ad fontem *Thanais* apud *Scithas*, & breviter, *à mari uſque ad mare*, & *uſque ad fines terræ:* & dilatatum eſt regnum Chriſti, ſicut dictum eſt *Pſalmo* 71.

26. *Ipſe invocabit me: Pater meus es tu: Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ.* 11. q. 3. c. Ad mensam, de Conſe. dif. 2. c. Acceſſerunt.

27. *Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ.*

POſtquam deſcripſit promiſsionem magnitudinis imperii, etiam hìc deſcribit dignitatem hujus Regis quoad ſubſtan-

tantiam : quia filius naturalis ipſius Dei Patris & conſubſtantialis. Ideo dicit: *Ipſe* Jeſus Chriſtus *invocabit me*, dicens: *Pater meus es tu* naturalis. Nam Chriſtus non ſolum in quantum Deus eſt Filius naturalis Dei Patris, ſed etiam in quantum homo : quia nullum alium Patrem habet in terris. Nam opere ipſius Spiritus ſancti in utero virgineo formatus eſt ex puris ſanguinibus : qui quidem Spiritus ſanctus eſt virtus Dei Patris: & ideo etiam in quantum homo dicitur naturalis Dei Filius : maximè quia unitus eſt perſonaliter Verbo. Et ideo in omnibus verè *invocabit Patrem*, qui fuit *Deus ejus* per creationem animæ. Et fuit *ſuſceptor ſalutis ejus :* non ſolum quoad membra, ſed etiam quoad ipſum: in quantum eum Pater ad gloriam ſuſcitavit.

Et primogenitum ponam illum: eſt enim Chriſtus *primogenitus*, & *unigenitus*, non ſolum quoad divinitatem, ſed etiam quoad humanitatem. Item, eſt *primogenitus*, quoad hæreditatem, quam adeptus eſt uſque ad terminos terræ, & in cœlo, & in terra. Tertiò, dicitur *primogenitus*, quia *excelſus poſitus eſt præ* omnibus *Regibus terræ*, ſedens ad dexteram Patris in excelſis: cui data eſt univerſalis poteſtas. Nam terrenis Regibus dat poteſtatem in uno regno & provincia, ſed Chriſto data eſt in cœlo & in terra, & ſuper omnes gentes, tamquam *primogenito* Dei Patris. Et ideo dicit: *excelſum præ regibus terræ.*

De Pœn. d. 1. quia divinitatis natura.

28. *In æternum ſervabo illi miſericordiam meam: & teſtamentum meum fidele ipſi.*

29. *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus : & thronum ejus ſicut dies cœli.*

POſtquam ſuperius prædixit & deſcripſit dignitates, quas Chriſtus accepit à Patre pro ſe ; nunc enumerat ea, quæ accepit à Patre pro membris ſuis, & pro toto corpore myſtico : quæ generaliter fuerunt quatuor. Primò enim, accepit univerſalem *miſericordiam* & remiſsionem per mortem & paſsionem. Secundò, Legem Euangelicam, quam dedit per prædicationem. Tertiò, *æternum ſemen* per Sacramenta & regenerationem. Quartò, poteſtatem Ordinis & juriſdictionis: ideo ait: *In æternum ſervabo illi miſericordiam meam* pro membris meis: quia per paſsionem ſuam relaxavit totum genus humanum à captivitate diaboli. *Et teſtamentum*, id eſt, Lex Euangelica ſemper erit *fidelis ipſi*: quia omnes juſtificat, & neminem decipit: ſicut ſuperſtitiones Gentilium, & aliorum Hæreticorum. Et etiam dicit : *Teſtamentum meum fidele ipſi*, quia omnia ſunt impleta in Chriſto, quæ ſcripta ſunt in veteri Teſtamento, pro Eccleſia ejus, & utilitate Eccleſiæ, & membrorum &c.

Et ideo ſequitur: *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus* : ſcilicet populum Chriſtianum, qui dicitur *ſemen Chriſti*: eò quòd fonte Baptiſmi ſit regeneratus, cui datur vita ſempiterna in ſæculum ſæculi. *Et thronus* Chriſti in Eccleſia erit æternus ratione finis. Nam finis ejus eſt regnare in cœlo. De quo *throno* dixit Angelus ad *Mariam*, *Lucæ* 1. *Dabit ei Dominus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* *Lucæ 1.*

Ad cujus intellectum eſt notandum: quòd ſemen *Abrahæ*, & *Iſrael*, & *David* habet duplicem reſpectum. Uno modo ad generationem & ſucceſsionem carnalem, alio modo ad Chriſtum promiſſum in illa generatione carnali. Et ideo fuit continuata generatio carnalis ab iſtis uſque ad Chriſtum. Et ſic Chriſtus in Lege promiſſus, natus eſt ex iſtis ſecundum carnem & promiſsionem. Sed quia non natus eſt per generationem carnalem; ideo in Chriſto finivit & terminata eſt generatio carnalis, & manſit ſola generatio ſecundum promiſsionem. Et quia Chriſtus non genuit filios carnales, ſed regeneravit filios ſpirituales : ideo totus populis Chriſtianus per Chriſtum regeneratus dicitur *ſemen Abrahæ*, & *Iſrael*, & *David*, ſecundum promiſsionem, & non ſecundum carnem: quia deſcendunt à Chriſto, qui deſcendit ab illis ſecundum carnem & ſecundum promiſsionem. Unde ſicut *Jacob* genuit carnaliter duodecim filios, & Patriarchas, à quibus multiplicatus eſt totus ille populus Iſrael ſecundum carnem: ita Chriſtus primò ſpiritualiter regeneravit per aquam baptiſmalem duodecim Apoſtolos, à quibus regeneratus eſt, & multiplicatus totus populus Chriſtianus. Et ideo dicuntur duodecim Patriarchæ, & duodecim Principes Eccleſiæ, quos Chriſtus regeneravit loco duodecim Patriarcharum filiorum *Jacob*, de quibus ſupra dictum eſt *Pſalmo* 44. *Pro patribus nati ſunt tibi filii : conſtitues eos principes ſuper omnem terram.*

Nota, de ſemine David & Abraham

Ex quibus patet, quòd populus Chriſtianus continuatur cum ſemine ipſius *Abrahæ*, & *Jacob*. Et ſic tota Eccleſia dicitur *ſemen illorum* ſecundùm promiſſionem & ſpiritum. Et hoc eſt illud *ſemen*, de quo dictum eſt ipſi Abrahæ, *Geneſ.* 15. *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes : ſic erit ſemen tuum.*

tuum. Et in semine tuo benedicentur omnes gentes. Ex quo patet, quòd huic *semini* secundùm promissionem promisit A Deus hæreditatem in cœlis. Et hoc *semen* promisit Deus ipsi *Jacob*, quando vidit scalam à terra usque in cœlum, & quando luctatus est cum Angelo; & quando benedixit filio suo *Judæ*.

Et hoc est *semen æternum*, quod promisit Deus ipsi *David* in supradicta promissione, & in hoc Psalmo: & in hoc *semine* promisit ipsi æternam successionem in regno. Et sic Ecclesia dicitur *domus David*, & *regnum David*, & *sedes David*. Quæ quidem Ecclesia dicitur *æterna* ratione finis, in quantum continuatur cum superna, sicut dictum est *Psalmo* 86. Nam cives hujus civitatis jam sunt *cives sanctorum*, B *& domestici Dei*, *ad Ephes.* 2. quia jam pertinent ad illam civitatem: quia *conversatio nostra in cœlis est*. De hoc ergo *semine* dictum est & promissum ipsi *David*: *Ponam in sæculum sæculi semen ejus*: & de hoc *regno* dictum est: *Thronus ejus sicut dies cœli*. Et sic patet veritas hujus promissionis.

De Pœn. d. 4. cap. Hãc societatem, §. Quod autem.

30. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam: & in judiciis meis non ambulaverint:*

31. *Si justitias meas profanaverint, & mandata mea non custodierint:* C

1. q. 4. ca. Homini.

32. *Visitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum.*

De Pœn. d. 1. cap. Multiplex extra de pactis, c. 3.

33. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neque nocebo in veritate mea:* D

34. *Neque profanabo testamentum meum: & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.*

35. *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar: semen ejus in æternum manebit.*

E 36. *Et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum: & testis in cœlo fidelis.*

HIC removet quoddam dubium. Nam supra dixit: *Servabo illi misericordiam meam in æternum, & thronus ejus sicut dies cœli.* Ideo dubitaret aliquis si propter peccata populi & regum impediretur supradicta promissio de Christo promisso, & de ejus regno æterno? Ad hoc respondet Deus, dicens: quòd si filii *David*, scilicet *Salomon*, & cæ- F teri successores deliquerint in Lege per idololatriam, vel quodcumque aliud peccatum; propter hoc non impediretur, nec cessaret supradicta promissio, quin Christus veniret in carne: sed bene tales reges & populi trangressores punirentur temporaliter, & verberarentur per bella, & captivitates: tamen propter talia peccata Deus non cessaret, nec annullaret mysterium Incarnationis, per tot mysteria & figuras in Testamento veteri patribus promissum. Dicit ergo Deus: *autem* pro *sed*: *si filii ejus*, scilicet reges & successores ipsius *David*, & *Salomonis*, *dereliquerint*, & prævaricati fuerint *legem meam*, *& non ambulaverint in judiciis* & præceptis *meis*: Et *si profanaverint justitias meas* per idololatriam, *& non cus-* G *todierint mandata mea*: tunc *visitabo iniquitates eorum in virga* punitionis, *&* puniam *peccata eorum in verberibus* temporalibus; *autem* pro *sed*, *non auferam misericordiam meam ab eo*, scilicet ab ipso David, quam promisi omnibus patribus: eò quòd talis *misericordia* redemptionis se extendit ad totum genus humanum: *Neque nocebo* ei *in veritate* & promissione *mea*: *neque profanabo*, id est, non falsificabo *testamentum meum*, & pactum factum cum omnibus patribus, *& non faciam irrita*, & cassa, & vana promissa, *quæ procedunt de labiis meis*: quia *semel juravi in sancto* H *meo*, id est, per sanctitatem meam firmiter promisi ipsi *David sancto meo*, quòd *semen ejus in æternum manebit* per Christum. *Si* pro *non*: & non *mentiar*, immò firmiter adimplebo quod promisi.

Item, servabo quod promisi de æternitate regni, scilicet, quòd *thronus ejus* erit æternus & incorruptibilis *sicut Sol*, *& sicut Luna perfecta in æternum*: id est, quòd sicut Sol & Luna durabunt in æternum, ita regnum Christi erit æternum, & ipse Christus erit mihi *testis fidelis* in die judicii, quando

Not. quomodo Deus tenet quod promittit.

do veniet ad judicandum, & apparebit in cœlo cum potestate magna & majestate. *Et thronus ejus* erit mihi *testis fidelis in cœlo* in die judicii : & ly *testis* potest referri ad ly *Sol & Luna*. Quasi dicat : Sol & Luna erunt mihi *testes in cœlo*. Nam sicut Sol & Luna, non deficiet in æternum. Et est simile illi quod dicitur *Jerem.* 33. *Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo. Et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus.* A

Tota etiam ista particula potest exponi moraliter de quibuscumque peccatoribus filiis Ecclesiæ pœnitentibus, quibus Deus promittit veniam, quandocumque egerint pœnitentiam. Unde dicit : *Si autem filii ejus*, scilicet Christiani, *deliquerint* in aliquo peccato, jam non erit eis propter hoc irremissibile, si egerint pœnitentiam, sed puniam temporaliter. Nam primò, *visitabo in virga* comminationis *peccata eorum* leviter puniendo. Et si procedant in peccatis, *visitabo in verberibus* & plagis *peccata eorum* per bella, & captivitates, & pestilentiam, & famem eos affligendo : sed si egerint pœnitentiam, *misericordiam meam non dispergam ab eo*, scilicet, ab illo populo : *neque nocebo* ei *in veritate* & promissione *mea*, immò faciam quod promisi ; quia nunquam negabo ipsi misericordiam & veniam : neque puniam æternaliter, sed temporaliter tantùm. B C

23. q. 5. §. ult.

37. *Tu vero repulisti & despexisti : distulisti Christum tuum.*

11. q. 7. c. Et hoc, circa medium.

38. *Evertisti testamentum servi tui : profanasti in terra Sanctuarium ejus.*

12. q. 1. c. Exemplum.

39. *Destruxisti omnes sepes ejus : posuisti firmamentum ejus formidinem.* D

23. q. 4. Quantus.

40. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam : factus est opprobrium vicinis suis.*

De Consec. d. 4. Unitas.

41. *Exaltasti dexteram deprimentium eum : lætificasti omnes inimicos ejus.*

E 42. *Avertisti adjutorium gladii ejus : & non es auxiliatus ei in bello.* 12. q. 1. c. Futuram.

43. *Destruxisti eum ab emundatione : & sedem ejus in terra collisisti.* 23. q. 4. c. Non invenitur.

44. *Minorasti dies temporis ejus : perfudisti eum confusione.*

HÆC est tertia pars, in qua Propheta conqueritur de apparenti impedimento prædictarum promissionum. Tria promissa David.

F Nam tria principaliter fuerunt promissa ipsi David. Primò, Rex æternus de semine suo. Secundò, perpetuitas regni. Tertiò, omnipotentia Regis. Sed per tria, quæ postea ipsi David fuerunt revelata, visa fuerunt ipsi impedienda prædicta tria promissa. Nam fuit ipsi revelata destructio civitatis, & templi, & totius regni *Judææ*, & captivitas facta per *Chaldæos*. Secundò, ablatio sceptri regalis de suo semine : quod fuit impletum in *Sedecia &c.* Tertiò, quòd iste Rex ipsi promissus erat affligendus, & occidendus : quæ omnia videbantur esse contraria promissis. Nam si civitas erat destruenda, & templum à fundamentis, & totus populus capiendus : ergo Regnum non erat perpetuum, nec æternum.

G Et si Reges erant auferendi de semine suo : ergo non poterat pervenire regnum usque ad filium promissum ; nec talis filius erat nasciturus, si omnes reges erant auferendi. Item, si ille filius erat nasciturus, & erat taliter affligendus, & ignominiosè tractandus, & finaliter occidendus : ergo non erat potens, nec futurus rex, nec regnum restituturus, nec recuperaturus, nec restauraturus ; cùm per mortem esset impediendus. Ista ergo tria videbantur promissa impedire. Verumtamen licèt ista tria darent ipsi David causam querelæ ; tamen postea

H fuit ipsi revelatus modus regni Christi spiritualis per resurrectionem & ascensionem.

Nam *regnum David* fuit figura regni Christi, & *Salomon*, in quantum filius & hæres David, fuit figura Christi. Quia ut sic habuit regnum pacificum post multos labores patris. Et ex præcepto patris ædificavit Templum mirabile, & muravit civitatem triplici muro ; & ut sic fuit figura Christi. Sed in quantum fuit peccator, & depravatus amore mulierum & idololatriæ, ut sic non fuit figura Christi : & sic successores ejus, & imi- Salomon figura Christi.

imitatores idololatriæ fuerunt expulsi, & privati regno terreno, & regnum terrenum eorum fuit destructum, & civitas & Templum propter peccata: quæ quidem destructio temporalis fuit figura mortis Christi. Nam sicut civitas fuit eversa, & diruta, & percussa, & postea per *Jesum* Sacerdotem magnum reædificata; per hoc figurabatur, quod Templum Christi terrenum & mortale, quod erat corpus ejus humanum, erat primò multipliciter affligendum flagellis, & opprobriis, & totaliter per mortem dissolvendum; sed post triduum totaliter restaurandum. Ideo dixit Christus: *Solvite Templum hoc, & in triduo reædificabo illud.* Quasi diceret: Vos solvetis & destrueis Templum hoc, scilicet corpus meum per mortem, sicut *Chaldæi* destruxerunt Templum *Salomonis*; sed *Jesus Sacerdos* reædificavit illud: ita ego reædificabo corpus meum per resurrectionem, & resuscitabo illud. Ideo subdit Euangelista: *Hoc autem dicebat de Templo corporis sui.*

Et sic Templum Christi, scilicet, quod Christus per suam resurrectionem reædificavit, factum est æternum: & sic completa est promissio facta ipsi David, scilicet, quòd Christus Filius suus, de semine suo nasciturus, reædificaret Templum, & regnum æternum. Nam Templum, sive regnum Christi, non est de lapidibus materialibus & inanimatis, sed ex lapidibus vivis, qui sunt fideles, quorum ipse est caput & fundamentum. Ergo in die resurrectionis fundavit Templum æternum, & Ecclesiam. Et sic promissio fuit verificata in Christo, tàm de rege, quàm de regno æterno, & de omnipotentia ejus. Nam tunc fuit ipsi *data potestas in cœlo, & in terra, Matth. ult. &c.*

Duo ergo facit Propheta. Nam primò exponit querelam suam de impedimento promissionis. Secundò, orat pro veritate spirituali promissi. Ibi: *Usquequò Domine avertis.* Et nota, quòd ista prima pars est dupliciter exponenda. Primò pro destructione regni & Templi terreni Judæorum per Chaldæos. Secundò exponitur de persecutione, & morte, & passione Christi, factâ per Judæos. Nam dictum est, quòd civitas & Templum primò significat personam Christi, & ex consequenti Ecclesiam: & sic destructio civitatis & Templi, fuit figura dissolutionis, & mortis Christi. Et sic ista littera prius fuit verificata de figura: postea de figurato. Et sic in duplici spiritu prophetico est exponenda.

Expositio duplex.

Quantum ergo ad primum, dicit Propheta: O Domine Deus Pater: tu *dixisti* superius in promissione per sanctos tuos *Nathan*, & *Samuelem*: *Non profanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.* Et dixisti: *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit: & thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis*: per quam promissionem putavi regnum meum æternum. Nunc vero video oppositum: quia tu *repulisti Christum tuum*, scilicet, regem unctum, ex regno; quia in *Sedecia* defecerunt reges. Et ponitur ibi ly *Christum* indefinitè pro omnibus regibus: sicut dicitur: *propter iniquitatem corripuisti hominem*, id est, omnem hominem. Et intelligitur hìc *regnum* simul cum regibus. Ideo sequitur, *& despexisti*: quia non solum *Sedecias* fuit despectus & illusus, sed etiam totum regnum & natio Judæorum ab omnibus gentibus: *& distiluisti Christum tuum*, id est, diu durare fecisti tribulationem, & afflictionem ejus.

Item, *Evertisti testamentum servi tui* David, id est, promissum mutasti, & retardasti, vel, à prosperitate in adversitatem mutasti: & *profanasti in terra Sanctuarium ejus*: quia *Chaldæi* Templum profanarunt, sacrificantes in eo diis suis pro victoria habita: & in fine ipsum incenderunt. *Destruxisti omnes sepes* & muros *ejus*: *posuisti firmamentum ejus formidinem*: quia ipsa civitas, quæ ante erat firmum præsidium, postea sine muris facta est in *formidinem* maximam quando reædificabatur: quia cum una manu ædificabant, & in alia habebant gladium propter formidinem finitimorum. Ideo sequitur: *Diripuerunt eum*, scilicet, regem & civitatem, *omnes transeuntes viam*: & sic *factus est in opprobrium vicinis suis. Exaltasti dexteram*, id est, potentiam *deprimentium eum*, dando eis victoriam &c. *Destruxisti eum ab emundatione*: quia tunc cessarunt omnia sacrificia purgativa, quæ fiebant in Templo, & aspersio sanguinis & aquæ cum hyssopo, quæ fiebat ad mundanum morticinum. Et cærimoniæ & *emundationes* cessarunt, *& sedem* regni *ejus in terram*, scilicet sceptrum regale, & dominium terrenum *collisisti*, & destruxisti. Tota ista litteра est satis plana, intelligendo historialiter.

Secundò autem est necesse, quòd hæc littera exponatur spiritualiter de dissolutione corporis Christi, & morte, & passione ejus. Cujus figura fuit destructio regni Judæorum facta per *Chaldæos*, ut dictum est. Dicit ergo David, exponendo querelam suam de apparenti violatione promissionis ipsi factæ: O Domine Deus Pater, superiùs promisisti perpetuitatem regni & sceptri in

Nota de Christi passione.

Messia Filio meo &c. tu vero secundùm revelationem mihi factam *repulisti Christum tuum*, scilicet Messiam, id est, repelli, & negari à Judæis promisisti, & *distulisti*, & durare ipsum fecisti in afflictione & persecutione per triduum. Et *evertisti testamentum ejus*, ut à Judæis non recipiatur in verum Regem & Messiam, de quo totum Testamentum vetus est scriptum. Nam Judæi totum Testamentum vetus *evertunt*, & pervertunt ad malum sensum, dum ipsum non intelligunt spiritualiter de Christo, sed solum intelligunt litteraliter cærimonias: & sic *profanant* totam sacram Scripturam *in terra*, id est, terrenaliter loquendo & intelligendo. Quæ quidem Scriptura est *Sanctuarium Christi*, in qua figuratur. Nam sicut Deus dicebatur esse in sanctis sanctorum clausus, & in Arca Testamenti, in qua erant *tabulæ*, *& virga Aaron &c.* ita Christus erat clausus, & velatus in Lege veteri, tamquam in Sanctuario. Ideo Judæi dicuntur profanare sanctuarium Dei: quia profano & terreno modo intelligunt.

Item, *profanarunt Sanctuarium* Christi, cùm carnem ejus percussérunt palmis, & pugnis, & flagellis. Nam caro Christi *Sanctuarium* & *Templum* Divinitatis est. *Destruxisti omnes sepes ejus*: cum abstulisti à Christo omne auxilium humanum, & dereliquisti eum in manibus Judæorum. Et ipse qui est *firmamentum* omnium, tunc formidavit mortem; & omnes discipuli ejus, qui erant *sepes ejus* ex formidine fugerunt, qui antè erant defensores ejus: immò Petrus negavit. *Diripuerunt eum omnes transeuntes* viam: quando rapuerunt, & ligaverunt eum in horto ministri Pontificum, & per terram traxerunt, & coram Pontifice percussérunt, & ei opprobria & convitia intulerunt. *Exaltasti dexteram deprimentium eum*: quia in illo triduo data est potestas Judæis, & terrena victoria contra Christum. Ideo dixit eis: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Ideo lætati sunt, cum viderunt ipsum ligatum in potestate sua. *Avertisti adjutorium &c.* quia in illo triduo totaliter fuit derelictus & subtractum *adjutorium* humanum in illo tempore passionis.

Destruxisti eum ab emundatione, quoad opinionem Judæorum. Nam Judæi reputarunt Christum immundum, & contra Legem agentem, & maledictum, postquam fuit in cruce suspensus. Et sic putarunt alienum *ab emundatione* Legis: immò putarunt ipsum esse immundum, sicut cætera morticina, nec audebant tangere eum, ne immundi putarentur, & ne contaminarentur, sed manducarent Pascha. *Et sedem ejus in terram collisisti*: quoad opinionem Judæorum. Nam postquam Judæi viderunt ipsum mortuum, putaverunt numquam amplius regnaturum, nec sedem regalem & pontificalem in terra habiturum. *Minorasti dies temporis ejus*: quia in magna juventute ipsum occidi permisisti. Et *minorasti dies temporis ejus*: quia non ad sceptrum & regnum pervenire permisisti secundùm opinionem Judæorum. Et sic *perfudisti eum confusione* in opinione Judæorum, qui diffamabant ipsum esse confusum, postquam non erat adeptus regnum, quod prædicaverat pro se & suis: & sic irridebant eum, & percutiebant arundine, & illudebant in cruce.

45. *Usquequò Domine avertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua?* *De Pœn. dist. 4. §. Productior.*

46. *Memorare quæ mea substantia: nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum?* *12. q. 1. c. Omnis ætas.*

47. *Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?*

HIC petit removeri supradictum impedimentum per resurrectionem Christi, ut impleantur promissa. Nam si Christus non resurrexisset, non solummodò promissio facta ipsi David & patribus fuisset impedita; sed finis humanus esset cassus, & vanus. Nam Deus creavit hominem, ut Deum cognosceret, & cognoscendo amaret & diligeret, & diligendo frueretur, & sic fruendo in superna patria beatificaretur, & glorificaretur: sed talis finis & beatitudo fuerat nobis impedita per peccatum: quod peccatum Christus abstulit per suam mortem & passionem. Sed si non resurrexisset à tali morte, non adeptus nobis esset glorificationem, per consequens nec ascendisset in cœlum ad parandam beatam mansionem. Et sic de primo ad ultimum; si non surrexisset, finis noster esset cassus, & vanus. Et hoc est quod quærit Propheta in hac parte.

Unde dicit: *O Domine usquequò avertis* misericordiam tuam à nobis *in finem*, id est, totaliter & finaliter: *exardescet sicut ignis ira tua*? Quasi dicat: *Christi resurrectio.*

Ira

Ira tua numquam cessabit contra genus humanum ? eritne sicut ignis exardescens , qui semper ardet , dum ipsi apponitur combustibile ? Quasi dicat : *non*: quia esset contra promissum , ubi dixisti : *Si dereliquerint filii ejus legem meam &c. Misericordiam meam non dispergam ab eo.* Postquam ergo nos temporaliter verberasti & flagellasti , non auferas in finem misericordiam redemptionis promissam : & postquam pro nobis flagellatus & verberatus est Filius tuus, & corporaliter mortuus , non auferas à nobis misericordiam resurrectionis ejus, per quam nostra mors est destruenda, & vita reparanda. Resuscita ergo nobis ipsum ad vitam glorioſam.

Et *memorare quæ* , & qualis est *mea substantia* , scilicet , humana natura : quia fragilis , & corrupta , & vulnerata , & ad peccandum prona: quæ nisi per ejus resurrectionem non potest sanari , nec reparari , nec suum ultimum finem acquirere : quia aliter , in vanum esset creata & constituta. Ideo sequitur : *Nunquid enim vanè constituisti* , sive creasti *omnes filios hominum*? Quasi dicat , *non* : quia eos creasti , ut tecum beatificares in cœlo , & tuam gloriam participarent. Sed si tu non resuscitas Filium tuum , omnes corruent, & manebunt in inferno in æternum propter peccata commissa , cùm omnes sint peccatores & mortui , & ad infernum destinati : ideo sequitur : *Quis est homo qui vivet* in hac vita , *& non videbit mortem* corporalem ? supple. Et quis est homo qui *eruet* , id est , eruere posset , *animam suam de manu* & potestate *inferi* ? Quasi dicat , nullus: quia nullus potest evadere mortem corporalem propter illam sententiam datam in *Adam* , scilicet , *Pulvis es* , *& in pulverem reverteris* : nec potest evadere mortem spiritualem animæ *de manu inferi* : propter illam sententiam*: In quacumque die comederis* , *morte morieris* , scilicet , in corpore & anima : & nullus poterit liberari à morte corporali & spirituali , nec resuscitari , nisi per resurrectionem Christi : & sic oportet, quòd resurgat. Aliter , tu Deus Pater *vanè constituisses omnes filios hominum:* quia non consequerentur finem suum ultimatum , per mortem & peccatum impeditum : quia cæteri non resurgerent, nisi ipse resurgat.

7. q. 1. c. Omnis.

48. *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine , sicut juraſti David in veritate tua?*

49. *Memor esto Domine opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.*

De Pœnit. d. 2. §. Opponitur.

50. *Quod exprobraverunt inimici tui Domine , quod exprobraverunt commutationem Christi tui.*

1. q. 1. c. Sacramenta.

HIC exclamat apud patrem allegando promissum , ut excitet ipsum ad resuscitandum Christum. Unde dicit: O Pater *Domine* , *ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ* , quas patribus antiquis ab antiquo promisisti , & quas antiquis patribus in figura resurrectionis Christi, & totius populi antiquitus fecisti ? Et *ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ* promissæ de Messia futuro , & de ejus regno æterno , *sicut juraſti* ipsi *David in veritate tua* , quæ mentiri non potest? ergo *memor esto.*

Unde nota , quòd si Christus non resurrexisset , tàm Judæi , quàm Gentiles irrisissent Apostolos , qui expectabant resurrectionem Christi : improperassent enim ad mendacium promissionem Christi de resurrectione , de qua dixit : *Post tres dies resurgam.* Item, omnes Gentiles improperassent Patriarchis & Prophetis , qui expectabant, & prædixerunt Christum à mortuis resurrecturum. Et ideo dicit Propheta : O tu Pater , *memor esto opprobrii servorum tuorum* Patriarcharum , & Prophetarum , & Apostolorum , & omnium Christianorum (*quod opprobrium multarum gentium* à multis gentibus *continui* & sustinui *in sinu meo* , id est , in facie mea , & in tota Ecclesia) *quod opprobrium exprobraverunt* , id est , exprobrando dixerunt omnes *inimici tui* infideles : *quod* pro *quia* . *exprobraverunt* , id est , irriserunt *commutationem Christi tui* , id est , mortem & passionem : quia mors & passio fuit pretium, & commutatio , qua Christus commutavit & redemit nos. Unde hanc commutationem exprobrassent , & irrisissent infideles , nisi Christus resurrexisset : & ideo manserunt ipsi confusi post resurrectionem. Omnia ista verba etiam possunt esse ipsius Christi , petentis resurrectionem à Patre : qui *continuit in sinu suo* , id est , in membris & Ecclesia , *opprobrium multarum gentium.* Nota, quòd mors Christi dupliciter dicta est *commutatio.* Primò , quia fuit *commutatio* , & *cambium* de vita mortali ad im-

immortalem. Secundò, quia fuit pretium nostræ redemptionis : sed Judæi, ignorantes hanc *commutationem* & resurrectionem Christi, improperabant ipsi mortem. A

51. *Benedictus Dominus in æternum : fiat, fiat.*

HIC Propheta concludit certitudinem suæ prophetiæ, & veritatem totius promissionis. Unde dicit : *Benedictus* sit *Dominus* Deus Israel : *fiat, fiat* : quia certissime fient omnia quæ supra promissa sunt, scilicet Incarnatio Christi, & à mortuis resurrectio, & nostra redemptio, & glorificatio, & beatitudo. Et sic videtur Propheta agere gratias tamquam certus pro omnibus supradictis. Quasi dicat : *fiat, fiat*, & impleatur promissio nobis facta de omnibus supradictis : & tunc benedicemus Deum pro talibus beneficiis receptis, scilicet, de Christi incarnatione, & morte, & resurrectione, & de nostra redemptione. B

Psalmus LXXXIX.

1. *Domine refugium factus es nobis, à generatione in generationem.* C

2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis ; à sæculo & usque in sæculum tu es Deus.*

3. *Ne avertas hominem in humilitatem : & dixisti : Convertimini filii hominum.*

TITULUS : *Oratio Moysi hominis Dei.* Quidam Magistri Hebræorum dicunt, quòd Moyses personaliter fecit hunc Psalmum, & omnes sequentes usque ad *Psalm. centesimum* exclusivè. Sed hoc est manifeste falsum, maximè de *Psalmo* 94. qui incipit, *Venite exultemus*. Nam *Apostolus*, *ad Hebr.* 4. asserit David fecisse hunc Psalmum allegans illum versum, & omnes sequentes, scilicet, *Hodie si vocem ejus audieritis*. Et sic sicut mentiuntur de illo, ita mentiuntur de cæteris. Hoc idem dicit *Beatus Hieronymus* in Expositione Tituli hujus Psalmi, sed hoc non dixit D

assertivè, nisi secundùm opinionem Magistri sui *Barabbam* & cæterorum *Rabbinorum* sui temporis, quibus nulla fides est adhibenda, sicut sæpius dictum est. Et *Beatus Hieronymus* postea secundùm communem opinionem Ecclesiæ attribuit istum Psalmum, ipsi David tamquam actori. Unde *in Epistola ad Julianum*, quæ est 107. dicit : *Audi & David : Dies vitæ nostræ septuaginta anni : si autem amplius octoginta, & quicquid supererit, labor & dolor.* E

Sed nunc restat scire : quare in Titulo dicitur, *Oratio Moysi hominis Dei?* Ad hoc dicunt quidam Hebræi, quòd David invenit istam orationem factam ab ipso Moyse, & scriptam : & ideo interposuit inter suos Psalmos. *De Titulo hujus Psalmi.* F

Hoc est manifestè falsum. Nam si *Moyses* fecisset istam orationem sicut jacet, non omisisset ipsam scribere & inserere in libro Legis, sicut scripsit *Canticum* illud, scilicet, *Cantemus Domino gloriosè*, *Exod.* 15. Et illud aliud : *Audite cœli quæ loquor*, *Deut.* 27. Et ideo dicit *Beatus Hieronymus*, quòd *quia Moyses scripsit à principio generis humani historiam, & quomodo homo factus sit, & peccavit ; & quomodo punitus est : ideo attribuitur ipsi iste Psalmus, in quo memoratur miseria generis humani, & ponitur in ejus Titulo : Oratio Moysi hominis Dei.* Sed licèt hoc sit bene dictum ; tamen salvo meliori judicio, aliter videtur mihi dicendum. G

Ad cujus intellectum est notandum : quòd postquam *Moyses* impetraverat gratiam propitiationis à Domino pro illo populo, qui peccaverat in adoratione vituli : tunc fecit mirabilem orationem, & profundissimam apud Dominum. Quæ quidem oratio est refertá maximis, & profundis mysteriis & sacramentis, licèt Judæi suâ cœcitate perculsi, & malitiâ obstinati, eam percipere non valeant : quæ quidem oratio talis est, *Exod.* 33. Dicit autem Moyses ad Dominum : *Præcipis, ut educam populum istum : & non indicas mihi quem missurus sis mecum, præsertim cum dixeris : novi te ex nomine, & inveniśti gratiam coram me. Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos. Respice populum tuum gentem hanc. Dixitque Dominus : facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi. Et ait Moyses : si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. In quo scire poterimus ego & populus tuus, inveniśse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, ut glorificemur ab omnibus populis qui habitant super terram?* *Nota de oratione Moysi.* H

Di-

5. q. 1. Revertimini.

11. q. 3. c. Ad mensam.

De Consec. d. 4. c. ult.

56. d. ca. Nasci.

Dixit autem Dominus ad Moysen: & verbum istud, quod locutus es, faciam: Inveni-
sti enim gratiam coram me, & te ipsum A
novi ex nomine. Qui ait: Ostende mihi
gloriam tuam. Respondit: Ego ostendam
omne bonum tibi, & vocabor in nomine
Domini coram te: Et miserebor cui vo-
luero, & clemens ero in quem mihi pla-
cuerit. Rursumque ait: Non poteris vi-
dere faciem meam: non enim videbit me
homo, & vivet. Et iterum: Ecce, inquit,
est locus apud me, & stabis supra pe-
tram. Cumque transibit gloria mea, po-
nam te in foramine petræ & protegam
dextera mea, donec transeam. Tollamque
manum meam, & videbis posteriora mea:
faciem autem meam videre non poteris.

Hæc autem est oratio Moysi, quam B
fecit in parvo tabernaculo. In qua ora-
Tria petit Moyses. tione petit Moyses tres petitiones: quarum prima est, quòd Deus veniat in persona ad deducendum, & dirigendum totum illum populum in terram promissionis. Secundò, petit, ut ostendat Deus sibi faciem & divinitatem clara visione. Ad hoc respondet Deus, quod facies sua præcedet eum, & quod faciet quod petit, scilicet, quia in persona ambulabit cum eis, & quòd inveniet gratiam coram eo. Tertiò petit Moyses ut ostendat sibi gloriam suam: ad quod promisit Deus quod dabit ipsi omne bonum. Hucusque Deus promittit ipsi duo includentia maxima mysteria, convenientia toti generi humano. Nam promittit, quòd veniet in persona ad deducendum, & dirigendum totum genus humanum. Nam C
sicut ille Angelus præcedebat castra in die in columna nubis, & in nocte in flamma ignis, ut viderent, & dirigerentur in suo itinere usque ad terram promissionis: ita Deus promittebat venire personaliter in carne, & ambulare simul cum genere humano factus homo: & quòd facies humanitatis Christi præcederet totum populum, tamquam Dux & caput, & lumine Legis Euangelice dirigeret omnes in via usquequò introduceret omnes electos suos in cælestem patriam.

Et hoc mysterium Incarnationis, & dationis Legis Euangelicæ prævidit David in spiritu, contemplando hujusmodi D
orationem, & petitionem *Moysi*, & promissionem Dei. Prævidit etiam David, qualiter Christus in suo adventu debebat ostendere nobis omne bonum gratiæ, & omnia bona Sacramentorum, in hac Ecclesia per gratiam, & in superna per gloriam. Et quomodo talia bona, & talis gratia non erat nobis danda ex meritis nostris præcedentibus, sed Dei misericordiâ; per hoc quod ait: *Miserebor cui voluero.* Item per hoc quod subdit: *Non poteris videre faciem meam*, prævidit David in spiritu, qualiter nemo potest Deum videre per essentiam, manens in hac carne mortali, usquequò induerit immortalitatem. Item per hoc quod sequitur & subdit Deus: *Ecce, inquit, locus est apud me*, prævidit David in spiritu, qualiter humanitas Christi debebat esse locus, & tabernaculum, & turris, & castrum divinitatis: supra quam turrim & castrum omnes debebamus salvari, & tueri, & fundari: ad quam petram omnes debebamus habere refugium. Et ideo per hoc subdit: *Stabis supra petram.* Quasi dicat: Firmaberis supra petram, qui est Christus. E

Item per hoc quod subdit: *Ponam te in foramine petræ, & protegam dexterâ meâ*, prævidit qualiter Christus omnes nos debebat reponere simul cum tota Ecclesia in foramine hujus petræ, scilicet, in vulnere lateris sui, & ibi nos debebat *protegere dextera sua*, sicut columbæ proteguntur *in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ.* Unde quasi per hunc modum exponit Beatus Augustinus hanc orationem, *secundo de Trinit. cap.* 17. F

Omnia ergo mysteria supradicta, ipsi Moysi promissa prævidens David in spiritu, & contemplando hanc orationem, fecit hunc Psalmum, & intitulavit ipsam *orationem Moysi.* Quasi dicat: Quod in hoc Psalmo explicatur tota illa oratio Moysi, quæ scribitur *Exod.* 33. Nam David petit in hoc Psalmo omnia illa quæ Deus promiserat magnis sacramentis ipsi Moysi per ordinem. Primò, quòd ipse G
veniret personaliter in carne, & facie sua præcederet eos, & dirigeret. Secundò, quòd ostenderet omnibus suis fidelibus omne bonum, scilicet, gratiæ & gloriæ. Tertiò, quòd ostenderet nobis suam misericordiam. Quartò, quòd ipse fieret nobis petra refugii, & poneret nos in foramine sui lateris, & protegeret nos dexterâ suâ. Quintò, quòd licèt in hac vita nullus possit videre Deum per faciem divinæ essentiæ: tamen fideles viderent eum per faciem posteriorem, id est, per faciem humanitatis: quia ita *Moyses* vidit ipsum in monte *Thabor*, quando vidit faciem ejus resplendentem sicut sol. Et sic
H exponit istum Psalmum *Augustinus* 2. *de Trinit. cap.* 17. *David petit quæ Moyses petierat.*

Quinque ergo facit David in hoc Psalmo, qui intitulatur *Oratio Moysi.* Petit enim illa quinque, licet non eodem ordine quo in illa oratione scribuntur. Nam primò petit ut Deus recipiat sub suum refugium hominem in multiplicem miseriam dejectum, ut liberet ipsum ab illa miseria. Secundò, petit, ut notificetur dextera Dei in humanitate, quâ nos debet protegere. Tertiò, petit, ut repleat nos misericordiâ suâ. Quartò, petit, ut det nobis gloriam promissam. Quintò,

pe-

petit totam Ecclesiam fidelium dirigi in hac vita per lumen gratiæ Euangelicæ doctrinæ. Secunda ibi: *Dexteram tuam.* A Tertia ibi: *Convertere Domine.* Quarta ibi: *Lætati sumus.* Quinta ibi: *Respice Domine.*

Christus dicitur petra refugii.

Quantum ergo ad primum est notandum, quòd Christus in sacra Scriptura sæpe dicitur *petra refugii.* Nam communiter castra fortia fundantur supra altas & fortissimas petras, sive rupes. Et sic communiter per *petram* & *rupem* intelligitur oppidum sive castrum, locus munitus: qui quidem locus dicitur *petra refugii.* Et sic illud oppidum, sive præsidium, quod est situm in terra *Moab* vulgariter dicebatur *Petra refugii*, vel *Petra deserti*, eò quòd omnes vicinæ villæ circumquaque habebant refugium ad B illam *petram* tempore tribulationum, & latronum: & ibi salvabantur, & tuebantur. Ita pariter Christus in tota sacra Scriptura, & in Psalmo dicitur *locus munitus*, sive *petra refugii:* eò quòd totum genus humanum existens in captivitate diaboli, & in profunditate multiplicis miseriæ, non potuit habere aliud refugium, nisi ad solum Christum, qui ascendit in altissimum *refugium* crucis, & ibi factus *petra* nostra, aperuit foramina, scilicet, lateris, & manuum, & pedum, & in foraminibus illius *petræ* posuit, & abscondit nos. Et sic fuimus liberati à captivi- C tate diaboli, & miseriâ hujus mundi.

Et hæc est illa *petra refugii*, & ille locus, quem promisit Deus *Moysi* in persona totius generis humani, cum dixit: *Est locus apud me: & stabis supra petram, & ponam te in foramine petræ.* Unde *humanitatem* Christi vocat *locum* Dei, & *tabernaculum* Verbi, sicut pluries dictum est: in qua *petra* factum est foramen lateris Christi, unde *exivit sanguis & aqua* in remissionem peccatorum: in quo quidem latere, & foramine omnes fuimus regenerati, & recluſi. Hoc ergo *refugium*, sive in hoc foramine petræ petit David, ut recipiantur omnes fideles, cùm dicit in hac prima parte: *Domine refugium factus es nobis.* Quasi di- D cat: Tu Domine Jesu Christe *es factus refugium*, sive *petra refugii* & præsidii *à generatione in generationem.*

Sed est advertendum, quòd isti versus sunt transpositi quantum ad sententiam. Nam secundus versus debet esse prior in sententia, & constructione. Unde sic debet ordinari tota sententia istorum trium versuum: sic ergo incipit: O Domine Jesu Christe, *tu* qui *es Deus à sæculo & usque in sæculum* sæculi, id est, ab æterno sine principio & sine, *priusquam montes fierent, aut formaretur terra*, id est, antequam mundus crearetur, nec esset aliqua creatura, tu tamen ex tempore *factus es nobis refugium*, & E præsidium *à generatione in generationem* per carnis assumptionem. *Et dixisti: O filii hominum*, & omnes filii Adam, *convertimini*, id est, revertimini ad me vos qui recessistis, & expulsi fuistis à paradiso terrestri propter peccatum patris vestri Adam. Revertimini ad me, quando venero in carne: quia ego recipiam vos sub meum *refugium* & præsidium. Ergo Domine si tu *factus es refugium nobis*, & dixisti omnibus filiis Adam, ut converterentur ad te: ergo *non avertas*, id est, non repellas, nec rejicias *hominem*, id est, totum genus humanum, *in humilitatem*, id est, dejectionem, & multiplicem F miseriam submersum.

Ex supradicta ordinatione literæ patet, fuisse falsam intelligentiam *Origenistarum*: qui ut firmarent suum errorem, sumpserunt occasionem ex isto loco ad dicendum, quod omnes animæ hominum jam erant ante mundi creationem, per hoc quod dicit: *Domine refugium factus es nobis:* & sequitur, *priusquam montes fierent &c.* Ordinabant enim falso modo literam. Nam prius debet legi secundus versus, sicut dictum est, cum distinctione & puncto. Nam Deus fuit *à sæculo*, & ab æterno *priusquam montes fierent, & formaretur terra*: sed postea ex tempore *factus est no-* G *bis refugium* per carnis assumptionem. Et quod ita intelligatur, jam explicatur in litera, cum dicitur, quòd *factus est nobis refugium*, non ab æterno, sed *à generatione in generationem.* Nam generationes non fuerunt ante mundum creatum, sed post, ut patet *Gen.* 4. Nam per prius fuit creatus homo, postea generavit, ut ibidem patet. Ergo generationes fuere ex tempore, & non antequam mundus fieret.

Christus est refugium &c.

Sed adhuc restat dubium. Si Christus *factus est refugium nobis à generatione in generationem*, sequitur, quòd à prima generatione cepit carnem humanam: quod est falsum. Nam Verbum post sexaginta duas generationes ab *Adam* H cepit carnem, & tunc *factus est refugium nobis.* Ergo non *à generatione in generationem.*

Ad hoc respondetur, quòd Christum *esse factum refugium* omnibus filiis Adam stat dupliciter, scilicet, in spe, vel in re; in spe & fide jam *factus est refugium* ipsi Adam, & filiis suis, quibus facta est promissio de Christo. Ut ait *Augustinus lib. Cur Deus homo.* Et sic est dicendum de omnibus Patriarchis, & Prophetis, & fidelibus usque ad adventum Christi, qui omnes fuere membra Christi. In quorum tempore, licet Christus nondum esset incarnatus; tamen jam erat eis creditus. Et sic jam erat *refugium* eis expectatum; in

cu-

cujus fide, & spe, & refugio credito jam salvabantur, *ad Hebr.* 11. Ex quo patet, quòd Christus *factus est refugium* omnibus fidelibus filiis Adam, *à generatione in generationem* usque ad judicium. Nam omnes fideles veteris Testamenti recepit realiter *in foramine petræ* lateris sui in die passionis, & abstraxit eos à Limbo inferni in die resurrectionis. Et sic non frustra petit David recipi sub hoc *refugium* & præsidium in persona omnium, tàm veteris, quàm novi Testamenti, cum dicit: *Ne avertas hominem in humilitatem*, sed recipe ipsum.

Unde est advertendum, quòd Christus non solum fuit *refugium* spirituale omnibus patribus veteris Testamenti, sed etiam temporale. Nam primò liberavit *Noe* cum suis de aquis diluvii. Secundò *Abraham* de *Ur Chaldæorum*, & de Rege *Geraris*, & *Ægypti*: & liberavit *Jacob* de ira & odio *Esau*: & omnes filios Israel de servitute Ægyptiaca, & de Mari Rubro, & de multis periculis deserti: & liberavit eos multipliciter tempore Judicum & Regum. Nam illemet *Jesus* qui abstraxit illos de terra Ægypti, liberavit genus humanum de potestate diaboli, ut ait *Apostolus Judas in Canonica sua*: quia *Jesus Christus heri & hodie in sæculum, & in sæcula*, *ad Hebr.* 13. Et sic *factus est refugium nobis*, tàm temporale, quàm spirituale *à generatione in generationem.*

Sed adhuc restat dubium, ubi Deus dixit: *Convertimini filii hominum, &c.* Nam post ipsum David bene reperitur, quod Deus dixerit per *Isaiam*: *Derelinquat impius viam suam, & revertatur ad Dominum &c.* Et per *Jeremiam*: *Revertere virgo filia Juda.* Et per *Ezechielem*: *Si impius egerit pœnitentiam &c.* Sed dubitatur, in quo loco sacræ Scripturæ, aut tempore ipsius David, Dominus fuerit locutus de conversione hominum?

Nota de conversione hominum.

Ad hoc respondetur quod littera *Hieronymi* loquitur de futuro in hoc loco. Unde ait: *Et dices, revertimini filii Adam*: & tunc nullum est dubium. Quasi dicat: Tu Domine dices per *Isaiam*, *Jeremiam*, & *Ezechiam*, & cæteros Prophetas: *Revertimini filii hominum.* Unde licèt hoc sit verum: tamen Deus adhuc per Scripturas quæ præcesserunt ipsum David, multipliciter vocavit fideles ad fidem, & pœnitentiam, & promisit veniam pœnitentibus, & *refugium* revertentibus, & invocantibus eum, ut patet per totum Leviticum, ubi ordinavit oblationes & sacrificia pro pœnitentibus. Item dicit, *Deuteron. cap.* 4. *Novissimo autem tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem ejus: quia Deus misericors Dominus Deus tuus non dimittet, nec omnino delebit.* Hoc idem dicit in primo *cap.* & 30. per totum. Dicit ergo David: Tu Domine *dixisti* in locis prælegatis: *convertimini*, sive revertimini *filii hominum*: ergo *non avertas hominem*, id est, genus humanum, nec dejicias *in humilitatem*, id est dejectionem, & multiplicem miseriam positum & afflictum: sed recipe ipsum sub tuum refugium, quando veneris in carne, id est, accelera venire.

4. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit,*

Arg. 4. q. 2. c. Episcopus, & de Pœn. d. 3. Quam quam.

5. *Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.*

QUIA supra dixit: *Ne avertas hominem in humilitatem* & miseriam; hìc explicat multiplicem miseriam, in qua homo fuit dejectus, quando fuit expulsus à paradiso propter peccatum. Unde duo facit. Primò enumerat hujusmodi miserias. Secundò, demonstrat, quòd propter peccatum sumus in eas dejecti. Ibi: *Quia defecimus.*

Quantum ad primum est advertendum, quòd in duobus consistit nostra miseria. Primò, quia fuit nobis abbreviata. Secundò, quia illa brevis vita est variata per multas ætates & infirmitates, & defectus. Nam incipimus ab infantia, & mutamur in pueritiam, & exinde in juventutem, & exinde in senectutem, & exinde in decrepitum: in quibus ætatibus sunt multi & varii defectus, & infirmitates, & miseriæ. Immò quanto magis crescunt dies, magis crescunt miseriæ. Et sic *numquam* homo *in eodem statu permanet.* Dicit ergo Prophera: *Ne avertas hominem*, id est, ne dejicias in tantam dejectionem: *Quoniam* brevis & misera est vita ejus: nam licèt viveret mille annis; tamen ejus vita brevissima est. Nam *mille anni ante oculos tuos*, id est, respectu æternitatis tuæ, & comparati ad tuam durationem, sunt *tamquam dies hesterna, quæ præteriit*, & tamquam una vigilia noctis, quæ sunt tres horæ: cujus tempus videtur nil, maximè dormientibus.

Miseria nostra in duobus consistit.

Sed quæritur: Quare magis dixit, *sicut dies hesterna*, quàm sicut dies crastina? Respondetur: quòd semper tempus futurum videtur nobis magis longum, & tempus præteritum videtur brevissimum, ut patet: nam gulosis longius

gius videtur tempus trium dierum à die Jovis sancta usque ad Pascha, quàm totum residuum Quadragesimæ præteritum. Et sequitur : *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*; quæ littera sic est construenda, scilicet, *Anni* temporales erunt, sive sunt earum rerum, *quæ pro nihilo habentur* in respectu æternitatis, id est, *omnes anni* temporales, id est, totum tempus comparatum ad æternitatem, est de numero eorum *quæ pro nihilo habentur*, id est, omnes *anni* sunt quasi *nihil* comparati ad æternitatem Dei : ergo tota vita hominis quantumcumque sit longa, sicut vita *Mathusalem*, est quasi *nihil* respectu Dei. Et etiam in aliquibus est ita brevis, quòd *manè transeat*, id est, in infantia & pueritia moriuntur, & in aliquibus *sicut herba*, quæ *manè floret*, sed in vespere *decidit*, & *indurat*, & *arescit*: quia in senectute cum multitudine infirmitatum macilenti moriuntur.

3.q.4.c. Hęc autē.

6. Manè sicut herba transeat, manè floreat, & transeat : vespere decidat, induret, & arescat.

POstquam probavit quod vita hominis est brevissima, & quasi nihil comparata ad Deum ; hìc probat quod est variabilis per multas miserias, & defectus, & infirmitates. Nam si homo maneret semper in eodem statu, vita brevis adhuc diceretur bona : sed nunquam manet in eodem statu, quia variatur per ætates, in quibus semper est aliqua imperfectio & miseria. Nam homo in infantia est sine sensu perfecto, & in multa miseria & indigestione ; & quandoque moritur propter multas infirmitates, quæ accidunt infantibus, & sic nunquam pervenit ad florem juventutis. Et in *manè*, id est, in infantia, usque ad *vesperam*, id est, usque ad senectutem, in qua sunt infinitæ ægritudines, & ibi *indurat*, & *arescit*, & finaliter *decidit*, & moritur : ut patet per *Aristotel. in lib. de Juventute & Senectute*, & *de Morte & Vita*. Ordinetur ergo sic littera, scilicet, omnes *anni* hominis sunt de numero eorum, *quæ pro nihilo*, id est, quasi nihil *habentur*, in tantum, ut ipse homo *manè sicut herba transeat : manè floreat*, & *transeat : vespere*, id est, in senectute, *induret*, id est, rigeat in cadaver, & *arescat* in cinere, & totaliter putrefiat & corrumpatur : sic etiam ergo *transeat* de ætate in ætatem, & de qualitate in qualitatem, & de infirmitate in infirmitatem usque ad mortem. Hoc idem habetur *Job* 13. *cap. Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis : qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.*

7. Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus.

De Pœn. d. 3. cap. Quãquã.

8. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.

Genes. 6. Eccle. 18.

9. Quoniam omnes dies nostri defecerunt : & in ira tua defecimus.

HIC reddit causam, unde evenit nobis hoc malum, scilicet, ut nobis sit vita non solum breviata, sed etiam multiplici miseriâ afflicta, & variata : quia in adolescentia virescimus, & in juventute *floremus*, & in senectute *decidimus*, & *indurescimus*, & *arescimus*. Et sic deficimus ab omni perfectione. Et dicit, quod hoc evenit nobis ex ira divinæ sententiæ datæ in Adam, quando dixit: *Maledicta terra in opere tuo : & in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ideo ait : *Quia defecimus in ira tuâ*, id est, in sententia iræ tuæ, & *in furore tuo turbati sumus*, quando ejecisti *Adam* de paradiso : quia tunc perdidimus immortalitatem, & *defecit* vita nostra, & contracta est ad durationem temporalem : ita quod *Adam* vixit usque ad nongentos triginta annos, & *Mathusalem* nongentos septuaginta annos, & post diluvium defecit etiam magis vita nostra : quia reducta & contracta est usque ad quadringentos annos, & postea usque ad centum quadraginta annos. Et hoc factum est *in furore tuo* propter peccata hominum successivè perpetrata. Et sic *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*, id est, respexisti in furore iniquitates nostras oculo punitionis : & *sæculum nostrum*, id est, totum tempus vitæ nostræ, & omnia peccata, quæ fecimus in vita nostra, *posuisti in illuminatione vultus tui*, scilicet, in lumine & visione *vultus tui* : quia non oblitus es ; immò ea punisti. Unde *Job* 13. *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris.* Et *dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & ad-*

Nota de vita hominis per peccatum abbreviata.

adducere eum tecum in judicium? quoniam propter peccatum primi parentis condemnati omnes sumus, & facti sumus filii iræ & vindictæ : quia in peccatis nascimur ; & in iniquitatibus concepit nos mater nostra.

Nota secundùm *Augustinum*, quòd tunc Deus peccata nostra obliviscitur, & avertit faciem à peccatis nostris, quando peccata nostra non imputat ad pœnam : sed tunc dicitur peccata nostra respicere, & ante oculos habere, quando sumus in ira sua, & ad pœnam intendit imputare : & sic eramus omnes filii iræ. Et sequitur : *Quoniam omnes dies nostri defecerunt*, id est, spatium vitæ nostræ, quod antè erat perpetuum ante casum primi hominis, posteà fuit reductum ad octoginta septem annos, & semper fuit diminutum. Et sic *in ira tua*, id est, secundùm sententiam iræ tuæ *defecimus*, non in brevitate vitæ, sed in multitudine miseriarum, & infirmitatum. Et ideo ut additur, araneæ homo comparatur.

Deus avertit sic faciem à peccatis.

10. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur : dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni.*

32. q. 4. Recurrat, in Glos.

11. *Si autem in potentatibus, octoginta anni : & amplius eorum labor, & dolor.*

12. *Quoniam supervenit mansuetudo, & corripiemur.*

De Pœn. d. 3. cap. Quäquä, & 5. q. 5. Non omnis.

UNDE nota, quòd *aranea* laborat per magnum tempus ad faciendum telam : sed tela ejus est ita debilis, quòd in momento destruitur & frangitur. Ita homo laborat per totam vitam, ut acquirat bona temporalia, vel aliquam dignitatem ; & in uno momento omnia perdit, aut per aliquem casum, aut mortem. Et ideo dicit : *Anni nostri sicut aranea*, id est, sicut tela araneæ *meditabuntur*, id est putabuntur, & æstimabuntur, & non solum *meditabuntur* frivoli in varietate fortunæ, sed etiam in brevitate vitæ. Nam sicut *aranea* vivit brevi tempore, ita non diu vivit homo. Nam *dies annorum nostrorum* consistunt *in ipsis septuaginta annis.* Et si quis eorum usque ad octogesimum annum *& amplius* vivat ultra, tunc nihil aliud est *eorum* vita, nisi *labor*, *& dolor.* Et quare? *Quoniam veniet mansuetudo, & corripiemur*, id est, veniunt tunc infirmitates & dolores, quæ *corripiunt*, & prosternunt, & dejiciunt hominem. Exclamat Propheta admirans sententiam, dicens:

13. *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?*

6. q. 1. c. Si omnia, & 15. q. 6. c. Si à Sacerdotibus.

O Domine *Quis novit*, id est, quis potest noscere *potestatem iræ tuæ*, & potest sustinere eam? aut *quis novit* & potuit *dinumerare iram tuam*, & cogitare judicia tua? scilicet, quare fecisti hominem peccabilem, & post peccatum, quare voluisti eum tali punitione plectere? Et quare voluisti talem sententiam in posteros transferre? Quasi dicat : O *altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus ! &c.* Item, quis poterit noscere punitiones, & secreta judicia tua, in quibus videris explicare *iram tuam*? Et nota, quòd ubi nos habemus : *Veniet mansuetudo, & corripiemur* ; in Hebræo, & in littera *Hieronymi* habetur : *Quoniam transibimus citò, & evolabimus.* Et ostendit brevitatem vitæ humanæ : & ideo sequitur : *Quis novit potestatem iræ tuæ &c.*

14. *Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia.*

Exod. 33.

HÆC est secunda pars principalis, in qua ponit secundam petitionem, scilicet, ut Christus in Lege promissus manifestetur, & veniat in carne, prout Deus promisit ipsi *Moysi* in oratione, quando dixit : *Protegam dexterâ meâ* : unde dicit David : O Domine Deus Pater, tu promisisti *Moysi* homini Dei servo tuo, *Exod* 33. cùm petivit : *Domine mitte quem missurus es*: tunc dixisti : *Protegam te dextera mea, & posteriora mea videbis*, id est, mittam tibi filium meum Christum in Lege promissum, qui *dextera mea* dicitur, eò quòd in eo ostendam potentiam meam contra mundum & diabolum, & per ipsum faciam opera miraculorum. Istum ergo Filium meum videbis incarnatum : unde faciem meam, scilicet essentiam Divinitatis, non poteris videre, vivens in hac vita, quia illa Divinitas latebit in carne : sed *videbis posteriora mea*, id est, humanitatem Verbo conjunctam &c. *Fac* ergo Domine *notam* nobis *dexteram tuam*, id est Filium tuum, & veniat in carne, & nos-

camus eum per fidem. Et notanter dicit : *Sic notam fac* : quia humanitatem videbimus clarè , sed non divinitatem: quia solum per effectus & miracula novimus Christum esse Deum. Et sic non novimus simpliciter , sed quasi novimus, quia per fidem : nam *Petrus* & *Thomas* videbant humanitatem , sed crediderunt, & confessi sunt divinitatem in ipsa carne latentem , ut putà , cum dixit *Petrus* : Ego dico tibi, quod *tu es Christus Filius Dei vivi* : Et cum dixit *Thomas* : *Dominus meus* , *& Deus meus.* Hanc ergo *dexteram*, & hæc *posteriora* petebat Propheta nobis quasi *notam fieri* per incarnationem & prædicationem. A

Et ideo sequitur : *& eruditos corde in sapientia* , id est , fac nos *eruditos corde in sapientia* , dando nobis Legem Euangelicam : quæ non solummodo erudit intellectum , sed etiam justificat cor. Quasi dicat , Propheta: *fac* nobis *notum* Filium tuum , qui erudiat nos suâ Euangelicâ sapientiâ , & loquatur nobis ad aures , & declaret verba tua, & totam Legem veterem ad aures nostras , sicut promisisti Moysi , *Deut.* 18. cum dixisti : *Prophetam suscitabo de medio fratrum tuorum similem tibi*, scilicet, in natura humanitatis: sed digniorem & sublimiorem in majestate deitatis. *Et ponam verba mea in ore ejus*, *loqueturque ad eos quæcumque dixero ipsi &c.* mitte ergo istum Prophetam Filium tuum, ut nos erudiat in vera sapientia , & non amplius per figuras , nec cærimonias Legis. Hæc etiam dicit , quia Deus promisit *Moysi* , quòd præcederet , & dirigeret eum. B C

15. d. c. Sacta Romana.

15. *Convertere Domine usquequò: & deprecabilis esto super servos tuos.*

16. d. c. Ecce.

16. *Repleti sumus manè misericordia tua : & exultavimus , & delectati sumus omnibus diebus nostris.* D

HIC ponitur tertia petitio , ubi petit misericordiam promissam ipsi *Moysi* pro toto genere humano in supradicta oratione , quando dixit : *Miserebor cui voluero* : & ideo petit David , ut Deus convertatur ad nos per misericordiam & passionem suam , & faciat nos filios misericordiæ & gratiæ , ut ipse qui antè erat nobis inexorabilis propter iram , fiat nobis deprecabilis per misericordiam , nos exaudiendo , & gratos faciendo. Et utitur verbis *Moysi* in supradicta oratione , *Exod.* 32. quando dixit Domino : *O Domine quiescat ira tua : & esto placabilis super nequitiam populi tui.* Ideo ait David in hoc loco : O Domine Jesu Christe , *convertere aliquantulum* , prout habet alia littera ; & non amplius te avertas à nobis , nec repellas nos à te , sicut fecisti usque modò propter peccatum primorum parentum , & nostra propria: & converte nos ad te , sicut quondam dixisti : *Convertimini filii hominum , & revertimini ad me : ego solvabo contritiones vestras. Convertere* ergo , *& convertemur* ; *& esto deprecabilis* , & exorabilis , & placabilis *super* nos *servos tuos* , ut nostræ orationes tibi sint exaudibiles , & acceptabiles : quæ conversio & reconciliatio non potest fieri , nisi per mortem & passionem tuam. Ergo expedias mysterium tuæ passionis , ut sequatur effectus nostræ redemptionis ; & resurge à mortuis ut *repleamur manè misericordia tua.* E F

Unde nota , quòd ubi nos habemus:*Repleti sumus manè misericordia tua*, *exultavimus* , *& delectati sumus omnibus diebus nostris* : & *lætati sumus pro diebus &c.* in Hebræo , & in littera *Hieronymi* habetur : *Satia nos manè misericordia tua* , *& cantabimus*, *& lætabimur omnibus diebus nostris*, *& lætifica nos &c.* Unde dicit *Hieronymus* , quòd in hac parte Septuaginta Interpretes frequenter posuerunt præteritum pro futuro ; & hoc propter firmitatem prophetiæ. Quia isti Psalmi erant cantandi in Ecclesia post adventum Christi post impletas prophetias. G

Alia autem littera habet : *Replebimur misericordia matutina* , *& exultabimus* , *& delectabimur &c.* Dicit ergo Propheta : O Domine Jesu Christe , *convertere* aliquantulum *super servos tuos* , & satia & reple nos *misericordia tua manè* , id est , in die resurrectionis , quando resurges in claritate & gloria tua : qui quidem dies resurrectionis dicitur *manè* in sacra Scriptura. Et ideo dicitur illa *misericordia matutina* : quia simul cum Christo surrexit *misericordia* , postquam ira & sententia regnaverat in nocte Legis veteris. Et ideo sequitur : *Exultabimus* , *& delectabimur omnibus diebus nostris*: id est , in toto tempore gratiæ. H

*** *** ***
*** ***
***

17. *Læ-*

23. q. 4. *Quid ergo.*

17. *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; annis, quibus vidimus mala.* A

HIC ponit quartam petitionem, in qua petit gloriam, quam Deus promisit *Moysi* in persona nostri, cùm dixit: *Ostendam tibi omne bonum*: unde similiter hîc ponitur præteritum pro futuro: ideo dicit David: O Domine, da nobis gloriam quam promisisti *Moysi*, *Exod.* 33. quando dixit: *Domine ostende mihi gloriam tuam*; cui respondisti: *Ego ostendam tibi omne bonum.* Ergo lætifica nos gloriâ tuâ post tuam ascensionem, postquam fuerimus jam renovati à vetustate peccati: quia jam nox peccati & tenebrarum mutata est in diem lucis, & malum in bonum, & humilitas sive dejectio in exaltationem: ideo *lætemur* in illa gloria *pro diebus quibus nos humiliasti* & dejecisti: & *lætemur pro annis quibus vidimus mala*: id est, loco & recompensatione justitiæ, & malorum præteritorum, da nobis gloriam, & lætitiam, & felicitatem; & vertas tristitiam in gaudium, & mœrorem in lætitiam, & dolorem in refrigerium. B

Et nota, quòd hîc non solum petit gloriam animæ, sed etiam gloriam corporis. Et ideo dicit: *Repleamur manè*, sive satia nos misericordiâ matutinâ. Quasi dicat: per tuam resurrectionem consequamur & nostram, id est resurge, & resuscitare tu, ut suscites nos: & ascende in cœlum, ut ascendamus tecum, & felicitemur in illa beatitudine & fruitione. Et hæc est intentio Prophetæ. Septuaginta autem transtulerunt præteritum pro futuro, propter rationem jam dictam, sicut frequenter fecerunt in aliis Psalmis. C

6. q. 1. c. *Oves.*

18. *Respice in servos tuos, & in opera tua: & dirige filios eorum.* D

56. d. c. *Nasci.*

19. *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos: & opus manuum nostrarum dirige.*

HIC ponit quintam petitionem, qua petit dirigi per splendorem gratiæ, & doctrinæ Euangelicæ, sicut petiit Moyses cum dixit: *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto: in quo scire poterimus nos invenisse gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum?* Quasi dicat, nisi tu personaliter venias in carne, & gratiâ tuâ direxeris nos & omnia opera nostra, nunquam perveniemus ad terminum optatum. Nam non sufficit nos esse redemptos & renovatos per passionem, & resurrectionem, & regeneratos per Baptismum, ratione cujus participamus passionem Christi; sed etiam oportet, ut habeamus gratiam prævenientem, ut velimus bonum; & cooperantem & dirigentem, ut operemur, & dirigamur in operando; & perficientem, ut incepta & directa opera perficiamus: sine qua, nec divina præcepta implere, nec opera meritoria facere possumus: quod est contra *Pelagianos*, qui dicebant hominem ex naturali & libero arbitrio posse bene operari, & malum vitare, & ex propriis viribus salvari. Hanc ergo falsam opinionem condemnans Propheta, petit hanc gratiam in hoc loco. E F

Gratia necessaria.

Et ratio est. Nam superius ostendit, naturam humanam esse sauciatam, & corruptam propter peccatum, & pronam ad malum, & debilem ad bonum propter fomitem, & concupiscentiam, & pœnalitates inflictas; & sic liberum nostrum arbitrium esse valde claudicatum, & ex una parte invalidum, & victum. Oportet ergo, ut per gratiam elevetur, & adjuvetur: non solum ut vitet malum, sed etiam, ut velit, & faciat bonum, & dirigatur in actione sua, & perficiatur usque ad terminum inclusivè. G

Hanc ergo gratiam petit Propheta, dicens: O Domine Jesu Christe, *respice* primò *in servos tuos*, scilicet Apostolos & Discipulos, conferendo eis gratiam, & omnia septem dona gratiarum, ut possint prædicare Euangelium omni creaturæ: *& respice in opera tua*, id est, miracula per eos facienda, & in cæteras virtutes, ut possint fideles in Ecclesiam congregare, & tibi filios regenerare. Et sic *dirige filios eorum*: quos tibi in Euangelio & Baptismo regeneraverunt. Item, *respice in servos tuos* Apostolos, qui sunt *opera tua*: quia tu vocasti, & regenerasti eos: & ex consequenti *dirige filios eorum &c.* H

Et sic patet, quòd in hoc versiculo petit primò gratiam pro Apostolis, & ex consequenti pro populo regenerato & redempto: & utitur verbis *Moysi*, qui dixit in supradicta oratione, scilicet, *respice populum tuum gentem hanc.* Et sic petit Propheta gratiam in generali. Postea sequitur in speciali, cum subdit: *Et sit splendor Domini.*

Gratia duplex.

Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd duplex est gratia: quædam dicitur gratuita, quædam gratificans. Prima datur toti Ecclesiæ, scilicet, ad utilitatem totius Ecclesiæ, sicut est gratia sermonum, & linguarum interpretationis, & gratia Ordinis, & Jurisdictionis. Ista genera gratiarum dantur ad utilitatem totius Ecclesiæ: sed gratia gratum faciens datur ad gratificandum habentem. Prima data fuit Apostolis, & datur Prælatis Ecclesiæ: secunda datur solis sanctis, & justis. Ideo postquam Propheta in superiori versu petit gratiam gratuitam ad utilitatem totius Ecclesiæ, quam maximè Apostoli habuerunt: nunc in hoc versu petit gratiam gratificantem, & dirigentem hominem ad bonum agendum, & implendum præcepta, & opera charitatis. B

Opera sùt in duplici genere.

Sed quia opera nostra sunt in duplici genere: nam quædam pertinent, & diriguntur ad proximum, & pertinent ad charitatem proximi: & quædam diriguntur in solum Deum, & ista pertinent ad cultum divinum & Latriam, sicut oratio, oblatio, & adoratio &c. dicuntur ergo ista opera Dei & proximi ratione objecti. Et ideo opera charitatis proximi dicuntur *opera manuum nostrarum* in plurali: eò quòd non ordinantur nec obligant ad unum tantum, sed ad omnes: quia omnes obligamur diligere in affectu, & omnibus subvenire in effectu, si adsit facultas. Et etiam quia diversa sunt opera misericordiæ; C eò quòd diversa sunt genera miseriarum: sed opus charitatis circa Deum est tantum unum: quia est unus solus Deus: & ideo unus solus cultus & adoratio ipsi debetur. Unde Salvator, *Luc.* 7. ait: *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima*: quia vita activa est erga proximos; ideo ejus sunt multa opera: sed contemplativa est circa solum Deum, & cultum ejus. Ideo subdit: *Porro unum est necessarium*, id est, primum & principale, scilicet, cultus divinus: ideo illa dicuntur *opera plurima*; istud vero *unum opus*, sicut unus solus est Deus. Sed quia tàm opera charitatis circa proximum, quàm opus D Latriæ circa Deum, non potest exerceri, nec incipi, nec continuari, nec perfici à nobis, nisi *sit splendor* gratiæ *Dei super nos*, qui *dirigat opus manuum nostrarum* circa proximos, & *dirigat* etiam *opus manuum nostrarum* erga Deum colendum &c. ideo Propheta sigillatim implorat, & petit hanc gratiam, dicens: *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos*, ad volendum bonum & incipiendum: & tu Deus *dirige opera manuum nostrarum super nos*, id est, super proximos nostros: quæ sunt opera misericordiæ & charitatis erga proximos: *& dirige* etiam *opus manuum nostrarum* circa cultum divinum: quia sine tua gratia neutrum opus exercere possumus. Et notanter dicit: *Dirige opera manuum nostrarum super nos*, & in secundò dicit: *Dirige opus manuum*, & non addit, *super nos*: ad denotandum, quòd ly *opera*, refertur ad proximos: sed ly *opus*, refertur ad Deum, & cultum divinum. Ideo non dicit, *super nos*: quia tale non fit super nos, sed ad Deum dirigimus ipsum. A E

Quidam autem referunt ly *opera*, ad opera misericordiæ corporalia; & ly *opus*, ad spiritualia: sed prima Expositio magis videtur satisfacere litteræ, & rationi: quia opus erga Deum, unum tantum est, scilicet cultus divinus, *Luc.* 7. *Porro unum est necessarium.* Miseri vero & cœci Judæi, non valentes introire in Sanctuarium Dei, manentes in sola litteratura, exponunt hos duos versus de fabricatione tabernaculi: dicentes, quòd *Moyses* petit, ut Deus dirigat fabricatores & manus ad construendum tabernaculum: sed non mirum, quia non merentur videre thesaurum inæstimabilem clausum in hoc Psalmo. Tu autem Christiane quære gratiam, & pulsa, & aperietur tibi, & age gratiam. F

Laus Cantici David. G

PSALMUS XC.

1. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.*

2. *Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum.* 11. q. 3. c. Ad mensam.

3. *Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.* H 20. 2. q. 4. Qui peccat.

ISTE Psalmus apud Hebræos est omnino sine Titulo. Sed dicunt Hebræi moderni, quòd *Moyses* fecit hunc Psalmum commendando divinum refugium, ostendens quomodo ille qui se committit divino adjutorio non potest temporaliter perire: quod probat exemplo filiorum Israel, qui se commiserunt divino adjutorio. Ideo fuerunt liberati à captivitate, & per totum desertum protecti

sub

sub illa nube, & tutati sunt ab insidiis inimicorum diurnis, pariterque nocturnis, & præbuit eis Deus custodiam Angelorum ad defendendum non solum ab incursibus hominum, sed etiam à veneno bestiarum: & sic securi ambulaverunt inter *leones & dracones*: & *obumbravit eos scapulis suis* columnâ nubis. Et sic litteraliter exponunt Psalmum istum de protectione, quam habuerunt in itinere. A

Sed licet iste Psalmus sic litteraliter possit applicari supradictæ historiæ, & etiam possit exponi moraliter de quocumque justo, se divino adjutorio committenti; tamen principalis intentio prophetæ non fuit ista: ideo continet majora mysteria, ut patebit, maximè per ea quæ dixit in fine hujus Psalmi: quia David non fuit minus Propheta in hoc Psalmo, quam in cæteris. B

Et ideo est dicendum, quod iste Psalmus, vel est idem numero cum Psalmo superiori, & pars ejus divisa per *diapsalma*: vel est consecutivus ad superiorem in materia. Et ideo dicunt Judæi moderni, quòd quando dicunt hunc Psalmum, incipiunt ipsum à versu ultimo Psalmi præcedentis, scilicet: *Sit splendor Domini super nos, & opera manuum nostrarum dirige &c.* Et sic continuant istum Psalmum, cum illo ultimo versu Psalmi præcedentis. Unde postquam David in superiori Psalmo invocavit Christum, ut veniens in carne fieret nostrum *refugium*, C & notificaret dexteram suam per incarnationem & prædicationem, & repleret nos misericordiâ suâ per passionem & resurrectionem, & lætificaret nos gloriâ suâ, & dirigeret nos & opera nostra per splendorem gratiæ, & Euangelicæ doctrinæ suæ, sicut promiserat ipsi *Moysi* in sua oratione, *Exod.* 33: Nunc autem in hoc Psalmo, vel *diapsalmate* consecutivè invitat, & exhortatur totum genus humanum ad istam *petram* & *domum refugii*, qui est Christus: sub cujus tutela & refugio totum genus humanum, sicut omnes ad eum confuguientes, erant liberandi à captivitate diaboli, & ab omni humana miseria tam corporali, quàm spirituali in superiori Psalmo memorata, in quam inciderant ex sententia data in Adam. D

De materia hujus Psalmi.

In quo Psalmo duo facit. Primò agit quod dictum est. Secundò, introducit Deum confirmantem sententiam & promissionem Prophetæ. Et breviter promittit complere totam promissionem factam ipsi *Moysi*, *Exod.* 33. & complere petitionem factam in superiori Psalmo. Erit secunda pars ibi: *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Unde est intentio & conclusio hujus prophetiæ in hoc Psalmo, quod veniant omnes, & confugiant ad Christum, & committant se ejus adjutorio & refugio; & sine dubio liberabuntur ab omni miseria; immò cognoscent se esse liberatos: & enumerat omnes miserias, à quibus, & quomodo liberabuntur per Christum. E

Unde dicit: quòd ille *qui habitat in adjutorio*, id est, qui habitat *in petra refugii*, & in *lapide adjutorii* ipsius Dei *Altissimi*, qui est Christus, & *commorabitur in protectione Dei Cœli*; talis *dicet* se esse liberatum.

Unde est advertendum, quòd ubi nos habemus: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei Cœli commorabitur*, Hebræus, & littera *Hieronymi* habet sic: *Habitat in occulto Altissimus, in umbraculo omnipotens permanet.* Et sic ista littera videtur magis explicare Sacramentum Incarnationis Christi: unde dicit, quod Deus *Altissimus habitat in occulto* humanitatis, & Verbum Dei *omnipotens permanet in umbraculo* carnis personaliter unitum per Incarnationem. Nam illa humanitas, ut sæpius dictum est, est tabernaculum & habitaculum divini Verbi, in quo Filius Dei permanet in æternum: quia *quod semel assumpsit, numquam dimisit:* unde ista humanitas sicut dicitur *Templum Dei* per personalem unionem, ita dicitur *habitaculum* omnium fidelium per mysticam incorporationem & regeneratione: nam Christus in quantum homo est caput Ecclesiæ: & sic illa humanitas est *lapis adjutorii*, & *petra nostri refugii*, & *habitaculum* miserorum, in foramine cujus *petræ* Christus posuit omnes fideles, & *protexit dexterâ suâ.* Huic ergo refugio dicit Propheta, ut nos committamus. Et ad hoc præsidium omnes nos miseri confugimus: de quo etiam dicit *Boetius* 3. *de Conso. carmine* 11. F G

Nota, de Incarnationis Sacramento.

Huc omnes pariter venite capti,
Quos fallax ligat improbis catenis
Terrenas habitans libido mentes:
Hic erit uber requies laborum:
Hic portus placidâ manens quiete:
Hoc patens unum miseris asylum.

Item iste Christus in humanitate est ille *locus & petra refugii*, quam promisit Deus per *Moysen* in sua oratione: & est illud *refugium*, de quo habitum est in Psalmo præcedenti. Ad hoc refugium exhortatur David omnes confugere, in principio hujus Psalmi, cum dicit secundum nostram Translationem: *Qui habitat in adjutorio* Christi *Altissimi*, poterit dicere, quod *in protectione* & tutela *Dei Cœli commorabitur.* Nam est *protectio* & *dextera*, quâ Deus Pater nos promisit protegere. H

Unde est advertendum, quod fideles ponunt spem suam in Christum: Primò, in præsenti ponendo spem & fiduciam suam

Spes in primo ponenda.

suam in passione Christi, & Sacramentis Ecclesiæ, per quæ credunt liberari ab A omni peccato. Secundo, ponendo totam spem in cœlestibus præmiis, contemnendo terrena: & hoc est, se committere divino adjutorio; & talem, impossibile est perire, nec à diabolo superari: & hanc conclusionem proponit Propheta, dicens: Omnis ille *qui habitat in adjutorio* Christi Filii Dei *Altissimi*, id est, illius adjutorio & auxilio se totaliter committit, omni aliâ mundanâ fiduciâ & spe relictâ; ille *commorabitur in protectione Dei Cœli*, id est, cœlesti protectione defendetur, & protegetur; & per consequens nunquam peribit, nec superabitur à diabolo, nec ab homine, nec aliqua tentatione vincetur. Et prosequitur, quomodo ponit aliquis suam habitationem B *in adjutorio Altissimi*, dicens: quod ille qui vult se divino adjutorio committere, *dicet Domino* nostro Jesu-Christo sic: *Tu es susceptor meus*, quia liberasti me per passionem: *tu es refugimum meum*, quia ad te confugio, ut sanes per sacramentorum medicationem: & *tu es Deus meus* per specialem cultum & adorationem. Quasi dicat: quòd confiteatur Christum verum esse Messiam, & verum Redemptorem. Et sic dicet, & proponet in corde suo: *sperabo*, id est, totam spem, & fiduciam meam ponam in eo, operando & dirigendo mea opera in eum. Quasi dicat: quod ille verè se recomittit adjutorio Christi, qui suscepit ipsum in Redemptorem & Salvatorem, & credit ip- C sum esse verum Deum, & operatur secundum Legem Euangelicam propter præmium vitæ æternæ: & per consequens credit ipsum esse verum Messiam, & etiam credit & prædicat firma fide, quòd ipse Christus *liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.*

Laqueus venãtium dicitur peccatum Adæ.

Ad cujus intellectum est notandum quod *laqueus venantium* dicitur peccatum primi parentis. Nam diabolus cum dixit primis parentibus, *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii, scientes bonum & malum*: tunc paravit eis laqueum: & quando ipsi comederunt fructum, tunc inciderunt in ipsum, & fuerunt expoliati bonis gratuitis, & ligati peccato, & facti captivi, & servi diaboli: qui quidem D laqueus obligavit omnes posteros ad culpam propter transgressionem primorum parentum. Egressum est *verbum asperum* à Deo, cum data est sententia eis, ut ejicerentur, & felicitate in præsenti, & in futuro privarentur, & ad culpam & reatum æternum, & mortem æternam & temporalem obligarentur, & pœnalitatibus temporalibus subderentur. Illa ergo sententia, & maledictio à Deo homini promulgata fuit *verbum asperum*, & durum, & crudele toti generi humano; à quo *laqueo, & verbo aspero*, & sententiâ durâ solus Christus nos liberavit. Dicat ergo omnis fidelis ipsi Christo: Ego E fiduciáliter *sperabo in eum*, scilicet, Christum Messiam & Salvatorem in lege promissum: quoniam per mortem & passionem suam *liberavit me de laqueo* peccati, & culpæ ipsorum dœmoniorum venantium: & per suam resurrectionem liberavit me *à verbo aspero*, id est, sententiâ mortis æternæ, & miserabili servitute diaboli, & miseriâ pœnalitatum, & durâ maledictione. Quasi dicat Propheta, quòd ista debet esse firmissima fides & fiducia cujuscumque fidelis: & hoc est se committere divino *adjutorio*. Quasi dicat: Si commiseris te divino *adjutorio*, & confugeris ad refugium Christi, non F eris deceptus, immò liberatus: & *dices*, id est, poteris dicere *Domino* agendo gratias: Nunc cognosco, quia *tu es susceptor meus, & verum refugium meum*: & dices: Verè Christus fuit refugium meum, *quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium; & à verbo aspero*, eo modo quo dictum est.

Et nota, quòd Propheta in hoc Psalmo procedit cum difficultate: quia multotiens mutat personam, & modum loquendi per Synepteſin, sicut multotiens accidit, non solum in Poetis, sed etiam in Prophetis, in quibus Spiritus sanctus loquebatur. Ideo advertat lector. Et ideo est advertendum, quòd secundus versus potest ordinari cum primo, eo modo G quo dictum est. Vel potest ordinari cum sequentibus: ut sit sensus, quòd ille *qui habitat in adjutorio Christi, & commorabitur in protectione ejus*, ille talis consequetur octo sequentes utilitates, & liberabitur de septem periculis sequentibus per ordinem.

Nam primò *dicet*, & poterit dicere *Domino*: *susceptor meus es tu &c.* Et liberabitur *de laqueo venantium, & à verbo aspero.* Secundò, *obumbrabitur scapulis Christi, & sub pennis ejus sperabit.* Tertiò, *circumdabitur scuto Christi:* & sic nihil timebit. Quartò, *à dextris & sinistris cadent* Judæi, & cæteri infideles; tamen ipse liberabitur à peccato. Quintò, infideles flagellabuntur multis H plagis: tamen *flagellum non appropinquabit tabernaculo suo.* Sextò, quia Angeli eum custodient ab omni periculo. Septimò, quia *conculcabit aspidem, & basilicum, & leonem, & draconem.* Octavò, quia glorificabitur in æternitate. Et totum hoc patebit sequendo litteram. Dicit ergo secundam utilitatem.

4. *Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis ejus sperabis.*

86. dist. c. Desolatis.

5. *Scu-*

5. *Scuto circundabit te veritas ejus:* A *non timebis à timore noturno.*

6. *A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incurſu & dæmonio meridiano.*

Protegere aliquē tripliciter.

AD cujus intelligentiam eſt notandum, quòd tripliciter poteſt aliquis alium protegere. Primò, inter ipſum & inimicum ſe objiciendo, & interponendo: ſicut facit vacca & bos, quando vident lupos venientes ad eum: tunc ſcilicet bos remittit filios à tergo, ſive ad B ſcapulas & objicit ſe lupo, & morſibus ejus, & defendit filios cum cornu: & ſic ſub umbra ſcapularum bovis defenduntur & proteguntur filii, & cum cornu bovis vulneratur lupus, & fugit. Secundò, poteſt quis alium protegere *ſub alis* recipiendo & cooperiendo: ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & liberat eos à miluo, & fovet, & nutrit eos ſub proprio calore. Tertiò, ſicut quando quis cooperit amicum ſuum ſcuto, & objicit ſcutum contra inimicum.

Chriſtus nos libera vita morte æterna.

Iſtis ergo tribus modis liberavit, & protexit nos Chriſtus de poteſtate dia- C boli, & à morte perpetua. Primò, nos liberavit, ſicut bos liberat filios ſuos. Nam ipſe poſuit ſcapulas ſuas in cruce, & poſuit nos à tergo ſuo, & objecit ſe morti, & paſsioni contra diabolum, & recepit in ſe ictus, & verbera, & vulnera inimici, ut noſtra vulnera ſanaret: & cum cornibus crucis percuſsit inimicum diabolum, & fugavit eum, & confregit portas inferni, & liberavit Sanctos Patres, & attraxit prædam. Itaque ſcapulis ſuis protexit futuros, & cornibus liberavit præteritos.

Not. quatuor facit gallina.

Secundò, liberavit nos *ſub* alis & *pennis* ſuis ſicut gallina protegit pullos ſuos. Nam quatuor facit gallina: Primò, recipit ova aliarum gallinarum, ſive ova D aliena ſub alis & pennis ejus. Secundò, proprio calore fovet, & excitat, & vivificat fœtum ex ovo: & ita vivificat multos pullos, & ex alienis facit proprios: & tantum diligit eos, quòd tota liquefit in ſudorem ad fovendum pullos ſuos: & ſic conſumit proprium ſanguinem & ſubſtantiam, in tantum quòd mutat vocem, & perdit plumas, & efficitur pallida, conſumpto & exhauſto ſanguine & ſubſtantiâ: & ſic fovet filios. Tertiò, protegit eos à milvis, & cæteris animalibus & nocumentis. Quartò, paſcit eos, & dirigit in paſtum.

Ita ſimili modo Chriſtus, cùm nos eſſemus ova aliena, quia filii carnales ipſius *Adæ*, & mortificati per culpam; ipſe Chriſtus congregavit nos *ſub pennis* & alis ſuis in Eccleſia, & vivificavit nos per Sacramenta ſua, quæ habent virtutem & calorem ex paſsione & ſanguine ſuo. Nam primò liberavit nos per paſsionem: & effudit totum ſanguinem ſuum pro nobis, ut daret virtutem Sacramentis ad ſananda vulnera noſtra: & ſic manſit pallidus in cruce, & nudus: ubi tantam dilectionem oſtendit erga nos, quòd totum ſe in nobis transformavit, noſtros defectus & pœnalitates ſuſtinendo: quos defectus & pœnalitates in cru ce ſecum affixit, ut ait *Apoſtolus*. Et ſic nos vivificavit & pavit.

Tertiò, nos protexit cooperiendo F ſcuto gratiæ, & doctrinæ, & Legis Euangelicæ, & contra diabolum ipſum ſcutum objecit, ad repellendum ejus incurſus & ictus. Nam ſicut ſcutum materiale ſimul repellit omnes ictus inimici, & protegit pugilem: ita Lex Euangelica, quæ præcipit omnem juſtitiam, & prohibet omne vitium, ſimul cum gratia ſeptem donorum Spiritus ſancti protegit nos, & repellit omnem tentationem inimicici. Et ſit tam Lex Euangelia, quàm gratia ſeptem donorum dicitur *ſcutum* per Chriſtum nobis conceſſum.

Tribus armis protexit Chriſtus fideles.

Triplicibus ergo armis protexit Chriſ- G tus filios & fideles ſuos: primò paſsionis, ut ab univerſali ſervitute liberemur. Secundò, armis, & medelâ Sacramentorum, ut à vulneribus peccatorum ſanemur. Tertiò, armis, & ſcuto Legis Euangelicæ, & virtutum, ut futura peccata caveamus, & tentationibus diaboli reſiſtamus, & repellamus: & ſic Chriſtus nos liberavit, & ſanavit, & protexit. *Qui* ergo *habitat in adjutorio Altiſſimi*, id eſt, Chriſti adjutorio ſe committit, & his tribus armis ſe munit, & armat; erit ſemper *in protectione Dei Cœli, & commorabitur*: quia protectione Dei vallatus non poteſt ſuperari. Et hoc eſt quod dicit: *Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium, &c.*

H Ideo Propheta apoſtrophat ad populum fidelem, dicens: ipſe Chriſtus, ad cujus refugium confugiſti, & cujus armis te muniſti, *obumbrabit tibi ſcapulis ſuis*, id eſt, umbraculum ſalutare & tutativum præſtabit tibi *ſcapulis ſuis*, ſi ad ejus paſsionem recurreris, qui in cruce pro te *ſcapulas* poſuit. Et *ſub pennis*, id eſt, ſub alis ejus *ſperabis*, ſi ſub Sacramentis Eccleſiaſticis re conſtitueris, & ex eiſdem medicinam ſumpſeris, quæ fovent virtutes, & ſanant vulnera. *Scuto circumdabit te veritas ejus*, id eſt, Lex ejus Euangelica *circumdabit te*, & proteget ſcuto Sacramentorum, & articulorum, & præceptorum, & conſiliorum ad re-

repellendas tentationes, & insidias diaboli, & cavenda peccata. Quasi dicat ergo Propheta : si tu homo confugeris A ad refugium Christi, & volueris in eo ponere habitaculum tuum : tunc ipse *scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis, & scuto circundabit te veritas ejus*, prout dictum est, sicut promisit *Moysi* quando dixit : *Ponam te in foramine &c. Exod.* 33.

Non timebis : hîc enumerat omnia pericula & omnes miserias, de quibus Christus liberavit omnes confugientes sub umbra *scapularum*, & *alarum* suarum, quos protexit scuto suæ veritatis, & gratiæ.

Peccatum cõsistit in quatuor gradibus.

Ad cujus evidentiam est notandum: B quòd tentatio, sive peccatum consistit in quatuor gradibus. Nam primò præcedit cogitatio. Secundò sequitur propositum. Tertiò, actus peccandi. Quartò prosecutio. *Cogitatio* comparatur nocti: eò quòd sicut in nocte homo frequenter cadit ; ita ex frequenti cogitatione & delectatione homo frequenter cadit in propositum peccandi. *Propositum* vero comparatur crepusculo & tenebris. Nam sicut crepusculum exit ex nocte, & est prope diem : ita propositum exit ex cogitatione, & est prope actum & effectum, & jam imputatur ad peccatum. *Operatio* autem in hac parte comparatur diei : eò quòd jam peccatum exivit C in clarum & manifestum. *Prosecutio* autem, & duratio peccati jam comparatur meridiei : quia jam peccator non timet suam famam. Diabolus ergo primò inducit hominem in cogitationem peccati, & exinde detinet eum in consuetudine.

Et hæc sunt quatuor arma diaboli quibus hominem invadit. Sed Christus dedit nobis arma & secutum Legis Euangelicæ continentes omnes virtutes, quibus resistimus & repellimus tentationes, & arma diaboli. Nam in Lege Euangelica reperies, quomodo non debes cogitare de mundo, immò oportet semper orare : & quomodo non debes peccare: & si peccasti, debes ad pœnitentiam re- D currere &c. Et sic si Legem Euangelicam sectatus fueris, de facili diabolum vinces, & à te repelles. Et ideo dicit Propheta : *Scuto circundabit te veritas ejus, & non timebis à timore nocturno:* scilicet cogitationibus malis : nec *à sagitta volante in die* : scilicet, à peccato in actu. Nam sicut arcus pellit sagittam ; ita propositum producit actum peccandi in clarum & manifestum : nec timebis *à negotio perambulante in tenebris.* Nam peccatum antequam producatur in clarum, negotiatur, & agitatur *in tenebris* propositi : nec timebis *ab incursu meridiano* : id est, à peccato malæ consuetudinis : quod jam non timet, nec E veretur infamiam. Quasi dicat : si munitus, & armatus, & circundatus fueris scuto Legis Euangelicæ ; non timebis istos quatuor incursus diaboli, & quatuor gradus peccatorum.

Per istos etiam quatuor terminos intelliguntur quatuor genera peccatorum. Nam per *timorem nocturnum* intelligitur peccatum ignorantiæ neglectæ. Et per *negotium tenebrosum*, peccatum avaritiæ : per *sagittam volantem in die* intelligitur peccatum luxuriæ. Per *dæmonium meridianum* intelligitur peccatum superbiæ. Nam superbus ab omnibus vult videri : sed omnibus his peccatis & ar- F mis diaboli resistit Lex Euangelica, & eorum repellit incursus & ictus : ut patet per singula. Per *laqueum* autem *venantium* possunt etiam intelligi omnia genera peccatorum & tentationum : & per *verbum asperum*, omnia genera persecutionum : & sic Martyres in primitiva Ecclesia, & omnes viri justi fuerunt liberati de laqueo diaboli & de persecutionibus & minis Tyrannorum per Christum.

7. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis : ad te autem non ap-* 13.q.1.c. *Qui bona.*
G *propinquabit.*

TOTUM hoc legitur consecutivè, ubi monstrat, quòd absque passione Christi & Lege Euangelica nullus poterit salvari. Ideo dicit Propheta ad virum justum, quòd tanta est virtus passionis Christi & Sacramentorum Ecclesiasticorum, & Legis Euangelicæ, & donorum Spiritus sancti : quòd sicut per ipsam omnes salvantur, & proteguntur; ita sine ipsa nemo potest salvari, nec protegi. Nam in pugna hujus mundi *cadent mille à latere* justi, *& decem millia à dextris ejus* : sed ad justum talia mala non possunt appropinquare ; eò H quòd munitus est & protectus sub *scapulis*, & *alis*, & *scuto* Christi. Ideo dicit Propheta : O Christiane, & vir juste, qui adjutorio Dei te commisisti, & armasti armis Christi, & scuto ejus te protexisti in pugna hujus mundi, *Cadent à latere tuo mille* de infidelibus & peccatoribus : *& decem millia à dextris tuis*, id est, omnes Judæi & Pagani circumquaque cadent victi *à dextris & sinistris*, à diabolo, & carne, & mundo superati : & sic omnes infideles peribunt ; ad te autem talis plaga damnationis non *appropinquabit* : eò quòd divino *adjutorio* te commisisti, & ejus armis te munivisti : & ideo manebis &

eva-

evades liber & victor. Item, tu cum iſtis armis Chriſti munitus pugnabis contra diabolum, & membra ejus, & infideles, & vinces eos, in tantum quòd *cadent* victi *mille* à latere tuo ſiniſtro, & *decem millia à dextris tuis.* Quaſi dicat: circumquaque omnes infideles *cadent*; ad te autem nullum malum *appropinquabit*, ſed illæſus & triumphator exibis. A

Et nota, quòd Apoſtoli & Martyres quoſdam vincebant convertendo eos ad fidem: ſicut fuerunt Gentiles: & illi *cadebant à dextris* ipſorum: & alios vicerunt temporaliter & ſpiritualiter, id eſt, Judæos, qui manſerunt in ſua obſtinatione & cœcitate: & iſti *ceciderunt à ſiniſtris* ſpiritualiter victi & condemnati ad pœnam perpetuam; & *ceciderunt* etiam victi temporaliter: quia à propriis ſedibus expulſi ſunt, & civitas eorum incenſa, & regnum & ſacerdotium ablatum, & una pars eorum trucidata, & alia captivata & diſperſa: & iſti ponuntur ſub numero millenario, eò quòd fuerunt pauciores quàm Gentiles. Gentiles autem converſi *ceciderunt* ab idololatria ad latus dextrum, ſcilicet, ad Baptiſmum per regenerationem: qui quidem Baptiſmus procedit ex latere dextro Chriſti. Ideo dicitur *dextera pars Eccleſiæ*: & ad hanc partem ceciderunt Gentiles, qui dicuntur *decem millia*: eò quòd in decuplo fuerunt in majori numero quàm Judæi. Eccleſia ergo omnes ſibi ſubjecit, ſcilicet, Judæos ad ſiniſtram, quos in captivitate poſſidet temporaliter: & Gentiles ad dexteram, quos in ſalubri libertate & obedientia regeneratos gubernat. Et ideo ſequitur quinta utilitas. B C

De Pœn. d. 4. cap. Peccatũ.

8. *Veruntamen oculis tuis conſiderabis: & retributionem peccatorum videbis.*

O Vir juſte, & *retributionem peccatorum* Judæorum, & infidelium *videbis*, maximè in die judicii, ubi peccatores & obſtinati exiſtentes à ſiniſtris Chriſti, mittentur in ignem æternum; fideles autem exiſtentes à dextris, Chriſtus ſecum in vitam æternam deducet. Et ſic juſtus ibi *videbit retributionem peccatorum.* Hoc idem manifeſtè videmus oculis noſtris, tàm ſpiritualibus, quàm corporalibus. Nam oculis corporalibus videmus Judæos per mundum diſperſos & captivos, ſine regno & ſacerdotio: & oculis mentis videmus eos cœcos, & maledictos, & intelligentiâ ſacræ Scripturæ privatos, & à bonis cœleſtibus alienos, & ad mortem perpetuam deſtinatos: & hoc in retributionem mortis & paſſionis Chriſti: à qua ſententia videmus fideles immunes & liberos. Et ideo ſequitur: D E

9. *Quoniam tu es Domine ſpes mea: Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.* *95. d. c. Ecce.*

10. *Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* *Et 13. q. 1. c. His itaque.*

F QUoniam *tu es Domine ſpes mea.* Quaſi dicat juſtus: O Domine Jeſu Chriſte, ego ſum liber à tali ſententia, & vici omnes tentationes & peccata; & dejeci malos à dextris & ſiniſtris, *quoniam tu es ſpes mea, & refugium meum*, & protectus ſum & munitus armis tuis; & quia *Altiſſimum poſuiſti refugium* & fortalitium tuum quaſi à mundanis elevatum, & armis tuæ potentiæ munitum. Ideo fui in eo ſalvatus & liberatus, quoniam nullum *malum* culpæ, nec *flagellum* pœnæ *appropinquabit ad te*: & ſic omnes juſti, qui habitant tecum in tabernaculo tuo ſalvabuntur & liberabuntur ab omni malo culpæ & etiam flagello pœnæ.

G Et nota etiam, quòd iſta particula poteſt dirigi ad quemcumque virum juſtum & fidelem. Unde dicit Propheta: O vir juſte & fidelis, quia tu *poſuiſti Altiſſimum refugium tuum*, id eſt, quia non poſuiſti ſpem tuam in rebus terrenis & infimis, & corruptibilibus, ſed in rebus altiſſimis & cœleſtibus, & poſuiſti Chriſtum adjutorem tuum, & ad ejus refugium confugiſti: ideo *non accedet ad te malum* culpæ, & *flagellum* perſecutionis *non appropinquabit tabernaculo tuo*, id eſt, Eccleſiæ. In qua tabernaculum elegiſti: quæ quidem Eccleſia eſt *tabernaculum* fidelium. Unde eſt notandum, ſicut ait Salvator, *Matth. 7.* quòd Eccleſia Dei eſt *fundata ſupra firmam petram*, qui eſt Chriſtus, in altiſſimis montibus. Quia tota ſpes ejus & fiducia eſt in cœleſtibus, ubi expectat præmium. Ideo nec ventus nec flumina poſſunt eam proſternere, & perſecutiones temporales Tyrannorum non valuerunt contra eam. Et licet ad tempus fuerit afflicta; tamen finaliter permanſit victrix tempore *Conſtantini.* Et hoc, quia *Altiſſimum poſuit refugium ſuum.* Ideo licèt flagella appropinquaverint ad corpora, & carnes Martyrum, quia eos corporaliter occiderunt: tamen non acceſſerunt uſque ad tabernacula, id eſt, uſque ad animas & conſcientias eorum, in quibus Chriſtus reſi- H

Eccleſia fundata ſuper Chriſtum qui eſt refugium.

debat : quia firmi & stabiles permanserunt in fide : & sic victores , & triumphatores extiterunt : & sic vincebant & subjecerunt reges & principes ipsi Ecclesiæ. A

Et ideo licèt corpora morerentur & trucidarentur : tamen tabernaculum Ecclesiæ nunquam fuit prostratum in persecutionibus Tyrannorum , & Imperatorum : immò in fine ipsi Tyranni & Imperatores fuerunt victi & subjecti Ecclesiæ : & sic *flagellum* temporale *nunquam appropinquabit tabernaculo* Domini, quæ est Ecclesia , non ex lapidibus materialibus , sed vivis & spiritualibus constructa : nec tale *flagellum* potuit ad animas Martyrum appropinquare : quæ quidem animæ sunt tabernaculum Spiritus sancti : & sic patet , quòd *millia & decem millia* infidelium & Paganorum *ceciderunt* victi à latere Ecclesiæ , scilicet *à dextris* , & *à sinistris* : & tamen ad eam non potuerunt *appropinquare* , ut possent eam delere. Et ita finaliter quilibet vir justus armis Christi munitus dejecit *à dextris* & sinistris *mille & decem millia* tentationum : & sic ad eum non potuerunt appropinquare , eò quòd *Altissimum posuit refugium suum.* B

11. *Quoniam Angelis suis mandavit de te : ut custodiant te in in omnibus viis tuis.* C

Matth.4.

12. *In manibus portabunt te : ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

Luc. 4.

QUIA promissum est auxilium temporale omnibus fidelibus confidentibus in Christo , qui se divino adjutorio committunt , ut dictum est superiùs, quia arma contra diabolum sunt passio Christi , & Ecclesiastica Sacramenta , & Lex Euangelica , quibus providit Christus suis fidelibus , & eos armavit contra insidias & tentationes diaboli. Hic autem ponit quartum auxilium , quæ est *custodia Angelorum* , quos Deus tribuit fidelibus ad custodiam hominum contra pericula temporalia , & etiam spiritualia. Unde secundùm *Hieronymum* super *Matth.* 16. & secundùm *Augustinum* , *libro Soliloquiorum* , *unaquæque anima habet Angelum à principio suæ creationis & nativitatis ad sui custodiam deputatum, ratione animæ , & ratione corporis.* Et ratio est : nam ejusdem est facere , & conservare. Cum ergo Deus permiserit diabolum homini inimicum à principio & exordio mundi , eò quòd habet possidere locum , quem ille per casum perdidit: D

Angelorũ custodia.

etiam semper diabolus conatur hominem destruere , non solum in anima , sed etiam in corpore : vellet enim ipsum interimere , quando est in pejori statu culpæ , ut auferret ipsi locum pœnitentiæ, & sic posset ipsum præcipitare , vel aliud damnum ipsi inferre per ignem , aut aquam , & quovis alio modo , postquam habet potestatem super elementa cum sit unum corpus. E

Item , posset hominem multipliciter affligere , ut deduceret ipsum ad blasphemiam vel desperationem : & maximè quia homo est subjectus multis miseriis, & infirmitatibus , & habet liberum arbitrium claudicatum , ut ait *Augustinus:* ideo est ipsi necessaria custodia Angelorum , ut liberet ipsum ab hujusmodi periculis corporalibus , & etiam à tentationibus occultis & spiritualibus , & ne cadat in diversa genera vitiorum. F

Ideo dicit hîc , continuando litteram cum superiori versu : *Non accedet ad te malum , & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Quare , & quo adjutorio ? Respondet : *Quoniam Angelis suis Deus mandavit*, id est, mandatum dedit eis *de te , ut custodiant te in omnibus viis tuis* in hoc mundo & via: quia in patria non erit necessaria custodia , ubi nullum erit periculum : sed erunt Angeli ad societatem felicitatis.

Et describit quinque pericula , à quibus liberant Angeli homines. Nam primò liberant hominem , *ne fortè offendat pedem suum ad lapidem.* Per *pedem* intelligitur pars corporea. Nam anima dicitur *caput hominis* , quia regit corpus: sed corpus dicitur *pes animæ* , quia cum corpore anima movetur , & operatur , & exercet omnia opera , & tangit terrena. Ideo Deus dedit Angelum homini , ut ipsum custodiat quoad corpus , ne lædatur & *offendat pedem suum* , scilicet corpus , *ad lapidem* , sive aliquam corporalem læsionem , & damnum ; & caveat omnia genera periculorum , & damnorum corporalium , quæ per *lapidem* intelligunter. Nam si non prohiberet Angelus custos , diabolus posset hominem lædere , aut in aquis suffocando, aut igni comburendo , aut præcipitando. Unde Angelus non solum prohibet diabolum , & cohibet ejus potestatem contra hominem , sed multiplici via hominem avisat , & cautum reddit , ne in hujusmodi pericula incidat , ut multiplici colligemus exemplo. Ideo subdit : *In manibus portabunt te , ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* G H

Angeli nos ab his periculis liberant.

Unde nota etiam , quòd sensualitas, quæ dicitur *pes animæ* , primò læditur & vincitur à *lapide* tentationis ; & exinde voluntas rationalis , consentiendo sensualitati , læditur & vulneratur culpâ,

à

à qua læſione præſervatur ex cuſtodia Angelorum. Item per *lapidem* poteſt intelligi Chriſtus, quem offendimus quotienſcumque peccamus.

De Pœn. d. 2. §. Ecõ trario, & §. Opponitur.

13. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem, & draconem.*

Quatuor mala à quibus anima lęditur.

SED quia *cuſtodia Angelorum* non ſolum liberat à periculis carnalibus, ſed etiam à periculis culpæ ſpiritualis animæ: ideo deſcribit hîc quatuor pericula, ſive mala, à quibus anima læditur, quæ deſignantur per quatuor animalia in hoc verſiculo memorata: quæ ſunt *aſpis*, *baſiliſcus*, *leo*, & *draco*. Quorum nomina gerit diabolus.

Nam ipſe dicitur *aſpis*, in quantum reddit hominem ſurdum, & cœcum per peccatum. Nam ponit caudam vitiorum in aurem hominis, ne audiat voces *incantantis ſapienter*, id eſt, ne audiat exhortationes, & doctrinam Euangelicam; & ſuper oculos, ne videat, & ne convertatur. Dicitur etiam *baſiliſcus* in quantum ſuo veneno inficit hominem in peccato. Dicitur autem *leo*, in quantum iraſcitur. Dicitur *draco*, in quantum occultè inſidiatur.

Item, dicitur *aſpis* in quantum inducit ignorantiam craſſam, & perpetratam. Dicitur *baſiliſcus*, in quantum inducit luxuriam, & inficit concupiſcentiam hominis, & incitat ad luxuriam. Dicitur *leo*, in quantum incitat ad iram, & ſuperbiam. Dicitur *draco*, in quantum incitat ad avaritiam, & ambitionem: quæ omnia devorant hominem. Per oppoſitum autem *Angelus cuſtos* occultè perſuadet, & conſulit homini, ut caveat hujuſmodi peccata, & reſiſtat tentationibus diaboli. Ideo dicitur in littera, non ſolum *non offendas ad lapidem pedem tuum* cum auxilio, & cuſtodia Angelorum: ſed etiam, *ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*, id eſt, omnia iſta genera peccatorum, & tentationum vinces & ſuperabis cum præſidio & cuſtodia Angelorum.

Chriſti tẽtatio.

Notandum eſt, quòd totum iſtum ordinem tenuit diabolus quando voluit ipſum Chriſtum tentare. Nam ipſe fuit *baſiliſcus*, in quantum ipſum voluit inficere peccato gulæ: quia non auſus eſt ipſum tentare de luxuria, quia ſciebat ipſum non eſſe conceptum in originali peccato, unde ineſt nobis fœditas libidinis, & concupiſcentia carnis. Ideo voluit ipſum tentare de gula, ſicut tentavit *Adam*, & exinde poſſet inducere ad alia peccata carnis.

Secundò, fuit *leo*, in quantum tentavit ipſum de vana gloria, & ſuperbia: quando dixit, *mitte te deorſum*: & non ſolum ibi fuit *leo*, ſed etiam *baſiliſcus*, & *aſpis*: quia voluit ipſum inficere ignorantia diſpoſitionis Hæreticæ pravitatis, quando allegavit ipſi ſuperiorem verſum, ſcilicet, *Angelis ſuis Deus mandavit de te &c.* Nam ſicut induxit ignorantiam & hæreſim in primis parentibus, falsò interpretando verba Dei, qui dixerat: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*; & diabolus falsò interpretatus eſt dicens: *Nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut dii ſcientes bonum & malum*: ita pariter ipſe diabolus conatus eſt pervertere, & falsò interpretari dictum, & Scripturam Spiritus ſancti, cum allegavit Chriſto iſtum verſum, ſcilicet *Angelis ſuis &c.* & hoc multipliciter. Nam hoc non erat dictum de capite Chriſto; cùm non indigeret cuſtodiâ Angelorum. Quia erat cuſtos eorum & Dominus, ſecundùm communem opinionem: ſed hoc dictum erat de homine viatore &c. immò inducebat majorem hæreſim & cœcitatem ignorantiæ, & venenum. Nam cuſtodia Angelorum data eſt homini ad cavendum ea, quæ non ſunt in poteſtate hominis; & maximè à nocumentis diaboli, tàm corporalibus, quàm ſpiritualibus: ſed non ad cavendum ea quæ ſunt in poteſtate & libero arbitrio hominis: ſed ſeipſum occidere eſt in poteſtate hominis & in ſuo libero arbitrio. Ideo tunc Angelus non liberat hominem à tali periculo corporali, poſtquam homo poſſit cavere: quia Angelus ſolùm datus eſt ad prohibendum extranea pericula, non propria: quia jam liberum arbitrium, & naturalem appetitum eſſendi & permanendi habet unuſquiſque ex natura. Diabolus ergo volebat decipere Chriſtum, allegando illam Scripturam, falſo modo interpretando: quia *Deus mandavit Angelis, ut cuſtodiant hominem in omnibus viis ſuis* à periculis extraneis corporalibus, & non à propriis periculis: quia jam habet liberum arbitrium, & naturalem appetitum ſe cuſtodiendi à propriis periculis. Et iſto modo diabolus decepit *Heronem* Monachum Ægyptium, qui ſeipſum in puteum præcipitavit, ut narrat *Caſsianus in Collationibus Patrum.*

Angeli cuſtodiunt civitates & regna.

Secundò eſt notandum: quòd Deus non ſolum deputavit Angelos ad cuſtodiam particularium hominum, ſed etiam Civitatum, & Regnorum, & Communitatum, & totius Eccleſiæ. Et ſic non ſolum dedit Eccleſiæ merita paſſionis Chriſti & Sacramenta, & Legem Euangelicam in dotem, ut ſe defendat à diabolo; ſed etiam dedit ipſi *cuſtodiam Angelorum*, ut eam defendant, & liberent

à Tyrannis, & inimicis, & infidelibus, & Hæreticis, qui sunt membra diaboli.

Inimici Ecclesiæ.

Unde quatuor genera inimicorum infestarunt, & infestant Ecclesiam: quæ intelliguntur per illa quatuor animalia prædicta. Nam prima persecutio fuit *Synagogæ*, quæ intelligitur per *aspidem*: conati enim sunt Judæi percutere Ecclesiam cœcitate, & ignorantiâ in principio: & sic persecuti sunt Apostolos. Sed *Petrus* per Angelum liberatus est de carceribus: & sic Angeli liberarunt Apostolos de manibus Judæorum in prima persecutione. Secundò, infestavit Ecclesiam *leo*, scilicet impetus Tyrannorum: sed in fine liberata est tempore *Constantini* opere Angelorum. Tertiò, infestavit Ecclesiam *basiliscus*: scilicet *pravitas Hæreticorum*, quæ suo veneno multos infecit & sauciavit: sed multipliciter fuit liberata per Doctores. Quartò, infestabit eam *draco* Antichristus, & cœtus hypocritarum: erit enim Antichristus simul *aspis & basiliscus*, *leo & draco*, scilicet Judæus & Hæreticus, & Tyrannus, & hypocrita: & sic vastabit Ecclesiam, sed non totaliter delebit: immò ministerio Angelorum in fine comminuetur & interficietur, & Ecclesia prævalebit & triumphabit. Et ideo ad hunc intellectum applicatur tota littera prædicta.

Unde Propheta apostrophat ad Ecclesiam Christi, dicens: O Ecclesia, quia *Altissimum posuisti refugium tuum*, & spem tuam in Christum; ideo *non accedet ad te malum, & flagellum* persecutionis *non appropinquabit tabernaculo tuo: Quoniam Angelis suis* Deus *mandavit de te &c.* Et sic *super aspidem & basiliscum ambulabis &c.* id est, cum auxilio Angelorum tu vinces & superabis malitiam Judæorum, & venenum Hæreticorum: & *conculcabis* superbiam Tyrannorum, & tuæ ditioni subjices & *conculcabis* iniquitatem Antichristi & suorum sequacium, & fautorum: quia finaliter omnes vinces, non solum spiritualiter, sed etiam temporaliter. Nam *portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam*: quia licet fluctuabit, tamen nunquam submergetur navicula Petri. Nam semper custodiâ & ministerio Angelorum liberabitur.

13. q. 1. c. *Hiis ita.*

14. *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.*

15. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.*

15. q. 1. c. *Revertimini.*

16. *Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.*

23. q. 1. § 1. *post medium.*

HIC Propheta ex parte & in persona Christi promittit adimplere omnia supradicta in Psalmo præcedente, & in isto. Ad cujus evidentiam est advertendum, quòd Propheta David contemplando orationem Moysi, & promissionem à Deo ipsi factam, prævidit totum mysterium Incarnationis, & nostræ redemptionis: ideo fecit Psalmum præcedentem, in quo fecit illas quinque petitiones, putà, ut Christus acceleret adventum suum: ut fieret nostrum refugium: & ne repelleret nos á suo refugio, sed liberaret nos ab omni miseria. Et in prima parte hujus Psalmi invitavit totum genus humanum, & omnes, ut confugerent ad hoc *refugium*, in quo omnes debebant salvari, & ab omni miseria liberari, ut supra ostensum est. Sed quia in oratione & contemplatione fuit ipsi revelatum: & iterum cum certitudine fuerunt revelata ipsi omnia promissa quæ petierat in Psalmo præcedenti, & quæ dixerat in prima parte hujus: ideo in hac ultima parte introducit Christum loquentem, & cum affirmatione promittentem ad implere omnia, quæ promisit *Moysi* in illa oratione, *Exod.* 33. & etiam omnia, quæ petit David in Psalmo præcedenti, & omnia illa quæ promisit David in hoc Psalmo cuique divino adjutorio se committenti. Unde dixit Christus: *Quoniam in me speravit.* Quasi dicat, ego promisi *Moysi*, quòd ego venirem in carne ad liberandum genus humanum, & promisi ostendere ipsi gloriam; & promisi misereri venientibus ad me, & eos reponere in foramine petræ; & promisi eis ostendere humanitatem meam. Et omnia ista tu David petisti in persona totius corporis mystici in Psalmo præcedenti, & omnia ista tu promisisti venientibus ad me, & committentibus se adjutorio meo. Nam promisisti eis, quòd ego *obumbrarem eis sub scapulis meis*, & protegerem eos *scuto* & *sub pennis meis*, & liberarem *à timore nocturno*, & *à sagitta volante in die*, & *dæmonio meridiano &c.*

Spes in Deo ponenda.

Et ideo dico tibi & promitto, quòd quicumque posuerit spem suam in me, & fecerit quod tu consuluisti in hoc Psalmo; dico tibi, quòd talis vir justus non erit

erit deceptus, immò *liberabo eum* ab omni miſeria, *quoniam in me ſperavit*, id eſt, quia ſe commiſit meo *adjutorio* A & *refugio* per ſpem firmam: & *protegam eum* ſub ſcapulis & alis, & ſcuto meo: & hoc, *quia cognovit nomen meum* per fidem, quod eſt *Jeſus*, id eſt, *Salvator*, id eſt, *quia cognovit*, & confeſſus eſt me eſſe verum Deum & hominem, & Salvatorem, & Meſſiam in Lege promiſſum.

Inſuper *exaudiam eum* in omni petitione, eò quòd *clamabit ad me* cum devotione & charitate: & ideo *ero cum ipſo in tribulatione* quia veniam in carne, ſicut promiſi, & *eripiam eum* de captivitate diaboli, & omnibus miſeriis ſupradictis, tàm corporalibus, quàm ſpiritualibus: & etiam *glorificabo eum* B in die Judicii, reſuſcitando in corpus glorioſum: & ſic erit liberatus ab omni miſeria corporali, ſcilicet, ab omnibus infirmitatibus, & mortalitate, & paſſibilitate: quia corpus glorioſum eſt liberum ab omnibus ſupradictis. Et ſic *longitudine dierum replebo eum*: quia vivet in æternum in patria cœleſti: eò quòd erit immortalis, & impaſſibilis. *Et oſtendam illi ſalutare meum*: nam per oculos corporeos videbit humanitatem meam; & oculis mentis videbit faciliter Divinitatem: & ſic erit perfectè beatus: & ſic non erit fruſtratus deſiderio ſuo. C Nam ſicut in vita ſua credidit, & *ſperavit in me*, & habuit fidem, ſpem, & charitatem; ita in patria habebit claram viſionem, & protectionem, & fruitionem de me, in quibus conſiſtit vera felicitas.

Ex ſupradictis poteſt patere cuicumque diligenter conſideranti & ſpeculanti, quòd David fecit Pſalmum præcedentem, & iſtum ſequentum, contemplando orationem *Moyſi*, & promiſſionem ipſi à Deo factam, *Exodi* 33. Nam in Pſalmo præcedenti *David* petiit ea, quæ fuerunt promiſſa in illa oratione: & in ultima parte hujus Pſalmi introducit Chriſtum, omnia ſupradicta confirmantem, & adimplere promittentem, ſicut D in veritate Chriſtus adimplevit in ſuo adventu per ſuam prædicationem, & paſſionem, & reſurrectionem, & aſcenſionem. Et ideo nos in hac Eccleſia ultra ſenſum propheticum cantamus iſtum Pſalmum quotidie moraliter *in Completorio*: quia continuè nos committimus adjutorio Chriſti: ut poſtquam nos redemit, velit nos liberare à tentationibus inimici, & totaliter in ſua gloria collocare, & etiam in die Judicii cum ſuis ſanctis in cœlo glorificare.

Ex hoc Pſalmo colliguntur novem concluſiones.

Pſalmi epilogatio.

Prima concluſio: quòd quicumque *habitat*, & *commoratur* in hac Eccle- E ſia militanti per gratiam ſub protectione Chriſti, liberabitur à laqueo peccati, & à ſententia aſpera data in *Adam*, & *à verbo* & ſententia aſpera, quæ dabitur damnatis in Judicio, cum dicetur: *Ite maledicti &c.*

Secunda concluſio: quòd quicumque *habitat* in hac Eccleſia ſub protectione Chriſti, erit obumbratus & ſeptus ſcapulis & ſub alis Chriſti. Nam Chriſtus in die paſſionis poſuit ſcapulas in cruce, obumbrans & protegens fideles, objiciens corpus contra diabolum: ſicut vacca protegit filium à tergo, objiciens ſe contra lupum.

Tertia concluſio: quòd Chriſtus protexit & liberavit fideles ſuos in cruce, F ſicut gallina liberat & protegit pullos ſuos ſub alis. Nam ſicut gallina primò recipit ova aliena: ſecundò, vivificat ea proprio ſudore & ſanguine: tertiò liberat de unguibus milvi: quartò paſcit eos, & dirigit in paſtu: ita pariter Chriſtus recepit filios, quos *Adam* carnaliter genuit mortuos in peccato: ſecundò, eos in proprio ſanguine vivificavit & fovit: tertiò, eos de raptu diaboli liberavit: quartò, eos continuè pabulo Eccleſiaſticorum Sacramentorum, & cibo ſpirituali ſacræ Scripturæ paſcit & nutrit.

Quarta concluſio: quòd qui *habi-* G *tat* in hoc divino refugio & tabernaculo Eccleſiæ, *non timebit à timore nocturno*, id eſt, à peccato cogitationis, nec *à negotio* tenebroſo, id eſt, à peccato propoſito & deliberato; nec *à ſagitta ambulante in die*, id eſt, à peccato in actu commiſſo. Nec ab *incurſu*, & *dæmonio meridiano*, id eſt, à peccato malæ conſuetudinis. Item, non timebit à peccato negligentiæ, nec avaritiæ, nec luxuriæ, nec ſuperbiæ: quæ ſunt arma quibus diabolus fauciat hominem. Et ratio eſt. Nam Eccleſia habet arma contraria, quæ ſunt Eccleſiaſtica Sacramenta ad deſtruenda & delenda omnia ſupradicta peccata.

Quinta concluſio: quòd omnes Ju- H dæi & infideles *cadent* vulnerati & fauciati veneno peccati *à dextris* & *ſiniſtris* ipſius juſti fidelis. Tamen *non appropinquabit* juſto talis peſtis.

Sexta concluſio: quòd quia *refugium* Eccleſiæ eſt fundatum ſuper altam petram, qui eſt Chriſtus: ideo *malum* culpæ & pœnæ æternæ *nunquam accedet* ad virum juſtum in illo refugio & tabernaculo habitantem.

Septima concluſio: quòd vir juſtus habitans in tabernaculo Eccleſiæ, non ſolum liberatur à peccato & pœnâ æternâ per Eccleſiaſtica Sacramenta, ſed etiam liberatur à periculis corporalibus,

&

& dirigitur in hac vita per cuſtodiam Angelorum.

Octava concluſio: quòd vir juſtus habitans in hoc refugio Dei, *conculcabit aſpidem*, & *baſiliſcum*, & *leonem*, & *draconem*: id eſt, vincet & ſuperabit cæcitatem luxuriæ, & iram, & avaritiam diaboli: quia nec iſta vitia, nec diabolus, potuerunt juſto per illa vitia nocere.

Nona concluſio: quòd quilibet vir juſtus qui invocaverit nomen Domini Jeſu, & confeſſus fuerit Chriſtum eſſe ſalvatorem, & ſervaverit Legem ejus, liberabitur ab omni malo; & Chriſtus proteget eum *ſub alis*, & *ſcapulis* ſuis: & *exaudiet eum in omni tribulatione* & petitione; & *glorificabit eum* Chriſtus poſt hanc vitam, & tandem dabit ei vitam æternam.

Speranti in Domino liberat à ſeptem.

Ex ſupradictis patet, quòd David in hoc Pſalmo nil aliud vult innuere, niſi oſtendere, quomodo ille *qui habitat in adjutorio*, & ſub gratia Chriſti, & commoratur ſub protectione ejus, & totaliter ponit ſpem ſuam in eo; ille talis conſequetur ſeptem bona, vel octo. Et liberabitur de ſeptem periculis. Nam primò, liberabitur *de laqueo venantium* dœmoniorum, & *à verbo* & ſententia *aſpera in Adam*: & *à verbo aſpero*, quod dicetur damnatis in die Judicii. Secundò, Chriſtus *obumbrabit* ipſum *ſcapulis ſuis* in cruce, & cooperiet *ſub pennis*, & *alis ſuis*, & viviſicabit, & fovebit, & nutriet, & cuſtodiet eum, ſicut gallina pullos ſuos. Tertiò, *circundabit* & proteget *eum ſcuto* Legis Euangelicæ, & Eccleſiaſticorum Sacramentorum. Et ſic non *timebit à timore nocturno* peccatorum, & tentationum. Quartò, quia *mille* ex Judæis, & *decem millia* ex Gentilibus & Saracenis *cadent à latere* ejus vulnerati peccato originali & actuali; tamen ad eum non appropinquabit illa peſtis. Quintò, infideles multis flagellis corporalibus & ſpiritualibus flagellabuntur: *Quæ flagella non appropinquabunt ad tabernaculum* & *altiſſimum refugium* fidelium. Sextò, quòd Deus dabit Angelos, & ſpiritualem cuſtodiam fideli, ut *cuſtodiant eum in omnibus viis ejus*. Septimò, quòd omnis fidelis *ambulabit ſuper aſpidem & baſiliſcum*; *& conculcabit leonem & draconem*. Octavò, quòd finaliter poſt hanc vitam Chriſtus *glorificabit* omnes juſtos in *longitudinem* dierum, & vitam æternam. Et in his ſupradictis conſiſtit tota ſententia & intelligentia hujus Pſalmi prout expoſitus eſt.

***

PSALMUS XCI.

1. *Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo Altiſſime.*

92. diſc. 1. in gloſ. & de Cõſec. d. 2. c. Acceſſerunt.

2. *Ad annuntiandum manè miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.*

3. *In decachordo, pſalterio: cum cantico, in cithara.*

TITULUS: *Pſalmus Cantici in die Sabbati.* Dicitur autem *Pſalmus Cantici*, quia ſimul cantabatur voce humanâ, & inſtrumentis muſicis. Scilicet pſalterio, & cithara. Additur autem *in die Sabbati*, quia tali die cantabatur. Sed hic non exprimitur ejus autor, nec materia: ſed communiter dicunt Hebræi moderni, quòd *Moyſes* fecit hunc Pſalmum pro beneficio creationis. Et ideo cantabatur in *die Sabbati*, eò quòd tali die quievit Deus ab omni opere quod patrarat: de quibus operibus ſit memoria in hoc Pſalmo.

Rabbi *Cambi* verò dicit, quòd *Adam hariſon* fecit hunc Pſalmum, & non quòd ipſe fecit, ſed quòd David fecit ipſum in perſona ipſius *Adam*: & ſic Adam loquitur in ipſo Pſalmo in perſona totius poſteritatis: cujus cauſam aſſignat. Dicit enim, quod *Adam* fuit creatus in die Veneris, quaſi hora tertia: & peccavit hora undecima. Et hora duodecima fuit expulſus, & ad mortem condemnatus: & ſic manſit in fletu & planctu per totam illam diem & noctem, uſque ad diem Sabbati de mane, in qua fuit ipſi remiſſa culpa, & ad pœnitentiam receptus; & tunc incepit conſiderare opera Domini, ſcilicet, univerſitatem creaturarum: & ſic factus lætus in die Sabbati, incepit canere & pſallere, dicens: *Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo Altiſsime.* Et dicit ultra, quod Adam prævidit in ſpiritu totum diſcurſum filiorum ſuorum uſque ad Meſſiam, cujus regnum debebat exaltari ſicut unicornis: & maxime proſperari in multitudinem filiorum. Et ſic gloſſat iſtum Pſalmum de tempore Meſsiæ, & proſperitate ejus.

Adã creatus in die veneris.

Cujus poſitio licet ſit aliqualiter vera, in quantum dicit, quod iſte Pſalmus, & omnes ſequentes uſque ad centum, loquuntur de tempore Meſsiæ: tamen dicit falſum & erroneum, in quantum quod

eſt

est jam præteritum expectat futurum: & hoc accidit, quia non est *plantatus in domo Domini* per Baptismum, & sic non potest florere in vera intelligentia sacræ Scripturæ, ut patebit infra. Et ideo est dicendum, quòd David fecit hunc Psalmum, sicut omnes alios, in quo introducit ad loquendum ipsum *Adam mysticum*.

Ad cujus evidentiam est primò notandum, & advertendum, quòd iste *homo mysticus*, incipiens à primò homine, prout habebat fidem Christi, habuit suas ætates, sicut dictum est *in Prologo*; & ita similiter ipsa Lex divina, prout incepit ab Adam usque ad judicium habuit sua sæcula, & suos dies. Et ideo tota ultima ætas, scilicet temporis gratiæ, in quo venit Christus, dicitur *ætas ultima* ipsius hominis, vel ipsius Ecclesiæ in hac vita; & dicitur *senectus* ejus, scilicet, istius hominis mystici, in qua senectute iste homo fuit prosperatus, & exaltatus per gratiam Christi. Et dicitur prosperatus in sua senectute, cùm in tota sua juventute ab expulsione paradisi, usque ad adventum Christi, semper fuit à diabolo multipliciter afflictus.

Ætas Legis seu fidei.

Item, ista ultima ætas dicitur etiam *Sabbatum* ipsius Legis, in quo sabbato quievit iste *homo mysticus* per gratiam, & fuit exaltatus, & redemptus per misericordiam, & de captivitate eductus. Per oppositum, diabolus cum suis membris, & toto cœtu infidelium, quæ dicitur *civitas diaboli*, fuit dejectus & prostratus per justitiam. Unde Christus ad hoc venit cum humilitate, ut dejiceret & deponeret superbos per justitiam, & exaltaret, & vocaret humiles per pœnitentiam. Et hoc est unum de majoribus operibus quæ fecit Deus. Et sic nostra redemptio fuit exaltatio humilium, & depressio superborum: & de hoc mysterio *Virgo Maria* fecit illud Canticum, quòd incipit: *Magnificat anima mea Dominum*: quod quidem Canticum memoratur in hoc Psalmo, immò de illo Cantico factus est iste Psalmus, ut patebit.

Nota.

Nam prævidens David in spiritu, qualiter Christus in suo adventu, hoc est, ultimâ ætate, quæ dicitur *Sabbatum mundi*, & *senecta* hominis mystici, Redemptor noster Christus debebat dejicere & prosternere diabolum cum tota ejus civitate & membris per justitiam, & debebat exaltare humiles, & facere eos membra sua per misericordiam: cantat ergo David in hoc Psalmo misericordiam, qua Christus exaltavit Ecclesiam, & humiles fideles suos post multas & magnas persecutiones, & maximè decantat prosperitatem Ecclesiæ, & justitiam, & punitionem, qua punivit & depressit superbos Judæos, & Tyrannos persecutores Ecclesiæ. Hanc ergo justitiam, & hanc misericordiam decantat David in hoc Psalmo, in quo duo facit. Nam primò promittit, hanc misericordiam & justitiam cantare in adventu Christi in persona ipsius hominis. Secundò, reddit causam. Ibi: *Quoniam delectasti me Domine.*

Quantum ad primum dicit: *Bonum est confiteri Domino*, id est, justum & dignum & debitum erit confiteri, & laudes exhibere tibi Domine Jesu Christe. *Et psallere*, id est, cum instrumentis musicis cantare *nomini tuo* Jesu *Altissime.*

Ad cujus intellectum est notandum, quòd totum tempus gratiæ dicitur *manè* respectu Legis veteris, quæ dicebatur *nox*, in qua iste homo mysticus non poterat cantare Canticum lætitiæ: eò quòd erat in afflictione peccati, & per justitiam condemnatus. Sed in tempore gratiæ, quia jam est dies, jam cantat Canticum lætitiæ, liberatus per gratiam, & misericordiam Christi. Et ideo subdit Propheta: *Ad annuntiandum manè misericordiam tuam.* Quasi dicat: quòd *bonum est canere & psallere*, & annuntiare in *manè*, id est, in die gratiæ annuntiare misericordiam Christi, qua liberavit nos de potestate diaboli, & exaltavit nos per gratiam. Et sequitur: *& veritatem tuam per noctem.*

Tempus gratiæ dicitur manè.

Unde nota: quòd *veritas* hîc sumitur pro *justitia.* Nam sicut verum, sive veritas, dicitur *adæquatio rei ad intellectum*, & econtra, in quantum intellectus non deviat à re: ita *justitia* dicitur, in quantum non deviat à rectitudine, & illâ justissimâ regulâ: *Nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum*: &, *Quod tibi vis, alteri fac*: &, *Quod tibi non vis, alteri non facies*: quod est unum principium naturale & morale. Et ideo tunc judicium dicitur verum, quando est justum, non devians ab illa regulâ. Et sic *veritas* dicitur *justitia.* Et ideo dicit hîc: *Ad annuntiandam veritatem*, scilicet justitiam, *per noctem*, id est, tempore Legis.

Verum quid est.

Sed melius est quod per *noctem* intelligatur *dies Judicii*, in quo judicabuntur superbi, & infideles ad damnationem perpetuam, & noctem inferni. Et etiam per istam *noctem* intelligitur totum tempus ab adventu Christi usque ad judicium: quod quidem tempus sicut dicitur *dies* respectu fidelium, eò quòd receperunt lumen, & ambulant in die: ita idem tempus dicitur *nox* respectu Judæorum modernorum, qui non recipiendo Christum, perdiderunt lumen

men fidei, quod ante habebant, & ceciderunt in cœcitatem & ignorantiam. Et sic ambulant in *nocte*. Et sic sicut nos per misericordiam fuimus illuminati; ita illi per justitiam fuerunt obcœcati, & obtenebrati propter suam superbiam, & malitiam, & invidiam: quia obcœcavit eos malitia eorum, ne intelligerent sacramenta Dei: quia noluerunt esse humiles, sed superbi. A

Dicit ergo David in persona totius Ecclesiæ, sive corporis mystici. *Bonum est confiteri Domino &c.* id est, justum erit *annuntiare misericordiam tuam* in *manè*, id est, tempore gratiæ, in quo illuminasti & exaltasti humiles per misericordiam. Et *bonum* erit jam cantare, & annuntiare *veritatem*, id est, justitiam *tuam per noctem* Judæorum, in qua obcœcasti eos, & dejecisti per justitiam. B

Etiam est notandum: quòd, sicut per *manè* intelligitur totum tempus gratiæ: ita per *noctem* potest intelligi totum tempus Legis veteris. Nam sicut nos cantamus *misericordiam* Dei, quam recepimus: ita illi cantabant *veritatem* quam prophetiæ prænuntiabant. Item etiam per ly *manè* potest intelligi tempus prosperitatis; & per *noctem*, tempus adversitatis. Quasi dicat: quòd *bonum est confiteri Domino*, *ad annuntiandum misericordiam tuam* in tempore prosperitatis: *& veritatem*, sive justitiam, in tempore adversitatis. Deinde cum subdit: *In psalterio*, ostendit, quomodo iste cantus & annuntiatio cantabitur, & fiet cum duobus instrumentis musicis, scilicet, *in psalterio decachordo*, id est, *in psalterio* decem chordarum, & *cithara* simul *cum cantico* humano. C

Ad cujus intellectum est notandum, sicut dictum fuit in principio, quòd *psalterium* est instrumentum musicum quadratum habens decem chordas: & *cithara* est instrumentum triangulare, habens quatuor chordas principales. Est verum quod in hoc versu Hebræi faciunt differentiam inter *psalterium*, & *decachordum*. Nam dicunt, quòd *decachordum* est instrumentum decem chordarum: & *psalterium* est multarum chordarum. *Cithara* autem est aliud instrumentum triangulare: & ideo in Hebræo ponitur dictio conjunctiva inter decachordum, & psalterium. Dicitur enim: *In decachordo & psalterio*; & sic assignantur tria instrumenta, id est, *decachordum*, & *cithara*, & *psalterium*. Sed in hoc non est vis: sed magis est insudandum circa mysterium, quod figurabant ista instrumenta. D

Nota.

Nam instrumentum *decachordum*, significabat totum Euangelium, in quo continentur decem mysteria Christi, scilicet incarnatio, nativitas, baptismus, prædicatio, miraculorum operatio, mors, sive passio, resurrectio, ascensio, Spiritus sancti missio, & Euangelii per totum orbem promulgatio. Istæ sunt decem chordæ instrumenti, sive *psalterii* Euangelici. Et hoc instrumentum, sive psalterium cantat & personat quotidie Ecclesia per totum orbem terrarum. E

Similiter per *psalterium* decem chordarum intelligitur *Canticum* quod cantavit tympanistria nostra *Virgo Maria* in domo *Elisabeth*, quando dixit: *Magnificat anima mea Dominum*: illud enim canticum dicitur *psalterium* decem chordarum, eò quòd continet decem versus. F

Canticum Mariæ.

Quod quidem *psalterium* & Canticum fabricavit *Virgo Maria*, & primò cantavit; & exinde quotidie cantat Ecclesia in Vesperis.

Quod prævidens David in spiritu, dicit in ista parte: *Bonum est confiteri Domino*, *& psallere* misericordiam *in psalterio* decem chordarum; & hoc in *manè*, id est, in die gratiæ. Quasi dicat: quòd magna lætitia erit in mundo tempore gratiæ. Nam cum *Virgo Maria* tympanistria nostra, & primum membrum Ecclesiæ incipiet cantare *psalterium* decem chordarum, sive incipiet annuntiare misericordiam tuam in psalterio decem chordarum, quando dicet: *Magnificat anima mea Dominum*: tunc tota Ecclesia personabit illud *psalterium*, & cantabit illud Canticum per totum *manè*, id est, per totum diem gratiæ. Et etiam cantabit Ecclesia totum *psalterium* Euangelicum decem chordarum, id est, continens decem supradicta mysteria. Et cantabit etiam *cum cithara*, quod est triangulare instrumentum; per quod intelligitur Trinitas personarum in divinis: vel intelligitur Trinitas virtutum theologalium, scilicet fides, spes, & charitas. G

Nam istæ tres virtutes includunt totam Legem Euangelicam. Nam omnia quæ continentur in Lege Euangelica: aut pertinent ad fidem, aut ad spem, aut ad charitatem; quia nihil docetur in Euangelio, nisi quid credendum, aut diligendum, aut sperandum, ut ait *Augustinus in Enchiridio*. Et sic Ecclesia cantat hodie Euangelium cum *psalterio* decem chordarum, & *cum cithara*, ut dictum est: & cantat etiam *psalterium* decem chordarum ipsius *Virginis Mariæ* quotidie *in Vesperis*; & cantat etiam *citharam Simeonis*, scilicet: *Nunc dimittis servum tuum Domine*: quod est *Canticum* continens quatuor chordas, scilicet quatuor versus; & hoc cantat *in Completorio*. Hoc est ergo *psalterium* Virgineum, & Euangelicum, & hæc est *cithara* Euangelica, de qua dicit H

cit David in hoc Pſalmo: *in pſalterio decachordo &c.*

Unde debet ſic ordinari littera: A *Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo Altiſſime*, ſcilicet, *in decachordo pſalterio cum cantico, & cithara.* Et ſubdit illud quod intendit cantare, quia intendit cantare *miſericordiam*, per quam Chriſtus exaltavit humiles, & *veritatem*, ſive juſtitiam, per quam dejecit & punivit ſuperbos. Et ideo, ſi bene volumus conſiderare, videbimus quod iſte Pſalmus eſt figura illius *Cantici*, quod *Virgo Maria* cantavit; quia eandem materiam continet: & ſimiliter illud Canticum non memorat, niſi miſericordiam, qua Chriſtus *exaltavit humiles*, & juſtitiam, qua dejecit ſuperbos, ut magis patebit in fine hujus Pſalmi. Vel poteſt dici breviùs, ſicut dictum eſt *in Prologo*: quòd per *pſalterium decachordum* intelligit David decem myſteria Eccleſiaſtica, ſcilicet myſterium incarnationis, & prædicationis, & miraculorum operationis, & paſſionis, & noſtræ liberationis per deſcenſum ad inferos, & Eccleſiaſtica Sacramenta; & myſteria reſurrectionis, & aſcenſionis, & Spiritus ſanctis miſſionis, & Eccleſiæ congregationis, & ultimi Judicii glorificationis. Hoc eſt pſalterium, quod continuè cantat & confitetur Eccleſia: ſed non cantat eum ſine *cithara*, per quam intelligitur myſterium Trinitatis: eò quòd ſupradicta decem myſteria Chriſti præſupponunt myſterium Trinitatis: eò quòd Chriſtus eſt ſecunda perſona in Trinitate: qui quidem Chriſtus refertur ad Patrem & Spiritum ſanctum, ſine quibus non poteſt eſſe. Et ideo nemo poteſt cantare, nec confiteri pſalterium Chriſti ſine *cithara* Trinitatis. Et eſt cauſa, quare David in Pſalmis nuſquam memorat nec nominat *pſalterium*, quin nominet *citharam*. Per *Canticum* autem intelligit forſan David Canticum *Virginis Mariæ*. Et ſic Eccleſia continuè cantat & confitetur pſalterium decem chordarum & myſteriorum Chriſti cum *cithara* Trinitatis, & cum *Cantico* Virginis Mariæ. Et hoc eſt quod intendit dicere David: *Bonum eſt confiteri Domino in decachordo pſalterio, & cantico, & cithara.*

Nota.

B

C

D

6. q. 1. c. Si omnia.

4. *Quia delectaſti me Domine in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo.*

IN hac ſecunda parte reddit cauſam, quare movetur ad pſallendum & confitendum Deo, & dicit: quòd conſideratione & contemplatione divinorum operum. Nam cum in hac vita nemo poſsit videre Deum per eſſentiam ſuam; tamen quia effectus & opera divina oſtendunt omnipotentiam, & ſummam bonitatem, & ſapientiam Dei: ideo conſideratio & contemplatio mirabilium operum Dei movent hominem ſapientem de neceſsitate ad laudandum Deum, & confitendum ipſum eſſe magnificum, & omnipotentem, & ſapientiſsimum, & tremendum. Dicit ergo David in perſona totius Eccleſiæ: *Bonum*, id eſt, debitum & juſtum *eſt* mihi *confiteri Domino &c. quia* tu *delectaſti me*, id eſt, lætificaſti me *in factura tua*, *& in operibus manuum tuarum*: & non ſolum me delectaſti in operibus creationis, ſed etiam redemptionis generis humani.

E

F

5. *Quam magnificata ſunt opera tua Domine: nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.*

Infr. 104. c.

6. *Vir inſipiens non cognoſcet: & ſtultus non intelliget hæc.*

6. q. 1. Si omnia.

G 7. *Cum exorti fuerint peccatores ſicut fœnum: & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem.*

20. q. 1. Si peccaverit.

8. *Ut intereant in ſæculum ſæculi: tu autem Altiſsimus in æternum Domine.*

93. d. cap. Diaconi.

HIC explicat, quæ ſunt iſta divina opera, propter quæ movetur ad cantandum, & pſallendum, & confitendum Deo. Ad cujus intellectum eſt H notandum, quòd opera divina ſunt in triplici genere. Quædam dicuntur opera creationis: & quædam opera permiſſionis: & quædam opera redemptionis: & quædam opera juſtificationis, & punitionis. Prima opera, ſcilicet creationis, putá, cœlum, & elementa, & omnis ornatus eorum, dicuntur *opera magnifica*; quia demonſtrant Dei omnipotentiam. Opera verò permiſsionis, ſcilicet, quare Deus permittit proſperari malos, & affligi bonos in hac vita, pertinent ad profundiſsimam & abyſſalem ſcientiam Dei. Opera verò punitionis malorum, pertinent ad Dei juſtitiam, & demonſtrant Deum eſſe juſtiſ-

Opera divina ſunt in triplici genere.

simum. Sed justificationes bonorum, pertinent ad Dei misericordiam : quia sicut punit malos per justitiam, ita justificat, & vocat, & exaltat bonos, non ex meritis, sed per solam misericordiam : & talia opera etiam pertinent ad altitudinem sapientiæ & scientiæ Dei. Ideo dicuntur inscrutabilia & investigabilia ; eò quòd nullus potest reddere causam, cùm sint ex voluntate Dei, & occultissimis judiciis ejus : & talia opera dicuntur *profundissimæ cogitationes Dei.*

Duo ergo facit hîc. Nam primò ostendit, quòd Deus est laudandus, & tremendus propter suam investigabilem scientiam, quâ permittit ad tempus malos prosperari ; & propter suam justitiam, quâ punivit eos in hoc sæculo, vel in alio. Secundò ostendit, quòd est laudandus, eò quòd exaltat humiles & justificat per pœnitentiam. Ibi : *Et exaltabitur sicut unicornis.*

Quantum ad primum ergo, dicit David admirando : *Quam*, id est, quantum *sunt magnifica tua opera* creationis, scilicet, cœlum, & terra, & omnis ornatus eorum. Sed *nimis*, id est, multò magis sunt *profundæ cogitationes tuæ*, id est, permissiones, quibus permittis prosperari malos in hac vita, & bonos deprimi ; & etiam quare, & quomodo punis malos, & exaltas bonos. Unde in tantum sunt *profundæ* istæ *cogitationes tuæ*, quod *insipiens non cognoscet*, *& stultus non intelliget hæc* mysteria & secreta tua : scilicet, cur & quomodo *exorti*, id est, multiplicati, & prosperati *fuerint peccatores* in hac vita, *sicut fœnum*, quòd citò crescit, & in brevi siccatur. Et similiter quomodo *omnes qui operantur iniquitatem*, id est, iniqui, *&* pravi *apparuerint* in divitiis & dignitatibus constituti in hac vita ; & tamen in brevi postea *intereant*, & pereant, & damnentur in infernum. Quasi dicat, quod *insipiens & stultus non* potuerunt pervenire ad cognitionem hujus secreti, id est, quare Deus permittit malos tantùm prosperari, ut postea pereant in æternum : quia hoc provenit ex illis profundissimis & occultissimis judiciis & secretis Dei.

Not. quod stultus est qui se cõvertit ad terrena.

Potest etiam hoc idem moraliter intelligi : quia *stultus* est ille qui totaliter convertitur ad ista terrena ; & *insipiens*, & imprudens est ille, qui non considerat cœlestia, & nec providet de futuris bonis cœlestibus : & ideo talis insipiens & stultus *non intelligit*, nec vult considerare vitam, & casum malorum hominum. Nam videmus quotidie, quòd licèt pravi & iniqui ad tempus prosperentur ; tamen videmus eos manifestè à dignitatibus & divitiis dejici & prosterni, & mala morte puniri, & sine pœnitentia ab hac vita discedere. Si ergo *stultus*, vel *insipiens* vellet ista judicia Dei attendere, non poneret spem suam in terrenis rebus & divitiis : sed provideret pro vita futura. Et ideo dicit : *Stultus & insipiens non intelliget hæc.*

Et nota, quòd dicit hîc *Rabbi Cambi*, quòd Moyses tria petivit à Deo in illa oratione, *Exod.* 33. inter quæ fuit unum, scilicet, ut Deus ostenderet ipsi faciem suam, id est, causas, quare Deus permittit malos prosperari, & bonos deprimi. Sed istam noluit ipsi detegere : quia hoc solùm vult in sua secreta scientia continere. Et ideo sequitur : *Tu autem Altissimus in æternum Domine*, id est, *tu* es *Altissimus*, & non vis ista secreta inferioribus manifestare. Et declarat Propheta omnia supradicta, cùm subdit :

9. Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt : & dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.

De Pœn. d. 1. c. Medicina, §. Proximo.

QUASI dicat : O Domine, *nimis sunt profundæ cogitationes tuæ : & stultus non intelliget hæc : Quoniam ecce inimici tui peribunt, & omnes qui operantur iniquitatem dispergentur.* Sed meliùs est quod hoc referamus ad divinam justitiam. Nam dictum est supra, quòd hîc intendit laudare Deum solummodò propter opera magnifica quæ sunt cœlum, & terra, & omnis ornatus eorum : sed etiam propter *profundas cogitationes*, id est, scientiam suam, quâ permittit malos prosperari. Hîc autem admiratur justitiam Dei, per quam vult malos puniri : ideo dicit : *Profundæ sunt cogitationes tuæ*, id est, judicia tua. Nam *ecce* omnes *inimici tui Domine peribunt* : & duplicatly *inimici*, eò quòd dupliciter *peribunt* inimici Dei, scilicet temporaliter, & in futuro æternaliter per pœnam. Et ideo subdit : *Et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem*, id est, Judei, qui *operati sunt iniquitatem* occidendo Christum, non solùm æternaliter, & in anima, sed etiam in corpore temporaliter punientur : quia captivi ducentur, & per totum mundum dispergentur. Ex supradictis patet, quomodo tenemur *confiteri*, *& psallere nomini Domini Altissimi.* Primò propter *opera magnifica* creationis. Secundò, quia *profundæ sunt cogitationes*, & judicia ejus altissima : quia licèt ad tempus permittat malos prosperari ; tamen finaliter eos pu-

punit per justitiam, & *deponit potentes*, & *disperdit superbos mente cordis sui.*

A

12. q. 2. c. *Cum devotissimam.*

10. *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum: & senectus mea in misericordia uberi.*

HIC ostendit, qualiter tota Ecclesia tenetur *confiteri Domino*: eò quòd sicut dejecit inimicos suos per justitiam, ita exaltavit eam, & justificavit fideles per misericordiam. Vel possumus dicere, quod sicut superiùs corpus mysticum confessum est, & cecinit justitiam Dei, qua punivit superbos, & malos, & iniquos: ita in hac parte cantat & annuntiat misericordiam Dei, qua justificavit, B & exaltavit fideles justos, & humiles. Dicit ergo corpus mysticum: O Domine, *inimici tui peribunt*, & superbos dejicies per justitiam; sed *me exaltabis* per misericordiam. Nam *cornu meum*, scilicet Christus, qui est Rex & honor meus, *sicut unicornis exaltabitur*. Nam sicut *unicornis* non habet nisi unum cornu, nec patitur secum socium in latibulo: ita tota Ecclesia non habet nisi unum caput, & unum Regem, qui est Christus: qui est elevatus, & exaltatus non solummodò super omnes homines, sed etiam super omnes Angelos, sedens à dextris Dei: & non solummodò Christus est exaltatus, sed etiam *cornu*: id C est imperium, & honor, & potestas sacerdotalis Ecclesiæ est exaltata *sicut unicornis*. Nam sicut tota Ecclesia toto orbe diffusa, est una: ita habet unum caput, & unum summum Sacerdotem, qui in tantum est elevatus, & exaltatus, quòd omnes Christiani, & omnes Reges & Principes terræ ipsi colla subjiciunt. Et non solummodò summo Pontifici; sed etiam toti Ecclesiæ deferunt honorem & obedientiam. Et etiam istud corpus mysticum non solum est exaltatum in honore mundanorum spirituali: sed etiam in gratia & meritis per misericordiam copiosam & abundantem, qua omnes fideles per solam Dei miseD ricordiam sunt à peccato justificati, & ad gratiam vocati. Et sic per misericordiam sunt exaltati.

Et ideo dicit iste homo mysticus, quòd *exaltabitur sicut unicornis cornu meum*, *& senectus mea* erit exaltata *in misericordia uberi*, & abundanti. Et dicit, *senectus mea*: quia iste homo mysticus, qui per totam juventutem à principio fuit à diabolo & membris ejus multipliciter afflictus; tamen in senectute, id est, in ultima ætate fuit per Christum in *uberi* & abundanti misericordia *exaltatus*, & copiosè redemptus. Et etiam ista Ecclesia dicitur *exaltata in misericordia uberi*, propter E ubertatem, & affluentiam medicamentorum, & Ecclesiasticorum Sacramentorum ad sananda vulnera nostra: & propter ubertatem bonorum spiritualium, scilicet donorum, & gratiarum.

11. q. 3. *Ad mēsā.*

11. *Et despexit oculus meus inimicos meos: & in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.*

D. 47. c. *Omnium, in Glos.*

12. *Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.* F

13. *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.*

ECclesia in hac parte ostendit, quòd non solùm fuit exaltata per universalem misericordiam Christi in sua redemptione; sed etiam fuit exaltata per benignum favorem Christi inter omnes suas persecutiones. Nam licèt Deus permiserit eam multipliciter affligi in persecutionibus Tyrannorum; tamen posG tea exaltavit eam tempore Magni *Constantini*. Unde dicit: *Et oculus meus despexit inimicos*, tàm Judæos, quàm Tyrannos: *& malignantibus insurgentibus in me audiet auris mea.*

Et nota, quòd ly *malignantibus insurgentibus* est ablativus absolutus, & debet sic ordinari ista littera: *Auris mea audiet*, quando *malignantes*, sive dum malignantes *surgent in me*, id est, contra me: & tamen *oculus meus despexit*, id est, despiciet inimicos meos, id est, ego despiciam omnes Tyrannos, & Judæos, licèt insurgant contra me, immò *despiciam*, & dejiciam, & subjiciam eos mihi. Nam Gentiles subjeci H ad fidem convertendo, & Judæos in captivitate possidendo. Sed *justus*, id est, populus Christianorum justorum, *florebit ut palma*, *& multiplicabitur ut cedrus.*

Exaltatio justorum comparatur palmæ.

Et nota, quòd superiùs comparavit prosperitatem mundanam malorum hominum *fœno*, sive *herbæ*: & comparat hìc exaltationem justorum *palmæ* & *cedro*: nam sicut *herba* & *fœnum* breviter crescit & floret, sed citò decidit & siccatur: ita mali & iniqui in hoc mundo, licèt ad tempus prosperentur; tamen prosperitas eorum est brevis, quia citò decidit, aut per adversitatem, aut

per mortem corporalem ; & sic miserabiliter finiunt vitam suam breviter , & post mortem patiuntur pœnam æternam. Sed exaltatio justorum , eò quòd non est temporalis , sed spiritualis , comparatur *cedro* , & *palmæ*. Nam inter cæteras arbores & plantas cedrus & palma sunt altiores , & longioris vitæ & durationis. Nam dicunt *Saraceni* & *Arabes* , quòd aliquæ palmæ sunt in *Cades* & in *Arabia* , quæ sunt ortæ & plantatæ per quingentos annos ante tempora *Mahometi* : quæ quidem palmæ hodie adhuc stant & fructificant. Et sic patet, quòd durant & vivunt ultra mille annos.

Et ideo Propheta comparat prosperitatem justorum ipsi palmæ propter æternitatem vitæ. Unde non solummodò comparat propter durationem vitæ, sed etiam propter altitudinem ejus præmii. Nam palma habet radicem in terris; B sed habet summitatem elevatam à terris, quasi in cœlo : ita pariter justi plantantur in terra , & laborant ; sed mens eorum est elevata in cœlis. Et sic florent, & fructificant in cœlo. Quia ibi datur eis præmium.

Dicit ergo David , quòd justus non florebit sicut *herba* & *fœnum* : quia citò decidit & arescit , quemadmodum florent iniqui & mali. Sed *florebit* omnis *justus sicut palma* altissima , & *cedrus Libani* ; quæ quidem palmæ & cedri vivunt & durant per magna tempora. Et etiam , *justi* sunt *sicut palmæ* & *cedri*. Nam sunt *plantati in domo Domini* , id est , in Ecclesia generati & conversati : sed *in atriis domus Dei nostri florebunt* in cœlo , & habebunt fructum & præmium. C

Et non solummodò ista prosperitas Ecclesiæ & altitudo est in cœlo, sed etiam in terra. Nam licet Ecclesia fuerit afflicta à passione Christi usque ad *Constantinum* per Judæos & Tyrannos : tamen post conversionem *Constantini* fuit exaltata & prosperata super Gentiles & Judæos *sicut palma* & *cedrus* super omnes alias plantas. Quia subjecit Gentiles per fidem , & Judæos possedit in captivitate : & sic omnes Gentiles & cæteri qui venerunt ad fidem , fuerunt *plantati in domo Domini* , scilicet in hac Ecclesia per D Baptismum : & ideo floruerunt *in atriis domus Dei nostri* , scilicet , in hac Ecclesia floruerunt per gratiam , & intelligentiam sacrarum Scripturarum , & in cœlo per gloriam.

25. d. ca. Quamvis, & 11. d. Quis , & 22. d. ca. Omnes.

14. *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi : & bene patientes erunt , ut annuntient.*

E 15. *Quoniam rectus Dominus Deus noster : & non est iniquitas in eo.*

AD cujus intelligentiam est notandum , quòd Ecclesia multum fuit exaltata , & multiplicata , & floruit per totum orbem terrarum post conversionem *Constantini* : nam , sicut dictum est supra , omnes nationes , scilicet *Æthiopes* , & *Chaldæi* , & *Scythæ* , & *Græci*, & *Latini* venerunt ad fidem Christi. Sed postea surrexit ista maledicta secta Mahometica , & occupavit majorem partem mundi ; veniet postea Antichristus , qui magis etiam diripiet Ecclesiam. Sed post miserabilem exitum Antichristi omnes nationes mundi , & omnes F Judæi , & cæteri sequaces Antichristi, videntes se manifestè deceptos , & cognoscentes veritatem Euangelicam , omnes maximo affectu venient ad fidem Christi & regenerabuntur per Baptismum ; & sic *fiet unum ovile* , *& unus pastor*. Et tunc erit Ecclesia in maxima copia & ubertate filiorum & prolis.

Et hoc est quod dicit hic Propheta. Unde ait : Non desperent Christiani , nec lætentur infideles , cùm viderint Ecclesiam afflictam & minoratam tempore *Mahometi* & *Antichristi*. Nam filii Ecclesiæ *adhuc multiplicabuntur in senecta uberi* , id est , in fine ultimæ ætatis post interitum Antichristi , quando Ecclesia erit *in senecta* : quia tunc omnes nationes venient ad fidem , & sic G erit *in senecta uberi* , & abundanti , & copiosa in prole filiorum : & illi filii Ecclesiæ tunc *erunt bene patientes* , id est, bonum præmium recipientes.

Unde nota , quòd sicut liberalis, & ille qui dat , dicitur *beneficus* , id est, benefaciens. Ita recipiens donum , vel munus , *bene patiens* , vel *bene passus*, ut patet 4. & 5. *Ethicor.* & similiter dicit Propheta , quòd omnes fideles in die Judicii erunt *bene patiens* , id est , bonum præmium recipientes , *ut annuntient* , id est , annuntiare possint in judicio , *Quoniam Dominus Deus noster* est H *rectus* , & justus Judex , *& non est iniquitas in eo* , immò summa justitia. Quasi dicat : quòd tunc omnes justi recipient præmium laborum suorum , & laudabunt Christum de summa justitia : quia permiserit malos ad tempus exaltari, & bonos per malos deprimi : tamen non est injustus : quia in fine ostendet suam justitiam , quia malos puniet & bonos exaltabit. Ergo *bonum* , & justum *est confiteri Domino* , *& psallere nomini tuo Altissime* : & bonum est *annuntiare mane*

Nota de bene patientes.

nè miſericordiam tuam, & veritatem, id eſt juſtitiam, & ſapientiam tuam *per noctem*, id eſt, tempore adverſitatis, & A proſperitatis, & in die Legis, & in nocte ignorantiæ Judæorum: quia ſemper debemus Deum laudare, eò quòd dejecit & depreſsit Judæos, & omnes infideles per juſtitiam: & exaltavit juſtos & humiles per miſericordiam in primo adventu, à captivitate peccati per ſuam paſsionem educendo: & in ſecundo adventu puniet infideles per juſtitiam ad pœnam æternam deſtinando: & exaltabit humiles per miſericordiam, gloriam largiendo.

Et ſupradictis patet, quòd intentio Prophetæ in hoc Pſalmo eſt cantare, B & pſallere *divinam miſericordiam* qua Chriſtus exaltabat, ſive debebat exaltare in ſuo adventu humiles: & *juſtitiam*, qua debebat dejicere ſuperbos, & malos, & iniquos, & infides &c.

Ex ſupradictis etiam eſt manifeſtum, quod iſte Pſalmus eſt prophetia *Cantici Virginis Mariæ*. Nam pariter Virgo Maria nil aliud facit, niſi quod magnificat, & commendat Deum de magna *miſericordia quâ exaltavit humilem*, & de *juſtitia*, qua *diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*, & *depoſuit potentes de ſede*. Unde David prævidens, quod *Virgo Maria* faceret illud Canticum continens decem verſus, quod quidem Canticum C debebat cantari quotidie in Eccleſia, in quo Cantico Virgo Maria magnificat Deum de juſtitia & miſericordia: ideo Propheta David in hoc Pſalmo prophetizando de illo Cantico dicit in hoc Pſalmo: *Bonum eſt confiteri Domino in Pſalterio decachordo cum cantico*. Etiam David magnificat Deum in hoc Pſalmo dicens: *Exaltabitur ſicut unicornis cornu meum*. Quaſi dicat: quòd honor & regnum mihi promiſſum *exaltabitur* in Chriſto & Maria Virgine, qui erunt, & naſcentur de carne mea: *Et ſenectus mea*, id eſt, filii ſenectutis meæ *exaltabuntur in miſericordia uberi*, & ego ero redemptus cum eis: & ero honoratus in Chriſto & Virgine Matre ejus. Nam D uterque vocabitur *filius David*: Et ſic honorabor in filiis. Ergo *bonum* & licitum eſt mihi *confiteri Domino* præ cæteris: quia majorem honorem recipiam: & ſic patet, quòd in hoc Pſalmo non ſolum loquitur *Adam* primus homo: ſed etiam David auctor hujus Pſalmi, quia uterque dicitur Pater Chriſti, & Virginis Mariæ.

Ex hoc Pſalmo poſſunt recolligi ſex concluſiones. *Prima concluſio*: quod *Adam*, ſive David intendit cantare in hoc Pſalmo Dei *miſericordiam* & *juſtitiam*, ſcilicet miſericordiam qua redemit & exaltavit humiles, & juſtitiam quâ damnavit, & diſperſit ſuperbos & infideles. E

Secunda concluſio: quod hunc Pſalmum intendit cantare cum *decachordo*, *pſalterio*, & *cithara*, & *cantico*, id eſt, cum *pſalterio* Euangelico decem chordarum, & decem myſteriorum de Chriſto & Eccleſia, & cum *cithara* Trinitatis divinarum perſonarum, & cum *Cantico* Virginis: quia hîc cantat myſterium regni & Sacerdotii Chriſti, quæ eſt quinta & ſexta chorda: & cantat proſperitatem Eccleſiæ, & ubertatem, quæ eſt nona chorda; & cantat ultimum judicium, & præmium juſtorum, & punitionem malorum, quæ eſt decima chorda pſalterii Euangelici: & cantat iſtum Pſalmum F cum *cithara* Trinitatis: quia opera creationis, & noſtræ redemptionis præſupponunt myſterium Trinitatis. Ideo nemo poteſt cantare, nec confiteri *pſalterium* Euangelicum decem chordarum & articulorum humanitatis Chriſti, quin cantet & confiteatur myſterium Trinitatis, ut dictum eſt *in Prologo*.

Tertia concluſio: quòd licet opera creationis rerum ſint magnifica; tamen judicia Dei ſunt magis profunda, & inſcrutabilia, ſcilicet, quare promittat ad tempus malos proſperari, & bonos deprimi & conculcari.

Quarta concluſio: quòd licèt Deus G permittat ad tempus malos proſperari, & bonos affligi; tamen finaliter mali non ſolum poſt hanc vitam æternaliter, ſed etiam in hac vita temporaliter puniuntur, & cadunt.

Quinta concluſio: quòd tam Judæi, quàm Tyranni perſecutores Eccleſiæ finaliter fuerunt puniti, & diſperſi, & ſubjecti jugo Chriſtianorum: ſed tota Eccleſia & fideles juſti finaliter ſunt exaltati, *ſicut cedrus & palma*: quia in hac vita & Eccleſia ſunt *plantati* per gratiam, & in Cœlo *florent* per gloriam.

Sexta concluſio: quòd *ſenectus* & finis Eccleſiæ, quod eſt totum tempus gratiæ, eſt *in miſericordia uberi* propter abundantiam Eccleſiaſticorum Sacramento- H rum, & bonorum gratiæ. Sed in ſenectute hujus ætatis poſt interitum Antichriſti *multiplicabitur in ſenecta uberi*: quia omnes Judæi & infideles ad Chriſtum convertentur: ſed poſt judicium erit in ampliori ubertate in bonis gloriæ.



Psalmus XCII.

1. *Dominus regnavit, decorem indutus est : indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.*

2. *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.*

3. *Parata sedes tua ex tunc : à sæculo tu es.*

Iste Psalmus in Hebræo est omnino sine Titulo : sed in vulgatis Bibliis est talis Titulus: *Laus Cantici ipsi David in die ante Sabbatum, quando fundata est terra.* Aliqui Judæi applicant hunc Psalmum & exponunt de creatione mundi. Sed *Rabbi Cambi* dicit, quod iste Psalmus factus est de tempore Regis Messiæ, quando dicitur pugnare contra *Gog*, & *Magog*, & finaliter dicitur eos vincere, & movetur per hoc quod dicitur in Psalmo: *Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem suam &c.* Sed iste obstinatus fundatur supra erroneum fundamentum: quia quod est jam præteritum, expectat futurum.

Et ideo est dicendum, quòd David prævidens prosperitatem, & exaltationem Christi, & Regni ejus post Resurrectionem, fecit hunc Psalmum, in quo duo facit. Primò, describit majestatem Christi & potestatem. Secundò, prosperitatem & *decorem* Regni ejus, quæ est Ecclesia. Vel possumus dicere, quòd David primò cantat pulchritudinem & *decorem*, quem Christus in quantum homo adeptus est in sua resurrectione. Secundò, cantat pulchritudinem & *decorem* Ecclesiæ collatum per Christum in die Ascensionis & Pentecostes, ibi: *Elevaverunt flumina.*

Christus in sua Resurrectione est adeptus quatuor.

Quantum ad primum est advertendum: quòd Christus quatuor adeptus est in sua Resurrectione, quæ omnia decorant suam majestatem. Nam primò *induit* immortalitatem, & incorruptibilitatem, & impassibilitatem, & omnes perfectiones corporis glorioſi. Secundò, adeptus est fortitudinem, & potentiam contra diabolum ad expoliandum infernum. Tertiò, fundavit totam Ecclesiam supra firmam petram. Quartò, adeptus est sedem in Cœlo, & judiciariam potestatem super omnes homines, & Angelos, & dæmones. Et hæc quatuor, quæ Christus habuit in sua Resurrectione memorat Propheta in primis tribus versiculis.

Unde dicit: *Dominus* noster Jesus Christus *regnavit*, & regnum obtinuit universale super omnem creaturam in Cœlo, & in terra, & in inferno per suam Resurrectionem. Nam primò fuit *indutus decorem* & pulchritudinem gloriæ, scilicet, immortalitatem, & claritatem, & agilitatem, & subtilitatem sui corporis. Secundò *indutus est fortitudinem, & præcinxit se* virtute & armis contra diabolum, quibus ejecit ipsum foras & expoliavit infernum. Tertiò, fundavit *orbem terræ*, id est, Ecclesiam suam diffusam per totum orbem terrarum: & hoc *supra petram*, & *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*: & ideo *nunquam commovebitur*, nec portæ inferi prævalebunt adversus eam. Quartò, conversus Propheta ad Christum, ponit quartam dignitatem ejus, dicens: O Christe, *Ex tunc*, id est, post Resurrectionem, *parata est sedes tua* in Cœlo, quia sedisti ad dexteram Patris, & accepisti judiciariam potestatem universaliter in Cœlo & in terra. Verumtamen licèt ex tempore quantum ad humanitatem acceperis talem sedem, & judiciariam potestatem; tamen *à sæculo*, id est, ab æterno *tu es* secundum divinitatem. Quasi dicat: Licèt tu sis Judex temporalis secundum humanitatem; tamen tu es æternus secundum divinitatem.

4. *Elevaverunt flumina Domine: elevaverunt flumina vocem suam.*

5. *Elevaverunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum.*

6. *Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis dominus.*

7. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.*

Hic cantat decorem & dotes Ecclesiæ, ubi commemorat quatuor dotes, quibus Christus decoravit Ecclesiam quam fundavit in sua Resurrectione. Primo *flumina* gratiarum, quæ sunt septem dona Spiritus sancti *elevaverunt vocem suam*, quando Apostoli post missionem Spiritus sancti profecti sunt per universum mundum, & prædicaverunt Euange-

6. dist. c. Duo. Et 23. q. 5. Principes in glo. & de Pœn. dist. 2. circa finem.

1. q. 1. c. ex Catholica. Et 30. q. 1. c. Loquitur. & 5. Quia ex sola, de Immuni. Eccles. c. 2. lib. 6.

gelium omni creaturæ & hæc fuit prima dos Eccleſiæ. Secundò, *elevaverunt flumina* Sacramentorum *fluctus ſuos*, quando adminiſtraverunt fidelibus ſeptem Eccleſiaſtica Sacramenta, abluentes eos à peccatorum ſordibus virtute fluctuum Sacramentorum: & hæc fuit ſecunda dos. Tertia dos Eccleſiæ fuit magnitudo miraculorum coram perſecutoribus Eccleſiæ: nam licet *mirabiles fuerint crudeles elationes maris*, id eſt, perſecutiones Tyrannorum & infidelium; tamen magis fuit *mirabilis Dominus* oſtendendo & faciendo miracula per ſanctos ſuos; unde victi ſunt Pagani & Tyranni, ſicut patet in Eccleſiaſticis Hiſtoriis. Quarta eſt veritas teſtimoniorum doctrinæ, & Legis Euangelicæ, præbens verum & credibile teſtimonium de Chriſto & Eccleſia. Ideo ait: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*: non ſolum ipſa Lex eſt vera & credibilis, ſed etiam Apoſtoli & Euangeliſtæ qui eam ſcripſerunt.

Chriſtus fuit teſtimonio approbatus.

Unde nota: quòd Chriſtus multipliciter teſtimonio fuit approbatus, & teſtificatus, quibus de neceſsitate creditur Deus & homo, & Meſsias in Lege promiſſus. Primò, teſtimonio Patriarcharum per multa myſteria præmonſtrata ipſi *Adam*, *Noe*, & *Abraham*, *Iſaac*, & *Jacob*. Secundò, vaticinio Prophetarum; & hoc, ante ſuum adventum. In ſuo adventu fuit teſtificatus, & approbatus per omnes creaturas; primò, per Angelos qui in ſua nativitate cantarunt: *Gloria in excelſis Deo &c.* Secundò, per novam ſtellam. Tertiò, quia omnia idola Aquilonis clamaverunt Regem pacis eſſe natum, ut ait *Virg. in 6.* Quintò, per vocem Patris in Baptiſmo, qui dixit: *Hic eſt Filius meus.* Sextò, teſte *Joanne Baptiſt.* qui dixit: *Ecce Agnus Dei.* Septimò, opere infinitorum miraculorum, quæ nullus potuit facere, niſi ſolus Deus, putà, ſuſcitare mortuos &c. Octavò, fuit cognitus in ſua morte & paſsione, & Reſurrectione, & Aſcenſione, & Spiritus ſancti miſsione. Nonò, quia viti ſancti ſcripſerunt, & prædicaverunt ejus vitam, & doctrinam. Ultimò, per miracula, quæ fecerunt in nomine Jeſu, & ſic totum Orbem jugo Chriſti ſubjecerunt. Ex quo patet, quòd *teſtimonia* Chriſti fuerunt *nimis* & valde *credibilia.* Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, dicit: O Chriſte, *teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*: quia multa in numero, & ſupra omnem facultatem creaturæ in potentia & virtute.

Sanctitudo Eccleſiæ in quinque conſiſtit.

Item nota: quòd *ſanctitudo*, quæ decorat domum Dei, ſcilicet Eccleſiam, conſiſtit in quinque. Quarum prima eſt dona gratiarum. Secunda virtus Sacramentorum. Tertia magnitudo miraculorum. Quarta eſt veritas Legis Euangelicæ. Quinta eſt puritas ſanctitatis Eccleſiæ. Ideo ſubdit: *Domum tuam decet ſanctitudo in longitudinem dierum.* Nam Chriſtus reddit ipſam *ſine ruga & macula*: de qua dicitur in Canticis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Ita ergo *decet domum*, ſive Eccleſiam Dei, *in longitudinem dierum*, ſcilicet, uſque ad conſummationem ſæculi: quæ quidem ſunt dona gratiarum, virtus Sacramentorum, magnitudo miraculorum, veritas Legis & doctrinæ, & puritas ſanctitatis; hæc quinque *decent domum Dei*: de quo plurima dicta ſunt in cæteris Pſalmis. Ideo iſte Pſalmus primus cantatur inter cæteros Divinæ Laudis in diebus feſtivis, quia memorat decorem Chriſti, & pulchritudinem. Ex ſupradictis manifeſtè patet, quòd David in hoc Pſalmo cantat pulchritudinem & decorem Chriſti & Eccleſiæ poſt Reſurrectionem & Aſcenſionem.

Ex quo Pſalmo poſſunt colligi tres Concluſiones. *Prima Concluſio*: Quòd Chriſtus in ſua Reſurrectione adeptus eſt, & *indutus* pulchritudinem & *decorem* ſui corporis glorioſi, ſcilicet, immortalitatem, impaſsibilitatem, claritatem, agilitatem, & ſubtilitatem, eo modo quo dictum eſt *Pſalm.* 15.

Secunnda Concluſio: quòd Chriſtus *firmavit*, & regeneravit, & decoravit Eccleſiam bonis ſpiritualibus gratiarum, & donorum, & Sacramentorum.

Tertia Concluſio: Quòd quinque ſunt dotes, quas Eccleſia recepit à Chriſto Sponſo ſuo. Prima eſt, dona gratiarum, ſecunda virtus Sacramentorum, tertia magnitudo miraculorum, quarta veritas Legis Euangelicæ, quinta puritas, & ſanctitudo, quibus Eccleſia ſubjecit ſibi totum Orbem, & nutrit filios ſuos: de quibus dictum eſt *Pſalm.* 67.

PSALMUS XCIII.

1. *Deus ultionum Dominus: Deus ultionum liberè egit.*

1.q.4.cap Homini, §.Econtra

2. *Exaltare qui judicas terram: redde retributionem ſuperbis.*

LICET iſte Pſalmus apud Hebræos modernos ſit ſine Titulo, tamen apud antiquos præponitur talis, ſcilicet, *Pſalmus ipſi David, quarta Sabbati.* Et ita exponit *Hieronymus* in ſuo *Commento.* De materia autem ejus dicunt aliqui, quòd David fecit hunc Pſalmum petendo ultionem de ſuis perſecutoribus, qui omnino

nino negant, Divinam providentiam se extendere ad actus humanos. Sed *Rabbi Cambi* dicit, quòd iste Psalmus A factus est in persona populi Judæorum, qui petit Messiam, ut veniat ad judicandum eos de Christianis, & cæteris, qui opprimunt eos in hac captivitate: sed quia punitio, & desiderium hujus est vacuum, & inane; sicut sæpius dictum est: est ergo dicendum, quod David prævidens in spiritu persecutionem Christi, & omnium justorum faciendam per homines incredulos & iniquos, negantes Divinam providentiam, fecit hunc Psalmum.

Materia Psalmi.

Ex quo patet, quòd iste Psalmus est unus illorum quos fecit David contra negantes Divinam providentiam, in quo B David prædicit, & cantat ultionem, quam Christus erat facturus de persecutoribus Ecclesiæ, & omnium justorum. In quo quatuor facit.

Nam primò concitat Christum, ut veniat ad judicium ad vindicandam Ecclesiam & omnes justos, de persecutoribus suis. Secundò, ponit falsam opinionem malorum de divina providentia; unde moventur ad opprimendum & persequendum bonos & pauperes, & improbant eam. Tertiò, consolatur justos & oppressos, exhortando eos ad patientiam. Quartò, prædicit damnationem malorum, & persecutorum. Secunda ibi: *Et dixerunt.* Tertia ibi: *Beatus homo.* Quarta ibi: *Nunquid adhæret tibi.* C

Quantum ad primum, David concitat divinam vindictam contra persecutores justorum, dicens: ne desperent justi & afflicti, supple: quoniam *Dominus* est *Deus ultionum* & vindictarum: eò quòd est Judex justus: & sicut est *Deus ultionum*, ita semper *liberè* & abundanter *egit* justitiam & vindictam de persecutoribus, & oppressoribus justorum: ut patet de *Cain* quem Deus punivit ad exilium perpetuum, eò quòd occidit *Abel*: hoc idem patet de *Pharaone* & exercitu ejus, quem submersit in Mari Rubro in vindictam filiorum Israel &c. Ex quo patet, quòd Deus est ultor afflictorum.

Et conversus Propheta ad Christum, cui collata est potestas judicandi à Patre, dicit: O Christe, *qui judicas terram*, id est, cui data est potestas judicandi in terra, & homines terrenos, *exaltare*, id est, ascende in cœlum per resurrectionem, & postquam acceperis judiciariam potestatem, *redde retributionem superbis* persecutoribus tuis, & Ecclesiæ, & omnium justorum, & pauperum. D

E 3. *Usquequò peccatores Domine, usquequò peccatores gloriabuntur:* *De Pœn. d. 3. cap. Quid ergo §. Quamquam, & 23. q. 1. c. Paratus.*

4. *Effabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes qui operantur injustitiam?*

5. *Populum tuum Domine humiliaverunt: & hæreditatem tuam vexaverunt.*

F 6. *Viduam & advenam interfecerunt: & pupillos occiderunt.*

NAM ò Domine *Usquequò peccatores gloriabuntur*, te opprimere bonos: & *qui operantur iniquitatem effabuntur*, & *loquentur* blasphemias contra te, & injurias contra pauperes? Quia non sufficit eis, quòd persequantur pauperes, sed etiam gloriantur in delictis suis. Nam *populum tuum humiliaverunt*, & *hæreditatem*, scilicet, Ecclesiam Judæi & Tyranni *vexaverunt*, & in ea *viduam*, & *advenam interfecerunt*, & G *pupillos* & orphanos *occiderunt*: & hoc, falsò judicando, vel publicè tyrannicè opprimendo.

7. *Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.* *2. q. 1. c. Deus.*

HIC ponit falsam credulitatem supradictorum persecutorum de divina providentia: quia tales, putantes quòd Deus non curet de istis inferioribus, nec sit judex in actibus humanis: nec putantes habere punitionem de sceleribus suis: sumunt audaciam ad per- H petrandum omne malum. Ideo ait Propheta: isti tales persecutores Christi & Ecclesiæ, & omnium justorum, ideo moti sunt, & ausi committere omne malum, quia temerè *dixerunt* in corde suo: *Dominus non videbit* ista scelera quæ facimus, *nec Deus Jacob intelliget*: quia non curat ista inferiora, nec habet providentiam de eis: ideo possumus facere quicquid libet.

8. *In-*

2. q. 1. c. Deus omnipotens.

8. *Intelligite insipientes in populo : & stulti aliquando sapite.* A

28. d. c. Discernimus.

9. *Qui plantavit aurem, non audiet ? aut qui finxit oculum, non considerat?*

10. *Qui corripit gentes, non arguet : qui docet hominem scientiam?* B

1. Cor. 3. Hebr. 4.

11. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.*

HIC Propheta invehitur contra istos pravos, reprehendendo falsam credulitatem & opinionem eorum, & dicit: ò *insipientes in populo*, deponite stultam opinionem : &, ò *stulti sapite aliquando*, & considerate, & cognoscite veritatem. Deus *qui plantavit aurem* in homine *non audiet* ? *& qui finxit* & formavit *oculum* in homine, *non considerat* ? Quasi dicat : si ipse Deus dedit homini auditum & visum ; ergo à fortiori C ipse videt & audit. Item, ille Deus *qui corripit gentes*, id est, corripuit tempore *Pharaonis*, & tempore *Judicum* corripuit cæteros in veteri Testamento, *non arguet* Judæos, qui Christum crucifixerunt, & persecuti sunt Apostolos, & oppresserunt viduas & pupillos, falsò judicando ? Item, ille Deus *qui docet hominem scientiam*, & dedit Legem & præcepta, *non intelliget* scelera vestra, & non corripiet iniquitates vestras ? Quasi dicat : immò à fortiori puniet.

Et nota : quòd non dicit, quòd Deus *qui plantavit aurem* in homine habeat aures carnales : & *qui finxit oculum*, habeat oculos carnales : quia Deus cum sit non corpus, non habet hujus- D modi membra corporalia ; sed habet officia & operationes istorum membrorum. Et ideo dicit, quòd Deus videt, & audit, non per organa corporalia, sed per suam essentiam. Et sic Propheta quasi demonstrativè arguit. Nam bene valet: si Deus confert visum & auditum istis inferioribus : ergo ipse audit, & videt; quia nemo dat quod non habet. Item, si homo videt & audit per participationem : ergo Deus audit, & intelligit per essentiam ; immò suum esse est intelligere, videre, & audire. Item, arguit per regulam *Posteriorum*, scilicet, *Propter quod unumquodque tale ; & illud magis.* Nam si homo, & quodcumque tale animal, videt & audit ; & homo & Angelus intelligit propter Deum, id est, virtute Dei, qui confert eis virtutem & potentiam audiendi, & intelligendi : ergo à fortiori Deus audit, & intelligit, & gubernat, non solum superiora, sed inferiora : quia illa regula verificatur in causis efficientibus & finalibus, ut patet 1. *Posteriorum*. Ex quo patet, quòd fatui sunt illi, qui putant Deum non habere curam de istis inferioribus, nec habere scientiam de eis. Ideo sequitur: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*, id est scit, quòd tales opiniones sunt falsæ & vanæ, scilicet, F quod homo putet, quod Deus non consideret, nec puniat scelera.

Triplex hominis cogitatio.

Ad cujus intellectum est notandum, secundùm *Cassianum*, *Collatione prima*: quòd triplex est, vel potest esse cogitatio hominis. Una est à Deo illapsa, & ista est semper sancta. Alia est à diabolo suggesta : & ista semper est prava & deceptoria. Alia est ab ipsomet homine commenta & orta : & ista est vana & inanis, quia semper homo cogitat de mundanis : putà, de divitiis congregandis, & honoribus adipiscendis : & in talibus cogitationibus & laboribus terunt homines spatium vitæ suæ. Et tales cogitationes mundanæ sunt frivolæ & tran- G sitoriæ : de quibus dicit *Persius:*

O curas hominum ! ò quantum est in rebus inane!

De omnibus ergo his curis & cogitationibus humanis, & à diabolo suggestis, quia diabolus semper suggerit cogitationes hæreticas, pravas, & falsas, dicit Propheta in hoc loco : Deus *qui docet hominem scientiam, scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.*

43. d. c. Si rector.

12. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.*

15. q. ult. c. ult. H

13. *Ut mitiges ei à diebus malis: donec fodiatur peccatori fovea.*

Et 24. q. 1 c. Si Petrus.

14. *Quia non repellet Dominus plebem suam: & hæreditatem suam non derelinquet.*

Et c. Non turbatur.

15. *Quoadusque justitia convertatur in judicium : & qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.*

HIC Propheta consolatur afflictos, confirmando eos in vera credulitate de divina providentia, exhortando.

eos ad patientiam, & gratiam auxiliativam petendam. Unde dicit, quòd Deus *qui docet hominem scientiam, scit cogitationes* pravorum *hominum, quoniam vanæ sunt*: hìc conversus ad Deum, dicit: O Domine, *Beatus* est ille *homo, quem tu erudieris, & de lege tua docueris eum.* Quasi dicat, quòd sicut est maledictus homo qui sequitur vanas cogitationes suas, & sequitur suggestiones diaboli: ita per contrarium est benedictus qui sequitur divinas inspirationes, & doctrinam sacræ Scripturæ, & Legis Euangelicæ: quæ quidem sacra Scriptura docet, qualiter Deus creavit cœlum & terram, & omnia disposuit secundùm sapientiam suam, & creavit hominem, ut Deum cognosceret, & cognoscendo amaret, amando frueretur: & sic dedit ei Legem & præcepta, quæ quidem prohibet omne vitium, & exhortatur ad omnem virtutem, & comminatur pœnam æternam transgredientibus, & promittit vitam æternam observantibus: & donat consilia quomodo facilius homo possit acquirere merita in hac vita, ut valeat possidere præmium in alia: & demonstrat eadem Lex Euangelica, qualiter Christus est Deus & homo, & legifer noster, & glorificator.

Inspirationes bonæ sequendæ.

A

B

Ex quibus patet, quòd Deus specialem curam habet de hominibus, & de salute & felicitate eorum: sed quia omnia ista docet Lex divina, ergo *Beatus* est *homo*, qui est doctus à Deo in Lege divina. Ideo dicit Propheta: *O Domine, beatus homo* fidelis, *quem tu erudieris:* id est, à quo ruditatem talium falsarum cogitationum expuleris, *& docueris* veritatem *de lege tua.* Sed quia homo fidelis non solummodò habet talem veram scientiam de divina providentia in Lege divina, sed habet consolationem & mitigationem in suis afflictionibus & persecutionibus: quia Lex divina promittit afflictis præmium, & persecutoribus comminatur pœnam, & docet, qualiter omnes persecutores Ecclesiæ & populi Dei, semper male finierunt, ut patet in veteri Testamento & novo: Ideo subdit: *Ut mitiges ei* dolorem *à diebus malis.* Quasi dicat: *Beatus homo quem docueris de lege tua*, quomodo mali & persecutores patientur pœnam æternam, & fideles afflicti habebunt præmium æternum; *ut mitiges ei* dolorem *à diebus malis.* Quasi dicat: quòd quilibet fidelis legendo Legem tuam, & doctrinam Euangelicam, mitigabit dolorem suum, & patienter tolerabit persecutiones suas, cùm inde expectet præmium æternum. Et hoc tolerabit, *donec fodiatur peccatori fovea*, id est, videat malum finem, & punitionem de suis persecutoribus. Et ponitur ly *donec* pro *usquequò.* Quasi dicat Propheta: *Beatus homo quem tu docueris de lege tua*, ut exemplo aliorum *mitiges ei* afflictionem *à diebus malis*, & durante tempore persecutionis, ut habeat patientiam in adversis, *donec fodiatur peccatori fovea:* id est, usquequò peccator & persecutor moriatur, & sepeliatur in *fovea*: non solum in *fovea* terræ, sed etiam in *fovea* inferni: & usquequò fiat punitio particularis à Deo, & etiam punitio generalis in judicio: *Quoniam non repellet Dominus plebem suam* & Ecclesiam, quin puniat persecutores ejus; *& hæreditatem suam non derelinquet* finaliter in manibus inimicorum: immò liberabit eam; & puniet eos: quia *nullum malum impunitum, nec bonum irremuneratum*; sed semper sustinebit eam *quoadusque justitia convertatur in judicium*, id est, usque ad diem judicii.

C

D

E

F

Unde nota, quòd justitia dicit habitum, sive actum primum: sed judicium dicit actum secundùm. Et sic Deus semper est, & habet justitiam; immò est ipsa justitia per essentiam: sed non semper facit justitiam respectu nostri, immò expectat peccatorem ad pœnitentiam. Et sic differt facere judicium usquequò convertatur: sed si non agit pœnitentiam, tunc *convertit Deus justitiam in judicium*, & condemnat eum in actu.

Justitia convertetur in judicium.

G

Ideo dicitur, quod in novissimo die *justitia* Dei *convertetur in judicium*: quia non amplius erit locus, nec tempus pœnitentiæ. Et sicut Deus expectat unumquemque peccatorem, ne convertat justitiam in judicium, usque ad mortem: ita expectat totum mundum usque ad judicium. Et sic vult Deus, quòd sicut ipse expectat, & tolerat peccatorem usque ad mortem, & usquequò agat pœnitentiam: ita & nos debemus expectare, & patienter tolerare persecutores nostros, postquam Deus tolerat eos.

Dicit ergo Propheta, quòd Deus per doctrinam Legis mitigat afflictionem homini justo, docens ipsum habere patientiam in adversis, *donec fodiatur peccatori fovea*, & *donec justitia convertatur in judicium*, id est, donec moriatur peccator, & judicetur, & justitia Dei ponatur in executione, nisi egerit pœnitentiam. Et sequitur: *Qui juxta illam &c.*

H

Ad cujus intellectum est advertendum, quod in Hebræo non reperitur istud relativum *qui.* Sed littera *Hieronymi* sic habet: *Non derelinquet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non deseret: quoniam ad justitiam revertetur in judicium: & omnes sancti & justi recti sequentur illud judicium,*

id

id est, ibi erunt cum Christo omnes sancti, judicantes, & assistentes juxta Christum, & sententiam approbantes, ut patet *Matth.* 19. *Sedebitis supra duodecim sedes &c.* Item *Proverb. ult. Dominus ad judicium veniet cum senatoribus terræ.* Sed quia Translatio nostra habet illud relativum *qui*: tunc debet sic construi: *& qui juxta illam*, scilicet, qui erunt assistentes juxta illam *justitiam*, *quæ convertetur in judicium* in novissimo die: & respondet: *omnes recti corde*, scilicet, sedebunt juxta Christum approbantes ejus sententiam in die judicii. Et tunc introducitur Christus ad loquendum, dicens:

3. q. 7. c. *Judicet, in Glos.*

16. *Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem.*

QUASI dicat Christus: Quando ego judicabo in die judicii, & insurgam contra damnatos inferendo sententiam pœnæ æternæ, *quis consurget* assistens *mihi adversus malignantes*? *aut stabit mecum*, sedendo super duodecim sedes *adversus operantes iniquitatem*? & *quis stabit* juxta eam sententiam, quam ego fulminabo contra impios? Respondet Propheta: *Omnes recti corde.* Ex quo patet, quòd tota ista sententia continuatur simul, & est sic ordinanda littera, scilicet, in persona Christi: *Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? & qui stabunt juxta illam sententiam?* Respondetur: Quòd *omnes qui recto sunt corde*, id est, omnes justi & sancti erunt assistentes in judicio, approbantes sententiam Christi, *judicantes duodecim tribus Israel*, id est; incredulos & obstinatos Judæos, & cæteros infideles, & peccatores; qui non solummodò approbabunt sententiam, sed etiam accusabunt suos persecutores & oppressores. Nam *tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt*, ut patet *Sapient.* 5.

Tota etiam supradicta locutio potest esse vox Ecclesiæ: ut dicat Ecclesia: *Quis consurget mihi* in auxilium in die judicii *adversus malignantes*, & persecutores meos? *aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem*, quando ego in die judicii accusabo eos: & *qui erunt juxta illam* judicialem sententiam, quam Christus fulminabit contra impios? &c. Respondetur: quòd *omnes qui recto sunt corde.* Aliter videtur *Beatus Hieronymus* exponere istam particulam: sed magis videtur mihi conveniens præsens Expositio.

17. *Nisi quia Dominus adjuvit me: paulominùs habitasset in inferno anima mea.*

11. q. 3. c. *Ad mensam.*

18. *Si dicebam: Motus est pes meus: misericordia tua Domine adjuvabat me.*

Et 95. d. c. *Ecce.*

19. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Et 13. q. 1. c. *Hilata.*

HIC Propheta demonstrat, quomodo est necessaria gratia Christi specialis ad tolerandas persecutiones cum patientia. Unde dicit: *Nisi quia Dominus adjuvit me*, tenendo manum meam, & dando mihi gratiam, & patientiam in tolerandis persecutionibus, *paulominùs habitasset in inferno anima mea.* Quasi dicat: si Deus non dedisset mihi gratiam & fidem, incidissem in desperationem, & errorem, & aliquem casum commisissem: & sic *anima mea* fuisset *in inferno.* Nam *Si dicebam: Motus est pes meus*, id est, quando sensualitas mea fatigata & afflicta, quasi dubitabat, & titubabat de tua divina providentia, & perdebam aliqualiter patientiam: tunc *misericordia tua* relevabat *me* à tali meditatione: & gratia tua tunc *adjuvabat me*, illuminando, & reducendo ad patientiam: & refrænabam iram meam, & cum patientia tolerabam persecutiones meas: & sic *consolationes tuæ*, & bonæ inspirationes *lætificaverunt animam meam secundùm multitudinem dolorum meorum*, qui erant *in corde meo.* Nam quandoque me inspirabas per internas inspirationes, & quandoque per Euangelicas exhortationes. Et sic desistebam in ira & vindicta; & mitigabas dolorem meum, & tolerabam persecutiones, & adversitates cum patientia: quia cognoscebam te esse justum judicem & patientem, expectando peccatores ad pœnitentiam.

20. *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?*

Aliud dolorem.

21. *Captabunt in animam justi: & sanguinem innocentem condemnabunt.*

15. q. 1. c. *Firmissime.*

22.q.2.c. Si quelibet.

22. *Et factus est mihi Dominus* A
in refugium, & Deus meus in
adjutorium spei meæ.

23. *Et reddet illis iniquitatem*
ipsorum: & in malitia eorum
disperdet eos: disperdet illos
Dominus Deus noster.

HIC prædicit punitionem & damnationem impiorum, & persecutorum Christi & Ecclesiæ, & omnium justorum. Unde Propheta conversus ad Christum dicit: O Christe Judex, *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto*, id est, tu qui dedisti præcepta, & statuisti, & fixisti laborem & comminationem peccatorum *in præcepto*, & in Lege tua ipsis transgredientibus, & promisisti præmium observantibus, eris judex iniquus? id est, nunquam sedes *in sede iniquitatis* & injustitiæ: & eris ita iniquus, quòd non punias iniquos, & persecutores meos? Quasi dicat, Non: cùm sis justus per essentiam, immò facies judicium, tribuens unicuique juxta opera sua. Nam ideo dedisti præcepta cum labore, id est, sub commination pœnarum transgressoribus; & etiam promisisti præmium pro labore observantibus. C

Quid sit præmiu.

Unde nota, quòd *præmium* est pretium meritum pro labore. Et ideo ponitur hîc labor pro premio laboris, cùm dicit: *Qui fingis laborem in præcepto.* Quasi dicat: Tu qui promisisti præmium laborantibus in Lege & præceptis, non judicabis iniquè: immò punies malos, & præmiabis bonos. Et ideo subdit: Judæi iniqui *captabunt* occasionem, & perpetrabunt mortem *in animam* Christi *justi; & condemnabunt sanguinem innocentem* absque causa. Sed *Dominus* Pater *factus est mihi refugium, & in adjutorium spei meæ*, à mortuis me suscitando. *Et reddet illis* Judæis crucifixioribus meis, *iniquitatem ipsorum*, id est, reddet eis pœnam secundùm *iniquitatem ipsorum: & disperdet illos Dominus Deus noster in malitia eorum*, id est, secundùm malitiam suam, æternaliter puniendo. D

Totum hoc etiam potest dici in persona Ecclesiæ totius, & cujuslibet justi. Unde dicit Ecclesia, & quilibet justus: O Christe, tu es verè Judex justus, & non sedes in sede iniquitatis: immò tribuis unicuique juxta opera sua. Nam tyranni & iniqui *captabunt* contra *animam justi*, & *condemnabunt sanguinem innocentem*, Martyres occidendo, & bona pauperum auferendo, & justos E opprimendo, & viduas & pupillos vexando. Tamen *Dominus factus est mihi in refugium, & in adjutorium spei meæ*: quia ab eis me liberavit & præmium æternum mihi contulit pro laboribus & persecutionibus: & tandem *illis reddet iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos*, ad pœnam æternam destinando. Ex quibus patet, quòd Deus est judex justus, & *Deus ultionum*: & per consequens non contemnit, immò habet specialem curam, & providentiam circa actus humanos. Et sic patet, quòd iste Psalmus est unus de illis, quos fecit David contra negantes divinam providentiam.

F Ex hoc Psalmo possunt recolligi quatuor conclusiones.

Prima conclusio: quòd Christus est *Deus ultionum* & vindictarum, eò quòd est sibi tradita potestas judicandi ab ipso Patre.

Secunda conclusio: quòd potestas judiciaria Christi maximè apparebit in judicio finali, ubi retribuet unicuique præmium secundùm opera sua.

Tertia conclusio: quòd licèt infideles & tyranni contemnant divinam providentiam in hac vita: quia putant, quod Deus non videat sua mala opera; tamen G in die judicii justitia & misericordia Dei, quâ expectat peccatores ad pœnitentiam, *convertetur in judicium* contra malos & tyrannos.

Quarta conclusio: quòd *Beatus est homo qui est eruditus in lege Domini.* Quoniam contemplando gesta Sanctorum, quomodo antiqui & sancti fuerunt liberati de multis persecutionibus, & persecutores eorum fuerunt finaliter puniti: tunc justus talia considerans, patienter tolerabit adversa.

Psalmus XCIV.

H 1. *Venite, exultemus Domino:* 25.q.1.c. Reverti-mini, & 95.d.Ecce, & 13. q.1.c. His ita.
jubilemus Deo salutari nos-
tro.

2. *Præoccupemus faciem ejus in*
confessione: & in psalmis
jubilemus ei.

TITULUS: *Laus Cantici ipsi David.* Iste Psalmus apud Hebræos est omnino sine Titulo. Et dicunt quidam eorum, quòd *Moyses* fecit ipsum. Sed quia *Apostolus Paulus, ad Hebr.* 3. & 4. allegat

legat magnam partem hujus Pſalmi ſub nomine ipſius David: ideo eſt magis credendum ipſi, quam perfidis Judæis modernis, qui conantur pervertere ſenſum ſacræ Scripturæ, & auferre ab ipſo David propheticam dignitatem de Chriſto: & ideò nec hîc, nec alibi eſt illis fides exhibenda. A

Ideo eſt dicendum, quod Propheta *David* prævidens in ſpiritu Chriſtum futurum verum Deum & hominem, & Salvatorem, à Gentilibus recipiendum, & pro majori parte à Judæis repudiandum; ideo fecit hunc Pſalmum, in quo omnes nationes invitat ad recipiendum Chriſtum, & exhibendum ei honores divinos, & cultum Latriæ, tamquam Deo vero, & Redemptori, & Meſsiæ in Lege promiſſo: in quo duo facit. Nam primò facit quod dictum eſt. Secundò, ſpecialiter vocat & invitat Judæos ad Chriſtum audiendum, & Legem Euangelicam recipiendam. Ibi: *Hodie ſi vocem ejus audieritis.* B

Quantum ad primum duo facit. Primò invitat omnes nationes ad recipiendum Chriſtum *cum exultatione*, & *confeſsione* fidei tamquam Deum. Secundò, invitat eos ad cultum Latriæ, aſsignando rationem, ibi: *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper &c.*

Chriſto debetur Latria.

Quantum ad primum eſt advertendum: quòd quia Chriſtus venit in mundum verus Deus & homo: ideo debetur ſibi Latria. Sed quia venit ad liberandum nos à peccato, & captivitate; ideo talis Latria ratione beneficiorum debet C eſſe *cum exultatione*, & gratiarum actione. Et quia non ſolum corpora, ſed etiam animas liberavit; ideo talis exultatio debet eſſe *cum exultatione* laudis, & etiam *in Pſalmis* cum inſtrumentis muſicis: & totum hoc, propter beneficium redemptionis.

Dicit ergo David: O vos omnes Gentiles relinquite idola, & deceptorias & execrabiles ſuperſtitiones: & vos Judæi relinquite ſacrificia & cærimonias legales; & omnes ſimul *venite*, *exultemus Domino* Jeſu-Chriſto in adventu ſuo, & *jubilemus* ipſi *Deo ſalutari noſtro*, ſcilicet Jeſu, qui eſt Salvator noſter: quia ideo dicitur *Jeſus*, quia venit ad ſalvan- D dum nos.

Unde littera *Hieronymi* habet: *Venite, laudemus Dominum, jubilemus Patre Jeſu noſtro.* Nam pro majori parte ubicumque in Scriptura reperitur *ſalutare*, ipſe tranſtulit, *Jeſus*; ad denotandum in hoc loco quod causâ noſtræ ſalutis venit in hunc mundum, ut Salvator & defenſor: in quo tamquam immobili & infrangibili *petra* ſumus immobiliter fundati. Et ideo ſequitur: *Præoccupemus*, id eſt, antecedamus *faciem*, id eſt, adventum *ejus in confeſsione* laudis, confitendo ipſum eſſe verum Deum, licèt E veniat in forma ſervi: *Et* ſic *in Pſalmis* & canticis & muſicis inſtrumentis *jubilemus ei* pro gratiarum actione.

3. *Quoniam Deus magnus Dominus: & Rex magnus ſuper omnes deos.*

De Conſec. diſt. 2. c. Acceſſerunt. Diſ. 3. c. Quæ contra. Et 23. q. 1. Quid culpatur in bello. 92. diſt. c. 1. in gloſſa Heb. 3. b. & ad Hebræ. 4. b.

4. *Quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ: & altitudines montium ipſius ſunt.*

F 5. *Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & ſiccam manus ejus formaverunt.*

6. *Venite, adoremus, & procidamus: & ploremus ante Dominum, qui fecit nos.*

7. *Quia ipſe eſt Dominus Deus noſter: & nos populos paſcuæ ejus, & oves manus ejus.*

8. *Hodie ſi vocem ejus audieri*
G *tis, nolite obdurare corda veſtra,*

9. *Sicut in irritatione ſecundùm diem tentationis in deſerto: ubi tentaverunt me patres veſtri, probaverunt me, & viderunt opera mea.*

Exod. 32. deinceps, & Numer 23. & 14.

HIC reddit cauſam, quare debentur ſibi tales honores, & quare debetur ſibi cultus Latriæ. Ad cujus intellectum eſt notando. Quod latria eſt quædam ſervitus, ſive cultus ratione ſummi domi-
H nii, & ſummæ poteſtatis, & bonitatis. Sed quia Chriſtus ab æterno, in quantum Deus, eſt ſummus & univerſalis Dominus, & ab æterno habet ſummam potentiam, quæ maximè fuit oſtenſa in creatione; & ſummam bonitatem, quæ maximè oſtenſa fuit in noſtra redemptione: & etiam Chriſtus in quantum homo accepit à Patre univerſale dominium, & judiciariam poteſtatem in Cœlo & in terra: & in quantum Deus & homo operatus eſt myſterium noſtræ redemptionis: Ideo perſonæ Chriſti rectè & debitè exhi-

Latriæ quid ſit.

hibetur cultus latriæ, & vera adoratio. Et hoc est quod dicit David in hac parte. A

Unde ait: *Venite, exultemus &c.* O vos Gentiles, qui hucusque adoraltis Deos ligneos, & aureos, & argenteos, & homines mortales, putà, *Saturnum, Jovem, & Phœbum: venite, adoremus* Dominum Jesum Christum. *Quoniam* ipse *est Rex magnus, & Deus magnus super omnes* angelos & *super omnes deos* quos coluistis: *quia non repellet plebem suam.* Quasi dicat: non repellet vos à plebe sua: quia non solum est Dominus Judæorum, sed etiam Gentilium: *quia in manu* & potestate *ejus sunt omnes fines*, & termini *terræ* à Solis ortu usque ad Occasum, & ab Aquilone usque ad Meridiem, B *& omnes altitudines montium ipsius sunt* sub ejus potestate & dominio, *& ipse conspicit* altissimos montes, putà, *Caucasum*, & *Taurum*, & *Emanum*, & montes *Riphæos Scbitiæ*, & *Athlantem* Africæ & *montem Lunæ* Æthiopiæ. Quasi dicat: Licet isti montes sint altissimi; tamen altior est Dominus, & ipsis dominabitur.

Dominiu Christi universale.

Ex quo patet, quòd dominium Christi est universalissimum: quia fuit extensum per omnes habitatores supradictorum montium, & terminorum terræ, qui fuerunt subjecti dominio Christi. Et ratione summi dominii debentur Christo divini honores, & cultus Latriæ.

Sed quia non solum ratione creationis & beneficii redemptionis debetur C sibi Latria, ideo sequitur: *Quoniam ipsius est mare & ipse fecit*, & creavit *illud, & aridam*, sive *siccam* terram *fundaverunt manus ejus.* Et ponitur ibi proprietas pro substantia; eò quòd terra est naturaliter *sicca*: sicut aqua *frigida*, & aer *humidus*, & ignis *calidus.* Ergo propter supradictas rationes, quia Christus est universalis Dominus terræ & maris; ergo *venite, adoremus, & procidamus ante Deum.* Et similiter, *quia ipse est Dominus Deus noster: & nos* sumus *populus ejus, & oves pascuæ ejus*: & per consequens ipse est Pastor noster, qui pascit D nos in pascua Sacramentorum Ecclesiasticorum, qui traxerunt virtutem ex morte & passione sua, & sanguine ex latere effuso; & per consequens ipse est Salvator, & Redemptor noster. Et sic ipse est Deus, & universalis Dominus, & Creator omnium, & Redemptor, & Salvator, & Pastor noster: ideo propter omnia ista *venite* omnes nationes, & conditiones hominum, & *adoremus* ipsum Jesum Christum, *& procidamus ante eum*: quia talis adoratio cum procidentia debetur ei propter rationes supradictas. Quasi dicat: Non dubitetis adorare istum Christum. Nam licet appareat in carne humana; tamen ipse est verus Deus, E & Dominus omnium, qui creavit omnia &c.

Hodie si vocem &c. Hæc est secunda pars, in qua specialiter invitat Judæos ad recipiendum Messiam Christum eis promissum. Unde est advertendum, sicut legitur *Deuteron.* 28. quod Judæi desiderabant intelligere Legem & cærimonias quas Deus præcipiebat in Lege: quia per *Moysen* hoc non potuerunt intelligere, & desiderabant videre Deum facialiter, ut patet *Exod.* 33. Sed Deus promisit Moysi, dicens *posteriora mea videbis &c.* Et *cap.* 13. dixit: *Prophetam suscitabo de medio fratrum tuorum similem tibi, & ponam verba mea in ore* F *ejus, loqueturque ad eos quæcumque dixero illi: & qui eum non audierit, ultor existam.*

In quibus verbis quatuor promisit Deus. Primò quod iste Propheta à Deo mittendus, erat futurus verus homo de populo Israel, scilicet de Juda. Secundò, quòd Deus Pater poneret *verba sua in ore ejus*: in quo demonstratur naturalis & consubstantialis processio Filii à Patre: & sic iste Propheta non solùm erat homo, sed etiam Deus. Tertiò, quòd erat declaraturus Legem, & cærimonias, & *locuturus* populo ex parte Dei Patris secundum voluntatem ejus. Quartò, quòd Judæi rebelles & non audientes Christum istum Prophetam, erant puniendi terribili ultione & vindictâ. David ergo G introducit hîc Deum Patrem ad Judæos loquentem, & dicentem: O Judæi, qui hucusque fuistis in nocte ignorantiæ sub Lege & cærimoniis, & in tenebris peccatorum; *si* pro quando: *hodie*, scilicet, tempore gratiæ, quia *jam nox præcessit, & dies appropinquavit, audieritis vocem* & prædicationem *ejus*, scilicet, ipsius Prophetæ Christi in Lege promissi, in cujus ore Pater posuit verba sua: *Nolite obdurare corda vestra, sicut* obduraltis corda vestra *in exacerbatione*, quando exacerbastis & irritastis me ad iram in deserto, *secundum diem tentationis*, quando misit H *Moyses* Exploratores ad terram promissionis, & vos pariter voluistis reverti in Ægyptum, non confidentes de meis promissis, & dubitantes de mea potentia: quod non possem idololatras delere, & vos introducere immunes: in quo loco *tentaverunt me Patres vestri: ubi*, & ad aquas contradictionis *probaverunt, & viderunt opera mea*: putà, miracula quæ ibi feci, & punitiones, ut patet *Numeri* 14.

Quatuor de Christo Messia.

10. *Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi: Semper hi errant corde.*

11. *Et*

Ut patet in Exod. & Num. 24.

11. *Et isti non cognoverunt vias meas : ut juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam.*

A

QUadraginta annis proximus, & propitius *fui generationi illi*, & semper *fui offensus* ab eis, & displicuit mihi generatio illa, & rebellis fuit, & incredula. Et tunc videns obstinationem illorum, dixi, & statui, & decrevi, quia isti filii Israel *non cognoverunt vias meas*, nec crediderunt : ideo *juravi in ira mea*, quod non *introibunt in requiem meam.* Quasi dicat : sicut illi propter duritiam & incredulitatem eorum non introierunt in terram promissionis, sed vagantes per desertum mortui sunt, & eorum cadavera ibi sepulta : ita pariter Judæi increduli, qui Messiam non sunt recepturi, nec voluerunt audire vocem Euangelicam, nunquam intrabunt in requiem meam cœlestem : sed dispersi per mundum vagabuntur, & eorum animæ in inferno sepelientur.

B

Ex quo patet secundùm *Apostolum ad Hebr.* 4. quòd David fecit hunc Psalmum invitans ad recipiendum Christum, & audiendum ejus vocem Euangelicam, ut ingrediamur in requiem Domini, scilicet, in hanc Ecclesiam per gratiam, & Baptismum, & cætera Sacramenta, & in aliam Ecclesiam per gloriam : quia non est dicendum, quòd David exhortetur Judæos ad audiendam Legem Moysi : quam jam per quadraginta annos antè audierant : nec invitat eos ad ingrediendum terram promissionis, in qua per totidem annos habitabant ante illum diem : sed vocat omnes & invitat ad adorandum, & recipiendum Christum in hoc die gratiæ, & ad ingrediendum Ecclesiam & veram requiem, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. Probat autem David, quòd Christo debetur Latria : primò, quia Deus & Dominus universalis : secundò, quia Creator : & tertiò, quia Salvator & Redemptor. Et ideo in prima parte vocat omnes ad Latriam Christi. In secunda verò parte vocat & instat omnes ad audiendam, & recipiendam Legem Euangelicam, & ut ingrediantur Ecclesiam Christi, & requiem ejus : & hoc sub comminatione privationis hæreditatis æternæ.

C

D

Propositio notanda.

Ad majorem autem intelligentiam hujus Psalmi est advertendum, quòd David in hoc Psalmo aperit nobis unam propositionem de veteri Testamento, & infert unam conclusionem, & cantat unam chordam de psalterio Euangelico. Propositio autem est ista. Nam legitur *Numeri* 23. & 14. quòd *Moyses* ex præcepto Dei misit duodecim exploratores qui consideraverunt totam terram : in qua viderunt civitates fortissimas, & homines ferocissimos ; sed erat in tantum fertilis, quòd inde asportaverunt magnum botrum cum palmite avulsum de vite : qui quidem exploratores reversi narrarunt populo ea quæ viderant, dicentes : Terra fertilis est fluens lacte & melle, & copiâ fructuum, sicut ex his fructibus cognosci potest. Sed habet civitates grandes, atque muratas. Unde *Caleb*, & *Josue* dixerunt : ascendamus & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam : omnes autem alii exploratores dixerunt : nequaquam

E

F

ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est : quia terra devorat habitatores suos, quia vidimus gigantes in ea &c. quibus auditis, populus voluit lapidare *Moysen*, & constituere alium ducem, & reverti in Ægyptum; nisi præter *Caleb* & *Josue*, qui obstiterunt eis. Unde tunc Deus voluit totaliter delere illum populum, nisi propter preces *Moysi*. Et tunc Deus punivit eos, in tantùm quòd nullus illius populi ingressus est terram promissam. Sed quadraginta annis vagati sunt per desertum, & omnes mortui ibi, & cadavera eorum ibi sepulta præter *Caleb*, & *Jesue*, qui fuerant Deo obedientes: ideo ipsi soli, cum filiis illorum rebellium, ingressi sunt terram promissionis.

In quo mysterio prævidit David in

G

spiritu electionem Gentilium, & reprobationem Judæorum propter rebellionem factam contra Christum. Nam licet omnes illi duodecim electi ex omnibus tribubus considerarunt terram promissam, tamen solus *Caleb* & *Josue* laudaverunt & voluerunt ascendere in eam. Per quod figurabatur, quòd omnes Tribus Israel audierunt Christum prædicantem suam Legem Euangelicam, quia in *Hierusalem* & *Galilæa* habitabant de omnibus tribubus ; sed majori parti eorum visa est Lex Euangelica difficilis, eò quòd prohibet omnem

H

avaritiam & superbiam, & omnia vitia, & præcipit omnem virtutem. Et ideo noluerunt obedire Christo. Quia erat contrarius operibus eorum : immò crucifixerunt & persecuti sunt eum, sed soli Apostoli & Discipuli, & quidam de Pharisæis, & nobilibus, & popularibus obedierunt Christo & Euangelio ; & ideo Christus expulit omnes rebelles Judæos, & privavit eos terrâ viventium in Lege promissâ : ad quam soli Apostoli & Discipuli cum cæteris ad

fi-

fidem Christi conversis sunt ingressi. Unde Christus expectavit Judæos quadraginta annis : sed quia manserunt obdurati & obstinati in sua nequitia & cæcitate , ideo misit Deus *Titum* cum exercitu Romanorum , qui civitatem & populum combusit & evertit , & eos trucidavit , & captivavit , & dispersit. Et sic duplici morte punivit eos , scilicet corporali,& æterna , & duplici exilio , scilicet , ab illa terra mundana , & à terrâ viventium : quia *nunquam intrabunt in illam requiem Domini.*

Hanc propositionem aperit nobis David , & hanc conclusionem & chordam Euangelicam cantat in hoc Psalmo. Dicit ergo Deus per os David , comminando Judæis rebellibus Christo: *Hodie si*, & quando *audieritis vocem Dei incarnati* , scilicet vocem Euangelicam , *nolite obdurare corda vestra* , *sicut* obduraverunt *patres vestri* corda sua , quando tentaverunt me *in deserto* , volentes retrocedere in Ægyptum &c. quos expectavi *quadraginta annis :* sed quia manserunt in sua malitia & obdurationc; ideo *juravi in ira mea* , quòd sicut ipsi non intraverunt terram promissam, ita vos nunquam in trabitis *in requiem meam* , nisi obedieritis voci Euangelicæ. Quasi dicat : sicut expectavi patres vestros quadraginta annis *in deserto* , ut converterentur à sua duritia : ita expectabo vos quadraginta annis post passionem meam : sed quia manebitis in vestra duritia & obstinatione sicut patres vestri ; ideo , sicut illi fuerunt omnes prostrati in deserto , & nunquam intrarunt terram promissam : ita vos cum civitate vestra eritis prostrati , & dissipati , & nunquam intrabitis in requiem meam cœlestem , sed peribitis in corpore & anima.

Sed contra intentum nostræ Expositionis in hoc Psalmo arguunt quidam moderni Judæi dicentes , quòd non veniunt contra intentum Prophetæ in hoc Psalmo. Nam Deus comminatur in hoc Psalmo illis qui non sequuntur , nec audient vocem Regis Messiæ in suo adventu , quos non introducet in terram promissionis , quam possederunt antiqui patres ; sed solum Rex Messias introducet eos qui obedient : sed quia Christus non fuit verus Messias ; ideo non audierunt eum : sed sunt parati audire Messiam , quem expectant , qui est ædificaturus novam Hierusalem , & congregaturus omnes filios Israel ex omnibus partibus mundi. Quòd autem Jesus Christus non fuit verus Messias , probatur : quia non vocavit eos ad illam terram , nec retinuit eam pro se , nec pro suis , cùm fuerit in ea crucifixus: ideo non potuit illam terram dare filiis Israel , sicut dicunt omnes Prophetæ. In hac ergo cœcitate perseverant hodie moderni. Sed quantum decipiat eos ista vana cupiditas rerum temporalium, dictum est in præcedentibus.

Nota de promissione terræ Chanaam &c.

Sed ad detegendam eorum falsam intelligentiam , & vanam spem , ponitur pro conclusione : quòd illa terra *Chanaam* , in qua est sita *Hierusalem* terrena , non fuit sanctis Patribus à Deo promissa in præcisum præmium pro Lege servanda : nec expectabant eam Patriarchæ & Prophetæ tanquam requiem & terminum ultimatum. Hæc conclusio multipliciter probatur. Primò sic. Nam si Deus promisisset & dedisset illam terram Judæis in præcisum præmium pro Lege observanda , sequeretur , quod Deus esset injustus ; aut superstitio & cultus idolorum fuisset nobilior , quàm Lex divina. Nam terra quam possidebant Gentes , scilicet *Damascus* , & *Babylonia*, & *Ægyptus* , & opima regio *Indorum*, absque proportione fuerunt semper fertiliores , & ditiores , quàm terra *Chanaam* , quæ est sterilis , & inaquosa , & misera , frequenter patiens famem & inediam : ut patet per totum discursum Patriarcharum in *libro Geneseos*. Nam propter famem & inediam compulsi sunt fugere *Abraham* , *Isaac* , & *Jacob* cum suis filiis ab illa terra in *Ægyptum*. Ex quo patet , quòd meliorem terram possederunt semper Gentiles & Idololatræ: & per consequens Deus non promisit illam terram in præmium observantiæ Legis : quia nobiliori Legi nobilius debetur præmium.

Item , hoc idem patet authoritate. Nam si illam terram promisisset Deus in præcisum præmium suis cultoribus: non privasset *Moysen* famulum suum ingressu illius terræ. Nam multi scelerati ingressi sunt cum *Josue* in illam terram : & tamen *Moyses* non permissus fuit introire, qui magis servavit præcepta Dei , quàm aliquis eorum. Item *David* , tamquam Rex & Dominus , possidebat illam terram ; sed tamen contemnens illam , aliam desiderabat , cum dicebat : *Satiabor cum apperuerit gloria tua* , *Psalm.* 16. Item *Psalm.* 83. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei* , *magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Item *Psalm.* 119. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est &c.* Item *Psalm.* 141. *Portio mea in terrâ viventium.* Item , Salomon Rex erat Hierusalem potentissimus &c. Et tamen dicit , quòd Hierusalem illa terrena cum omnibus regnis mundi sunt quædam vanitas , ut patet *Eccles.* 1. *cap. & per totum* : immò concludit in fine illius libelli , quòd omnia ista sunt vana , nec est alia beatitudo in hoc mundo , nisi servare mandata , eò quòd de-

be-

bemus apparere in fine vitæ ante Deum judicem & præmiatorem &c. ergo ſancti Patres non expectabant Meſſiam propter poſſeſsionem illius terræ miſeræ.

Hoc idem affirmat *Rabbi Moyſes aben Maimon*, *in libr. Judicum*, *in ſententiis regum*, ubi ait: quòd *non deſiderarunt Prophetæ & ſapientes tempus Meſsiæ*, *ut dominarentur ſuper orbem*, *nec ut haberent poteſtatem in gentibus*, *nec ad comedendum & bibendum*, *nec ad delicias & voluptates: ſed ut vacarent in lege & ſapientia, ut eſſet eis fas habere vitam ſæculi futuri*, *ſicut declaravimus in ſententiis de pœnitentia. Unde in illo tempore omnes divitiæ reputabuntur tanquam terra. Et non erit occupatio in Iſrael niſi ad ſciendum Dominum. Ideo erunt ſapientes magni & ſcient verba clauſa & obſcura, & attingent ſcientiam ſui creatoris. Ut dicitur Iſai.* 11. *quia tunc erit terra plena ſcientia Domini &c.*

Ex dictis ergo hujus magni Magiſtri reputati apud Judæos, patet, qualiter Rex Meſsias non eſt daturus Judæis in ſuo adventu illam terram Hieruſalem, nec alia mundana: ſed ſcientiam veram, & intelligentiam Legis, ut per illam conſequerentur vitam venturi ſæculi: quod totum fuit impletum per Chriſtum in Apoſtolis & Doctoribus & omnibus fidelibus ſuis. Propter hanc ergo requiem æternam in cœlo conſequendam exhortatur David in hoc Pſalmo omnes Gentiles, & Judæos, ut recipiant Chriſtum in ſuo adventu, & audiant vocem ejus Euangelicam. Et privationem hujus requiei, & beatitudinis comminatur Judæis rebellibus & contemnentibus vocem Chriſti, cùm dicit: *Hodie ſi vocem ejus audieritis*, *nolite obdurare corda veſtra ſicut &c.* Et per hoc patet reſponſio ad vanum argumentum Judæorum, & vanam ſpem, & intelligentiam eorum. Sed hoc latiùs patebit *in tractatu finali contra Judæos.* Ex quibus patet, quòd David in hoc Pſalmo prædicit electionem Gentilium, qui ad Chriſtum colendum & adorandum venerunt, & vocem Euangelicam audierunt: & prædicit reprobationem Judæorum, qui Chriſtum negaverunt.

*** *** ***
*** ***
***

PSALMUS XCV.

1. *Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.* 1.p.16.c.1 93.d.c.1. in Gloſ.

2. *Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem ſalutare ejus.*

3. *Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.* Et 1.p. 101.c.Revertimini.

4. *Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis eſt ſuper omnes deos.* Supr. 47. & Eccleſ. 43.

5. *Quoniam omnes dii Gentium dæmonia: Dominus autem cœlos fecit.* Et 26. q. 2. c. Quæ ſine.

TITULUS: *Canticum ipſi David, quando domus ædificabatur poſt captivitatem.* Iſte Pſalmus apud Hebræos eſt omnino ſine Titulo: ſed dicunt Hebræi moderni quod *Moyſes* fecit iſtum Pſalmum pro gratiarum actione de reædificatione Templi reædificati poſt *captivitatem Babyloniæ*, quam prævidit *Moyſes* in ſpiritu.

Sed iſti manifeſtè mentiuntur. Nam legitur 2. *Paralip.* 7. *cap.* quòd in dedicatione Templi *Sacerdotes ſtabant in officiis ſuis*, *& Levitæ in organis carminum*, *quæ fecit David Rex ad laudandum Dominum*, *quoniam bonus*, *quoniam in æternum miſericordia ejus*, *hymnos David canentes per manus ſuas.* Ex quo patet, quòd David fecit omnes Pſalmos qui incipiunt, *Confitemini*, vel *Cantate*, vel *Laudate &c.* Item manifeſtè patet, quòd iſte Pſalmus totus cantatus eſt cum *Pſalmo centeſimoquarto*, & *centeſimoquinto*, quando David introduxit Arcam in Hieruſalem, ut patet 1. *Paralip.* 15. Ex quo patet, quòd iſte Pſalmus ſpecialiter factus eſt ad laudandum Deum in Templo ab ipſo David.

Sed ad majorem evidentiam hujus Pſalmi, & omnium ſubſequentium, & etiam præcedentium, eſt advertendum: quòd ſicut tota Lex Euangelica dicitur *pſalterium decem chordarum*, eò quòd

continet decem mysteria de Christo & Ecclesia, quæ sunt decem articuli humanitatis Christi, prout sæpe dictum est: A ita pariter Lex Euangelica dicitur *Canticum novum* in toto isto libro Psalmorum: eò quòd Lex Euangelica continet, & cantat nova mysteria de Christo, & totâ Ecclesiâ, qui sunt omnes Articuli Fidei, & omnia gesta Christi, & omnia consilia & præcepta. Unde sicut tota Lex *Moysi* dicitur continens *sexcenta tredecim præcepta* veteris Legis inter Moralia, & Judicialia, & Cærimonialia. Ita Lex Euangelica dicitur *Canticum novum*, eò quòd relictâ vetustate litteræ, cantat nova mysteria de Christo & Ecclesiâ, figurata per illa antiqua mysteria veteris Legis.

Lex Euangelica dicitur canticum novum.

Unde relictâ vetustate, & renovati per Christum, & ambulantes in novitate spiritus, jam cantamus in Ecclesia & Lege Euangelica mysterium Trinitatis Divinarum Personarum, & mysterium Incarnationis, & prædicationis Christi, & opera miraculorum ejus, & mysterium mortis, & passionis, & liberationem fidelium veteris Testamenti per descensum Christi ad inferos. Et cantamus & celebramus jugiter Ecclesiastica septem Sacramenta, in quibus continetur virtus ipsius passionis Christi, & pretium ejus. Item, cantamus Christi resurrectionem, & ascensionem, & Spiritus sancti missionem, & Gentilium in unam Ecclesiam vocationem, & Judæorum reprobationem, & ultimi judicii examinationem, & bonorum & malorum retributionem. Hoc est ergo *Canticum novum* Euangelicum, quod modò C jugiter cantat realiter Ecclesia: quod David frequenter propheticè commemorat in Psalmis. Nam sicut David per *citharam* intelligit mysterium Trinitatis, & per *psalterium decem chordarum* intelligit decem articulos humanitatis Christi. Ita per *Canticum novum* intelligit omnia pacta, & consilia, & gesta, & miracula Euangelica, & omnia septem Ecclesiastica Sacramenta, & omnes Articulos Fidei, tàm divinitatis, quàm humanitatis. Unde sicut nos cantamus hoc *Canticum* realiter & Euangelicè: ita David cantat ipsum in toto libro Psalmorum figuraliter, & propheticè. Ideo in hoc Psalmo apostrophando invi- D tat omnes Gentes, & nationes mundi, ut veniant ad cantandum hoc *Canticum novum Euangelicum* Christo in adventu suo.

Materia hujus Psalmi.

Tria ergo principaliter facit David in hoc Psalmo. Nam primò invitat omnes gentes & nationes ad cantandum omnipotentiam, & excellentiam, & mirabilia opera, quæ fecit Christus in suo adventu. Secundò, invitat omnes ad cantandum, & exhibendum Christo cultum veræ Latriæ, secundùm morem E Euangelicum. Tertiò, invitat omnes ad cantandum & prædicandum regiam & judiciariam potestatem Christi, quam accepit in sua resurrectione & ascensione ex merito suæ passionis. Et per consequens invitat omnes, ut recipiant Christum tamquam Messiam, & Salvatorem, & Legislatorem. Secunda ibi: *Confessio & pulchritudo.* Tertia ibi: *Commoveatur à facie ejus.*

Quantum ergo ad primum dicit: ô vos Judæi, quibus primò facta est promissio de Christo, *cantate* ipsi *Domino* Jesu Christo *Canticum novum*: & nolite jam cantare canticum antiquum ipsius *Moysi*: quia jam perfecit cursum & officium suum in adventu Christi. F Ergo *cantate* Christo *Canticum novum*, & Euangelicum, profitendo & observando omnia quæ in Lege Euangelica continentur: quæ sunt observantia præceptorum, & consiliorum, & fides Articulorum, & gratia, & sanctificatio Sacramentorum, & firma spes futurorum bonorum. Et vos *omnis terra*, scilicet, omnes habitatores terræ, scilicet *Græci*, & *Latini*, & omnes barbaræ nationes, scilicet *Indi*, & *Scythæ*, & *Æthiopes*, *Cantate* hoc suprà dictum *canticum* Euangelicum cum omnibus partibus & conditionibus. Et omnes simul *cantate Domino* Christo, & *benedicite nomini ejus*, quod est Jesus: quia *non est aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri*: & quia *nomen Domini* est *Jesus*, id est *Salvator*, G in quo totus mundus debet salvari, ideo *annuntiate de die in diem*, id est, continuè, & assiduè, & omni tempore *salutare ejus*: & prædicate hoc nomen *Jesus* ubique, & semper, id est, annuntiando ejus redemptionem & salvationem, quam Jesus Christus operatus est in mundo per mortem & passionem.

Et vos Apostoli & Discipuli *annuntiate inter Gentes*, scilicet, inter Gentiles, *gloriam ejus*: id est, gloriam, quam acquisivit, & ostendit in sua resurrectione & ascensione: & annuntiate *omnibus populis mirabilia ejus*, quæ operatus est, infirmos sanando, & mortuos suscitando: & *prædicate Euangelium omni creaturæ*, sicut præcepit vobis, *Marci ult.* & ostendite potestatem H in miraculis faciendis, quam Christus vobis contulit in sua ascensione, ut patet ibidem. Quasi dicat: non solum *annuntiate*, & prædicate miracula quæ fecit Christus ante suam passionem & ascensionem; sed etiam vos facite signa & miracula in nomine ejus in populo Gentili & Judaico, sicut patet per totum discursum *Actuum Apostolorum*, &

per

per hiſtorias eorum, & aliorum Sanctorum.

Et ſic non ſolum dictis & prædicationibus, ſed etiam ſignis & miraculis oſtendite, *quoniam*, & quomodo *Dominus* Jeſus Chriſtus eſt Deus, & *magnus Dominus*, & Rex magnus, *& nimis*, & valde *laudabilis*, *& terribilis, ſuper omnes deos* Gentium: & quomodo ſoli Chriſto debetur laus, & honor, & cultus Latriæ tamquam vero Deo. Nam ipſe eſt *terribilis ſuper omnes deos* Gentium. Quod probatur. Nam ipſe ejecit eos de corporibus obſeſſis. Item, Chriſtus eſt *terribilis ſuper omnes deos* Gentium. Nam *omnes dii Gentium* ſunt *dæmonia* immunda: *Dominus autem* Jeſus Chriſtus eſt *Deus magnus*. Quod probatur: nam ipſe fecit cœlos, & omnia in eis & ſub eis contenta. Et ideo Jeſus Chriſtus in tantum eſt *magnus & terribilis ſuper omnes dæmones*: quòd primò ejecit eos de cœlo: ſecundò, ejecit eos de corporibus obſeſſis: tertiò, ejecit eos foras de mundo & populo Gentili, & alligavit eos in inferno: & quotidie ejicit eos de animabus hominum per Eccleſiaſtica Sacramenta. Ex quo patet, quòd ſolus Chriſtus eſt laudabilis, & ſibi debetur honor Latriæ, & non dæmonibus, cùm ſit Creator, & Redemptor mundi, & triumphator contra diabolum, & omnes dæmones.

32. q. 5. Ita ne.

6. *Confeſsio & pulchritudo in conſpectu ejus: ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione ejus.*

Supr. 28.

7. *Afferte Domino patriæ Gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus.*

92. d. c. 1. in Gloſ.

8. *Tollite hoſtias, & introite in atria ejus: adorate Dominum in atrio ſanctio ejus.*

HÆC eſt ſecunda pars, in qua David invitat omnes ad exhibendum Latriam ipſi Chriſto in ſuo adventu. Quæ quidem Latria conſiſtit in tribus, ſcilicet, in confeſsione fidei & laudis cum munditia cordis, & in oblatione & adoratione, ut pluries dictum eſt.

Latria in tribus cõ ſiſtit.

Dicit ergo David: poſtquam ita eſt quòd Chriſtus eſt *magnus Dominus*, & Deus qui fecit cœlos, & eſt *terribilis ſuper omnes deos* Gentium *qui non ſunt dii, niſi dæmonia*, quos Chriſtus ejecit de cœlo, & de corporibus obſeſſis, & de animabus & idolis Gentium: Ergo ſoli Chriſto debetur Latria, & non idolis Gentium, in quibus habitant dæmones. Exhibeatur ergo Chriſto prima pars Latriæ, quæ dicitur *confeſsio*, *& pulchritudo*, *& ſanctimonia*, *& magnificentia*.

Unde triplex eſt confeſſio, ſcilicet, confeſsio peccatorum, & fidei, & laudis. Una præſupponit aliam. Nam confeſsio laudis non eſt acceptabilis in conſpectu Dei ſine confeſsione veræ Fidei omnium articulorum: nec confeſsio fidei ſine confeſſione peccatorum, & munditia cordis: ut talis ſit in charitate: quia non eſt ſpecioſa & acceptabilis laus in ore peccatoris. Et ideo oportet, quòd ſit confeſſio in ore, & *pulchritudo*, & munditia in corde ipſius cultoris Dei in conſpectu Chriſti. Item, oportet quòd ſit ibi *ſanctimonia*, id eſt, quòd tales laudes & honores ſint res ſacræ & ad divina applicatæ, & non ſint obſcœnæ ſicut laudes turpes, quas Gentiles exhibebant deæ *Veſtæ*, & *Baccho*, & *Priapo &c.* Item, oportet quòd ſit *magnificentia*, id eſt: quod narrentur & prædicentur opera magnifica, in tali Latria, & in tali *ſanctificatione* & cultu Chriſti. Quaſi dicat, quod talis cultus fiat cum confeſſione peccatorum, & fidei, & laudis, & cum pulchritudine & munditia cordis: & quod narrentur opera quæ pertinent ad divinitatem & ſanctimoniam & magnificentiam & omnipotentiam Chriſti. Et talis cultus eſt exhibendus *in conſpectu ejus*: quæ eſt prima pars Latriæ in conſpectu Chriſti exhibendæ.

Differentia Latriæ & cæterа.

Poſſunt etiam iſtæ quatuor conditiones memorari ad differentiam Latriæ veteris Teſtamenti. Nam illa Latria non fiebat cum tali confeſſione interiori & exteriori; nec cum tanta munditia ex parte offerentis & oblati. Quia ibi offerebantur animalia bruta: hîc autem offertur ſacrificium purum & mundum, de ſe bonum & acceptabile. Et ſic Latria noſtra fit cum majori ſanctimonia & magnificentia: quia offertur Chriſtus Deus & homo, Agnus ſine macula, & immortalis. Et ideo ſubdit: *Afferte Domino* Jeſu Chriſto *gloriam & honorem*, ò vos omnes *patriæ* & regna *Gentium*: cantate jam ejus gloriam & reſurrectionem & aſcenſionem; & *afferte gloriam* & claritatem *nomini ejus*, quod eſt *Jeſus*, id eſt, prædicate hoc nomen Jeſus, & virtutem ejus per omnia regna mundi: quia hæc eſt prima pars Latriæ Chriſti.

Deinde, *Tollite hoſtias & introite*

in atria ejus, introite in templa & Ecclesias ejus: & ibi *tollite*, & offerte hostias, scilicet, sacrificium Eucharistiæ; quod ponitur in plurali, eò quòd offertur corpus de per se, & sanguis de per se, ad explicationem passionis Christi, in qua sanguis fuit effusus à corpore. Nam in hostia est Corpus ex vi consecrationis, & sanguis per concomitantiam: & in calice è converso. Sed hoc fit ad explicandum passionem Christi. Item, ponitur ly *hostias* in plurali, ad denotandum, quod licet sit unum sacrificium, tamen offertur in diversis & multis Ecclesiis diffusis per totum orbem. Sed quia in omnibus Ecclesiis & altaribus non offertur, nisi unum & idem Christus Deus & homo: ideo A B subdit: *Adorate Dominum in atrio sancto ejus.* Et sic memorat omnes partes Latriæ: scilicet, confessionem, & oblationem, & adorationem. Deinde cum dicit:

9. *Commoveatur à facie ejus universa terra: dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.*

15. q. 1. cap. Revertimini de celebr. Missa, c. In quadã

10. *Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: judicabit populos in æquitate.* C

INvitat omnes ad cantandum Christi regiam dignitatem, & judiciariam potestatem. Sed quia regiam dignitatem, & universale dominium, & judiciariam potestatem adeptus est per meritum suæ passionis, *ad Philip.* 2. Quia *humiliavit semetipsum factus obediens* Patri *usque ad mortem crucis:* ideo dicit David: *Commoveatur universa terra à facie ejus:* quia universa terra tremuit, & fuit commota in Christi passione. Et *velum Templi scissum est à summo usque deorsum: & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & factæ sunt tenebræ super universam terram &c.* Unde dixit *Dionysius Areopagita: Aut Deus naturæ patitur: aut tota machina mundi destruetur.* Ex quo patet, quòd Christus tunc se ostendit universalem Deum & Dominum mundi in Cruce. Ideo subdit: *Dicite in gentibus*, id est, prædicate, & annuntiate inter gentes, *quia Dominus* Jesus Christus *regnavit*, & adeptus est regnum super universas creaturas. Littera autem *Origenis*, & *Hilarii*, & *Ambrosii*, & *Augustini*, & *Cassiodori* habet: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit à ligno*, id est, à Cruce. Et ideo *Ambrosius* secutus litteram *Origenis* dicit in hymno passionis: D

Christus se ostendit domini Cruce.

Impleta sunt quæ concinit
David fidelis carmine,
Dicens in nationibus:
Regnavit à ligno Deus.

E Ubi asserit David fecisse hunc Psalmum, & protulisse hanc particulam, scilicet *à ligno.* Sed Beatus *Hieronymus* sic non transtulit, eò quòd in littera Hebraica punctuata non reperitur. Vel quia defectu Scriptoris non reperit in exemplari Græco Septuaginta Interpretum. Et ideo translatio ad exemplar *Origenis*, & aliorum, est magis conformis fidei nostræ.

Est ergo sententia ista: *Universa terra commoveatur à facie ejus*; non solum in nativitate, & miraculorum operatione, sed in sua passione, & in descensu ad inferos, & in Resurrectione: F Quia *terræmotus factus est magnus*: & *Angelus descendit de Cœlo, & revolvit lapidem &c.* Et ideo vos Apostoli, & omnes fideles, *dicite* & prædicate *in gentibus, quia Dominus regnavit à ligno* Crucis. Quia ibi *confregit gladium, & scutum, & arcum* diaboli: & meruit liberare genus humanum, & obtinere regnum super omnes creaturas, *Matth. ult.* & *Marc. ult.* Item, ibidem accepit universalem potestatem judiciariam. *Etenim*, id est ideo, *correxit* totum *orbem terræ*, idola conterendo, & Legem Euangelicam ferendo. Et sic corriget popu- G lum Gentilem, & mundabit ipsum ab idolatria: *qui* quidem orbis *non commovebitur* à Fide Catholicâ, usque ad judicium duraturâ.

11. *Lætentur cœli, & exultet terra; commoveatur mare & plenitudo ejus: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.*

92. d. c. 1. in gloss. Luc. 2. Et de Cõsec. d. 1. c. Nocte, & c. de Hymnis. Infra 97.

12. *Tunc exultabunt omnia ligna silvarum à facie Domini, quia venit: quoniam venit judicare terram.* H

13. *Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.*

HIC invitat cœlum, & terram, & omnia quæ in eis contenta sunt, ut *lætentur* in adventu Christi, sicut fuit impletum in ejus Nativitate. Quia nova stella apparuit in cœlo, quæ duxit Magos ad Christum adorandum: Et Angeli cantarunt: *Gloria in excelsis Deo &c.* Item, terra fuit lætata: quia per omnes partes mundi data sunt signa Regis pacis

cis nati: & mare cum plenitudine ejus fuit motum: quia in omnibus insulis maris data & facta sunt signa, ut sæpius dictum est. A

Dicit ergo David: *Lætentur cœli*, id est, omnes Angeli cœlestes, & *exultet terra*, id est, omnes habitatores terræ: *Commoveatur mare*, id est, omnes insulæ marinæ, & *plenitudo ejus*, id est, omnes habitatores ejus: & *gaudebunt campi*, id est, pastores in campis & silvis, greges pascentes: quia pastores venerunt ad Christum adorandum. *Tunc*, id est, in adventu ejus, quando ingredietur in *Jerusalem* in die Palmarum, *exultabunt omnia ligna silvarum à facie Domini, quia* veniet ad patiendum & liberandum genus humanum. Quia tunc pueri cædent B ramos olivarum & palmarum de arboribus, & sternent in via ante pedes Christi. Et *exultabunt* etiam, *quoniam* veniet *judicare terram*, id est, ad judicandum mundum judicio discretionis, separando fideles ab infidelibus per observantiam Legis Euangelicæ. Et hoc erit in primo adventu. Et *judicabit* etiam *orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua* in secundo adventu: quia non erit acceptator personarum. Quia sicut in primo adventu dedit Legem Euangelicam æquam & rectam; ita in secundo adventu *judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua*, id est, secundum æquitatem & veritatem Euangelicam. Quia bonis dabit præmium, & vi- C tam æternam, & malis pœnam æternam.

Ex supradictis patet, quòd David in hoc Psalmo canit *Canticum novum* Euangelicum propheticè, quod nos canimus, & profitemur Euangelicè. Et principaliter canit futuram Christi omnipotentiam, & veram Latriam sibi debitam, & ejus regiam dignitatem, & universalem jurisdictionem, quam acquisivit in sua Resurrectione & Ascensione per merita suæ passionis in ligno Crucis.

Psalmus XCVI.

Joann. 6. 1. *Dominus regnavit, exultet ter-* D *ra: lætentur insulæ multæ.*

Matt. 26 2. *Nubes, & caligo in circuitu ejus: justitia, & judicium correctio sedis ejus.*

Marc. 14 3. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.*

E 4. *Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: vidit, & commota est terra.* *Luc. 23.*

5. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini; à facie Domini omnis terra.* *De Pœn. d. 3. cap. Adhuc, 20. q. 1. cap. Multi, in glossa.*

6. *Annuntiaverunt cœli justitiam ejus: & viderunt omnes populi gloriam ejus.*

F Huic Psalmo præponitur talis Titulus: *Huic David, quando terra restituta est ei.* Licet apud Hebræos iste Psalmus sit sine Titulo; tamen præfatus Titulus non est sine mysterio. Nam David postquam tota terra restituta est ei post mortem *Absalom*, prævidit, qualiter Christus post persecutionem & mortem erat regnaturus: & quomodo hæreditas sua, scilicet immortalitas, erat sibi restituenda per Resurrectionem: & etiam quomodo hæreditas Patris, scilicet genus humanum, quod diabolus detinebat captivum, erat sibi restituendum: & etiam quomodo possessio cœli erat sibi restituenda pro se, & pro suis.

G Hoc ergo prævidens David, fecit hunc Psalmum in quo describit regnum Christi post Resurrectionem: & quomodo in sua Ascensione accepit universale Imperium & judiciariam potestatem. Et describit etiam utrumque judicium, scilicet discretionis, & examinationis.

Unde est advertendum: quòd judicium Christi incæpit à primo adventu, in quo dedit Legem Euangelicam promittentem observantibus Regnum Cœlorum, & transgressoribus pœnam æternam, & pœnitentibus veniam. Et istud dicitur *judicium discretionis*, & durat usque ad secundum adventum, in quo examinabuntur omnes qui receperunt Legem Euangelicam; & tunc recipiet unusquique H præmium, prout gessit in hac vita. Et ideo ea signa quæ fient corporaliter in secundo adventu, facta sunt spiritualiter in primo adventu. Nam sicut in secundo adventu erunt signa in Cœlo, & in Sole, & Luna, & in mari, & in terra, ut refert *Hieronymus*: quia tota terra cremabitur, & montes æquabuntur, & postea omnes resurgent à mortuis, & venient ad judicium: Ita omnia ista fuerunt spiritualiter in primo adventu. Nam ita totus mundus, qui erat in peccato & vetustate culpæ, fuit crematus, & renovatus igne Spiritus sancti; & *commota est* *Judicium Christi.*

to-

tota *terra*, & insulæ maris ad prædicationem Apostolorum. Et etiam Christus venit tamquam Judex, & Legislator, & A expoliavit infernum, & aperuit Cœlum, & introduxit Sanctos Patres, & omnes gentes à peccato surrexerunt. Ex quo patet, quod iste Psalmus de utroque judicio & adventu potest exponi. Nam regnum Christi incæpit post Resurrectionem.

Duo ergo facit David in hoc Psalmo. Primò, describit regnum Christi. Secundò, exhortatur omnes ad observantiam Legis Euangelicæ: ibi: *Qui diligitis Dominum.* Quantum ergo ad primum dicit David: *Dominus* Jesus Christus Deus & homo *regnavit* in forma humana gloriosa post Resurrectionem suam, & accepit universalem potestatem in Cœlo & in B terra: ideo *exultet* tota *terra* habitabilis, *& lætentur insulæ multæ*, recipientes Legem Euangelicam ejus, per quam debent justificari à peccato, & adipisci regnum cœleste, quod pro nobis Christus adeptus est in sua Passione & Resurrectione. Unde quòd sit ipse caput Ecclesiæ, & regnet universaliter in Cœlo & in terra, probatur. Nam quando ascendit in Cœlum, *nubes & caligo*, id est, splendor, apparuit *in circuitu ejus*: per quod denotatur ejus dominium in Cœlo, & in Angelis. Et ibi apparuit, qualiter *justitia & judicium* erat *correctio sedis* & sceptri judicialis *ejus*, quando Angeli in vestibus albis dixerunt: *Sic veniet* ad judicandum, *quemadmodum vidistis eum* C *euntem in Cœlum:* quia sedes judiciaria, & Lex Christi, nihil aliud est, nisi *justitia, & judicium, & correctio.*

Regni Christi descriptio.

Sed hoc maximè verificabitur, & apparebit in secundo adventu. Unde in isto primo adventu *ignis* charitatis & donorum Spiritus sancti *ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Hoc impletum fuit, quando Apostoli perlustrarunt universum mundum, & prædicarunt Euangelium, quod est *ignis combnrens & inflammans* corda hominum. Unde ille ignis *inflammavit in circuitu* per totum mundum omnes Gentiles, qui antè erant imici, & cremavit D in eis vetustatem infidelitatis, & destruxit in eis peccatum, & fecit eos amicos & subditos Christi per Baptismum & Pœnitentiam, & cetera Sacramenta. Et tunc *fulgura* Christi, scilicet, miracula, & verba Euangelica *illuxerunt*, & illuminationem dederunt toti *orbi terræ*, quia ex miraculis crediderunt. Et tunc *vidit* miracula, & *commota* est tota *terra*, & conversa ab infidelitate & idololatria & nefanda superstitione ad veram fidem & cultum latriæ Christi.

Et tunc magni *montes*, scilicet, Imperatores, & Reges, & Principes, & Philosophi Gentilium hoc videntes, scilicet, illa miracula, *fluxerunt*, & liquefacti E sunt à duritia sua, & mollificati, *sicut cera* fluit & mollificatur calore ignis: ita omnes isti, & *omnis terra*, id est, populares, fuerunt mollificati à facie caloris gratiæ Spiritus sancti, & prædicationis Apostolorum. Et ideo sequitur: *Annuntiaverunt Cœli*, id est Apostoli, *justitiam* & Legem ejus Euangelicam: & sic *omnes populi viderunt gloriam ejus:* primò per miracula; postea per fidem: & sic omnes sunt ad fidem conversi.

7. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: & qui gloriantur in simulachris suis.* 23. q. 4. c. Non invenitur.

F

TUnc confusi sunt *omnes qui adorant sculptilia*, & idola &c. Quia tunc cognoverunt errorem suum. Et ideo deleverunt idola, & consecrarunt templa idolorum in Basilicas & Ecclesias Christi, & coluerunt Christum verum Deum.

Tota etiam littera prædicta potest exponi de futuro judicio, quando *apparebit Dominus in nube cum potestate magna & majestate.* Ideo *nubes & caligo erit in circuitu ejus*;. Et *ignis ante ipsum præcedet*, & realiter *inflammabit omnes inimicos ejus*, qui secuti sunt Antichristum & illucebunt *fulgura orbi terræ:* quia *erunt signa in Sole & Luna &c.* Et sic *montes sicut cera* liquefient, & cre- G mabuntur, & æquabuntur campis planis. Et *Cœli annuntiabunt justitiam* Christi, quando dabunt signa adventus ejus: quæ signa videbunt omnes populi: & postea *videbunt gloriam ejus*, quando apparebit in nube &c. Et tunc *omnes* Gentiles, *qui adorant sculptilia*, & noluerunt converti, sed persecuti sunt sanctos Martyres, *confundentur* videntes Christum Regem Judicem, & sanctos Martyres, & Apostolos simul cum Christo judicantes, & ipsos condemnantes, *Matth.* 19. & *Sapientiæ* 5. quia *stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt &c.*

H

8. *Adorate eum omnes Angeli ejus: audivit & lætata est Sion.* *Hebr.* 1. *supra* 47. *de Consec. distin.* 1. *c. Nocte.*

9. *Et exultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua Domine.* *Et cap. de Hymnis.*

10. *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes Deos.*

HIC demonstrat, quomodo potestas Christi non solum est super omnes

nes homines, ſed etiam ſuper omnes Angelos: & ſic eſt univerſalis in cœlo, & in terra: quod viſum fuit in ſua reſurrectione, quando Angelus annuntiavit ejus reſurrectionem mulieribus, & aſcenſionem; quia non ſolum nubes in obſequium ſuſcepit illum, ſed etiam Angeli ejus aſtiterunt juxta illum in miniſterium, & adorarunt ipſum, tamquam Dominum & Deum, & nuntiaverunt ſecundum adventum, dicentes: *Viri Galilæi &c.*

Dicit ergo: *Adorate eum*, ſcilicet Chriſtum, *omnes Angeli ejus.* Quaſi dicat, quòd Apoſtoli audierunt, qualiter omnes Angeli adoraverunt Chriſtum in ſua aſcenſione, & ſociarunt ipſum in cœlum, exhibentes ei divinum cultum, & honorem, & adorationem Latriæ. Et ſic *audivit Sion*, id eſt, tota Eccleſia, quæ erat ibi in *Virgine Maria*, & *Apoſtolis*, & diſcipulis: *&* ideo *lætata eſt* tota Eccleſia in aſcenſione Chriſti, cum viderunt Angelos præbere Latriam Chriſto. Et ideo inter ſeptem gaudia *Virginis Mariæ* numeratur aſcenſio glorioſa Chriſti.

Nota.

Et ideo ſequitur, quòd *exultaverunt filiæ Judæ*, ſcilicet, *Virgo Maria*, & ſorores ejus, & *Magdalena*, & *Martha*, quæ erant *de tribu Judæ*: omnes iſtæ *exultaverunt propter judicia tua, ò Domine:* & etiam omnes animæ confitentes Chriſtum, dicuntur *filiæ Judæ.* Quia ibi cognoverunt & viderunt te accepiſſe judiciariam poteſtatem in cœlo & in terra. Et probatur: *Quoniam* viderunt quomodo *tu* es *Dominus* univerſalis & *altiſſimus*, & judex *ſuper omnem terram*, & quomodo *nimis exaltatus es ſuper omnes deos*, ſcilicet, ſuper omnes Angelos. Nam ibi fuit manifeſta tua univerſalis poteſtas ſuper omnes homines & Angelos. Et ideo *lætata eſt Sion*, ſcilicet, totus cœtus Apoſtolorum, & *filiæ Judæ*, id eſt, *Maria* cum toto cœtu mulierum fidelium, in quo erat tota Eccleſia.

Tota littera prædicta poteſt etiam referri ad ſecundum adventum Chriſti, ut patet intuenti, & applicare volenti per ſingula. Item, omnes *animæ* fidelium *Judæ*, id eſt, *filiæ* veræ confeſſionis; eò quòd confitentur verum Deum incarnatum, ideo omnes iſtæ *filiæ Judæ* lætatæ ſunt in adventu Chriſti, ipſum recipiendo, & confitendo.

Amos. 5. 11. *Qui diligitis Dominum, odite malum: cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos.*

12. *Lux orta eſt juſto, & rectis corde lætitia.* *32. q. 5. Sit Paulus, & 24. q. 6. Odi.*

13. *Lætamini juſti in Domino: & confitemini memoriæ ſanctificationis ejus.* *95. d. c. Ecce.*

IN hac ſecunda parte principaliter Propheta exhortatur omnes fideles ad recipiendam Legem Chriſti Euangelicam, & eam obſervandam: quæ conſiſtit in fugiendo malum, & ſequendo, & diligendo bonum. Ideo ait: ò vos omnes *qui diligitis Dominum* recipiendo Legem Chriſti, *odite malum*, & declinate ab omni malo & peccato, agendo pœnitentiam. Pœnitentia autem conſiſtit in deteſtando peccatum, & convertendo ad Dominum. Nam per pœnitentiam *cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum*, & *de manu peccatoris* diaboli *liberabit eos.* Et etiam in primo adventu ſuo per mortem & paſsionem *cuſtodivit animas ſanctorum ſuorum*, qui fuerunt ad ipſum converſi, & *de manu* diaboli *liberavit eos*: & etiam *cuſtodivit ſanctos ſuos*, & *liberavit eos de manu* Tyrannorum in perſecutione Eccleſiæ. Et ſequitur: *Lux* Legis Euangelicæ & Sacramentorum *orta eſt* populo Chriſtiano *juſto*, & *orta eſt lætitia rectis corde* in primo adventu per Legem Euangelicam, & paſſionem Chriſti, & Sacramenta. Et omnes *juſti*, qui redempti, & regenerati, & renovati eſtis in Chriſto, *Lætamini in Domino*, *& confitemini memoriæ ſanctificationis ejus*: & ſitis memores, quomodo eſtis ſanctificati in ejus paſsione, & reſurrectione, & regenerati in Baptiſmo. Ideo *confitemini*, & prædicate palàm, & agite gratias & laudes &c.

PSALMUS XCVII.

1. *Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.* *13. q. 2. Hiſta.*

2. *Salvavit ſibi dextera ejus, & brachium ſanctum ejus.* *Alius ſalvavit.*

3. *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam.* *11. q. 3. Ad mensam.*

4. Re-

De Conse. d. 3. c. ult.

4. *Recordatus est misericordiæ* A *suæ, & veritatis suæ domum Israel.*

5. *Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.*

HUIC Psalmo præponitur Titulus: *Psalmus Ipsi David*: & est unus de illis quos fecit David *ad confitendum nomini Domini*, & *ad laudandum Deum* in Tabernaculo Templi, ut dictum est *Psalmo* 95. Unde David prævidens Christum in suo adventu renovaturum mundum, & B daturum Legem Euangelicam, & facturum multa miracula & mirabilia, fecit hunc Psalmum, ut cantaretur in Templo cum instrumentis musicis infra nominatis. In quo facit. Nam primò, invitat, & excitat omnes nationes ad recipiendum Christum in suo adventu & profitendum novam Legem Euangelicam. Secundò, explicat modum recipiendi Christi. Ibi: *Jubilate Deo.*

Nomina Christi notanda.

Quantum ergo ad primum est advertendum, quòd hîc ponuntur quinque nomina idem significantia realiter; sed differunt secundum modos significandi, scilicet *dextera Dei*, *& brachium*, *salutare*, *justitia*, *veritas*: quæ omnia significant unum & eundem Christum, diversis respectibus consideratum. Nam Christus dicitur *dextera Dei Patris* ratione C mirabilium operum quæ fecit. Dicitur *brachium* ratione victoriæ contra diabolum. Dicitur *salutare* ratione nostræ medicationis. Dicitur *justitia* ratione nostræ justificationis. Dicitur *veritas* ratione Euangelicæ prædicationis, & scripturæ adimpletionis: quæ omnia fuerunt facta & impleta in ejus adventu.

Dicit ergo Propheta ad omnes gentes & nationes: *Cantate Domino* Jesu Christo *Canticum novum*, O vos Judæi, relinquentes legalia antiqua, profitemini Legem novam Euangelicam & recipite eam. Et vos Gentiles relictis idolis vestris, & antiquis superstitionibus, renovamini, & recipite novam Legem, & D *cantate Canticum novum*, novam Legem profitendo: *quoniam mirabilia* & nova opera *fecit*, & operatus est in suo adventu. Et enumerat mirabilia, dicens: Quia *salvavit* nos *sibi* cum *dextera ejus*, scilicet, cum Filio suo Jesu Christo. Et dicit modum. Nam *notum fecit Dominus* Deus Pater *brachium sanctum* suum, cum misit Christum Filium suum, qui ab eo procedit tamquam brachium à corpore. Ideo est Patri consubstantialis: in quo denotatur universalis potentia, quia Pater tradidit Filio potestatem in cœlo & in terra &c. Et non solum Pa- E ter fecit nobis notum *brachium suum* & Omnipotentiam in Filio; sed etiam *notum fecit* nobis *salutare suum*, & virtutem nostræ salutis per mortem & passionem; & *in conspectu gentium revelavit justitiam suam* in Filio suo, in quo nos justificavit, pro nobis satisfaciendo. Et hoc fecit, quia Dominus *recordatus est misericordiæ suæ*, quam promisit non solum *Abrahæ* & *Isaac* de Salvatore suo; sed toti *domui Israel*, in qua tota Ecclesia figurabatur. *Et* etiam recordatus est *veritatis suæ*: quia mentiri non potest in promissis suis & figuris. Nam sicut totum mysterium Christi fuerat fi- F guratum in Lege & Tabernaculo; ideo oportebat ut in Euangelio verificaretur. Et sic Euangelium dicitur *veritas omnium figurarum.* Et ideo *viderunt omnes termini terræ*, tam Judæi, quàm Gentiles, *salutare Dei nostri*, per Euangelium & per effectum, & per Ecclesiastica Sacramenta: qui sunt effectus passionis Christi, in quibus nostra salus effectivè continetur: quia in nobis salutem efficiunt virtute passionis Christi. In quantum virtutem & pretium salutare passionis Christi in nos transferunt, & nos participes efficiunt.

6. *Jubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate, & psallite.* 92. d. c. 1. in glos. Esai. 52. cap.

G 7. *Psallite Domino in cithara, in cithara & voce Psalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.*

IN hac secunda parte invitat nos ad modum recipiendi Christum, & quomodo debemus cantare, & laudes, & beneficia ejus propalare: quia cum jubilo & exultatione, cùm simus à morte perpetua, & captivitate, & miseria liberati, & à vetustate renovati: ideo ait: *Jubilate Deo*, non solum populus Judaicus, sed *omnis terra*: quia redemptio universalis H est, & omnes receperunt beneficium istud. *Jubilate* ergo gaudio intrinseco, & *cantate* cum expressione vocis, ejus beneficia profitendo: *Et exultate* ostensione corporali, *& psallite* musicis instrumentis. Et exprimit quatuor instrumenta, dicens: *Psallite Domino* nostro *in cithara*, scilicet fide sanctæ Trinitatis formata spe, & charitate: *&* in *voce Psalmi*, scilicet, observantia decem articulorum: *in tubis ductilibus*, id est, cum Euangelii prædicatione: *& voce tubæ corneæ*, id est, cum pastorali sollicitudine.

Un-

Sex modis Christũ in Ecclesia colimus.

Unde est advertendum, quòd istis sex modis Christum colimus in Ecclesia, scilicet, in jubilo interioris gaudii pro A nostra liberatione, & vocis expressione, confitendo beneficia: & cum *cithara* fidei Trinitatis, spei, & charitatis, sine quibus mereri non possumus: & cum *psalterio* decem præceptorum & chordarum decem articulorum: quia ex fide & charitate formata operamur, & præcepta implemus: quæ omnia quatuor sunt in omnibus Christianis necessaria. Quintò, colimus Christum cum *tubis ductilibus* prædicationis: quod prædicatoribus & doctoribus convenit. Nam sicut tuba ærea martello percussa extenditur & ducitur virtute & mollificatione ignis, & postea omnes ad bellum excitat: ita Lex Euangelica est igne purgata à cerimoniis Legis, & martello B passionis Christi, & Martyrum extensa: quæ omnes gentes ad bellum contra diabolum & mundum concitavit, & ad Ecclesiæ campum congregavit. Sextò, dicit quod psallamus *in voce tubæ corneæ*, quod Pastoribus & Prælatis Ecclesiæ convenit, qui in buccina pastorali oves suas vocant, & lupos arcent, & fugant à grege fidelium, & tamquam speculatores & custodes vigilant, & oves avisant, ut patet *Ezech.* 33. *Speculatorem posui te fili hominis &c.* Et ideo sequitur:

95. d. cap. Ecce.

8. *Jubilate in conspectu regis Domini: moveatur mare & plenitudo ejus; orbis terrarum,* C *& qui habitant in eo.*

Et 13. q. 1. His ita

9. *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à conspectu Domini: quoniam venit judicare terram.*

VOS Apostoli, & Prædicatores, & Prælati psallite, & *jubilate in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ* prædicationis &c. jubilate, & clangite, & buccinate *in conspectu regis* Christi *Domini*, qui venit ad invadendum diabolum armatus; & *moveatur mare* hujus mundi, *& plenitudo ejus*, scilicet, omnes insulæ: & moveatur totus *orbis terrarum*, *&* omnes *qui habitant in eo.* Quod totum impletum est in prædicatione Apostolorum. Nam tuba *Pauli* & cæterorum Apostolorum totum orbem concitavit. Unde non solùm insulæ maris & populi terræ, sed etiam *flumina*, id est, habitantes in ripis fluminum, scilicet *Nili*, & *Euphratis*, & *Gangis*, & *Tanais*, *plauserunt manu*, & ingenti E societate: & *simul montes*, id est, habitantes in montibus *Æthiopiæ*, & *Athlantis*, & *Caucasi*, & *Veseni &c. exultaverunt à conspectu Domini*, quando *venit ad judicandum terram* judicio discretionis, & vocationis, & electionis ad fidem. Et non solùm hoc impletum fuit litteraliter, sed etiam spiritualiter. Nam *flumina* fontis baptismi *plauserunt*, cùm in *Jordane* carnem Christi tetigerunt; in cujus contactu omnes aquæ virtutem regenerativam receperunt. Et *montes*, id est, Apostoli, & Doctores *exultaverunt*, cùm altitudinem & profunditatem intelligentiæ divinorum mysteriorum acceperunt, & ad culmen divi- F norum secretorum conscenderunt. Sed quia non solum Christus fuit constitutus judex discretionis in primo adventu, sed etiam expectatur judex universalis in secundo adventu: ideo sequitur:

Supr. 95.

10. *Judicabit orbem terrarum in justitia, & populos in æquitate.*

JUdicabit *orbem terrarum in justitia*, id est, secundùm Legem Euangelicam, quam mundo tradidit, quæ præcipit omnem justitiam: *& populos in æquitate*, tribuendo unicuique secundùm opera sua. Nam sicut in primo adventu venit *judicare terram* in misericordia, in qua nulla erat justitia nec G æquitas ex parte nostri: quia *non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit*: sic in die judicii *judicabit populos in æquitate*, in nobis repertâ. Quia tunc unusquisque judicabitur secundùm merita propria.

Et nota: quòd iste Psalmus cum duobus præcedentibus recitantur in officio *Beatæ Virginis Mariæ*: & bene meritò. Nam ipsa fuit prima quæ cantavit *Canticum novum*, & professa est Christum & Legem Euangelicam, & annuntiavit Christum in carne, cùm cecinit illud Canticum: *Magnificat anima mea Dominum*, ut patet ibidem: & H etiam quia iste rex & Dominus qui venit in mundum in forma humana, ex ipsa Virgine carnem assumpsit.

*** *** ***
*** *** ***

Psalmus XCVIII.

A

De Pœn. d. 3. c. Adhuc.

1. *Dominus regnavit, iratscantur populi; qui sedes super Cherubim, moveatur terra.*

2. q. 1. c. Multi, in Glos.

2. *Dominus in Sion magnus: & excelsus super omnes populos.*

Titulus: *Psalmus ipsi David.* Ideo credendum est, quòd iste Psalmus est de illis quos fecit David *ad confitendum & laudandum Dominum in Templo & tabernaculo*, sicut dictum est *Psalmo* 95. in quo David duo facit: nam primò, invitat principaliter Judæos ad cultum & obedientiam regis Christi in suo adventu. Secundò, adducit exemplum antiquorum Patrum, ut Judæos magis confirmet in fide. Dicit ergo ad primum: *Dominus regnavit, iratscantur populi*, id est, quando Dominus Jesus Christus post resurrectionem suam incœpit regnare in cœlo & in terra, tunc omnes populi, non solummodò Gentilium, sed Judæorum, *iratscentur* & movebuntur: maximè Judæi qui eum crucifixerunt, qui putabant eum penitus extinctum & deletum, timebunt, & trement, & terrificabuntur. Et conversus Propheta ad Christum, dicit: O Christe *qui sedes super Cherubim* ad dexteram Patris, & adeptus es dominium super omnes potestates Angelicas, fac ut ad prædicationem Apostolorum *moveatur* tota *terra*, & totus populus Gentilis.

B

C

Arca Domini Christus.

Unde nota, quòd *Arca Domini* sedebat super duo Cherubim: ad denotandum, quòd Filius Dei debebat sedere in humanitate, scilicet, super animam & corpus: & debebat sedere super duo Testamenta, scilicet, vetus & novum; & super duos populos, scilicet, Gentilem & Judaicum; & super duas intellectuales naturas in cœlo, scilicet, humanam & Angelicam. Et sub tali figura Deus præcepit *Moysi*, ut poneret *Arcam* super duo Cherubim: quod propriè significabat mysterium incarnationis, & dominium & regnum Christi. Unde David jam invocat Christum sedentem super duo Cherubim. Quasi dicat: O Christe, sicut quando Arca Domini sedentis super duo Cherubim ducebatur per desertum, & intravit totam terram promissionis, tota terra mota est à facie Domini: ita in adventu tuo *moveatur* à facie tua: quoniam tu es *Dominus magnus in Sion, & excelsus super omnes populos.*

D

E

Ista prophetia fuit completa, non solummodò in prædicatione Christi, quando tota Judæa, & terra promissionis *fuit mota* ad prædicationem Christi, & ejus miracula, ut patet per totum discursum Euangelicum: sed etiam *fuit mota* tota terra in ejus resurrectione: quia *terræmotus factus est magnus*, quando Christus resurrexit. Et etiam *fuit mota* tota *Hierusalem* in die Pentecostes: quia prædicatione *Petri*, & aliorum Apostolorum conversi sunt in illa die quasi quatuor millia, ut patet *Actor.* 2. Et exinde processerunt Apostoli per universum mundum, & commoverunt totam terram, & totum populum Gentilem, *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Et ideo sequitur:

F

De Pœn. d. 1. c. 1. § Econtrario.

3. *Confiteantur nomini tuo magno: quoniam terribile, & sanctum est: & honor regis judicium diligit.*

4. *Tu parasti directiones: judicium & justitiam in Jacob tu fecisti.*

G

O Christe, *confiteantur* omnes Gentiles *nomini tuo magno*, quod est Jesus, *quoniam sanctum est*: in quo diabolus victus est, & *princeps hujus mundi* ejectus est foras: cui colla subjecerunt omnes reges terræ: in quo tot mirabilia & prodigia facta sunt. Et ideo terribile est contra diabolum, & omnes inimicos, *& sanctum est* apud fideles. Et ideo quia nomen suum *sanctum est*, debetur ei honor & Latria. Et quia *terribile est*, est timendum, & tremendum, quia tradita est ei potestas in cœlo & in terra. *Et* ideo *honor* talis *regis diligit* & requirit *judicium*, & meretur habere judiciariam potestatem: quia *tu* Christe, *parasti directiones*, id est, vias humanas direxisti, dando regulas, & leges, & præcepta, & consilia, humanæ vitæ directiva, in Lege Euange-

H

lica. Et *tu fecisti judicium & justitiam in Jacob*, id est, in tota Christiana Religione, quæ *Regnum Jacob* dicitur. Nam in Lege Euangelica præcipitur omnis justitia, & omne judicium. *Justitia* enim dicit habitum, & *judicium* dicit actum & effectum justitiæ. *Justitiam* enim *fecisti*, cum dixisti in Lege Euangelica: *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos &c. Judicium* autem fecisti, cùm dixisti Adulteræ: *Nec ego te condemnabo: jam amplius noli peccare:*

re: & dixiſti Phariſæis: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, in eam mittat lapidem.* Et ſic de multis aliis judiciis, quæ feciſti in Lege Euangelica ad noſtram doctrinam. A

Infra eodem diſt. 22. c. 2. in fine.

5. *Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum ejus: quoniam ſanctum eſt.*

POſtquam ſuperiùs invitat omnes ad obedientiam, & recipiendam Legem magni Regis Chriſti; nunc in hac ſecunda parte invitat omnes nationes, principaliter autem Judæos, ad cultum, & latriam. Unde dicit: O vos Judæi, quibus Deus dedit Legem veterem, & per tot tempora adoraſtis Deum ſedentem ſuper Cherubim in Tabernaculo & Templo, in quo figuraliter ſedebat: *Exaltate* Chriſtum *Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum ejus*, id eſt, ejus humanitatem: *quoniam ſanctum eſt.* Nam ſicut antè ſedebat in illa Arca ſuper Cherubim: nunc ſedet Filius Dei in illa humanitate, quam aſſumpſit in unitate ſuppoſiti; & jam ſedet ad dexteram Patris, & adeptus eſt regnum univerſale. Et ſic non ſolum adoretis ejus divinitatem ſeorſum, ſed etiam ipſam humanitatem, quæ eſt Verbo perſonaliter conjuncta, quæ dicitur *ſcabellum pedum ejus.* Quaſi dicat: *Adorate* eum ſimul cum humanitate, in qua ſedet, tamquam Rex in ſolio, vel in ſcabello; quia talis humanitas eſt ſancta, C quia Verbo perſonaliter conjuncta. Nam Chriſtus in quantùm homo, eſt caput Eccleſiæ, & principium, & fons omnium donorum & gratiarum, à quo derivantur in omnia membra ſua. Et ideo quia talis humanitas fuit inſtrumentum paſſionis, per quam Chriſtus meruit pro omnibus: ideo ſimul cum Dei unitate debetur ipſi una adoratio, & una Latria, ratione Verbi uniti. Et ideo licèt videatis ipſum hominem, non dubitetis ipſum adorare: quoniam verus Deus eſt, & eſt ille idem Deus, qui eduxit Iſrael de Ægypto, & traduxit ipſum per mare Rubrum &c. Item, adorate Crucem, quæ eſt ſcabellum pedum ejus, in qua ſedit clavis affixus, D & triumphavit de diabolo. Quaſi dicat: ſicut adoratis ipſum incarnatum: ita adorate eum Crucifixum.

8. q. 1. c. Licet, 36. diſt. c. Si quis vult de Pœn. diſt. 1.

6. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus: & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus:*

7. *Invocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos.* E

8. *Cuſtodiebant teſtimonia ejus, & præceptum quod dedit illis.*

9. *Domine Deus noſter tu exaudiebas eos; Deus tu propitius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiones eorum.*

cap. Sunt qui arbitrantur. §. Item his, 50. d. c. Si quis præpoſtera.

DAvid Propheta in hoc loco vult removere dubium à Judæis, & confirmare eos in fide, ut recipiant Chriſtum in adventu ſuo, & tribuant ei latriam & honores divinos. Nam poſſent dicere Judæi: Deus præcepit nobis in Lege, *Deuter. 6. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*: quomodo ergo tu David dicis, quòd adoremus & exaltemus Chriſtum in ſuo adventu? F

Ad hoc reſpondet, quòd non dubitent. Nam licet ſit homo, tamen ipſe eſt etiam verus Deus incarnatus & humanatus; & eſt illemet Deus, qui locutus eſt *Moyſi* in mari Rubro, & eduxit Iſrael de Ægypto, quem *Moyſes* & *Aaron* adoraverunt; & cui *Moyſes*, & *Aaron*, & *Samuel* ſacrificia obtulerunt: & qui dedit Legem *Moyſi* in monte *Sinai*: & qui loquebatur Moyſi & Aaron de Tabernaculo. Et ideo illemet Jeſus, qui venit in carne, & dedit Legem Euangelicam, G eſt illemet Deus, qui dedit Legem Moyſi, & creavit mundum: quia *Jeſus Chriſtus heri, & hodie, & ipſe in ſæcula.* Et ſic eſt vere adorandus & timendus: & hoc eſt quod dicit hîc David.

Unde ait: O Judæi, non dubitetis, nec timeatis adorare Chriſtum, cum venerit in carne: quia licet videatis ipſum hominem, tamen ipſe eſt verus Deus, quem adoraverunt Patres veſtri in veteri Teſtamento. Nam *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos qui invocant*, & invocabant *nomen ejus.* Quaſi dicat: quòd Chriſtus eſt ille Deus, quem *Moyſes*, & *Aaron*, & *Samuel* invocaverunt in veteri Teſtamento, & ado- H raverunt. Nam iſti tres cum omnibus aliis *Sacerdotibus* jam invocabant Chriſtum Dominum in Tabernaculo. Et ipſe Chriſtus jam exaudiebat eos de Tabernaculo: & jam loquebatur ad *Moyſen* & *Aaron* in columna nubis.

Ad cujus majorem intelligentiam eſt advertendum, ſicut dictum eſt *in Prologo*, & *Pſalmo* 8. & 102. & 117. quod Jeſus Chriſtus eſt *nomen Dei*, non ſolum ſono litterarum, ſed etiam realiter. Nam primo in Hebræo ſcribitur eiſdem quatuor litteris, ſcilicet *Iod, he, vau, he*, quæ

Jeſus Chriſtus nomen Dei eſt.

reddunt hoc nomen *Iosuah* in Hebræo, quod est *Jesus* & Salvator Latinè. Et sic hoc nomen *Jesus*, est nomen Dei *Adonai*, quod omnes Patriarchæ & Prophetæ invocabant in veteri Testamento, & expectabant ad salvandum, ut patet per totum discursum Legis & Prophetarum. Item, ibi probatum est, qualiter Verbum Incarnatum est realiter nomen Dei, notificans mundo quatuor perfectiones Dei, scilicet omnipotentiam, & sapientiam, & misericordiam, & justitiam. Et per consequens Jesus Salvator noster est illud nomen Dei, quod quatuor litteris scribebatur in Lege, quod omnes expectabant ut salvaret eos. Et *Moyses*, & *Aaron*, & *Samuel* offerebant sua sacrificia in signum fœderis, & sub protestatione Christi futuri, invocando ipsum tamquam *nomen Domini*. Ergo jam invocabant *Jesum Christum*, qui est *nomen Domini*, ut veniret ad salvandum eos: & ad invocationem hujus nominis *Moyses* fecit omnia miracula.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, dicit: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos, qui invocabant nomen ejus*, quod est *Jesus*. Et *loquebatur ad eos* per desertum: nam ille Deus, qui ibat per illam *columnam nubis*, postea fuit incarnatus in *columna* humanitatis. Et sicut ducebat illum populum per desertum, dirigendo in terram promissionis, latens in illa nube: ita postea latens in humanitate direxit populum Christianum per Legem Euangelicam in patriam cœlestem. Et ideo sequitur, quod illi tres *custodiebant testimonia ejus, & præceptum quod dedit illis*.

Moyses, Aaron, & Samuel figura Christi.

Ad cujus evidentiam est notandum, quod Propheta convenienter adducit hos tres Sacerdotes & Duces principales veteris Testamenti in testimonium & confirmationem Latriæ Christi: quia maximè fuerunt figura ejus. Unde legitur in *Exodo* & *Levitico*, quod Deus præcepit *Moysi*, ut fabricaret Arcam & Tabernaculum secundum exemplar sibi datum, & dedit ipsi legem sacrificiorum, & holocaustorum, & oblationum, in quibus figurabatur passio Christi, & ejus Latria. Et sic Moyses fecit Tabernaculum & Arcam, & promulgavit Legem tamquam Legislator. Sed *Aaron* tamquam Sacerdos, obtulit oblationes, & holocausta, & sacrificia. Ideo Christus fuit figuratus in *Moyse*, in quantum fabricavit Tabernaculum, scilicet Ecclesiam, & promulgavit Legem. Et fuit figuratus in *Aaron*, in quantum seipsum obtulit ut verum sacrificium in Ara Crucis: Quia ipse fuit ibi Sacerdos, & hostia, & sacrificium. Item, fuit figuratus in *Samuele*, in quantum repudiatâ Synagogâ, transtulit Sacerdotium in Ecclesiam: & etiam repudiatis omnibus cærimoniis, & sacrificiis legalibus, transtulit veritatem illorum in seipsum: quia omnia quæ in illis figurabantur, in Christo sunt completa. Ideo adveniente veritate omnia illa cessarunt. Et non solum sacerdotium translatum est, sed etiam tota Lex vetus in Euangelicam: quia translato Sacerdotio, necesse fuit ut Legis translatio fieret, ut dictum est *Psal.77.*

Ideo Propheta David hos tres maximè adduxit in testimonium Regni, & Sacerdotii, & Legis Christi: eò quòd in spiritu prænoverunt Christum futurum, & jam ipsi sacrificia in figura obtulerunt, tamquam vero Deo & Redemptori: & sub tali fide Christi futuri salvati sunt, ut fuit demonstratum *in Prologo*. Ideo dicit Propheta: O vos Judæi, licèt videatis Christum verum hominem, non dubitetis adorare eum, quoniam Deus & homo est: ideo *adorate scabellum pedum ejus*, id est, humanitatem simul cum Verbo, eo modo quo dictum est. Nam *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos*, fuerunt testes ejus, quia *invocabant nomen ejus*, omnes tres Christum figurantes. Quasi dicat, quòd jam tunc invocabant nomen ejus: quia omnia sacrificia & oblationes offerebant in nomine ejus, & illum desiderabant ut Salvatorem & Redemptorem venturum ad liberandum genus humanum. Et ipse jam tunc exaudiebat eos quando in columna nubis loquebatur ad eos. Nam sicut ille Angelus latens in nube ducebat eos, & defendebat à periculis, & dirigebat eos per viam, & finaliter introduxit eos in terram promissionis: ita per hoc prævideruntin spiritu, qualiter Christus incarnatus debebat dirigere genus humanum per Legem Euangelicam, & introducere in Regnum Cœlorum: ergo jam tunc exaudiebat eos in figura. Et illi jam *custodiebant testimonia ejus* in figura, & *præceptum quod dedit illis*. Nam licet corporaliter offerrent illa sacrificia, & literaliter observarent cærimonias Legis veteris; tamen mentaliter credebant mysterium Incarnationis, & adventus Christi.

Et ideo Propheta convertitur ad Christum apostrophando, dicens: O Christe *Domine Deus noster tu* jam tunc *exaudiebas eos*, scilicet totum populum, in afflictione clamantem; quando de captivitate eduxisti, & *propitius fuisti eis*, à multis periculis liberando: *Et* etiam fuisti *ulciscens* & vindicator *in omnes*, id est, contra omnes *inventiones* & peccata eorum, eos puniendo, quando fuerunt rebelles, & voluerunt retrocedere in Ægyptum: quia nullus eorum intravit terram promissionis, nisi *Caleb*, & *Josue*: & sic de cæteris punitionibus.

Exal-

Supr. eodem.

10. *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto ejus: quoniam sanctus Dominus Deus noster.* A

COncludit ergo Propheta, & exhortatur, & invitat omnes ad recipiendum Christum, & Legem, & cultum ejus, dicens: *Exaltate* & magnificate *Dominum Deum nostrum* in confessione laudis: & ut perfectus sit cultus & Latria, *adorate eum in monte sancto ejus*, id est, in humanitate assumpta, quæ dicitur *mons Dei*, *mons pinguis*, & *mons*, in quo Verbum Dei habitat per unionem personalem. In quo monte tota superædificatur Ecclesia, qui est *lapis abscisus à monte sine* B *manibus*. Et etiam *adorate eum in monte sancto ejus*, id est, in Ecclesia, quæ dicitur *mons sanctus*, & *mons pinguis*, & *mons coagulatus*, in quo Christus habitat per gratiam in unitate mystica, tamquam caput, ut dictum est *Psalm. 67.* Et *adorate eum in monte sancto ejus*, id est, in Sacramento Altaris.

Altare autem *mons* dicitur, eò quòd altè est elevatum, & in Ecclesia adoratur. Ergo primò Deus, sive Christus adoratur in monte sancto ejus, scilicet, in Cœlo simul cum Patre & Spiritu sancto in una substantia & essentia. Secundò, in humanitate per unitatem suppositi. Tertiò, in Sacramento Eucharistiæ per unitatem Sacramenti. Quartò, in tota Eccle- C sia, tamquam Rex in atrio, & caput in corpore, & in anima uniuscujusque, tamquam in Tabernaculo, per gratiam. Et *adorate eum in monte sancto* Crucis, ad quem ascendit ad redimendum nos. Unumquodque ergo istorum dicitur *mons*, in quo Christus inhabitat. *Quoniam* in unoquoque istorum est Christus *Sanctus Dominus Deus noster*. Ideo debetur ipsi Latria.

Psalmus XCIX.

Supr. 65. & de Pœnit. d. 1. §. Deniq in fin.

1. *Jubilate Deo omnis terra: servite Domino in lætitia.* D

2. *Introite in conspectu ejus, in exultatione.*

TITULUS: *Psalmus in confessione.* Ex isto titulo apparet quod iste Psalmo est de illis, quos fecit David appropriatos ad laudandum & confitendum, ut patet 2. *Paralip. 7. cap.* in quo Psalmo invitabat David illum statum Ecclesiæ ad sacrificia figuralia, & hostias, & oblationes. Unde tunc cantabatur Psalmus iste in oblatione hostiæ pacificæ in E figura Christi futuri: quia in ara Crucis semel erat offendendus, & per sanguinem suum nos erat Deo Patri pacificaturus & reconciliaturus, *ad Colos. 1.* De cujus hostiæ pacificæ oblatione habetur *Levit. 7.* Unde quia Christus semel se obtulit Deo Patri tamquam hostiam pacificam, ideo ex ejus præcepto in memoriam illius nos quotidie eandem hostiam in Ecclesia sacramentaliter & realiter offerimus, cum Eucharistiam celebramus.

Hoc ergo prævidens in spiritu, dicit in hoc Psalmo: *Jubilate Deo omnis terra*, id est, tota Ecclesia ex Judæis & Gentilibus, non solùm in Jerusalem, sed in omnibus terris, & per totum orbem congregata. Et *servite Domino*, Jesu F Christo *in lætitia*, id est, cultum Latriæ ei cum jubilo laudis, & lætitia cordis & devotione exhibete & præbete: quia Latria est quædam servitus cum jubilo & devotione cordis, quæ soli Deo debetur. Sed quia talis Latria, sive sacrificium non debet fieri, nisi in Ecclesia Deo deputata; ideo ait: *Introite in conspectu ejus in exultatione*, id est, introite in Ecclesiam, ubi est, & contemplatur Deus, & habitat tamquam in proprio Tabernaculo sibi ad sacrificium deputato: & hoc facite *in exultatione*, & animi devotione: sed quia tale sacrificium non solùm fit in templo materiali, sed etiam in templo Dei spirituali, quæ est conscientia nostra, in qua offerimus sacrificium laudis, & vo- G ta nostra, scilicet spiritum contribulatum, & cor contritum & humiliatum: ideo non solum præcepit nos introire in templum materiale, sed etiam in spirituale, scilicet ut recolligamus nos in conscientia nostra, & ibi offeramus orationes, & nostra vota, ut patet, *Matth. 6. Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum.*

56. dist. cap. Nasci.

3. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos & non ipsi nos.*

H 4. *Populus ejus, & oves pascuæ ejus, introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis: confitemini illi.*

15. q. 1. ex Reverti- mini.

IN hac secunda parte reddit causam, quare debemus Latriam Christo exhibere. Unde est advertendum, quòd *Latria* est servitus & cultus soli Deo debitus, ratione summi dominii, & bonitatis, & potestatis.

Et

Triplex honor latriæ Deo.

Et ideo sit triplici honore : scilicet *oblatione* ratione summi dominii , & *prostratione* ratione summæ potestatis; A quia ex nihillo nos creavit : & *confessione laudis* ratione summæ bonitatis , & propter beneficia recepta. Et ideo omnia ista tria ex parte Christi explicat hîc: quia est Deus creator , & dominus , & benefactor , quia Redemptor : ideo tria debemus ei exhibere in vera Latria : scilicet , *adorationem* , *laudem* , & *oblationem*. Dicit ergo : bene debetis servire Christo *in lætitia* , Latriâ & servitute. Quoniam *scitote quoniam ipse est* verus *Deus* , licèt appareat in humanitate : ideo habet universale dominium : & *ipse fecit* & creavit *nos* , *& nos ipsi non* creavimus, nec fecimus *nos* ipsos. Ex quo patet, B quòd in Christo est summa potestatis: ideo debetur ei adoratio : ideo subdit : ò vos fideles , qui estis *populus ejus* per redemptionem & spiritualem electionem, & cepistis characterem Baptismi, & configurationis ejus: & qui estis *oves pascuæ ejus* per pascua Ecclesiasticorum Sacramentorum , ex quo apparent beneficia vobis exhibita : ideo tenemini ei exhibere laudes & oblationes cum adoratione, ut sit perfecta Latria : *Introite* ergo *portas ejus* , exteriores , sed usque in atria ejus , scilicet , usque ad penetralia conscientiæ vestræ. Nam qui offert Deo apparenter sine devotione , ad portas manet. Sed qui offert cum summa devotione & contritione & mundicia , ille talis *intrat in atria* ; quia offert sacrificium C in spiritu humiliato , & in animo contrito. Ideo sequitur , *in hymnis* & canticis laudis *confitemini illi* , confitendo beneficia vobis exhibita , scilicet Incarnationis , Passionis , & Resurrectionis &c. Ideo sequitur:

De Pœn. d. 4. c. Voluissent in fin.

5. *Laudate nomen ejus : quoniam suavis est Dominus , in æternum misericordia ejus , & usque in generationem & generationem veritas ejus.* D

LAudate *nomen ejus*, quod est *Salvator* , id est , narrate omnia beneficia nostræ redemptionis & salutis , & gratias agite pro beneficiis receptis. *Quoniam Dominus* Jesus *suavis est*. Nam sicut fuit benignus ad patiendum pro vobis , ita est misericors ad parcendum peccatoribus. Ideo sequitur : *Quoniam in æternum misericordia ejus* : & nunquam deficiet , nec obliviscetur misereri semper & parcere ; *& usque in generationem & generationem* erit *veritas ejus*. Nam ille qui dixit *Petro* : *Non dico tibi* ut dimittas peccatori *septies* , sed *usque* E *septuagies septies* : & ille qui dicit : *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis* , *& ego reficiam vos* , nunquam mentietur , sed semper promissa sua servabit & nunquam deficiet à promisso: ideo *usque in generationem & generationem veritas ejus* : & Lex ejus Euangelica , quæ est *veritas ejus* , nunquam mentietur , sed semper erit vera : & Sacramenta ejus Ecclesiastica nunquam perdent virtutem , dum in hoc mundo erunt generationes : Ergo *in æternum* erit *misericordia ejus.*

Psalmus C.

F

De Pœn. dist. 1. c. Nullus debitè.

1. *Misericordiam , & judicium cantabo tibi Domine.*

2. *Psallam , & intelligam in via immaculata , quando venies ad me.*

TItulus : *Psalmus ipsi David.* Ex titulo apparet quod David fecit istum Psalmum. De maria autem hujus Psalmi dicunt communiter Hebræi: quòd postquam David fuit unctus in Regem super totum Israel , voluit ordinare domum suam & regnum , & disposuit eam qua- G druplici ordine. Primò, ordinavit ea quæ pertinent ad cultum divinum. Et sic tetendit Tabernaculum juxta domum suam, & ampliavit cultum divinum , & ordinavit centum Cantores , & Sacerdotes , ut patet 2. *Reg.* 7. Secundò , ordinavit domum suam quoad personam propriam: quia se custodivit à vitiis in quantum potuit. Tertiò , ordinavit ministros suos : & sic exterminavit , & eliminavit omnes vitiosos & pravos de domo & societate sua: bonos vero & virtuosos adunavit, & complexus est secum , & præposuit in mi- H nisterio domus suæ. Quartò autem, quantum ad criminosos , omnes interfecit , & punivit , licet aliquos promiserit vivere, ne moverent seditionem : sicut patet de *Joab* ; sed in fine vitæ suæ , cum vidit jam regnum suum firmum & stabilitum, præcepit *Salomoni* , ut *Joab* interficeret, & cæteros criminosos. Et sic communiter Hebræi exponunt litteraliter istum Psalmum de quadrupli ordinatione & dispositione domus David.

Materia hujus Psalmi.

Unde de ordinatione eorum quæ pertinent ad cultum divinum dicitur: *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine &c.* de dispositione autem personæ ipsius David dicitur: *Perambulabam in innocentia cordis mei &c.* De expul-

sio-

ſione pravorum dicitur: *Non proponebam ante oculos meos rem injuſtam :* & hoc per quatuor verſus. Et de acceptione bonorum miniſtrorum dicitur : *Oculi mei ad fideles terræ &c.* De punitione vero ciminoſorum dicitur : *In matutino &c.*

Sed licet iſta Expoſitio litteralis aliqualiter videatur conveniens litteræ apparenter , & poſsit applicari ; tamen non fuit iſta prima intentio & finalis ipſius Prophetæ. Primò , quia ſi ſic præciſe iſte Pſalmus exponatur & intelligatur , non videtur pertinere ad ſacram Scripturam , nec includere aliquod Sacramentum de Chriſto & Eccleſia. Secundò , quòd ea quæ dicuntur in principio , & in fine hujus Pſalmi , non videntur pertinere ad ipſum David : nec ad diſpoſitionem materialem & temporalem domus ſuæ. Nam primò dicit : *Miſericordiam & judicium cantabo* : modò clarum eſt , quòd ipſe nullam *miſericordiam* ſuam cantat hìc : nec *miſericordia* David , nec alicujus alterius ſancti meretur cantari in ſacra Scriptura , nec in Templo , ſed ſolius Dei , cui ſoli convenit miſereri ſemper & percere. Secundò , propter hoc quod dicitur in fine: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ* : quia pertinet ad diem judicii , ut patebit : quia David nunquam interfecit omnes peccatores terræ.

Et ideo eſt dicendum , quòd David non ſolùm fabricavit Tabernaculum , & diſpoſuit in eo cultum divinum , & ſimiliter ſtatuit ædificare Templum ſecundùm exemplar ſibi traditum , & diſpoſuit ordinem cantorum & Sacerdotum, & fecit Pſalmos appropriatos ad laudem Dei , in quibus prædicebantur omnia myſteria Dei , Chriſti , & Eccleſiæ : ſed etiam ordinavit in ea ſanctas ordinationes,prout ſignificabant Eccleſiam Chriſti. In qua etiam prævidit diſpoſitionem totius Legis Euangelicæ. Et ideo in hoc Pſalmo cantat diſpoſitionem Legis Euangelicæ , quæ per Chriſtum erat danda. Quæ quidem Lex Euangelica ordinat totam *domum* , id eſt Eccleſiam Chriſti, & dirigit eam in ſuum finem ultimatum.

Legis Chriſti diſcurſus in miſericordia & judicio.

Ad cujus evidentiam eſt notandum, quòd totus diſcurſus Legis Chriſti conſiſtit in duobus , ſcilicet , in *miſericordia & judicio.* Nam *miſericordia* regnat ab aſcenſione Chriſti uſque ad finem mundi : quia Chriſtus judicat per miſericordiam omnes pœnitentes. Sed in fine judicabit ſecundùm juſtitiam noſtram. Et ideò tunc jam non erit tempus *miſericordiæ*, ſed *judicii.* Et ſic ſe habet in diſcurſu vitæ cujuslibet. Nam tota vita hominis dicitur *tempus miſericordiæ* ; eò quòd habet locum pœnitentiæ. Ideo judicatur per miſericordiam. Sed in morte , id eſt, poſt mortem , jam non eſt locus *miſericordiæ* , ſed *judicii.* Ideo judicatur unuſquiſque ſecundùm juſtitiam ſuam. Sed quia in pravis non invenietur juſtitia, ſed injuſtitia ; quia ſine pœnitentia mortui ſunt : ideo ſecundùm illam judicabuntur. Ideo dicit Propheta *Pſalmo* 143. *Exaudi me in tua juſtitia* , non in mea: quia nulla eſt. Ideo ſequitur : *Et non intres in judicium cum ſervo tuo &c.*

Unde in hoc ſæculo Deus judicat nos ſecundùm juſtitiam ſuam , quæ idem eſt quod miſericordia. Sed poſt mortem & in judicio judicabit ſecundùm juſtitiam uniuſcujuſque : ſed nullus habet juſtitiam de ſe , niſi per miſericordiam adeptus fuerit eam , & ex gratia. Ideo pravi condemnabuntur , ſcilicet , impœnitentes. Et ideo diſtinguitur duplex judicium , ſcilicet , *judicium diſcretionis* , in quo Deus , ſcilicet Chriſtus , diſcernit bonos à malis per gratiam & merita. Et hoc judicat per *miſericordiam* : nam pœnitentibus continuè indulget , & peccatores expectat ad pœnitentiam. Secundum eſt *judicium examinationis* , in quo Deus ſegregat bonos à malis per pœnam, & præmium : in quo judicat Chriſtus ſecundùm juſtitiam inventam in homine. Primum judicium durabit uſque ad finem mundi in Eccleſia , & durat in unoquoque per totum tempus vitæ ſuæ. Secundum *judicium* erit poſt finem mundi in noviſsimo die , generale omnibus , & eſt unicuique in fine hujus vitæ. Ad *primum judicium* venit Chriſtus in primo adventu : ad *ſecundum judicium* veniet in ſecundo cum poteſtate magna & majeſtate. Et quia de iſto duplici adventu ſit mentio in ſacra Scriptura , ideo eſt valde advertendum , de quo iſtorum duorum loquitur Scriptura.

Duplex judicium.

Cum ergo Lex Euangelica ſit regula & diſpoſitio totius vitæ noſtræ , ut nos bonos efficiat , & Deo charos , & acceptos ad vitam æternam : in quatuor ergo conſiſtit. Primò præcipit divinum cultum , cùm dicit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* & præcipit omnes articulos fidei , cùm dicit : *Si creditis in Deum , in me credite.* Et ſic præcipit ſpem , fidem , & charitatem , & Latriam ; & hoc quoad Deum. Secundò , præcipit omnem innocentiam , & juſtitiam , & puritatem , cùm dicit : *Beati mundo corde.* Tertiò , prohibet omne vitium , & ſeparat pravos à juſtis in meritis , cùm dicit : *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem , Matth.* 6. Quartò minatur perpetuam pœnam obſtinatis in judicio , cùm dicit: *Ite maledicti in ignem æternum.* Et iſta quatuor continet Lex Euangelica , quæ docet, quid agendum , quid credendum , quid petendum , & quid fugiendum.

Lex Euangelica vitæ noſtræ regula conſiſtit in quatuor.

Da-

David ergo in perſona Chriſti prædicit in hoc Pſalmo totam diſpoſitionem Legis, & domûs Eccleſiæ. Unde quatuor facit : primò, dicit ea quæ pertinent ad cultum divinum. Secundò, ea quæ pertinent ad perfectionem hominis in ſe. Tertiò, ea quæ pertinent ad alterum in convivendo. Quartò, comminatur finale judicium ad pœnam prævaricatorum Legis. Secunda ibi : *Perambulabam.* Tertia ibi : *Non proponebam.* Quarta ibi : *In matutino interficiebam.* Sed quia tota Lex conſiſtit in obſervantia & præmio ejus : ideo reducitur ad miſericordiam in hac vita, & ad judicium in alia. Ideo principaliter intendit hoc cantare & narrare hîc Propheta, & non ſolum in perſona ſui incipit narrare, ſed etiam in perſona Chriſti.

Pſal. i expoſitio.

Quantum ergo ad primum dicit David in perſona ſui tamquam Propheta, & in perſona Chriſti tamquam legislator: *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine*, id eſt, in hoc Pſalmo cantabo totum tempus *miſericordiæ* à prædicatione Chriſti uſque in finem mundi, in quo *miſericordia* eſt, & locus pœnitentiæ, & miſericordiæ : in quo Lex Euangelica diſpoſuit hominem ad gratiam & meritum per bona opera ; primò erga Deum per divinum cultum : ſecundò erga hominem, ſeipſum in puritate & innocentia conſervando : tertiò, erga proximum juſtè cum eo convivendo : quia hoc eſt vivere ſecundùm miſericordiam Dei, & in tali vita miſericordia Dei habet locum. Et etiam *cantabo judicium tibi Domine*, id eſt, finale judicium, non ſolum totius mundi, ſed etiam uniuſcujuſque hominis in fine vitæ ſuæ.

Et dicit Propheta : quam quidem *miſericordiam & judicium pſallam* operando, & prædicando, & *intelligam* diſcernendo, *quando venies ad me*, primò in carne ; ſecundò, ad judicium. Nam in primo adventu, quando venies ad judicium miſericordiæ diſcretionis, dabis nobis intelligentiam Legis, ut ſecundùm Legem Euangelicam operemur. Nam *pſallere* eſt, decem præcepta obſervare, & operari ſecundùm ea. Et non ſolum *intelligam* in primo adventu Legem ad operandum ; ſed in ſecundo adventu *intelligam* præmium & judicium unicuique juxta merita tributum. Nam in primo adventu venit ad dandam miſericordiam, & Legem, & regimen vitæ : in ſecundo verò veniet ad tribuendum præmium ſecundùm merita unicuique. Et in his tribus, ſcilicet *cantare*, *pſallere*, & *intelligere* poteſt intelligi totus cultus divinus Deo debitus : qui conſiſtit in confeſſione laudis, & devotione, & ſacrificio, & oblatione ſpirituali ex ſpiritu contribulato, & corde contrito & humiliato. Et ideo dicit : *In via immaculata.* Quaſi dicat : ego cantabo miſericordiam, quando tu Chriſte venies ad me in primo adventu, *in via immaculata*, & in Lege Euangelica, & *cantabo judicium* in ſecundo adventu.

3. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.*

24.q.1.c. Loquitur.

4. *Non proponebam ante oculos meos rem injuſtam : facientes prævaricationes odivi.*

Et c. Omnibus.

HIC narrat ea, quæ præcipit Lex homini quoad ſeipſum. Et loquitur hîc in perſona Chriſti, qui *cœpit facere & docere*, cujus vita fuit nobis Lex & doctrina. Et dicit : *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ* : ideo ſicut ego duxi totam vitam meam cum innocentia & puritate, non ſolum operis, ſed etiam cordis, & ſervavi me ab omni peccato & injuſtitia *in medio domus meæ*, quæ eſt Eccleſia, & in medio diſcipulorum meorum : ita præcipio in Lege Euangelica omnibus fidelibus Chriſtianis, ut perambulent in Eccleſia, & vitâ hujus mundi in puritate & innocentia, juſtitiâ & munditiâ, non ſolum operis, ſed etiam cordis : quia Lex Euangelica non ſolum juſtificat opera, ſed corda, & affectum, ut patet *Matth.* 5. Nam tota juſtificatio hominis ſtat in innocentia cordis, & affectu charitatis principaliter, & ex conſequenti in effectu. Unde ſequitur : *Non proponebam ante oculos meos rem injuſtam*, id eſt, nunquam rem injuſtam agere propoſui, nec ex conſequenti egi : immò *facientes prævaricationes*, id eſt, opera pravorum, *odivi* : homines autem prævaricantes perfecto odio odi, quia eorum converſionem extincto in eis peccato deſideravi. Et ſic *non adhæſit mihi cor pravum*, ſed innocens & rectum.

5. *Non adhæſit mihi cor pravum: declinantem à me malignum non cognoſcebam.*

23.q.4.c. Ipſa pietas.

6. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar.*

23.q.4.c. Nimium.

7. *Su-*

Et c. Qui peccat.

7. *Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.*

POnitur tertia pars Legis Euangelicæ, quæ pertinet ad converſationem proximi. Unde eſt advertendum ſecundùm *Ariſtotelem* 5. *Ethicor.* quòd hæc differentia eſt inter juſtitiam & alias particulares virtutes. Nam omnes aliæ virtutes faciunt hominem perfectum, & bonum virum; eò quòd ſunt hominis ad ſeipſum. Sed *juſtitia* eſt ad alterum: ut in diſtributionibus & commutationibus, & ut convivitur cum aliis. Et ſic præcipit omnem actum juſtitiæ erga proximum, & prohibet omnem injuſtitiam & injuriam proximi. Et hoc præcipit Lex Euangelica. Et quia primò incœpit Jeſus facere & docere, ideo ait: *Non adhæſit mihi cor pravum*, id eſt, nolui in ſocietate mea hominem habentem cor pravum, & injuſtum.

Differentia juſtitiæ ad alias virtutes.

Sed contra; quia Chriſtus habuit *Judam* hominem pravum in ſocietate ſua. Ad hoc reſpondetur: quòd licet fuerit *Judas* in ſocietate corporali Chriſti, tamen non in ſpirituali: quia licèt corporaliter eſſet prope, tamen non ſpiritualiter; immò erat longè: quia non erat Chriſto charus & acceptus, licet permitteret eum in ſocietate manere, ut myſterium paſſionis impleretur.

Ideo ſequitur: *Declinantem à me*, id eſt, hominem *malignum*, declinantem à voluntate mea, & Lege, & doctrina, hunc *non cognoſcebam* cognitione approbationis, cùm tales habeam reprobatos: quia *maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Item, ego *perſequebar detrahentem proximo ſuo in ſecreto*, & abſentiâ: *nec* ego *edebam cum oculo ſuperbo & inſatiabili*, id eſt, cum homine ſuperbo & avaro. Octo ergo conditiones excludit Chriſtus à ſocietate ſua, id eſt, ab hæreditate, & gratia, & merito, & gloria, ſcilicet injuſtos prævaricatores legis, pravos corde, ſcilicet malitioſos, vel hypocritas, & rebelles à voluntate Chriſti, & detractores proximorum, & ſuperbos, & avaros.

16. q. 1. Legi.

8. *Oculi mei ad fideles terræ, ut ſedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.*

9. *Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum.*

23. q. 4. Ipſa pietas.

EX oppoſito diligit fideles & immaculatos & mundos & puros: quia omne ſimile diligit ſimile, quia pares cum paribus facillime conjunguntur. Cum ergo Chriſtus ſit juſtus & innocens & purus, ut dictum eſt: ergo diligit juſtos & puros; & hanc puritatem & charitatem & fidelitatem docet in Lege Euangelica exemplo & doctrinâ. Ideo dicit: *Oculi mei*, ſcilicet, oculi charitatis & acceptationis ſemper ſunt propinqui *ad fideles terræ*, ut tales *ſedeant mecum* in regno & menſa mea: & *ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Quaſi dicat: quòd ille eſt vere miniſter, & diſcipulus, & ſervus meus, *qui ambulat in via immaculata* & pura: quia ſuperbus, & *qui facit ſuperbiam non habitabit in medio domus meæ*, ſcilicet, hujus Eccleſiæ per gratiam, nec alterius per gloria. Hoc idem habetur *Pſalmo* 14. per totum, ſcilicet: *Domine quis habitabit in tabernaculo &c. Qui ingreditur ſine macula & operatur juſtitiam &c.* per totum: quia ille Pſalmus eſt ſimilis iſti. Hoc idem patet per totum diſcurſum Euangelicum. Ideo dicit Chriſtus, *Joann.* 12. *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur.*

10. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

12. q. 1. Exemplum, & 23. q. 4. Quantus.

POſtquam deſcripſit diſpoſitionem Legis Euangelicæ per totum diſcurſum hujus vitæ, quæ judicat per miſericordiam; hìc deſcribit ſtatum finis ipſius Legis, quæ judicat per juſtitiam: ideo dicitur *ſtatus judicii*, ſicut primus ſtatus dicitur *ſtatus miſericordiæ.* Sicut prius promiſit cantare *miſericordiam & judicium*; poſtquam cantavit miſericordiam, nunc cantat, & prædicit judicium. Et dicit: *In matutino*, id eſt, in die judicii, qui dicitur *matutinum*, eò quòd omnia erunt manifeſta, quæ hìc fuerunt occulta. Et ideo quoad hoc totus diſcurſus hujus vitæ dicitur *nox*, eò quòd corda hominum ſunt occulta: & hypocritæ & Hæretici ignoti habitant inter fideles & juſtos, & non cognoſcuntur; ſed illa die omnia ſcelera eorum erunt manifeſta lumine claritatis Chriſti. Ideo dicit: *In matutino interficiebam:* id eſt, interfi-

ciam *omnes peccatores terræ*, id eſt, terrenos & obſtinatos. Interficiam, dico, morte perpetua & ſpirituali taliter, *ut diſperderem*, & diſperdam, *omnes operantes iniquitatem de civitate Dei* cœleſti, cùm dicam: *Diſcedite à me*: &, *Ite maledicti in ignem æternum &c.* A

Totus ergo iſte Pſalmus poteſt exponi de David litteraliter: qualiter diſpoſuit domum ſuam & regnum, poſtquam fuit generaliter unctus in regem. Moraliter etiam & doctrinaliter poteſt exponi: & docet qualiter quilibet rex B debet diſponere domum ſuam & regnum; & quomodo ſe debet habere erga Deum in religione; & quomodo octo genera hominum ſupradicta debet à ſe, & à domo ſua & ſocietate ſecludere; & quos debet amplecti: & quomodo reos & criminoſos debet punire & privare. Allegoricè autem exponitur de Chriſto, immò ut veriùs dicam, litteraliter, & de ejus Lege & regno, ut dictum eſt.

Epilogatio Pſalmi. Ex toto iſto Pſalmo poſſunt recolligi quatuor Concluſiones, ſive doctrinæ. C

Prima concluſio: quòd David in hoc Pſalmo *cantat miſericordiam*, quam Chriſtus fecit generi humano in primo adventu, & *judicium* quod faciet in ſecundo. Vel poteſt dici, quòd cantat *miſericordiam*, quam Lex Euangelica promittit bonis, & judicium quod comminatur pravis. D

Secunda concluſio, & doctrina: quòd octo genera pravorum excluſit & docet Chriſtus excludere à ſocietate noſtra, ſcilicet injuſtos, & prævaricatores Legis, & pravos corde, & hypocritas, & rebelles contra Deum, & detractores, ſuperbos, & avaros.

Tertia concluſio: quòd Chriſtus dilexit juſtos, & mundos corde, & innoE centes, & fideles: & hos præcepit diligi in Lege Euangelica.

Quarta concluſio: quòd Chriſtus *interficiet* omnes *peccatores* impœnitentes, in mortem & pœnam perpetuam deſtinando, & cœleſti hæreditate privando. Unde moraliter docet David iſta quatuor eſſe ſervanda in domo cujuslibet regis & principis. Quia primò debet ſervare miſericordiam bonis & corrigibilibus, & judicium incorrigibilibus. Et debet ſervare juſtitiam cum miſericordia. F Secundò, debet abjicere de domo ſua ſupradicta octo genera pravorum. Tertiò, debet amplecti & eligere juſtos & mundos ad regimen regni. Quartò, debet interficere obſtinatos, incorrigibiles, homicidas, & latrones.

IN-

INDEX ALPHABETICUS

VERBORUM ATQUE SENTENTIARUM SELECTARUM, quæ in hoc primo Tomo continentur.

A

Aaron Sacerdos figura Christi. 756. D.

Abel, symbolum Christi, sicut ille occisus à fratre suo Cain ex invidia, pariter occisus à populo Judaico fratre suo secundum carnem. pag. 333. lit. A.

Abrahæ sacrificium ponitur in exemplum triplicis sensus Allegorici, Tropologici, & Anagogici quibus Scriptura sacra sumi potest ultra sensum literalem. Ibi.

Achitophel: ejus consilium contra David, & ejus suspendium, figura Judæ proditoris. 84. A. 339. F.

Adam idem ac terra rubra. 124. C. Rursus idem ac homo. 315. G. Adæ fuit revelatus Christus. 606. F. Adæ peccatum fuit causa occasionalis adventus Christi. 25. E. Duplex Adæ furtum in paradiso. Vide pag. 543. C.

Adam juste punitus rebellione carnis veluti qui rebellavit contra Deum in Paradiso. 401. D.

Adæ nomine sæpe Christus conqueritur in Psalmis, & postulat à Patre redemptionem generis humani, ejusque ærumnas detter ex peccato contractas. Passim reperies, sicut & ipsum Adam petentem pro se, & pro omni sua posteritate. Vid. 607. B.

Alamot, quid significet. 370. C.

Alma idem ac Juvencula, Puella, sive Adolescentula in secreto vivens & ab hominum prospectu separata. 370. C. Speciatim adaptatur Virgini Mariæ. 374. C

Altare dictum quia altum & elevatum. 454. G. Talis est anima justi in qua Deo offeruntur sacrificia grata & accepta. Ibi.

Angelus olim in nube ducens populum, Verbum præfiguravit in carne. 611. D.

Angeli ad custodiam hominum destinati contra pericula temporalia, & spiritualia. 722. D. & *deinceps*.

Anima in hoc corpore mortali quasi induta cilicio carnis eam frequenter stimulantis spinis concupiscentiæ. 298. C.

Animæ pedes affectus ejus quibus movetur. 580. C.

Anima Christi unica, quia sola libera à peccato. 298. Eadem induta fuit cilicio carnis, non quæ pungeret stimulo concupiscentiæ, sed spinis pœnalitatum peccati. Ibidem. C.

Animæ Beatorum in Cœlo nil desiderant quod ad essentialia beatitudinis spectet; bene verò quoad accidentalia Sic cupiunt corpora sua recuperare in consortium beatitudinis qua gaudent, quin in hoc aliquam patiantur inquietudinem, ut quæ sunt in possessione Summi Boni nusquam omittendi. 71. B.

Antichristus, Bestia terribilis, de qua Daniel 7. quæ devoravit alias tres, quia ipsæ devorabit varias sectas Hæreticorum omnes illas in se resumens. 594. E. *Singularis Ferus* dictus. 635. C.

Apostoli Infantes à Christo lacte doctrinæ enutriti. Insuper pueri antea ignari, & à Christo sacris Scripturis mirifice eruditi. 121. & 122.

Apostoli nubes mysticæ totum orbem pervolantes & pluviam salutarem Euangelicæ veritatis ubique spargentes. 304. F. & 612. Iidem montes. 603. D.

Apostoli sagittæ acutæ potentissimi Christi corda penetrantes 612. A.

Apostoli adumbrati sunt per duodecim Principes ab Jòsue electos ad transitum Jordanis, & Arcam Domini præcedentes, eamque introducentes in terram Chananæorum, id est Euangelium & Fidem Christi in populo Gentili. 533. Insuper præfigurati in duodecim filiis Jacob Patriarchæ. Ibi. Sicut ad voces Sacerdotum, & tubarum olim corruerunt muri Jericho, ita ad voces & prædicationem Apostolorum idola & delubra Gentilium. 373. A.

Apostoli totum per orbem prædicaverunt ingressi quasi per duodecim partes, sicut olim Principes Tribuum per duodecim alveos Jordanis intrarunt in terram promissionis 534. B.

Apostoli columnæ antea in Passione Christi fragiles, sed postea ad adventum Spiritus sancti facti fortissimi. 599. B.

Apostoli vituli Deo oblati, atque adumbrati per vitulos qui in lege veteri immolabantur. 431. H.

Aquæ, symbolum persecutionis. 547. B.

Aquæ Baptismales, *aquæ contraditionis* quia eis contradicunt Judæi & Saraceni. Item *aquæ probationis*, quia eis probamur fideles esse & per Christum regenerati. 641. E.

Asaph idem ac congregatio, sive collectio, Ecclesiam significat. 408. D. & 529. E.

Auctor particularis Psalmorum, controversia inter Hebræos. 2. A.

B

Baptismus, per ejus aquas liberantur fideles de potestate Diaboli, sicut olim Hebræi in transitu maris Rubri de captivitate Pharaonis. 611. G. Vide sup. verb. *Aquæ Baptismalis*.

Beati in Cœlo cantant Psalterium mysticum per fruitionem gloriæ. Vide in Psalm. 83. Et suprà verb. *Animæ Beatorum*.

Beatitudo in actu assecutionis simul & fruitionis consistit. 51.

Beatitudo, in quo consistat. 67. C. & deinceps. De modo acquirendi beatitudinem variæ opiniones. Ibid. lit. G. H. &c.

Beatitudo essentialis & accidentalis. 71. B.

Bethlehem typus Ecclesiæ. 230. F.

C

Caro nostra cilicium animæ eam frequenter stimulans & pungens spinis concupiscentiæ. 298. C.

Caro, mulus quo Diabolus insedet ad pugnandum adversus animas. 225. C.

Caro lectulus & stratum in quo anima jacet, quam ad instar David rigare debemus lacrymis compunctionis & pœnitentiæ die ac nocte. 110. D.

Caro nostra, pes & calcaneus, qui eapropter debet regi ab anima, non è converso. 450. C. Huic calcaneo frequenter insidiatur Diabolus ut homines decipiat. Ibi.

Castigatio Justorum velox in hac vita, sed impiorum sera in alia. 582. C.

Cervi, Episcopi & Sacerdotes. 256.

Cham, filii ejus Ægyptii ex Mesrain. 623.

Christus, secundus Adam cœlestis initium nostræ salutis, sicut primus Adam nostræ infirmitatis. 316. D.

Christus, finis utriusque legis veteris & novæ aliter & aliter. 25. B.

Christus, in fide ejus venturi justificati sunt antiqui Patres veteris Legis. 26. A.

Christus verus Jacob. Pater duodecim Apostolorum per quos populus Christianus multiplicatus est per universum mundum. 31. E. Item verus Moyses & Aaron. 612. F.

Christus præfiguratus in Virga Moysis. 590. G. Item in Petra Horeb. 591. F.

Christus, Lignum vitæ plantatum in meliori paradyso uteri virginalis Mariæ. 66. H.

Christus Psalterium & Cithara subjective. 476. F.

Christus, Rosa & Lilium, vide pag. 541. D.

Christus Filius hominis, quia ex Adam, non per naturalem generationem ex viro & muliere, sicut cæteri, qui idcirco dicuntur filii hominum, sed ex sola B. V. M. cooperante virtute Spiritus sancti. 124. D. & E.

Christus nomen Dei *Tetragrammaton* quatuor literis apud Hebræos inscriptum. Item nomen *Adonai* ineffabile, quod Deus priscis Patribus non indicavit, quia illis temporibus nondum Verbum Dei carnem assumpserat; & per ejus assumptionem fuit manifestatum & declaratum in operatione miraculorum. 126. & seqq. Sicut conceptus mentis per vocem manifestatur exterius; ita Verbum Divinum per adjunctam humanitatem, seipsum, qui conceptus est Patris, notificavit mundo: sicut & Dei Omnipotentiam, Sapientiam, Misericordiam, Justitiam, &c. 127. & seqq.

Christus sic nos dilexit, ut quasi animam suam reputarit. 259. & 341. F.

Christus, vermis, quia sicut iste gignitur ex terra per solam influentiam Cœli, ita Christus conceptus ex terra Virgine B. M. solo opere Spiritus sancti. 221. & 222.

Christi corpus. Saccus in quo repositum est pretium nostræ redemptionis. 260.

Christus, Unicornis qui contactu cornu suæ Crucis præbuit aquis baptismalibus virtutem purgativam à veneno peccati. 254. C.

Christus orans in horto: *Transeat à me calix iste*, petivit quod ejus Passio ad omnes in universum gentes transiret, eisque prodesset. 78. G.

Christus cum peccatoribus morem gerens Figuli, qui ex vate tortuoso rectum reficit. 78. C.

Christus, Hyssopus intinctus sanguine suæ Passionis, cujus in virtute antiqui & hodierni salvantur. 421. A.

Christo moriente & sepulto, & Lex vetus mortua est & consepulta. 416. H.

Christus adhuc patitur in laboribus suorum, tamquam caput ad dolorem membrorum. 460. B.

Christus in Cruce holocaustum totum crematum igne charitatis. 514. D.

Christus, hircus qui peccata nostra in se portavit. Ibi. F.

Christus factus pro nobis peccatum, quia pro nostris peccatis passus & crucifixus est. 544. C.

Christus, vultus & facies Patris quia per ipsum notificatus est mundo. 515. F. Item manus dextera Patris 590. C. & 610. C. & 635. F.

Christus verus Elias, qui strato pallio suæ humanitatis supra Jordanem Passionis & aquis ejus intincto, ascendit in Cœlum. 347.

Christi dicta & facta velut quædam Sacramenta rebus sensibilibus res insensibiles significantia. 25.

Christus, verus Salomon, ad cujus sapientiam audiendam, hoc est Legem Euangelicam suscipiendam, venit Regina Sabba, nempe populus Gentilis relicta idololatria. 21. F.

Christus in omnibus mundi partibus adoratur. Vid. late in Psal. 71.

Christus post Resurrectionem intravit paradisum delitiarum cum tota turba Sanctorum Patrum & Fidelium. 577. H.

Christus mutavit Dei sinistram justitiæ in dexteram misericordiæ. 610. C.

Circumcisio & reliqua Sacramenta veteris Legis non fuerunt instituta in pretium pro peccatis, sed tantum in signum pretii condigni solvendi per Christum; ubi aptissimum exemplum Mercatoris. Rursus solummodo significabant, non continebant virtutem Passionis Christi. 334. H. & seqq.

Cithara instrumentum musicum triangulare symbolum triplicis virtutis Theologicæ, quibus Deus præsertim colitur, & decantatur. 280. & 639. A.

Civitas concors hominum multitudo unius Legis consensu sociata. 36. E.

Civitates duas faciunt duo amores. Vide quas Civitates, quosque amores. 494. C.

Confessionis Sacramentalis tres sunt partes, explicantur. 107. B. In ea fit judicium misericordiæ, & præcavetur judicium iræ & furoris in morte. 108. D.

Core typus Ecclesiæ ex populo Gentili congregatæ. 579.

Corpus, lectus in quo anima infirma jacet morbo & paralypsi concupiscentiæ rebellis. 340. H.

Corripere, vide *Differentiam ejus à flagellare, & arguere*. 107. & 108.

Creatura pura non posset de condigno satisfacere pro peccato. 131.

Crux adoratur, & in quo sensu. 31. C.

Crux, Mons per quem est accessus ad Cœlum. 86. E.

Crux, cornu *Unicornis* Christi, cujus contactu aquæ Baptismales acceperunt virtutem purgativam à veneno peccati. 254. C.

D

David omnes 150. Psalmos composuit, & quosdam ex eis priusquam ad regnum eveheretur. 2. D. 9. A. Eorum cantu & harmonia fugabat spiritum nequam à Saule. 8. H.

Om-

Omnibus eis metricavit tamquam Poeta egregius. 8. A.

David fuit verus Propheta, & omnium Prophetarum excellentissimus. 11. C. & seqq.

David Psalmos prophetice cantavit, & nos hodie gesta in eis narrata historice occinimus. Ibi.

David in quatuor objectis sibi repræsentatis prævidit omnia mysteria futura de Christo & Ecclesia. Vide quæ & qualia. 17. H. & seqq.

David typus fuit Christi. 230. F.

David in spelunca absconditus figuravit Christum in sepulchro. 470. H.

Deffinitio quasi terminus deffiniti, quia omnem ejus essentiam comprehendit. 128. C.

Deprecatio. Vide *Oratio.*

Deus Pater loquitur ad Christum Filium suum. Psal. 109. cum dicit: *Dixit Dominus Domino meo, &c.* 28. A.

Deus Pater fecit pro nobis Christum Filium suum peccatum, id est, sacrificium & oblationem pro peccato. 25. C.

Deo offerendum cor melius. 333. F.

Deus honoratur humilium precibus, & gratiarum actione pro beneficiis acceptis. 413. C.

Dextera in homine ratio & recta voluntas. 585. D. & F.

Diabolus quandoque appellatur *homo* in Sacris litteris, & *homo malus* nomine Diaboli significatur. 30.

Diaboli peccatum explicatur. 654. B.

Diabolus ex peccato quasi specialem quamdam potestatem acquisivit, Deo sic permittente, in pudenda viri, & feminæ. 318. D.

Diabolus pascitur divitibus, & voluptuosis. 596. C.

Diapsalma idem ac disjunctio, & *Sympsalma* continuatio sententiæ. fuse de hoc pag. 53. Item Psalm. 53. B.

Die judicii clara justis, sed nox atra peccatoribus. 405. G.

Divites inflati & superbi cibus electus diabolo, & pabulum ignis æterni. 405. F. & 596. D.

Divites comparantur equis pinguibus. 581. A. Item draconibus. 590. H. Vid. pag. 600. E. quomodo potantur vino misto.

Divitiæ plerumque radix sunt superbiæ. 581. A.

Divitiæ sæpe dentes sunt, quibus Potentes pauperes dilaniant, & conterunt. 87. G.

Divitiæ, honores, atque dignitates hujus mundi quandoque scandalum sunt ipsis possessoribus ad eorum ruinam. 405. & 407. F.

Divitiæ bonis bonæ, malæ malis. 583.

Divitiæ talentum sunt mutuò à Deo acceptum ad negotiationem æternæ salutis. sed avari illud habent absconditum in terra, non erogando eas in cibos pauperum: proinde ab eis solent auferri: quin insuper severe judicabuntur de non acquisitis usuris. 311. G.

Doctores, & Prælati Ecclesiæ arietes mystici: quarè, vid. pag. 510. G. Et ibi. Quomodo nos induimur lana multiplicis eorum sapientiæ, & his indumentis defendimur à frigore, atque ventis concitatis per Infideles, & Hæreticos.

Doeg, idem ac *motus*, & *solicitus*. 450. H.

Dormire, & soporari quomodo differant. Vid. pag. 87. G.

Dracones, dicuntur Ægyptii. 590. H. Rex Ægypti apud Ezech. dicitur *draco*. ibid. Caput draconis dicitur peccatum originale. 591. C. Capita draconis dicti tyranni & persecutores Ecclesiæ. 596. C.

E

Ecclesia, multitudo plurium in fide Christi viventium. 607. B.

Ecclesia unus Christus mysticus. 25. B.

Ecclesia corpus mysticum, cujus quasi anima Apostoli, oculi Doctores, ossa Episcopi, & Prælati, venter reliquus cetus fidelium. 266. F.

Ecclesia mons ob firmitatem doctrinæ Euangelicæ. 304. H.

Ecclesia vera *Juda* in qua Deus vere confitetur. 551. H. & 605. H. Item verus *Jacob*. Quare? Vid. pag. 640.

Ecclesia tota munda ratione B. Virg. Mariæ præcipui ejus membri: in aliis mundificata; in aliis autem ægra & infirma. 31. D.

Ecclesia vinea in qua Christus expresit vinum Sacramentorum. Item *Olivetum*, ex quo verum oleum extorquetur. 47. A.

Ecclesia orbis mysticus in quo Sol Christus, Stellæ Doctores, Luna populus simplicium. 123. C. & D.

Ecclesia Militans Tabernaculum, quia mobilis & peregrinans: sed *Triumphans* mons altus & immobilis, quia perpetuò duratura. 167. G.

Ecclesia columba. 524. A. & seqq.

Ecclesia vera Arca Noe, in qua Fideles salvantur à diluvio & morte peccati. 31. D.

Ecclesia Christi Sponsa: septem ejus dignitates. 682. A. & deinceps. Ejus ornamenta. 365. à lit. D.

Ecclesiastici cum fuerint dediti avaritiæ, & voluptatibus carnis, signum adventus Antichristi. 595. G.

Eleemosyna cambium bonorum temporalium pro æternis. 311. G. & 344. D. Ibi septem ipsius præmia.

Eliæ raptus Ascensionem Christi adumbravit. 14. H. Vivit in paradiso per esum ligni vitæ. 527.

Elias & Henoch vivunt in parte mundi Australi, quæ est paradisus. 577. G.

Enos jam habebat literas, quibus commendabat memoriæ orationes quas conficiebat. 54. G.

Ethan idem ac ascendens, & fortis 579.

Euagelium, *Vox tonitrui in rota*, quia per totum orbem intonuit. 612. A.

Eucharistia Græce, Latine *bona gratia*. 431. B.

Eucharistia adeps & pinguedo *panum propositionis*, & sacrificiorum veteris Legis, qua Fideles satiantur: Judæi autem non nisi furfure, & vinaceo eorum post ita depurata. 643. C. & D.

Eucharistia sacrificium justitiæ, quia justificat digne sumentes, ubi sup. & pag. 95. Semper sortitur suum effectum. 43. D. Sacrificium adumbratum per Agnum matutinum, & vespertinum veteris Legis. Ibi.

Ex effusi mentis dicitur ab excessu luminis supernaturalis supra lumen naturale intellectus. 13. & 14. G. Fuit frequentior Prophetis, non ita extasis, & raptus. Ibi.

Extasis status est hominis quasi extra se existentis. 13.

F

Fideles veri Iſraelitæ, & filii Abrahæ ſecundum ſpiritum & imitationem. 46. Rurſus quia filii ſunt Apoſtolorum ſecundum ſpiritum: ipſi autem Apoſtoli filii fuerunt Iſrael ſecundum carnem juxta & ſpiritum. 47. B.

Fides pes in via virtutis. 582. In Fide Chriſti venturi juſtificati ſunt antiqui Patres. Vid. ſup. verb. *Chriſtus*.

Filii, qui poſt mortem Patrum eorum obliti illis non ſuffragantur piis operibus, potius alieni & extranei. 403. G.

G

Genus humanum figuratum in illo languido juxta Piſcinam, de quo Joan. 5. pag. 319. B.

Geſta veteris Teſtamenti velut Sacramenta fuerunt futurorum novi Teſtamenti. 25.

Gratia, & peccatum mortale non poſſunt cohærere in eodem ſubjecto. 448. E.

Gratia Sacramentorum mel eductum de myſtica petra Chriſto, quo fideles ea digne ſumentes dulcorantur. 643. C.

Gratiæ neceſsitas ad bene operandum, contra errorem Pelagii. 715. E. & F.

Gratia gratuita, & gratia gratum faciens, quibus dantur. 716. A.

H

Hieruſalem unde dicta, quære. 602. D.

Holocauſtum magis Deo acceptum cor contritum, & humiliatum. 514. A.

Homo ex peccato factus eſt curvatus, in malum declinans, & paſsim offendens, niſi gratia Chriſti erigatur, & adjuvetur. 318. B.

Humanitas Chriſti, Arca, Tabernaculum, & Templum Domini. 47. E. & ſeqq. Item pag. 325. F. Iſtam Arcam tranſvexerunt Apoſtoli, prout olim Principes Tribuum, in populum Gentilem. 523. C. & D.

Humanitas Chriſti, vox Dei, ad cujus imperium fiebant miracula. 252. B.

Humanitas Chriſti, gladius quo Verbum Divinum accinctum eſt potentiſsimè ad debellandum diabolum. 360. D.

Humanitas Chriſti, Hyſſopus intinctus ſanguine Paſsionis, quo peccatores aſperguntur, & mundantur. 421. A.

Humanitas Chriſti, mons pinguis in quo Deus inhabitat in æternum in unitate Perſonæ. 528. B.

Humanæ operationes ſunt in quadruplici genere. 447. H.

Hypocrita, lacus limoſus. 542. F.

I

Jacob, figura populi Chriſtiani, qui licet minor, præpoſitus eſt Synagogæ antiquiori in potioribus bonis. 640. H.

Jeſus idem ac Salvator: toti Trinitati competit, ſed ſpeciatim Filio attribuitur, quia per ipſum operata eſt noſtram ſalutem. 131. E. Hinc Apoſtoli, & Patres primitivæ Eccleſiæ baptizabant in ſolo nomine Jeſu Chriſti, quia cum idem valeat ac Salvator, ſalvare competit indiviſim toti Trinitati. Quare ſub iſto auguſto nomine idem in ſumma faciebant, ac nos hiſce temporibus, cum baptizamus in nomine totius Trinitatis; quæ alioquin expreſsio impoſita eſt nutu Spiritus ſancti ob hæreſim emergentem Arianorum, & Judæorum perfidiam. Ibi.

Jeſus, nomen *Tetragrammaton*, & *Adonai*, Hebræorum quatuor literis inſcriptum. 118. & ſeqq.

Idithun, interpretatur tranſiliens. 606. E.

Idola, juxta mare Caſpium, & per omnia regna Aquilonaria annuntiaverunt Chriſti nativitatem. 575. A.

Incarnationis myſterium. Vide pag. 685. à lit. D. Quatuor mirabilia patrata in Incarnatione Chriſti. 685. D. & *deinceps*.

Inſtrumenta muſicalia, quæ in titulis Pſalmorum nominantur. Eorum myſteria. 52. D.

Interpretes Sacræ Scripturæ 56. fusè.

Judæi quomodo errant circa Meſsiam 574. G. Judæi ex odio & ira & invidia quam habent contra Chriſtum, deſiderant ipſum occidere: ideo quaſi quolibet anno crucifigunt aliquem Chriſtianum in memoriam ejus, putantes occidere Chriſtum in illo Chriſtiano. 657. D. Triplex pœna Judæorum ex peccato. Ibidem. E. *fuſe*. Judæi non ſolum peccato Adami ſunt obnoxii, ſed etiam peccato ſuorum progenitorum, qui Chriſtum crucifixerunt. 658. B.

Juſtitia dicitur à juxta. 377. *Juſtitia Theologica* eſt actus juſtus & meritorius præmii æterni, qui fit juxta legem Divinam &c. Ibid. Juſtitia & Miſericordia, quomodo ſint in Deo ſimul. 675. H.

Juſtificatio impii, majus miraculum, quàm creare cœlum & terram. 692. C. D.

L

Laqueus venantium dicitur peccatum Adæ, & quare. 718. C.

Latria. Differentia inter latriam veteris ac novi Teſtamenti. 747. G.

Lex nihil aliud eſt niſi via in Chriſtum &c. 25. E. Continuè accepit aliquam perfectionem, & quomodo. Ibidem. G. In lege data Adamo fuit duplex præceptum. 63. B.

Lex datur ad colendum Deum loco originalis juſtitiæ, quam homo debebat obſervare in paradiſo. Ibid. D.

Lex vetus & nova ſunt una ratione finis. 37. E.

Lex vetus eſt occultatio novi Teſtamenti, & novum Teſtamentum eſt manifeſtatio veteris. 663. F.

Lex Euangelica variis nominibus appellatur. Ibid. H. & 664. *fuſè*.

Lex Euangelica dicitur Canticum novum: & quare. 746. A. & *deinceps*.

Lex Mahometica conficta ex aliis quatuor ſectis, ſeu beſtiis. 594. D.

Liber Pſalmorum David continet totam Sacram Scripturam veteris Teſtamenti. 61. A. Variis nominibus appellatur. Ibidem.

Lignum vitæ in paradiſo quatuor figurabat. 66. F.

Lingua Hebræa unde habuit ortum. 54. à lit. F.

Litteræ jam erant in prima mundi ætate. 54. G.

Locutiones quædam in Sac. Script. quæ in ſenſu literali videntur falſæ, in quo ſenſu ſint veræ. 35. A.

Luctа Jacob cum Angelo ſeptem myſteria repræſentat. 45. H.

M

Maheleth, inſtrumentum muſicum quid ſignificet. 690. A.

Mahometus & Mahometani, dicuntur beſtiæ, ſicut & Antichriſtus. 597. A. Origo hujus ſectæ, à pag. 659. D. *fusè*.

B. Virgo Maria, paradiſus delitiarum, in qua lignum vitæ fuit plantatum. 66. H. Dicitur *Virgo ſecreta*, & quare. 374. C. Ejus anima ornata flumine copioſiſsimo, & abundantiſsimo gratiarum & donorum Spiritus ſancti. 375. a lit. B. Sanctificavit Altiſsimus totum ejus corpus & animam, tamquam Dei Tabernaculum. Ibid. à lit. C. Quando eam Altiſsimus ſanctificavit, in eo inſtanti habitavit in ea per gratiam. Ibid. G. H. In primo inſtanti ſui eſſe, & animæ creationis & infuſionis Altiſsimus eam ſanctificavit, & lætificavit. 376. A. *fusè*. Nunquam fuit obnoxia, nec obligata culpæ originali, nec alicui peccato. Ibid. E. *fusè*. Figurata per terram & hortum deliciarum paradiſi. 670. G. H. *fusè*.

Menſa Solis, pars mundi. 576. C.

Metaphora, ſeu Synecdoche in Sacra Scriptura. 40. B.

Miſeria noſtra in quibus conſiſtat. 211. F.

Miſericordia & veritas in Deo idem ſunt eſſentialiter & ſubſtantialiter: & quomodo. 673. H. *fusè*.

Miſericordia & judicium eſt totus diſcurſus Legis Chriſti. 759 D. *deinceps*.

Mors, & cætera mala, quæ incurrerunt primi parentes ex peccato, non poſſunt dici mala naturalia, & quare. 378. D.

Mundus, in menſe Martio creatus. 687. E.

N

Neſtorii, & Berilli nefandæ hæreſes. 659. G.

Noe, literas & linguam Hebræam docuit filios & nepotes poſt diluvium. 54. H. Fuit figura Chriſti, & quare. 31. C.

Nomina Dei in Sacra Script. quæ, & eorum explicatio. 42. F. *fusè*. Nomina Meſsiæ. 43. E. Nomina populi Dei. 45. A. Nomina localia Dei. 47. C. Nomina localia populi Dei. 48. B. Nomina Divinæ Legis. 50. A. Nomina Diaboli. 51. A.

Nox Eccleſiæ, quæ ſit. 376. B. Nox Virginis Mariæ fuit totum tempus ab ejus conceptione carnis uſque ad animationem. Ibidem. D.

Nuptiæ, tres inveniuntur in Scriptura; Nuptiæ Incarnationis, nuptiæ reconciliationis, & nuptiæ glorificationis. 363. E. *fusè*.

O

Opera noſtra ſunt in duplici genere quædam diriguntur ad proximum, & quædam ad ſolum Deum. Opera charitatis proximi dicuntur *Opera manuum noſtrarum*, & quare. 716. B.

Opera Divina ſunt in triplici genere: nempe opera creationis: opera permiſsionis: & opera redemptionis. 729. H. *fusè*.

Oratio Chriſti in horto, quomodo intelligenda. 35. B. *fusè*.

Origeniſtarum error de animarum creatione ante mundi conſtitutionem, confutatur. 710. F.

Orbis terrarum, in duo hemiſphæria diviſus. 576. A. Alii eum in tres partes dividunt: Auſtralem, Aquilonarem, & Menſam Solis. Ibidem.

Ornatus Chriſtianorum, conſiſtit in ornatu animæ, devotione, & virtutibus; non in apparentia & vanagloria exteriori &c. 367. C.

P

Palma & Cedrus arbores ſaltiores, & longioris vitæ: quibus exaltatio juſtorum comparatur. 732. A.

Paradiſus, in parte Auſtrali ultra Menſam Solis aſsignatur. 576. E. Totum hemiſphærium Auſtrale fuit datum primis parentibus in paradiſum. 577. E.

Paupertati Chriſti ſubventio adumbrata per Sibam & Bercellai Davidi ſubvenientes. 339. F. G.

Peccare in termino, & peccare in via, in quo differant. 658. C.

Peccatum Adami in nobis dicitur peccatum naturæ, & quare. 161. C.

Peccatum originale cauſatur in anima per generationem. Ibid. D. & pag. 379. D. Eſt carentia originalis juſtitiæ amiſſæ in Adam. Ibid. H.

Peccatum perſonale habet tres gradus; propoſitum, operationem, & obſtinationem. 65. B. C. Non poteſt eſſe ſimul cum gratia. 448. E. Peccatum quare dicatur ſanguis. 424. C. Peccatum Luciferi. 653. H. *fusè*. Tria peccata perpetua in Diabolo. 656. A. Peccatum Synagogæ ſimile peccato diaboli. Ibid. E. *fusè*.

Perfectiones in Humanitate Chriſti, ſeptem. 674. G. H. & deinceps.

Pes & calcaneus, quid? vide 401. B.

Portæ Eccleſiæ dicuntur Eccleſiaſtica Sacramenta, & Virtutes Theologicæ. 682. H.

Proles Eccleſiæ, quæ ſit? 386. A. B.

Pſalmi non ſunt collocati eo ordine quo fuerunt facti, ſed ſicut fuerunt per Eſdram reperti. 2. E. Materia principalis Pſalmorum, ſunt concluſiones Euangelicæ, quas David prophetice infert ex myſteriis veteris Teſtamenti, quos in Pſalmis explicat. 7. B.

Punctа Hebraica à Rabbinis conficta. 57. D.

R

Rabbini, corruperunt Sacram Scripturam. 57. F. Confinxerunt librum Thalmud. 58. A.

Rahab meretrix figura populi Gentilis recepti in Eccleſia, & cujuslibet converſi ad fidem relicta infidelitate. 684. E. F.

Ratio vocatur dextera, ſicut caro & ſenſualitas, ſiniſtra. 585. D.

Redemptio, & liberatio noſtra, & iræ Dei mitigatio multipliciter figurata. 671. F. *fusè*.

S

Salomon, quomodo fuit figura Chriſti. 704. H.

Scribarum & Phariſæorum triplex ſtatus. 647. E. Eorum doctrina perſeverat hodie inter Judæos. 648. A. Depravarunt ſcripturas, & quomodo. Ibid. fusè. Eorum doctrina dicitur fermentum. 649. B.

Scopere ſpiritum quid ſit. 609. C.

Septuaginta Interpretes. Eorum authoritas. 57. B. Eorum Translatio 58. E. & deinceps.

Sectæ Neſtorii & Berilli. 659. G. Sectæ Mahometicæ origo. 659. D. fusè. Peritura ante adventum Antichriſti. 662. E.

Sibæ Davidi ſubveniens in fuga ſua, ſignificat, quòd multi ſub venturi erant Chriſto in paupertate tua. 339. G.

Spes. Ejus definitio 607. D. Spes falſa Judæorum modernorum de futuro Meſsia, demonſtratur. 688. E. & deinceps. Spes Chriſtianorum, in quibus ponenda. 717. H.

Semen Chriſti, populus Chriſtianus, per generationem ſpiritualem. 702. E. Semen Abrahæ, & Iſrael, & David, habet duplicem reſpectum: ad generationem & ſucceſsionem carnalem, & aliud ad Chriſtum promiſſum in illa generatione carnali. Ibid. F.

T

Tabernaculum Dei, B. Virgo Maria. 375. C. Tabernaculum animæ dicitur corpus. 665. C. Tabernaculi fabricatio, non fuit facta gratiâ ſui, niſi in quantum erat diſpoſitio & figura ad Chriſtum, & Legem Euangelicam. 696. F.

Tempus legis veteris dicitur *nox*, & tempus legis gratiæ dicitur *dies*, cujus aurora & manè fuit Reſurrectio & Aſcenſio Chriſti. 372. C. Chriſtus accepit *tempus*, quando factus eſt homo. 598. G. Tempus futurum videtur nobis magis longum, & tempus præteritum, breviſsimus, 711. H.

Terra promiſsionis dicitur tota terra à monte Libano uſque ad Berſabee, & à mari Mediterraneo uſque ad Euphraten. 48. C. Sic dicta, quia in ipſa erat venturus Chriſtus in Lege promiſſus. Ibidem. G. Dicebatur etiam hæreditas Domini, quia in ea recepimus hæreditatem promiſſam. Ibid.

Terra Chanaam non fuit promiſſa Sanctis Patribus in præciſum præmium pro lege ſervanda: nec expectabant eam Patriarchæ & Prophetæ tamquam requiem & terminis ultimatum. 744. E. *fusè.*

Tituli Pſalmorum quid notificent 51. D. *fusè.*

Translationes Sacræ Scripturæ, vide à pag. 56. A. Translatio *Targum* dicta. Ibid. D. Cauſa variarum Translationum. 57. A. Translatio D. Hieronymi. 58. F.

V

Vaſtatio Templi, figura vaſtationis Eccleſiæ factæ per Mahometanos. 593. E. Vide etiam in Pſal. 82. pag. 659. B.

Vates. Differentia inter vatem & Interpretem. 21. F. &c.

Vertex & caput mundi, hemiſphærium Auſtrale. 576. A.

Virga cum qua Moyſes fecit miracula in Ægypto, fuit figura Chriſti. 590. F.

Vita hominum abbreviata, propter peccata. 712. G.

Voluntas hominis media inter voluntatem Dei, & Diaboli. 649. F.

Z

Zona torrida, vocata Menſa Solis. In qua dicitur eſſe magna Civitas Philoſophorum, Arin nuncupata. 579. D.



ESTANTE 1.°
Tabla 7.ª
N.° 10

4

13
70

VALENTIA
IN PSALM.

TOM. I.

12664